


DIRECTORIUM REGULARIUM TRIPARTITUM.

CUJUS IN PRIMA PARTE DE PRIVILEGIIS REGULARIUM;
IN ALTERA DE EORUNDEM OBLIGATIONIBUS:
IN TERTIA DE REGIMINE ATQUE ELECTIONE PRÆLATORUM REGULARIUM,

AD SACRORUM CONCILIORUM SENSUM, SUMMORUM PONTIficum Constitutiones, diversorum Ordinum, maximè Carmelitarum Excalceatorum Leges & Statuta, Eminentiss. Cardinalium Declarationes, Iuris utriusque Sanctiones, antiquiorum, modernorúmque Theologorum ac Iurisperitorum Placita & Asserta, compendiosè, solidè ac dilucidè disseritur.

AUTHORE

R. P. ANTONIO à SPIRITU SANCTO, LUSITANO, Carmelita Discalceato, moralis Theologiæ Professore.

HAC ALTERA EDITIONE ab innumeris, gravibusque, quibus prior scatebat, typi mendis expurgata, atque accessionibus multis illustrata.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud JOANNEM BUSÆUM, Bibliopolam sub Monocerote, Anno M. DC. LXVII.
Cum Facultate Superiorum, & Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

P. P. Eremitar. ... Camaldulen. ... Varsavia ...

FACVLTAS

ADMODVM R. P. PROVINCIALIS LVSITANIAE.

F. SEBASTIANVS *à Conceptione* Provincialis Fratrum Diſcalceatorum Beatiſſ. Virg. MARIÆ de monte CARMELO in Regno Portugalliæ.

DE conſenſu ſex Patrum Conſultorum, qui, Authoritate Apoſtolica, vices gerunt noſtri Definitorij Generalis, Tenore præſentium facultatem concedimus *P. F. Antonio à Spiritu ſancto*, moralis Theologiæ, noſtræ ſacræ Religionis Lectori, ut habitis neceſſariis ad id licentiis, typis mandare poſſit librum, cui titulus: *Directorium Regularium*, &c. qui authoritate noſtra examinatus & adprobatus fuit à *RR. PP. Emmanuele à Chriſto, Caſpare & Andrea à Regibus* Sac. Theologiæ Lectoribus, in quorum fidem præſentes dedimus manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque officii noſtri munitas, in Conventu noſtro Ulyſſiponenſi die 24. Martij Anno 1659.

F. SEBASTIANVS *à Conceptione*
Provincialis.

F. RODERICVS *ab Incarnatione*
Secretarius.



CENSVRA FACVLTATIS PARISIENSIS Doctoris Theolog.

LEgi opus inſcriptum, *Directorium Regularium R. P. Antonii à Spiritu ſancto*, &c. nihilque in eo deprehendi, quod non directè juxta Fidei orthodoxæ, honeſtorumve morum normam procedat. Quapropter prælo & luce publica dignum judicavi, ego infraſcriptus Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus. Lugduni die 21. Decemb. Anno 1660.

F. CYRILLVS MOREL *Carmeli*
Lugdunenſis Prior.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS GERmaniæ, cum Privilegio Cæsareo.

F. Petrus Maria à S. Alexio, Provincialis Provinciæ SS. Sacramenti in Germania Fratrum Discalc. Ordin. Beatiss. V. MARIÆ de Monte Carmelo, Congregationis S. ELIÆ.

CVm decreto Sacræ Cæsareæ Majestatis omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis ac aliis quamcunque Librariam negotiationem exercentibus, seriò firmiterque inhibeatur, ne quisquam libros ullos à Carmelitis Discalceatis hactenus editos, aut in posterum edendos, vel eosdem in diversas linguas ab aliis hominibus translatos, aut in compendium redactos, intra Sac. Rom. Imperii, Regnorumque & dominiorum suæ Sac. Cæs. Majestatis hæreditariorum fines, simili vel alio characteris genere, aut forma, sive in toto, sive in parte excudere vel recudere, vel alio excudendos aut recudendos mittere, aut etiam impressos, aut recusos adducere, vendere, vel distrahere, clam, seu palam, sine facultate Provincialis Ordinis nostri pro tempore existentis, in scriptis habenda, sub pœna confiscationis omnium librorum, & aliis gravioribus audeat, vel præsumat: Tenore præsentium facultatem concedimus JOANNI BUSÆO, Bibliopolæ Coloniensi, recudendi DIRECTORIUM REGULARIUM &c. à P. F. ANTONIO à SPIRITU SANCTO, Religionis nostræ, moralis Theologiæ Professore conscriptum. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, ac sigillo munitas dedimus Viennæ Austriæ prima Junii Anno 1667.

F. PETRUS MARIA à S. ALEXIO.

INDEX



INDEX

TRACTATVVM, DISPVTATIONVM, SECTIONVM, ET Paragraphorum, quæ in hac PRIMA DIRECTORII REGVLARIVM PARTE continentur.



TRACTATVS I.

De privilegiis Regularium.

DISPUTATIO I.

De Regularium privilegiis in communi.

TRACTATUS II.

De Privilegiis Regularium in speciali tam in ordine ad ipsos Regulares, quàm Sæculares.

DISPU-

Regu-

DISPVTATIO IV.

De privilegiis, quibus gaudent Regulares in partibus hæreticorum, seu infidelium, in ipsorum conversione laborantes.

DISPVTATIO V.

De indulgentiis concessis Regularibus, & eorum Ecclesiis, pro sæcularibus; ubi etiam de aliis variis magnisque indulgentiis ac privilegiis agitur.

DIREC-

DIRECTORII REGVLARIVM
PARS PRIMA, *DE PRIVILEGIIS IN COMMUNI,* ET PARTICULARI.

PROOEMIVM.

Difficilis valde mihi semper visa fuit de Regularium privilegiis materia; tam ob eorum copiosam farraginem, quàm multiplicem eorundem revocationem. Et licet hæc ipsa difficultas, multis sæpius insuperabilis visa fuerit, tantum tamen abest, ut me deterruerit ab hoc opere, ut potius ad illud aggrediendum impulerit. Quare in ipsa mox prima parte hujus operis de Privilegiis Regularium, tam in communi, quam in particulari, quibus Religiosi tutâ conscientia uti possunt agemus. Dividitur autem hæc *Prima Pars* in duplicem Tractatum: Quorum *Prior* unicam disputationem de Privilegiis in communi: *Posterior* vero quinque Disputationes complectetur. Harum *Prima* de Privilegiis Regularium Prælatorum in ordine ad suos subditos, ceterisque pertinentibus ad Religionem, &c. *Secunda* de Privilegiis Regularium in ordine ad seipsos: *Tertia* de Privilegiis Regularium in ordine ad sæculares: *Quarta* de Privilegiis Missionum, seu Regularium laborantium in conversione infidelium seu Hæreticorum: *Quinta* denique de indulgentiis concessis Regularibus, eorumque Ecclesiis, &c. Dilucidè compendioséque differet.

TRACTATVS I.
De Privilegiis Regularium.

DISPUTATIO UNICA.
De Privilegiis Regularium in Communi.

CVm de Privilegiorum Regularium in speciali, explicatione calamum movere, in hoc Tractatu decreverim; prius de Privilegiis in communi, communes Regulas, & à probatis Doctoribus acceptatas explanare, mihi visum fuit, ad clariorem dicendorum notitiam; quia Disputationis ordo id expostulare videtur: & cum in his, quæ ad privilegia in genere, seu in communi spectant, fere conveniant Doctores, ideo breviùs ab hac Dispu-

Disputatione nos expediemus. Nihil tamen omittemus, quod ad privilegiorum in genere intelligentiam necessarium fuerit: sit igitur sectio 1.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit privilegium?.

1 DICO PRIMO: Privilegium est *lex privata aliquod speciale beneficium concedens*: dicitur *lex* non quia privilegium propriè sit lex, sed quia quamdiu durat instar legis observari debet, aliisque necessitatem imponit, ne privilegiato usum privilegii impediant: dicitur *privata*, quia non facit jus quoad omnes, sed tantum quoad illum, cui concessum est privilegium: dicitur *aliquod beneficium speciale concedens*, ut excludantur leges pœnales, quæ licet concedantur in defensionem alicujus personæ, non tamen aliquod per se beneficium concedunt, ita communiter Doctores. 1

DICO SECUNDO: Privilegium est multiplex: aliud namque est scriptum, aliud non scriptum: aliud reale, aliud personale: aliud odiosum, aliud favorabile: aliud gratiosum, & aliud remuneratorium: aliud conventionale, aliud purum: aliud perpetuum, aliud temporale: aliud pro foro interno, aliud pro foro externo: aliud affirmativum, aliud negativum: aliud ad instantiam, aliud ex motu proprio: aliud insertum corpori juris, aliud extra: aliud in bonum commune, & aliud in bonum privatum, de quibus omnibus aliqua breviter dicam. 2

DICO TERTIO: Privilegium scriptum est illud, quod scriptura exprimitur: non scriptum verò est, quod conceditur sine scriptura, sive id fiat à superiore, quod vocatur vivæ vocis oraculum, sive per consuetudinem legitimè præscriptam, quæ consuetudo vim habet privilegii. Palaus *Tom.* 1. *tract.* 3. *disp* 4. *par.* 2. §. 5. *num.* 2. & alii communiter. 3

An autem scriptura sit de necessitate privilegii? Dico in foro conscientiæ non esse, nam Leo X. & Julius II. concesserunt Augustinianis, ut quibuscumque eorum privilegiis, tam in judicio quàm extra, fides adhiberetur, modo essent signata manu alicujus notarii vel parochi, vel etiam sigillo Generalis Ordinis firmata. Cruz *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 2. *conclus.* 2. Bordon. *Tom.* 3. *resol.* 52. *num.* 52. Por-

tel. in

tel. *in dubiis regularibus verbo* privilegium, *num.* 3. & cum multis Tamburinus *Tom.* 1. *disput.* 16. *quæst.* 2. *num.* 1.

4 Pro foro tamen externo requiritur, ut exhibeatur privilegium in forma probante, talis autem erit si notarii, vel alicujus Prælati manu, vel in libris Ordinis instrumenta reperiantur confecta, imò sufficit ut privilegium reperiatur in aliquo libro impressum: ita fuit decisum per Sacram Rotam, ut cum Naldo, & aliis latè probat Bordon. *supra num.* 54.

5 Dico quarto: Privilegium reale est illud, quod immediatè conceditur alicui loco, dignitati, officio, Ecclesiæ, Religioni, Monasterio, vel aliquibus personis ratione loci, vel alicujus rei. Personale verò est, quod conceditur personæ immediatè, hæc autem persona debet esse vera, & non ficta, qualis est civitas, collegium, universitas, & similia; nam si fuerit ficta privilegium non est personale, sed reale, utpote perpetuum, sicut ipsa persona ficta.

Idem dicendum est, quando privilegium conceditur alicui in perpetuum, vel alicui, & ejus hæredibus vel successoribus, ut notavit Felinus in *Cap. quoniam* Abbas cum Ancharrano *in Reg. privilegium quæst.* 1. *conclus.* 33. Moronius *responsor.* 3. *num.* 47. contra naturam namque privilegii personalis est, ut sit perpetuum, unde licet in tali privilegio nominetur aliqua persona, non nominatur ut subjectum privilegii, nam hoc tunc est genus ipsum seu familia, sed nominatur, ut persona à qua debet incipere usus privilegii.

6 Differunt autem in multis privilegium reale, & personale, nam reale conceditur personis non ratione sui, sed habito respectu ad dignitatem, officium, statum, Religionem, &c. Personale verò conceditur personæ ratione sui. Unde privilegium reale transit de persona in personam, & tamdiu durat, quamdiu durat officium, Religio, locus, status, &c. Personale verò cum persona extinguitur, reale respicit bonum commune, personale bonum privatum. Unde privilegio reali non possunt particulares renunciare, bene tamen personali; in dubio tamen an privilegium sit reale, vel personale censendum est personale, quando est contra jus commune, vel tertii; si verò fuerit præter jus, & purus favor in dubio, censetur reale, ita Miranda, Bona. Rodrig. Portel. & alii, quos refert, & sequitur Bordon. *supra num.* 14. *& sequentibus.*

7 Dico quinto: Privilegium gratiosum est illud, quod conceditur gratis, idest, non habita ratione meritorum, sive illius cui conceditur privilegium, sive aliorum. Remuneratorium verò est quod conceditur ratione meritorum sive ipsius privilegiati sive aliorum. Hinc fit omnia privilegia Regula- 8 rium esse remuneratoria, siquidem intuitu suorum meritorum fuere concessa. Ita Peyrinis *Tom.* 3. *privilegior. cap.* 4. *num.* 24. *& Tom.* 1. *ad constit.* 26. *Leonis X.* Bordon. *supra num.* 26.

Dico sexto: Privilegium favorabile est illud, 9 quod ita confert favorem privilegiato, ut nulli alii conferat præjudicium, ut est privilegium audiendi Missam tempore interdicti; Odiosum verò est il- 10 lud, quod uni confert favorem, alteri verò præjudicium, ut privilegium non solvendi decimas, Suar. *lib.* 8. *de legib. cap.* 6.

Hinc fit omnia privilegia Regularium esse favorabilia, & nullo modo odiosa, siquidem nemini inferunt præjudicium, non Papæ, quia ipse conce- 11 dendo cedit juri suo, non juri Episcoporum vel Parochorum, nam læsio supponit actum justitiæ, sed Papa nullius justitiam lædit: nam cum omnis potestas spiritualis ab illo dimanet in alios, illam ampliare, & restringere potest per privilegia *cap. ita dominus* 7. *distinct.* 9. Non jure communi, nam ipsa privilegia sunt jus commune: privilegia namque toti Religioni concessa æquantur legi, ac habentur ac si essent inserta corpori juris, Azor. Henriquez. 12 Salas, Bonacin. quos refert & sequitur Tamburinus *disput.* 16. *quæsito* 5. *num.* 14. Sanch. *lib.* 8. *de matrimon. disput.* 1. *num.* 13. Rodrig. quem refert, & sequitur Moronius *consil.* 99. *num.* 119. Bordon. *supra nu.* 24. nam licet privilegia ante concessionem dicantur odiosa & esse contra jus commune, concessa tamen sunt de jure communi *l.* 1. *ff. de const. Provinc.* Graffis, Rota, Sanctarel. quos refert, & sequitur 13 Moronius *supra num.* 120. ergo privilegia Regularium non sunt odiosa sed favorabilia, vnde non strictè, sed latè sunt interpretanda. Ita Bonacin. Oldrad. Sanch. Portel. & alii quos refert & sequitur Bordonus *supra num.* 33. Tamburinus *supra*, & alii.

Dico septimo: Privilegium conventionale est, 14 quod conceditur interveniente pacto, seu conventione. Purum verò est, quod absolutè conceditur absque onere alicujus operis faciendi.

Dico octavo: Privilegium perpetuum est, 15 quod conceditur sine limitatione temporis, vel conceditur rei, quæ ex se est perpetua, quale est, quod conceditur dignitati, Ordini, Religioni, Monasterio, &c. Temporale verò est, quod conceditur vel cum limitatione temporis, vel alicui personæ particulari, vel cum aliqua conditione, ut impleta, 16 privilegium cesset. Hinc fit omnia privilegia Reli-

gionibus concessa esse perpetua, non enim concessa fuere alicui personæ particulari, sed Religioni, quæ cum sit perpetua, eodem modo privilegia erunt perpetua.

17 Dico nono: Privilegium pro foro interno est, quod non operatur quidquam pro foro externo; privilegium verò pro foro externo est, quod suffragatur pro utroque foro, ut sunt privilegia Regula-
18 rium, quæ pro utroque foro conceduntur, ut patet ex Bulla Pauli V. qui cum Gregor. XIII. Sixto V. & Clemente VIII. concessit, ut possint illis uti tam in judicio, quàm extra, tam in foro conscientiæ interno, quàm externo, ut notavit Bordon. *Tom. 2. re-*
19 *solut. 52. num.* 144. Privilegium verò affirmativum est, quod concedit facultatem agendi: negativum verò, quod dat licentiam omittendi. Item privile-
20 gium ad instantiam est, quod conceditur ad alicujus petitionem: privilegium verò ex motu proprio est, quod fit ex Principis arbitrio: quid autem importet hæc Clausula, MOTU PROPRIO, *infra* dicemus.

21 Dico decimo: Privilegium insertum corpori juris est illud, quod conceditur in jure, sive antiquo, sive novo: Illud vero quod continetur in Bullis privatis, vel aliis similibus instrumentis, dicitur extra jus.

22 Tandem privilegium in bonum commune est, quod proxime respicit Communitatem, quale est privilegium Canonis *Si quis suadente*. Privatum
23 verò est, quod respicit bonum personæ privatæ, esto ultimatè referatur in bonum commune, quatenus bono communi expedit privilegia concedi indigentibus, ac personis dignis.

24 Dico *tandem* undecimo: Ad licitam concessionem privilegii non tamen ad validam requiritur causa: prima pars probatur: nam vel privilegium est contra jus commune, & tunc si non datur causa non servaret Princeps justitiam distributivam, si sua voluntate aliquos eximeret à communi lege; vel est purus favor, & tunc si non datur causa argueretur Princeps prodigalitatis. Palaus *Tom.* 1. *tract.* 3. *disput.* 3. *num.* 1. Quoad secundam verò partem patet, nam semper est de re, quæ solum à voluntate legislatoris pendet. Salaz. Sanch. quos refert, & sequitur Palaus *supra, num.* 2.

25 An autem requiratur aliqua promulgatio privilegii, vel notitia illius, ut privilegium sit validum? Dico, quod vel privilegium conceditur per leges universales, ut est quod habetur *in cap. si quis suadente*, vel per indulta particularia concessa particularibus personis, Communitatibus, Religionibus, &c. Si primum, privilegium debet promulgari; si secundum, non est necessaria promulgatio propriè dicta, sed sufficit, quod suo tempore publicetur per authentica instrumenta, vel æquivalentem probationem, Portel. *verbo* privilegium, *num.* 9. Suar. & alii.

An autem requiratur notitia privilegii in privilegiato, ut illo possit uti, *infra* dicemus.

Si tandem quæras, an ad valorem privilegii re- 26
quiratur, ut per formalia verba derogetur juri communi? Respondeo negativè. Ita Suar. *lib.* 8. *de legibus cap.* 27. *numer.* 8. Palaus *Tom.* 1. *tractat.* 3. *disp.* 4. *part.* 10. *num.* 9. Portel. *verbo* privil. *num.* 13. & cum aliis Tamburin. *Tom.* 1. *disput.* 16 *quæsito* 7. *n.* 2. *&* 3. Ratio est, quia Princeps concedendo privile- 27
gium contra jus commune, præsumitur velle illi derogare, cum non debeat præsumi Pontificem jus commune ignorare, sed potius illud scire *cap. in his de privileg.* sed hæc doctrina debet intelligi, dummodo privilegium non possit habere effectum salvo jure communi: nam si potest habere effectum salvo jure communi, tale jus semper salvandum est, ut colligitur *ex cap. in his de privileg.* Portel. *supra.*

Item debet intelligi, dummodo jus commune 28
privilegiis non resistat revocando, seu derogando illis, nam tunc debet privilegium, ut huic juri sic confirmato deroget, facere mentionem illius, ita Pelliz. Suar. quos refert & sequitur Castro-Palaus *supra.*

An autem privilegium habeat vim antequam acceptetur ab ipso privilegiato, vel ab ejus nuntio, aut procuratore ad id misso? Dico quod licet Princeps ita possit concedere privilegium; de facto tamen regulariter numquam illud concedere hoc pacto, sed ad illo utendum requiritur aliqua notitia, vel acceptatio saltem per procuratorem, vel epistolam; ita cum Suar. Pelliz. *tract.* 8. *cap.* 1. *num* 10. Hoc tamen non habet locum in privilegiis Regularium concessis Religioni; quippe, quæ censentur acceptata à tota Religione, cui primo concessa sunt, eique benè nota sunt. Unde ignorantia illorum non potest Religiosis particularibus nocere, ut illis non possint uti, ut *infra* dicemus, Pelliz. *supra num.* 11.

An verò ad usum privilegii requiratur etiam notitia privilegii etiam respectu illius, in cujus damnum cedit ipsum privilegium? Respondeo negativè, etiamsi tale privilegium concessum sit per modum constitutionis, ac insertum corpori juris: ita cum Menoch. Sanch. Pelliz. *supra num.* 12. privilegium

legium enim directè conceditur, in favorem privilegiati, ac proinde sufficit quod ei intimetur, ab eoque acceptetur. Imò addit Bordon *Tom. 2. resol. 52. num. 57.* quemlibet Religiosum posse acceptare privilegium favorabile Religioni, nisi obstent specialia statuta Religionis, vel obstet tenor ipsius privilegii, per talem enim acceptationem nullum præjudicium infertur Religioni.

SECTIO II.

De variis privilegiorum formis.

29 *Quæ differentia detur inter privilegia ex motu proprio & ad instantiam.*

30 *Privilegium rigorosè conditionatum non servata conditione tollitur.*

31 *Secus si tantùm est modus, non rigorosa conditio.*

32 *Quando dicatur privilegium rigorosè conditionatum?*

33 *Quid sit privilegium ad instar, & quid operetur?*

34 *Aucto, vel diminuto, vel revocato exemplari non tollitur, nec revocatur, aut minuitur privilegium ad instar, nam privilegium ad instar tantum pendet ab exemplari in fieri non tamen in conservari.*

29 PLuribus modis conceduntur privilegia. *Primò*, motu proprio, quando scilicet Princeps ad illa concedenda non movetur precibus alicujus, sed ex sua mera voluntate concedit.

Secundò, ad instantiam partis: differunt tamen maximè; nam concessum motu proprio est magis favorabile, excludit suspicionem subreptionis, non operatur priusquam innotescat privilegiato, non est subreptitium etiamsi in petitione non exprimantur, quæ jus commune, aut stylus Curiæ jubent exprimi, quæ tamen omnia in contrarium accidunt in privilegio concesso ad instantiam partis. Layman. *lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 8. & 9.* Suar. quem refert, & sequitur Portel. *in dubiis regul. verb.* privileg. *num. 10.*

30 *Tertiò*, conceditur privilegium absolutè, nullam conditionem exigendo.

Quartò, cum conditione, quæ si fuerit rigorosa conditio, illa non servata tollitur privilegium: dixi, *si fuerit rigorosa conditio*, nam aliquando tantùm est modus accidentalis, qui tantùm ad solemnitatem, non vero ad valorem privilegii postulatur: tunc au- 31
tem intelligetur esse rigorosam conditionem, quando res facienda præscribitur ante effectum privilegii: secus dicendum est, si opus præscribatur post effectum privilegii: ut si concedatur indulgentia, vel absolutio à reservatis, injunctis aliquibus piis operibus, nam tunc talis conditio tantùm 32
est modus, & spectat ad formam accidentalem, nisi verba privilegii manifestè obstent: Suar. *lib. 8. de legib. cap. 13. num. 3. 4. 5.*

Quintò conceditur privilegium *ad instar*, hoc est 33
ad imitationem alterius; hoc autem privilegium ad instar concedit omnem favorem, & gratiam formaliter concessam in suo exemplari cum eadem extensione, vel restrictione, non majori vel minori, nec aucto, vel diminuto, vel revocato exemplari augetur, diminuitur, vel tollitur privilegium ad instar, vel è contra: nam privilegium ad instar tan- 34
tum pendet ab exemplari in fieri, non verò in conservari, est enim privilegium distinctum ab illo, ita communiter Doctores apud Portel. *supra verbo* privilegium *num. 17.* Tandem conceditur privilegium per confirmationem, vel communicationem, vel innovationem, sed de his modis *in sequentibus* agemus.

SECTIO III.

De Communicatione Privilegiorum.

35 *Communicatio privilegiorum quid sit?*

36 *Communicatio privilegiorum datur inter Mendicantes.*

37 *In quibus privilegiis communicent Mendicantes cum aliis?*

38 *Nullum datur privilegium, sive per Bullam, sive per oraculum, si reale est, quo non possint uti Mendicantes.*

39 *Quam communicationem habeant Religiones non Mendicantes?*

40 *In quibus detur communicatio, & quomodo sit intelligenda?*

41 *Communicatio non datur in privilegiis repugnantibus regulari observantiæ, vel Religionis statutis.*

42 *Privilegium uni privato Religioso concesso, non communicatur aliis.*

43 *Idem dicendum est de privilegiis ad certum*

tempus concessis Ecclesiis.

44 *Idem dicendum est de privilegiis concessis ob aliquam specialem rationem.*

45 *Idem dicendum est de altaribus privilegiatis ob aliquam specialem rationem.*

46 *Secus dicendum est de indulgentiis perpetuis, & quæ continent generalem rationem.*

47 *Indulgentia septem altarium omnibus Mendicantibus communicatur.*

48 *Translato festo alicujus Sancti, quomodo transferatur indulgentia.*

49 *Privilegia etiamsi habeant clausulam negativam communicationis, adhuc communicantur Mendicantibus.*

50 *Idem dicendum est de privilegiis concessis cum limitatione, ut illis non utantur Religiosi sine licentia, nam aliis Mendicantibus sine restrictione communicantur.*

51 *In communicatione tantùm communicatur jus utendi, non verò usus, vel non usus, aut abusus.*

52 *Amisso privilegio quoad Religionem, cui primo concessum fuit, non proinde quoad communicantes amittitur.*

53 *In communicatione privilegiorum non communicantur pœnæ respectu Religiosorum.*

54 *Bene tamen appositæ respectu sæcularium.*

55 *Onus appositum in privilegio, si non concernat Religionem in communi venit in communicatione privilegiorum.*

56 *In communicatione privilegiorum veniunt omnes exemptiones, etiam à decimis.*

57 *Quando agitur de causa pia, & in favorem Religionis; privilegia latè sunt interpretanda.*

58 *Religiosi communicantes possunt uti privilegiis communicatis in judicio contra Religionem, cui primò concessa fuerunt talia privilegia, si fuerint Rei, vel agant de damno vitando.*

59 *Secus dicendum est de familiaribus monasterii contra ipsum Monasterium, à quo privilegia participant.*

60 *Cessante privilegio, vel indulto quoad Religionem cessat quoque quoad ejus familiares.*

34 DICO PRIMO: Communicatio privilegiorum consistit in hoc, quod concessa uni Ordini, etiam in specie intelligantur concessa aliis Ordinibus, ac si nominatim eis concessa fuissent; ita ut nec per revocationem, nec limitationem factam illi Religioni, cui tale privilegium concessum est, communicanti censeatur revocatum, limitatum, aut restrictum: ita communiter DD. apud Portel *supra verbo* privilegium *num.* 22. & hoc sive talis Religio, cui privilegium primò concessum est, tale privilegium acceptaverit, sive non. Bordon. *Tom.* 2. *resol.* 52. *num.* 88. Nald. *verbo* privilegium *num.* 15.

Hæc autem communicatio tam quoad privile- 35
gia concessa, quàm concedenda, certum est dari inter omnes Mendicantes communicantes in privilegiis concessis Hospitalibus, Confraternitatibus, Congregationibus, &c. Ob varias concessiones, quas refert Rodrig. *Tom.* 1. *quæst.* 55. præsertim ex Bulla Pii V. & ex Bulla Leonis X. quas refert Tamburinus *Tom.* 1. *disp.* 17. *quæsito* 2. *num.* 8. & quoad nostros patet ex Bulla 1. & 2. Clementis VIII. in
nostro Compendio, fuitque pluries hæc communi- 36
catio privilegiorum canonizata in sacra Rota, ex quibus constat nullum esse privilegium in vigore, & firmitate sive concessum per Bullam, sive per oraculum, ut cum Silvio notavit Pelliz. *Tractat.* 8. *cap.* 1. *num.* 41. pro quibuscumque Regularibus,
Congregationibus, etiam S. Philippi Nerei, vel 37
Hospitalibus, aut Confraternitatibus, quo non possint uti Religiosi, & alii similiter communicantes, ut etiam advertit noster Urbanus ab Ascensione in sua Theologia morali ac Canonica 1. *part. tract.* 2. *cap.* 3. *reg.* 9. nisi alias habeant restrictionem, ut habent Patres Societatis, ut notavit Pelliz. *supra*, qua tamen carent nostri. De aliis verò 38
Ordinibus non mendicantibus prolixum esset recensere, quibus communicent in privilegiis, unde si hoc scire desideras consule Tamburinum *Tom.* 1. *disput.* 17. *quæsito* 1. ubi latè hanc materiam prosequitur. 39

DICO SECUNDO: Hæc communicatio privilegiorum currit de Prælatis ad Prælatos, de Fratri-
bus privatis ad Fratres privatos, de Conventibus ad 40
Conventus, de Festivitatibus ad Festivitates: ita declaravit, & concessit Prædicatoribus Julius II. Bulla 18. & Sixtus IV. Bulla 4. apud Jo. de la Cruz *de privileg. cap.* 4. Unde privilegium concessum uni Provinciæ, vel Conventui extenditur ad totum Ordinem, ita concessit per Bullam Pius IV. Fratribus S. Hieronymi, & Paulus III. per aliam Bullam Congregationi S. Justinæ, ut testatur Pellizarius *supra num.* 43. & Gregorius XIII. & Clemens VIII. & Sixtus V. in Bullis, quas refert Bordon. *Tom.* 2. *resol.* 52. *num.* 54.

Hæc tamen communicatio tantùm debet intel-
ligi 41

ligi in privilegiis non repugnantibus observantiæ
prædictorum Ordinum, vel eorum statutis, ut ex-
presse docet Sixtus IV. in *Bulla aurea.* Ita Suar.
Portel. Rodrig. Lezana, quos refert, & sequitur,
Bordon. *supra, num.* 84.
42 DICO TERTIO: Privilegium concessum uni Re-
ligioso privato, non communicatur aliis Religio-
sis, nam talia privilegia sunt personalia, & comi-
tantur personam, & cùm ea extinguuntur, & uni
erunt proficua, & alteri nociva. Ita Miranda, Por-
tel, Lezana, quos refert, & sequitur Bordon. *supra*
num. 73. & noster Franciscus Bonæ Spei *Tom.* 4.
suæ Theologiæ tract. 3. *de legib. disp.* 11. *dub.* 6. Idem
43 dicendum est de privilegiis concessis aliquibus Ec-
clesiis ad tempus determinatum, quare indulgen-
tiæ concessæ aliquibus Ecclesiis per tot annos in
honorem alicujus Sancti, vel aliquorum Sancto-
rum non communicantur Regularibus.
44 Idipsum dicendum est de privilegiis, quæ con-
cessa fuerunt ob aliquam specialem rationem, ut
quando indulgentia est concessa uni loco speciali,
quia ibi est aliqua imago B. Virginis magnæ devo-
tionis, quia ibi est specialis ratio illius loci, qua alii
carent ita noster Lezana, quem refert, & sequitur
Bordon. *supra num.* 84. & noster Franciscus Bon.
Spei *loco jam cit. disp.* 11. *de privileg. dub.* 5. Idem di-
45 cendum est de altaribus privilegiatis ob speciales
rationes talis altaris, quia ibi est specialis con-
cursus, verbi gratia, qui movet superiores. Peyrin.
Tom. 1. *ad constitut.* 8. *Pauli III. num.* 1. Bordon.
supra. Tamburin. *Tom.* 1. *disput.* 17. *quæsito* 2.
num. 4.
46 Secus dicendum est de indulgentiis perpetuis,
& quæ continent generalem rationem, nimirum,
auxilium Sanctorum, augmentum Christianæ
Religionis, splendorem Ecclesiarum, nam hæ
47 communicantur. Bordon. *supra num.* 81. Hinc fit,
quod illa indulgentia septem altarium, quam ali-
quæ Religiones in specie impetrarunt pro suis Ec-
clesiis, omnibus communicetur. Bordon. *supra*
num. 82.
48 Et hinc fortè colliges solutionem cujusdam dif-
ficultatis, de qua sæpe fui interrogatus, an translato
festo alicujus Sancti quoad officium, transferantur
etiam indulgentiæ? Respondeo namque, quod si
indulgentia affixa sit tali diei talis mensis, vel diei
in quo mortuus est Sanctus, tunc non transferri
indulgentiam; secus dicendum est, quando con-
ceditur pro festo talis Sancti sine determinatione
mensis vel diei, nam tunc translato festo transfertur
indulgentia, cum ea concedatur pro die festo talis
Sancti, & hic sit illius dies festus, in quo illius of-
ficium celebratur secundùm rubricas. Ita Silvius,
& ut probabile admittit Diana 6. *part. tract.* 7.
resol. 31. Bordon *Tom.* 2. *resol.* 81. *num.* 25. Fagund.
quem refert, & sequitur Pelliz. *Tract.* 8. *cap.* 5.
num. 227.
DICO QUARTO: Privilegia concessa alicui Re- 49
ligioni cum clausula negativa communicationis,
ea non obstante adhuc sunt communicabilia. Ita
Rodrig. *Tom.* 1. *quæst.* 55. *art.* 17. Jo. de la Cruz *lib.*
2. *cap.* 4. Diana 3. *part. tract.* 2. *resol.* 81. noster Urban.
Tractat. 2. *part.* 1. *cap.* 3. *reg.* 1. Licet contrarium
teneat Suar. quem refert, & sequitur Bordon. *Tom.*
2. *resol.* 52. *num.* 86.
Ratio autem nostræ resolutionis est: quia se-
quentes Pontifices confirmarunt communicatio-
nes privilegiorum inter Mendicantes sine prædictis
limitationibus, nec potuit prædecessor ligare ma-
nus successoris.
Idem dicendum est de privilegiis concessis alicui 50
Religioni cum limitatione, ut Religiosi eis non
utantur sine licentia sui Superioris, nam aliis Re-
ligionibus communicantur sine tali limitatione.
Mirand. *Tom.* 2. *quæst.* 46. *art.* 3. Rodrig. *Tom.* 1.
quæst. 55. *art.* 17. Portel *verbo* Privilegium *num.* 23.
Diana *supra resol.* 81. Ratio autem est, quia com-
municatio fit in favoribus, & gratiis, non in re-
strictionibus, & limitationibus, quidquid cum aliis
contradicat Bordon. *supra num.* 86.
Idem dicendum est de usu, vel non usu privile- 51
giorum, nam quando communicantur alicui Re-
ligioni privilegia alterius Ordinis, non communi-
catur illi usus, vel non usus, vel abusus talis pri-
vilegii, sed tantùm jus utendi. Unde etsi primus
Ordo cui tale privilegium primò concessum est, 52
illud per non usum, vel præscriptionem amiserit,
adhuc secunda Religio, cui fuit communicatum
potest illo uti. Ita Miranda, Portel, quos refert, &
sequitur, Bordon. *supra num.* 98. Rodrig. Silv. 53
Suarez, Panormitan. quos refert, & sequitur Pelliz.
tract. 8. *cap.* 1. *num.* 54.
Idipsum dicendum est de pœnis contentis in
privilegiis respectu Religiosorum unius Ordinis,
cui primò illa concessa fuere; nam hæ non ex- 54
tenduntur ad Religiosos alterius Ordinis. Ita
Rodrig. Mirand. Portel, Lezana, quos refert & se-
quitur Bordon. *supra num.* 94. Dixi *respectu Reli-*
giosorum, nam si tales pœnæ latæ sint contra sæcu-
lares, tunc comprehenduntur in communicatione,
nam

nam sunt in favorem Religionis. Lezana, Sorbus, quos refert, & sequitur Bordon. *supra.*

55 Idem quoque dicendum est, quando privilegium continet aliquid odiosum, vel onerosum huic, vel illi Religioso, si aliàs est in conservationem Religionis, nam talia privilegia non sunt pœnalia, vel odiosa, sed favorabilia Religioni, quia per illa conservatur disciplina regularis. Bordon. *supra, num.* 93.

56 An autem in communicatione privilegiorum veniant exemptiones ab oneribus, & impositionibus, & decimis? De aliis exemptionibus, & oneribus, excepta solutione decimarum, affirmat cum multis, Tamburinus *Tom.* 1. *disp.* 17. *quæsito* 3. estque decisum per Sacram Rotam, quam decisionem ibi refert Tamburinus, negat tamen cum eadem Rota de exemptione à decimis; sed contrarium sustinendum est, etiam de exemptione decimarum. Ita Jo. de la Cruz, Raphaël de la Torre, noster Lezana, Philippus de la Cruz, Hieronym. Rodrig. quos refert Diana 10. *part. tract.* 12. *resol.* 49. nam quando agitur de causa pia, & in favorem Religionis, privilegia sunt latè interpretanda.

57

58 Si tandem quæras, an Religiosi communicantes virtute communicationis privilegiorum possint privilegiis uti in judicio contra eos, quibus concessa fuêre? Respondeo affirmativè, si fuerint rei, vel agant de damno vitando. Rodrig. Cord. & communiter DD. apud Portel *verbo* Privilegium *num.* 24. licet nonnulli, inter quos est noster Gabriel à S. Vincentio in suo Opere de censuris *disp.* 1. *quæst.* 15. *num.* 177 contrarium sentiant: omnes namque Religiones æqualiter, & independenter participant ipsa privilegia: secus dicendum est de familiaribus, & donatis Regularium; nam hi nullo modo possunt uti privilegiis contra Religionē, quia quod in favorem ipsorum principaliter concessum est, non debet contra ipsos retorqueri. Unde si Religiosi perderent privilegia, vel eis non uterentur, similiter perderent, & non possent eis uti prædicti familiares, & donati, cessante namque principali, cessat accessorium; ita Archangelus *de privilegiis lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 9. & 10. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 53. nostri Urbanus ab Ascensione in sua Theologia morali *Tract.* 2. *part.* 1. *cap.* 3. *Reg.* 10. & Joan. Baptista de Lezana *Tom.* 1. *quæst. Regul part.* 2 *cap.* 16. *num.* 34. & 35.

59

60

SECTIO IV.

De Confirmatione Privilegiorum.

61 *Quid sit confirmatio privilegiorum?*

62 *Privilegia valida, etsi à novo Papa non confirmentur, non ideo amittunt suum valorem.*

63 *Quibus modis confirmatio concedatur?*

64 *Quæ differentia detur inter confirmationem in forma communi, & ex certa scientia?*

65 *Confirmatio ex certa scientia confirmat privilegia aliàs abrogata, si à principio fuêre valida.*

66 *Qui Pontifices confirmaverint privilegia Carmelitarum ex certa scientia?*

67 *Et si ultimus Pontifex confirmet privilegia ex certa scientia, non propterea tolluntur antecedentes confirmationes aliorum ex certa scientia.*

68 *Quando Religio habet communicationem in privilegiis concessis, & concedendis, confirmatis privilegiis unius Religionis censentur confirmata privilegia ad instar aliarum sive sit confirmatio ex certa scientia, sive non.*

69 *Omnia, quæ dicuntur de confirmatione privilegiorum dicenda sunt de innovatione.*

70 *Privilegia revocata per jus commune non reviviscunt per innovationem, vel confirmationem ex certa scientia.*

DICO PRIMO, Confirmatio communiter definiri solet, *quòd sit juris quæsiti corroboratio.* Ita Suar. Barbos. & alii, quos refert, & sequitur Tambur. *Tom.* 1. *disp.* 18. *quæsito* 1. *n.* 1. dicitur autem corroboratio, quia privilegiis aliàs validis, etiamsi fit ex certa scientia non dat novum esse, sed tantùm antiquum confirmat, privilegia namque valida etiamsi non confirmentur à novo Papa, non ideo manent abrogata; nam privilegium Principis debet esse immobile, confirmantur tamen ordinariè à Pontifice, quia illa, quæ auctoritate Apostolica confirmantur, majus robur, & firmitatem acquirunt. Portel *verbo* privilegium *num.* 1. 61 62

DICO SECUNDO, Dupliciter fit confirmatio, vel in forma communi, vel ex certa scientia; tunc fit in forma communi, quando Pontifices in confuso sicut jacent, & sine examine ea confirmant; tunc verò fit ex certa scientia, quando fit cum certa notitia 63

citia totius negotii, & omnium ejus circumstantiarum, ut quando tenor totius privilegii inseritur in ipsa confirmatione. Ita Tuscus, Barbosa & alii communiter apud Tambur. *supra num.4. & 5.*

Idem est si in confirmatione dicat se confirmare *ex certa scientia*, vel si dicat *confirmo ex plenitudine potestatis*, vel si dicat *non obstante lege in contrarium*, Portel. *supra n.27*. Suar. & alii communiter apud Tamburinum *supra num.6.*

64 Est autem maxima differentia inter confirmationem in forma communi, & ex certa scientia; nam confirmatio in forma communi non confirmat actum nullum, sed tantum confirmat actum validum, unde non est concessio privilegii, sed solùm corroboratio pro illo statu in quo erat. Ita communiter DD. apud Portel *supra num.28*. Confirmatio verò ex certa scientia est nova concessio talis privilegii, si tamen à principio fuit validum:
65 confirmatio siquidem ex certa scientia habet vim confirmandi actum, seu privilegium aliàs nullum, reddendo illud de invalido validum; dummodo Princeps confirmans privilegia, non apponat aliquam clausulam, quâ dicat se nolle confirmare privilegia aliàs nulla: ut si dicat, *quatenus sunt in usu: dummodo Tridentino non adversentur: prout in libris Ordinis reperiuntur: dummodo sub ullis revocationibus non comprehendantur*, tunc namque non confirmantur talia privilegia ex certa scientia, Portel *supra*, & alii communiter. Dixi *si alias privilegium fuit à principio validum*; nam si fuit nullum, falsum, vel subreptitium per confirmationem *ex certa scientia* non confirmatur, cum Princeps non intendat concedere, nisi quod antea concessum erat: ita decidit sacra Rota, estque recepta doctrina, ut testatur Tamburinus *supra num.6.*

Plures autem DD. solent hic afferre Pontificum
66 confirmationes *ex certa scientia*, & *de plenitudine potestatis*, quas si velis, potes videre apud Tamburinum *supra quæsito 3.* Portel *supra num. 30.* Pro nostris tamen Carmelitis non desinam aliquas recensere, scilicet Julii II. Innocentii VIII. Clementis VII. quas refert noster Urbanus 1. *part. tract. 2. cap. 3. reg. 6.* & præcipuè Clementis VIII. qui nobis Excalceatis omnia privilegia omnium Mendicantium communicavit, & confirmavit *ex certa scientia, & de plenitudine potestatis* cum ea tantum restrictione, ut non sint contra Tridentinum, vel contraria Regulæ primitivæ ejusdem Ordinis, ut habetur *in nostro compendio fol.113. num. 116.* & observat noster Ildephonsus à JESU MARIA in *suis scholiis ad* Mare magnum Carmelitarum, *ad §.105.* citatus à nostro Lezana *ibidem num. 524.*

Sed quæres, an si ultimus Papa non confirmasset privilegia ex certa scientia; hoc noceat, & efficiat invalidas confirmationes antecedentes factas ex certa scientia ab aliis Pontificibus? Respondeo negativè, ita Portel *supra num.30.* Nam etsi privilegia à novo Pontifice non confirmentur, non ideo perdunt suum robur, ergo licet ultimus Pontifex illa non confirmet ex certa scientia, hinc tantùm sequitur non esse ab illo confirmata ex certa scientia, non tamen confirmationem ex certa scientia ab aliis ablatam esse, nam privilegia sunt immobilia nisi expresse revocentur: Tamburin. *Tom. 1. disput.17. quæsito 3. num.38.* 67

DICO TERTIO, Confirmatis privilegiis unius Religionis, censentur etiam confirmata privilegia concessa ad instar illorum alteri Religioni, quæ habet communicationem privilegiorum concessorum, & concedendorum illi Religioni, cujus privilegia confirmata fuêre, sive confirmatio sit ex certa scientia, sive in forma communi. Ita Miranda, Rodrig. Peyrinis, quos refert, & sequitur Tamburin. *supra quæsito 4. n. 3.* noster Urbanus *Tract. 1. cap. 3. reg. 5.* Dixi *privilegiorum concessorum, & concedendorum*, nam si communicatio tantùm sit in privilegiis antea concessis tunc contrarium est dicendum, etiam si confirmatio sit ex certa scientia, ita Portel. *supra num.35.* & alii. 68

DICO QUARTO: Hæc omnia, quæ diximus de confirmatione privilegiorum, dicenda sunt etiam de innovatione; nam per illam, si sit in forma communi non innovantur privilegia ante revocata, nec nulla à principio, sed tantùm valida etiamsi Pontifex dicat de novo concedere. Suar. quem refert, & sequitur Pelliz. *Tract.8. cap.1. n.32.* Secus dicendum est si innovatio sit ex certa scientia, nam tunc innovantur omnia privilegia antea revocata per specialem Bullam alicujus Pontificis, Portell. *supra n. 36.* Tamburin. *supra, quæsito 2. n. 5.* Pelliz. Urbanus *supra*, & alii apud ipsos. Dixi *revalidare privilegia revocata per specialem Bullam alicujus Pontificis*, nam si fuere revocata per jus commune, sive novum in Tridentino, sive antiquum, tunc talia privilegia, nec per confirmationem ex certa scientia, nec per innovationem ex certa similiter scientia censentur revalidata. Cord. Suar. & alii communiter Doctores apud Portel. *supra num. 33.* 69 70

SECTIO V.

Explicantur clausulæ, quæ solent apponi in Confirmationibus Privilegiorum.

CLAUSULA I.

Quatenus sunt in usu, & Sacris Canonibus, & decretis Concilii Tridentini non adversantur, & dummodo Constitutionibus Apostolicis non sint contraria.

SEnsus istius Clausulæ, *Quatenus in usu sunt* est 71
tantum intendere confirmare ea privilegia, quæ sunt in observantia, & suum valorem retinent, non verò illa, quæ per non usum vel contrarium usum sunt amissa, Rodrig. Suarez, de la Cruz, Peyrinis, Barbosa, quos refert, & sequitur Tamburinus *disput.*18.*quæsito* 6.*num.*1.*tom.*1. Portel. quem refert, & sequitur Pelliz. *tract.*8.*cap.*1.*num.*28. Illa vero clausula, *Et Sacris Canonibus*, non intelligitur de Sacris Canonibus qui corpori juris sunt inserti, quia, cum ferè omnia privilegia sint contra jus commune, parum, aut nihil operaretur talis confirmatio, sed debet intelligi de Canonibus Concilii Trident quod ostendit illa dictio, *&*, quæ est conjunctiva, & conjungit Canones Concilii cum ipsius decretis. Sorbo. Rodrig. Pelliz. Barbos. quos refert, & sequitur Tamburinus *suprà num.*1.

Per illa verò verba, *& decretis Sacri Concilii Tri-* 72
dentini non adversentur, intelligitur quod per talem cõfirmationem, non confirmantur privilegia, quæ aliàs sunt contra Trident; sed tantum illa, quæ ab illo revocantur, nam solum quæ ab illo revocantur, dicuntur illi simpliciter contraria, & per hanc clausulam exclusa. Ita Tamburinus *supra num.* 3. Alderete, quem refert, & sequitur Moronius *responso* 76.*n.* 88. Portel. *verbo* privilegium *num.*31. Peyrinis *de privilegiis ad const.* 1. Gregor. XIII. *n.* 3. Bordon. *Tom.*2.*resol.*52.*n.*113. Mirand. quem refert & sequitur Pelliz. *tract.*8.*cap.*1.*n.*81.

Tandem sensus illius ultimæ clausulæ, *Et dum-* 73
modo constitutionibus Apostolicis non sint contraria, est, ut talia privilegia non sint contraria juri communi. Bordon. *Tom.*2.*resol.*52.*n.* 130. & constat *ex cap. quoniam* 13. *de const.* illa tantum privilegia dicentur contraria juri communi, quæ ab illo fuerint revocata, Alderete, quem refert, & sequitur Moronius *supra*.

CLASULA II.

Supplentes omnes, & singulos defectus.

74 PRo intelligentia hujus clausulæ notandum est, triplicis generis posse esse defectus, scilicet, *naturales, substantiales, & accidentales*: *naturales* sunt, qui sequuntur ex natura rei, ut partis citatio in causis, damnum tertii concernentibus. *Substantiales* sunt, v.g. quòd rescriptum impetrans, non sit excommunicatus, quòd non impetret per subreptionem, vel obreptionem, vel fraudem, vel per expressionem falsi, vel veritatis taciturnitatem. Defectus verò *accidentales* sunt, qui ad juris pertinent solemnitatem: verbi gratia, quod in alienatione non sint servata omnia, quæ ad ea requirunt jura, quod sententia sedendo non sit lata, quòd sit data in die festo, &c.

His positis. Dico per hanc clausulam, si fuerit tantùm simplex, solùm accidentales defectus suppleri, si verò fuerit ex motu proprio, & de plenitudine potestatis, tunc suppleri etiam defectus substantiales, si eos non ignoret Papa, vel ex contextu rescripti satis colligatur mens concedentis, quia tunc censetur dispensare. Defectus tamen naturales nunquam supplet ista clausula, quia Princeps non potest tollere defensionem, quæ est de jure naturæ, quæ omnia cum Tusco, Felin. Panormit. Navar. Suarez docet Peyrinis *ad Const.* 1. *Sixti IV. n.* 8. Barbos. Menoch. & aliis quos refert, & sequitur Tamburin. *supra num.* 4.

CLAUSULA III.

Prorsus eximimus, ac totaliter liberamus.

75 HÆc clausula derogat privilegiis non solum privatæ personæ concessis, sed etiam universitati in genere, vel in specie sub quibuscúmque tenoribus etiam ex motu proprio, & ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, aut per viam generalis legis, ac statuti perpetui. Ita Henriquez *de indulgentiis lib.* 7. *cap.* 27. *num.* 4. illa enim dictio talis est naturæ, ut excludat omnem interpretationem, & omnia quæ in cõtrarium excogitari possunt. Henriquez *supra*, Barbosa *de dictionibus, dictione* 194. *n.* 1. & alii, quos refert & sequitur Peyrinis *ad const.* 2. *Sixti IV. num.* 10.

CLAUSULA IV.

In foro conscientiæ.

PEr hanc clausulam declarat Pontifex privilegium solum valere pro foro interno. Ita Suarez, Covarruvias, Navar. Sanchez, Barbos. quos refert & sequitur Tamburinus *supra num.* 17. Peyrinis *Tom.* 1. *de Privilegiis ad constitut. Pyrrhi num.* 43. licet non desint graves Doctores, qui dicant etiam operari pro foro externo, si parti fuerit satisfactum. Ita Valer. Rodrig. Henriquez, Miranda, quos refert Trullenc. *in Bulla Cruciatæ lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 9. *num.* 4. 76

CLAUSULA V.

Sine parochi præjudicio, vel non repugnantibus parochis, vel de licentia parochi.

PEr illa verba, *Sine parochi præjudicio*, tantum intendit Pontifex, quod vitetur præjudicium circa decimas, ac primitias clericis à laicis exhiberi solitas. Ita declaravit Sixtus IV. *apud Cruz de statu religionis lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 7. *conclus.* 2. Rodriq. quem refert, & sequitur Peyrinis *de privileg. Tom.* 1. *ad constitut. Pyrrhi num.* 32. Per illam vero clausulam, *Non repugnantibus parochis* declarat Pontifex privilegium non valere parochis contradicentibus. Ita cum Rodriq. Pellizzarius *tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 49. Secus dicendum est, quando apponitur clausula, *De licentia tamen rectoris vel parochi*, nam talis concessio non est propriè conditionata, siquidem ablativus absolutus non semper importat conditionem, vel aliquando connotat modum ad aliquid licitè faciendum ex lege æquitatis. Ita Bonacina, & alii Neoterici, quos refert, & sequitur Pelliz. *tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 50. 77 78 79

CLASULA VI.

In omnibus, & per omnia.

HÆc clausula in privilegiis, & alibi inserta habet vim specialis specificationis, & importat perfectionem, & integritatem dispositionis, Tuscus, Barbosa, Marta, quos refert, & sequitur Tamburinus *num.* 19. Peyrinis *ad constit.* 4. *Julii II. num.* 4. 80

CLAUSULA VII.

Motu proprio.

81 HÆc clausula habet vim specialis expressionis, & ideo tollit vitium subreptionis. Ita Suarez, Barbosa, Sanch. quos refert, & sequitur Tamburinus *supra num.*21. Peyrin. *ad const.* 4. *Sixti IV.* §. 2. *num.*2. nisi subreptio procedat ex re ipsa. Seraphin. *decis.*398. Rota *decis.* 656.*num.*4. vel contingat ex falsa causæ expressione, Suar. Sanch. *supra*, vel præjudicet juri tertii, uon solum in re sed etiam ad rem Sanch. *supra*, Barbosa *de clausulis*, *clausula* 79. *n.*19. Nam in his casibus clausula *motu proprio* non tollit vitium subreptionis.

CLAUSULA VIII.

Ex certa scientia.

82 HÆc clausula idem importat, ac, de plenitudine potestatis, hoc est de potestate absoluta: rem minus validam reddit validam, & facit, quod nullus inferior Ordinarius possit de validitate illius rei amplius cognoscere. Abbas *cap.*9.*de re judicata*, & facit, quod si quis justè non possideat incipiat justè possidere, & habet vim novæ concessionis, ut ex Glossa & Felino notat, quos refert & sequitur Archangelus *de privilegiis lib.*1.*cap.*4.

Adverte tamen hanc clausulam solum habere vim novæ concessionis, quando privilegium fuit validum à principio, & postea revocatum, vel abrogatum per non usum, vel contrarium usum; nam si privilegium fuit nullum à principio, & subreptitium per sequentem confirmationem ex certa scientia non confirmatur, nisi expressè dicatur, non obstante falsitate, & subreptione. Ita Rota *titulo de confirmatione utili decis.* 2. *in novis.* Panormitanus *cap. inter dilectos de fide instrument.* & nos cum aliis *supra* jam diximus. In tertii præjudicium grave nihil operatur, licet in modico aliter se res habeat. Ita Tuscus Menochius, Barbosa, quos refert, & sequitur Tamburinus *supra num.*26. Nec etiam operatur in his de quibus Princeps non præsumitur habuisse notitiam, & facta super re litigiosa non habita mentione de litigio: Tuscus *apud Tamburinum supra*, Abbas *cap.* 1. *de confirmatione utili*, *vel inutili*.

CLAUSULA IX.

De plenitudine potestatis.

HÆc clausula tollit omnes defectus solemnitatis non provenientes à natura, ut defectus commissos circa juris solemnitates, secus si alius suberat defectus, puta, quia illegitimus, vel falsarius literarum, vel quid simile. Abbas *cap. ex literis de fide instrument.* Papa namque potest sententiam etiam sine ordine judiciali prolatam confirmare supplendo Ordinis positivi defectus, non tamen juris naturalis. Abbas *cap. ea, quæ desunt de re judicata*, in tertii verò præjudicium nihil operatur, Marchesanus, Seraphinus, Rota, quos refert, & sequitur Tamburinus *supra, num.* 31. 83

CLAUSULA X.

Non obstantibus.

PRæcipuus hujus clausulæ effectus est, tollere omnia, quæ dispositioni, in qua est posita, obstare possunt, non auget, nec ampliat plus, quam gratia conferat, neque nullitatis, aut subreptionis vitium tollit, ut cum Barbosa, Tusco, & aliis notavit Tamburinus *supra num.* 86. nec per illam censentur revocata privilegia inserta corpori juris, nisi eorum quoque clausula derogatoria exprimatur, nec etiam extenditur ad privilegia, quæ in suo tenore continet, ut revocari non possint, nisi eorum fiat expressa mentio de verbo ad verbum, vel quid simile, nisi aliàs addantur alia verba, quibus voluntas derogantis magis explicetur, ut si dicatur *non obstantibus quibuscumque privilegiis sub quacunque forma conceptis*, vel *etiamsi de verbo ad verbum debeat de illis mentio fieri.* Nec extenditur ad privilegia per modum contractus concessa, nisi in ipsa revocatione dicatur, *etiamsi per modum contractus fuerint concessa.* 84

Item per illam non revocantur privilegia contenta in Conciliis generalibus, nisi de illis fiat expressa mentio, dicendo v.g. *non obstante quavis constitutione seu lege in Concilio generali condita*, licet Gonzalez *glos.*8 *num.*120. Bonacina *disp.*2.*de legibus quæst.* 1. *part.*2. *n.*8. existiment cum sola clausula, *nõ obstantibus*, tolli decreta quorumlibet Conciliorum sine expressa illorum mentione, quod de Conciliis, in quibus non est expressè reservata auctoritas Papæ, & Sedis Apostolicæ, affirmat etiam

cum

cum aliis Bordon. *Tom.2.resol.52.num.*151. sed nostram sententiam quoad omnia in ea contenta tenet Suar. Salaz, quos refert, & sequitur Pellizzarius *tract.*.8. *cap.* 1. *num.*98. Archangelus *de privilegiis lib.*1. *cap.* 3. Peyrinis *ad const.* 1. *Sixti IV.n.* 32.

Imò Henriquez *lib.* 7. *cap.* 26. *num.* 3. Sanchez *lib.*3. *de matrim. disput.* 26. putant quod si privilegium contineatur in Tridentino, non sufficienter revocari, nisi fiat specifica mentio Tridentini, quod tamen non facilè admittendum, ait Bonacina *disput. de legib. quæst.*3 *part.*8.§.3.*n.*11.

Tandem non derogat privilegiis ad pias causas, nec illis, quæ commiserationis causa, vel publicæ utilitatis gratia concessa sunt Suar. *lib.*8.*de legibus cap.*38. Barbosa *de clausulis clausula* 183.*n.*18. Sicut neque censentur revocata vivæ vocis oracula, nisi id expresse specificetur. Barbosa *clausula* 83. *num.* 23.

CLAUSULA XI.

Non obstantibus omnibus, & singulis privilegiis.

85 HÆ dictiones, *Omnes, & singula,* adeò efficaces sunt, ut includant etiam privilegia juris communis, quia dictiones universales tantam vim habent, ut includant etiam ea, quæ aliàs non comprehenderentur, & tantum operantur, ac si singula fuissent numerata, Bart. Glossa, quos refert, & sequitur Bordon. *Tom*,2.*resol.*52.*n.*130.

CLAUSULA XII.

Non obstantibus quibuscunque derogatoriarum derogatoriis.

86 SEnsus hujus clausulæ est, ut per eam derogetur quibuscumque privilegiis, etiamsi habeant clausulam, quod non censeantur revocata, nisi de eis fieret specialis mentio: ita Joannes de Anania *in consilio* 169. & communem sententiam dicit Martha *apud Archangelum supra cap.*15.

Advertunt tamen plures juristæ hujusmodi clausulam in privilegio, vel rescripto nihil operari, quando Princeps juris alteri competentis certior factus non fuerit: Archangelus *supra*; in dubio autem hæc clausula semper restringenda est ad invalidas, & frivolas dispositiones. Alexander, quem refert, & sequitur Archangelus *loco citato.*

CLAUSULA XIII.

Non obstantibus quibuscumque consuetudinibus.

PEr hanc clausulam universalem, *quibuscumque,* 87
putant aliqui derogari non solum consuetudini viginti, aut triginta annorum, aut centum annorum, sed etiam immemorabili, nam signum universale valet, ac si singula expressisset. Ita Henriquez *lib.* 7. *de indulgentiis cap.* 27. *num.* 5. Verùm dicendum est, per hanc clausulam non derogari immemorabili consuetudini, nisi de ea fiat expressa mentio, Peyrinis *de privilegiis ad constitut.* 19. *Leon. X. num.* 3. & jam decidit sacra Rota apud eumdem Peyrinum.

CLAUSULA XIV.

Pro expressis.

HÆc clausula eamdem vim habet, ac illa, *quorum tenores,* Barbosa *clausula* 102.*num.*1. unde 88
tollit necessitatem inserendi tenorem illarum constitutionum, quæ confirmantur, vel derogantur, etiam si in illis diceretur expresse, quod non intelligerentur revocata, nisi fieret de eis expressa mentio de verbo ad verbum. Ita Navarr. quem refert, & sequitur Peyrinis *ad Constit.*4.*Sixti IV.num,*5. atque ita operatur, quod Papa possit ex certa scientia facere quod facit. Panormit. Thesaurus, Rota apud Peyrinum *supra.* Et hæc procedunt non solum in dispositione facta *motu proprio,* sed etiam *ad partis instantiam.* Felinus *in cap. nonnulli de rescript. num.* 6. Anton. Gabr. *Tom.* 2. *lib.* 6. *titulo de clausulis concl.* 5. *num.* 3. Non operatur tamen in præjudicium tertii, de quo Princeps non intellexit, nec tollit defectum intentionis, nec operatur in his, quæ consistunt in facto ignorato, nec tollit defectus, per quos gratia est subreptitia, maximè quando apposita est limitatè Barbosa, & alii quos refert, & sequitur Tamburinus *disp.* 18. *quæsito* 6. *num.* 44. *Tom,* 1.

CLAUSULA XV.

Decernentes irritum, & inane.

SEnsus istius clausulæ est irritare omnia, quæ in contrarium fiunt, *cap si eo tempore de electione,* &c.

tantæ efficaciæ est, ut etiam ignorantes liget, non solum si adsint verba *scienter*, vel *ignoranter*, vel *etiamsi non adsint*, quod procedit, sive Constitutio facta sit *motu proprio*, sive non, sive justè, sive injustè, sive causa cognita, sive incognita, sed hoc intelligitur respectu nullitatis, non verò aliarum pœnarum, quia tunc ignorantes non ligat *cap. si beneficia de prabend. & dignitat. in 6.* Antonius Gabriel, quem refert, & sequitur Peyrinis *ad constitut. 23. Leonis X. num. 5.* Bordon. *clausula 4. n. 2. 3. & 13.* tollit etiam ista clausula vires sententiæ, & ejus executionem impedit, formam inducit taliter, ut illa non servatâ, actus ipso jure corruat. Rota *decis. 225. num. 1. part. 1.* Barbosa *de clausulis clausula 40. num. 32.* & quidquid contra istam clausulam fit esse ipso jure nullum, etiam parte non opponente. Gabriel, Peyrinis, Barbosa *supra.* Unde si Papa in confirmatione Satutorum hanc clausulam apponat *statuentes* non possunt statuta sic confirmata revocari, nec interpretari, aut declarare, Gabriel apud Peyrinis *supra:* immò privilegio habenti istam clausulam non potest renuntiari, etiam de consensu partium. Mendez *in tract. de monit. n. 46.* Peyrinis *supra:* operatur etiam effectum inficiandi titulum, & possessionem, quando intrat constitutio, cui adhæret tamquam accessorium. Rota *decis. 612. n. 3. p. 1.* Barbosa *clausula 40. num. 20.*

CLAUSULA XVI.

Ex tunc, prout ex nunc,

90 HÆc clausula habet hunc effectum, ut actus postea factus censeatur jam à principio factus, Glossa *verbo* ex nunc *in Clement. volentes de hæret.* Cened. *sing. 14. n. 1.* Barbosa *clausula 61. n. 2.* non est tamen retractativa ad diem datæ in præjudicium juris alteri acquisiti medio tempore. Marta *de clausulis 1. part. clausula 54. num. 3.* Barbosa *supra num. 8.* & alii.

CLAUSULA XVII.

Contradictores,

91 HÆc clausula est intelligenda de his, qui contradicunt de facto, non de jure. Abbas, Felin. Rodrig. Navarr. quos refert, & sequitur Peyrinis *ad constit. unicam Innocentii VIII. num. 2.* Archangelus *de privileg. lib. 1. cap. 17.* Barbosa *clausula 32. num. 22.* Unde hæc clausula comminatoria non procedit; si justa, & rationabilis sit causa contradictionis, ita enim declarant verba *infringere, & ei ausu temerario contraire*, infringere enim importat malitiosam retractationem, Bart. *in Extravagant. qui sint rebelles*; contraire verò fit dissimulando, adducendo allegationes, &c. Archangelus *supra.* Per istam etiam clausulam datur auctoritas Prælatis compescendi non solum partes molestantes, sed etiam extraneos quoscunque, Abbas, Glossa apud Peyrinis *supra.*

CLAUSULA XVIII.

Quoties expediens fuerit, & quoties opus fuerit.

HÆc clausula *quoties expediens fuerit*, continet æquitatem, & utilitatem, ita cum Archidiacono Peyrinis *ad constitutionem unicam Innocentii VIII. num. 1.* Altera verò, *quoties opus fuerit*, importat infinitatem, ita ut non solum pro una, aut centum vicibus possint conservatores procedere contra molestantes, sed quoties opus fuerit usque in infinitum. Tuscus *verbo* clausula *concl. 352. n. 2.* 93 Peyrinis *ad constit. 4. Julii II. num. 3.* 92

CLAUSULA XIX.

Absolventes à quibusvis.

HÆc clausula ponitur ad tollenda pericula nullitatis, quæ oriri possunt ex excommunicatione, suspensione, & interdicto, Unde hæc absolutio reddit gratias efficaces, non obstantibus talibus censuris, Sayrus, Henriques, quos refert, & sequitur Peyrinis *ad const. 1. Julii II. n. 54.* hæc tamen absolutio non realiter tollit censuras, sed tantùm eas suspendit pro executione dictæ gratiæ, quare sic absolutus nullam aliam gratiam consequitur nisi eam, ad cujus effectum tantummodo tollitur, quare si celebret, incurret irregularitatem. Peyrinis *supra num. 55.* Non habet tamen hæc clausula effectum, si quis per annum integrum, & non interruptum cum animi pertinentia permanserit in excommunicatione, quia tunc obstant regulæ Cancellariæ de insordescente per annum, & habetur suspectus de hæresi. Ad hanc tamen pertinaciam requiritur, ut per eum stet, quod non absolvatur, nam si absolutionem petiit, & per eum non stetit, quominus obtineret, non potest dici insordescere. Peyrinis *supra:* immò Sixtus V. statuit, ne generales absolu- 94

absolutiones appositæ in litteris, suffragentur iis, qui scienter excommunicationis sententiam per quatuor menses sustinuerint, talibus enim absolutio non prodest, & litteræ sunt nullæ. Archangelus *de privilegiis lib.* 1. *cap.* 18. Imò non prodest irregulari, quia nunquam Papa censetur super irregularitate dispensare, nisi expressè dicat: ita cum Navarr. Archangelus *supra.*

CLAUSULA XX.

Super omnes, & singulos.

95 HÆc clausula importat specificationem specialem, ac si omnes in individuo nominarentur, & comprehendit etiam specificè omnes, qui alioquin essent exempti. Tuscus *verbo* clausula *conclus.* 296. *num.* 2.

CLAUSULA XXI.

Quatenus ipsi vel alter eorum.

96 SEnsus hujus clausulæ est, ut vigore illius, si unus cœpit possidere, alius possit prosequi, vel procedere primo impedito, & dicitur impeditus si abest, vel est infirmus; & si unus processit nulliter non servatis de jure servandis, poterit alius juridicè procedere, Tuscus *verbo* clausula *conclus.* 327. Abbas *in cap. licet undique num.* 1. *de officio delegati.*

CLAUSULA XXII.

Indignationem omnipotentis Dei.

97 HÆc clausula facit, ut contravenientes peccent mortaliter, quia hoc est virtualiter obedientiæ præceptum in virtute Spiritus Sancti, Peyrinis *ad Constitut.* 3. *Sixti IV. num.* 7. Archangel. *lib.* 1. *c.* 17. Tamburin. *Tom.* 1. *disp.* 18. *quæst.* 6. *n.* 9. Imò idem Peyrinis cum Baldo, & aliis putavit, importare etiam comminationem privationis beneficiorum, verum dicendum est tantùm importare pœnam arbitrariam, ita cum Barbosa, & aliis Tamburin. *supra num.* 11.

CLAUSULA XXIII.

Postpositis juris apicibus, simpliciter, summariè, & de plano, sine strepitu, & figura judicii, sola facti veritate inspecta.

98 VErba hujus clausulæ ferè in idem reincidunt. Et in primis per illa verba, *postpositis juris apicibus*, veniunt citatio, intervalla, dilationes interlocutoriæ, & alia hujusmodi, quæ non sunt de essentia juris: *simpliciter*, denotat procedendum 99
esse excludendo calumniatorias, & dolosas dilationes, ac inanes exceptiones: *Summariè*, ut solum 100
adhibeantur ea, quæ ad judicii vim, & essentiam spectant: *de plano*, ut omissa solemnitate sedendi, vel etiam feriarum, vanis expectationibus, ter- 101
giversationibus, & appellationibus postpositis procedatur. Ita nostri Thomas à Jesu *Tract.* 3. *de visit. Regul. cap.* 1. Petrus ab Angelis *in Iudice Regul. part.* 1. *cap.* 1. *num.* 6. Joan. Bapt. de Lezana in *quæst. Regul. Tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 26. Pellizzarius *Tract.* 9. *cap.* 4. *num.* 43. Emmanuel à Monte Oliveti 1. *part. art.* 1. *num.* 1. *lit. C.*

Sine strepitu, & figura judicii, hoc est, sine advocatorum clamoribus, & absque ulla solemnitate 102
juris positivi, sed solum secundùm jus naturale, & gentium. Bart. Tuscus, quos refert, & sequitur. Emmanuël à Monte Oliveti *supra lit. E.*

Sola facti veritate inspecta, indicat rejiciendas 103
esse solemnitates accidentales juris, iis solum servatis, quæ sunt de jure naturali divino, & gentium, Lezana cum aliis *supra*, unde ratione hujus clausulæ potest judex judicare super omnibus emergentibus, & incidentibus, quæ probantur etiam si non sint deducta in libellum. Bald. *in l. ait prætor ff. de minoribus*, Martha *clausula* 180. *num.* 14. & 36. *num.* 5. Sed de his clausulis, quando sunt in præjudicium tertii vide Emanuelem à Monte Oliveti *supra* ubi latè tractat de hac clausula quoad forum judiciale.

CLAUSULA XXIV.

Appellatione remota.

QUando in rescripto ponitur hæc clausula intel- 104
ligitur, nisi superior excedat modum, & partem non gravet, Abbas *in cap. licet de officio ordinand. & in cap. de Priore de appellat.* Unde non tollit quin notoriè gravatus possit appellare, cum in hoc casu appellatio sit de jure naturæ. Abbas *cap. pastoralis de appellatione frivola*, quæ fit sine gravamine, seu sine justa causa imposita: ita cum Rodrig. Archangelus *de privileg. lib.* 1. *cap.* 11. licet Peyrinis *ad constit.* 7. *Julii II. num.* 3. existimet etiam impedire appellationem legitimam, non tamen in sententia Peyrinis impedit, quin judex ex legitima causa possit recusari, & licet tollat appellationem à diffinitiva, non tamen ab interlocutoria Peyrinis

supra:

supra: nec impedit quin pars possit appellare, sed facit, quod judex nequeat talem appellationem admittere. Tamburinus *Tom.* 1 *disp.* 18. *quæsit.* 6. *n.* 60.

CLAUSULA XXV.

Quorum tenores.

104 HÆc clausula habet vim specialis, & individuæ expressionis, ac proinde tollit necessitatem inserendi tenorem illarum constitutionum, quæ confirmantur, vel derogantur, etiamsi in illis talis expressa mentio postuletur. Ita cum aliis Peyrinis *ad const.* 4. *Sixti IV.* §. 3. *num.* 3. noster Lezana *Tom.* 2. *verbo* clausula, *num.* 57. & idem de hac clausula dicendum est, ac de illa *pro expressis*, & deservit ad tollendum surreptionem, Naldus, quem refert, & sequitur Lezana *supra num.* 57.

CLAUSULA XXVI.

Invocato si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

104 HÆc clausula importat, quod quando remedia Ecclesiastica non juvant, applicari potest brachium sæculare. Rodrig. *Tom.* 1. *quæst.* 8. *art.* 14. Unde hæc clausula implicitè continetur in omnibus literis Papæ, tenentur enim judices sæculares præstare judicibus Ecclesiasticis jure communi, *Can principes administratores* 23. *quæst.* 5. licet ad majorem cautelam in aliquibus Bullis stylo Curiæ exprimatur, Peyrinis *de privilegijs ad const,* 1. *Julii II.* §. 38. *n.* 97. quod si non præstent, peccabunt mortaliter posita gravitate materiæ, & puniri debent etiam excommunicatione. Menochius *de arbitris lib.* 1. *casu* 452. Rodrig. *supra.* & cogi ad id possunt per conservatores Religionum, Peyrinis *supra.* si quis uberiorem de his, aliisque similibus clausulis notitiam desideret, consulere poterit nostrum Lezanam *loco cit, Tom.* 2. *qq. Reg.* ubi eas optimè explanatas reperiet.

SECTIO VI.

De usu privilegiorum.

105 *Prælati Regulares possunt suis Religiosis limitare, imò & tollere usum privilegiorum.*

106 *Capitulum generale potest limitare privilegia etiam respectu ipsius generalis.*

107 *Quibus privilegiis gaudeant Religiosi assumpti ad Episcopatum, & alias prælaturas sæculares.*

108 *Per mutationem status non amittuntur privilegia comparabilia cum statu recenter assumpto.*

109 *Moniales tam subjectæ, quam non subjectæ Regularibus, gaudent privilegiis suorum Ordinum.*

110 *Donati, & Conversi gaudent privilegiis suorum Ordinum.*

111 *In privilegiato requiritur notitia privilegii, ut illo uti possit.*

112 *Si privilegiatus operetur cum conditione, si detur privilegium, validè operatur, si in eo casu datur privilegium.*

113 *Regulares possunt uti suis privilegiis, etiamsi contra ea habeant contrarium usum.*

114 *Quomodo præscribatur contra privilegia Regularium.*

115 *In quibus casibus possunt privilegiati uti privilegiis contra pariter privilegiatos.*

116 *Nemo tenetur uti privilegio personali, nisi in tribus casibus.*

117 *Numerantur casus.*

118 *Regulares posse uti in foro conscientiæ suis privilegiis, quæ sunt expressè revocata in Concilio Tridentino senserunt quidam, sed non audiendi.*

119 *An oracula sint revocata?*

DIco PRIMO: licet Prælati de jure commũni 105
non possint suis subditis limitare, vel auferre usum privilegiorum, benè tamen ex speciali privilegio Gregorii XIII. quod refert Tamburinus *Tom.* 1. *disp.* 16. *quæsit.* 9. *n.* 2. præcipuè si sint Provinciales, vel Generales. Ita Miranda *Tom.* 2. *quæst.* 4. *art.* 4. Peyrinis, Portel, uterque Rodrig. quos refert, & sequitur Diana 3. *part. tract.* 2. *resol.* 87. Addens hanc doctrinam procedere etiam in Religionibus, quæ non habent specialem facultatem, nam illa regula *inferior non potest abrogare, &c.* habet locum, quando inferior restringit, aut aufert privilegium contra voluntatem ejus, cui concessum est, quod non accidit in præsenti cum in Capitulis generalibus, in 106
quibus, ut suppono, fit hujusmodi abrogatio adsit interpretativa voluntas totius Religionis, cui talia privilegia concessa sunt.

Hinc fit, etiam respectu ipsius Generalis posse Capitulum generale restringere, vel auferre usum privilegiorum, nam cum privilegium fuerit toti Religioni concessum, ipsa in Capitulo generali tota ex-

ta existens, si ei expediens videbitur poterit à se tota abdicare usum illorum, & con equenter etiam à proprio Generali, ita ex Suario benè colligit Pelliz. *Tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 63.

107 Dico secundo: Religiosi ad Cardinalatum, Episcopatum, vel alias Prælaturas sæculares assumpti gaudent omnibus privilegiis, quæ concernunt bonum animæ, vel corporis, & quorum usus non est onerosus ipsi Religioni, & quæ sunt concessa omnibus, & singulis Religiosis, ut sunt absolvere à reservatis, dispensare in votis, si quando assumuntur ad Episcopatum; jam erant expositi ad confessiones, &c. Ita Nald. *verbo privilegium n.* 6. Pasqualig. *Tom.* 2. *dec.* 136. *num.* 4. Cespedes *disp.* 389. *de exemptione, num.* 62. Cocheir Rota, quos refert, & sequitur Pelliz. *Tract.* 1. *cap.* 8. *num.* 65. Ratio est quia per mutationem status non amittitur privilegium compatibile cum statu recenter assumpto. Dixi, *si quando assumuntur ad Episcopatum jam erant expositi ad confessiones*, nam si non
108
erant, nondum acquisierant jus ad hæc privilegia, cum ea solum concessa sint sacerdotibus actualiter confessoribus, & non aliis, Pasqualigus *supra*, & alii.

109 Dico tertio: Non solum Moniales subjectæ, & non subjectæ Regularibus possunt uti privilegiis suorum Ordinum ex variis privilegiis, quæ infra referemus, sed etiam conversi, & Donati, seu oblati ex privilegiis Eugenii IV. Cœlestini V. quorum
110 Bullas refert Suar. *Tom. de relig. tract* 8. *cap.* 24. *n.* 10. & quoad nostros Donatos patet ex Bulla Sixti IV. in nostro *Mari magno juxta nostrum Compendium fol.* 84. *num.* 61. Non possunt tamen expulsi ab Ordinibus uti privilegiis suorum Ordinum. Ita Suar. *de relig. tract.* 8. *cap.* 6. *num.* 51.

111 An autem requiratur notitia privilegii in privilegiato, ut illo uti possit? Respondeo affirmativè; tum quia actum ab ignorante suam facultatem nihil operatur, Bart. Bald. *in l. Barbarius ff. de officio prætor. lect.* 2. tum quia judex ignorans suam jurisdictionem nullum facit processum ex Bartol. *in l. multum interest ff. de condit. & demonstr.* Sanch. & alii, quos refert, & sequitur Bordon. *Tom.* 2. *resol.* 52. *num.* 59.

112 Fallit tamen hæc sententia, quando privilegiatus operatur sub conditione si habet privilegium, nam tunc validè agit, non obstante ignorantia, cum habeat cognitionem conditionatam sufficientem ad operandum. Ita Portel. *verbo* privilegium *num.* 40. Pelliz. *tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 91. Bordon. *supra num.* 60.

Dico quarto: Regulares possunt uti suis privilegiis, etiamsi contra ea habeant contrarium usum, tum quia Eugenius IV. per Bullam concessit id congregationi S. Justinæ de Padua, ut refert Tamburin. *Tom.* 1. *disp.* 16. *quæsito* 12. *num.* 4. & quod non possit contra illa præscribi minus, quàm per spatium 40. annorum, vel centum annorum, ut concessit idem Eugenius IV. Monasterio S. Pauli extra muros, ut testatur idem Tamburinus *supra*, & cum aliis multis Belasius *verbo* præscribere 114
num. 72. quæ præscriptio debet numerari ab ultima confirmatione ex certa scientia privilegiorum, ut cum Corduba, Cruz, & aliis docet Tamburinus *Tom.* 1. *disp.* 16. *quæsito* 14. *num.* 8. Tum etiam quia Eugenius IV. per Bullam concessit Congregationi S. Benedicti eorum privilegia non posse amitti per contrarium usum, nec per non usum, ut ait Rodrig. *in Bullario fol.* 199. & tenet Portel, quem refert, & sequitur Diana 3. *part. tract.* 2. *resol.* 88. 113

Dico quinto: In quinque casibus potest privilegiatus uti privilegiis adversus pariter privilegiatos. *Primò*, si privilegia sint impar[ia], nã tunc majus præfertur minori. *Secundò*, qu[an]do unus est dupliciter privilegiatus, non verò alte[r], nam iste illi subditur. *Tertiò*, quando agitur de damno vitando, tunc enim præfertur qui passurus est damnum. *Quartò*, quando uni assistit jus, alteri verò non, nam hic cedit illi; è contra verò privilegiatus non utitur suo privilegio contra alterum privilegiatum, quando utrumque privilegium est æquale, æquè favorabile, & concurrunt in actu exercito, siquidem simile non agit in simile. Ita cum multis Bordon. *Tom.* 2. *resol.* 52. *num.* 375. 115

Tandem quinto privilegiatus in specie præfertur privilegiato in genere, etiamsi privilegium sit in re diversa: ut si fuisset exemptus à decimis, ut sunt Regulares, & alter habuisset privilegium accipiendi decimas à quibuscumque existentibus in suo territorio, nam tunc privilegium exemptionis est speciale, & privilegium recipiendi decimas à quibuscumque est generale, ac per consequens per speciale derogatur. Ita Salas. Rodrig. [q]uos refert, & sequitur Palaus *Tom.* ... *tract.* 3. *disp.* 4. *p.* 6. *num.* 21.

Dico sexto: Quando privilegium est concessum alicui Religioso in particulari ratione ipsius præcise & non intuitu communitat[i]s, non tenetur uti tali privilegio. Portel. *verbo* privilegium *n.* 39. tenebitur tamen illo uti in tribus casibus. *Primò*, quando cœptum est jam negotium. *Secundò*, quando ex- 116

do ex nō usū præjudicatur alteri, ut si Ecclesiasticus permitteret se judicari à judice Laico. *Tertiò*, quan-
117 do aliquis habet debitum agendi aliquid, sed impeditur, sublato autem impedimento per privilegium tunc tenetur uti privilegio; sic tempore interdicti habens privilegium, tenetur eo uti, audiendo missam diebus festis. Ita Sanchez, Suarez & quos refert, & sequitur Bordon. *supra num.* 104.

Dico *tandem*: Regulares posse in foro conscien-
118 tiæ uti suis privilegiis, quæ sunt expresse revocata per Tridentinum. docuit Henriquez, Beja, Rodrig. Vega. Capucinus, quos refert Diana. 3. *part. tract.* 2. *resol.* 59. licet ille cum aliis contrarium teneat: probabilem tamen putat etiam hanc sententiam Portel. *verbo* privilegium *num.* 64. Ita concessit Pius V. vivæ vocis oraculo, & licet Gregorius XIII. revocaverit illa, quæ prius concesserat Pius V. contraria Tridentino, solum revocavit, vel pro foro externo tantùm, vel revocavit solum Constitutiones scriptas, non verò oracula, quæ non sunt Constitutiones. Ita Diana *loc. cit.* quid dicen-
119 dum de revocatione oraculorum sit, insinuabimus, *infra Tract.* [illegible] *disp.* 1. *sect.* 1. §. 2. *num.* 42. & *sequentibus*. Sed prædictam sententiam ego admittendam esse non judico.

SECTIO VII.

De amissione Privilegiorum.

120 *Privilegia vel amittuntur ab intrinseco, vel ab extrinseco, & quid per hoc intelligatur?*
121 *Cessante causa finali cessat privilegium.*
122 *Limitatur resolutio in aliquibus casibus.*
123 *Destructo subjecto privilegii cessat privilegium.*
124 *In quibus privilegiis habeat locum hæc regula.*
125 *Privilegium locale concessum Ecclesiæ non ratione situs, sed ipsius Ecclesiæ transfertur translata in alterum locum ipsa Ecclesia.*
126 *Deficiente conditione deficit privilegium conditionatum.*
127 *Idem dicendum est de privilegiis concessis usque ad mortem concedentis, si res sit integra.*
128 *Privilegium cum conditione* donec revocavero, *non tollitur per mortem concedentis.*
129 *Privilegium cessat ab extrinseco per renuntiationem.*
130 *Capitulum generale potest omnibus privilegiis renuntiare, aliquibus tantum exceptis, & quæ hæc sint.*
131 *Requiritur acceptatio Papæ ad validam renuntiationem.*
132 *Per validam revocationem tollitur privilegium.*
133 *In quibus casibus non possit Papa validè privilegia revocare.*
134 *Princeps laicus non potest revocare privilegia, quæ Clericis, & Religiosis concessit.*
135 *Papa volens revocare privilegia concessa per contractus onerosos, debet uti compensatione.*
136 *Quæ sit revocatio expressa, & quotuplex.*
137 *Quid sit revocatio tacita.*
138 *Privilegia Regularium non revocantur per Bullam cruciatæ.*
139 *Quomodo censeantur revocata per Bullam cœnæ.*
140 *Quid de revocatione oraculorum facta ab Urbano VIII. dicendum sit.*
141 *Quæ privilegia per non usum amittantur.*
142 *Quot anni requirantur ad præscribendum contra Ecclesiam, vel contra Regulares.*
143 *Privilegia negativa quomodo per contrarium usum amittantur.*
144 *Operans cum ignorantia, vel cum potestatione contra privilegium non illud amittit per contrarium usum.*
145 *Per actum contrarium factum ab aliquo Religioso, vel Conventu particulari non tollitur privilegium Religioni concessum.*
146 *Quomodo privilegia per abusum amittantur.*

Pro doctrinæ hujus sectionis notitia suppono 120
dupliciter posse cessare privilegia, vel ab intrinseco, vel ab extrinseco; ab intrinseco cessant, quando cessat ejus causa finalis, vel destruitur subjectum illius, vel deficit conditio sub qua fuit concessum: ab extrinseco verò amittuntur per renuntiationem, per revocationem, per non usum, per contrarium usum. His suppositis.

Dico primo: Cessante causa finali (non im- 121
pulsiva) sed sine qua gratia absolutè non fuisset concessa, cessat privilegium *cap. cum cessante de appellation*, ubi dicitur, quod cessante causa cessat effectus: limitatur tamen communiter hæc regula, *Primò* in privilegio merè favorabili, cum deceat beneficium Principis esse mansurum. Noster Urbanus *Tract.* 2. *p.* 1. *c.* 5. *reg.* 3. *Secundò*, in privilegiis, quæ non derogant juri communi, vel alterius tertii. *Tertiò* in privilegiis, quæ licet derogent juri 122
communi, vel tertii, unico tamen actu consumuntur, nisi aliàs habeant tractum successivum in futurum.

turum. Pelliz. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 94. *Quartò* in privilegiis habentibus tractum successivum, quorum causa non deficit contrariè, sed negativè, tunc autem deficit negativè, quando etiamsi deficiat causa ob quam fuit concessum privilegium, usus tamen illius non est injustus; vel illicitus; tum verò deficit contrariè, quando illius usus ob mutationem materiæ, vel aliarum causarum redditur illicitus, & injustus, Suar. *Tom* 3. *de relig. cap.* 30. *num.* 6. Urbanus, & Pellizzarius *suprà*.

123 DICO SECUNDO: destructo subjecto, cui concessum est privilegium, cessat privilegium, hæc regula solum habet locum in privilegiis personalibus, & localibus, nam mortua persona, vel destructo loco, quibus privilegium concessum erat amittitur privilegium, non verò in privilegiis realibus, nam hæc ex natura sua sunt perpetua, & transeunt ad alios, qui in dignitate, vel jure succedunt. Suar. *de legib. lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 3. Salas *eodem tract. disput.*
124 17. *sect.* 2 *numer.* 13. Sanch. *de matrim. lib.* 8. *disput.* 27. *num.* 4. Bonacina *de legib. disp.* 1. *quæst.* 3 *part.* 8. §. 9. *num.* 2. Quæ autem sint privilegia realia, quæ personalia, jam *supra* diximus.

Adverte tamen cum Suario *supra cap.* 5. *n* 8. privilegium locale concessum alicui Ecclesiæ non ratione situs, sed directè ipsi Ecclesiæ, & sub ejus nomine non amittitur, quando destruitur, ut aliò transferatur, sed quando talis Ecclesia absolutè pe-
125 riit, vel auctoritate Prælati; siquidem quando transfertur eadem formaliter perseverat.

126 DICO TERTIO: Deficiente conditione, sub qua privilegium concessum est, corruit ipsum privilegium Hinc fit privilegia concessa ad certum tem-
127 pus, illo expleto deficere; idem dicendum est de privilegio concesso, usque ad mortem concedentis, si res sit integra, secus si privilegium sit sine ulla conditione; nam tunc si importat gratiam factam, non expirat morte concedentis, cum sit favor, & gratia, quæ non expirat morte concedentis, ita communiter DD. apud Pellizzarium *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 90. Si tamen in privilegio ponatur conditio,
128 *donec revocavero*, tunc non finitur morte concedentis, cum revocatio supponat actum contrarium.

129 DICO QUARTO: Ab extrinseco cessat privilegium, primo per renuntiationem, unicuique enim liberum est juri suo renuntiare, nisi alias talis renuntiatio sit in præjudicium sedis Apostolicæ, vel tertii, *cap. si judex* 42. *ff. de minor.* Unde clericus non potest renuntiare libertati Ecclesiasticæ, vel privilegio canonis, aut fori, &c, potest tamen Capitulum generale Regularium, exceptis prædictis 130
casibus renuntiare omnibus aliis suis privilegiis, continentibus tractum successivum in futurum, accedente tamen acceptatione ejus, qui privilegium concessit, sive talis acceptatio sit ab homine, sive à jure concedente facultatem renuntiandi privilegia, qualem habent Regulares, ut *supra* diximus. Ratio autem est, quia res per quascumque 131
causas nascitur, per easdem dissolvitur, ita cum multis late Bordon. *Tom.* 2. *resol.* 52. *num.* 112. licet contrarium cum aliis teneat Tamburinus *Tom.* 1. *disp.* 16. *quæsito* 15. *num.* 2.

DICO QUINTO: Per validam revocationem Prin- 132
cipis privilegiantis tolluntur privilegia. Dixi *validam*, nam plures dantur casus in quibus absque justa causa respiciente bonum commune Princeps, etiam si sit Papa, non potest privilegia revocare.

Primò, quando per tale privilegium acquisitum 133
est dominium alicujus rei, verbi gratia, alicujus oppidi.

Secundò, quando privilegium concessum est non subdito, nam privilegium concessum non subdito, & ab eo acceptato transit in contractum, nullusque Princeps habet jus privandi non subditos rebus suis legitimè acquisitis undequaque sibi proveniant; Suar. quem, & alios refert Tamburinus *Tom.* 1. *disp.* 16. *quæsito* 13. *num.* 3. Hinc fit Prin- 134
cipem laicum posse revocare privilegia, quæ Ecclesiis, vel Regularibus concessit, cum non sint ejus subditi, ita cum aliis Tamburinus *supra*.

Tertiò, quando privilegia concessa sunt per contractus onerosos, Princeps namque obligatur stare suis pactis jure naturæ æquè ac subditi: ergo licet absq; causa validè possit revocare privilegia omnino gratuita, & per quæ nullius rei jus tertio acquisitum est, cum concessio pendeat ex voluntate mera illius, non tamen prædicta privilegio onerosa. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 33. *num.* 3. N. Franciscus Bonæ Spei, *loco supracit. tract.* 3. *de legib. disp.* 10. *de privileg. dub.* 7. & alii communiter DD. a- 135
pud Tamburinum *Tom.* 1. *disp.* 16. *quæsito* 12. *n.* 8.

Unde Princeps ob bonum publicum volens aliqua privilegia revocare tenetur facere debitam compensationem, nam bonum publicum solum potest esse causa rescindendi contractum, non tamen spoliandi subditum re sua absque debita compensatione, si aliàs fieri potest. Suar. *supra cap.* 37. *num.* 5. Decius, Naldus Rolandus, Menoch. Craveta, & alii, quos refert, & sequitur Tamburinus *supra num.* 21.

136 DICO SEXTO: Hæc revocatio dupliciter fieri potest, vel expresſè, vel tacitè: expresſè fit quando per verba data dicit Pontifex, *revocamus, annullamus*, & aliis similibus, & iſta revocatio expreſſa poteſt eſſe vel generalis, ut cum aliquid non ſpecificat, ſed dicit, *non obſtantibus quibuſcumque privilegiis:* vel ſpecialis cum aliquid ſpecificat, ſi aliquid ſpecificet privilegium ſpecificatum abſque dubio tol-
137 litur, quæ autem privilegia per generalem revocationem *non obſtantibus quibuſcumque* revocentur, ſuprà diximus agentes de hac Clauſula.

Adverte tamen utramque hanc revocationem debere eſſe legitimè promulgatam ſicut aliæ leges. Portel. *verbo* privilegium *num. 69*. Revocatio ta-
138 cita tunc fit, quando Princeps non verbis expreſſis, ſed actu utitur contrariò privilegio, per quem actum privilegium non poteſt ſubſiſtere; tunc enim per hunc ſecundum actum contrarium clarè innuit ſe tollere privilegium, ſi Princeps habet illius notitiam, aliâs minime. Portel. *ſupra num. 68*. Noſter Urbanus, *loc.cit.cap.5.num.9*.

139 DICO SEPTIMO: Privilegia Regularium non revocantur per Bullam Cruciatæ, nam Bulla ſolum revocat indulgentias & non privilegia, ac proinde poſſunt Regulares etiam ſtante Bulla Cruciata abſolvere ab omnibus caſibus conceſſis per ſua privilegia, ac ſi Bulla non extaret. Rodrig. quem refert,
140 & ſequitur Portel. *in dubiis regularibus verbo* privilegium *num. 72*. Pellizzarius *Tract.8.cap.1.n.120*. Lezana *Tom.1.part.2.cap.1.num.59.& Tom.3.verbo* Bulla Cruciatæ *num. 38*. Belaſius *verbo* Bulla
141 Cruciatæ *num. 10*. An autem privilegia Regularium revocentur per Bullam Cœnæ *infra* dicemus *diſput. 3. num. 37*. ubi etiam quid de revocatione oraculorum facta ab Urbano VIII. tenendum ſit latè diſputabimus.

142 DICO OCTAVO: Aliqua privilegia amittuntur per non uſum, ita communiter Doctores: pro explicatione tamen hujus aſſerti notandum eſt, privilegia alia eſſe negativa, illa ſcilicet, quibus datur poteſtas ad aliquid non agendum, ut non ſolvendi decimas: alia affirmativa, in quibus ſcilicet datur poteſtas ad aliquid agendum, hæc autem affirmativa adhuc ſunt in duplici differentia, nam quædam ſunt in præjudicium aliorum, ut imponere tributum, &c. alia abſque aliorum præjudicio, ut audire divina tempore interdicti: His ſuppoſitis prædicta concluſio non procedit de privilegiis affirmativis, quæ non ſunt in præjudicium tertii; nec de negativis, nam hæc non amittuntur per non uſum, ſed tantùm de privilegiis affirmativis, quæ ſunt in præjudicium tertii, hæc tamen non admittuntur per quemlibet non uſum, ſed ſi contra illa legitimo tempore præſcribatur; contra autem Eccleſiam non minus, quam per ſpatium 40. annorum præſcribitur, & contra Religiones plus temporis requiritur ut *ſupra* diximus. Ita Suar. Bona- 143
cin. quos refert, & ſequitur Tamburinus *ſupra quæſito 14.num.4*. Palaus *Tom.1.tract.3. diſp.4.p.18. & Tract. 21.diſp. unica p.19.num. 4*. vide, quæ circa hanc & ſubſequentem concluſionem eruditè diſſerit noſter Petrus ab Angelis in ſuo *judice Regulari 1.part.cap.27.num.22*.

DICO NONO: Privilegia præcipuè negativa 144
amittuntur per contrarium uſum, ut ſi quis habeat privilegium non ſolvendi decimas, & eas ſolvat; requiritur tamen quod uſus ſit formaliter privilegio contrarius, hoc eſt, quod privilegiatus agat contra privilegium habens illius notitiam, & intendens ſe obligare ad talem actum, nam ſi faciat actum præmiſſa proteſtatione non præjudicandi privilegio, vel ex ignorantia privilegii, non tollitur privilegium nec in foro interno, nec externo, nam talis actus non eſt ſufficienter voluntarius ad effectum hujus amiſſionis: ita Suar. *lib.8.de legib.c.35.* 145
num.3. Salas. & alii, quos refert, & ſequitur Tambur. *Tom.1.diſp.16.quæſito 14.num.19*. qualis autem contrarius uſus requiratur, ut amittantur privilegia Regularium, jam *ſupra* diximus.

Adverte tamen cum Portel. *in dubiis regularibus* 146
verbo privilegium *num. 6*. contrarium uſum privilegii factum per aliquem Religioſum, aut per aliquod particulare Monaſterium, non tollere privilegium conceſſum Ordini, ſiquidem contrarius uſus per quem amittitur privilegium debet eſſe illius cujus eſt privilegium; in noſtro autem caſu contrarius uſus non fit à toto Ordine, cujus eſt privilegium. An autem privilegia amittantur per abuſum. Reſpondeo regulariter loquendo non amitti, cum amiſſio ſit pœna, quæ non incurritur ipſo jure, meretur tamen privilegiatus tali privari privilegio, ita Silv. *verbo* privilegium *q. 10*. & alii communiter Doctores.

* * *

SECTIO

SECTIO VIII.

De interpretatione privilegiorum.

147 DIco PRIMO: Duplex datur interpretatio privilegiorum alia legalis, alia doctrinalis legalis seu judicialis solum ad Papam spectat, illius enim est declarare, cujus est condere. Unde alii Prælati Ecclesiastici privilegia Regularium sive clara, sive dubia minime possunt interpretari, ita concessit
148 Clemens IV. Alexander VI. & tandem Paulus III. Societati, imò Sixtus IV. hoc illis pæna interdicti ab ingressu Ecclesiæ interdixit ut testatur Portel. *verbo* privilegium *num.* 77. Prælati tamen regulares possunt sua privilegia etiam juridicè, & ex æquo & bono interpretari, non servatis omnibus juris apicibus. Ita concessit Prædicatoribus Inno-
149 centius VIII. & Julius II. per Bullam, quæ incipit Considerantes. Idem concessit Generali, & Prælatis quibuscumque Minorum Leo X. cum consilio aliquorum Fratrum, si sint magni momenti, quapropter Religiosi tenentur declarationibus fa-
150 ctis à suo Generali, & ab aliis Prælatis suæ Religionis circa constitutiones, privilegia, & exemptiones, &c. stare in his, quæ ad forum suarum conscientiarum spectant, si aliàs ex ipsius privilegiis clarè non constet contrarium. Ita Peyrinis *ad* 151
constit. 3. *Julii II. num.*2. Tambur. *Tom* 1. *disp.*16. *quæsito* 6. *num.*8.

Declaratio verò doctrinalis spectat ad Docto- 152
res, & alios peritos Religiosos, hi tamen interpretes privilegia difficiliora intellectu, ex ambiguitate verborum, vel ex diversis Jurisperitorum interpretationibus semper in favorem Religionis interpretare tenentur. Ita concessit per Bullam Congre- 153
gationi S. Justinæ de Padua Alexander VI. & Julius II. per aliam Bullam Congregationi Vallis Umbrosæ, ut testatur Tambur. *supra num.*3. Unde virtute suorum privilegiorum possunt Religiosi tuta conscientia uti omnibus suis privilegiis, facultatibus, & gratiis potissimum in foro conscientiæ, de quibus Doctores altercantur in partem favorabiliorem animarum saluti, si aliàs talem par- 154
tem prudenter probabilem judicaverint. Ita noster Urbanus *Tract.*2. *cap*, 4. *reg.*10. Rodrig. Cruz, Miranda, Barbosa, quos refert, & sequitur Tambur. *supra num.*7.

DICO SECUNDO: In casu quo verba privilegii 155
sint dubia, & obscura: nam si sint clara non est locus interpretationi, *cap. recipimus de privilegiis.* tunc ad eorum explicationem attendendum est an privilegium sit favorabile, vel odiosum juxta doctrinam positam *sectione* 1. *hujus disputationis*, ubi latè quæ sint privilegia favorabilia, quæ odiosa explicavi, & si privilegium fuerit favorabile latè est interpretandum, quantum rationabiliter judicatum fuerit, servata tamen verborum proprietate juxta consuetam verborum significationem, & usum communem solitum in illo foro, in quo talia privilegia fuere concessa, ita habetur expresè *in l. beneficium ff. de constit. principis, & cap. quia circa de privilegiis, & cap. dilecti de donatione cap. olim de verborum significatione.*

Si vero privilegium fuerit odiosum, strictè est 156
interpretandum servata verborum proprietate. Unde si privilegium est contra jus commune strictè est interpretandum servata verborum proprietate, ut quam minimum juri communi deroget. Idem dicendum est de privilegiis in aliorum præjudicium. Ita Suarez *de legibus lib.* 8. *c.* 27. *num.*5. & alii communiter Doctores, non sunt tamen ita 157
strictè interpretanda, ut nihil operentur, sed ita debent intelligi, ut aliquid concedant. Suar. *supra*, & alii, & semper sunt interpretanda juxta conditionem

158 tionem, & statum personæ, cui conceduntur. Unde privilegia Regularibus concessa, etiamsi sint contra jus commune latè sunt interpretanda: Nam cum sint perpetua, semper debent interpretari ad instar juris, ita tamen, ut illi quam minimum po-
159 tuerit fieri derogetur. Ita Henriquez, Oldrad. quos refert, & sequitur Sanch. *lib.8. de matrimonio disp.1. num.3.* Salaz. Bonacina, Azor, quos refert, & sequitur Tamburinus *supra num.14.* Pelliz. *tract.8. cap.1. num.143.*

160 Dico tertio: quando dantur duo privilegia contraria, posterius strictè est interpretandum, etiam impropriando verba, si opus fuerit, ne dicatur principem concedere contraria. Ita Suar. *su-*
161 *pra cap.28. num.9.* Idem dicendum est, si privilegium posterius deroget alicui statuto particulari, aut repugnet consuetudini, aut importet aliquod factum, vel jus privatum, quod princeps præsumatur ignorare, adeoque censeatur illud nolle, si privilegium aliàs fiat nimis odiosum, vel onerosum. Ita Suarez *supra.* Vide, quæ de hac Privilegiorum interpretatione eruditè disserit noster supracitatus Franciscus Bonæ Spei, *Tom. 4. suæ Theologiæ tract.3. disp.11. dub.3.* Et si studiosus Lector fusiorem de Privilegiis in communi notitiam cupiat, eam reperire poterit apud nostrum pluries cit. Urbanum ab Ascensione, qui in sua Theologia morali ac Canonica *Tract.2 part.1.* dilucidè, acutè profundèque (uti de illo scribit R. P. Joseph ab Ascensione) materiam hanc discutit, ingenioséque exponit.

TRACTATUS II.

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM TAM IN ORDINE AD IPSOS REGULARES, QUAM SÆCULARES.

DISPUTATIO I.

De Privilegiis Prælatorum Regularium in ordine ad suos subditos, & cæteris pertinentibus ad Religionem.

CUm de potestate Prælatorum in ordine ad suos subditos aliquid dicturi simus, primum locum obtinet potestas circa Sacramenta; & cum inter illa plurima occurrant differenda circa Sacramentum Pœnitentiæ, ideo ab hoc Sacramento exordium sumemus, deinde ad cætera Sacramenta suo ordine procedemus.

SECTIO I.

SECTIO I.

De potestate quam habent Prælati Regulares ad absolvendum suos subditos à peccatis & censuris.

§. 2.

Qui veniant nomine Prælatorum Regularium.

1 *Quid intelligatur per nomen Prælati.*
2 *Generales, Provinciales & Priores habent authoritatem quasi Episcopalem.*
3 *Omnis potestas concessa Prælatis in communi, intelligitur etiam concessa Prælatis Conventualibus.*
4 *Omnes vicarii electi à Capitulo generali, vel Provinciali, vel à Definitorio generali, vel Provinciali, vel à Generali, vel à Provinciali de commissione Definitorii sunt veri Prælati,*
5 *Vicarius positus in aliquo Conventu, à solo Generali, vel provinciali est verus Prælatus.*
6 *Omnis potestas & praeminentia, quæ competit Prioribus in nostra Congregatione competit etiam prædictis Vicariis canonicè electis.*
7 *Subprior in Prioris absentia præsidet in Conventu, nisi Prior Vicarium designaverit.*
8 *Subprior Vicarius existens potest absolvere, & dispensare in casibus in quibus Prior.*
9 *Subprior potest benedicere corporalia, & cætera Ecclesiastica ornamenta sicut Prior.*
10 *Qui præsidet Conventui in absentia Prioris, vel Subprioris potest benedicere corporalia, &c.*
11 *Subprior in absentia Prioris potest casus reservare & ab illis absolvere sicut Prior.*
12 *Subprior potest dispensare in omni irregularitate sicut Prior.*
13 *Subprior potest eligere confessarium sicut Prior.*
14 *Subprior potest dispensare cum se ipso in casibus, in quibus cum subditis.*
15 *Subprior potest ea omnia efficere, quæ potest Prior quando actu præsidet.*
16 *Subprior quando non præsidet non potest sibi eligere confessarium.*
17 *Vicarius positus à Priore in eadem domo in ejus absentia, vel quando abest, vel impeditus est, est delegatus.*
18 *Vicarius relictus à Priore, si Prior illi committat universitatem causarum, est quasi ordinarius, & potest subdelegare.*
19 *Vicarius delegatus à Priore ad universitatem causarum potest ea omnia efficere, ac Prior.*
20 *Vicarii positi à Provinciali, vel Definitorio in Conventibus, ubi tantum sunt tres Religiosi, sunt veri Prælati sicut Priores.*
21 *Vicarii Conventuum, ubi tantum sunt tres Religiosi possunt etiam eligi in judices conservatores, & cætera, ac Priores efficere.*

Antequam ad explicationem jurisdictionis Prælatorum Regularium accedamus, necessarium duxi explicare; quid per hoc nomen *Prælati* intelligatur, & in primis suppono ex Suario *Tom. 4. de relig. cap. 2 per totum*; In unaquaque Religione dari Prælatos supremos, ut Generales, Provinciales, Custodes & cæteri, & etiam inferiores, ut Priores, Rectores, Vicarii, vel Supriores. Generales sunt veluti Patriarchæ; Provinciales veluti Archiepiscopi; Priores sunt veluti Episcopi. Omnes namque isti habent auctoritatem quasi Episcopalem, ut tradunt communiter Doctores *in Clement. 1. de rebus Ecclesiast. non alienand verb. proprii*, ut ait noster Lezana *Tom. 1. cap. 18. num. 2.* Unde quando conceditur facultas aliqua seu potestas Prælatis in communi, sive sit ad absolvendum, sive ad aliam quamcumque rem; intelligitur concessa etiam Prælatis Conventualibus, nisi aliud in privilegio exprimatur. Suar. quem refert & sequitur Lezana *ubi supra num 3.* De Vicariis & Supprioribus majus est dubium. Ad majorem tamen ac faciliorem intelligentiam. 1 2 3

Notandum est, Vicarium posse constitui vel à Capitulo generali, vel Provinciali, vel ab ipso solo Generali, vel à Definitorio generali, vel à Provinciali ex commissione Definitorii, vel à solo Provinciali, vel à Provinciali postulante Priore, qui Vicarius in Congregatione nostra vocatur Sub-prior; vel à solo Priore pro suo Conventu, & de omnibus his videndum est, an sint veri Prælati, & gaudeant omnibus privilegiis concessis Prælatis.

Dico ergo PRIMO, Vicarium, sive Generalem, sive Provincialem, sive Conventualem electum à Capitulo Generali, vel à Definitorio generali, nullum est dubium esse verum Prælatum, & habere jurisdictionem ordinariam, & gaudere omnibus privile- 4

privilegiis quibus gaudent Prælati, quorum officio funguntur. Et idem dicendum est de Vicario Provinciali, & Conventuali electo à Generali de commissione Capituli generalis, & de Vicario Provinciali, vel Conventuali electo à Capitulo Provinciali, ac de Vicario Conventuali electo à definitorio, vel Provinciali de commissione Definitorii, etiamsi eligantur ad nutum amovibiles. Ita colligitur *ex cap in sing. de statu Monachorum*, & tenent Silvester, Rodriguez, Miranda, Angelus, Rosella, Azor, quos refert, & sequitur, Peyrinis *Tom. 2. de Prælato quæst. 1. cap. 4. §. 4. num. 74.*

5 Dico secundo, si Vicarius constituatur in aliquo Conventu à solo Generali, vel Provinciali, loco Prioris mortui, vel absentis, vel impediti: talis Vicarius est verus Prælatus, & habet jurisdictionem ordinariam, potestque delegare, & fruitur omnibus privilegiis, facultatibus, & præeminentiis, quibus fruebatur ille, cujus officium gerit, nisi in aliquo per Ordinis Constitutiones limitentur. Ita Glossa, Bartholus, Alciatus, Alexander, quos refert, & sequitur Rodrig. *Tom. 3. quæst. 76. art. 1.* Veracruz quem refert & sequitur Suar. *de relig. Tom. 4. cap. 22. lib. 2. tract. 8. num. 6.* Belasius *verbo* Vicarius *num. 1.* & probatur ex privilegio Julii II. quod refert Joannes à Cruce *lib. 1. de statu religioso cap. 6. dub. 6.* concesso Prædicatoribus, quod postea confirmavit, & extendit idem Julius II. ad Fratres Minores *Bulla* 8. apud Rodrig. *in Bullario.* In quo prædictis Vicariis concessit omnem potestatem, tam Apostolica auctoritate, quam quomodolibet concessam, aut concedendam eis, quorum sunt Vicarii: Exceptis tantum illis, qui in suis Constitutionibus eis inhibentur.

6 Unde cum *in nostris Constitutionibus 3. part. c. 14. num. 13.* omnis potestas & præeminentia, quæ competit Prioribus concedatur quibuscumque Vicariis electis, & aliàs lex non distinguat de electis à Definitorio, vel à Provinciali: inde est, quod omnibus iis, omnis hæc potestas & præeminentia competat, nam ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, *l. de pretio D. public. in rem. act.* & cum aliàs sit in materia favorabili, lex amplianda est. Et quod iste sit sensus legis hujus comprobatur, nam *eadem 3. part. cap. 4.* loquens de gremialibus, qui debent ire ad Provinciale capitulum, ait tantum debere ire Priores cum Provinciali, & Definitoribus, & Vicariis electis à Definitorio generali: ergo cum in hoc loco distinguat, & non in alio, optimè colligimus ibi de omnibus indefinite & absolutè loqui.

Dico tertio, Vicarius electus à Provinciali ex 7
Prioris petitione, qui in nostra Religione subprior vocatur, & in absentia Prioris præsidet in Conventu loco illius, nisi Prior Vicarium designaverit: ut habetur *in nostris Constitutionibus 3. part. cap. 13. n. 12.* & sic absolvere potest & dispensare, ac cætera efficere, quæ potest Prior, sive ex jure, sive ex privilegio, si ille amplius quam per 24. horas abfuerit. Ita Sanchez, Salas, Bonsius, & alii, quos refert, & sequitur Delbene *Tom. 2. cap. 15. dub. 7. num. 34. & cap. 14. dub. 19. num. 2.* Bartol. quem refert & sequitur Pasqualigus *decis. 99. n. 2.* Rodrig. *Tom. 1. q. 20. art. 2.*

Et in primis quoad absolutiones, & dispensatio- 8
nes constat ex Bulla Clement. IV. quam refert Rodrig. *supra:*

Quoad benedictiones verò vestium sacrarum, etiam corporalium, tam sui Conventus, quàm extraneorum, constat ex privilegio Innocent. VIII. 9
quod refert Tamburinus *Tom. 1. disp. 22. quæst. 1. num. 1.* in quo concedit Pontifex eisdem Vicariis in Prioris absentia, & cuilibet habenti, principale regimen Conventus posse benedicere corporalia, cæteraque ornamenta Ecclesiastica, tam 10
sui Conventus, quàm undecunque sint; quod valde notandum est pro Præsidentibus, quando non solum abest Prior, vel Vicarius, sed etiam Sub-Prior.

Possunt in absentia Priorum, quando præsident Conventui ultra diem naturalem casus sibi reservare, in omnibus illis Religionibus in quibus hujusmodi reservatio competit Prioribus. Ita cum multis doctoribus Tamburinus *Tom. 2. disp. 13. q. 8.* 11
num. 3. possuntque à reservatis absolvere in casibus, in quibus poterat Prior. Ita Naldus, Homobonus, Peyrinis, quos refert & sequitur Tamburinus *supra num. 2.* Quintanaduennas *Tract. 3. singularitate 13. num. 2.*

Possunt quoque dispensare in omni irregulari- 12
tate etiam ex homicidio voluntario occulto, in quo possunt Priores ex privilegio Martini V. ita cum Rodrig. Candidus *disquisit. 24. art. 61. dub. 8. dicto 12.*

Possunt eligere confessarium, aliàs non approbatum, sive intra, sive extra Conventum, Megala, Coriol. Leont. quos refert, & sequitur Diana *3. part. tract. 2. resol. 1. in fine.* Pasqualig. *Tom. 2. decis. 99. n. 1.* Si aliàs non detur statutum in contrarium confir-
matum à Papa ex certa scientia, ita cum aliis Pas- 13
qualigus *decis. 10.* Et si inciderint in casum reservatum à suo Priore possunt à tali confessario absolvi, Caje-

Cajetanus Bordon. *Tom.3.decis.39.num.63.* & alii quos refert & sequitur Delbene *Tom.2. cap.15. dub. 7.sect.2.num.1.* ubi dicit communem esse.

14 Possunt dispensare secum in omnibus, in quibus possunt cum sibi subditis: ita Sanchez, Salas, Pontius, Pasqualig. quos refert, & sequitur Delbene *Tom 2.cap.15.dub.7.sect.1.num.34.*

Possunt etiam Religiosorum vota irritare. Ita cum multis Tamburin. *Tom.2.disp.18.q.13.num.3.* & ex justa causa in legibus Ecclesiasticis, ut in jejunio, & Horarum recitatione, auditione Sacri, & similibus, aliisque dispensare. Quintanad. *Tract.3. singul.22.num.6.* & tandem omnia illa possunt efficere, quæ possunt facere Priores pro recta illius Monasterii administratione, tam communi jure ordinario, quàm ex privilegio, si aliud in privile-
15 giis non exprimatur. Fragos. *Tom. 2. disp.24. §.8. num.6.* Peyrinis *de privilegiis ad const. 4. Sixti IV. num.26.* Portel. *verbo* Guardiani *num.3.* Subrogatus namque loco alterius gaudet etiam eisdem privilegiis, quibus ipse, *Lege decernimus cap. de aquæduct.lib.11.& cap. Ecclesia 2.ut lite pend.l. fin.C. de litigiosis*, ut cum multis docet Pasqualig. *decis.102. num.3.*

16 An autem Sub-Priores, seu Conventuales Vicarii sint veri Superiores, & Prælati, adhuc præsente Priore, ita ut possint eligere confessarium? Affirmat Pasqualig. *Tom.1.decis.103.num.2.* verum contraria sententia communis est, ita Megala, Coriol. & alii quos refert, & sequitur Diana *part.3. tract.2. resol.1.* præsente namque Superiore non habent jurisdictionem aliquam, neque in foro conscientiæ, neque in foro externo: ergo non sunt veri Prælati.

17 Dico quarto: Vicarius relictus in sua domo à Priore, vel quia ipse Prior infirmatur, vel quia abest, vel alio titulo est impeditus, est tantùm delegatus; reputatur tamen quasi ordinarius, si ad universitatem causarum delegetur; ut fit quando absolutè committitur illi à Priore gubernatio Conventus. Unde potest subdelegare ad casum particularem. Nam licet verum sit, quod delegatus, non potest subdelegare, *l.fin.ff.de offic. judic.delegati*, ut cum Sanch. & aliis multis latè probat Peyr. *formula Prælator.litt.Z cap.7. num.1.* Hæc tamen regula fallit in delegato ad universitatem causarum, ut
18 cum multis latè probat Sanch. *num.2.* Tunc autem judex dicitur delegatus ad universitatem causarum, quando ejus commissio est universalis, ut cum aliis Sanch. *supra num.* 4. & in nostro casu Vicarius est delegatus ad universitatem causarum, cum illi committatur universalis gubernatio Conventus: ergo est quasi ordinarius, ac per consequens in aliquo casu particulari poterit subdelegare, non tantum officium, sed aliquod ministerium. Ita cum multis latè probat Sanch. *supra*, Peyr. *supra.*

Hinc fit hujusmodi Vicarios posse omnia illa 19
efficere, quæ poterat Prior; namque qui vices alicui suas absolutè committit nihil reservat. Ita cum aliis noster Urban. ab Ascensione in sua *Theolog, morali tract.2.part.2.dist.2.cap.3.Reg.9.* Tamb. *Tom.2. de jure Abbatum disp.18. q. 11. num.1.* Unde poterunt subditorum vota irritare, ita cum Suar. Reginaldus, Bonacina, & cum aliis Tambur. *supra*, & illos à reservatis à Priore absolvere, vel alicui committere facultatem eos absolvendi. Naldus, Homobonus, quos refert & sequitur Tamburinus *de jure Abbatum tom.2.disput.3.q.8.num.2.* Peyrin. *ad constit. 4. Sixti IV. num.26.* Idem dicendum est de omnibus absolutionibus, & dispensationibus quas potest Prior facere, ut patet ex privilegio Sixti IV. *supra*, ut optime cum Veracruce docet Rod. *Tom.1.q.20.art.2.* Nam cùm privilegium potestatem hanc absolutè concedat Generalibus, Provincialibus, Prioribus, & eorum vicesgerentibus in eorum Conventibus, non est cur illud ad prædictos Vicarios non extendamus: cum sint verè eorum vices gerentes. Vide Suarez *Tom.4.de Relig.cap.22. num.6.* & Doctores *supracit.* maximè autem nostrum Joannem à SS. Sacramento, qui in suo de *Priore Claustrali* opere (à celeberrimo illo Ord. S. Basilii alumno Didaco Nysseno, & eximiis Doctoribus ac Professoribus Salmanticensis Universitatis valde commendato) fermè omnia, quæ hic de Sub-Priore disserui, docet: & quidquid ab Sub-Prioris munus & potestatem, tum præcisè, tum quando Vicarium agit, tam juxta jus commune, quam privatum nostrum, maximè Congregationis Hispanicæ, ubertim tradit. Cum autem Congregatio nostra Italica suas proprias habeat leges, seu Constitutiones, ex illis deducendum erit, quid Sub-Prioribus illius Congreg. liceat, quando Prioris in regimine Conventus vices gerunt, quia nonnunquam limitant illa, quæ juxta jus commune permissa erant, &c.

Dico quinto: Vicarii, qui ponuntur in Con- 20
ventibus ubi tantùm tres, aut quatuor Religiosi sunt, maxime quando Conventus incipit ædificari, sunt veri Prælati; ita Portel. *in additionibus ad dubia regularia verbo Vicarius.* Unde habent potestatem ordinariam, sicut Priores, ut colligitur ex

ex cap. in ſingulis de ſtatu Monachorum, ita cum Sylveſtro, Rod. Mirand. & aliis Peyrin. *de Prælat. q.1. cap.4. §. 4. num.74.* & hæc licet ſolùm inſtituantur per Definitorium, vel per Provincialem ſolum auctoritate Definitorii. Ita cum aliis Peyr. Vel etiam licet inſtituantur à ſolo Provinciali, ut diximus de Vicariis magnorum Conventuum. Nam quod Conventus paucos, aut multos habeat Religioſos per accidens eſt, ut ait Portel *ſupra.* Unde benedicere poſſunt corporalia, ut latè probat Portel *ſupra.* Poſſunt eligi in judices conſervatores, ut ait Rod. *q.12. art.6. Tom.1.* & tandem omnia
21 alia efficere, ac Priores poſſunt. Non poſſunt tamen in noſtra Religione ire ad Capitulum Provinciale, niſi fuerint electi à Definitorio generali, *3. part. conſtit. noſtrar. cap.4. num.3.* Bene tamen apud Minores, ut docet Portel *ſupra*, apud quos, idem judicium habendum eſt de Vicariis præſidentibus in Conventibus Monialium, ubi quatuor, aut quinque Religioſi cum ſuo Præſidente exiſtunt, utì latè probat Portel *ubi ſupra.*

Et ex his colliges juxta hanc doctrinam intelligenda eſſe quæ in ſequentibus dicemus, ne eadem ſæpè repetamus, ut ea quæ abſque diſtinctione diximus convenire Prælatis, etiam de Prioribus, ſeu Vicariis ordinariis, & eorum Superioribus, quando actu præſident, modo dicto intelligantur; quando autem aliquid ſpecialiter convenerit Prælatis ſuperioribus, & non inferioribus, *ſuo loco* explicabimus.

§. 2.

A quibus caſibus & cenſuris poſſint Prælati regulares abſolvere ſuos ſubditos.

22 *Prælati regulares habent poteſtatem ordinariam in ſuos ſubditos, unde poſſunt reſervare caſus, & à reſervatis abſolvere.*

23 *Habent Prælati regulares juriſdictionem quaſi Epiſcopalem.*

24 *Prælati regulares poſſunt abſolvere ab excommunicatione,* ſi quis ſuadente, *etiamſi læſio fuerit enormis.*

25 *Prælatus regularis percutiens enormiter ſuum ſubditum poteſt abſolvi ab alio ſubdito à tali excommunicatione, imò ab ipſo percuſſo, ſi aliàs non detur alius.*

26 *Prælati regulares poſſunt in ſuos ſubditos, quidquid Epiſcopi in Diœceſanos per* cap. liceat *in Tridentino.*

27 *Prælati regulares poſſunt abſolvere ſuos ſubditos à quibuſcumque caſibus, etiam Papæ reſervatis extra bullam Cœnæ.*

28 *Prælati regulares poſſunt abſolvere ſuos ſubditos à cenſuris ſpecialibus ab homine latis, etiam poſt ſententiam declarativam.*

29 *Prælati regulares poſſunt abſolvere ſuos ſubditos à caſibus Bullæ Cœnæ.*

30 *Prælati regulares poſſunt abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ etiam publicis, exceptis aliquibus.*

31 *Prælati regulares poſſunt abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ, publicis & occultis.*

32 *Prælati regulares poſſunt abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ ſuos ſubditos toties quoties, exceptâ hæreſi.*

33 *Privilegia quæ Regulares habent abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ, non ſunt ſublata per revocationem, quæ quotannis fit in Bullâ Cœnæ.*

34 *Quomodo declarationes Cardinalium factæ ſub Clemente, & Urbano VIII. ne regulares abſolvant à caſibus Bullæ Cœnæ derogent eorum privilegiis.*

35 *Oracula vivæ vocis, conceſſa uſque ad tempus Gregorii XV. jam ſunt confirmata per Bullas.*

36 *Confirmatio privilegiorum* ex certâ ſcientiâ *habet vim novæ conceſſionis.*

37 *Oracula vivæ vocis conceſſa uſque ad tempus Gregorii XV. ſublata, qualiter dicantur?*

38 *Urbanus VIII. ſolùm revocavit oracula, ſcripto non confirmata.*

39 *Urbanus VIII. poſt generalem oraculorum revocationem à Gregorio XV. iterùm ea revalidavit.*

40 *Urbanus VIII. non revocavit oracula conceſſa ad inſtantiam Regularium.*

41 *Revocatio privilegiorum eſt odioſa & non extenditur niſi ad expreſſa.*

42 *Urbanus VIII. non revocavit oracula ſignata manu alicujus Officialis cameræ Apoſtolicæ.*

43 *Revocatio oraculorum facta ab Urbano VIII. non fuit authentica, nec ſufficienter promulgata, & ideo non habet robur, juxta quoſdam.*

44 *Ut abſolutio hæreſis in aliquo privilegio ſentiatur conceſſa. debet fieri expreſſa mentio illius.*

45 *Quando in privilegiis non datur reſtrictio, abſolutè ſunt intelligenda, tam pro caſibus occultis, quàm publicis.*

46 *Referuntur aliqua privilegia conceſſa Regularibus, in quibus fit expreſſa mentio hæreſis.*

47 *Improbabilis est opinio, quæ asserit Prælatos regulares posse absolvere ab hæresi publicâ.*

48 *Prælati regulares nullo modo possunt absolvere ab hæresi occultâ.*

49 *Privilegia Inquisitionis in hoc regno sunt in viridi observantiâ.*

50 *Prælati regulares possunt absolvere suos subditos à simoniâ commissâ, etiam in receptione Sacrorum Ordinum.*

51 *Quando privilegia confirmantur* ex certâ scientiâ *revalidantur, etiamsi ab antecessoribus revocata sint.*

52 *Prælati regulares possunt absolvere subditos suos à censurâ commissâ in contemptum clavium.*

53 *Etiam possunt absolvere à peccato facto ex confidentiâ privilegiorum.*

54 *Etiam possunt absolvere à suspensione à divinis, etiamsi publica sit, dummodo non sit reservata.*

55 *Possunt Carmelitæ absolvi à suis Prælatis ab omnibus reservatis, & reservandis Papæ etiam intra Bullam Cœnæ, exceptâ hæresi.*

56 *Prælati regulares possunt absolvi à Confessario ab ipsis electo ab omnibus casibus, à quibus ipsi possunt absolvere suos subditos.*

22 DICO PRIMÒ: Prælati regulares gaudent potestate ordinariâ erga suos subditos, ita communiter Doctores apud Lezanam *Tom. 1. cap. 18. n. 1.* Unde habent potestatem illos absolvendi ab omnibus casibus, & censuris non reservatis Papæ: quamvis fortè talis casus respectu sæcularium forent Episcopis reservati. Possunt itidem casus sibi reservare, tum ex concessione Alexandri IV. Bulla 4. *apud Cruz lib. 1. cap. 6. dub. 9. concl. 1.* Tum ex Tridentino *seff. 14. c. 7.* Tum ex decreto Clementis VIII. Hic tamen Pontifex limitavit eorum jurisdictionem in hac parte in prædicto decreto ad certos casus, quos latè refert noster Lezana *cap. 18. Tom. 1. num. 20.* ubi eos videre potes.

23 DICO SECUNDÒ: Possunt Prælati Carmelitæ, & qui cum eis communicant, quidquid possunt Episcopi jure communi, quandoquidem jurisdictionem sortiuntur quasi Episcopalem: ita communiter Doctores apud Lezanam *Tom. 1. cap. 18. n. 2.* & sumitur *ex cap. Abbatis de privileg. in 6.* & ita censuit Congregatio Sacra die 5. Aprilis anno 1622. ut Novarius testatur *in lucerna Regularium verbo* Prælati *num. 1.* Archangel. *de privileg. verbo* Absolutio. *versiculo itidem*; Candidus *Tom. 2. disqui. 24. art. 59. dub. 1.* Belasius *verbo* Prælatus *num. 9.* Nec hujusmodi jurisdictio potest Prælatis inferioribus à superioribus Prælatis coarctari, si aliàs per Religionis statuta aliud non disponatur. Mirand. Rod. Peyrin. quos refert, & sequitur Belasius *verbo* Prælatus *n. 11.*

Hinc fit posse prædictos Prelatos tollere excommunicationem Canonis *Si quis suadente*, à suis Religiosis, non solùm jure communi, sicut Episcopi, sed etiam ex innumeris privilegiis; unde possunt absolvere ab hac excommunicatione, etiamsi fuerit enormis, tum ex privilegio Bonifacii IV. in Bulla *Sacræ Religionis*: Tum ex decreto Clementis VIII. ut latè probat Bordon. *resol. 28. n. 50.* & tenent Sayr. Rod. Coriol. Megala, quos *ibi* refert idem Bordonus. Et hoc sive percussio facta sit ipsis Regularibus, sive Clericis sæcularibus, ut tenent iidem Doctores, quam sententiam approbat nost. Urban. *Tract. 2. part. 2. dist. 2. cap. 3. regula 4.* Diana *Tract. 4. p. 6. resol. 50. in fine.* Palaus *Tom. 6. disput. 3. punct. 23. §. 4. num. 10.* Lor. *Tom. 1. cap. 18. num. 3.* Frag. *Tom. 2. lib. 1. disp. 2. §. 3. num. 55.* Bossius *decis. 1. dub. 19. num.* 198. & alii apud ipsos. 24

Quæ facultas etiam extenditur ad superiorem percutientem suum subditum regularem; hic enim ab alio Sacerdote suo subdito electo, ab eodem in confessarium, potest absolvi. Immo etiam ab ipso percusso, potest absolvi, si non sit alius Religiosus, qui Prælatum Regularem possit absolvere. Rod. Coriol. quos refert, & sequitur Frag. *supra.* Nec obstat utrumque esse excommunicatum, quia in casu necessitatis, quando non datur aliquis, qui non sit excommunicatus, potest hic toleratus alium excommunicatum absolvere, non tamen declaratus; *juxta text. in cap. audivimus. 24. q.* Covarr. Sanch. Mascard. & alii, quos refert, & sequitur Fragos. *supra.* 25

DICO TERTIO: Possunt Prælati regulares in suos subditos quidquid Episcopus in Diœcesanos per *cap.* liceat *in Trid.* ex declaratione concessiva *Pii V.* Bulla 3. apud *Cruz lib. 1. cap. 6.* quæ facultas ad õnes Prælatos extẽditur, ut valeãt absolvere ab omnibus casib⁹, & cẽsuris occultis Apostolicę Sedi reservatis, non obstante contraria declaratione Cardinalium, quæ præcesserat. Ita Sorb. Passarel, Suarez, quos refert, & sequitur Lezana *Tom. 1. cap. 18. num. 31.* N. Urbanus *loc. cit. fol. mihi. 303.* Fragos. *Tom. 2. lib. 11. disp. 24. §. 14. n. 13.* Candidus *Tom. 1. disquisitione 3. art. 25. dub. 2. dicto 3.* & hanc facultatem possunt generaliter delegare, ita Rodrig. quem refert, & sequitur Candidus *supra art. 26. dub. 2.* non 26

non enim facultas hæc illis competit ex privilegio tantùm, sed ex vi Tridentini.

27 DICO QUARTÒ: possunt Prælati absolvere suos subditos, tam Conventuales, quàm Hospites, ab omnibus & quibuscumque casibus, etiam Apostolicæ Sedi reservatis, extra Bullam Cœnæ, tum ex privilegio Sixti IV. Carmelitis concesso, in Bulla, quæ est illorum *Mare magnum* apud Lezanam *Tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 33. & ex alia Bulla ejusdem pro Dominicanis apud eundem nostrum Lezanam *supra num.* 34. & ex privilegio Gregorii XIII. in Bulla *in Apostolicæ Sedis*, quam refert Bordon. *resol.* 3. *num.* 25. concessa Theatinis; tum ex privilegio Martini V. concesso Priori S. Benedicti Vallisoleti quod refert Coriol. 1. *part. sect.* 1. *art.* 2. *n.* 5. tum etiam ex privilegio Eugenii IV. *Bulla* 1. qui Pontifex extendit suum privilegium ad nostros Donatos: tum demum ex privilegio Pauli III. *Bulla* 8. *apud Cruz. lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 13. *concl.* 3.

28 DICO QUINTO: Prælati possunt absolvere suos subditos à censuris etiam specialibus, & ab homine latis per sententiam specialem publicè declaratam: ita ex privilegio Pauli III. Sixti IV. & Eugenii IV. *supra* relatis colligit cum Suar. Rodrig. & aliis Lezana *supra n.* 37. Candidus *Tom.* 2. *disquis.* 24. *art.* 41. *dub.* 10. Frag. 2. *p. lib.* 11. *disp.* 24. §. 14. *num.* 31. Archangel. *de privilegiis verbo* Absolutio. *prope finem.* Immo omnes has facultates, tam quæ illis competunt jure communi, quam ex privilegio possunt aliis delegare, nisi aliud exprimatur in aliquo privilegio. Lezana *Tomo supra cit. num.* 4. & 25. & tenent communiter Doctores apud Bord. *resol.* 3. *n.* 28. & 29.

An verò Prælati nostri possint absolvere suos subditos à casibus Bullæ Cœnæ, est magna contentio inter Doctores? Negant Lezana *Tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 38. Sigismundus, Vechius, Sorb. Tambur & alii, quos refert, & sequitur Bordon. *resol.* 3. *n.* 4. Diana 3. *part. tract.* 2. *de dubiis Regularibus resol.* 72. Verum contraria sententia probabilis est, hanc tenent Suar. *de Relig Tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 21. Hieronym. Rodrig. Peyrin. quos refert Diana, & Portel *in addit. ad. dubia regularia verbo* Abbas *num.* 10. At hic Auctor excipit hæresim, schisma, falsificationem litterarum Apostolicarum, delationem prohibitorum ad infideles, & conspirationem contra Romanum Pontificem, juxta Bullam Sixti IV. & Julii II. quos refert Peyrinis *ad const.* 4. *Sixti IV. num.* 5. ubi hi quinque casus excluduntur, his tamen non obstantibus.

29 DICO SEXTO: Probabile est posse Prælatos regulares absolvere suos subditos ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ excepta hæresi, ita Vivaldus *Tom.* 1. *tract.* 9. *dif.* 61. *num.* 51. Sousa *de censuris disp.* 1001. Portel *in additionibus verbo* Abbas *num.* 10. Martinus à S. Joseph. *in regulam S. Francisci cap.* 3. §. 8. Naldus *in summa verbo reservatio.* Peyrin. *in additam. ad constitutionem* 4. *Sixti IV. cap.* 2. *num.* 35. Vega 1. *part. summæ cap.* 49. *casu* 1. Bassæus *verbo* Abbas §. 2. *num.* 8. N. Urbanus *loc. cit. Reg.* 4.

30 Probatur, hæc conclusio privilegii Pii V. pro Dominicanis *Bulla* 3. apud Cruz *lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 14. in qua concedit eorum præpositis generalibus, & Prioribus facultatem, quam habent Episcopi, ut refert Bauny *Tom.* 1. *tract.* 4. *quæst.* 32. *lit.* E. & eandem facultatem illis concessit Alexander VI. prout testatur Bassæus *supra n.* 8. Confirmatur ex privilegiis Julii II. *in Mari magno Minorum*, & Sixti IV. *in Mari magno Prædicatorum* §. 54. & 62. apud Lezanam *Tom.* 5. in quibus conceditur prædictis Prælatis potestas absolvendi ab omnibus casibus, exceptis *relapsu in hæresim, schismate, falsificatione literarum Apostolicarum, & delatione prohibitorum ad infideles*, nam cùm hujusmodi excipiantur, cæteri stando in his privilegiis absque dubio censentur concessi. Ita cum multis Lezana *Tom.* 5. *in Mari magno Prædicatorum num.* 122.

31 Sed quia hæc privilegia adhuc aliquos casus excipiunt, accipe aliud amplissimum privilegium Pii V. *Bulla* 129. apud Cherubinum *Tom.* 2. inter Bullas hujus Pontificis, in qua conceditur Prælatis Cassinensium facultas absolvendi toties, quoties suos subditos, etiam novitios ab omnibus, & quibuscumque peccatis, sententiis, & pœnis, licèt fuerint de casibus Sedi Apostolicæ reservatis, vel de comprehensis in Bulla Cœnæ, sive crimina sint occulta, sive publica, quam Bullam etiam refert
Peyrin. *ad constit.* 4. *Sixti IV.* Unde cùm in hac 32
Bulla nullus casus etiam Bullæ Cœnæ excipiatur, omnes censentur concessi, sive occulti, sive publici sint, dummodo tamen semper hæresis excipiatur. Ita Sanchez, Bord. Portel. Vequius, & alii quos refert, & sequitur Lezana *Tom.* 5. *in Mari magno Minorum n.* 112. Candidus *Tom.* 2. *disquisitione* 24. *art.* 6. *dub.* 1. Licet aliàs dicant talia privilegia esse per Bullam Cœnæ revocata, quod tamen ego minimè dicendum esse existimo cum Auctoribus nostræ sententiæ, si tantum (ut dixi) *hæresim* sive occultam, sive publicam excipias.

33 Nec obstat, si dicas cum præfatis Doctoribus hujusmodi privilegia non solùm quoad hæresim, sed

ſed etiam quoad alia crimina contenta in Bulla cœnæ eſſe revocata per revocationem, quæ quotannis fit in ipſa Bullæ cœnæ publicatione: Reſpondetur namque cum Doctoribus noſtræ ſententiæ negando antecedens, quia præterquam quod hoc eſt contra Papæ auctoritatem hodie ædificare, & cras deſtruere, ut ait Rodrig. *Tom.*1. *q.*20. *art.*10. debebant expreſsè revocari talia privilegia; nam ſi ex eo quod concedantur omnes caſus Papales, non cenſentur conceſſi caſus Bullæ Cœnæ, ut *ibi* notavit Rodrig. ita non ex eo quod revocentur omnia privilegia, cenſentur revocata, quæ talem facultatem concedunt.

34 Secundò, reſpondetur in Bulla Cœnæ tantum prohiberi abſolvere à prædictis caſibus prætextu privilegiorum, id eſt colore, vel velamine privilegiorum, quæ vera non ſint. Ita reſpondet Bauny *ſupra*. Tertiò: reſpondetur cum Suar. *Tom.* 5. *de cenſuris diſput.* 21. *ſect.* 3. *num.* 4. *& Tom.* 4. *de Religione tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 5. per Bullam Cœnæ non derogari privilegiis, quæ ſpecialiter concedunt caſus dictæ Bullæ, licet aliàs revocentur, quæ generaliter illos concedunt. Quartò, reſpondetur Julium II. *conſtitut.* 14. declaraſſe non obſtante dicta Bulla Cœnæ poſſe quibus hæc facultas conceſſa eſt in perpetuum abſolvere, quam confirmavit Paulus IV Gregor. XIII. & Clemens VII. apud Peyrin. *ad conſtitutionem Sixti IV. n.* 15.

Dices, dari quandam declarationem Cardinalium de mandato Clementis VIII. apud Lezanam *Tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 38. in qua prohibetur abſolutio à prædictis caſibus Bullæ Cœnæ, & idem habetur in alia declaratione de mandato Urbani VIII. quam refert Peyrin. *Tom.* 3. *privilegiorum cap.* 2. *numer.* 38. Reſpondetur hujuſmodi declarationes ſolum derogare privilegiis regularium, quoad abſolutiones ſæcularium, non vero Religioſorum, ut benè cum Molfeſio docet Peyrinus *ſupra*, & ita declaratum fuit à Sacra Congregatione de mandato Clementis VIII. ut cum Peregrino & Naldo teſtatur Peyrinus *ad conſtitutionem* 4. *Sixti IV. num.* 16. qui ibi addit ita reſpōſum fuiſſe à Sacra Pœnitentiaria 1617. & juxta hanc declarationem Clementis VIII. debet intelligi declaratio ſub Urbano VIII. Peyrinus *ſuprà*.

Dices ſaltem privilegium Alexandri VI. eſſe revocatum, ſiquidem fuit oraculum, ut teſtatur Fragoſ. 2. *p. lib.* 11. *diſp.* 24. §. 11. *num.* 15. immo etiam de aliis idem exiſtimat Pellizzarius *Tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 34. Reſpondetur namque quod licet hæc privilegia à prima ſua conceſſione oracula fuiſſent, adhuc non eſſe revocata, quia poſtea omnia oracula uſque ad tempus Gregor. XV. fuere per Bullas 35
motu proprio, *& ex certa ſcientia* confirmata. Quæ confirmatio vim habet novæ conceſſionis; ut docet. Peyrinus *Tom.* 3. *privilegiorum cap.* 12. & alii, *infra* citandi.

Et quod iſta privilegia ita confirmata fuerint 36
conſtat, quia oracula conceſſa uſque ad tempus Clementis VII. Pii V. & Sixti V. fuere ab ipſis Pontificibus confirmata per Bullas conceſſas *ex certa ſcientia*, ut teſtatur Murcia apud Dianam 9. *p.* 37
tract. 7. *reſol.* 61. & de conceſſis uſque ad tempus Clementis VIII. teſtatur Bordon. *reſol.* 31. *num.* 4. & de conceſſis uſque ad tempus Pauli V. & Gregorii XV. teſtatur Vidal *in arca Theologiæ Moralis tr. de juriſdictione, inquiſitione* 4. *num.* 15. ubi confirmationes factas à prædictis Pontificibus latè, & eruditè deſcribit: ergo jam hujuſmodi privilegia non ſunt oracula, ſed privilegia conceſſa per Bullas, ac per conſequens nunc habent ſuum robur, ita Peyrinis *Tom.* 3. *privilegiorum cap.* 12. *Conſtit.* 18. aliàs Urbani VIII. *in ſcholiis num.* 1[illegible] Lezana *Tom.* 3. *Verbo* oraculum vivæ vocis *n.* 7[illegible] Vidal. *ſupra*, Hyeronimus Garcia, & alii quos refert Diana 10. *part. tract.* 14. *reſolutione* 24. & *part.* 11. eandem quæſt. pertractando *Tract.* 6. *reſol.* 45. adducit præter Peyrinum, Leandrum de Murcia Hieronymum Garciam, Samuelium Dominicanum, Thomam Hurtadum *Tom.* 2. *tract.* 12. *cap* 1. §. 21. *num.* 1168. *cum ſeqq.* & *Tom.* 1. *tr.* 2. *cap.* 6. *reſol.* 22. *num.* 250. Marcum Vidali in *arca Theol. mor. tit. de juriſdict. inquiſit.* 4. *num.* 15. *& ſeqq.* Pellizzar in *Manual. Reg. Tom.* 2. *tr.* 8. *cap.* 1. *num.* 131. *& ſeq.* Sed magis clarè *Tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 5. Poſſentium in *Recollect. qq. mor. cap. Miſcellaneo pro Regul. ante ſect.* 1. *fol.* 44. Baſſeum *verb.* Privilegium 5. *num.* 8. Martinum de *S. Joſeph* in *Mon. Confeſſ. Tom.* 1. *lib* 1. *de matrim. tract.* 43. *n.* 4. Joan. de Soria *in fine ſuæ ſumm. tract. de Regul. dub.* 1. & noſtrum Reverendiſſ. Theodorum Stratium in *inſtruct. ad ſuos Religioſ.* His jungendus doctiſſimus P. Virginius Alviſet Ord. S. Benedicti in ſuo opere *de Privilegiis Ordin. Regul.* Venetiis edito, *ſectione* 1. *cap.* 4. *num.* 21. ubi poſtquam [illegible]uliſſet plurium Pontificum varias confirmationes Privilegiorum quomodolibet conceſſorum, hæc ſubjungit: *Ex quibus omnibus ego inſero, quod vitalium confirmationum, ceperunt oracula valere uſque ad* CLEMENTEM VIII. *non jam ut* ORACULA *nuda, ſed ut* CONSTITUTIONES *propriè dictæ: & jam non eſſe vocanda* ORACULA, *ſed* CONSTITUTIONES: *ſi quidem per conſtitutiones ſcriptas fuerunt innovata & confirmata.*

mata. Quod adnotasse operæ pretium", *&c.* ac CAP. 8. *art.* 1. *num.* 39. *quia* ORACULA *transierunt in naturam* CONSTITUTIONUM, *per varias confirmationes subsecutas usque ad* CLEMENTEM VIII. *inclusivè; ideo revocatio* GREGORII, *vel* URBANI, *pauca admodum* ORACULA *afficit, aut fortè nulla: nempè ea sola, quæ emanuerunt à* LEONE XI. *&* PAULO V. *qui soli sederunt à* CLEMENT. VIII. *usque ad prædictum* GREGORIUM XV. *Et quamvis forte mens illius, &* URBANI VIII *alia fuerit, loquendo tamen secundum principia* Juris, *hæc opinio mihi videtur omnino certa, aut saltem probabilis, atque ideo tuta in conscientia.* Hæc ille. Consulendus etiam hic Author *sect.* 4. *dub.* 7. Cujus hic est titulus. *An possit probabiliter sustineri, nullum Privilegium Regularium esse sufficienter revocatum, ad hoc, ut illo abstinere teneantur?* & dub. 8. cujus titulus. *Quam vim habeant constitutiones editæ à Cardinalibus, &c.* & dub. 9. in quo quærit, *An credibile quod Papa vel Cardinales circumventi aliquando, tollant Regularibus sua jura vel Privilegia?* Adi illum non pœnitebit, quia plura curiosa utiliaque reperies.

38 Nec obstat, si dicas hinc sequi frustratoriam fuisse illam generalem revocationem factam ab Urbano VIII. siquidem juxta supradictam doctrinam omnia oracula concessa usque ad Gregorium XV. jam non erant oracula, sed privilegia Bullata. Respondetur namque nos non id dicere, sed solum af-
39 firmare, & probare oracula vivæ vocis concessa usque ad Gregorium XV. per prædictam constitutionem, esto fuisset authentica, non fuisse revocata: forsitan annullantur per prædictam constitutionem oracula concessa ab eodem Urbano VIII. vel oracula non confirmata à Pontificibus, si quæ fortè fuerant, vel erant.

40 *Secundò* respondetur ad principalem instantiam Urbanum VIII. post generalem revocationem oraculorum factam à Gregor. XV. concessisse Societati JESU sine exclusione Communicantium omnia vivæ vocis oracula anno 1624. ut testatur Portel. *Tom.* 1. *resp. mor. fol.* 909. & licet Postea Urbanus VIII. revocaverit omnia oracula, hæc tamen revocatio non fuit extensa ad oracula concessa ad instantiam Regularium, sed ut patet ex tenore ipsius Bullæ solum revocavit oracula concessa ad instantiam Regum, vel Principum, vel auctoritate Cardinalium munita, relinquendo alia oracula absque alia revocatione, quàm illa, quam ex Gregor. XV. habebant, Unde cùm hæc revocatio Gregor. XV. per Urbanum VIII. sublata esset, fit hæc oracula non esse revocata.

Nec obstat, si dicas quod si Urbanus revocavit 41
oracula concessa ad instantiam Regum, &c. ut *supra*, à fortiori revocasse omnia oracula, quæ minoris conditionis erant. Respondetur namque revocationem esse odiosam, & non habere locum, nisi in casibus expressis, res namque odiosæ sunt stricti juris, & in eis non fit extensio, immò restrictio, ita Leander de Murcia in *Regul. S. Francisci quæst.* 20 *ad cap.* 6. *num.* 3.

Tertiò respondetur Urbanum VIII. post genera- 42
lem oraculorum revocationem, factam anno 1631.
die 21 Decembris, postea anno 1636. die 15. Apri-
lis ad instantiam officialium & notariorum Came-
ræ Apostolicæ, declarasse prædictas constitutiones
revocatorias non comprehendere oracula manu
propria signata alicujus officialis ex illis, quibus 43
ratione munerum suorum de summi Pontificis oraculo fides adhiberi solebat, ut patet ex Bulla quam refert Peyrinis *in formulario Prælatorum, cap.* 3 *appendice* 4. §. 3. *littera Z. folio mihi* 539. ergo cum fere omnia privilegia concessa Regularibus signata sint manu alicujus officialis Cameræ Apostolicæ, ut patet ex concessis nostræ Congregationi, inde est quod saltem hæc oracula non sint revocata. Sed quia non potui invenire an oracula, de quibus est præsens dubium sint signata manu alicujus officialis Cameræ Apostolicæ.

Respondeo QUARTO, quod licet talia oracula non sint signata manu alicujus officialis Cameræ, ut Urbanus VIII. postulabat, neque confirmata sint per Bullas ut dicebat cum aliis Lezana; adhuc prædicta privilegia per illam generalem revocationem non censentur revocata. Ita Murcia *ubi supra.* Vidal. *titulo de jurisdictione inquisit. numer.* 15. Quintanaduennas *Tract.* 3. *singul.* 15. *num.* 3. Tum quia talis revocatio non fuit sufficienter promulgata in omnibus diœcesibus, & provinciis, quod necessarium erat juxta sententiam multorum, quos refert idem Quintanad. Tum quia non fuit intimata, ut necessarium erat juxta privilegium Greg. XIII. concessum Societati, ut cum Murcia notavit. Vidal. *supra num.* 16. *& seq.* Tum etiam quia de tali revocatione nobis non constat authenticè, quod necessarium erat juxta præscriptum Sacræ Congregationis, quod refert. Lezana *Tom.* 3. *verb.* Sacra Congregatio *num.* 10. vide supracit. Virginium Alviset *loco cit. sect.* 4. *dub.* 7. *per totum.*

Sed quæres. Cur toties hæresim non solum pu- 44
blicam, sed etiam occultam externam tamen excipiamus? Aliqui respondent, ideo esse, quia in

talibus privilegiis non fit expressa mentio hæresis, ita Diana *part. 6. tract. 6. Resolutione* 54. Sed contrà; Quia quando in privilegio non datur restrictio absolutè intelligendum est de omnibus casibus, tam occultis quam publicis, tam pro foro interiori, quam exteriori, ut in simili casu notavit
45 Bordon. *resol. 3. num.* 19. Sanch. *in decalogum lib. 6. c. 7. num.* 43. Candid. *Tom. 4, disquis.* 24. *art.* 59. *dub.* 9. Imo extendenda sunt ad forum contentiosum ut cum aliis notavit Lezana in Mari magno Prædicatorum *Tom.* 5. §. 4. *num.* 126. Atqui in prædictis privilegiis nulla restrictio fit: ergo absolutè de omnibus casibus Bullæ Cœnæ, nullo excepto, intelligenda sunt, tam pro foro interno, quam externo.

46 Tum, quia esto necessaria fuerit expressa mentio Hæresis, extat aliud privilegium Gregor. XIII. pro PP. Societatis, in quo illis conceditur, ut etiam à relapsu in Hæresim quomodocumque publico possint absolvere, ut testatur noster Urbanus *Tract.* 2. *dist.* 2. *cap.* 3. *regul.* 4. *fol. mihi* 304. & aliud Alexandri VI. quod refert Basseus *verbo* Abbas *n.* 8. in quo etiam fit expressa mentio Hæresis: ergo saltem ratione horum privilegiorum, possunt prælati Regulares absolvere suos subditos ab Hæresi occulta.

Propter hæc & alia privilegia Doctores in duplicem sententiam abierunt. Alii existimant Prælatos Regulares non solum à reliquis casibus Bullæ Cœnæ, sed etiam ab Hæresi occulta posse absolvere suos subditos. Ita Rodriguez Candid. Sanch. Suarez quos refert, & sequitur. Bauny *Tom.* 1. *tr.* 4. *quæst.* 32. *littera D. fol. mihi* 109. & *Tom.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 26. *fol. mihi* 164. Bosius quem refert Bordonus *Tom.* 1. *resol.* 3. *in fine.* Filiutius quem refert & sequitur Peyrinus *ad constitutionem* 4. *Sixti IV.* Basseus *verbo* Abbas *num.* 8.

Imò alii ausi sunt asserere etiam ab Hæresi publica, sed hoc pro foro conscientiæ. Ita videtur tenere Suar. *Tom.* 4. *de Religione tract.* 8. *cap.* 21. *num.* 1. & 2. noster Urbanus *part.* 2. *Theolog. moral. tract.* 2. *dist.* 2. *cap.* 3. *reg.* 4. *fol. mihi* 314. Palaus *Tom.* 1. *tr.* 4. *disp.* 4. *part.* 3. §. 3. *num.* 1. Fragos. *Tom.* 2. *lib.* 11. *disp.* 24. *num.* 151. nixi privilegio Greg. XIII. per quod Prælatis Societatis conceditur facultas absolvendi suos subditos ab hæresi, & à relapsu in heresim, quod privilegium ait Suar. absolutum est, & nullam limitationem habet, ut privilegium Adriani VI. concessum Minoribus ultramontanis: dummodo relapsorum crimina publica & notoria non fuissent, apud sæculares, ex quo colligit Suar. posse Prælatos regulares absolvere suos subditos ab hæresi, & relapsu in hæresim, etiam publica in foro conscientiæ, aliàs nihil adderet Gregorii privilegium supra privilegium Adriani, quæ omnia iisdem verbis repetunt Urbanus, Palaus, & Fragosus *locis citatis.*

Sed quidquid sit de opinione horum Doctorum, 47
contrariam sententiam, quæ asserit Prælatos regulares non solum ab hæresi publica (hoc enim improbabile reputo,) sed nec ab hæresi occulta posse suos subditos absolvere, sustinendam esse existimo.
Ita cum multis mordicus, & benè Diana *multis in* 48
locis præcipuè 1. *part. tract.* 5. *resol.* 6. Pellizzarius *Tract.* 8. *cap.* 2. *n.* 34. & 39. Thomas Hurtad. *Tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 4. *resolut.* 17. *num.* 152. Portel. *in additamentis ad dubia regularia verb.* Abbas *n.* 11. ubi refert quamplurimos.

Ratio hujus nostræ resolutionis est; quia Tri- 49
bunal sanctæ Inquisitionis habet multa privilegia specialia; quæ nos summo studio veneramur, per quæ revocantur alia privilegia in communi concedentia absolutionem ab hæresi, ut testatur Portel. *supra.* Tum quia hoc prohibuit Gregor. XIII. in suo *motu proprio*, ut testatur idem Portel. *ibi.* Tum quia Paulus V. sub gravissimis pœnis prohibet Religiosis ne suos subditos in hac re judicent, sed illico eos ad hoc sanctissimum tribunal referant, ut refert. Barbosa *de potestate Episcopi Tom.* 2. *allegatione* 40. *n.* 40. & cum aliis Turllenech. *in decalog lib.* 1. *cap.* 3. *dub* 5. *num.* 1. Unde in hac re non licet nobis jam amplius dubitare, præcipuè in hoc nostro Lusitaniæ regno, ubi hæc & alia privilegia Dominorum Inquisitorum sunt in viridi observantia, ut omnibus notum est.

Hinc fit primò, posse Prælatos regulares absol- 50
vere suos subditos à reliquis aliis criminibus etiam Bullæ Cœnæ, & etiam à simonia commissa, non solum in collatione beneficii, seu officii, sed etiam in receptione sacrorum Ordinum; nam cum solum hæresim ab illis auferamus, non est, cur hanc potestatem illis denegemus. Tum quia licet Sixtus V. reservaverit in sua Bulla contra Clericos malè promotos absolutionem hujus simoniæ, & omnia privilegia Regularium ibi revocaverit, quam revocationem postea Clemens VIII. confirmavit ut ait Rodrig. *Tom.* 1. *qu.* 2. *art.* 13. Suar. & alii quos refert, & sequitur Lezana *Tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 39.
Postea idem Clemens VIII. Paulus V. & Greg. XV. 51
omnia privilegia Regularium de novo confirmarunt *ex certa scientia.* Quando autem Papæ confirmant ex certa scientia, revalidant privilegia, etiam

etiam si essent revocata, per suos antecessores ut probat Portel. *in dubiis regularibus*, *verbo* privilegii confirmatio *numer.* 33. Suar. & alii quos refert, & sequitur Peyrinis *ad constit* 2. *Sixti IV. n.* 4. Vidal. *de casibus reservatis inquisitione* 1. *numer.* 121. Belasius *verbo.* privilegium *numer.* 23. Quintanaduennas *Tract.* 3. *singul.* 17. *num.* 4. Unde nostram resolutionem tenent Portel. *in dubiis regularibus verbo* Prælatus *num.* 25. quem refert Urbanus noster *loc. cit. fol. mihi* 305. *in fine.* Peyrin. Hieron. Rodrig. Sanctorus, quos refert Lezana *Tom.* 5. *in Mari magno Minorum nu.* 101. Candidus *Tom.* 1. *disquisit.* 22. *art.* 49. *dub.* 13.

52 Secundò fit posse Prælatos absolvere suos subditos à censura incursa ob contemptum clavium, quando scilicet quis se non vult submittere potestati Ecclesiæ, putans illam intolerabilem esse, injustam, &c. Ita Rodrig. quem refert, & sequitur Portel. *in dubiis regularib verbo* Prælatus *nu.* 3. Lezana *Tom.* 5. *in Mari magno Carmelitarum n.* 370. *& seq.*

53 Et ob peccatum factum ex confidentia privilegiorum. Rodrig. quem *ibi* refert & sequitur Portel. & Lezana *supra*, imo licet in aliquibus privilegiis habeatur hæc clausula restrictiva, ut non prosit privilegium peccantibus ex confidentia illius, hoc non tollit, quin possimus uti talibus privilegiis, licet aliàs peccatum committatur ex illius confidentia: Tum quia tam necessarium est privilegium iis, qui peccant ex confidentia illius, quàm aliis: tum quia illa privilegia postea per alios Pontifices sine tali restrictione concessa fuêre, ita cum Sanchez, Urbanus noster *loc. cit. fol.* 306. *regul.* 2. Suar. *Tom.* 4. *de Religione tract.* 8. *lib.* 2. *c.* 21. *num.* 10.

54 Tandem possunt absolvere à suspensione à divinis etiam si publica sit, dummodo non sit reservata, Portel. Rodrig. quos refert, & sequitur Martinus à S. Joseph *fol.* 530. *n.* 3. Bord. *resol.* 3. *n.* 3. Cruz. *lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 13. *concl.* 3. *in fine.*

55 Ex quibus omnibus patet nunc per nostra privilegia, vel per alia ab aliis Religionibus communicata juxta prædictas sententias, Carmelitas posse absolvi à suis Prælatis ab omnibus reservatis, & reservandis Papæ, etiam intra Bullam Cœnæ excepta hæresi, donec fuerint expresse revocata, ut si diceret Papa, quod per nulla privilegia possent absolvi tales casus, & si in privilegiis auctoritas, ad eorum absolutionem concederetur, & postea nulla detur confirmatio ex certa scientia, quod certè non reperitur in Bullis Cœnæ temporibus hisce publicatis. Ita Urbanus *supra.*

56 Adverte tandem in fine hujus sectionis, Prælatos à quibus cæteros absolvunt casibus, & pœnis, ab eisdem liberari posse per alios confessarios ejusdem Ordinis à se electos. Ita multis Frag. *Tom.* 2. *disp.* 24. §. 8. *num.* 9. Urban. *fol.* 311. *regula* 12. Lezana *Tom.* 5. *in Mari magno Minorum numer.* 111. ubi affert quoddam privilegium Sixti IV. in ejus Mari magno.

SECTIO II.

De potestate, quam habent Prælati regulares ad dispensandum cum suis subditis.

§. I.

De dispensatione quoad irregularitates.

57 *Quomodo dividitur irregularitas.*

58 *Prælati regulares possunt cum subditis dispensare in omnibus irregularitatibus, in quibus Episcopus potest.*

59 *Irregularitas procedens ex defectu usus rationis est indispensabilis, benè tamen, quæ procedit ex defectu litterarum.*

60 *Possunt dispensare cum corpore vitiatis, dummodo non desit pollex.*

61 *Non possunt dispensare si defectus sint nimis scandalosi, v.g. Sodomita notorius, &c.*

62 *Possunt dispensare cum illegitimis ad Ordines, & dignitates.*

63 *Prælati regulares non possunt dispensare ut subditus promoveatur ad Sacros ordines ante ætatem legitimam*

64 *Quid dicendum sit in foro conscientiæ.*

65 *Bene potest quis uti hoc privilegio suspiciendi ordines Sacros ante ætatem legitimam in foro interiori, quin illo utatur in foro exteriori.*

66 *Oracula vivæ vocis concessa usque ad tempus Gregorii XV. jam sunt confirmata per Bullas.*

67 *Prælati regulares possunt dispensare cum subditis in suspensione contracta suscipiendo Ordines ante legitimam ætatem.*

68 *Possunt dispensare cum quibuscumque bigamis, tam veris, quam similitudinariis.*

69 *Quando in privilegio conceduntur casus majores; Bigamia non censetur illa exclusa.*

70 *Possunt dispensare Prælati regulares in irregularitate ex defectu lenitatis, & quid sit hæc?*

71 *Pos-*

71 *Possunt dispensare in irregularitate proveniente ex iteratione Sacramenti, etsi sit publica.*

72 *Possunt dispensare in irregularitate proveniente ex delicto indebitæ susceptionis, vel exercitii Ordinum.*

73 *Possunt dispensare in irregularitate proveniente ex delicto infidelitatis, si fuerit occulta.*

74 *Imo etiamsi hæresis sit publica, dummodo non sit relapsus.*

75 *Possunt dispensare in irregularitate proveniente ex infamia juris, vel facti.*

76 *Non possunt tollere irregularitatem provenientem ex hæresi publica quoad dignitates.*

77 *Possunt dispensare in irregularitate ex abortu fœtus animati, & in omnibus pœnis inhabilitatis, &c.*

78 *Possunt dispensare in irregularitate ex mutilatione occulta, & homicidio casuali, & occulto, imò etiam in foro externo.*

79 *Et in omni irregularitate publica toties, quoties præter homicidium voluntarium, bigamiam, & mutilationem membri.*

80 *Possunt dispensare in irregularitate etiam homicidii voluntarii dummodo non sit notorium crimen.*

81 *Possunt etiam cum homicida voluntario etiam publico, dummodo crimen non sit commissum post Religionis ingressum.*

82 *Quotuplex dicatur crimen publicum?*

83 *Notorium in privilegio sumitur non pro manifesto, si adhuc potest celari tergiversatione, nec pro famoso.*

84 *Sed sumitur pro publico quod est notorium, vel per evidentiam facti, vel sententiam justam judicis, vel confessionem rei, vel per publicam famam carentem omni tergiversatione.*

85 *Vt crimen sit publicum non sufficit, quod sciatur per famam, si non est publicum in ratione delicti.*

86 *Non sufficit quod probetur contra unum complicem, si etiam non probetur contra alium; nam respectu illius contra quem non probatur, non est publicum.*

87 *Non sufficit quod possit testibus probari, si non habeat alias conditiones.*

88 *Si judex absolvit Reum, delictum occultum manet, etiamsi plures habuerit testes delicti.*

89 *Si reus fuerit damnatus, si judicium jam est finitum, etiam delictum dicetur occultum.*

90 *Si delictum fuerit alibi publicum, sed occultum in loco in quo petitur dispensatio, adhuc occultum dicetur.*

91 *Quando in privilegio postulatur, quod crimen sit occultum, tunc occultum dicitur, quod non est publicum: publicum verò quando est notorium, manifestum vel famosum.*

92 *Singulis annis prima die Lunæ quadragesimæ, possunt Prælati regulares dispensare cum suis subditis in omni irregularitate, nulla excepta, etiam publica, & notoria.*

93 *Quando privilegium tantum concedit potestatem generalem dispensandi in omni irregularitate, semper censetur exclusa bigamia, & homicidium voluntarium, non tamen quando addit aliam clausulam magis amplam.*

94 *Prælati regulares possunt dispensare in omnibus pœnis contractis ex quibuslibet delictis.*

95 *Possunt dispensare cum absentibus, & extra territorium.*

96 *In omnibus casibus, in quibus Prælati cum suis subditis possunt dispensare, potest cum ipsis dispensare ipsorum confessarius.*

97 *In omnibus casibus in quibus dispensant cum subditis suis, possunt secum dispensare.*

HÆc quæstio non minus difficilis est, ac præcedens. Et in primis dubitatur, an Prælati mendicantes possint cum suis subditis in irregularitatibus dispensare? & ut certa ab incertis separemus; suppono irregularitatem dividi in irregularitatem, quæ provenit ex defectu, & illam quæ ex delicto. Prima dividitur in sex species, 1. est ex defectu animæ; 2. ex defectu corporis, 3. ex defectu natalium; 4. ex defectu ætatis; 5. ex defectu Sacramenti, quæ est bigamia; 6. ex defectu lenitatis. Secunda dividitur in quinque species. 1. ex iteratione Sacramenti. 2. ex indebita susceptione, vel exercitio Ordinum. 3. ex actu infidelitatis, seu hæresis; 4. ex infamia; 5. ex homicidio illicitè commisso. His suppositis. 57

DICO PRIMO: Prælati regulares in conscientiæ foro possunt dispensare cum suis subditis, in omnibus irregularitatibus; in quibus possunt Episcopi, ex privilegio Pii V. Bulla 13. *supra* relata; & ex privilegio Gregor. XIII. [f] speciali Bulla concessa Monachis S. Bernardi, quæ refertur *in eorum compendio verbo* absolutio quoad fratres *num.* 11. Ita Rodrig. Portel. quos refert, & sequitur Bauny. *Tom.* 2. *tract.* 11. *q.* 58. *fol. mihi* 534. *littera* C. Candidus *Tom.* 2. *disquisit.* 58

quisit.24.art.59.dub.3. & noster Joannes à SS. Sacramento 3.*part. de officio Prioris claustralis num.*52.

59 Dico secundo: Irregularitas, quæ provenit ex defectu animæ, vel est ex defectu rationis, vel litterarum, vel fidei, eo quod ille, qui dispensandus est, recenter est ad fidem conversus, & Neophytus vocatur. Si procedat ex defectu usus rationis est indispensabilis divino jure; si verò ex aliis duobus capitibus procedat, tolli potest à Prælatis regularibus, dummodo dispensandus saltem legere sciat. Ita Bordonus, Miranda, Portel. & alii, quos refert, & sequitur Bordon. *resolut.* 11. *n.* 5. Belasius *verbo ordo num.*1. Imò si aliquantulum sciverit de Latina lingua dispensari potest ad Prælaturas, & eligi ad illas. Ita Bordon. *ubi supra.*

Dico tertio: Regulares Prælati ex vi suorum
60 privilegiorum dispensare possunt cum corpore vitiatis, ut si desit pes, vel oculus etiam sinister, &c. ex privilegio Sixti IV. in ejus *Mari magno*, quod refert Bordon. *resol.*11. *num.* 10. & ex aliis privilegiis, in quibus Prælatis regularibus conceditur facultas ad dispensandum in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio voluntario, mutilatione, vel bigamia. Ita Mirand. Vechius, quos refert, & sequitur Bordon. *supra*, Dian. 4.*part.tr.*2. *resol.*73. nostri Gabriel a S. Vincent. in suo opere *de censur. disp.* 11. *quæst.* 3. *num.* 91. & Lezana 5.*part. in Mari magno Minor.num.*144. Debent tamen hujusmodi defectus non esse nimis scandalosi, ut si desit pollex, vel sit Sodomita notorius, vel morbo caduco
61 laborans, &c. Vide Lezan. *supra*, nam in iis, nec etiam Papa dispensat, ut cum Avila, & Layman. notavit Lezana *supra:* non est ergo credendum talem illis facultatem concedere voluisse, quæ omnia novissime docet Candid. *Tom.*2.*disquisit.*24.*art.*61. *dub.*7. Excipit tamen irregularitatem, quæ provenit ex defectu oculi sinistri, sed tu non discedas à nostra sententia.

62 Dico quarto: Prælati regulares possunt dispensare cum illegitimis ad Ordines. Imò talis irregularitas quoad Ordines ipsa professione tollitur, sed non quoad dignitates, Navar. Lezana. *Tom.* 1. *cap.*3.*num.*2. quos refert, & sequitur Belasius *verbo irregularitas num.*7 Possunt etiam dispensare cum illegitimis ad honores, & dignitates Religionis, tam ex privilegio Sixti IV. in *Mari magno.* quod refert Bordon. *res.*12.*num.*3. quam ex aliis. Nec hujusmodi privilegia hodie revocata sunt, vel limitata per Gregor. XIV. qui ordinavit hujusmodi dispensationem faciendam esse in Capitulo Generali, vel Provinciali; nam idem Gregor. XIV. postea concessit Societati, *in Bulla*, quæ incipit *Exponi nobis*, & Congregationi Clericorum ministrantium infirmis *in Bulla*, quæ incipit, *Illius qui*, 63
eamdem facultatem, qua facultate gaudent omnes cum illis communicantes. Ita cum multis Bordon. *supra num.*48. Candid. *disquisit.*24.*art.*61.*dub.*23. & ex nostris Petrus Cornejo *Tom.* 2. *in* 3.*part. S.T. Tract.*5. *de irregularit.disp.*15.*dub.* 1. Lezana *Tom.* 1. *qq.R.cap.*18.*num.*60. Gabriel a S. Vincent. *loc. cit. quæst.*6.*num.*148.*& seq.* Urbanus *lib.cit.cap.*4, *R.*2. & Ildephonsus à Jesu Maria in *scholiis ad* Mare magnum Carmel. *ad* §.63.

Dico quinto: Prælati regulares etiam Generales non possunt dispensare, ut Religiosus promoveatur ad Ordines ante legitimam ætatem à Tridentino præscriptam, ita communiter Doctores. Nec obstat privilegium Benedicti III. qui concessit Benedictinis Valisoleti, posse in ætate 22. annorũ ad omnes Sacros Ordines promoveri; quod refert Cruz *in Epitome lib.*2.*cap.*3.*dub.*6. Nec privilegium Innocentii VIII. concessum Minoribus, quod refert Vasquez *disp.*246.*cap.*4. ut possit Generalis, vel Provincialis dispensare in 22. anno completo ad Sacerdotium. Nec privilegium Julii II. Bulla 1. apud Peyrin. *de privileg. constitut.* 1. *Julii II.n.*20. in quo eandem facultatem concedit Minorum Prælatis. Nec privilegium Eugenii IV. & Sixti IV. 64
ut possent plures Sacros Ordines eadem die recipere, quæ refert *supra.* Nam hæc omnia privilegia sunt revocata per Tridentinum *sess.* 23. *de reform. cap.*12.

An autem, in foro conscientiæ possint Regulares uti hujusmodi privilegiis? Partem affirmantem debent tenere omnes illi, qui dicunt Regulares posse uti privilegiis suis contrariis Tridentino in foro conscientiæ, non obstante prohibitione Tridentini; quam concessionem à seipso revocatam, iterum innovavit Gregor. XIII. vivo oraculo, ut testatur Amicus *de Ordine disput.*25.*sect.*4.*num.*2. Non enim datur major ratio, de aliis privilegiis contrariis Tridentino, quam de hoc: Unde si de aliis hoc concedunt Henriq. Vega, Beja & alii, quos refert Diana 3.*part. tract.* 2. *resol.* 59. hoc itidem de hoc 65
privilegio dicere debent, aliàs inconsequenter loquerentur, ut ait Portel. *in dub. regular. verbo* privilegium *num.*64.

Nec obstat, si dicas cum Dicastillo *Tract.* 6. *de Ordine dub.* 21. *disp.* 1. in privilegio hoc rationem diversam dari, siquidem non potest dari usus illius

lius in foro interno, quin etiam detur in externo: Nam Prælati irregulares debent in demissoriis ferre testimonium de legitima ætate juxta Tridentinum, quod tamen, salva veritate, facere non possunt; si subditus re ipsa non habeat legitimam ætatem: Nam contra hoc est; quia, ut notavit Amicus *disp.2.de Ordine sect.4.num.2.* non tenetur Prælatus exprimere in demissoriis ætatem ad Sacros Ordines à Tridentino præscriptam, sed sufficit si dicat ordinandum legitimam habere ætatem, intelligẽdo juxta privilegia sibi ab Apostolica Sede concessa. Unde optimè, posset executio hujus privilegii in foro conscientiæ operi mandari absque eo, quòd dispensatio fieret in foro exteriori, ut
66 *ibi* optimè probat Amicus, vel ergo absolutè negandum est posse Regulares uti in foro conscientiæ suis privilegiis contrariis Tridentino, ut facit Portel. *supra*, vel idem de hoc privilegio affirmandum.

Nec obstat, si dicas cum Amico, privilegia scilicet Gregor. XIII. & Pii V. fuisse vivæ vocis oracula, ac per consequens hac tempestate nihil valere. Respondetur namque omnia oracula usque ad Gregor. XV. fuisse ab eodem Gregorio confirmata *ex certa scientia* per Bullam ut diximus *supra* §. 2.*num.*34. ac per consequens non censeri revocata per illam generalem Gregor. XV. aut Urbani VIII. revocationem: unde si alia non detur ratio, prædictæ non videntur obstare in opinione illorum, qui dicunt, hodie posse Regulares in foro conscientiæ uti privilegiis suis contrariis Tridentino, sed tu ne recedas à nostra sententia.

67 Adverte tamen, quòd licèt Prælati regulares non possint dispensare, ut religiosi, ante legitimam ætatem ordinentur, posse tamen dispensare in suspensione contracta, suscipiendo ordines ante ætatem legitimam, ex privilegio Sixti IV. & Pii II. in Bulla *Cum ex Sacrorum*, quam refert Bordon. *resol.* 11 *num.* 26. Ita Peyrin. Portel. & alii, quos refert, & sequitur idem Bordonus *suprà*. Dicast. *tract.* 6. *de Ordine disquis.* 1. *dub.* 2. *num.* 305. Poterunt etiam dispensare in irregularitate, quam contrahunt illi, qui ministrant actum Ordinis suscepti ante legitimam ætatem, ut *infra* dicemus. Utrumque docet etiam nost. Gabriel à S. Vincentio *part.*4.*de Sacramento Ordinis disp.*2.*quæst.*7 *n.*86.

68 Dico sexto: Regulares Prælati possunt dispensare cum quibuscumque bigamis, tam veris, quàm similitudinaribus, ut si v. g. Regularis professus contraxit matrimonium, & consummavit. Tum ex privilegio Sixti IV. quod refert Bauny *Tom.* 2. *tractat.* 11. *q.* 58. *lit. B.* tum ex privilegiis, in quibus tantùm excipitur homicidium voluntarium infra referendis, tum etiam ex privilegio Julii II. quod refert Bordon. *res.* 11. *n.* 35. Nam licet non constet an fuisset oraculum, jam videtur confirmatum per Bullam; siquidem fuit ante Gregor. XV. *supra*. Ita Portel. *in dub.regul.verbo dispensare n.*4. Henriq. quem refert, & sequitur Avila *de censuris disp.*8.*concl.*87. Bordon.*suprà*. Bauny *suprà*. nostri Petrus Cornejo *loc.cit.disp.*10.*dub.*1. Gabr. à S. Vinc. *loc.cit.disp.*11.*de irregul. quæst.*1. *num.*13. & Joan. à SS. Sacrament. *loc.cit. num.* 62. quidquid dicant alii in contrarium, quos refert, & sequitur Dian. 4. *p.tract.*2.*resol.*63. & nost. Urban. *loc.cit.*

Nec obstat, si dicas in hujusmodi privilegiis nunquam exprimi bigamiam, unde cùm loquatur universaliter, semper bigamia debet censeri excepta sicut homicidium voluntarium. Respondetur namque cum Bordon. *supra num.*35. regulam illam non habere locum quando in concessione generali exprimuntur, & conceduntur casus majores, ut est irregularitas ex homicidio voluntario in dicta 69
concessione Julii; præterquam quod adest dictio ampliativa, etiam de Papæ reservatis, quæ comprehendit omnes casus, etiam magis dubitabiles, Navarr. & alii apud eumdem Bordon. *supra*.

Dico septimo: Possunt Prælati regulares dispensare in irregularitate proveniente ex defectu 70
lenitatis, hoc est ex homicidio justo ex publica auctoritate, ita Filliucius, Lez. Vechius, Barbosa, quos refert, & sequitur Bordon. *Tom.*1.*resol.*13.*nu.* 14. Candid. *Tom.* 2. *disquisit.* 24. *art.* 61. *dub.* 19. Tum ex privilegio Martini V. vivæ vocis oraculo, ex Sixti IV. *in Mari magno Prædicatorum*, & Julii II. vivæ vocis oraculo, & pro Bulla Pauli III. quam refert Bordon. *ibi*. Nec obstat, quòd in privilegio Sixti IV. excipitur homicidium voluntarium. Respondetur namque cum Bordono & aliis, nomine homicidii voluntarii venire solum illicitum, & prohibitum in quinto præcepto Decalogi. Ita Lez. *in Mari magno Prædicatorum n.*128. *Tom.*

Dico octavo: Prælati regulares possunt dispensare in irregularitate, quæ contrahitur ex iteratione Sacramenti, etiamsi fuerit publica, ut si quis scienter rebaptizetur, in quo casu, tam baptizans, quàm baptizatus manent irregulares. Ita cum aliis Bordon. *res.* 11. *num.* 3. ex privilegiis per quæ Prælati possunt dispensare in omnibus irregularitatibus, aliquibus exceptis, statim referendis. Bordon. *ibi*.

72 Dico nono: Prælati regulares possunt dispensare in irregularitate contracta ex delicto indebitæ susceptionis, vel exercitii Ordinum, sive sit, quia excommunicatus Ordines suscipit, vel quia duos sacros Ordines in eadem die, vel furtivè recepit, vel quia erat conjugatus, vel quia recepit sacros ordines ab Episcopo, qui renuntiaverat, vel quia aliqua censura irretitus (hoc est impeditus) actus proprios Ordinum exercuit; in quibus omnibus casibus contrahitur irregularitas. Ita Rodrig. Cruz, Mirand. Vechius, quos refert, & sequitur Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 11. *num.* 41. Candid. *Tom.* 2. *disquisit.* 24. *artic.* 6. *dub.* 3. *&* 24. Tum ex privilegio Sixti IV. in Mari magno Prædicatorum, tum ex privilegio Gregor. XI. quod *ibi* refert Bordonus.

73 Dico decimo: Possunt Prælati regulares dispensare in irregularitate orta ex delicto infidelitatis, vel hæresis, si fuerit occulta ex privilegio
74 Pii V. *Bulla* 13. Layman, quem refert & sequitur Belasius *verbo* irregularitas *num.* 17. imo etiam si fuerit publica hæresis, dummodo non sit relapsus in illa, ex privilegio Xisti IV. in suo *Mari magno*. Ita Bossius, quem refert, & sequitur Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 11. *num.* 43.

75 Dico undecimo: Prælati regulares jure privilegiorum possunt dispensare in irregularitatibus ortis ex infamia facti, vel juris, qualitercumque contracta, ante, vel post ingressum Religionis, sive procedat ex raptu, furto, simonia, perjurio, apostasia à fide, Sodomia, hæresi, seu à crimine læsæ majestatis, percussione hostili in duello, matrimonio duplici, lenocinio, prostitutione filiæ, vel neptis, matrimonio cum meretrice, vel repudiata, maleficio, veneficio, vel adulterio, & aliis, quæ referuntur à Doctoribus, & hoc ex privilegio Pii V. Bull. 129. concessa Prælatis Cassinensibus, & ex privilegio Eugenii, IV. concesso Clericis ministrantibus infirmis Bulla. 17. Ita Naldus, & alii quos refert, & sequitur Bordon. *Tom.* 1. *resolut.* 11. *numer.* 50. & quoad infamiam facti Candid. *Tom.* 2. *disquisit.* 24. *art.* 61. *dub.* 11. Unde non sunt audiendi Roderic. & alii, quos refert, & sequitur Portel. *in dub. regul. verbo* dispensare *num.* 6. qui excipiunt Sodomiam, & alia.

76 Adverte tamen, quòd licet hujusmodi Prælati possunt tollere irregularitatem provenientem ex hæresi publica, quoad ordines suscipiendos, non tamen possunt illam tollere quoad dignitates, postquam tales irregulares pœnitentiam adimplevere, vel gratiam receperunt, quia Pontifex sibi, & Tribunali S. Inquisitionis hæc reservavit, ut constat ex decreto Urbani VIII. dato 1. Octobris anno 1626. quod refert Dian. Bosius, Barbosa, quos refert, & sequitur Bordon. *supra numer.* 51,

Dico duodecimo: Prælati regulares possunt 77
dispensare in irregularitate contracta ex abortu fœtus animati, & in omnibus pœnis, inhabilitatis scilicet, & privationis officii, & dignitatum, quas Xistus V. huic crimini imposuit, etiamsi delictum notorium sit apud Religiosos. Ita Vega, quem refert & sequitur Bauny *Tom.* 2. *tract.* 11. *quæst.* 58. *lit.* E. Imò etiam si sit absolutè notorium, Bordon. *resol.* 13. *num.* 19. *tom.* 1. Nam licèt Xistus V. reservaverit sibi dispensationem irregularitatis hujus, revocando omnia privilegia Regularium, posteà alii Pontifices ex *certa scientia*, revalidarunt privilegia Regularium, quibus poterant in hac irregularitate dispensare. Ita Bordon. *supra.* De habilitatione ad dignitates, & officia, sive beneficia, constat ex privilegio Xisti IV. in ejus *Mari magno* revalidato à Clemen. VIII. *Bulla*, quæ incipit *Ratio pastoralis*, quem refert Bordon. *supra num.* 20.

Dico decimo tertio: Possunt Prælati regu- 78
lares dispensare cum sibi subditis ad Ordines majores in irregularitate orta ex mutilatione occulta; similiter cum homicida casuali, & occulto ad majores Ordines. Ita concessit Pius V. *Bulla* 13. Possunt etiam dispensare cum homicida casuali, vel patrato in propriam defensionem in utroque foro. Ita con- 79
cessit Xistus V. ut cum Rodrig. tenet Candid. *Tom.* 2. *disquis.* 24. *art.* 61. *dub.* 7. Imò possunt dispensare in omni irregularitate publica toties, quoties, præter homicidium voluntarium, & bigamiam, & membri mutilationem, etiamsi deducta ad forum contentiosum sit, Candidus *supra dub.* 9.

Possunt quoque per se ipsos dispensare cum suis 80
subditis ad omnia in omni irregularitate etiam homicidii voluntarii, vel alterius cujuscumque, quæ sibi Papa solet reservare, dummodo tamen crimen notorium non sit. Ita concessit Martin. V. in quadam Bulla, quæ servatur in conventu Vallisoleti. Ita Rodrig. Cordova, Molina, Portel. & alii, quos refert, & sequitur Bordon. *resol.* 13. *numer.* 5. Bauny *Tom.* 2. *tract.* 11. *fol.* 534. *lit.* B. Candid. *Tom.* 1. *disquis.* 22. *art.* 48. *dub.* 4. Sed quia de hoc privilegio dubitat Lezan. an fuerit oraculum: accipe aliud Pii V. in quadam Bulla concessa Congregationi Cassinensium, in qua illis conceditur, ut pos-

possint à suis Prælatis dispensari in omnibus casi-
81 bus, & ob quemvis excessum, & delictum publi-
cum, vel occultum, seu data opera quomodolibet
ab eis, & singulis, etiamsi sit homicidium volun-
tarium, &c. in foro conscientiæ, dummodo tamen
tale crimen non sit commissum post Religionis in-
gressum & in illa sint perpetuò mansuri, donec
vixerint. Ita Lezan. Pellizzarius, quos refert, & se-
quitur Diana 10. *p. tract.* 13. *resol.* 38. quod privile-
gium, ut vides amplissimum est; sed quia non ex-
tenditur ad casus commissos post ingressum Reli-
gionis: ideo videndum nobis est, quid in supra
posito privilegio Martini V. per crimen notorium
intelligatur, ut per illud possint Regulares ab irre-
gularitatibus commissis post ingressum Religionis
dispensari.

82 Pro quo sciendum est triplex esse publicum; sci-
licet notorium, quod nititur scientia totius, vel
majoris partis communitatis: Manifestum, quod
nititur fama majoris partis Communitatis orta à
scientibus: Famosum, quod nititur fama majoris
partis Communitatis orta ex uno sciente, vel in-
diciis, vel præsumptionibus illi æquipollentibus,
ita cum Navar. Peyrin. *de Prælatis quæst.* 2. *cap.* 5.
§. 4. *num.* 52. Notorium igitur in hoc privilegio
sumitur, non pro manifesto, si tale manifestum
adhuc tergiversatione celari possit, neque pro fa-
moso, durum est enim, ut ex dicto tantùm unius
testis incurrat quis infamiam facti, quæ necessaria
est omnino, ut crimen sit notorium; ut bene nota-
83 vit Peyrin. *ubi suprà.* Unde non sufficit, quòd
crimen sciatur tantùm per famam, nisi fama pro-
cedat ab illis, qui crimen viderunt. Sotus, Tabiena,
Angelus, & alii quos refert, & sequitur Sanch. *in
consiliis lib.* 6. *cap.* 5. *dub.* 42. *num.* 2. & aliàs nulla
possit tergiversatione celari; nam si adhuc potest,
non dicetur notorium. Grafius, Sotus, Fagund.
quos refert, & sequitur Vidal. *de casibus reservatis
inquisit.* 1. *num.* 104.

84 Sumitur igitur notorium in hoc privilegio & si-
milibus pro publico, quod est notorium, vel per
evidentiam facti, vel sententiam justam judicis,
85 vel per Rei confessionem in judicio, vel per publi-
cam famam omni tergiversatione carentem modo
explicato. Ita cum Azor. Vidal. *ubi supra num.* 104.
Unde non sufficit quod crimen sit publicum, si
non est publicum ratione delicti, Fagund. Bordon.
& alii, quos refert, & sequitur Lezan. *Tom.* 4. *verbo*
occultum *num* 28. Navar. Henric. Sayrus, & alii,
quos refert, & sequitur Sanch. *de matrim. lib.* 8.
86 *disp.* 34. *num.* 56. Candid. *Tom.* 1. *disquisit.* 22.
art. 49. *dub.* 11. Vidal. *de casibus reservatis inqui-
sit.* 1. *num.* 101. Nec sufficit, quòd probetur contra
unum complicem, si aliàs non probatur contra
alium: nam respectu illius contra quem non pro-
batur, dicetur occultum, Navar. Sanch. Fagund.
quos refert, & sequitur Vidal. *supra num.* 102.

Item non sufficit quod possit testibus probari, 87
nisi aliàs habeat conditiones assignatas. Navar. &
alii, quos refert, & sequitur Portel. *in additionibus
ad dub. regular. verbo* dispensare *num.* 9. Nec quod
delictum fuerit deductum ad contentiosum fo-
rum, si judex absolvit reum per sententiam defini-
tivam, vel ab instantia, & reduxit rem ad pristi-
num statum; nam tunc delictum manet inter ter-
minos occulti, & nullam parit infamiam, etiamsi 88
plures habuerit testes contestes delicti, ut cum Co-
var. & aliis latè probat Sanch. *de matrim. lib.* 8.
disp. 34. *num.* 57. Candid. *disquisit.* 22. *art.* 49.
dub. 3. Imò si reus fuerit damnatus, & con-
victus: si judicium jam finitum est, & reus puni- 89
tus, adhuc ejus crimen manet inter terminos oc-
culti, ut occultum sumitur hoc loco, Sanch. *in
sum. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 21. Avila, Henriq. Regi-
nald. quos refert Bonac. *disp.* 7. *de censuris quæst.* 5.
p. 1. *num.* 1. Diana, quem refert, & sequitur Auso-
nius *in sum. Diana* verbo *Episcopus in irregularitates
num.* 17.

Tandem si delictum fuerit alibi publicum, si in 90
loco fuerit occultum, in quo petitur dispensatio,
vel absolutio, nec est spes, ut in illo publicetur, ad-
huc dicetur occultum, prout opponitur publico,
& notorio. Sanch. Avila, Durand. Fagund. Suar.
quos refert, & sequitur Vidal. *supra num.* 105.
Candid. *disquisit.* 22. *art.* 49. *dub.* 9. quæ omnia
maximè in memoria retinenda, quoties in privile-
gio postulatur, quod crimen non sit notorium. Si
autem tantùm postuletur quod crimen sit occul-
tum, tunc dicitur occultum, quod non est publi-
cum. Publicum autem dicitur quod est notorium, 91
manifestum, vel famosum, Navar. Sanch. Sancta-
rel, & alii, quos refert & sequitur Candid. *disquis.*
22. *art.* 49. *dub* 8. Quando autem crimen dicatur
notorium, manifestum, vel famosum, jam manet
explicatum *suprà hoc eodem* §. *num.* 82. Optimam
quoque horum terminorum expositionem reperiet
Lector apud nostrum Petrum ab Angelis in suo
Judice Regulari part. 1. *cap.* 2. & 3.

DICO DECIMOQUARTO: Singulis annis prima die 92
Lunæ Quadragesimæ possunt Prælati regulares,
& Priores dispensare cum suis subditis in omnibus
irregularitatibus etiam publicis, & notoriis; verbi

gratia, ex mutilatione, ex defectu lenitatis, homicidio injusto, & voluntario, & in omnibus aliis irregularitatibus hucusque relatis. Ita concessit Paulus III. in quadam Bulla concessa Prælatis Vallisoletanis, ubi concedit illis facultatem dispensandi in omni irregularitate, quavis occasione vel causa contracta, ubi nihil excipit, neque bigamiam, neque homicidium voluntarium: unde cùm lex non distinguat, nec nos distinguere debemus. Quæ Bulla confirmatur aliâ Sixti IV. in qua eadem facultas tribuitur Carthusiensibus, quam refert Bauny statim citandus, Portel. *in additionibus ad dub. regular. verbo* dispensare *n.* 5. Hæc sententia contra multos Doctores est, illam tamen ut probabilem tenent Portel. loco citato, Hieron. Bord. quem refert Dian. 4. *p. tract.* 2. *resol.* 63. Peyrin. *de religioso Prælato tom.* 2. *quæst.* 2. *cap.* 5. §. 8. *num.* 99. Bordon. *resol.* 13. *num.* 16. *&* 17. Bauny *Tom.* 2. *tract.* 11. *fol.* 535. Martin. à S. Joseph. *fol.* 35. *num.* 4.

Nec obstat si dicas in hujusmodi Bullis tam Pauli III. quàm Sixti IV. non fieri mentionem de homicidio voluntario, vel bigamia, in privilegiis autem, in quibus de illis non fit mentio, censeri semper hæc duo exclusa: nam in generali concessione non veniunt ea, quæ verosimiliter quis non esset concessurus *L. obligat.* 6. & *ibi* glossa, & alii. Non obstat, inquam, respondeo namque cum
93 Martin. à S. Joseph *supra*, hoc ita esse quando privilegium absolutè tantùm concedit facultatem generalem ad dispensandum in omni irregularitate. Hoc autem privilegium Pauli III & Sixti IV. est magis generale, nam ultra quod dicit posse dispensare in omni irregularitate, addit quavis occasione, & causa contracta, quæ verba tam universalia ampliant dispositionem, juxta glossam *in Clement. C. de re judicatâ, verbo quavis*, ubi probatur verbum *alias*, comprehendere regulariter solum similia; at si addatur signum universale, *quavis*, comprehendere majora expressis: quam glossam, ut singularem commendat Panormitanus 1. *p. consilior. consil. ultim. n.* 5. Barbosa *in cap.* 3. *de approbatione*. Unde respondetur ad argumentum, illam regulam in generali concessione, & alias leges citatas intelligi, quando verba privilegii tantùm sunt generalia, non tamen quando adduntur alia adeò universalia, ut in privilegio præsenti.

94 Dico decimoquinto: Possunt Prælati regulares dispensare cum suis subditis in omnibus pœnis contractis ex quibuslibet delictis, quales sunt inhabilitates ad officia, privationes officiorum, dignitatum, vocis, loci, &c. Si aliàs Papa sibi non reservat talium dispensationem, ita Rodrig. Cruz, Sanch. quos refert, & sequitur Candid. *Tom.* 2. *disquis.* 24. *art.* 61. *dub.* 10. Imò etiamsi tales pœnæ sint Papæ reservatæ, tum ex privilegio Pii V. tum Sixti IV. in *Mari magno Carmelitarum.* Gregor. XIV. in alia Bulla quam refert Lezana 95
Tom. 1. *cap.* 18. *num.* 33. 35. *&* 46. vel si contendas hujusmodi pœnas esse irregularitates; tum respondemus posse in illis dispensare per privilegia concedentia facultatem in irregularitatibus dispensandis, quæ hucusque diximus: ita cum aliis Lezana *supra num.* 46.

In fine sectionis hujus adverte in omnibus his 96
casibus in quibus Prælati regulares possunt cum suis subditis dispensare, sive sit in irregularitatibus, sive in aliis pœnis, sive in omnibus aliis, in quibus dispensant cum suis subditis, quæ in sequentibus referemus, sive hoc faciant ex potestate ordinaria, sive delegata, posse id facere extra territorium, & etiam cum subditis absentibus; nam dispensare non pertinet ad contentiosam jurisdictionem. Ita Portel. Sanch. Suar. quos refert & sequitur Belasius, *verbo* dispensare *num.* 4. & ex nostris Joan. à SS. Sacramento in *Priore Claustrali part.* 1. *num.* 79. *& seqq.* & Gabriel à S. Vinc. *de censur. disp.* 1. *quæst.* 15. *num.* 164.

Secundo adverte in omnibus supradictis casibus posse Prælatos Reg. suis Confessariis committere, ut cum ipsismet Prælatis dispensent. Ita Emmanuel & alii quos refert & sequitur Sanch. *de matrim lib.* 8. *disp.* 3. *num.* 9. *&* 10. Fragos. 2. *p.* 97
lib. 11. *disp.* 24. §. 8. *num.* 9. Bordon. *resol.* 10. *num.* 1. Imo ipsimet Prælati possunt secum in omnibus supradictis dispensare. Ita Emmanuel Sanch. Fragos. Bordon. *supra*, quibus adde Candid. *Tom.* 2. *disp.* 24. *art.* 59. *dub.* 7. Belas. *verbo* dispensare *num.* 12. & nost. Joan. à SS. Sacram. *lib. cit. part.* 3. *num.* 419. Et est ratio, quia Prælatus non debet esse deterioris conditionis, ac sui subditi, tum quia exercere hujusmodi potestatem erga se ipsum ex nullo capite repugnat: hæc enim jurisdictio, nec contentiosa, nec sacramentalis est, sed tantùm postulat directionem ex prudenti judicio ad perpendendam dispensationis causæ justitiam, quod non repugnat per seipsum ab aliquo fieri, Sanchez *suprà*.

§. 2.

§. 2.

De dispensatione, commutatione & irritatione votorum.

98 *Prælati regulares possunt irritare omnia vota subditorum, excepto voto strictioris Religionis.*
99 *Possunt dispensare cum subditis in votis, in quibus potest Episcopus.*
100 *Possunt dispensare cum subditis in voto transeundi ad Religionem strictiorem.*
101 *Possunt dispensare cum illis, qui fecerunt votum strictioris Religionis, ut intrent in laxiorem, dummodo dispensatus intret in Religionem dispensantis.*
102 *Possunt irritare, dispensare, & commutare juramenta promissoria facta in honorem Dei, à suis subditis.*
103 *Idem dicendum est si vota, vel juramenta fuerint facta in favorem tertii.*
104 *Immò etiam si sint à trrtio acceptata, & de rebus non subjectis dispositioni Prælati.*
105 *Non possunt dispensare in votis, si intercessit etiam promissio facta homini, & ab illo acceptata sit.*

98 DICO PRIMO: Possunt Prælati regulares irritare omnia vota suorum subditorum, etiamsi sint de vitando aliquo peccato, vel etiam de reservatis Papæ, modo religiosum statum non constituant (casu quo ab ipsis validè fieri possint de quo infra) excepto tamen voto assumendi strictiorem Religionem: ita communiter Doctores apud Palaum *de voto disp.* 2. *part.* 8. *num.* 2. Fagund. *in* 2. *præcepto Decalog. lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 9. Bordon. *Tom.* I. *tract.* 14. *num.* 2. & ex nostris Lezana *Tom.* I. *qq. Reg. cap.* 18. *num.* 47. Urban. ab Ascensione *lib. citat. Tract.* 2. *part.* 2. *dist. cap.* 4. *Reg.* 9. Joan. à SS. Sacram. in *Priore Claustrali* 3. *part. num.* 40. Philippus à SS. Trinitate in Cursu suo Theolog. *Tom.* 3. *in* 2. 2. *tract.* 3. *disp.* 3. *dub.* 8. Franciscus Bonæ Spei *Tom.* 5. *Suæ Theolog. tract.* 2. *disp.* 7. *dub.* 4. & Stephan. à S. Paulo in sua Theologia morali *Tract.* 4. *dub.* 4. *n.* 66. Ratio est, quia volũtas Religiosi in suscipiẽdis novis obligationibus debet esse perfectè dependens à mera Prælati voluntate. Novitiorum tamen vota non possunt irritare; poterunt tamen illorum vota suspendere, si aliàs onera Religionis, vel per se, vel ex dispositione subjecti aggravent; quæ facultas etiam competit novitiorum magistris. Lessius, Sanchez, & alii, quos refert, & sequitur Palaus *supra n.* 10.

DICO SECUNDÒ: Possunt Prælati regulares dispensare, & commutare omnia vota simplicia suorum subditorum, in quibus possunt Episcopi dispensare, habent namque dignitatem quasi Episcopalem. Ita Suarez, Navar. Bonac. & ex nostris Lezana *loc. cit. num.* 49. Joan à SS. Sacram. *lib. cit. num.* 49. Francisc. Bonæ Spei *loco cit. dub.* 5. *num.* 64. Urbanus & Stephanus citati locis citatis. & Gabriel à S. Vincent. *de Sacram. part.* 4. *disp.* 9. *quæst.* 7. In votis autem reservatis Papæ, qualia sunt Religionis, castitatis, & triplicis peregrinationis, scilicet Hierosolymitanæ, Romanæ, & Sancti Jacobi in Galliciam non possunt dispensare, nisi in casibus, in quibus Episcopus potest: Immò talis dispensatio inutilis, & impertinens esset, respectu Religiosorum, inutilis quidem loquendo de voto Religionis, & castitatis: impertinens verò respectu voti peregrinationis; cum istud votum non possit fieri à Religiosis, nisi in ordine ad licentiam Prælati, & ita si ipse annuat, tenet votum, si non annuit, non tenet; in casu tamen, quod Prælatus annueret, jam non posset tale votum dispensare, nisi in casibus, in quibus potest Episcopus; posset tamen illud irritare. Lezan. *supra num.* 49. & alii ex prædictis. 99

DICO TERTIÒ: Possunt Prælati regulates dispensare cum suis subditis in votis transeundi ad arctiorem Religionem; semper tamen requiritur causa rationabilis ad illam. Ita Cajetan. Dian. *Tract.* 2. *de dub. regul. resol.* 91. *Tom.* I. Lezan. *suprà num.* 49. Mart. à S. JOSEPH *fol.* 537. *num.* 3. Ratio est, quia talia vota, non sunt vota simpliciter Religionis. 100

Possunt insuper dispensare, & commutare vota novitiorum eadem potestate qua possunt vota aliorum Religiosorum, ex concessione Eugenii IV. Bulla 21. quam refert Crux *in Epitome lib.* I. *cap.* 6. *dub.* 2. *concl.* 2. Ita Henriq. Novarr. quos refert, & sequitur Mart. à S. JOSEPH. *suprà num.* 6. N. Francisc. Bonæ Spei *loc. proximè citato*.

DICO QUARTÒ: Possunt Prælati regulares dispensare cum illis, qui fecerunt votum strictioris Religionis, ut in laxiorem intrent, dummodo dispensatus intret in Religionem ipsius dispensantis. Ita concessit Eugen. IV. Bulla 21. apud Cruz *lib.* I. *cap.* 6. *dub.* 20. *conclusion.* 3. eritque sufficiens causa, si ille qui vult dispensari, existimat melius se Deo serviturum in alia Religione laxiori. Emanuelem refert, & sequitur Mart. à S. JOSEPH. *supra.* 101

DICO

102 DICO QUINTÒ: Prælati regulares possunt irritare, & dispensare, & commutare juramenta promissoria facta in honorem Dei à suis subditis, quia illa sunt quasi quædam vota. Unde de illis judicandum est, sicut de votis, ita Sanch. & alii, quos refert & sequitur Lezan. *supra n.* 53. & N. Francisc. B. Spei *loc. cit. dub.* 4. *n.* 62. Idem dicendũ est, si vota, vel juramenta, vel vota jurata, fuerint in
103 favorem tertii in iis rebus, in quibus Religiosi sunt subjecti Prælatis, nam cum tales res sint sub dominio Prælatorum, non possunt illas promittere inferiores, ac proinde juramenta illa promissoria poterunt tolli à Prælatis. Bonac. & alii, quos *ibi* refert, & sequitur Lezana.

104 Si tamen fuerint de rebus, de quibus possunt disponere, aut sunt sui juris, communis sententia affirmat non cadere in illa irritationem, dispensationem, vel commutationem, si fuerint à tertio acceptata, nam superior non potest tollere jus alterius. Verùm contraria sententia probabilis est. Ita Silvest. Angelus, Cajetan. quos refert Raphaël de la Torre *q.* 88. *art.* 12. *disp.* 2. *num.* 2. Navarr. quem refert, & sequitur Tamb. *in decal. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 4.
105 *num.* 31. Ratio est, quia promissio, licet per accidens cedat in favorem tertii, non tamen fit illi, sed soli Deo, & acceptatio tertii non potest illi tribuere jus justitiæ, sed fidelitatis contra voventem: ergo optimè dispensari possunt absque tertii licentia, nisi aliàs ultra votum præcesserit specialis promissio facta tertio, & ab illo sit acceptata.

§. 3.

De dispensatione circa debitum conjugale, Confessariis Regul. committenda.

106 *Pœna non petendi debitum ob incestum non incurritur ab illam ignorantibus, quando incestum commiserunt.*
107 *Nec incurritur ab oppressis per vim.*
108 *Provinciales possunt deputare Confessarios ad dispensandum cum incestuosis in petitione debiti.*
109 *Possunt deputare Confessarios ad dispensandum cum illis, qui ante, vel post matrimonium voverunt castitatem.*
110 *Regulares sine deputatione Provincialis possunt dispensare ad petendum debitum cum habentibus votum castitatis.*
111 *Priores possunt deputare quatuor Confessores ad dispensandum in debito cum incestuosis.*
112 *Confessores regulares sine deputatione Provincialis, aut Prioris possunt dispensare in petitione debiti cum incestuosis.*
113 *Regulares deputati à Prælatis ad dispensandum in debito cum incestuosis possunt etiam dispensare cum eis, qui contraxerunt cognationem spiritualem.*
114 *Licentia concessa à Provincialibus ad dispensandum in debito, non potest absque justa causa revocari.*
115 *Dispensatio ad petendum debitum potest fieri extra Sacramentum, & in absentia.*
116 *Licentia concessa à Provinciali, non expirat illo amoto, vel mortuo.*
117 *Regulares designati à Generali, & expositi ab Ordinario possunt aperire litteras Sacræ Pœnitentiariæ.*

PRo intelligentia hujus §. notandum est, hoc 106
impedimentum petendi debitum non contrahi à conjugibus, qui talem pœnam ignorabant, quando incestum commiserunt, sive fuerit ignorantia juris, sive facti. ita Basilius, Barbosa, Sanchez, Dian. & alii, quos refert, & sequitur Quintanad. *Tract.* 9. *sing.* 6. *num.* 5. Pellizzarius *Tom.* 2. *tractat.* 8. §. 2. *num.* 174. N. Gabriel *loc. cit. disput.* 7. *q.* 9. *n.* 80. Candid. *Tom.* 2. *disquisit.* 27. *art. unico*
dub. 11. & idem dicendum est de conjugibus per 107
vim à consanguineis alterius conjugis violatis, ut cum aliis probat Pellizzarius *supra*. His suppositis.

DICO PRIMO: Provinciales possunt deputare 108
Confessarios ad dispensandum cum conjugibus incestuosis post contractum matrimonium ad petitionem debiti. Ita concessit Martin. V. in quadam Bulla concessa Benedictinis, quam postea confirmavit vivæ vocis oraculo Julius II. & Pius V. ita ex Recentioribus tenent Lezan. *Tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 25. Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 6. *num.* 23. Novarius *in lucerna regularium verbo* dispensatio. *num.* 5. Candid. *Tom.* 2. *disquisit.* 27. *art. unico, num.* 5. Quintanad. *Tractat.* 9. *singul.* 4. *num.* 1. *dub.* 9. Quintanad. *Tractat.* 9. *singul.* 4. *num.* 1. Pellizzar. *Tom.* 2. *tract.* 3. *cap.* 3. *sect.* 2. *num.* 274. *usque* 279. Belasius *verbo* dispensare *num.* 15. ubi plures referunt ex antiquioribus. Et idem dicen-
dum est de conjugibus, qui post votum castitatis 109
contraxerunt matrimonium, vel post illud voverunt castitatem: nam in omnibus his possunt Regulares deputati à suo Provinciali dispensare ad petitionem debiti, ita Bord. *ubi supra*.

Immò

Immò etiam si prædicti Confessarii non sint deputati à Prælatis, possunt dispensare cum illis, qui habent votum castitatis modo dicto, ad petendum debitum, ex privilegio, quod habent ad dispensandum cum sæcularibus in omnibus votis,
110 exceptis castitatis absolutæ, Religionis, & triplicis peregrinationis, quod refert Bordon. *resol.* 34. *num.* 2. & nos *infra* afferemus; nam in tali reservatione, solùm excipitur votum castitatis absolutæ, & non ex parte, ut est hoc, nam habens tale votum licet non possit petere, potest reddere. Ita cum aliis Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 15. *num.* 31. Cand. *Tom.* 2. *disquisit.* 27. *art. unico dub.* 21. Trull. *in Decal. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 4. quæ facultas non solum extenditur ad fideles illius diœcesis, in qua est Religiosus, sed ad omnes undequaque venientes, ut *infra* dicemus.

111 Dico secundò: Priores Conventuales, seu Abbates possunt deputare in suis Conventibus, in quibus sunt Prælati, quatuor Confessarios ejusdem Conventus ad nutum eorum seu præsidentium revocandos, ut possint in suo Monasterio, immò & extra cum conjugatis incestuosis, qui carnaliter cognoverunt consanguineas alterius conjugis ad petendum debitum, dispensare. Ita concessit Julius II. *Bulla* 23. quam refert Cruz *lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 9. *n.* 1. & tenet ipse Cruz, Henriquez, Llamas, quos refert, & sequitur Mart. à S. Joseph. *fol. mihi* 358. *n.* 10. Lezan. *Tom.* 2. *verbo* affinitas *num.* 4.

112 An autem Confessarii regulares sine prædicta dispensatione à Provinciali, vel Priori possint dispensare cum conjugibus incestuosis, qui inter se contraxerunt prædictam affinitatem ex incestu ad petitionem debiti? Affirmant Leander, Martin. à S. Joseph, Machad. Bordon. quos refert, & sequitur Dian. 10. *part. tract.* 14. *resol.* 20. Candid. *Tom.* 2. *disquisit.* 27. *art. unico dub.* 9. & constitut. ex privilegiis Pii V. Julii II. Martini V. quæ *ibi* refert Candidus, quæ privilegia non sunt revocata ut testatur Dian. *supra*. Unde in praxi ab omnibus Confessariis regularibus potest prædictum privilegium practicari absque scrupulo, ut notavit Bordon. *in miscellaneis decis.* 474. & Candidus *supra.* & N. Gabriel *loc. cit. disp.* 9. *q.* 7.

113 Dico tertiò: Hanc potestatem, quam tribuunt Prælati ad dispensandum in debito cum conjugibus incestuosis extendi ad eos, qui cognationem spiritualem contraxerunt, vel quia proprium filium baptizârunt, vel filium suæ uxoris, vel illos de fonte levarunt, suscipiendo patrini officium, in quibus omnibus casibus Regulares à Prælatis deputati possunt dispensare ad debitum petendum, ita Villalob. Bordon. quos refert, & sequitur Martin. à S. Joseph. *fol.* 559. *num.* 14. Castropalaus *Tom.* 5. *disp.* 4. *de sponsalibus p. ultim.* §. 1. *num.* 18. *in fine.* Quintannad. *singul.* 8. *tractat.* 9. Advertendum 114
tamen est in fine hujus §. quòd Provinciales concedentes alicui subdito licentiam, ut possit dispensare cum impeditis ad debitum petendum ob incestum, vel votum, non posse licentiam da- 115
tam revocare absque justa causa; faciunt enim injuriam illi, cui talem facultatem concesserant, Portel. Rodrig. quos refert, & sequitur Dian. 3. *Part. tract.* 2. *resol.* 14. Martin à S. Joseph. *fol.* 560. *n.* 14. Lezan *Tom.* 2. *verbo* affinitas *n.* 5. Nota 116
etiam cum iisdem Doctoribus, hujusmodi dispensationem posse fieri extra Sacramentum, & urgente necessitate in absentia, quod est valde notandum: ita cum aliis Diana *suprà*. Adverte tandem licentiam, seu deputationem Provincialis non expirare mortuo, vel amoto ab officio Provinciali. Ita Portel. Bossius, quos refert, & sequitur Bordon. *resolut.* 15. *num.* 3.

Dico quartò: Religiosi ab Ordinario expositi, designati a suo Generali, aut de ejus licentia ab alio 117
superiori, dicto Generali subordinato, possunt aperire litteras Sacræ Pœnitentiariæ obsignatas, & directas in foro conscientiæ, Doctoribus in Theologia, aut jure Canonico, & absolvere dispensareque juxta earum tenorem: ita concessit Societ. Jesu Greg. XIII. *Bulla* 3. apud Cruz *lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 9. *concl.* 4. & tenent alii communiter, quos refert, & sequitur Pasqualig. *Tom.* 2. *decis.* 414 *num* 2. Vide de hoc N. Urbanum *Tract.* 2. *part.* 2. *dist.* 1. *Reg.* 7.

§. 4.

De dispensatione in præceptis Ecclesiasticis, regulâ & constitutionibus.

118 *Prælati regulares possunt dispensare cum subditis in omnibus præceptis Ecclesiasticis in quibus potest Episcopus.*

119 *Familiares continuò commensales possunt comedere ova, & carnes in diebus jejunii cum licentia Prælati, & Medici, si haberi potest.*

120 *Priores possunt in casibus frequenter occurrentibus dispensare in Regula, & Constitutionibus, si detur justa causa.*

121 *Quæ causæ sufficiant, ut Priores possint in Regula dispensare?*
122 *Capitulum generale potest dispensare in Constitutionibus etiam à Pontifice approbatis circa observantias graves & extraordinarias, si confirmatio Papæ non sit, per modum decreti, & mandati.*
123 *Prælati regulares possunt dispensare cum subditis, ut in die festo laborent.*
124 *Sæculares possunt in aliquibus diebus laborare in nostris domibus.*
125 *Prælati possunt dispensare cum infirmis in recitatione horarum, & idem dicendum est de occupatis, dummodo dicant certas orationes.*
126 *Prælati possunt dispensare cum subditis in recitatione Officii Divini, in casibus, in quibus potest Episcopus.*
127 *Possunt dispensare Prælati regulares cum infirmis, ut dicendo certas orationes officio divino satisfaciant.*
128 *Possunt Prælati regulares dispensare cum Fratribus non sacerdotibus, ut dicendo certas orationes officio divino satisfaciant.*
129 *Prælati regulares possunt dispensare cum Religiosis occupatis in concionibus, & aliis operibus pietatis, ut dicendo certas orationes satisfaciant officio divino.*

118 DIco I. Prælati regulares possunt dispensare de jure communi in illis omnibus præceptis Ecclesiasticis, in quibus possunt Episcopi cum suis subditis, *juxta Clement. ne Romani de electionib.* Lezan. *Tom.* 1. *c.* 18. *n.* 55. Bord. *resol.* 10. *Tom.* 1. *n.* 6. N. Joan. à SS. Sacram. in *Priore Claustrali* 3. *part. num.* 67. *& seqq.* & à fortiori hæc omnia possunt ex privilegio Pii V. *in Bulla*, quæ incipit, *Romani Pontificis*, quam refert idem Bord. *ibi:* unde possunt dispensare justa interveniente causa cum suis subditis etiam novitiis, & etiam cum Tertiariis, & perpetuò commensalibus super jejunia etiam Ecclesiastica, ex privilegio Sixti IV. & circa cibos prohibitos ex privilegiis Julii II. in litteris Apostolicis Greg. XIII. & Eugen. IV. quæ refert Fragos. 2. *p. lib.* 11. *disp.* 24. §. 7. *n.* 15. Immò privilegium Eugenii extenditur etiam ad familiares domorum, ut possint comedere carnes, ova, lacticinia, &c. etiam absque medici licentia, si commodè non potest haberi. Ita Pasqual. *de jejunio decis.* 388. *n.* 3.
119 Bord. *Tom.* 1. *resol.* 18. *n.* 7. Nec obstat, quod illud privilegium Sixti IV. fuerit vivæ vocis oraculum, ut testatur *ibi* Bordon. & de illo Gregor XIII. nescimus an sit oraculum. Respondetur namque, quamvis ambo oracula sint, non esse revocata, quia non sunt ulli nocentia. Ita cum multis Bordon. *suprà*, tum, quia jam ambo sunt confirmata per Bullas, siquidem fuêre concessa ante Gregor. XV. ut *suprà* diximus.

DICO II. Loquendo de regula, & constitutionibus Regularium: Prælati inferiores, ut Priores, 120
Guardiani seu Vicarii, in eorum absentia possunt dispensare in aliquibus rebus levibus, in quibus recurrere ad superiores grave esset, & in casibus, qui frequenter accidunt, sive sint ex regula, sive ex constitutionibus; ita communiter Doctor. specialiter Cajet. Sotus, Rodrig. Valentia, Suar. Peyr. Tamb. quos refert & sequitur nost. Lezana *Tom.* 4. *qq. Reg.* qui continet consilia, *consil.* 6. *num.* 3. *& seqq.* N. Joan. à SS. Sacram. *loc. cit. num.* 71. *& seqq.* Ratio est, quia in omnibus his casibus præsumitur licentia interpretativa, sive à jure, sive à superioribus, idque consuetudine, quæ est optima legum interpres, observatur; Debet tamen hoc fieri justa, & rationabili causa subsistente.

Causa autem ad dispensandum in hujusmodi 121
observantiis regulæ, & constitutionum, in casibus levibus, frequentibus, & propriis, prout relati Doctores loquuntur, sunt. Prima, *tempus* quando videlicet propter solemnitatem alicujus festi oporteat regulæ rigorem mitigare. Secunda, *utilitas* maximè spiritualis, ut si contingat quod si cum aliquo Religioso rigidius juxta regulam, vel constitutiones procedatur, timetur desperatio, vel aliquod magnum peccatum ipsius; tunc enim cum illo mitius est agendum. Tertia, *qualitas personæ*; sic enim cum Religioso gravi, & benè merito de Religione dispensari potest in aliquibus punctis v. g. de cœna in refectorio, & cum occupato in studiis, de assistentia ad chorum, &c. Quarta, *necessitas*; ipsa enim, sicut caret lege, ita petit quando adest, ut dispensetur in jejuniis, & abstinentiis, & similibus. Quinta, *pietas*; sic enim dispensari potest cum Religioso, ut in utilitate propriorum parentum aliqua efficiat, quæ aliàs secundùm regulam, & constitutiones fieri non deberent. Sexta, *evitatio scandali* propter quam Prælatus prudenter alicui Religioso pœnam ipsi debitam remittit, ne scilicet in civitate scandalum oriatur. Septima, alicujus extranei *vitatio offensæ*, qui cum sit magnæ auctoritatis offenderetur, si rigor Religionis in aliquibus

quibus casibus observaretur, quæ omnia Armilla, Rosella, Pisanella, Mirand. Salas, Peyrinis docent *loc. cit.* apud Lezan. *in consiliis, consil. 6. n. 10. & sequentibus.*

122 Dico III. Capitulum generale potest dispensare in constitutionibus, non solum in casibus *suprà* dictis, sed etiam circa observantias graves, notabiles, & extraordinarias, non solùm quando constitutiones non sunt approbatæ à summo Pontifice, sed etiam in constitutionibus approbatis à Pontifice. Ita concessit Eugen. IV. per Bullam, & Alexand. VI. per aliam, quas refert Lezan. *Tom. 4. in consiliis, consil. 6. n. 23.* Immò hoc etiam possent facere secluso privilegio, jure communi, ut patet *ex c. cum ad monaster. & cap. omnis res de regul. juris in 6.* ut cum multis docet Lezana *supra.* Sed hæc omnia debent intelligi, quando confirmatio constitutionum facta à Pontifice solum fuit approbatio quædam; & non fuit per modum decreti, & mandati; nam si fuit per modum decreti, & mandati, cum sint leges Pontificiæ, non posset Capitulum generale dispensare, nisi in casibus, in quibus inferior potest in legibus superioris dispensare, ut quando necessitas urget, & non potest ad superiorem recurri. Ita Bonac. Tamb. Suar. Salas, Legionens. Palaus, quos refert, & sequitur Lezan. *supra n. 49.*

123 Dico IV. Prælati regulares possunt dare licentiam suam subditis, ut in die festo, instante necessitate laborent, Azor. quem refert, & sequitur Portel *in dub. regul.* verbo *Abbas n. 10.* Eugen. IV. *vivæ vocis oraculo* apud Rodr. *in Bullar. fol. 118. n. 7.* concessit, ut in nostris Conventibus possint laborare absque peccato sæculares, v. g. in die Sanctæ
124 Crucis, S. Michaëlis, Sanctorum Innocentium, S. Silvestri, dummodo non veniant in Dominica. Ita refert Portel. *in dub. reg. verbo* laborare *n. 1.* Unde in aliis festis non possunt Prælati dispensare, ut sæculares laborent in nostris Conventibus, etiamsi gratis fiat, nisi urgente causa intercedente, & licentia ab ordinario obtenta, Portel. *ubi supra.*

125 Dico V. Prælati regulares possunt dispensare cum infirmis, vel occupatis; cum infirmis, ut dicendo sex, aut septẽ psalmos assignandos per ipsum superiorem cum septies Dominica oratione, ac symbolo Apostolorum bis, & si graviter infirmentur, dicendo orationem Dominicam semel, & salutationem Angelicam septies satisfaciant toti officio divino: ita concessit Paulus III. *in quadam Bulla*, quam refert Lezan. *Tom. 1. c. 12. n. 28.* Possunt etiam de jure communi dispensare cum suis subditis in divini officii recitatione, quos notabiliter offendit, vel aggravat recitatio, ut potest Episcopus, in dubio tamen semper est spectandum 126
medici consilium. Ita cum multis Lezan. *suprà*, quæ omnia jam olim poterant efficere ex privilegio Leonis X. Eugen. IV. Martin. V. Sed quia hæc privilegia sunt vivæ vocis oracula, & aliàs nihil de novo concedunt, ideo non immoror in illis.

Dico VI. Possunt Prælati regulares dispen- 127
sare cum sibi subditis infirmis, non valentibus sine magno tædio Horas canonicas recitare, ut in tempore infirmitatis, & convalescentiæ recitent aliquid loco Horarum, arbitrio Prælatorum assignandum; & similiter cum ipsis Prælatis poterit Monachus ab eis electus dispensare. Ita concessit Sixtus IV. *Bulla 21.*

Dico VII. Possunt Prælati regulares dispensare 128
cum Fratribus in sacris non constitutis, qui ratione occupationum non possunt choro interesse, & aliàs non possunt nisi cum tædio, & labore recitare, ut dicendo Officium B. Virginis, & aliquid aliud juxta arbitrium Prẹlati satisfaciant divino officio: ita concessit Julius II. *in quadam Bulla*, quam refert Lezan. *Tom. 1. cap. 12. num. 30.*

Dico VIII. Possunt Prælati regulares dispensare 129
cum Religiosis occupatis in prædicationibus, aut operibus pietatis v. g. confessionibus audiendis, Sacræ Theologiæ, ac Canonum studiis, cum Lectoribus v. g. aut cum infirmis, vel infirmis servientibus, ut dicendo certum numerum Psalmorum, non minus septem, aut sex ab eodem Prælato assignandorum cum oratione Dominicâ septies, symbolo bis, graviter autem ægrotantes cum Oratione Dominica semel, & Oratione Angelica septies satisfaciant toti officio divino. Ita concessit *in quadam Bulla* Clemens VII. quam refert Lezan. *cap. 12. num. 32. Tom. 1.* Peyr. *ad const. 27.* Leonis X. *num. 9.*

SECTIO III.

De potestate, quam habent Prælati regulares circa benedictiones, & consecrationes rerum Ecclesiasticarum, pro celebratione Missarum.

§. I.

De rerum Ecclesiasticarum benedictione.

130 *Prælati, exceptis Abbatibus, aliquarum Religionum non possunt calices, & aras consecrare.*

 131 Possunt

131 *Possunt tamen benedicere suas Ecclesias, & omnia ornamenta Ecclesiastica.*

132 *Ecclesias suas possunt reconciliare.*

133 *Prælati, vel eorum vicarii possunt etiam corporalia benedicere, & alia ornamenta, tam sui quàm extranei Conventus.*

134 *Non constat authenticè dari declarationem aliquam in contrarium.*

135 *Prælati possunt benedicere intra suos Conventus quaslibet imagines, & vasa ad reponendum Eucharistiam, tam propria, quàm extranea.*

136 *Prælati possunt delegare facultatem ad omnia ornamenta etiam corporalia benedicenda.*

130 SUppono Prælatos regulares, etiam Generales, exceptis Abbatibus aliquarum Religionum, qui ex privilegio insigniis utuntur Pontificiis, non posse consecrare calices, patenas, & reliqua omnia, in quorum consecratione chrismatis unctio adhibetur, licèt hoc prædictis Abbatibus competat ex multis privilegiis, quæ refert Tamb. quem refert, & sequitur Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 17. *n.* 1. Nam licèt nostri, & alii Prælati communicent & participent omnia privilegia Abbatibus Cisterciensibus, & Benedictinis concessa, hoc tamen privilegium consecrandi calices, Ecclesias, patenas, &c. nunquam usu receptum fuit ab aliis Religionibus: ita Lezan. *Tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 58. Bordon. *suprà num.* 3. Frag. 2. *part. lib.* 11. *disp.* 4. §. 3. *n.* 1. hoc supposito.

131 DICO PRIMÒ. Prælati regulares possunt benedicere, benedictione solemni omnes suas Ecclesias, oratoria & ornamenta Ecclesiastica, in quibus chrisma non intervenit. Item possunt easdem Ecclesias non consecratas, quando pollutæ fuerint reconciliare, aqua benedicta à seipsis. Nam aqua benedicta ab Episcopo solum requiritur pro consecratis Ecclesiis, & quando Episcopus existit septem leucis à Conventu; nam tunc adire debent Episcopum pro aqua benedicta ad reconciliandum Ecclesias consecratas, Cruz *lib.* 2. *cap.* 5.
132 *dub.* 5. *concl.* 4. Capucinus, Henriquez, quos refert, & sequitur Portel. *in dub. regular. verbo* benedicere *num.* 1. & 2. Bordon. *resol.* 17. *n.* 2. Fragos. *supra n.* 21. ex privilegio Bonifacii IX. cujus Bullam refert idem Bordonus, & ex privilegio Julii II. Leonis X. Bulla 6. Sixti IV. & Gregor. XIII. quæ *ibi* refert Portel. de quibus etiam vide Dian. 6. *p. tract.* 6. *resol.* 22.

133 DICO SECUNDÒ: Possunt Prælati regulares, & etiam eorum Vicarii absentibus Prioribus, benedicere prædicta corporalia, & ornamenta, tam sui Conventus, quàm etiam undecunque venientium. Ex privilegio Innocentii VIII. facto Augustinianis per Bullam authenticam, ut cum Capucino notavit Vidal. *de jurisdictione n.* 25. & ex privilegio Leonis X. & Julii II. ut docet Lezan. *Tom.* 3. *verbo* benedicere *n.* 6. tum ex privilegio Pii V. facto Congreg. S. Justinæ de Padua, quod refert Portel. *suprà n.* 3. ita Mirand. Portel. quos refert, & sequitur Frag. *supra n.* 20. Mart. à S. JOSEPH *pag.* 522. *n.* 16. Peyr. Rodrig. Confectius, quos refert, & sequitur Vidal. *inquisit. de jurisdictione n.* 25. Pellizzar. *Tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *sect.* 3. *n.* 105. & 113. & ex nostris Joan. à SS. Sacram. *loc. cit. num.* 314. & Urban. *Tract.* 2. *part. dist.* 2. *cap.* 5. *Reg.* 4.

Nec refert si dicas cum Gavanto, quem refert, 134
& sequitur Bordon. *Tom.* 1. *resolut.* 17. *n.* 9. Sacram Congregationem anno 1609. declarasse Prælatos regulares non posse uti hujusmodi privilegiis ad benedicenda ornamenta extranea. Respondetur namque nobis non constare authenticè de hujusmodi declaratione, quod necessarium erat juxta declarationem novam ejusdem sacræ Congregationis sub Urbano VIII. anno 1623. quam refert Dian. *part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 53. ita Martin. à S. JOSEPH, *fol.* 523. *num.* 16. & Vidal. *supra.* & præfatus noster Joannes, qui *loc. cit. num.* 324. postremæ editionis ex Pasqualigo optimè defendit hanc sententiam, & argumenta contraria doctè dissolvit.

DICO TERTIÒ: Prælati regulares, & Vicarii e- 135
lecti à Capitulo, vel Definitorio possunt non extra, sed intra Conventus nostros benedicere quaslibet imagines, & vasa ad reponendum Sacramentum Eucharistiæ, tam propria, quàm extranea. Ita concessit Innocent. VIII. Bulla 5. possunt etiam benedicere campanas ex Bulla Innocent. VIII. & Julii II. Ita cum Lezan. Pellizzar. *Tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. 136
sect. 5. *n.* 105. In fine hujus paragraphi adverte Prælatos regulares posse delegare hanc facultatem ad omnes prædictas res benedicendas, sive sit ad corporalia benedicenda, sive Ecclesias, &c. non solùm suis subditis, sed etiam extraneis, ita cum aliis Pellizzarius *supra n.* 113. & 114.

§. 2.

§. 2.

De Missarum celebratione.

137 *Definire, & taxare stipendia pro Missis, pertinet ad Episcopum in synodo.*

138 *Generales non possunt dispensare, ut valeant collecta pro Missis, nec quod una pluribus stipendiis satisfiat.*

139 *Generales in suis Capitulis Generalibus possunt reducere Missas ad minorem numerum, quæ non fuerunt posita in limine fundationis, & ante Tridentinum.*

140 *Immo etiam illas, quæ fuerunt posita in limine fundationis.*

141 *Et etiam possunt reducere illas, quæ fuerunt posita post Tridentinum.*

142 *Decretum Vrbani de celebratione missarum non fuit receptum in Hispania.*

143 *Immo etiam, quæ fuerunt posita post decretum Vrbani VIII. de celebratione missarum.*

144 *Ad faciendam hanc reductionem missarum requiritur justa causa.*

145 *Facultas quam habent Generales reducendi missas comprehendit etiam anniversaria, & officia pro defunctis.*

Circa locum, & tempus celebrandi missas nihil invenio specialiter Prælatis concessum, quod non sit etiam aliis Religiosis concessum: & ideo in hoc loco nihil de his disputo, sed hæc omnia reservo ad sequentem disputationem *sect.* 4. §. 2. ubi invenies quæ hic desiderare poteras, quoad moderationem vero numeri missarum, aliqua hic nobis dicenda sunt.

137 Dico primo: Taxare, & definire stipendia, quæ à fidelibus danda sunt pro unaquaque Missa, pertinet ad Episcopum in Synodo Diœcesana, cui taxationi standum est, quandiu non constat taxationem esse injustam, quod si talis assignatio non fuerit facta ab Episcopo, tunc standum est Diœcesis consuetudini, vel partium conventioni, ita ex communi sententia Dicastillus *Tract.* 5. *de Sacrificio Missæ disp.* 4. *dub.* 20 *n.* 366. Vide etiam Tamburin. *Tom.* 2. *disp.* 5. *quæsito* 9. *n.* 3.

138 An autem Generales in aliquo casu possint dispensare, ut plura accipiantur stipendia pro una Missa affirmat Peyrinis *de privilegiis ad constitutionem Leonis X. num.* 9. *& ad Constitut.* 5. Julii II. §. 5. *ex privilegio* Julii II. *Bulla* 5. qui Generali Minimorum concessit, ut posse dispensare, ut valeant collectæ pro Missis usque ad novem, tam pro Ecclesiarum fabricis, quam pro aliis Fratrum necessitatibus, quando invenerit Conventus ita gravatos multitudine Missarum, ut celebrari non possint, applicando etiam porrigentibus eleemosynas talium Missarum, alia suffragia, & satisfactiones, quam concessionem postea confirmavit Leo X. *in Bulla*, quæ incipit *Exposcit delictorum*, quam refert Peyrin. *ibi.* ubi plura de hac re si desideraveris invenies.

Sed ego tam hæc, quam alia privilegia quæ de hac re à Doctoribus circumferuntur omnino reputo subreptitia, ut etiam cum collectore privilegiorum Minorum ea reputat Dicastillus *Tract.* 5. *de Sacrificio Missæ disputat.* 4. *dub.* 19. *num.* 351. & dato, quod hæc, & alia privilegia de hac materia fuissent vera, adhuc existimo fuisse concessa pro aliqua particulari provincia, vel domo pauperiori, unde non debent aliis, tam ejusdem, quam aliorum Ordinum communicari, nec possunt. Nam ut benè notavit Lezana *Tom.* 3. *verbo* Missa *numer.* 31. Basseus *verbo Missa* 7. *num.* 11. secundum praxim Religionum gratiæ concessæ per Brevia particularia à Sede Apostolica alicui domui, vel Conventui non solent communicari aliis, nec ejusdem, nec diversi Ordinis, aliàs magna, & absurda confusio inde sequeretur. Sed de his vide latius Lezan. *supra.*

Dico secundo: Generales Mendicantium possunt reducere Missas in suis Capitulis Generalibus ad minorem numerum, juxta formam Tridentini *sess.* 25. *de reformatione cap.* 4. & de Missis, quæ relictæ fuêre ante Tridentinum, & non impositæ in limine fundationis, ita docet Bonacin. *de Euch. disp.* 4. *q. ult. part.* 7. §. 2. *num.* 1. Lezan. *Tom.* 1. *cap.* 21 *n.* 6. Diana 1. *p. tract.* 14. *resolut.* 2. Bordon. *resol.* 21. *n.* 20. *tom.* 1. Belasius *verbo* Missa *n.* 8. & datur quædam declaratio Cardinalium, quam referunt prædicti Doctores. De illis vero, quæ impositæ fuêre in ipso limine fundationis tenent Henr. Mirand. *Tom.* 1. *q.* 41. *articulo, cap.* 24. Nam facultas Concilii videtur absoluta. 139 140

De illis autem, quæ fuerunt positæ post Tridentinum, & ante Decretum Urbani VIII. tenent Nald. Possivinus, Garcia, & alii quos refert Bonacin. *suprà num.* 11. Ratio illorum est, quia Trid. absolutè loquitur, & ipsius ratio militat non solum in legatis ante Trid. relictis, verum etiam postea: quam sententiam libenter, ait Bonacina, amplecterer, si contrarium non esset declaratum à congrega- 141 142

tione Cardinalium sub Urbano VIII. *de celebratione Missarum*, quæ absolutè prohibet has reductiones; sed Trull. *in praxi Sacramentor. lib. 3. cap. 8. lib. 11. n. 10.* asserit hoc decretum non fuisse in his Hispaniæ partibus receptum, & ideo posse adhuc fieri ab Episcopis, & Generalibus reductiones Missarum; & de facto affirmat factam fuisse hanc reductio-
143 nem Missarum à Patriarcha Valentino, non obstante tali decreto. Unde idem dicendum est de Missis, quæ post tale decretum impositæ fuêre, cùm non solum tale decretum in Hispania non fuerit receptum, sed neque nobis de illo constet authenticè, ut necessarium erat, juxta præscriptum ipsius Sacræ Congregationis, toties repetitum.

144 Advertendum tamen est, ad hanc reductionem faciendam, requiri justam causam; nam voluntas testatoris non potest absque justa causa violari. Ita Molin. Rodrig. & alii, quos refert Bonacin. *suprà.* Et si quæras, an etiam facultas hæc moderandi Missas comprehendat etiam anniversaria, & officia pro
145 defunctis? Respondetur affirmativè. Ita Garcia, Quaranta, & alii, quos refert, & sequitur Dian. 1. *part. tract. 14. resol. 5.* An autem hæc reductio sit semper facienda in Generali Capitulo? Respondeo affirmative. Saltem ubi Tridentinum est receptum, Bonacin. Garcia, & Diana *supra.*

SECTIO IV.

De potestate Prælatorum regularium œconomica circa temporalia.

§. I.

De alienatione rerum immobilium, & mobilium pretiosarum Conventus.

146 *Alienare bona immobilia, & mobilia pretiosa, non possunt Prælati absque certis solemnitatibus de jure communi.*

147 *Quæ solemnitates requirantur ad justam, & rectam alienationem?*

148 *Quid per bona immobilia, & mobilia pretiosa intelligatur.*

149 *Pecunia destinata ad emendam rem immobilem, & mobilem pretiosam dicitur res pretiosa.*

150 *Bulla, quæ dicitur* Ambitiosæ, *in multis locis non est usu recepta.*

151 *Prædicta Bulla* Ambitiosæ, *& cæteræ prohibentes alienationem sunt usu receptæ in Lusitania.*

152 *Prælati regulares possunt alienare bona immobilia, & mobilia pretiosa non servatis solemnitatibus.*

153 *Ad alienationem inter Regulares debet dari consensus majoris partis Capituli, & debet cedere in utilitatem Conventus.*

154 *Generalis, & Capitulum generale possunt absque licentia Papæ alienare, vendere, &c.*

155 *Immò & absque consensu Collegii, cujus est res alienanda.*

156 *Regulares possunt de licentia Generalis alienare, & in emphyteusim concedere, dummodo consentiant duæ partes Capituli.*

157 *Abbates & Priores possunt alienare sine consensu Papæ usque ad mille scuta.*

158 *Prior cum Conventu potest alienare, dummodo pretium in alia bona immobilia utiliora convertatur, si consuetudo, & statutum non detur in contrarium.*

159 *Privilegia concessa Regularibus ad alienandum sunt revocata, ubi decretum Vrbani est receptum.*

160 *Tale decretum non fuit receptum in Hispania, nec authenticum, nec promulgatum.*

161 *Vbi etiam tale decretum est receptum, dantur casus, in quibus possunt Regulares alienare sine illius solemnitatibus.*

162 *Primus casus est, si immineat necessitas tam urgens, ut non possit recurri ad Papam.*

163 *Si transeat occasio utilitatis Ecclesiæ, si consensus Apostolicus expectaretur.*

164 *Nomine alienationis tantum venit voluntaria.*

165 *Secundus casus est, si fiat consumptio seu transmutatio unius rei absque alicujus dominii directi translatione.*

166 *Non tamen potest res vendi, ut ejus pretium in rem utiliorem convertatur.*

167 *Possunt permutari res unius Ecclesiæ cum re alterius Ecclesiæ præcipuè regularis.*

168 *Possunt Prælati commodare ab breve tempus bona pretiosa Conventus.*

169 *Possunt dari res pretiosæ inter fratres ejusdem Conventus.*

170 *Vnus Conventus potest dare rem pretiosam mobilem, vel immobilem alteri Conventui ejusdem Religionis.*

171 *Prohibitio alienationis debet intelligi de alienatione per quam verè transfertur dominium, vel facta sæcularibus.*

172 *Prior non potest dare pretiosa unius Conventus alteri ejusdem Religionis absque consensu sui Capituli, & superioris, & absque causa.*
173 *Nostri Conventus possunt dare libros alicui Conventui non obstante Constitutione, modo dicto.*
174 *Quomodo intelligenda sit nostra Constitutio, quod Prælatus de consensu sui Capituli & Provincialis aliquem librum possit alienare.*
175 *Hæc resolutio non procedit in nostris Eremis.*
176 *Nulla res pretiosa etiam superflua potest alienari in nostris Eremis absque consensu nostri Definitorii generalis.*
177 *Quando Religio est incapax dominii, potest alienare absque solemnitatibus res immobiles sibi relictas.*
178 *Idem dicendum est, quando res detinetur ab Ecclesia injuste, vel sit relicta, ut vendatur.*
179 *Vel si debeat necessario vendi.*
180 *Quando res est modici valoris potest alienari absque prædictis solemnitatibus, & quid per res modici valoris intelligatur.*
181 *Quando prædia tantum alternis fructum annis ferunt, possunt locari per sexennium.*
182 *Locationes non possunt fieri nisi per triennium.*
183 *Possunt regulares repudiare legatum, vel hæreditatem absque dictis solemnitatibus.*

146 PRo explicatione §. hujus suppono, Prælatos regulares de jure communi non posse absque certis solemnitatibus bona immobilia, & mobilia pretiosa Conventus alienare, & relictis variis textibus juris antiqui, tam Civilis, quam Canonici, quæ congerit Tamb. *de jure Abbatum tom.* 3. *disp.* 13. *q.* 2. *num.* 1. constat ex *Extravag.* Ambitiosæ *de rebus Ecclesiæ non alienandis* à Paulo II. & ex Bulla, quæ incipit *Injunctum*, à Paulo IV. in qua omnem alienationem, & locationem quorumcumque bonorum Ecclesiasticorum in damnum Ecclesiarum, vel non servatis juris solemnitatibus, aut aliàs nulliter factam rescindit, & annullat.

147 Solemnitates autem quas jura postulant sunt. *Prima*, ut de alienatione facienda summus Pontifex consulatur. *Secunda*, ut præcedat tractatus Prælati cum Capitulo, quando Ecclesia de cujus alienatione agitur habet Capitulum, ut cum Panormitano notavit Megala *Tom* 1. *verbo* alienatio *n.* 13. *Tertia* consensus Capituli unà cum Rectore. *Quarta* consensus Prælati. *Quinta*, subscriptio singulorum saltem per Notarium; hæc tamen subscriptio tantùm est necessaria in casibus juris expressis: ut sunt, quando aliquid donatur, venditur, vel permutatur; ut cum aliis notavit Megala *supra*. Tandem requiritur justa alienandi causa: causæ autem justæ ad hæc quatuor capita reducuntur videlicet, *necessitas, utilitas, incommoditas*, & *pietas*; de quibus latè Tambur. *Tom.* 2. *disp.* 13. *quæsito* 4. *n.* 1. Megala *supra.* & noster Gabriel à S. Vinc. in suo opere de censuris, *disp.* 4. *quæst.* 4. *num.* 77. cum aliis.

Quæritur, quid per bona immobilia, & mobilia pretiosa intelligatur? Respondeo per bona immobilia intelligi, tam res corporeas affixas, & stabiles, quàm actiones & jura, vel redditus longi temporis, putà decem annorum. Item jura, seu debita rerum immobilium jam adquisita monasterio, & ab illo acceptata, ut excludantur legata nondum acceptata à Conventu, & his similia. Ita Lezan. *Tom.* 1. *cap.* 10. *num.* 4. Per bona autem mobilia pretiosa intelligi vasa aurea & argentea, vestes pretiosas, quæ longe distant ab interitu, & commodè servari possunt, gemmas, & his similia, greges ovium, aut caprarum: nam licèt possit vendi aries, agnus, &c. non tamen integer grex. Idem dicendum est de copiosa Bibliotheca, multitudine arborum, ferentium, vel non ferentium fructum quæ omnia comparantur immobilibus. Ita cum aliis Lezan. *supra num.* 4. An autem pecunia sit dicenda res mobilis pretiosa? Respondeo, quod si pecunia sit jam destinata ad rei emptionem, immobilis, vel mobilis pretiosæ, reputari tamquam pretiosa res. Idem dicendum est de pecunia redacta ex re immobili, vel mobili pretiosa. Ita cum multis Fragos. *suprà n.* 6. & noster Gabriel *loc. jam cit. num.* 87. licèt probabiliter contrarium teneat Bordon. *resol.* 27. *num.* 51. cum aliis. 148 149

An autem hujusmodi Bulla sit usu tecepta? variant DD. Bertach. *in tract. de Episc. p.* 4. *lib.* 4. *q.* 36. *num.* 19. testatur ubique esse receptam. E contra verò Sylv. *verbo* alienatio *num.* 15. fatetur non esse moribus utentium receptam: Cajetan. *in summa de excommunicatione num.* 57. dicit esse ubique receptam; non tamen ubique in totum, sed quoad aliquid. Bonac. verò *Tom.* 1. *de alienat.* [illegible] *disp.* 2. *q. unica p.* 5. §. 1 *num.* 4. affirmat paucissimis in locis esse receptam, non solùm quoad privationes beneficiorum, sed etiam quoad censuras, cujus sententiam approbat cum Covar. Azor. & aliis Delbene *Tom.* 2. *cap.* 17. *dub.* 4. *sect.* 2. *num.* 15. Garcia, quem refert, & sequitur Ventigrilia *de alienatione annotat.* 1. §. 4. *num.* 19. Immò addit Bonac. *supra* dictam extravagantem non videri usu receptam, non solum quoad pœnas, & censuras, sed etiam quoad 150

con-

consensum Apostolicum in alienatione quorumlibet bonorum Ecclesiasticorum, siquidem bona multa Ecclesiastica vendi consueverunt cum sola licentia Episcopi, non petita Papæ licentia, quam sententiam sequitur etiam Delbene *Tom.2. cap.17. dub.4.sect.2.num.6.*

151 Verum prædictum extravagantem *Ambitiosæ* usu receptam esse, & ita præsumi affirmant Riccius, Henriq. & Rota cum multis DD. *pluribus in locis*, quos refert, & sequitur Tamburin. *Tom.3 disp. 13.quæsito 12.num.12.* & Lezan.*Tom.4.qq.Reg. consil. 25.num.35.& sequentibus*, & quod sit usu recepta in tota Hispania testatur Avendan. Salzed. Diaz, Gutierr. Molin. quos refert, & sequitur Phæbus *decis.82.num.18.* & quod etiam in nostra Lusitania sit recepta usu affirmat Barb. quem refert & sequitur Tamb. *suprà* Gama, Caldas, quos refert & sequitur Phæbus *suprà* Rebellus *de justitia 2.p. lib. 10.q.5.n.9.* Molin. quem refert, & sequitur Frag. 2. p *lib.11.disp.24.§.5.num.6.* qui Doctores cum sint naturales hujus regni, & in ipsius juribus ac moribus versati, maximam eis fidem existimo esse adhibendam, his præjactis & prænotatis fundamentis.

152 DICO PRIMO: Quantumvis hujusmodi Bulla sit ubique recepta, adhuc illa non obstante, possunt Prælati regulares ex vi suorum privilegiorum bona immobilia, & mobilia pretiosa suorum Conventuum alienare, non servatis juris solemnitatibus in prædicta Bulla recensitis. Ita cum aliis communiter Tambur. *Tom.3.dub.19.quæsito 6. num.2.* Delben. *Tom. 2. cap. 17. dub.9. in resolutione difficultatis num.16.*

Incipiendo à nostra Congregatione constat, nam Paulus V. concessit nostris Carmelitis discalceatis, ut ipsorum Prælati possent omnia bona immobilia, & mobilia pretiosa suorum Conventuum alienare, dummodo fieret ex consensu nostri Definitorii generalis, & majoris partis Capituli illius

153 Conventus, & talis alienatio cederet in commodum, & utilitatem ipsorum Conventuum: & idem antea concesserat Carmelitis Gregorius XIII. dummodo loco nostri Definitorii adhiberetur consensus Generalis, ut patet ex eorum Bullis, quas refert nostrum compendium *pag.272. num.1.*

154 Et Paulus III. concessit Societati JESU, ut ejus Generalis, & generale Capitulum, pro necessitate eorum, seu utilitate absque sedis Apostolicæ licentia, possent alienare, vendere, permutare, dare, locare, obligare, hypothecare, & census redimibiles quoscumque imponere, & vendere, nec non de bonis eisdem compromittere, & quomodolibet super illis transigere, illisque simpliciter, vel lite desuper habita, & actione etiam in non possessorem cedere, & renunciare, & alia innumera, quæ continentur in dicta Bulla, quam refert Tambur. *Tom.3.disp.13. q.6.num.2.*

Et Gregorius XIII. in alia Bulla, quam *ibi* refert 155
Tambur. concessit eidem Societati, ut ejus bona possint arbitrio ejus Generalis, nulla super hoc à Sede Apostolica licentia petita, & absque eo quod etiam Collegia ipsa Capitulariter congregentur, alienari. Unde Generales, & Capitula aliorum Ordinum communicantia in privilegiis cum Societate hac concessione uti poterunt & alienare bona monasteriorum illis subditorum, inconsulto Romano Pontifice, & sine consensu subditorum monasteriorum, ad quos prædictum jus pertinebat. Ita Tambur. *supra num.2.*

Et idem Gregor. XIII. *constitutione 9.* apud Ro- 156
drig. *Tom.1.quæst.27.art.2.* concessit Fratribus, & monialibus Eremitarum Sancti Augustini, ut possent vendere, alienare, & permutare, & in emphyteusim concedere, dummodo emphyteusis non fiat ultra duas generationes absque consensu Apostolico, & loco illius de consensu Generalis Ordinis. Item quod locationes fieri possint in perpetuum, dummodo duæ partes Conventus consentiant, & fiant in ipsius Conventus utilitatem. Aliud simile privilegium concessit Leo X. Bulla 26. monialibus S. Claræ, & Tertiariis subjectis Ordini Minorum ad alienandum de consensu duarum partium Conventus, & de consensu Provincialis. Ita Rodrig. *Tom.1.quæst.27.art.2.* Tambur. *suprà num.6.* Plures similes Bullas, & Privilegia reperiet Lector apud nostrum Augustinum à Virgine MARIA libro, quem inscripsit *Privilegia omnium Religiosorum Ordinum Mendicantium & non Mendicantium* verb. *Alienatio bonorum.*

Immò Pius V. Bulla 141. concessit Congrega- 157
tioni Cassinensium, ut possit absque consensu Apostolico alienare bona ad summam 50. millium scutorum accedentia, quo privilegio possunt uti Abbates aliarum Congregationum communicantium. Tambur. *supra num.3.* Aliam concessionem referunt Portel. *verbo* alienatio *num. 2.* & Tamb. *suprà num. 9.* pro Religiosis Divi Hieronymi, in qua illis conceditur, ut Conventus cum Priore alienare possit hæreditates, possessiones, redditus, & jura testamenti, & alia similia, dummodo prætia eorum in alia bona Conventui utiliora, & immobilia convertantur, quo privilegio gaudent aliæ 158
Religio-

Religiones, nisi in eis sit aliqua consuetudo, vel Statutum in contrarium, ut cum Hieron. Rodrig. advertit Tambur. *supra n.* 4. Datur autem Satutum hoc in nostra Congregatione Carmelitana Discalceata, ut patet ex *prima parte* Constitutionum nostrarum congreg. Hispanicæ *cap.* 7. *num.* 6. 14. *&* 15.

159 An autem hujusmodi privilegia sint revocata per decretum Sacræ Congregationis sub Urbano VIII. quod refert Tamb. *supra num.* 7. in quo Papa revocat omnia privilegia Regularium ad alienandum immobiles res, & mobiles pretiosas absque consensu Apostolico, & juris solemnitatibus? Respondeo prædicta privilegia esse revocata, ubi tale decretum fuit legitimè promulgatum, receptum, & authenticum, non tamen ubi non fuit legitimè promulgatum, neque receptum, nec constat de illo authenticè; Ita respondet de alio simili decreto Urbani VIII. *de casibus Episcopo reservatis* Quintanad. quem refert Dian. 9. *p. tr.* 6. *resol.* 51. N. Urban. *Tract.* 2. *disp.* 1. *cap.* 1. *regul.* 7. Martin. à S. JOSEPH. *fol. mihi* 530. Vidal. *titulo de casibus reservatis inquisit.* 1. *num.* 121 Tambur. *in methodo confessionis lib.* 3. *cap.*
160 7. §. 4. *num.* 17. Unde cum hoc decretum nnn fuerit legitimè in hoc Lusitaniæ regno promulgatum & cætera, ut hìc *suprà*, siquidem quotidie videmus contrarium practicari, inde est, quo adhuc possint Prælati, saltem in hoc Regno uti præfatis privilegiis.

161 DICO SECUNDO etiam in locis in quibus tale decretum Urbani VIII. est legitimè promulgatum, &c. adhuc plures dantur casus, in quibus, solemnitatibus non servatis juris, nec petito Papæ beneplacito possunt Prælati regulares, seclusis suis privilegiis, & etiam Prælati sæculares bona Ecclesiastica immobilia, mobiliaque pretiosa alienare. *Pri-*
162 *mus casus* est, si immineat necessitas tam urgens, ut non possit expectari Papæ licentia, si, verbi gratia, deficiat victus pro Religiosis, pro alendis pauperibus, vel essent citò redimendi captivi à Piratis, &c. Nam tunc non solum possunt bona immobilia mobiliaque pretiosa oppignorari, sed vendi, Lezan. *Tom.* 1. *cap.* 10. *num.* 4. Peytin. & alii, quos refert, & sequitur Dian. 5. *p. tract.* 13. *resol.* 6. Tambur. *Tom.* 3. *disp.* 13. *quæsito* 9. *num.* 4. & noster Gabriel *loc. supra cit. num.* 83. Idem si transiret occasio utilitatis Ecclesiæ, si expectaretur Apostolicus consensus. Ita cum aliis Ventriglia *de alienatione annotat* 1. §. 3. *n.* 1. Quaranta, Filliucius & alii, quos refert & sequitur
163 Delbene *Tom.* 2. *cap.* 17. *dub.* 23. *num.* 2. Imò alienationis nomine tantùm venit voluntaria, & non necessaria, ut notavit Cevallos, quem refert, & sequitur Belasius *verbo* alienatio *num.* 7. quod est 164
notatu dignum ut advertit Belasius propter alienationes, quæ fiunt propter causam necessariam; eamdem sententiam tenet Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 27. *num.* 7.

Secundus casus est: si fiat consumptio, seu trans- 165
mutatio unius rei Ecclesiasticæ in aliam, absque alicujus dominii directi, vel utilis translatione, v. g. si ex calice vetusto & ecclesiæ non necessario, fiat crux necessaria, aut ex oliveto, vel silva ferè inutili fiat vinea fructifera, vel è contra; aut si arbores incidantur ad Ecclesiæ materialis reparationem, præsertim si aliunde non adsit pecunia, & urgeat necessitas. Ita Quarant. Navar. Rodrig. Peytin. Riccius, quos refert & sequitur Delbene *supra n.* 11. Secus dicendum est, si res Ecclesiæ alienetur, ut ejus 166
pretium convertatur in utilitatem, vel necessitatem Ecclesiæ, ut si lampades argenteæ vendantur, & pretium convertatur in fabricam, vel alium usum necessarium Ecclesiæ: nam tunc etiam requiritur consensus Apostolicus.

Tertius casus est, si fiat alienatio permutatione 167
rerum in aliam Ecclesiam; nam tunc possunt res Ecclesiæ alienari absque prædictis solemnitatibus, vel consensu Apostolico. Ita Riccius, Peregrinus, Megala, Bordon. Pasqualig. Barbos. & alii quos refert, & sequitur Delbene *Tom.* 2. *cap.* 17. *dub.* 13. *num.* 5. Tambur. *suprà num.* 8. quæ doctrina facilius procedit loquendo de Ecclesiis Regularium, eidem Prælato, Provinciali, vel Generali subjectis, juxta ea, quæ statim dicemus. Delbene *suprà dub.* 23. *num.* 13. Imò possunt Prælati tam regulares, 168
quàm sæculares cummodare ad breve tempus quæcumque bona Monasteriorum absque prædictis solemnitatibus, aut consensu Apostolico; nam per accommodationem non transfertur dominium. Ita Riccius, Bonacin. quos refert & sequitur Delben. *supra dub.* 1. *num.* 10.

Quartus casus est, si fiat donatio inter Religiosos 169
ejusdem Monasterii, Naldus, quem refert & sequitur Delben. proxime *supra num.* 14. Idem dicendum est si fiat donatio à Regulari unius monasterii, Regulari alterius Monasterii, vel provinciæ ejusdem Religionis, Riccius, Tamburin. quos refert, & sequitur Delben. *supra num.* 15. quod maximè notandum est cum Delbene *ibi* pro donationibus rerum pretiosarum, quas Regulares unius Conventus facere solent alii Monasterio cum sola licentia 170
Prælati; nam cum omnes Conventus unius Religionis in Congregationem redacti sint, non videtur

tur transferri dominium, si res unius Monasterii transferatur ad aliud ejusdem Congregationis: ita Tambur. *supra*, cui adde Peyrin. *Tom. 3. privileg. cap. 3. num. 20.* si aliâs adsit consensus Capituli illius Conventus.

171 Nec obstat prohibitio Extravagantis *Ambitiosæ*, vel decretum Urbani VIII. quia debent intelligi de alienatione, per quam transfertur verè dominium, vel de alienatione facta sæcularibus, vel aliis Conventibus alterius Religionis. Ita cum Riccio, Peyrinis *supra*, & idem dicendum est de commutatione; nam potest unus Conventus de solo consensu suorum Prælatorum, consensu Apostolico minimè requisito commutare rem pretiosam, mobilem, vel immobilem cum re similiter pretiosa alterius Conventus ejusdem Religionis; ut cum Riccio tenet Peyrin. *supra num. 22.* Nec obstat *cap. 1. de rebus Ecclesiasticis non alienandis* ubi dicitur non licere Abbati terram unius Ecclesiæ vertere ad aliam,
172 quamvis ambæ sint in ejus potestate. Nam glossa id intelligit, quod non possit Abbas id pro suo libito, & sine causa facere, non tamen quando datur causa, ut quando res superflua in uno Conventu datur alteri pauperiori, & egenti ejusdem Religionis, vel commutatur cum altera necessaria; ita Peyrinis *supra*.

Et hinc deducitur casus, de quo abhinc paucis diebus fui interrogatus; an Provincialis de consensu Prælati, & Communitatis unius Conventus nostræ Congregationis possit dare aliquos libros superfluos communis Bibliothecæ ejusdem Conven-
173 tus, alteri de novo incipienti ejusdem Provinciæ, non obstante Constitutione nostra 2. *p. cap. 4. n. 19.* in qua prohibetur ne Prælatus, etiam de sui Capituli & Provincialis consensu possit librum aliquem donare, vel alienare sub culpa gravi; & respondi posse ex præfato fundamento; Nam sicut prædicti Doctores prohibitionem Extravag. *Ambitiosæ* & decretum Urbani VIII. *de bonis regularium non alienandis*, intelligunt tantum de donatione, & alienatione, per quam in rigore transfertur dominium, vel de alienatione facta sæcularibus, vel saltem extraneis, ita debet etiam intelligi Constitutio nostra, nam cum sit lex prohibens, est odiosa, & debet restringi, unde tantum debet intelligi de donatione, & alienatione, per quam transfertur in extraneos dominium.

174 Et quód iste sit legitimus intellectus hujus legis colligitur ex tertia parte nostrarum Constitutionum *cap. 9. num. 6.* ubi dicitur: *Poterit tamen Prior cum consensu majoris partis Capituli Conventualis, & de licentia Provincialis alicui Monasterio egenti opem ferre:* quæ dispositio non debet intelligi tantum de rebus mobilibus non pretiosis, aliàs nihil lex concederet, nam prædictas res mobiles non pretiosas, ut sunt pecunia non destinata ad emendam rem immobilem, vestes, vinum, &c. Prior prudenter alienare potest, ut cum communi sententia docet Tamburin. *Tom. 3. disput. 13. quæsito primo num. 7.* qua licentia possunt etiam uti nostri Priores, nisi res alienanda sit notabilis, nam tunc debet hæc alienatio fieri de consensu Clavariorum, ut patet ex *prima part. nostrarum Constitutionum cap. 7. num. 6.* ergo cum alias permittat Priori, ut modo dicto possit alicui Conventui egenti opem ferre, debet intelligi de immobilibus bonis, seu mobilibus pretiosis, quæ aliàs Prior nec de consensu sui Capituli, nec Provincialis alienare poterat, nam lex taliter debet interpretari, quod inutilis non reddatur, *lege* non dubium, *Capite* de lege, ut cum Sarmiento notavit Cruz *lib. 2. cap. 2. dubio 3. regul. 1.* Adverte tamen 175
hanc resolutionem non habere locum in nostris Eremis, in quibus Visitatores etiam si sit Pater noster Generalis, non possunt etiam de consensu Capituli ipsius Eremi dare bona mobilia pretiosa etiam superflua ipsius Eremi, aliis Ordinis Conventibus absque consensu nostri Definitorii generalis, ut patet *ex tertia parte nostrarum Constitutionum capite* 176
undecimo §. 4. n. 3. bene tamen de illius consensu, immò ad hoc teneri, ut patet ex eadem lege.

Quintus casus est, quando bona immobilia sunt 177
relicta Religioni incapaci bonorum immobilium in communi. Sanchez, quem refert, & sequitur noster Lezana *capite decimo Tom. 1. numer 4.* Delbene *supra num. 17.* Riccius, Barbosa, quem refert, & sequitur Palaus *Tom. 2. tractatu 12. disputatione unica p. 11. §. 1. num. 12.* & noster Gabr. *loc. cit. num. 84.* & idem dicendum est de re mobili pretiosa relicta Conventui similiter incapaci bonorum immobilium in communi. Palaus *num. 13.* Navarr. quem refert, & sequitur, Diana *5. parte, tractatu 13. resolutione sexta in fine.*

Sextus casus est, si res sit relicta cum onere alie- 178
nandi, vel si detineatur ab Ecclesia injustè. Item si sit relicta per fideicommissum cum onere, quod post aliquod tempus alicui restituatur, quia transacto illo tempore non est amplius Ecclesiæ, Barbosa, & alii quos refert, & sequitur Delbene *supra*, Lezana *supra num. 4.* noster Gabr. *loc. cit.* Item si vendita fuit cum pacto de retrovendendo, Bordon. Redoanus, quos refert, & sequitur Delben. *supra n. 23.* Item si sint bona solita infeudari, in emphy- 179
teusim

teusim concedi. Rodrig. & Molina, quos refert & sequitur Lezana *Tom.1.cap.decimo,num.4.* Rivius, & alii, quos refert & sequitur Delben. *Tom. 2. cap. 17. dubio 15. num. 1.* Item sit debeat necessario alienari, ut quia, verbi gratia, est indivisim in manu sæcularis, qui illam vendere vult; Bordon, & alii apud Delb. *supra num. 22.* Item si fiat donatio in remunerationem beneficiorum. Ita cum aliis Barb. quem refert & sequitur Delb. *supra num. 16.* Tamb. *ubi supra.*

180 *Septimus casus* est, quando res alienanda, est modici valoris, Lezana *supra num. 14.* quid autem per modicum valorem intelligatur? Aliqui dicunt non debere excedere 25. aureos, ita Naldus, Homobonus, & alii, quos refert Delbene *Tom.2.cap.17.dub. 1. num. 23.* Sed Palaus, Molina, & alii, quos refert, & sequitur idem Delbene *supra num. 24.* dicunt posse alienari sine prædictis solemnitatibus, & consensu sedis Apostolicæ, res quæ valet centum aureos. Vide, quæ circa hæc refert ex praxi variarum diœcesium præfatus Gabriel *loc. supra cit.*

181 *Octavus casus* est quoad locationem, quando prædia alternis tantum annis fructum ferunt possunt locari in sexennium, & sic respective; nam annus in locatione non taxatur ex simplici decursu temporis, sed ex fructu: Navar. Azor, quos refert,

182 & sequitur Lezan. *supra num. 4.* Non possunt tamen fieri locationes ad sex, vel novem annos cum conditione, ut tot sint locationes, quot triennia; quia hoc est in fraudem legis: Filliucius, quem refert, & sequitur Lezan. *ibi num. 4.*

183 Tandem in repudiatione legati, vel hæreditatis Monasterio relictæ possunt Abbates sine prædictis solemnitatibus inconsulto Papa repudiare. Ita Suar. Jas. Federicus Senens. & alii, quos refert & sequitur Tambur. *de jure Abbatum supra,* & quoad regulares constat clarius ex privilegiis Julii III. & Gregor. XIII. concessis Societati, per quæ Præpositus Generalis, & Capitulum generale possunt etiam actionem in non possessorem cedere, & repudiare, quæ privilegia quoad hanc partem non sunt revocata per decretum sacræ Congregationis sub Urbano VIII. *de rebus regularium non alienandis,* ut notavit Tambur. *supra num. 7.* Pro alis autem punctis super hoc dubium consule Tamburinum *Tom. 3. disp. 13. & 14.* Delbene *ubi supra.* & alios.

§. 2.

De fundatione, & commutatione, seu unione Conventuum.

184 *Nostri Prælati inferiores de consensu Generalis & Definitorii possunt ubique Monasteria fundare.*

185 *Regulares possunt fundare Conventus novos absque sedis Apostolicæ nova licentia.*

186 *Possunt recipere ad fundationes, etiam Ecclesias parochiales absque sedis Apostolicæ licentia.*

187 *Decretum Urbani VIII. de fundatione Conventuum cum certis conditionibus non fuit in hoc Lusitaniæ regno receptum.*

188 *Prælati nostri possunt Monasteria ædificare, etiam juxta alias domos Regularium.*

189 *Et hoc non obstantibus privilegiis in contrarium aliquibus Regularibus concessis.*

190 *Possunt compellere vicinos ad vendendas etiam proprias domos ad ædificationem Ecclesiæ, claustri, dormitorii, & etiam viridarii, vel similium.*

191 *Possunt impedire alia Monasteria, ne ædificia nimium altè erigant, si eis nocuerit, & idem possunt facere cum sæcularibus, imo, neque ut fenestras, aut januas aperiant, &c.*

192 *Generales possunt Monasteria mutare ad meliora loca.*

193 *Generales & Capitulum generale possunt Monasteria unire sine licentia Diœcesani.*

194 *Conventus non potens octo fratres sustentare, potest alteri incorporari.*

195 *Hæc omnia debent in nostra Religione fieri de consensu nostri Definitorii generalis.*

196 *Regulares de consensu Generalis possunt Monasteria deserere.*

197 *Possunt Monasterium transferre in usus profanos, postquam desiit esse Monasterium.*

Dico I. Superiores nostri de consensu Generalis, & Definitorii juxta nostras Constitutiones 184
possunt ubique locorum domos, & Monasteria ædificare, juxta Tridentini decreta de sola Ordinarii licentia, nullo aliarum personarum cujusvis Ordinis etiam Regularium requisito consensu, non obstante Clementis VIII. Bulla data 23. Junii, anno 1603. aliisque constitutionibus Apostolicis. Ita concessit Paulus V. nostris Carmelitis Discalceatis, ut ha-

ut habetur *in monumentis Ordinis fol.* 244. *num.* 2. quam concessionem postea confirmavit, & auxit Gregor. XV. in Bulla, quæ habetur *in iisdem monumentis Ordinis fol.* 305. *num.* 2.

185 Immò Julius II. concessit Minimis posse nova Monasteria ædificare absque alia nova licentia Apostolica, & sub pœna excommunicationis prohibuit ne quicunque Prælati Ecclesiastici cujuscumque dignitatis existant, eos inquietare audeant. Ita testatur Tambur. *Tom.* 3. *disp.* 5. *quæsito* 1 *num.* 4. & idem Julius II. *constitut.* 2. *apud Peyr.* concessit Eremitis S. Augustini facultatem ad recipienda nova loca, & Ecclesias, etiam parochiales, ac cujuscumque Ordinis, absque sedis Apostolicæ licentia, quod privilegium ait Lezan. *Tom.* 2. *verbo* Monasterium *num.* 21. non esse revocatum. Et idem privilegium quoad receptionem Ecclesiarum parochialium concessit Xistus IV. Carmelitis, *in suo Mari magno,* ut *ibi* refert Lezana. Vide nostrum Ildephonsum à JESU-MARIA in *scholiis hujus Mar. magni.*

186 An autem hujusmodi privilegia sint revocata per decretum Urbani VIII. anno 1624. die 28. Augusti, quod refert Novarius *in lucerna regularium verbo* Monasterium *num.* 5. in quo prohibet ne Mo-
187 nasteria Regularium ædificentur, nisi servata Tridentini forma, Clementis VIII. ac Gregor. XV. non obstantibus quibuscumque privilegiis in contrarium? Respondeo tale decretum non fuisse in hoc regno sufficienter promulgatum, nec fuisse usu receptum, nec constare de illo authenticè, ut *supra* diximus de alio simili decreto ejusdem Urbani VIII. *disp.* 1. *sect.* 4. §. 1. *n.* 160. Unde contrarium videmus in hoc regno quotidie practicari, siquidem cum sola licentia Ordinarii, & oppidi, ubi construendum est Monasterium, & Regis, Conventus re-
188 gulares ædificantur ab omnibus Regularibus hujus regni.

Dico II. Nostri Prælati possunt ubique Monasteria modo dicto ædificare, non obstantibus privilegiis Mendicantium, etiamsi tales domus aliis domibus Regularium, etiam Mendicantium magis vicinæ sint, quam in principio Mendicantibus fertur concessum; dummodo tamen Ordinariorum locorum expressus ad hoc accedat consensus: ita
189 concessit Gregor. XV. in Bulla, quæ habetur *in monumentis Ordinis fol.* 305. *num.* 2. Dixi *non obstantibus privilegiis Mendicantium*; Nam Xistus IV. concesserat Carmelitis, ut nullus Ordo etiam Mendicantium, aut alia persona prope domos illorum Ecclesiam, vel domos construeret, aut de novo reciperet per spatium 140. cannarum per aërem mensurandarum. Et Julius II. in alio privilegio concesso Prædicatoribus extendit hoc spatium ad 300. cannas octo palmorum. Plura similia privi- 190
legia videre poterit Lector apud præfatum nostrum Augustinum *loc. cit. verbo* ædificare.

Dico III. Prælati regulares possunt compellere vicinos Conventuum, ad vendendum etiam suam propriam domum, pro Ecclesia construenda, vel amplianda. Ita communiter Doctores *apud Tambur. Tom.* 3. *disp.* 15. *quæsito* 2. *numer.* 1. ubi dicit ita fuisse judicatum à sacra Rota Romana. Idem dicendum est pro ædificatione claustri; pro scholis faciendis, pro dormitorio extendendo, immò & pro viridario, ut cum multis latè probat *ibi* Tambur. Item potest compelli vicinus ad vendendum Religiosis servitutem altius non attollendi ædificium etiam via publica intermedia, Farinacius, Riccius, & alii, quos refert & sequitur Tambur. *suprà num.* 3.

Possunt etiam impedire Monasteria aliorum Re- 191
ligiosorum, ne sua in altum protendant ædificia, & fenestras, aut januas aperiant, ita ut præexistens Monasterium molestetur, & ut claustra interiora Conventus, tam Monachorum, quàm monialium possint introspicere; & idem à fortiori possunt facere erga sæculares, si propè Conventus erigant ædificia, vel januas interiora Conventus introspicientes aperiant. Ita in multis textibus, & Doctoribus probat Rodrig. *in additione ad sum. Tom.* 3. *cap.* 45. *numer.* 3. Portel. Hieron. Rodrig. & alii quos refert & sequitur Tambur. *Tom.* 3. *disp.* 5. *quæsito* 2. *numer.* 4. Barbos. quem refert, & sequitur Lezan. *Tom.* 2. *verbo* Monasteria Regularium *num.* 22. Belasius *verbo* Monasterium *numer.* 22.

Dico IV. Generales Regularium possunt trans- 192
ferre Monasteria fundata in locis sterilibus, & inaquosis, aut dominorum temporalium bona eorum occupantium ad alia loca cum suis redditibus, fructibus, & proventibus, licentia Ordinariorum minimè requisita. Ita concessit Xistus V. Congregationi S. Benedicti in Portugallia Bulla 21. ut testatur Tambur. *Tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 4. *numer.* 3. Idem concessit Benedictis Vallisoleti Pius II. Bulla 8. & Minoribus Xistus IV. Bula 14. & Prædicatoribus Bulla 33. & Alex. IV. Bulla 7. qui etiam concesserunt posse Religiosos bona sua secum deferre, & vendere ædificia, & solum

solum seu fundum, præter Ecclesias. Ita Pius II. & Alexand. IV. in præfatis Bullis. Vide de hoc latè Lezan. *supra num.* 37. & Tambur. *loco citato*, ubi plures refert.

Dico V. Generales Ordinum, & Capitula ge-
193 neralia possunt Monasteria, & prioratus Ordinis, etiam monialium, unire pauperibus Monasteriis, sine licentia Diœcesani, aut alterius, non obstantibus statutis Apostolicis, vel Monasteriorum etiam juratis. Ita concessit Cisterciensibus Joannes XXII. Bulla 1. & Pius II. Bulla 6. concessit Priori Benedictino Vallisoletano posse duo, vel tria Monasteria, ubi tres, aut quatuor monachi sustentari non possunt cum consensu superiorum talium Conventuum in unum Monasterium unire, ubi
194 12. saltem Monachi constituantur. Immò Innocentius VIII. Bulla 3. concessit Prædicatoribus, quòd Conventus non valens octo Religiosos sustentare, possit alteri incorporari per Provincialem, dummodo tamen absque scandalo fiat, & in Ecclesia incorporati non cesset cultus divinus. Ita cum aliis Peyrin. *de privileg. ad const.* 2. *Julii II. num.* 80. Tambur. *Tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 4. *num.* 3.

195 Quæ omnia in Congregatione nostra debent fieri de consensu nostri R. P. Præpositi Generalis, cum suo Definitorio generali, ita disponitur 3. *p. nostrarum constitutionum cap.* 8. *num.* 1.

196 An autem Regulares possint deserere monasteria semel acceptata sine licentia Papæ? de consensu Generalis affirmat Portel. *verbo* Monasterium *num.* 4. *in dub. regular.* Tambur. *Tom.* 3. *disp.* 5. *quæsito* 7. *num.* 5. quidquid in contrarium dicat Lezan. *Tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 36. Possunt etiam monasterium transferre in usus profanos, postquam desinit esse monasterium, Tambur. *supra num.* 4. & in casu alicujus necessitatis magnæ, & de consensu Episcopi, docet etiam Lezana *supra num.* 3.

197 Quæ doctrina debet intelligi de Conventibus jam erectis, non verò de domibus, in quibus Regulares vivunt, dum Conventus ædificatur, etiamsi in illo construxerint Ecclesiam, vel oratorium, ut experientia quotidiana cernitur.

§. 3.

De conservatore.

198 *Omnes Prælati regulares, imò & Religiosi privati possunt nominare sibi judices Conservatores.*

199 *Qui in Conservatorem eligendus est, debet Ecclesiastica dignitate perfulgere.*

200 *Qualis debeat esse hujusmodi dignitas Ecclesiastica, an sufficiat Canonicatus.*

201 *Priores, & Guardiani possunt eligi in Conservatores.*

202 *Ita declaravit Sacra Congregatio secundùm aliquos.*

203 *Qui eligendi sunt in Conservatores, debent esse designati in synodo, & ex eis debent Regulares eligere, quos maluerint inter mensem.*

204 *Sufficit unus Conservator pro pluribus Diœcesibus.*

205 *Si Regulares non eligant Conservatorem tempore præfixo à Gregorio XV. an possint posteà eligere?*

206 *In his regnis nullibi sunt deputati judices synodales.*

207 *Regulares possunt eligere in Conservatores eos, qui habent qualitates de jure communi requisitas, si non fuerint synodales.*

208 *Qui in Conservatores electi sunt, tenentur acceptare sub anathemate Papæ reservato.*

209 *Designato uno Conservatore pro una causa, non potest alius sine gravi ratione designari.*

210 *Officium Conservatoris non expirat morte Papæ concedentis.*

211 *Ante constitutionem Gregor. XV. poterant Conservatores cognoscere de omnibus causis, tam civilibus, quàm criminalibus, quàm mixtis, &c.*

212 *Nunc non possunt cognoscere de causis, in quibus Regulares sunt Actores, sed in eis, in quibus sunt rei, & in eis, in quibus Actores fuerint quoad injurias manifestas, & violentas.*

213 *Conservator debet priùs examinare an delictum sit notorium, ut fundet suam jurisdictionem.*

214 *Conservator potest eam adhibere indaginem, quæ in notoriis adhiberi solet.*

215 *Possunt procedere in manifestis injuriis, & violentiis, & maximè pro defensione privilegiorum.*

216 *Controversiæ ortæ inter Conservatores & Ordinarios per judices arbitros judicandæ sunt.*

217 *Possunt Prælati eligere Conservatores extra Diœcesim per tres diætas, & quid per unam diætam intelligatur?*

218 *Conservatores non possunt exercere suum munus extra civitates, in quibus fuerint deputati, possunt tamen alteri ibi suum officium delegare.*

219 *Conservatores possunt procedere ad defensionem familiarium actu servientium Regularibus.*
220 *Immò etiam possunt procedere ad defensionem syndicorum, & procuratoris regularium.*

198 DIco I. Omnes Prælati regulares, imò etiam Religiosi particulares possunt nominare sibi Conservatores judices; ita concessit nobis Xistus IV. ita Lezana *Tom.* 2. *cap.* 10. vel secundùm alios *Tom.* 1. *cap.* 10. circa quam diversitatem in modo citandi unum eundemque locum, notandum est hìc semel pro semper, R. P. N. Lezanam in postrema editione suorum Operum Moralium ac Regularium, facta Lugduni anno 1655. ita illa in *quatuor Tomos* distribuisse: ut *primus* & *secundus* contineret *summam quæst. Regularium*: Tertius *quæst. Regulares super Mare magnum omnium Religionum*: ac quartus *Consulta seu Consilia varia Theologica, Regularia atque Juridica.* Hanc editionem sequendo, quidam tantùm quatuor Tomos: alii priorem editionem, sex Tomos Lezanæ citant: pro quo ulterius sciendum, quòd primus & secundus Tomus in duas partes, vel Tomos, primùm subdividebantur, sicque jam *quatuor* sola prædicta *summa quæst. Reg.* constitut. & *quintum* quæst. super *Mare magnum*, &c. *sextumque* Consilia præfata. Hæc dixerim ad detegendam, tollendamque confusionem in citatione operum N. Lezanæ. quæ vitaretur, si citaretur semper distinctim Pars prima vel secunda Tomi primi: & non pro 2. part. Tomi primi Tomus secundus. Hæc hactenus, redeamus nunc ad id quod dicere inceperamus.

Prædicatoribus Pius V. idem concessit: Minimis Julius II. & Clemens VII. & tandem Societati Jesu Gregor. XIII. quæ privilegia omnia fuêre concessa per Bullas, ut testatur Lezana *supra num.*
199 4. & 5. Hic autem qui in Conservatorem eligendus est, debet aliqua Ecclesiastica dignitate perfulgere, scilicet Episcopi, Archiepiscopi, Abbatis, Cardinalis, Vicarii Episcopi, Archidiaconi, Archipresbyteri, Decani, imò etiam Prioris sæcularis Ecclesiæ Collegiatæ, Vicecancellarii Papæ, Camerarii, Pœnitentiarii, Clerici Cameræ, Auditoris Curiæ causarum dictæ Cameræ, Auditoris Rotæ, Referendarii, & hoc tam jure communi, quàm ex privilegiis. Ita cum multis Peyrin. *ad*
200 *constitut.* 5. *Gregor. XV.* Immò etiam Canonici Cathedralium possunt eligi in Conservatores, saltem ex privilegio, ita cum aliis Peyr. *loco citato,* Lezan. *Tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 12. & *seqq.*

An autem Prælati regulares, etiam immediati, 201
scilicet Priores, & Guardiani possint eligi in Conservatores? majus est dubium. Respondendum tamen est affirmativè, quia etiam illi sunt personæ Ecclesiasticæ in dignitate constitutæ. Ita Rodrig. Passarel. Moneta, & alii, quos refert & sequitur Peyrin. *supra num.* 11. Frag. 2. *p. lib.* 4. *cap.* 12. §. 1. *num.* 3. Pellizzar. *Tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *sect.* 4. *num.* 90. Lezan. *Tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 14. Tambur. *Tom.* 3. *disp.* 17. *quæsito* 4. *num.* 1. Ventriglia *annot.* 27. §. 1. *num.* 11. & patet ex privilegio Clement. VII. pro Minimis, quod refert Lezan. *in Consiliis, consil.* 40. *num.* 85. quod privilegium dirigitur ad Priores.

Nec obstat quædam declaratio Cardinalium, 202
quam refert idem Fragos. in qua dicitur Prælatos regulares non posse eligi in judices Conservatores, nam ut notavit Lezana, hujusmodi declaratio potiùs favet Regularibus. Unde immeritò, ut *ibi* ait Lezana, refertur à Barb. & Gavanto pro contraria parte. Unde cùm talis declaratio pro utraque parte afferatur, ad nihil deservit, ut ibi cum multis notavit Lezana; Et idem quod diximus de Prælatis regularibus, dicendum etiam est de Definitoribus, licet enim non sit dignitas, est tamen personatus; ita cum multis Lezan. *in Consiliis, consil.* 40. *num.* 68. imò ipsi etiam Sub-priores, quando sunt Vicarii Conventuum, in absentia Priorum, à lege constituti, possunt eligi in judices Conservatores, ut eruditè demonstrat N. Joannes à SS. Sacramento in suo *Priore Claustrali* 3. *part. num.* 304. & *seqq.*

Hi autem, qui in Conservatores eligendi sunt 203
juxta constitutionem Gregor. XV. debent esse designati in Synodo, & ex illis, qui in Synodo sunt deputati, debent Regulares eligere in Conservatores, quos maluerint in suis Capitulis Provincialibus, & intra mensem à die electionis indicere Episcopo loci, ut videre est apud præcitatos Doctores; & sacra Congregatio anno 1633. declaravit hanc electionem Conservatorum debere fieri à Regularibus in singulis Diœcesibus, in quibus sunt monasteria. Ita Lezan. *Tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 79. 204
quæ declaratio si certa est, ut ait Lezana, non sufficit unus Conservator pro pluribus Diœcesibus. In casu tamen quod Regulares non eligant tempore præfixo à Gregorio XV. dicto tempore elapso, quandocumque eis libuerit, eos eligere possunt. Ita declaravit sacra Congregatio apud 205
Barbosam, quam refert & sequitur Lezana *loc. cit.* Belas. *verbo* Conservator *n.* 3.

Immò,

206 Immò, cùm in his regnis judices synodales nullibi ab Episcopo sint deputati, Regulares possunt eligere illos, qui habent qualitates de jure communi: hoc est, qui sint in dignitate Ecclesiastica vel personatu constituti; nam ad impossibile nemo tetur, *l. si quis in gravi in principio*, ubi Bartholus *ff. ad Syllan.* ita Naldus, quem refert Dian. *9. p. tract. 6. resol. 26.* & idem usus quotidianus confirmat. In hac enim parte non videtur constitutio Gregor. XV. usu recepta, sicut nec fuit similis constitutio Clement. VIII. ut docet Peyrin. *ad constitut. 5. Gregor. XV. §. 1. num. 1.* & tenet Freitas, & alii, quos refert, & sequitur Lezana *Tom. 4.* qui est de
207 *consiliis, consil. 40. num. 88.* Immò hoc punctum ita est decisum ab Innocentio X. anno 1648. die 14. Maji, in quadam Bulla, quam refert Lezan. *loco citato num. 110. in fine.*

208 Illi autem, qui in Conservatores electi sunt, tenentur non solùm ex charitate, sed sub anathemate Papæ reservato acceptare, nisi aliqua gravi causâ excusentur: ita concessit Julius II. Minoribus, & Leo X. in favorem Mendicantium, & clariùs Pius V. Dominicanis in Bullis, quas refert Lezana *Tom. cit. part. 2. cap. 10. num. 18.* Designato autem uno Conservatore pro una causa, non potest pro ea alius nominari sine gravi ratione de novo urgenti:
209 ita cum aliis Lezan. *supra num. 19.* Immò officium Conservatoris non expirat morte Papæ concedentis, non enim est privilegium personale, hoc est, concessum personæ particulari, sed reale, & ita usus obtinuit, ut notavit cum Rodrig. Lezana *supra*
210 *num. 2.* Et hoc etiam post constitutionem Gregor. XV. cum suis limitationibus.

211 Dico II. Auctoritas, & jurisdictio horum Conservatorum regularium ante constitutionem Gregor. XV. amplissima erat; poterant enim cognoscere de omnibus causis, tam civilibus, quàm criminalibus, seu mixtis, tam in eis, in quibus Rei, quàm in quibus actores Regulares erant, & de quibuscumque injuriis, ac molestiis, aut violentiis, tam manifestis, quàm non manifestis, sine judiciali indagine, vel cum illa, prout causa requireret, ut constat ex Bullis Xisti IV. pro Carmelitis, & Clementis VII. pro Minimis & Pii V. pro Dominicanis, & Gregor. XIII. pro Jesuitis, ut latè probat Lezan. *Tom. sæpius cit. cap. 10. num. 22. 23. 24. 29. 30. & 60.*

212 Nunc tamen juxta Bullam Gregor. XV. solùm possunt cognoscere de illis causis, in quibus Regulares sunt Rei, non Actores, & juxta præscriptum sacræ Congregationis anno 1624. etiam in iis, in quibus Actores fuerint, quoad injurias tantùm manifestas, & violentas secundùm formam *cap. final. de officio delegati in 6.* Unde si injuria, vel 213
violentia non fuerit manifesta, non potest Conservator procedere; si tamen Conservator dubitaverit de illa notorii qualitate, vel clarè ea non appareat, poterit ante omnia examinare summariè, an violentia seu injuria, de qua agitur, notoria sit; & super eam probationes excipere ad fundandam suam jurisdictionem, ita ut si inveniat eam notoriam procedat, aliàs se incompetentem pronuntiet; Barbosa, quem refert & sequitur Lezana *loco cit. cap. 10. num. 62.* Tambur. *Tom. 3. disp. 17. quæsito 1. num. 15.* Generaliter etiam Conservator potest 214
eam adhibere indaginem, quæ in notoriis solet adhiberi, & debetur, quia cùm committitur jurisdictio, committitur quoque id, sine quo exerceri non potest; Moneta, & Molina, quos refert, & sequitur Lezana *ubi supra num. 62.*

Possunt item procedere in manifestis injuriis, & 215
violentiis juxta Bullam Gregor. XV. & declarationem sacræ Congregationis ad defensionem quorumcunque bonorum mobilium, seu imobilium, jurium seu possessionum regularium, sibi ad defensionem commissorum, ex privilegio Eugenii IV. pro Hieronymianis, & Clem. VII. pro Minimis, & Pii V. pro Dominicanis, & Gregor. XIII. pro Jesuitis, maximè tamen pro defensione privilegiorum, seu indultorum eorumdem, ex privilegio Xisti IV. pro Carmelitis. Controversiæ autem ortæ 216
inter Conservatores, & Ordinarios super competentia jurisdictionis, per arbitros in forma juris electos decidendæ sunt, & interim in causa non procedendum, sic habetur in præfata constitutione Gregor. XV. quæ omnia latè Lezana *suprà num. 67. & seqq.*

Dico III. Possunt Prælati regulares eligere 217
Conservatores non solum in Diœcesibus, ubi sunt Conventus sui Ordinis, sed etiam extra, dummodo reus non possit citari ultra tres diætas computandas à fine Diœcesis, non à fine ædificiorum Diœcesis, Rodrig. Portel. quos refert, & sequitur Lezana *supra num. 27.* Peyr. *ad constitut. Gregor. XV.* Tambur. *supra num. 23.* Per unam autem diætam intelligitur iter unius diei, id est, viginti milliaria, Lezan. *suprà.* Ita concessit Clemens VII. & Gregor. XIII. *suprà.*

Neque in hac parte aliquid videtur innovatum 218
à Gregor. XV. nam in sua Constitutione solùm prohibet, ne Conservatores exerceant suam jurisdictionem extra civitates, & Diœceses, in quibus deputati

deputati sunt, id est, quòd non possint exercere suum munus Conservatoris, cùm à civitatibus, vel Diœcesibus, in quibus fuerint deputati, abfuerint; Poterunt tunc tamen alteri existenti in loco, in quo ipsi fuêre deputati, suum officium delegare. Ita Peyrin. ad constitut. Gregor. XV. *num.* 17. Lezana *suprà num.* 64. Moneta, Sorbus, Rodrig. & alii quos refert & sequitur Tambur. *Tom.* 3. *disp.* 17. *quæsito* 1. *num.* 6.

219 Dico IV. possunt etiam Conservatores procedere ad defensionem servitorum, seu familiarium Religiosorum in manifestis injuriis, seu violentiis modo dicto. Ita concessit Pius V. pro Dominicanis, & Gregor. XIII. pro Jesuitis, Bullis *suprà* relatis, debent tamen servitores actu inservire intra septa monasterii, & ibi residere juxta decretum Tridentini *sess.* 24. *cap.* 11. Rodrig. quem refert, & sequitur Lezan. *suprà num.* 65. Villalob. 2. *p. tract.* 35. *diff.* 6. *num.* 9. Immò etiam possunt procedere ad defensionem syndicorum, & Procuratoris fratrum in casibus spectantibus ad suum officium, non verò ut singulares personæ, ex aliâ Bulla Clement. VII. Lezana *supra num.* 66. Portel.

220 *verbo* Syndicus, *num.* 5. De privilegiis autem, quæ competunt hujusmodi Conservatoribus, & si quæ alia de hac materia desideraveris, vide Tambur. Lezan. Peyrin. Fragos. *locis citatis.* & N. Augustinum supra cit. verb. *Conservatores* in suis Privilegiis, &c. nam ego illis omnibus, quia nostrum superant institutum, supersedeo.

§. 4.

De Notariis Religiosorum.

221 *Notarius quid sit?*

222 *Monachus jure communi repellitur ab officio Notarii.*

223 *Generales, & Provinciales possunt creare Notarios in causis suorum privilegiorum, Regulares, vel sæculares.*

224 *Notarii creati à prædictis sunt perpetui pro negotiis privilegiorum, & non solùm pro negotiis communibus, sed etiam particularibus, scilicet pro informationibus novitiorum, &c.*

225 *Notarii regulares possunt transumpta Bullarum Apostolicarum conficere.*

226 *Possunt intimare, & exequi mandata Apostolica, quando concernunt interesse Regularium.*

227 *Possunt Prælati instituere Notarios ad intimanda decreta electionis, & pro aliis causis suis.*

228 *Guardiani, & Priores possunt etiam creare Notarios, si casus occurrat necessarius.*

229 *Libris campsorum, & mercatorum adhibetur plena fides in judicio.*

230 *Libris rationariorum monasteriorum, tam Fratrum, quàm Monialium, manu Notarii Monachi, vel Monialis scriptis, plena fides adhibetur.*

231 *Hi Notarii, à quibuscumque Prælatis creentur, debent priùs præstare juramentum, aliàs non procedent juridicè.*

232 *Provinciales debent suis Secretariis deferre juramentum, ut plenam fidem faciant ab eis scripta.*

233 *In Lusitania instrumenta à Notariis Ecclesiasticis facta, in rebus sæcularibus, nullam fidem habent: & idem est in Hispania.*

234 *Et hoc etiamsi desint Notarii sæculares.*

235 *Possunt Notarii Ecclesiastici conficere intimationes appellationum, quando fiunt à judicibus Ecclesiasticis; Item instrumenta institutionum, beneficiorum, & possessionum eorumdem, & similia.*

236 *Nomine Notarii publici, cujus subscriptio aliquando in Bullis Pontificiis postulatur, veniunt etiam Notarii regulares.*

PRo intelligentia hujus §. notandum est, Notarium esse personam publicam, cujus scripturis legitimè factis auctoritate juris, plena, & indubitata fides adhibetur: & de jure communi Monachus à tali officio repellitur; tum, quia censetur mortuus mundo, *l. Deo nobis, C. de Episcop. & Cleric.* tum, quia non est sui juris. *cap. non dicatis,* 12. *quæst.* 2. *cap. ex parte de accus.* tum etiam, quia non se debet immiscere negotiis sæcularibus. *L. repetita, C. de Episcop. & Cleric.* Ita cum aliis Peyrin. *ad constitut.* 9. *Pii V. num.* 7. Unde videndum nobis est, an Regulares possint hoc munus obire ex vi alicujus privilegii, vel consuetudinis. 221 222

Dico ergo I. Prælati regulares, saltem Generales, vel Provinciales possunt creare Notarios in causis suorum privilegiorum, mandatorum & rescriptorum Papalium alios Regulares ejusdem Ordinis, vel etiam sæculares, nisi obstet in contrarium statutum Religionum, ut notavit Peyrin. *de subdito, quæst.* 1. *cap.* 3. §. 8. *dicto* 11. Belasius *verbo* Notarius, *num.* 7. qui Notarii erunt ejusdem fidei, ut sunt Notarii sæculares creati ab habente potestatem. 223

ſtatem. Ita conceſſit Pius V. *in Bulla*, quæ incipit *Debitum*, quam ex Rodrig. refert, & ſequitur Novar. *in lucerna regularium verbo* Notarius *num.* 1. & ex noſtris Thomas à Jeſu *Tract.* 3. *de viſit. Regul. cap.* 2. *num.* 10. Petrus ab Angelis in ſuo *Judice Regulari* 1. *part. cap.* 13. Auguſtinus à Virg. *Maria in privilegiis omn. Relig.* verb. *Notarius*, ubi etiam aliorum Pontific. circa hoc conceſſiones adducit.

224 Dico II. Hujuſmodi notarii electi à ſuperioribus Regularium ſunt perpetui pro negotiis privilegiorum etiam extra Ordinem, Rodrig. quem refert, & ſequitur Novarius *ſuprà num.* 2. & non ſolùm pro negotiis communibus Religionis, ſed etiam pro particularibus, Peyr. *ad conſtitut.* 9. *Pii V. num.* 3. Pro cauſis criminalibus Religioſorum Rodrig. quem refert, & ſequitur Portel *in dub. regul. verbo* Notarius *num.* 2. Et jam citati Thomas à Jesu, & Petrus ab Angelis *locis citatis*; ac Lezana *tom.* 2. verb. *Notarius*. Imò etiam pro civilibus;

225 Peyrin. *ad conſtitut.* 9. *Pii V. num.* 6. Pro informationibus novitiorum; poſſuntque authenticare privilegia Apoſtolica, eorumque tranſumpta conficere, quando ea conceduntur, cum ſubſcriptione alicujus notarii publici. Ita cum aliis Peyrin. *ad conſtit.* 9. *Pii V num.* 3. *&* 5.

226 Poſſunt etiam intimare, & exequi mandata Apoſtolica ab Auditore Cameræ Apoſtolicæ, aliiſque Apoſtolicis judicibus emanata, quando concernunt intereſſe Regularium, ſunt enim hæc eodem modo mandata Apoſtolica, ac ſi fierent immediatè à Papa. Ita Peyrin. *in formulario Prælatorum lit.* N. *cap.* 1. *num.* 2.

227 Tandem poſſunt Prælati Regulares inſtituere notarios ad imitandum decreta electionis, & pro aliis ſuis caſibus, quos *notarios* vocant regulariter *ſecretarios capituli*, ut patet ex communi praxi Religionum. Ita cum aliis Lezan. *in Mari magno Eremitarum Sancti Auguſtini num.* 143.

228 An autem hujuſmodi auctoritas deſignandi, & creandi notarios competat ſolis Generalibus, & Provincialibus, an etiam Prioribus, ſeu Guardianis majus dubium eſt. Dicendum tamen eſt competere etiam Prioribus, & Guardianis: ita Peyrin. *ad conſtit.* 9. *Pii V. num.* 6. & fuſius *in formulario Prælatorum lit. N. cap.* 1. *num.* 3 & noſter Petrus ab Angelis *loc. cit.* Alderete, quem refert & ſequitur Novarius *in lucerna regularium verbo* Notarius *num.* 3. Joann. Andr. Abbas, & Felinus, Imol. quos refert & ſequitur Portel. *in dub. regular. verbo* Notarius *num.* 2. Nam licet privilegium Pii V. ſolùm loquatur de Generalibus, & Provincialibus; conſuetudo nunc obtinuit, ut etiam Guardiani, ſeu Priores hoc poſſint facere, ſi caſus occurrat, in quo pro utilitate Religionis debeat aliquod privilegium intimari, vel proceſſus confici. Lezana *tom.* 3. *in Mari magno Servitarum num.* 221.

Cùm libris campſorum, mercatorum, vel ſimilium plena fides adhibeatur in judicio conſuetu- 229
dine id approbante, ut tenent Vivianus, Maſcard. Gratianus, Covar. Barboſa, quos refert & ſequitur Lezana *tom.* 3. *aut* 5. *juxta alios in Mari magno Servitarum num.* 221; majori ratione id debet dici de inſtrumentis factis à notariis Regularium propter eamdem rationem. Confirmatur; quia libris rationariorum Monaſteriorum, tàm Fratrum, quàm monialium notarii monachi, vel monialis ſcriptis, vel manu illorum, qui deputati ſunt à Capitulis, vel Prælatis ad bona, jura, & proventus Monaſteriorum ſcribenda fides plena adhibetur, ut patet ex communi conſuetudine, ut tenent uterque Rodrig. Quintanad. quos refert, & ſequitur Lezana *Tom.* 3, *in Mari magno Servitarum num.* 221. Valaſco, quem refert, & ſequitur Portel *ſuprà num.* 5. 230
ergò à fortiori idem dicendum eſt de aliis notariis Regularium, cùm in utroque caſu detur eadem conſuetudo.

Dico III. Hujuſmodi notarii creati, ſivè à Generalibus, Provincialibus, ſivè à Prioribus debent 231
priùs præſtare juramentum fidelitatis: juramentum namque eſt de eſſentia notarii, ſicut & teſtis. Unde ſi in cauſis Religioſorum non præſtiterit juramentum antè proceſſum, non faciet in rigore proceſſum juridicum: debet etiam ultrà ſubſcriptionem teſtium in proceſſu, ipſe etiam ſubſcribere proprium nomen. Rodrig. quem refert, & ſequitur Portel *ſupra num.* 3. & N. Petrus ſupra cit. *loc. cit.* Hinc Provinciales ſuos ſecretarios electos in 232
principio officii debent creare notarios, recepto ab eis juramento pro cauſis Religioſorum, ut ſic, quando ſecretarius fidem faceret de aliqua re ſine teſtibus, illi credatur infallibiliter, tanquam notario publico apud ſæculares. Et hoc ſæpè in multis negotiis eſt neceſſarium, ut experientia docet. Ita Portel *ubi ſupra num.* 12.

Dico IV. In hoc Luſitaniæ regno inſtrumenta 233
à notariis Eccleſiaſticis, ab Epiſcopis, Abbatibus, Capitulis, Conventibus creatis confecta, in rebus ſæcularibus nullam fidem habent, ita habetur *in Ordinationibus hujus regni lib.* 2. *tit.* 20. Et idem eſt apud Hiſpanos *in leg.* 8. *lib.* 2. *Ordina.* Et hoc adeò verum eſt, ut etiamſi deſint tabelliones, adhuc

notarii Apostolici Ecclesiastici non possint se intromittere in faciendis scripturis sæcularibus, quidquid in contrarium dicat Orosius, ita tenent Fabr. Joan. Lupus, Covar. & alii, quos refert, &
234 sequitur Fragos. *Tom.* 1. *lib.* 5 *disp.* 13. §. 11. *num.* 328. & hoc etiamsi partes consentiant fieri hæc instrumenta per notarios Ecclesiasticos, vel Apostolicos: ita cum multis ibi Fragosus.

235 Poterunt tamen notarii Ecclesiastici conficere intimationes appellationum, quando fiunt à judicibus Ecclesiasticis, notificationesque illarum. Item instrumenta institutionum, & confirmationum beneficiorum, & possessionum eorumdem; & similia, quæ merè spiritualia, ac Ecclesiastica sunt, ut constat *ex Ordinat. lib.* 2. *tit.* 2. *versiculo Esomente,* ubi Barbos. & alii, quos refert, & sequitur idem Frag. *ubi supra num.* 328. ubi alia plura ad intentum Lector reperiet.

An autem nomine notarii publici quem transumptioni privilegiorum Pontifex vult adhiberi, intelligi possint notarii, qui à Prælatis regularibus instituuntur? respondetur affirmativè, ut patet ex Bulla Pii V. ita Lezan, *Tom.* 3. vel juxta alios 5. *in Mari magno Servitorum num.* 222. Simon Barbos. Everardus, Jusco, & alii, quos refert & sequitur Quintanad. *Tract.* 3. *singular.* 6. *num.* 6.

SECTIO V.

De potestate Abbatissarum.

237 *Abbatissa est idem quod mater.*
238 *In Conventu tantùm habet jurisdictionis commissariam, in illa tamen æquiparatur Abbatibus.*
239 *Abbatissa non potest recipere novitias sine consensu superioris.*
240 *Potest tamen dare illis professionem.*
241 *Non potest ferre censuram in suas moniales, nisi de commissione Papæ.*
242 *Potest tamen implorare officium superioris, ut excommunicet.*
243 *Abbatissa non potest aliquid præcipere in virtute Spiritus sancti & sanctæ obedientiæ.*
244 *Potest tamen præcipere monialibus sub pœna voti obedientiæ sibi præstiti.*
245 *Moniales non obediendo Abbatissæ, tantùm peccant secundùm gravitatem materiæ secluso contemptu.*
246 *Abbatissa potest cogere moniales ad observantiam regulæ, & transgredientes punire.*
247 *Abbatissa habet liberam administrationem rerum sui Monasterii sicut Abbates, exceptis illis, quorum fœmina est incapax.*
248 *Potest transigere de rebus, quæ nondum sunt in possessione conventus.*
249 *Potest dare licentiam expendendi quantitatem moderatam.*
250 *Potest dare licentiam monialibus habendi peculium.*
251 *Abbatissa non potest dare licentiam ad ingrediendam clausuram.*
252 *Superior potest committere Abbatissæ, ut in casibus frequenter occurrentibus tribuat licentiam ad ingrediendam clausuram.*
253 *Abbatissa etiam sine superioris licentia potest, si sit periculum in mora, dare licentiam ingrediendi clausuram.*
254 *Abbatissa potest exire clausuram, quando ratione feudi tenetur præstare juramentum fidelitatis.*
255 *Abbatissa potest Monialium vota irritare, nec peccat vota irritans sine causa.*
256 *Abbatissa non potest suarum Monialium vota dispensare, vel commutare.*
257 *Non potest dispensare in jejuniis & legibus Ecclesiæ, vel Religionis, potest tamen declarare Monialem non teneri ad jejunium.*
258 *Abbatissa potest præsentare clericos in Ecclesiis suo Monasterio unitis.*
259 *Idem dicendum est de capellis sibi subjectis.*
260 *Non potest tamen dare facultatem exercendi curam animarum.*
261 *Abbatissa potest capellanos suspendere ab officio, & beneficio, subtrahereque præbendas.*
262 *Abbatissæ de consensu Papæ sunt capaces jurisdictionis spiritualis, & ex consequenti possunt beneficia conferre.*
263 *Abbatissa ratione suæ dignitatis potest habere collationem beneficiorum, quæ dat titulum, & possessionem: non tamen illam per quam conceditur potestas exercendi curam animarum.*
264 *Quomodo Abbatissa possit clericos suspendere ab officio, & beneficio.*
265 *Abbatissa nec sibi, nec Monialibus potest eligere confessarium.*
266 *Abbatissa potest approbare aliquem ad confessiones ratione consequentis, si aliàs habeat jurisdictionem quasi Episcopalem.*

267 *Abbatissa potest constituere procuratorem, & suspendere Monialem ab ejus officio.*

237 POstquam de Prælatorum potestate latè, fuséque disputavimus, non incongruum videbitur aliquid in fine hujus disputationis de Abbatissarum potestate pertractare, tam in ordine ad suas subditas moniales, quàm etiam sæculares, quando habent aliquam temporalem, vel spiritualem jurisdictionem annexam ex consequenti, ut notavit Belasius *verbo* Abbatissa, *num.* 16.

Incipiendo igitur à nomine Abbatissæ; supponendum est, Abbatissam, idem sonare quod mater; derivatur namque à nomine Hebræo Abba, à quo nomine trahit etiam Abbas nomen suum. Unde licet Abbatissa in Conventu suo non habeat jurisdictionem ordinariam, sed quasi commissariam, in administratione tamen æquiparatur Abbati. Et in Conventibus disposita de Abbatibus
238 extenduntur ad Abbatissas. Unde Abbatissa, sive Priorissa, quod idem est, habet eadem jura, ferè omnia, quorum capax est, quæ ipse habet Abbas. Ita cum multis Fragos. *Tom.*2. *lib.*11. *disp.*24. §.6. *num.* 1. quia tamen plurium non est capax, sicut Abbas, ideo videndum est nobis, quid de jure possit in moniales, sive in alias subditas, quid ex privilegiis.

239 DICO ergo I. Abbatissa non potest recipere novitias etiam de consensu monialium absque consensu suorum Superiorum. Ita habetur ex communi consuetudine, ut testatur Fragos. *ubi supra, num.* 11. Casarrubias, Miranda, & alii, quos refert, & sequitur Lezan. *Tom.*1. *cap.* 26. *num.* 17. licet contrarium teneat Sa, quem refert Fragos. *supra.* Possunt tamen Abbatissæ de Conventus licentia, & suorum Superiorum illas recipere: Ita communiter Doctores, quos refert & sequitur Tambur. *de jure Abbatissar. disp.* 4. *quæsito* 1. *num.* 1.

240 Potest etiam suarum monialium professiones recipere; nam acceptare professionem, non est actus Ordinis, nec jurisdictionis: Hostiensis, Archidiaconus, & alii, quos refert & sequitur Fragos. *supra num.* 11. Lezana *supra num.* 17.

241 DICO II. Abbatissa etiam in suas moniales non potest ferre aliquam censuram, nisi de speciali commissione Papæ, quia licet aliàs habeat suo modo animarum curam, & administrationem *cap. dilecti de majorat. & obedient.* non tamen habet claves Ecclesiæ. *Cap. nova de pœnit. & remiss.* Ita cum multis Fragos. *ubi suprà, num.* 6. Lezana *Tom.* 1, *cap.* 26. *num.* 11. Potest tamen implorare Superioris officium, ut excommunicet inobedientes. Unde 242
quando Abbatissæ præcipiunt suis Officialibus, ut excommunicent; Officiales non auctoritate Abbatissarum agunt, sed Romani Pontificis, seu Superioris, qui posito mandato Abbatissæ Officialibus tribuunt jurisdictionem; Suar. quem refert, & sequitur Fragos. *suprà num.* 18. Megala *verbo* Abbatissa, *num.* 4. & alii.

DICO III. Abbatissa non potest præcipere aliquid monialibus in virtute Spiritus sancti, & Sanctæ obedientiæ. Ita docet Ledesma & Sanchez, quos refert, & sequitur Fragos. *supra num.* 71. Portel. *in dub. regul. verbo* Abbatissa, *num.* 1. Belasius *verbo* Abbatissa, *num.* 19. Lezana *ubi supra, num.* 10. qui Azorium, & nostrum sapientissimum Petrum Cornejo *Tom.* 2, *in* 3, *part. Tract.* 5, *de excomm. disp.* 2, *dub.* 5, refert pro contraria sententia: non enim habet jurisdictionem spiritualem. Potest tamen Abbatissa præcipere aliquid monialibus sub pœna voti obedientiæ sibi præstiti; sicut quæcumque alia mater potest præcipere suis filiis; unde moniales non obediendo non peccabunt, nisi pro gravitate materiæ: Unde si materia fuerit levis tan- 244
tùm erit peccatum veniale: Capua, & alii, quos refert, & sequitur Fragos. *suprà num.* 9. Lezana *suprà num.* 8. Tambur. *de jure Abbatissar. disp.* 12. *quæsito* 5. *num.* 1. Nec obstat votum obedientiæ, 245
factum Abbatissæ, nam votum obedientiæ intelligitur factum in ea forma, ac potestate, cujus Abbatissa est capax, hoc est potestatis domesticæ, & civilis, & per consequens non potest injungere præceptum spirituale, quale est in virtute Sanctæ obedientiæ. Vide, quæ circa prædicta docet noster Joan. à SS. Sacram. in suo *Priore Claustrali,* 1. *part. num.* 60, & 2, *part. num.* 40. & *sequentibus.*

An autem Abbatissa possit cogere moniales ad 246
observantiam regulæ, & punire transgressores? Respondeo affirmativè, sed hoc non ratione voti obedientiæ, ut benè notavit Vasq. 1.2. *q.*96. *art.*4. *disp.*166, *cap* 4, *num.* 28. sed quia habet aliquam jurisdictionem ab eo, qui regulam confirmavit ad puniendum, & cogendum transgressores. Ita cum aliis Fragos. *suprà num.* 10. Lezan. *Tom.* 1, *cap.* 26, *num.* 13.

DICO IV. Abbatissa habet liberam administra- 247
tionem rerum sui monasterii, sicut habent Abbates, exceptis illis, quarum fœmina non est capax. Ita Rodoan. Navarr. Panormitan. quos refert, &

sequitur Fragos. *suprà num.* 13. Sanch. quem refert,
248 & sequitur Belasius *verbo* Abbatissa, *num.* 11. Un-
de poterit sine monialibus transigere super rebus,
quarum dominium, vel possessio non est plenè,
atque perfectè suæ Ecclesiæ incorporata, ut potest
Abbas. Ita cum multis aliis Fragos. *suprà num.*
13. Potest etiam concedere Monialibus licentiam
accipiendi, & expendendi quantitatem modera-
249 tam, sicut potest Prælatus suis Religiosis. Ita
Rodrig. Sorbus & alii, quos refert, & sequitur
Belasius *verbo* Abbatissa, *num.* 12. Lezana *Tom.* 1,
cap 26, *num.* 14. Immò potest dare Monialibus
licentiam habendi peculium, quando Superior
250 illam dare potest Religiosis. Corduba, Rodrig.
Ledesma, & alii, quos refert, & sequitur
Fragos. *suprà num.* 15. Cast. Pal. *Tom.* 3. *disp.* 3. *p.* 5.
num. 5.

251 Dico V. Abbatissa non potest dare licentiam
ad ingrediendum monasterium; hæc enim facultas
tantùm competit Superioribus, ut Episcopis, Ge-
neralibus, Provincialibus, & illis, quibus ipsi
commiserint hujusmodi facultatem. Navarrus si-
bi contrarius, Rodrig. Azor, Sanchez, & alii, quos
refert, & sequitur Fragos. *suprà num.* 16. Lezana
Tom. 1, *cap.* 26, *num.* 25. Delben.. *Tom.* 2, *cap.* 19,
252 *dub.* 34, *num.* 1. Poterit tamen Superior committe-
re Abbatissæ, ut in casibus frequenter occurrenti-
bus, quando Prælati non sunt ad manum, tribuant
facultatem ingrediendi. Ita cum aliis Delben *ubi*
253 *suprà num.* 4. Immò si Abbatissa, aut confessor
non habuerit talem facultatem, & occurrat casus,
ita ut periculum sit in mora, tunc potest Abbatissa
concedere ingressum. Ita Rodrig. & alii, quos
refert, & sequitur Fragos. *supra*, Barbosa, Tambu-
rin. & alii, quos refert, & sequitur Delben. *Tom.* 2.
254 *cap.* 19. *dub.* 37. *num.* 17. Tandem poterit Abbatis-
sa è clausura exire, quando ratione feudi tenetur
præstare fidelitatis juramentum alicui Principi
sæculari, si illud per procuratorem præstare ne-
queat, Lezana *Tom.* 1, *cap.* 26, *num.* 20. Belasius
verbo Abbatissa, *num.* 10.

255 Dico VI. Abbatissa potest Monialium vota ir-
ritare, habet namque super Moniales ratione voti
obedientiæ potestatem matris: ita Vivaldus, Sil-
256 vest. Angel. Lessius, Suarez, quos refert, & sequi-
tur Fragos. *suprà num.* 20. Portel. *in dub. regular.*
verbo Abbatissa, *num.* 2. Neque peccat vota ir-
ritans sine causa, si illa facta sunt absque illius li-
centia; secùs, si talia vota sunt facta de illius li-
centia: Portel. *ibi:* Lezan. *Tom.* 1. *cap.* 26. *num.* 15.
Candid. *Tom.* 2. *disquisit.* 25. *art.* 3. *dub.* 4. Non
tamen potest illarum vota dispensare, vel com-
mutare. Ita multi Doctores, quos refert, & se-
quitur Fragos. *suprà*, Lezana *suprà*, Candidus,
suprà. Nam ad hoc requirebatur jurisdictionis
Ecclesiasticæ potestas, quam Abbatissæ non
habent.

An verò Abbatissa possit cum Monialibus dis- 257
pensare in jejuniis, & legibus regulæ, & Ecclesiæ?
Respondeo negativè, quidquid dicat Henriq.
quem refert Pasqual. *de jejunio, decis.* 391. Potest
tamen declarare Monialem non teneri ad jeju-
nium, vel aliam observantiam, tamquam per-
sona, ad quam pertinet directio Monialium. Ita
concessit Paulus III. Abbatissæ S. Claræ, ut
cum Rodr. notavit Portel. *in dub. regular. verbo*
Abbatissa, *num.* 3. & tenet Lezana, & alii, quos
refert, & sequitur Pasqual. *de jejunio,* 391. *decis.*
num. 3.

Dico VII. Abbatissa potest præsentare Clericos 258
in Ecclesiis, suo Monasterio unitis ex constitutio-
ne Pii V. Ita Sacra Rota *decis.* 21. *de præbendis in*
antiquiorib. ubi ait posse Abbatissam in Ecclesia
sibi pleno jure subjecta ponere Vicarium, ac pro-
inde Abbatissa cum Monialibus potest præsenta-
re, & Ordinarius instituet præsentatum. Et idem 259
dicendum est de capellis sibi pleno jure subjectis,
id est, tam in spiritualibus, quàm temporalibus;
nam potest ibi ponere Capellanos, eisque conferre
titulum, & possessionem. Non poterit tamen 260
facere facultatem exercendi curam animarum,
quia hoc pertinet ad Ordinarium. Ita Silvest. Ro-
drig. & alii, quos refert, & sequitur Fragos. *suprà*
num. 17. Item potest Capellanos suspendere ab of- 261
ficio, & beneficio, subtrahereque præbendas, &
præcipere ne celebrent, donec satisfecerint. Vega,
Henriq. & alii, quos refert, & sequitur Frag. *supra*
num. 1.

Ut autem hæc meliùs intelligantur, notandum 262
est, Abbatissas ratione publici muneris, officii, &
dignitatis, accedente Pontificis consensu esse ca-
paces spiritualis jurisdictionis, & ex consequenti
posse beneficia conferre, clericos instituere, & de-
stituere, & Officiales nominare ad exercendam
suam jurisdictionem, & ad censuras ferendas.
Ita Azor, Flor. de Mena, Covar. Ugolinus, quos
refert, & sequitur Fragos. *suprà num.* 17. Unde Ab- 263
batissæ ratione suæ dignitatis possunt habere be-
neficiorum collationem. Rebuff. Boër. Gonzal.
quos *ibi* refert, & sequitur Fragos. Megala *verbo*
Abba-

Abbatiſſa, *num.* 4. & inſtitutionem, quæ dat titulum, & poſſeſſionem; non autem illam, per quam conceditur poteſtas exercendi curam animarum; Miranda, quem refert, & ſequitur Fragoſ. *ibi.*

264 Quomodo autem Abbatiſſa ſuſpendere poſſit ab officio & beneficio Clericos? Reſpondeo ſuſpendere illos non per veras cenſuras, ſed per ſuum præceptum, & mandatum, cui præcepto, & imperio, poſſunt clerici cogi per cenſuras à Superioribus, ut obediant. Immò ipſæ Abbatiſſæ poſſunt per ſuos Officiales illos excommunicare, non quia tribuant illis facultatem ad excommunicandum, ſed quia poſito mandato Abbatiſſæ, Pontifex dat Officialibus juriſdictionem.

265 Dico VIII. Abbatiſſa non poteſt eligere ſibi Confeſſarium, nec aliis Monialibus præbere poteſt hanc facultatem, cùm Prælata propriè non ſit; nec habeat claves juriſdictionis Eccleſiaſticæ in foro fori, nec in foro poli. Ita cum Molfeſio, Megala

266 *verbo* Abbatiſſa, *num.* 10. Poterit tamen approbare aliquem ad confeſſiones, ratione ſcilicet conſequentis, licet enim talis facultas per antecedens illis negetur, in neceſſarium tamen conſequens, hoc eſt jure connexionis conceditur. Rota *deciſ.* 332. quod tamen intellige juxta diſpoſitionem Tridentini; ſi talis Abbatiſſa habeat juriſdictionem quaſi Epiſcopalem privativè, quoad Epiſcopum, Riccius, quem refert & ſequitur Belaſius *verbo* Abbatiſſa, *num.* 16.

267 Tandem poteſt Abbatiſſa conſtituere procuratorem, & ſuſpendere Monialem ab ejus officio, & remittere caducitatem. Ita cum aliis Belaſius *num.* 176. non poteſt tamen præjudicare in acquiſitis monaſterio, ita ex multis capitibus colligit Belaſius *ſuprà num.* 8. Et ſi plura velis de poteſtate Abbatiſſarum, conſule præcitatos Doctores. Nam hæc ad noſtrum intentum ſufficiunt: & quæ diximus de Abbatiſſis, pariter etiam intelligenda ſunt de Prioriſſis, quando ſunt abſolutè Superiores monaſterii.

* *
*

DISPUTATIO II.

De privilegiis Regularium in ordine ad ſeipſos.

CUm jam ſatis diſſeruiſſe videamur de privilegiis Prælatorum, tam in ordine ad ſuos ſubditos, quàm cæteris ad ipſoſmet pertinentibus: reſtat, ut de privilegiis Regularium, reſpectu ſui ipſorum aliquid dicamus.

SECTIO I.

De poteſtate Religioſorum, præſertim Carmelitarum ad abſolvendum alios Fratres ejuſdem Ordinis à peccatis & cenſuris.

§. I.

De abſolutione peccatorum, & cenſurarum, excepto interdicto locali.

1 *In noſtra Congregatione non dantur caſus ſpecialiter reſervati.*

2 *Caſus Papales ſunt Prælatis reſervati, etiam in Religionibus, ubi non dantur caſus ſpecialiter reſervati.*

3 *Prælati concedendo licentiam ad reſervata, ubi dantur caſus reſervati, non cenſentur concedere illam ad caſus Papales.*

4 *Regulares intra Conventum non poſſunt abſolvi à Sacerdotibus ſimplicibus ejuſdem Ordinis.*

5 *Regulares non poſſunt tam intra, quàm extra Conventum abſolvi ab extraneis, ſi habuerint Confeſſarium Ordinis.*

6 *Regulares ex vi privilegii, quod habent ad abſolvendum omnes Chriſti-fideles undequaque venientes, non poſſunt abſolvere Regulares alterius Ordinis, ſi aliàs habeant Confeſſarium ejuſdem Ordinis.*

7 *Regulares non poſſunt nec intra, nec extra Conventum confiteri contra voluntatem ſuorum Prælatorum.*

8 *Hæc non procedunt, si detur consuetudo in contrarium secundùm aliquos.*

9 *Regulares non possunt eligere per Bullam Cruciatam confessarium, qui eos absolvat à reservatis.*

10 *Novitii per Bullam Cruciatam possunt eligere confessarium, qui eos etiam de reservatis in Religione absolvat.*

11 *Regulares tempore magnorum Jubilæorum possunt eligere confessorem, qui eos à reservatis etiam in Religione, & secundum formam Jubilæi absolvat.*

12 *Religiosi nostri existentes extra Conventum non habentes confessorem Ordinis, possunt eligere quempiam extraneum, etiam Sacerdotem simplicem sæcularem.*

13 *Idem possunt facere alii religiosi, si non habeant statutum in contrarium.*

14 *Religiosi nostri itinerantes non possunt confiteri Sacerdotibus simplicibus nostri Ordinis, si habeant copiam approbati.*

15 *Regulares non possunt confiteri contra voluntatem expressam suorum superiorum aliis, quàm ab ipsis deputatis.*

16 *Religiosi nostri, si extra domum confiteantur Sacerdotibus simplicibus nostri Ordinis, confitentur contra voluntatem suorum Superiorum, nisi desit copia approbati.*

17 *Vrgente necessitate possunt confiteri alicui simplici Sacerdoti.*

18 *Religiosi ante Tridentinum solùm confitebantur sacerdotibus à Prælatis suis approbatis, vel de eorum licentia.*

19 *Regulares juxta Bullas Pontificum non possunt hodie confiteri, nisi de licentia suorum Superiorum, & in hoc stare debent ejus dispositioni.*

20 *Capitulum generale potest tollere & limitare privilegia Religiosis concessa.*

21 *Pater noster Generalis, & alii Prælati non possunt uti privilegiis limitatis, vel ablatis per nostras constitutiones.*

22 *Prælati tam Superiores, quàm inferiores possunt eligere in confessorem Sacerdotem simplicem nostri Ordinis, qui eos absolvat ab omnibus casibus à quibus ipsi possunt subditos absolvere.*

23 *Sacerdotes simplices nostri Ordinis possunt eligi in Confessarios à Religiosis aliorum Ordinum, tam intra, quàm extra Conventum, nisi detur statutum in contrarium, aut simplex Prælati mandatum.*

24 *Sacerdotes simplices possunt eligi à quibuscumque ad absolutionem venialium, vel mortalium jam ritè confessorum, etiam à Religiosis nostri Ordinis, licet detur statutum in contrarium.*

25 *In casu, quo detur lex in contrarium, confessio erit valida, peccabit tamen Religiosus juxta qualitatem statuti.*

26 *Quando dantur Confessarii deputati pro Fratribus non Sacerdotibus, si illi aliis à Prælatis ad confessiones Religiosorum approbatis confiteantur, confessio est valida, si aliàs statutum in contrarium non obligat ad mortale.*

27 *Statutum non annullans confessionem licet reddat illam illicitam, non tamen invalidam, si aliàs ex alio capite datur jurisdictio in absolvente.*

28 *Regulares si sine gravi incommodo non possunt confiteri proprio Sacerdoti, aliquando possunt extraneo confiteri etiam in eodem loco, ubi datur Conventus ejusdem Ordinis: & in quibus casibus?*

29 *Religiosi nostri possunt absolvere nostros Fratres toties, quoties, à casibus, & censuris Episcopis à jure, vel ab homine reservatis.*

30 *Possunt illos absolvere à casibus Bullæ Cœnæ occultis, hæresi excepta.*

31 *Possunt absolvere alios Fratres ab omnibus casibus Papæ reservatis.*

32 *Idem possunt facere alii Religiosi aliorum Ordinum respectu suorum Fratrum, non tamen possunt illos absolvere à reservatis in Religione.*

33 *Omnia oracula concessa usque ad tempus Gregor. XV. fuêre confirmata per Bullas.*

34 *Religiosi nostri possunt absolvere alios Religiosos nostri Ordinis ab omnibus casibus, etiam Papæ reservatis, exceptis casibus Bullæ Cœnæ.*

35 *Tam nostri, quàm alii Religiosi possunt eligere semel in vita confessarium ex approbatis à suis Prælatis, qui eos plenariè ab omnibus casibus absolvat, nullo excepto,*

36 *Semel in vita possunt Regulares eligere confessarium, qui eos absolvat ab omnibus casibus, & censuris, etiam propter quæ Sedes Apostolica consulenda esset, excepta hæresi.*

37 *Quater in vita possunt Regulares eligere confessarium ex approbatis à suis Prælatis, qui eos plenissimè absolvat.*

38 *Quater in anno possunt eligere confessarium, qui eos*

eos absolvat plenissimè, & ad statum innocentiæ reducat, ac si ipse foret ipse Summus Pontifex.

39 *In aliquibus anni festivitatibus possunt idem efficere Regulares.*

40 *Numerantur festivitates, in quibus possunt eligere confessarium, qui eos plenissimè absolvat.*

41 *In aliquibus festivitatibus possunt Regulares eligere confessarium ex approbatis à suis Prælatis, qui eos plenissimè absolvat.*

42 *Ea quæ in uno privilegio conceduntur festis Sanctorum Ordinis unius Mendicantium, censentur & aliis Mendicantibus pro se ipsis concessa.*

43 *Omnes Prælati, & Religiosi, immò & famuli commensales tempore Capituli generalis, possunt eligere confessarium, qui eos absolvat ab omnibus casibus, etiam Papæ reservatis extra Bullam Cœnæ.*

44 *Confessores nostri deputati à Generali, vel Provinciali possunt absolvere omnes fratres nostros ab omnibus casibus, propter quos Sedes Apostolica esset consulenda, & hoc toties quoties, excepta etiam hæresi, & 3. aliis casibus.*

45 *Absolutio, quæ datur in hoc, & aliis privilegiis, etiam est pro foro externo.*

46 *Ratione prædictorum privilegiorum possunt nostri Confessores absolvere nostros Fratres etiam à casibus Bullæ Cœnæ, exceptis illis ob quos Sedes Apostolica esset consulenda, & etiam hæresi.*

47 *Bulla Cœnæ solùm revocat privilegia Regularium, quoad absolutiones sæcularium.*

48 *In privilegiis, in quibus postulatur designatio confessarii facta à Prælato, probabile est sufficere approbationem ordinariam a Provinciali pro confessione fratrum.*

49 *Sed melius, in hoc standum est Religionis consuetudini.*

50 *In articulo mortis possunt omnes Religiosi nostri eligere confessorem, qui eos absolvat ab omnibus casibus, nullo excepto, sive confessarius sit regularis, sive sæcularis, qui potest etiam concedere illis Jubilæum, & singulas indulgentias, quæ usque ad Sixtum IV. per omnes Pontifices Romanos fuère concessa.*

51 *Absolutio, quæ datur in mortis articulo potest dari in quocumque articulo probabili.*

52 *Confessor, qui eligitur in mortis articulo debet esse approbatus ab Ordinario, ut ea plenitudine absolvat.*

53 *Idem concessère alii Pontifices, & sufficit, quod confessor sit approbatus à suis Prælatis.*

INprimis, ut certa ab incertis separemus: suppono in nostra Congregatione Carmelitana discalceata Hispaniæ, nullos esse hucusque casus reservatos, ut patet ex nostris Constitutionibus 1. *part. cap.* 4. *num.* 3. præter casus Papales, qui de jure sunt in omnibus Religionibus Prælatis reservati, ut notavit Fragos. 2. *p. lib.* 11. *disp* 14. §. 11. *num.* 19. Castr. Palaus. *Tract.* 23. *de pœnit. disp. unica p.* 14. *num.* 12. Suar. *Tom.* 4. *de Religione lib.* 2. *cap.* 22. *numer.* 18. Lugo *in responsis moralibus lib.* 1. *dub.* 27. *num.* 5, & alii. Unde Prælatus in illis Religionibus, in quibus sunt casus specialiter reservati, concedendo alicui generalem facultatem ad absolvendum à casibus reservatis, non censetur concedere licentiam ad absolvendum à casibus Papæ reservatis; altiori namque sunt reservatione reservati. Quare Prælatus, hujusmodi casus committens, debet in specie eos exprimere, vel talia verba proferre, ut tollat omnem ambiguitatem, ut cum Suar. docet *ibi*, Fragos. *ibi*, & alii. 1 2 3

Secundò suppono ut certum, Regulares cujuscumque Religionis non posse intra suum Conventum absolvi ab alio Sacerdote, etiam ejusdem Ordinis, nisi habeat approbationem, & jurisdictionem à suo Superiore: Ita communiter Doctores, quos refert, & sequitur Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 4. 4

Tertiò suppono Regulares cujuscumque Religionis non posse absolvi, tam intra, quàm extra Conventus ab aliquo Sacerdote extraneo, si habuerit ejusdem Ordinis confessorem; ut patet *ex cap. omnis de pœnit.* & extravaganti Benedicti XI. *cum inter cunctas, de privilegiis*, ubi concedendo Religiosis facultatem ad audiendum confessiones sæcularium, subdit non Religiosorum, qui secundùm Statutum Ordinum suorum, propriis Prælatis, aut aliis ab ipsis deputatis confiteri debent; quod statutum apud nos Carmelitas discalceatos, ut patet ex *constitut.* Congregat. nost. Hispanicæ 1. *part. cap.* 4. *num.* 3. Præterea extat expressa prohibitio in *Mari magno* Sixti IV. & alia Clementis VIII. confirmata ab Urbano VIII. Ita Bordon. *Tom.* 1. *resolut.* 2. *num.* 24. estque communis sententia apud omnes Doctores. Nec ego seclusa Bulla Cruciatæ, de qua *infra*, inveni opinionem contrariam apud aliquem Auctorem. Unde confessiones aliter factæ sunt nullæ, utpote factæ, 5

non

non habenti jurisdictionem. Ita communiter tenent Doctores.

6 Nec obstant quædam privilegia Pauli III. Gregor. XIII. Nicolai III. Sixti IV. & Leonis X. quæ refert Cast. Palaus. *Tom.* 4. *tract.* 23. *disp. unica p.* 14. *num.* 6. in quibus conceditur Confessariis regularibus, qui ab Episcopo sunt approbati, potestas absolvendi omnes Christi fideles undequaque venientes ab omnibus casibus, & censuris, etiam Apostolicæ Sedi reservatis, exceptis quæ in Bulla Cœnæ continentur. Respondetur namque hujusmodi privilegia non extendi ad Religiosos, licet aliàs veniant nomine fidelium, Tum, quia in contrarium viguit semper omnium Religionum con-
7 suetudo, quæ est optima legum interpres: Tum, quia quælibet Religio habet specialia privilegia, ut sui Religiosi exteris sine licentia Prælati, nec intra, nec extra Conventus confiteantur, habentes confessarii ex Ordine copiam, ut patet ex privilegio Innocentii VIII. *Bulla* 3. apud Cruz *lib.* 1. *c.* 6. *dub.* 12. *concl.* 1. & Julii II, Clem. VIII. *Bulla* 9. & Gregor. XIII. *& ex Extravag. Benedicti XI.* quam refert *ibi* Palaus *num.* 1. & ex aliis *suprà* relatis; privilegium autem generale non derogat specialibus; maximè si jure communi, & communi consuetudine approbata fuerint. Ita Rodrig. Suar. qui hanc doctrinam extendunt etiam ad Moniales, Layman, quem refert, & sequitur Palaus *suprà num* 11. Portel. *verbo* confessor erga fratres *in dub. regularibus num.* 13. Lezan. *Tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 29. Sa, Angel. Vega, Henriq. & alii, quos refert, & sequitur Frag. 2. *p. lib.* 11. *disput.* 14. §. 14. *num.* 1.

Adverte tamen quod si talis prohibitio in aliqua Religione, nec lege, nec consuetudine usu re-
8 cepta sit, tunc, ait Pellizzarius, *Tom.* 2. *cap.* 3. *sect.* 2. *num.* 90. optimè posse confiteri Regulares independenter à suis Prælatis, Regularibus alterius Ordinis ex vi dictorum privilegiorum, quam sententiam etiam tenet Suar. *Tom.* 4. *de religione tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 2. *num.* 9.

An autem possint Regulares tam intra, quàm extra Conventum Confessorem eligere, etiam extraneum per Bullam Cruciatæ ad absolutionem, tam reservatorum, quàm non reservatorum, & ubi sunt casus reservati? Affirmant Cruz, Sanch. *in selectis*, Pontius. quos refert Dian. 1. *p. tractat.* 11. *resol.* 14. Herrera, Corduba, & probabilem dicit Rodrig. quos refert Palaus *Tom.* 4. *tract.* 25. *disp. unica p.* 8. §. 2. *num.* 71. Sotus, Lopez, Henriq. & alii multi Doctores Salmanticenses, & probabilem putat Villalob. Antolinez, Curiel, nost. Cor-nejo, Mendoçius, quos refert, & sequitur Trulenç. *in Bulla Cruciatæ lib.* 1. §. 7. *c.* 1. *dub.* 9. *num.* 12. Medin. Becan. Leon. quos refert Dian. *in additionib. ad* 1. *p. resolut.* 91. Freitas, quem refert Lug. *de pœnit. disp.* 20. *sect.* 9. *numer.* 153. Probabilem etiam putat Candid. *Tom.* 2. *disquisit.* 24. *artic.* 62. *dub.* 4. licet contrarium reputet probabilius.

Verùm contraria sententia omnino tenenda est, 9
hanc docent Llamas, Vechius, Coriolanus, Portel, Acosta, Miranda, Reginald. Suarez, Fernandez, Ledesma, quos refert, & sequitur Diana. 1. *part. tract.* 11. *resol.* 14. *& in addit. ad* 1. *part. resol.* 9. addit contrariam opinionem (stante decreto Urbani VIII. innovante constitutionem Clement. VIII) non esse probabilem, Beja, Peyrines, & alii quos refert, & sequitur Bordon. *resol.* 34. *num.* 42. Fragos. 2. *p. lib.* 2. *disp.* 7. *num.* 16. Lug. *ubi supra*, estque communis sententia, & jam expresse declarata à Clemente VIII. in Bulla pro Carmelitis Discalceatis, quam postea innovavit Urbanus VIII. & Sacra Congregatio in una Portugalliæ, & Castellæ, quam affert Novarius *in Lucerna regularium verbo* Cruciata *numer.* 1. in quibus Bullis, & decretis interdicitur Regularibus, ut nullo modo utantur Bulla, vel aliis quibuscumque privilegiis ad aliis confitendum non approbatis à suis Superioribus, de quo extant etiam decreta Pii V. & Gregor. XIII. quæ omnia referunt prædicti Doctores *suprà*.

Adverte tamen quod hæc prohibitio, non com- 10
prehendit novitios. Unde novitii non solum cum Bulla, sed etiam absque illa possunt confiteri validè & absolvi, etiam extra Religionē ab approbato ab Episcopo à casibus etiam in Religione reservatis, quidquid dicat Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 34. *nu.* 43. Ita contra illum tenet Molfesius, Ortiz. Homobon. Rodrig. Portel, Mirand. Villal. Riccius & alii, quos refert, & sequitur Dian. 3. *part. tract.* 2. *resol.* 4. *&* 1. *part. tract.* 11. *resol.* 15.

An autem Religiosi tam intra, quàm extra Con- 11
ventus, saltem tempore magnorum Jubilæorum, quæ aliquando Pontifices solent toti Ecclesiæ concedere, maximè quando ad Pontificatum assumuntur, possint absolvi ab omnibus peccatis, etiam in Religione reservatis, juxta tenorem Bullæ Jubilæi, à Clerico sæculari, vel Regulari alterius Ordinis approbato à suo Ordine, sive sæculari, sive etiam regulari? Respondeo affirmativè; & idem dicendum est de Monialibus. Ita Portel. *in additionib ad dubia regul. verbo* confessor. *numer.* 6. Suar, & alii, quos refert, & sequitur Peyrin. *in additamen-*

ditamentis ad constitut. Leon. X. *cap.* 4. *num.* 3. Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 34. *num.* 4. Dian. 9 *part. tract.* 8. *resol.* 55. Palaus *Tom.* 4. *tract.* 25. *disp. unica p.* 15. §. 2. *num.* 11. Et ita declaravit Gregor. XIII. vivæ vocis oraculo, ut refert. Rodrig. apud eundem Peyrinis, favet Fragos, 2. *part. lib.* 2. *disp.* 6. §. 5. *num.* 43. Ratio efficax est; nam cum Jubilæum sit gratia amplissima, totum mundum exhilarans, & rarò concedatur, conveniens est; ut Regulares à tali favore non excludantur, sed liberè à nexibus suæ conscientiæ liberentur, ut sic amplissimo Jubilæo securius frui possint. His suppositis.

12 Dico I. Religiosi nostri existentes extra Conventum causa itineris, v. g. non habentes confessarium nostri Ordinis, eligere possunt Confessarium regularem, vel sæcularem, etiam Sacerdotem simplicem, dummodo sit idoneus. Tum quia concedendo Prælatus licentiam illis ad itinerandum, implicitè illis concedit licentiam, ut confiteantur, cui voluerint, dummodo sit idoneus. Tum ex privilegio Sixti IV. *Bulla* 7. Innocentii VIII. in Bulla, quam refert noster Urbanus ab Ascensione in sua Theologia morali ac Canonica *Tract.* 2. *part.* 2. *dist.* 2. *cap.* 2. *Reg.* 3. qui plura circa hoc punctum disserit, observatione dignissima, maximè pro Carmelitis. Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 34. *num.* 2. Cruz, Vega, & alii, quos refert, & sequitur Portel. *in dub. regular. verbo* confessor. *erga fratres numer.* 14. & idem dicendum est de religiosis aliarum Religionum. Ita cum aliis Portel. citatus *num.* 14. si aliàs non detur aliquod statutum in contrarium; quia

13 in aliquibus Religionibus non possunt Religiosi confiteri etiam dum itinerantur extero Sacerdoti, si habeant Sacerdotem etiam simplicem ejusdem Ordinis. Tum propter specialia decreta, vel statuta; tum quia de hoc habent privilegium Innocent. VII. per Bullam concessum Dominicanis, & privilegium Sixti IV. similiter per Bullam concessum Franciscanis, quæ refert Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 34. *num.* 1. *&* 4.

14 An autem Religiosi nostri itinerantes possint, utendo istis privilegiis per communicationem, confiteri sacerdoti simplici nostri Ordinis, quando adest à Religione approbatus? Respondeo negativè, etsi de facto confiteantur, confessio sacrilega erit & nulla: non loquor autem de confessione peccatorum venialium. Ita expresè Hortel. *verbo* confessio *num.* 12. Rodrig. *Tom.* 1. *q.* 62. *art.* 4. *in medio* Villal. *Tom.* 1. *tract.* 9. *difficult.* 54. *num.* 2. *in fine*, Hurtado, Fagundez, Trullenc. *praxi Sacror. lib.* 4. *cap.* 9. *dub.* 6. *num.* 9. Lezan. *Tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 26. Lugo *de pœnit. disp.* 21. *sect.* 1. *num* 2. Coriolan. 1 *p. tract.* 3. *art.* 20. *num.* 2. *pag.* 4071. Candid. *Tom.* 2. *disquisit.* 24. *art.* 57. *dub.* 7. *&* *Tom.* 1. *disquisit.* 3. *art.* 39. *dub.* 3. *dicto* 7. Belasius *verbo* confessarius regularis *num.* 6. Delben. *Tom.* 2. *c.* 14. *dub.* 18. *sect.* 8. *n.* 5. ubi ait in hoc standum esse Religionis consuetudini: Nec ego aliquem inveni Doctorem contrarium asserentem.

Ratio autem est; quia hucusque nullus Auctor, quem ego viderim, dixit Regulares posse confiteri contra suas leges, & consuetudines suæ Religionis, & contra expressam voluntatem suorum Prælatorum Sacerdotibus non approbatis ab iisdem Prælatis, vel ab eorum Superioribus, nec in hoc esse potest dubium, siquidem de hoc datur quædam Bulla Bonifacii VIII. quam refert Rodrig. *q.* 9. *art.* 8. & alia Sixti IV. quam refert Lezan. *in Mari magno Carmelitar. circa* §. 97. *num.* 498. Idem concessit Sixtus IV. Minoribus *in suo Mari magno apud eumdem Lezan.* §. 32. *numer.* 8. & Prædicatoribus *in suo Mari magno* apud eumdem *Lezan.* §. 29. *num.* 87. & Julius II. Minimis §. 24. *num.* 76. in quibus Bullis prohibent Pontifices, ne aliquis Fratrum, nisi necessitate urgente, aliis, quàm Prælatis sua peccata confiteri præsumat, vel aliis ejusdem Ordinis Sacerdotibus, nisi secundum regulam, & Ordinis statuta, quæ privilegia postea Clemens VIII. concessit Carmelitis Excalceatis, ut videre est *in nostro compendio fol.* 184. *num.* 2. Quæ tandem omnia constant ex Urbani VIII. Bulla, quam refert Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 34. *numer.* 45. in qua prohibet, ne Religiosi possint confessorem eligere virtute alicujus privilegii sine licentia suorum Prælatorum. Sed in hoc casu, si Religiosi nostri itinerantes confiteantur Sacerdoti simplici nostri Ordinis non confitentur secundùm voluntatem suorum Prælatorum, nec secundùm Ordinis instituta, siquidem confitentur contra nostras Constitutiones 2. *part. cap.* 6. *numer.* 5. juxta quas debet interpretari Prælatorum voluntas, nam voluntas Prælatorum expressa in lege est: ergo taliter confitentes faciunt irritas, & sacrilegas confessiones.

Verba Pontificis in *supracit. Carmelitarum Mari magno* Sixti IV. sunt hæc: *Inhibemus insuper universis Fratribus vestri Ordinis, ne aliqui eorum, nisi necessitate urgente aliis, quam Prælatis peccata sua confiteri præsumant, vel aliis ejusdem Ordinis sacerdotibus secundum Regulam, & ipsius Ordinis instituta.* 17

tuta. Ubi notanda illa verba, *nisi necessitate urgente* quæ verba ponuntur, ut intelligamus, in casibus urgentis necessitatis, verbi gratia, mortis periculo, vel in itinere posse Religiosos confiteri sua peccata aliis, quam Prælatis, aut approbatis confessoribus sui Ordinis, non tamen Sacerdotibus simplicibus sui Ordinis quando adsunt approbati, propter prohibitionem Prælati, & Constitutionum, ut patet ex tenore privilegiorum. Ita Lezan. *Tom.* 3. *in Mari magno Carmelitarum circa* §. 97. *num.* 498. *& in Mari magno Minorum circa* §. 32. *num.* 84. ubi alios refert.

18 Nec obstat si dicas Religiosos saltem itinerantes, potuisse ante Tridentinum confiteri simplicibus Sacerdotibus, tam jure communi, quàm consuetudine: Sed Tridentinum nihil in hac parte circa Religiosos innovavit: ergo adhuc possunt Religiosi confiteri simplicibus Sacerdotibus ejusdem Ordinis, quia lex, quæ non est confirmata à Pontifice, ut sunt nostræ Constitutiones, non possunt tollere jus commune. Respondetur namque cum Rodriguez *Tom.* 1. *quæstion.* 62. *art.* 2. quod licet ante Tridentinum Sacerdotes sæculares poterant eligere quemlibet simplicem Sacerdotem in confessorem non tamen hoc facere poterant regulares, sed tantùm poterant eligere à suis Prælatis approbatum, vel tacitè, vel expressè, quam solutionem confirmat Trullenc. *praxi Sacrament. lib.* 4. *cap.* 9. *dub.* 83. Suarez *de pœnitent. disput.* 8. *num.* 4. Lezan. *Tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 27. Candidus *Tom.* 1. *disquisit.* 3. *art.* 39. *dubit.* 3. *dicto* 7.

19 Deinde dato, & non concesso, quod tale jus commune daretur, nunc jam tale jus commune est restrictum per privilegium Julii II. *Bulla* 16. concessum Prædicatoribus, & per privilegium Pii V. *Bulla* 13. & Gregor. XIII. Societati, & nobis per Clement. VIII. privilegium, quod refert nostrum compendium *fol.* 180. *numer.* 13. in quibus nititur lex cum dicit 2. *part.* nostrarum Constitutionum *cap.* 6. *numer.* 5. Nos *nitentes tam jure communi, quàm Pontificum privilegiis, &c.* quæ privilegia prohibent, ut nullus Regularis alicui possit confiteri, nisi juxta Regulam, Constitutiones, & suorum Prælatorum voluntatem. Nec est necesse quod Constitutiones, ad hunc effectum, approbatæ sint à Papa, ut docet in simili casu Diana *in dubiis regular. resol.* 1. §. *non desistam,* Peregrin. Hieronym. Rodrig. quos *ibi* refert idem Diana, & Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 34. *num.* 9. *in fin.* & alii.

Neque item obstant privilegia *supra* relata, quibus videntur frui per communicationem Religiosi nostri. Respondeo namque cum Diana 2. *part. tractat.* 2. *resolut.* 87. Capitulum Generale posse limitare, & omnino tollere à Fratribus usum privilegiorum Apostolicorum, & hoc etiam in Religionibus specialem auctoritatem Apostolicam non habentibus ad hoc faciendum, quem sequuntur Tambur. Peyrinis, Miranda, Rodrig. & de hoc extant duæ Bullæ; una Leonis X. alia Gregor. XIII. quas refert Rodrig. *Tom.* 1. *quæst.* 9. *artic.* 2. Sed de facto nostrum Capitulum generale fundans se in his privilegiis, & aliis *supra* relatis prohibuit in nostris Constitutionibus *ubi suprà*, ne Religiosi confiteantur Sacerdotibus simplicibus nostri Ordinis, tam intra, quam extra domum: ergo nostri Religiosi non possunt uti talibus privilegiis; patet consequentia, quia præpositus noster Generalis non potest uti privilegiis concessis 21 Generalibus aliarum Religionum per communicationem, si talia privilegia per nostras Constitutiones limitata fuerint, ut patet *ex* 3. *part.* nostrarum Constitutionum *cap.* 6. *numer.* 1 ergo idem à fortiori dicendum erit de aliis Religiosis. 20

Dices, omnes Prælatos regulares & etiam eorum Vicarios, vel præsidentes loco ipsorum, quando actu præsident in Conventibus ultra 24. horas posse eligere Sacerdotem simplicem ejusdem, vel diversæ Religionis in confessorem non solum extra, sed etiam intra Conventum, dummodo idoneus sit, ut cum multis probat Bordon. *Tom.* 1. *resolut.* 34. *numer.* 28. Lezan. Dian. quos refert, & sequitur Belasius *verbo* confessor regularis *numer.* 9. & nos *supra* tetigimus, qui eos absolvat ab omnibus casibus, & censuris etiam reservatis in Religione à quibus ipsi Prælati possunt absolvere suos subditos, ut tenet Miranda, Villalob. Graffius, Diana, quos refert, & sequitur Dicastill. *de pœnit. tractat.* 8. *disputat.* 10. *dub.* 16. *numer.* 87. sive habeant, sive non habeant copiam confessoris ejusdem Ordinis, si aliàs non habeant statutum in contrarium, confirmatum à Papa, ut cum aliis notavit Bordon. *ubi supra,* quæ resolutio procedit etiam in nostris Prælatis non obstante nostra Constitutione *loco supra relato,* ubi dicit, ut nullus religiosus etiam Sacerdos Sacerdotibus simplicibus nostri Ordinis confiteri præsumat, siquidem nostræ Constitutiones adhuc non sunt confirmatæ à Papa; ergo idem dicendum est de aliis Religiosis. 22

Re-

Respondeo namque concedendo totum antecedens, & negando consequentiam; datur enim diversissima ratio. Nam Prælati regulares de jure communi *cap. final. de pœnitent.* eligere possunt confessarios modo in argumento assignato, ut tenent prædicti Doctores, quæ dispositio cum sit juris communis, non potest tolli, nisi per statutum confirmatum à Papa, ut cum aliis notavit Bordon. *suprà*; qua tamen facultate de jure communi nunquam frui aut uti valuerunt cæteri Religiosi, ut *supra* latè probavimus. Tum, quia nostra Constitutio hujusmodi potestatem non admit Prælatis; nam licet *loco citato* dicat, quod nullus Religiosus, etiam Sacerdos, Sacerdotibus simplicibus nostri Ordinis confiteri præsumat; & quod Fratres habita Confessarii Ordinis copia, non confiteantur extraneis; hæ tamen Constitutiones non debent extendi ad Prælatos: nam ut optimè notavit cum Navarro Portel. *in dubiis regularibus verbo*, Abbas *numer.* 5, licet in favorabilibus nomine Monachi veniat Abbas, non tamen in odiosis; quæ omnia cum multis Doctoribus latè, & solidè probat Diana *Tractat. 2. de dub. regular. resolut. 1. per totam in 3. parte.*

23 Sed quæres, an Sacerdotes simplices nostri Ordinis possint eligi à Religiosis aliorum Ordinum, tam intra, quàm extra conventum in confessarios? Respondeo affirmativè, ita Graffius Zeroala, Bariola, & alii, quos refert & sequitur Bordon. *Tom. 1. resolut. 36. num. 42. & resolut. 34. numer. 3.* Ratio est, quia Religiosi aliorum Ordinum eligunt ex vi suorum privilegiorum, & aliàs ex parte nostrorum Religiosorum nulla datur lex, vel Constitutio, aut præceptum Superioris, hoc prohibens, ut suppono: ergo si de facto confiteantur, confessio tenet: vide Bordon. *suprà num. 3. per totum.*

Aliter dicendum esset, si daretur Constitutio, vel simplex mandatum Prælati in contrarium, nam tunc Sacramentum nullum esset. Ita cum multis Bordon. *Tom. 1. resolut. 36. num. 42.* contra Graffium Zerolam, Bariolam, & alios, quos *ibi* refert idem Bordon. & tandem Lezan. *Tom. 3. verbo* confessor regularis *numer.* 20. Quæ omnia

24 intelliguntur de mortalium confessione; nam circa peccata venialia, vel mortalia jam ritè confessa, tam intra, quam extra conventum possunt Sacerdotes simplices Ordinis nostri validè nostros, & alios etiam extraneos absolvere: licet etiam daretur constitutio, aut præceptum prælati in contrarium; nam ex hoc tantum fit absolutionem illicitam fuisse, non tamen nullam, ex defectu jurisdictionis. Ita Dian. 1. *part. tract.* 14. *resol.* 86. Suar. Henriq. Sanc. Granad. Fagund. Megala, quos refert, & sequitur Lezan. *Tom. 5. in Mari magno Minor. circa* §. 32. *numer.* 85. *Tom. 3 aut 5. juxta alios. & Tom. 1. cap. 21. num. 12.* noster Urban. *loco supracit. Regul. 2.* Sufficit namque ad hoc jurisdictio universalis, quæ est communis omnibus simplicibus Sacerdotibus, licet contrarium teneat Bordon. quem ibi refert Lezana. Peccabunt tamen Religiosi si hoc absque licentia fecerint, quia 25 non sunt sui juris, sed alterius, scilicet Prælati ratione voti obedientiæ. Ita cum aliis Lezana *Tom. 1. cap. 21. num. 12.* Idem dicendum est in mortis articulo, nam tunc quilibet Sacerdos, etiam simplex, potest absolvere ab omnibus casibus, & censuris, quantumcumque reservatis, ita cum aliis *ibi* Lezana.

Dico II. Si in aliqua Religione deputentur aliqui confessores pro Fratribus non Sacerdotibus, 26 si tales Fratres confiteantur aliis confessoribus approbatis à Provinciali ad confessiones Religiosorum, ut accidit in nostra Congregatione, validè confitentur, si aliàs statutum contrarium Religionis non obliget ad mortale. Ita Coriolanus, & alii, quos refert, & sequitur Bordon. *Tom. 1. resolut. 4. numer.* 11. Candidus *Tom. 2. disquisit.* 24. *artic.* 58. *dub.* 8. *numer.* 10. *dicto* 12. Delbene *Tom. 2. cap. 14. dub. 18. sect. 17. numer.* 16. Quidquid in contrarium dicat Portel. *in dubiis regul. verbo* Novitius *num.* 36. Ratio autem est, quia Mendicantes habent privilegium, quod refert Coriolanus 1. *part. casuum reservator. section.* 3, *art.* 21. *numer.* 16. Ut testatur Candidus citatus, ut de materia peccati mortalis possint cuivis Ordinis Sacerdoti pro confessionibus Fratrum approbato confiteri, sed iste, ut suppono, est confessor: ergo confessio illi facta valida est.

Nec obstat, quod sit contra statutum, quia sta- 27 tutum quod Fratres non Sacerdotes confiteantur suo Magistro, non annullat confessionem aliter factam, nec aliis Confessariis aufert jurisdictionem, sed tantum prohibet, ut suppono: multa autem prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent. Nec hinc sequitur Religiosos simplices nostri Ordinis itinerantes posse sibi invicem confiteri ex privilegiis *suprà* relatis: nam *ibi* constitutio, non solum prohibet ne tales Fratres confiteantur sibi

 invicem,

invicem, sed insuper declarat nullam habere jurisdictionem, ac per consequens, si quam haberent, posse illis adimi, vi aliorum privilegiorum, ut *ibi* latè probavimus.

28 Dico III. Religiosi necessitate urgente; si exempli causa, sine gravi incommodo, vel admiratione populi non possunt accedere ad confessorem proprium ejusdem Ordinis. v. g. exivit Religiosus ad celebrandum in Ecclesia aliena in eadem urbe, ubi Conventus est, & dato jam ultimo signo, vel cum jam se cœpisset induere vestibus sacris recordatur alicujus peccati mortalis, & non potest sine gravi admiratione populi socium confessorem expectare, vel regredi ad Conventum, vel curare vocari sibi è Conventu alterum proprium confessorem: vel ex alio accedenti, est illi grave incommodum regredi ad Conventum, vel expectare socium confessarium, quia erat in Ecclesia, verbi gratia, ad recipiendum Ordines, & si expectat non recipit Ordines: in his, & similibus casibus potest confiteri, extero Sacerdoti, dummodo hoc non ex industria faciat. Ita Bordon. *resolut.* 34. *num.* 27. Tum, quia rationabiliter tunc præsumitur habere licentiam tacitam confessarium eligendi; tum, quia necessitas non est legi subjecta; tum etiam quia Sixtus IV. *In Mari magno Carmelitarum*, quod *suprà* retulimus, disposuit ne Religiosi confiterentur aliis, quàm Prælatis suis, vel ab eis electis, nisi urgente necessitate, sed in prædictis casibus urget necessitas: ergo.

29 Dico IV. Religiosi nostri approbati à suis Præ-
latis in confessarios Religiosorum, possunt absol-
vere Religiosos nostri Ordinis, toties quoties ab
omnibus casibus, & censuris Episcopis à jure, vel
ab homine reservatis: ita concessit Sixtus IV. in
quadam Bulla, quam refert Peyrinis *Tom.* 1 *privile-
gior ad constitutionem primam Sixti IV.* §. 4. quam
postea confirmavit Julius II. Ita tenet Peyrinis *ibi*:
& nota hujusmodi privilegium, siquidem est bul-
latum, esse amplissimum; nam ratione illius pos-
sunt nostri Confessarii absque ulla deputatione
30 speciali, absolvere nostros Religiosos, & idem di-
cendum est de aliis Religiosis aliorum Ordinum,
ubi non fuerit statutum in contrarium, toties quo-
ties ab omnibus casibus occultis, etiam intra Bul-
lam Cœnæ, excepta hæresi, siquidem omnes hi
casus sunt Episcopis de jure reservati, ut dicemus
infra agentes *de absolutione sæcularium disput.* 3. *sect.*
1. §. 2. *num* 49 ubi etiam quid de hæresi occulta
dicendum sit explicabimus.

Dico V. Confessarii nostri absolvere possunt 31
omnes Religiosos nostros toties quoties ab omni-
bus casibus, pœnis, & censuris etiam Apostolicæ
Sedi reservatis extra Bullam Cœnæ. Ita conces-
sit Sixtus IV. Monialibus sancta Claræ in quodam
privilegio, quod refert Rodrig. *in Bullario fol.
mihi* 239. *numer.* 44. quo privilegio gaudent
nostri Religiosi per Bullam Clement. VIII. in
qua nobis concedit omnia privilegia omnium
Religionum, quam refert nostrum Compen-
dium *fol.* 184. *numer.* 2. Ita expresè tenet
Martin. à S. Joseph. *fol.* 588. *numer.* 8. & vi-
detur approbare Portel. *in dubiis regular. verbo* 32
confessor *erga fratres num.* 17. quæ privilegia
conveniunt etiam aliis Religiosis aliarum Reli-
gionum, dummodo non extendantur ad casus in
Religione reservatos, & non detur aliquod statu-
tum in contrarium. Ita Martin. à S. Joseph, &
Quintanad. statim citandus.

Nec obstat, si dicas cum Bordon. *Tom.* 1. *resolut.* 4. *numer.* 22. hujusmodi privilegium fuisse vivæ vocis oraculum, ut videre est apud Rodrig. *in Bullario fol.* 239. *num.* 44. ac per consequens evanuisse, sicut & alia similia oracula. Nam ut *supra* jam diximus *disput.* 1. *section.* 1. § 2. *numer.* 41. cum Murcia, Peyrinis, Vidal, & aliis, omnia oracula vivæ vocis concessa usque ad tempus Gregor. XV. fuêre ab hoc, & aliis Pontificibus, ejus antecessoribus confirmata per Bullas, ut *ibi* latè ostenditur, ac per consequens hodie sunt in suo robore. 33

Sed ut omnis dubitatio, & scrupulus omnino tollatur, accipe aliud privilegium Pauli III. per Bullam concessam Societati, quod refert Lezana *Tom.* 2. verbo *confessor regularis num.* 12. per quod possunt confessores regulares absolvere ab omnibus casibus etiam Apostolicæ Sedi reservatis, exceptis Bullæ Cœnæ, omnes Christi fideles, undequaque accedentes; per quod privilegium ait Lezana *suprà* probabile esse posse Regulares absolvere Religiosos sui Ordinis a prædictis casibus, nisi contrarium jure, vel usu in Religione aliqua caveatur, quam sententiam amplectitur etiam Quintanad. *Tract.* 3. *singul.* 19. *num.* 4. In congregatione autem nostra nullum datur statutum in contrarium. 34

Dico VI. Tam nostri, quàm alii Religiosi possunt semel in vita eligere confessarium ex approbatis à suis Prælatis, qui eos ab omnibus casibus, etiam reservatis, nullo excepto, plenariè absolvat. Ita concessit Sixtus IV, in quadam Bulla 35

Minoribus, quam refert Lezana *cap. 19. Tom. 1. num. 27.* & docet Pellizzarius *Tom. 2. cap. 2. sect. 1. num. 84.* N. Urbanus *loc. supra cit. Regul. 8.* Idem concesserat Gregor. IX. *Bulla* 17. quam refert Cruz *lib. 1. cap. 6, dub. 12.* & Leo X. Religiosis de Ucles in alia Bulla, quam refert *ibidem* Cruz, & Martinus V. in alio privilegio, quod refert Portel. *verbo* Confessor, *erga Fratres, n. 20.* Bauny *de pœnit. tract. 4. quæst. 8. dub. 1. lit. E.* Sed an hoc privilegium fuerit vivæ vocis oraculum, non potui invenire.

36 Alterum privilegium concessit Eugenius IV. *Bulla* 1. apud Rodrig. *in Bullario*, ut omnes Fratres etiam Donati, & Novitii, possint semel in vita eligere Confessarium, qui eos absolvat ab omnibus casibus, & censuris, etiam ab illis, propter quæ Sedes Apostolica consulenda esset. Quæ facultas ponderatione digna est; quia nullum crimen excludit, nec etiam relapsum in hæresim, qui erat unus casus, ob quem Sedes Apostolica consulenda esset. Altera datur Bulla Innocentii VIII. quem refert Lezana *Tom. 3, in Mari magno Servitarum. num. 169. ad §. 53.* quæ est etiam valde notanda, in qua concedit Pontifex, ut Religiosi possint eligere Confessarium idoneum sui Ordinis, qui semel in vita absolvat ab omnibus casibus, etiamsi tales forent, propter quæ Sedes Apostolica consulenda esset, & nullam postulat deputationem Prælati in Confessario, ut postulant ferè omnia alia privilegia, tam *suprà* relata, quàm *infrà* referenda Et ideo dixi hoc privilegium valde esse notandum; nam ratione illius possunt Religiosi semel in vita ab aliis Confessariis ordinariis Ordinis absolvi ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ. Ita Sanctorus, & alii, quos refert Lezan. *suprà*. Adverte tamen hæc omnia privilegia quoad absolutionem ab hæresi, etiam occulta, revocata esse per plura privilegia concessa sancto Tribunali Inquisitionis, quæ retulimus *hoc eodem Tractatu disput. 1. num. 48.*

37 DICO VII. Quater in vita possunt omnes Regulares etiam Novitii, & Donati eligere sibi Confessarium ex approbatis à suis Prælatis, qui eos plenissimè absolvat. Ita concessit Paulus III. *Bulla 6.* quam refert Cruz *loco citato*. Immò Leo X. concessit Monialibus S. Claræ, ut quater in anno eligerent Confessarium ejusdem Ordinis, qui eadem plenitudine eas absolveret, & ad statum innocentiæ reduceret, eodem modo ac faceret Summus Pontifex ipse, si adesset; quod privilegium refert Rodrig. *Tom. 1. quæst. 62. art. 12.* Cruz *ubi suprà*, Portel. *suprà num. 15.* quod privilegium summè extollit noster Urbanus *fol. 300.* Sed re vera fuit oraculum, ut testatur ibi Cruz, & Rodrig. modò tamen jam est confirmatum per Bullam, siquidem concessum fuit ante Gregor. XV. ut sæpè dictum est: & ideo adhuc videtur esse in suo robore, ut *suprà* latè explicavimus. 38

DICO VIII. Possunt Religiosi nostri, & idem dicendum est de aliis, in omnibus festis DOMINI, B. Virginis MARIÆ, omnium SANCTORUM, Patris nostri S. ELIÆ, ac Matris nostræ Sanctæ THERESIÆ eligere Confessarium ex approbatis à suis Prælatis, & ab eis plenariè absolvi. Ita concessit Leo X. Monialibus S. Claræ, *Bulla 46.* apud Rodrig. *in Bullario, fol. 330.* & tenet Pellizzarius *Tom. 2. Tractat. 8. cap. 2. sect. 1. num. 84.* Et nota in hoc privilegio non requiri, quòd Confessarius sit specialiter à Prælato deputatus, sed tantùm quòd sit Confessarius Monialium, vel Religiosorum. 39

Eamdem facultatem concessit idem Leo X. pro die sanctæ Catharinæ in quolibet anno Fratribus Minoribus in alio privilegio, quod refert Rodrig. *Tom. 1. quæst. 62. art. 10.* Sed hæc concessio vivæ vocis oraculum fuit, ut Cruz testatur *lib. 1. cap. 6. dub. 12.* Unde patitur difficultatem aliorum, est tamen jam confirmatum per Bullam, siquidem ante Gregor. XV. fuit, ut *suprà* diximus. Alteram concessionem Sixti IV. fecit pro Carthusiensibus, ut in die Nativitatis B. MARIÆ semel in anno eligerent Confessarium sui Ordinis, qui eos ab omnibus casibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis absolveret, quod an fuerit vivæ vocis oraculum, non potui invenire. Ita Rodrig. *Tom. 1. quæst. 62. art. 10.* 40

Alterum privilegium concessit idem Leo X. ancillis B. MARIÆ Virginis, *Bulla 20.* apud Rodrig. *in Bullario, fol. 306.* ut possent in omnibus festis DOMINI, & B. Virginis MARIÆ, Sanctorum PETRI, & PAULI, sancti FRANCISCI, omniumque SANCTORUM, & per totam Sanctam hebdomadam eligere Confessarium, sive suum Ordinarium, sive alium, dummodo sit de consensu Prælatorum, qui eas plenariè absolveret. Loco autem S. FRANCISCI respectu nostrorum Religiosorum, pone S. ELIAM, juxta declarationem Sixti IV. *Bulla 33.* pro Prædicatoribus, & clarius juxta Bullam Julii II. *Bulla 28.* quas refert Cruz *lib. 2. cap. 4. dub. 2. conclus. 2.* ubi dicti Pontifices declarant, quòd ea, quæ in uno privilegio conceduntur festis unius Religionis Mendicantium, 41 42

censentur concessa aliis Religionibus communicantibus, & festis ejus, juxta quam declarationem intellige etiam aliam *suprà* positam in Bulla Leonis X. pro Monialibus S. Claræ. Ita Lezan. *cap.* 19.*num.*27. Cruz *lib.*1. *cap.* 6. *dub.*12.

43 Dico IX. Omnes Prælati, & alii Religiosi, etiam Donati primæ Professionis, & Novitii, imò & servi nostri continuò commensales assistentes in domo, in qua fit generale Capitulum, possunt intra 20. dies numerandos à die Capituli exclusivè, eligere sibi Confessarium ex approbatis à suis Prælatis, pro quolibet Capitulo, qui eos semel dumtaxat absolvat ab omnibus casibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, extra Bullam Cœnæ, & eis concedat plenariam remissionem peccatorum suorum; Ita concessit Sixtus IV. *Bulla* 46. apud Rodrig. *in Bullario, fol.* 323.

44 Dico X. Confessores nostri deputati à Generali, vel Provinciali pro confessionibus Fratrum, possunt illos absolvere toties quoties, ab omnibus casibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, exceptis hæreticis relapsis, schismaticis, Apostolicarum litterarum falsariis, & qui ad infideles prohibita

45 deferunt: ita concessit Sixtus IV. *in Mari magno Carmelitarum*, §. 62. declarans Bullam Eugenii IV. quam facultatem etiam extendit Sixtus IV. ad Moniales. Ita Lezana *Tom.* 5. *in Mari magno Carmelitarum, circa* §. 62. *num.* 370. Adverte tamen, quòd cùm in hoc privilegio, & similibus, quæ hucusque retulimus pro Fratrum absolutione, non restringatur absolutio ad forum conscientiæ, vel Sacramentale, sed generaliter concedatur facultas à casibus, & censuris reservatis, absolutionem censurarum, posse dari etiam pro foro externo, ut latè cum Portel. Vechio, & aliis probat Lezana *Tom.* 5. *in Mari magno Minorum, circa* §. 40. *num.* 112. & jam decisum est in Sacra Rota: quæ doctrina etiam extendenda ad privilegia Prælatorum, ut diximus *disp.* 1. *sect.* 1. §. 2. cum Bordon. Candid. & aliis, & ad quæcumque alia, quæ talem restrictionem non habeant, ut *ibi* explicavimus.

46 An autem ratione hujus privilegii possint nostri Fratres, & idem de aliis, absolvere alios Fratres à casibus Bullæ Cœnæ expressè exclusis in ipso privilegio? Negat Lezana *in Mari magno Carmelitarum*, §. 15. *num.* 201. propter annuam revocationem omnium privilegiorum, quæ quotannis in ipsa Bulla fit, sed hæc responsio non est probanda, sed omnino rejicienda juxta supradicta, *disp.* 1. *sect.* 1. §. 2. Ubi cum Peyrinis, & aliis *ibi* citatis probavimus Bullam Cœnæ solùm derogare privilegiis Regularium, quoad absolutiones sæcularium. Unde juxta hoc privilegium possent dicti 47
Confessarii absolvere nostros Fratres, etiam ab hæresi, dummodo non sit relapsus, juxta *ibi* dicta; & idem dicendum est de aliis privilegiis *suprà* relatis, quando concedunt casus Bullæ Cœnæ, si talia privilegia non essent revocata, ut diximus *suprà num.* 36.

In fine horum privilegiorum adverte, ferè in 48
omnibus *suprà* positis privilegiis postulari, ut Confessarius eligendus sit deputatus à Prælatis; quid autem per hanc deputationem velint intelligere Pontifices, cùm hæc verba addunt in privilegiis. Portel. *in dubiis regularium, verbo* Confessor erga Fratres, *num.* 18. existimat requiri non solùm approbationem à Provinciali ad Fratrum confessiones audiendas, sed specialem designationem, ut juxta has, & similes concessiones absolvere possint, eo modo, quo fit ad dispensandum in debito cum conjugatis incestuosis. Sed meliùs Joannes à Cruce *lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 12. asserit, quòd quando in privilegiis postulatur, quod Confessarius sit à Prælato deputatus, vel de ejus licentia, sufficere, quod sit de Confessariis ordinariè deputatis ad confessiones Fratrum, qui aliàs seclusis istis privilegiis, non posset absolvere Fratres à peccatis reservatis. Ista namque privilegia aliquid debent concedere, scilicet absolutionem à reservatis, & si specialis commissio requireretur à Prælato ad hujusmodi absolutiones, jam non ex vi privilegii, sed ex delegatione Prælati fieret absolutio. Nam Prælatus sine privilegio posset concedere facultatem absolvendi à sibi reservatis. Ita etiam Palaus *Tom.* 4. *tract.* 23. *disp. unica, p.* 15. §. 4. *n.* 10. Corduba, quem refert & sequitur Rodrig. *Tom.* 1. *quæst.* 62. *art.* 11.

Sed licèt hæc satis probabilia sint, ego tamen 49
existimo cum Urbano nostro *loc. cit.* in hoc standum esse Religionis consuetudini, v. g. si Prælatus prohibuerit, ne quilibet Confessarius ordinariè expositus pro peccatis non reservatis, censeatur etiam expositus pro usu horum privilegiorum, sed alios doctiores deputaverit, tunc standum est Superioris deputationi, cùm privilegia postulent deputationem, vel consensum, aut licentiam Prælati. Secùs dicendum est, si talis consensus non postuletur, vel si talis consuetudo non detur, ut non datur in nostra Congregatione Carmelitana excalceata in Hispania, ubi omnes Confessarii Fratrum sine ullo discrimine tam hujus, quàm alia-

aliarum Provinciarum, Fratres sine ulla deputatione possunt absolvere ab omnibus casibus, etiam Apostolicæ Sedi reservatis, prædictis diebus, & vicibus, ut in præfatis privilegiis continetur.

50 DICO XI. In articulo mortis possunt omnes Religiosi nostri, etiam Novitii & Donati primæ professionis, & nostri famuli viventes intra septa monasterii: & idem est dicendum de aliis Religiosis aliarum Religionum, eligere sibi quemcumque Confessarium, tam regularem, quàm sæcularem, qui eos absolvat ab omnibus casibus, nullo excepto. Ita concessit Sixtus IV. *Bulla* 45. ita Pellizzarius *Tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 2. *sect.* 1. *num.* 81. Immò potest illis concedere sacrum Jubilæum, sive omnes & singulas indulgentias, quæ per omnes Romanos Pontifices prædecessores Sixti IV. concessæ fuêre Christi-fidelibus, personaliter euntibus Romam anno Jubilæi, & visitantibus Ecclesias ad hoc statutas & determinatas.

51 Circa hanc tamen concessionem advertendum est cum Fragoso 2. *part. lib.* 11. *disp.* 24. §. 15. *num.* 7. hanc absolutionem posse dari virtute hujus privilegii in quocumque probabili mortis periculo, & in quocumque sortiri effectum suum; nam effectus Sacramenti non potest suspendi. Ita etiam tenet Suarez, Corduba, & alii, quos ibi refert idem Fragos. Sotus, & alii quos refert, & sequitur Lezan. *Tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 28. N. Urbanus *fol.* 299. *reg.* 8. contra Rodrig. & alios. Unde sic absolutus à reservatis in Religione, non tenetur postea recurrere ad Prælatum, indulgentia tamen reservatur pro vero mortis articulo. Ita prædicti Doctores.

52 Secundò advertendum, Confessarium debere esse approbatum ab aliquo Ordinario: debet namque jam esse Confessarius: ita idem Urban. *fol.* 298. *reg.* 8. Palaus statim citandus, & Fragos. *loco citato*, nisi aliàs casus necessitatis esset; nam tunc sufficit ille, qui in tali articulo absolvere potest, ut sunt omnes Sacerdotes. Ita cum aliis Palaus *Tom.* 4. *tract.* 13. *disp. unica*, *p.* 15. §. 4. *num.* 7.

Similem facultatem eligendi Confessarium, qui eos absolvat in vero mortis articulo ex approbatis à nostris Prælatis, ea tantùm conditione, ut quilibet Fratrum semel dicat septem Psalmos Pœnitentiales, vel 60. vicibus *Pater noster* cùm *Ave Maria* pro pace, & Ecclesiæ prosperitate, & Summi Pontificis, concessit Sixtus IV. *Bulla* 44. apud Rodrig. *in Bullario, fol.* 231. & Leo X. per specialem Bullam, quam refert Cruz *lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 12. concessit, ut omnes nostri Religiosi, etiam Donati primæ professionis, & famuli intra septa Conventus viventes, eligere possent Confessarium ex approbatis à nostris Prælatis, qui in imminenti periculo mortis eos absolvat ab omnibus casibus, etiam Papæ reservatis extra Bullam Cœnæ. Hæc tamen gratia non prodest recedentibus ab inobedientia Papæ, & peccantibus ex confidentia illius.

Tandem Innocentius VIII. concessit Benedictinis, ut eorum Religiosi in mortis periculo eligere possent Confessarium approbatum à Prælatis ejusdem Ordinis, qui eos à omnibus peccatis, nullo excepto, cum omnimoda auctoritate, ac si ipse esset Summus Pontifex, absolveret. Et est notandum cum Cruce *loco citato* in hoc privilegio non requiri deputationem Prælati in Confessario, sed hæc concessio vivæ vocis oraculum fuit, ut testatur idem Cruz. Unde subit difficultatem aliorum, fuit tamen concessum ante Gregor. XV. ac per consequens jam est per Bullam confirmatum, ut sæpè dictum est. 53

§. 2.

An & quomodo Religiosi aliorum Ordinum, ubi sunt casus reservati, possint uti prædictis, aut aliis privilegiis pro absolutione à reservatis in sua Religione, tam intra quàm extra Conventus.

54 *In articulo mortis Religiosi aliorum Ordinum possunt eligere Confessarium, qui eos absolvat ea plenitudine, qua de nostris diximus.*

55 *Regulares Ordinum, ubi sunt casus reservati, semel in vita possunt eligere Confessarium ejusdem Ordinis, qui eos à omnibus casibus reservatis, etiam in Religione, absolvat.*

56 *Idem videtur dicendum in aliis diebus, & solemnitatibus, in quibus diximus posse Regulares eligere Confessarium, ut eos absolvat plenissimè.*

57 *Quomodo Pontifices prohibeant, ne Religiosi confiteantur sine Superiorum voluntate.*

58 *Probabile est Regularem, dum est extra Conventum, posse absolvi à reservatis etiam in Religione*

gione in quocumque Confessario, etiam sæculari, si non habeat Confessarium Ordinis.

59 Probabilius est in hoc standum esse Religionis consuetudini.

60 Nostri Religiosi itinerantes, possunt eligere Confessarium, sive regularem, sive sæcularem, qui eos absolvat ab omnibus peccatis, præter ea, propter quæ Sedes Apostolica esset consulenda.

61 Hæc privilegia non suffragantur illis, qui de industria eo solo fine exeunt, ut extra confiteantur, benè tamen si alio fine exeant, licet ad hanc occasionem consulto confessionem reservent.

62 Apostatæ non possunt uti privilegiis Religionis.

63 Ipso jure sunt excommunicati, sive habitum dimittant, sive non.

64 Si perseverant in apostasia, sunt irregulares.

65 Non gaudent privilegio exemptionis, nec immunitate Ecclesiastica in monasteriis suæ Religionis.

66 Privilegia prosunt recurrentibus ad Superiorem, etiamsi furtivè faciant.

67 Peccata non censentur reservata, nisi completa, & consummata fuerint.

68 Quando reservatur aliqua actio externa, debet talis actio esse ex se gravis, & non sufficit quòd talis sit ex mala intentione operantis.

69 In dubio, an peccatum sit reservatum, non censetur reservatum.

70 Peccata reservata, solùm qui reservat, potest de jure ordinario absolvere.

71 Qui reservatum commisit, tenetur ad reservantem recurrere.

72 Prælatus in aliquo casu, potest tantùm audire reservata.

73 In casu, quo Prælatus absolvat tantùm reservata, non tenetur pœnitens ea iterùm confiteri, sed tantùm tenetur non reservata confiteri.

74 Prælati tenentur deputare duos, vel tres Confessarios, quibus quando casus occurrit, absolutio reservatorum committatur.

75 Si Prælatus prædictis Confessariis licentiam ad reservata denegaverit, possunt pro illa vice pœnitentem absolvere.

76 Immò toties, quoties petita licentia fuerit denegata.

77 Pœnitens timens aliquod inconveniens, si Prælato de reservatis confiteatur, non tenetur ad illum recurrere, sed potest contritionis actu elicito celebrare.

78 Poterit etiam communicare, præmissa confessione tantùm non reservatorum.

79 Sed postea non tenetur pœnitens Superiori non reservata confiteri.

80 Etiam absque causa potest subditus confiteri de non reservatis, & reservatis, & postea recurrere ad Prælatum pro reservatis.

81 Pœnitens habens licentiam eligendi pro una vice Confessarium, qui eum à reservatis absolvat, potest ab illo absolvi à commissis post licentiam concessam, & post illius notitiam.

82 Et hoc etiam, si post habitam dictam licentiam interim tres, aut quatuor anni elapsi fuissent, vel Superior qui licentiam concessit, mortuus sit.

83 Idem dicendum est, quando facultas conceditur Confessario ad absolvendum pro una vice aliquam personam à reservatis, secùs si concedatur pœnitenti.

84 Si Confessarius petierit licentiam pro una persona ad reservata, potest illa uti pro se.

85 Religiosus quando hospitatur in aliquo Conventu Ordinis, potest absolvi à quocumque Confessario ordinario à reservatis in suo Conventu, si in Conventu, ubi hospitatur, non fuerint etiam eadem peccata reservata.

86 Et hoc etsi de industria Religiosus se transferat ad alterum Conventum.

87 Si tamen in domo, in qua hospitatur, fuerint reservata, tenetur illa solo Superiori, vel alteri de illius licentia confiteri.

88 Reversus tamen ad proprium monasterium potest absolvi à quocumque Confessario ordinario, si talia peccata reservata ibi non fuerint.

89 Qui confitetur potenti à reservatis absolvere, si obliviscatur alicujus reservati, potest illud postmodum ordinario Confessario confiteri.

90 Quando Prælati in Capitulis absolvunt Fratres à censuris, possunt Fratres absolvi à peccatis, quæ simul cum censura erant reservata à Confessario ordinario.

91 Idem dicendum est, quando subditus confitetur potenti absolvere à reservatis, si confessio fuerit nulla.

92 Qui publicè casum reservatum commisit, non potest absolvi nisi à Prælato, vel de illius licentia.

93 Si in nostra Religione aliquis Frater publicè incidisset in excommunicationem Papæ reservatam, solus Prælatus eum potest absolvere pro foro externo, bene tamen alii Confessarii pro foro interno.

94 Et hæc absolutio proderit etiam pro foro externo, si à Prælato acceptetur.

54 POstquam plura diximus de privilegiis, quæ omnibus Religiosis tam habentibus in sua Religione casus reservatos, quàm non habentibus poterant convenire, non incongruum videbitur inquirere; an ratione prædictorum privilegiorum, quæ per totum antecedenrem §. retulimus, possint Religiosi aliorum Ordinum, ubi sunt casus reservati absolvi ab omnibus casibus, etiam in Religione reservatis omnibus illis diebus, & festivitatibus, quæ in prædictis privilegiis referuntur. Huic dubitationi respondeo, de mortis articulo, nullum esse dubium. Omnes namque Doctores conveniunt affirmativè, ut videre est apud Suar. & Palaum statim citandis; de confessionibus verò faciendis per vitæ decursum aliis diebus, & solemnitatibus majus est dubium. Negat acerrimè Lezan. *Tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 29. nixus Bullis Clement. VIII. & Urban. VIII. in quibus prohibent, ne quis Regularis prætextu Bullæ cruciatæ, vel alterius privilegii absolvere præsumat à casibus in sua Religione reservatis, absque licentia suorum Superiorum.

55 Verùm Diana 3. *p. tract.* 2. *resol.* 126, cum Suar. absolutè ait, Regularem semel in vita, sine speciali licentia suorum Superiorum posse absolvi ab aliquo Religioso ejusdem Ordinis approbato ad Religiosorum Confessiones ab omnibus reservatis, etiam in Religione ex privilegio Sixti IV. in Bulla *supra* relata, Minoribus concessa, Idem docet Amicus *Tom.* 8. *disp.* 15, *sect.* 2, *num.* 59, Pellizzarius *Tom.* 2, *tr.* 8, *cap.* 2, *sect.* 1, *nu.* 81, Palaus *Tom.* 4, *tract* 23, *disp. unica p.* 14, §. 4, *num.* 6, Tambur. *Tom.* 2. *disp.* 3, *quæsito* 8, *num.* 9, An autem idem possint facere Regulares aliis vicibus, & diebus concessis in supradictis privilegiis? Nihil dicunt prædicti Doctores. Affirmat tamen consequenter Suar. *Tom.* 4, *de relig. tract.* 8, *cap.* 19. *nu.* 71, ubi ita ait: Idem sentiendum est de quibusdam aliis privilegiis, & quasi jubileis concessis aliquibus Religionibus pro aliquibus anni festivitatibus, quæ refert dictus Emmanuel *Tom.* 1, *q.* 62,
56 *art.* 10, dummodo unusquisque servet modum in sua Religione præscriptum v. g. si prælatus prohibuerit, ne quilibet confessor ordinariè expositus pro communibus peccatis censeatur etiam pro usu horum privilegiorum, sed alios doctiores deputet, cùm solis deputatis à Prælato possint confiteri. Quam sententiam sic explicatam sequitur noster Urban. ab Ascensione *Tract.* 2, *distinct.* 2, *cap.* 2, *regula* 8, Non enim assignari potest major ratio de hoc privilegio Sixti IV. quàm de aliis, cùm omnia bullata sint.

Nec obstant Bullæ Clement. VIII. & Urbani VIII. quas refert Lezan. *supra*, in quibus præfati Pontifices prohibent, ne religiosi quoad absolutiones reservatorum aliis, quam ab approbatis à suis Prælatis confiteantur. Nam hujusmodi prohibitio non minus est contra prædictum privilegium Sixti IV. quod admittunt Diana, Palaus, Tambur. & Amicus *locis citatis*, quàm contra cætera supra relata; & tamen illo non obstante prædicti Doctores adhuc hodie affirmant posse Regulares confiteri semel in vita de omnibus reservatis, etiam in Religione alicui confessori approbato ad ordinarias confessiones, nisi aliàs detur alius doctior specialiter ad has absolutiones deputatus à Prælatis: ergò idem dicendum est de aliis. Præterea illæ Bullæ Clement. VIII. & Urbani VIII. non prohibent quòd Regulares confiteantur ex vi horum privilegiorum approbatis à suis Prælatis ad communes fratrum confessiones, sed quod ex vi Bullæ Cruciatæ, vel aliorum privilegiorum, per quæ Regulares approbati ab Ordinario absolvere possunt omnes Christi fideles ad se accedentes à casibus etiam sedi Apostolicæ reservatis, non possint absolvere Regulares sui Ordinis, ut aliqui volebant: ergò cùm hujusmodi Bullæ de his solis privilegiis loquantur, & non de aliis, & aliàs sint odiosæ, debent restringi, ac per consequens non debent extendi ad alia diversa privilegia; nam à diversis non fit illatio, maximè in odiosis *l. ult. in fin.* ubi cum multis Velasco *de axiomatibus juris verbo* illatio *num.* 18. 57

An autem prædicti Religiosi aliorum Ordinum, ubi sunt casus specialiter reservati, dùm itinerantur, vel sunt extra Conventus de Prælatorum licentia eligere possint confessarium Regularem, vel sæcularem alicujus Ordinis, qui eos à quocumque crimine, quomodocumque reservato etiam in Religione absolvat? Respondeo; Joan. à Cruce *in Epitome lib.* 1, *cap.* 6. *dub.* 11, *concl.* 1, existimasse absolvi posse à quolibet Sacerdote, etiam sæculari in defectu sacerdotis ejusdem Ordinis, ab omnibus casibus, etiam in Religione reservatis, cum sola licentia itinerandi, absque alia speciali licentia Prælati circa hoc, ex privilegio Innocent. VII, *Bulla unica*, & ex privilegio Sixti IV. *Bulla* 3, quas *ibi* refert idem Cruz. 58

Ego tamen existimo cum Suar. & Prælato 59

Tom. 4. *tractatu* 23. *disputat. unica p.* 15. §. 4. *numero* 10. in hoc standum esse Religionis consuetudini, ut *suprà* diximus. Unde cùm in nostra Religione nullus detur casus specialiter Prælatis reservatus, possunt nostri Religiosi itinerantes, & non habentes Ordinis confessarium eligere quempiam etiam Sacerdotem simplicem sæcularem, vel Regularem, qui eos absolvat ab omnibus casibus reservatis, exceptis illis, propter quos Sedes Apostolica consulenda esset, erit autem consulenda propter relapsum in hæresim, schisma, falsificationem litterarum Apostolicarum, delationem prohibitorum ad infideles, & conspirationem contra Romanum Pontificem, juxta Bullam Sixti IV. ita concessit prædictus Innocentius VII. & Sixtus IV. Bullis *suprà* relatis *numero antecedenti*, excipe etiam hæresim etiam occultam, ut diximus *suprà num.* 36.

61 Adverte tamen hujusmodi privilegia non suffragari illis, qui data opera & eo solo fine præcisè exeunt, ut extrà confiteantur. Ita Bordon. *Tom.* 1. *resolut.* 34. *numero* 26. Nam illa privilegia conceduntur modò Religiosi illis utantur sine fraude, ut expressè declaravit Leo X. simile privilegium concedens apud Sorbum *verbo* absolutio, *quoad fratres* §. 23. proficiet tamen illis Religiosis, qui differunt confessionem ad tempus, quo ituri sunt prædicare, vel aliud Religionis opus, vel negotium efficere, ut tunc extrà confiteantur: ita *ibi* idem Bordon: nam in casu prædicto non exit eo fine præcisè, ut extrà confiteatur, sed primò & per se ut prædicet, vel aliud negotium exequatur; & consequenter, ut confiteatur. Undè hoc non est quid per se primò intentum, sed per accidens: quare fraus licet non possit prodesse immediatè alicui, benè tamen mediatè, & per accidens vide Bordonium *suprà*.

62 Et hinc colliges, quid dicendum sit de Apostatis? Nam hi dum Apostatæ sunt, non possunt uti illo privilegio confessorem eligendi, nam illud privilegium solùm conceditur egredientibus ex licentia suorum Prælatorum. Ita idem Bordon. *suprà num.* 26. Palaus *Tom.* 4. *tract.* 23. *disp.*
63 *unica p.* 5. §. 4. *num.* 10. Apostatæ verò ipso jure excommunicati sunt, sivè habitum dimittant, sivè non, ut tenent Azor, Peyrinis, & alii, quos refert, & sequitur Belasius *verbo* Apostata *numero* 3. Immò si perseverent in Apostasia sunt irregulares, quia ipso jure infames sunt, ut patet ex
capite aliorum 2. *quæstione* 5. *& ex cap. beatus* 3.
quæstione 4. *& cap. infames* 6. *quæstione* 1. & tenent
cum Gaffio & Peyrinis Belasius *verbo* Apostata
numero 5. Nec gaudent privilegio exemptionis,
quo gaudent cæteri Religiosi; nec gaudent im- 64
munitate Ecclesiastica in Monasteriis suæ Reli-
gionis, benè tamen in aliis. Immò sunt suspecti de
hæresi, maximè si per annum in apostasia perse-
veraverint, Ita cum multis Belasius *verbo* Aposta-
ta *numero* 11. & 12. ergò dùm perseverant in apo- 65
stasia per nullum privilegium, vel Bullam pos-
sunt absolvi, siquidem sunt in peccato actuali.
Proficient tamen omnia dicta privilegia recur- 66
rentibus, vel appellantibus ad suum Superiorem,
etiamsi sit invitis Prælatis inferioribus, sivè cum
licentia, sivè sine illa recedant; nam tunc præsumi-
tur licentia Prælati Superioris. Ita Bordon. *suprà*
num. 26.

Sed quæres, quomodo se gerere debeat Reli- 67
giosus circa peccata reservata in ipsa Religione,
ubi dantur casus reservati. Pro explicatione hu-
jus dubii notandum est primò, peccata non cen-
seri reservata, nisi completa, & consummata fue-
rint, non verò quando sunt solùm attentata, nisi
id in reservatione expressè dicatur; ubi enim pœ-
na à jure imponitur pro delicto, nunquam est
locus pœnæ, nisi delicto consummato; Graffius,
Felinus, Abbas, quos refert & sequitur Belasi-
us *verbo* casus reservati *numero* 7. Lugo *de pœnit.*
disputat. 20. *sectione* 2, *numero* 15. Quando autem 68
reservatur aliqua actio externa, ut omne pecca-
tum contra castitatem, quoties in actum exter-
num prodit, tunc requiritur, quòd talis actio ex
se habeat gravitatem: nam si aliquis ex intentio-
ne mortali, & gravi contra castitatem dicat alteri
verbum aliquod turpe ex se leve, vel exerceat ali-
quam aliam actionem ex se levem, licet hæc a-
ctio mortalis fuerit ratione intentionis, non e-
rit reservata: quia sicut sola voluntas interna non
reservatur, ita nec quod ab ea procedit in actum
externum, non habentem ex se gravem malitiam.
Ita Henriq. Granad. Suar. quos refert & sequitur
Lugo *de pœnit. disputatione* 20. *sectione* 2. *numero*
15. Et ex nostris Lezana *Tom.* 2. *qq. Reg.* verbo
casus reservati, Franciscus bonæ spei Tomo 6. *suæ*
Theolog. Tract. 5. *de pœniten. disputatione* 10. *num.*
15. & Stephanus à S. Paulo *Tract.* 5. *de Sacram. di-*
sput. 5. *dub.* 10.

Secundò notandum est, quod in dubio an pec- 69
catum reservatum sit, præsumitur quod non est
reservatum: est enim reservatio stricti juris, quæ
non

non extenditur ultrà casum expressum. Portel. Lezan. quos refert, & sequitur Belasius *verbo* casus reservati *numero* 8. Si tamen dubium fuerit, quando peccatum est reservatum, an pœnitens inciderit, vel non, tunc vel dubium est negativum, vel positivum. Si sit positivum certum est absolvi posse à confessario Ordinario; nam cùm hoc dubium nihil aliud sit, quàm quod detur ex utraque parte probabilis opinio, unusquisque potest sequi probabilem opinionem, Lugo *de pœnitentia disputatione* 20. *sectione* 2. *numero* 16. quod si dubium sit negativum, & proprium; non censetur reservatum. Ita cum Corduba, Suar. Henriq. Filliucius, Ochogavia, Portel, quos refert, & sequitur Lugo *de pœniten. disput.* 20. *sectione* 2. *num.* 18.

70 Dico I. vel peccatum est reservatum à Capitulo generali, vel tantùm à Generali, vel à Pro-
71 vinciali, vel Priore. Si à Priore ipse potest absolvere, si à Superioribus majoribus, vel Capitulo, standum est eorum dispositioni, cui dispositioni etiam est subjectus ipse Prælatus inferior respectivè. Ita communiter Doctores, quos refert, & sequitur Caspensis *disputat.* 6. *tract.* 24. *sectione* 5.
72 *numero* 1. *tom.* 2. Undè pœnitens potest recurrere ad Superiorem pro absolutione, qui licet in aliquo casu urgenti audire possit sola reservata, non tamen sine tali necessitate, ut tenent communiter Doctores, quos refert, & sequitur Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 39. *numero* 41. Lugo *de pœnit. disputat.* 20. *sectione* 16. *num.* 6. Caspensis *Tom.* 2. *tract.* 24. *disputat.* 6.
73 *sect.* 5. licet multi teneant contrarium, quos referunt prædicti Doctores. In casu tamen, quo Superior absolvat sola reservata, non tenetur pœnitens reservata iterum ordinario confessori confiteri, sed potest tantùm non reservata declarare. Ita Megala, Vazq. Coninch. Zerola, Bonac. & alii, quos refert, & sequitur Bordon. *Tom.* 1, *resol.* 39. *num.* 4. contra alios quos *ibi* refert.

74 An autem teneatur subditus recurrere semper ad Superiorem pro reservatorum absolutione? Respondeo negativè, nam ipsi Prælati tenentur in singulis domibus, duos, tres, aut plures confessores pro subditorum numero majori, vel minori designare, qui à non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, non quidem permanenter; sed quando confessoribus ipsis opportunum videbitur. Ita decrevit Clemens VIII. in quadam Bulla, quam refert Palaus *Tom.* 4. *tract.* 13. *disputat. un. p.* 15. §. 5. *numero* 8. Urban. *tract.* 2. *p.* 2. *distinctione* 2. *cap.* 2. *regul.* 6. & alii communiter.

Immò addit ipse Pontifex in dicto decreto, 75
quod si hujusmodi Regularium confessariis alicujus casus reservati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus confessarii illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta facultate à Superiore absolvere, Pellizzarius *Tom.* 2. *tract.* 8. *cap* 2. *sect.* 1. *numero* 59. & noster Franciscus supra citatus *Tract.* 5. *de pœnit disputat.* 10. *dub.* 9. Gabriel à S. Vincent. *Tom.* 3. *de Sacramento disputat.* 9. *quæst.* 5. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 29. & alii communiter, quod si contingat non una vice, sed pluribus Religiosum cadere in casum reservatum, & Superior deneget licentiam absolvendi, adhuc Bordon. *Tom.* 1. *resolut.* 36. *numero* 50. existimat toties posse absolvi, quoties licentia denegata fuerit. Quam sententiam à fortiori 76
debent tenere Henriq. & Rodrig. quos refert Fagund. in præceptis Ecclesiæ, *præcepto* 3. *lib.* 3. *cap.* 9. *numero* 7. estque meo judicio valdè probabilis.

Verùm Lezana *loco jam citato*, hoc minimè fie- 77
ri posse existimat, sed pœnitentem teneri ire ad suum Prælatum pro absolutione, nec eum excusare verecundiam; excusare tamen illum metum alicujus gravis incommodi, indè nasciturі, ut v. g. fractio sigilli, & quid simile. Nam si hæc prudenter timeantur, potest tunc pœnitens eliciendo tantùm actum contritionis celebrare, vel communicare absque prævia confessione, non reservatorum. Ita Ricardus, Durandus, Adrianus, & alii quos refert, & sequitur Diana 2. *p.* *tractatu* 4 *resolutione* 104. Lessius, Caspensis & 78
alii, quos refert, & sequitur idem Diana 9. *p. tract.* 3. *resolutione* 11. Poterit etiam præmissa confessione non reservatorum, & reservatorum facta ordinario Confessore accedere ad communionem: in quo casu directè manet absolutus à non reservatis, & indirectè à reservatis. Ita Lezana *eodem capite* 18. *numero* 29. N. Franciscus bonæ spei *loco suprà citato.* & Stephanus à sancto Paulo *libro citato*

Adverte tamen in hoc casu postea non teneri 79
pœnitententem iterum Superiori confiteri non reservata, sed tantùm teneri comparere pro reservatis. Ita cum multis Bordon. *Tom.* 1. *resolutione* 39. *num.* 43. *& sequentibus.* Immò etiam si nulla detur causa potest subditus prius si velit confiteri omnia peccata, tam non reservata, quam reservata confessario ordinario, & postea ad Superiorem

recurrere pro reservatorum absolutione. Ita Na-
var, Cajetan. Sa, Medina, Sayrus, Bonacin. Me-
gala, quos refert, & sequitur Bordon. *Tom.* 1, *re-*
80 *sol*, 34, *num*, 43, contra Nugnum Suarez, & alios;
quos refert, & sequitur Candid. *Tom.* 1, *disquisit.*
3, *art.* 4, *dub.* 1, quod est valdè notandum. Sed
hæc debent intelligi, dummodò pœnitens non sit
obstrictus vinculo alicujus excommunicationis, à
quo confessor ipsum absolvere non potest; ut si
casus simul sit reservatus cum censura eidem Su-
periori. Ita prædicti Doctores; nam tunc solùm
illi remanet remedium contritionis, in casu quo
non potest recurrere ad Superiorem, & aliàs urgeat
communicandi necessitas propter honorem, fa-
mam, &c.

81 Dico II. Si pœnitens habuerit licentiam à suo
Prælato ad confessorem eligendum, qui eum pro
hac vice absolvat, potest absolvi de similibus
commissis post licentiam concessam, & post habi-
tam illius notitiam, sive facultas concessa fuerit
confessori, sive pœnitenti. Ita præpositus, Barbos.
Lugo & alii, quos refert & sequitur Quintanad.
Tract. 3, *singul.* 11, *num.* 8, Et hoc etiamsi post ha-
bitam licentiam dictam, tres aut quatuor anni ela-
psi interim fuissent, & etiam si Superior, qui licen-
tiam concessit, interim quoque mortuus, vel amo-
tus fuisset jam ab officio. Ita Chapiavilla, Joan.
82 Sanch. Lugo quos refert *ibi*, & sequitur Quinta-
nad. *num.* 9, Secùs dicendum est quando facultas
conceditur pro tali, vel talibus peccatis, pro qui-
bus petitur nominatim, quod tamen regulariter
non fit, Ita cum aliis Quintanad. *suprà* N. Gabriel
83 suprà cit. *eadem quæst.* 5, *disp.* 9, Immò addo, quòd
si confessor petat licentiam ad absolvendum à re-
servatis aliquam personam, illam absolvere potest
à peccatis commissis post obtentam licentiam pro
prima vice. Secùs si talis licentia obtenta fuerit à
pœnitente. Ita cum Barbosa, Leone, & aliis Dian,
3, *p. tract* 2, *resol.* 126, Dicastillus, *Tom.* 2 *tract,*
8, *disp.* 11, *dub.* 10, *num.* 34, Tambur. *Tom.* 2,
disp. 13, *quæsito* 8, *num.* 7, Immò addunt Tam-
84 bur. & Dicast. cum Florono, Diana, N. Gabriel &
aliis *ubi suprà*, quod si confessor petat licentiam à
superiore pro una persona, posse illa uti pro sua
persona; quæ omnia sunt valdè notanda.

85 Dico III, Si aliquis Regularis incidisset in ali-
quem casum reservatum, si eveniat illum hospitari
in alio Conventu ejusdem Ordinis, ubi talis casus
non est reservatus potest ibi absolvi ab illo, à Con-
fessoribus ordinariis. Ita Suar. Filliucius, Portel.
verbo casus reservati *num.* 16, quos refert & sequi-
tur Peyrin, *de Prælato quæst,* 3, *cap.* 2, *num.* 24, Be-
lasius *verbo* casus reservati, *num.* 22, Pellizzarius
Tom. 2, *tract.* 8, *cap.* 2, *sect.* 1, *num.* 55, Ita enim 86
observatur consuetudine, quod etiàm est verum,
etiamsi Religiosus de industria se transferat ad ali-
um Conventum; nam eo ipso quod in illo hospi-
tatur, fit subditus illius Prælati. Ita Filliucius, & a-
lii, quos refert & sequitur Peyrinis *ubi supra num,*
25. Candid. *Tom.* 2, *disquisit.* 24, *art.* 55, *dub.* 5,
& 6.

Sed quæres, an, si talis hospes incidisset in ali- 87
quem casum reservatum in Conventu, in quo ho-
spitatur, qui tamen non est reservatus in suo Con-
ventu possitne absolvi à confessariis ordinariis illi-
us Conventus, in quo hospitatur, an teneatur re-
currere ibi ad Prælatum, vel ad habentem aucto-
ritatem ad absolvendum à reservatis? Respondeo
non posse absolvi à confessariis Ordinariis, sed te-
neri ad Prælatum recurrere, vel habentem aucto-
ritatem ad casus reservatos; nam cùm sit subditus
illius Prælati, tenetur, dum subditus est, Prælatis
illius Conventus obedire. Reversus tamen ad su-
um Conventum poterit ab ordinariis confessori-
bus absolvi. Ita Suar. Cajet. quos refert, & sequi-
tur Peyrinis *supra num.* 26, Coriolanus, & alii, re-
fert & sequitur Candid. *Tom* 2, *disquisit.* 24, *art.* 88
57, *dub.* 5, *&* 6, ubi hoc probat ex privilegio Sixti
V. ratione cujus Regulares absolvere possunt quos-
cumque ad se accedentes, etiamsi de industria ad i-
psos accedant.

Dico IV. Qui confitetur potenti absolvere à 89
casibus reservatis, sive jure ordinario, sive per de-
legationem, vel ex privilegio, animo, & intentio-
ne confitendi etiam de reservatis, si alicujus pecca-
ti reservati obliviscatur, non tenetur iterum com-
parere, sed potest illud alteri confessori confiteri,
quia tunc habens jurisdictionem, intendit eum li-
berum relinquere, Novar. Silvest. quos refert, &
sequitur Candid, *Tom.* 1, *disquisit.* 3, *art.* 17, *dub.* 1,
Vazq. Portel. Peyrinis, quos refert, & sequitur Be-
lasius *verbo* casus reservati *num.* 2, Dicastillus *de*
pœnit. disp. 11, *tract.* 8, *dub.* 8, *num.* 135. Pasqualig.
Coninch. & alii, quos refert, & sequitur Dian. 10,
p. tract. 13, *resolut.* 56, quæ doctrina debet intelli-
gi, etiamsi confessio fuerit nulla. Ita Suar. Lugo,
Vazq. quos refert, & sequitur Dicastil. *supra num.*
171, *&* 173,

Immò quando Prælati in Capitulis Fratres ab- 90
solvunt à censuris, & irregularitatibus possunt
prædicti Fratres postea confiteri confessoribus
non habentibus auctoritatem ad casus reservatos, si

alias

aliàs tales casus cum censura reservati erant. Ita Silvest. Navar. quos refert & sequitur Candid. *Tom. 1, disquisit. 3, art. 49, dub. 1.* Nam quando reservatus est cum censura, illa ablata non manet reservatio, Ita Cajet. Navarr. Suar. quos refert, & se-
91 quitur idem Dicastill. *ibid. num. 2.* Idem dicendum est, quando subditus confitetur peccatum reservatum potenti à reservatis absolvere; etsi confessio nulla fuerit, vel sacrilega, adhuc tamen tolletur reservatio, Lugo, Suar. Vazq. & alii, quos refert, & sequitur Dicastil. *de pœnit. tract. 8, disp. 11, dub. 8, num. 1.*

92 Dico V. Qui publicè casum reservatum incurrit, non potest ab habente potestatem per delegationem ad casus reservatos absolvi; sed debet absolvi ab ipsomet Prælato; nam per publicitatem in illum fiscus jus acquisivit. Ita Peyrin. *de Prælato q. 3, cap. 2, §. 1, n. 36,* Longus 1, *p. sect. 2, artic. 4,* Belasius *verbo* casus reservati *num. 25,* Hinc fit; quòd si Regularis alium Regularem publicè percussisset (quod Deus avertat) non posse absolvi ab excommunicatione à confessario ordinario, etiam in nostra Religione, in qua non dantur hucusque speciales casus reservati, sed percutientem teneri ad Prælatum recurrere. Nam hujusmodi gravis percussio est casus Papæ reservatus, qui casus de jure est Prælatis reservatus, ut diximus *hac eadem disp.*
93 *2, sect. 1, §. 1.* Et licet confessarii Ordinarii possint nostros Religiosos absolvere à casibus Papæ reservatis per privilegia, quæ *suprà* retulimus *loco citato num. 31.* Hujusmodi tamen privilegia tantùm
94 illis suffragantur pro interiori foro, quòd si aliquando etiam possint prodesse pro externo foro: hoc tamen semper debet esse dependenter à Prælatorum voluntate; scilicet, si talem vellent acceptare absolutionem pro foro externo; ut infrà dicemus.

§. III.

Quomodo Regulares possint interdici, & interdictum suspendere.

95 *Regulares non possunt interdici ab Ordinariis interdicto personali, nisi fortè aliquis habeat beneficium parochiale in Ecclesia Episcopi.*

96 *Prælati Regulares licent possint ponere interdictum personale suis subditis, non tamen locale.*

97 *Regulares tenentur observare interdicta generalia ab Ordinariis posita, sive interdicta valeant, sivè non, si aliàs à matrice observantur, vel à parochiali.*

98 *Immò si parochialis injustè interdictum non observat, tenentur Regulares observare.*

99 *Quæ Ecclesia dicatur matrix.*

100 *Quid faciendum, quando sunt plures Ecclesiæ parochiales, & quædam servant interdictum, & quædam non.*

101 *Ecclesiæ Regularium non possunt specialiter interdici, nisi dederint causam interdicto, vel de victu necessariò religiosis provideatur.*

102 *In Conventibus à populo separatis per mediam leucam possunt Religiosi celebrare januis apertis, alta voce, campanis pulsatis, exclusis tantùm interdictis & excommunicatis.*

103 *Tempore interdicti generalis quacumque auctoritate positi, possunt divinum officium, Missas &c. celebrare* in Ecclesiis nostris *non pulsatis campanis, & januis clausis. Idem possunt facere in aliis Ecclesiis.*

104 *Tempore interdicti possunt ad divina officia famulos, Tertiarios, Syndicos, procuratores, advocatos, & officiales ordinarios Monasterii, tam Fratrum, quàm monialium, dummodò non sint specialiter interdicti, nec excommunicati, immò eorum filios & uxores admittere.*

105 *Possunt etiam medicum introducere tempore interdicti, non tamen cessationis, ad divina officia.*

106 *Possunt etiam admittere ad divina officia famulos residentes in villis.*

107 *Regulares tempore cessationis à divinis, possunt januis clausis Missas, & divina officia celebrare.*

108 *Possunt tam tempore interdicti quàm cessationis à divinis, introducere ad divina officia sex personas, immò quindecim.*

109 *Regulares possunt tempore cessationis à divinis recitare divina officia, Missas celebrare, Sacramentum Eucharistiæ, & extremæ Unctionis recipere.*

110 *Tempore cessationis à divinis possunt ea omnia efficere, quæ tempore interdicti.*

111 *Possunt tempore interdicti, & cessationis à divinis in pluribus festivitatibus suspendere interdictum,* &c.

112 *Numerantur solemnitates in quibus suspenditur interdictum.*

113 *Sacerdotes sæculares possunt celebrare in nostris Ecclesiis durante interdicti suspensione in diebus solemnibus.*

114 *Religiosi possunt facere tempore interdicti specia-lis,*

lis, quæ possunt facere tempore interdicti generalis.

115 *In diebus in quibus propter solemnitatem suspenditur interdictum, ejus suspensio debet incipere à primis vesperis, & durare usque ad secundas, excepto die commemorationis defunctorum.*

116 *Privilegia concessa Regularibus pro tempore interdicti, non sunt revocata per Tridentinum.*

117 *Nec suspenduntur per Bullam cruciatæ pro Religiosis, imò, quando Regulares suspendunt interdictum, omnes sæculares possunt absque Bulla admitti ad divina officia.*

118 *Commissarius Cruciatæ non suspendit indulta concessa Regularibus, quæ cedunt in bonum commune fidelium.*

119 *Si interdictum vel cessatio à divinis fuerit auctoritate Apostolica posita, & revocentur in illa privilegia, non possunt Religiosi uti prædictis privilegiis.*

Cum hæc censura aliquid habeat speciale ab aliis censuris, ideò specialem §. de illa instituimus, in quo quidquid nobis de interdicto locali dicendum occurrit, breviter pertractabimus. Pro majori tamen hujus §. intelligentia, notandum est primò.

95 Regulares exemptos nullo interdicto personali
posse ab Ordinariis loci interdici. Lezan. *verbo* in-
terdictum *n.9*, Belasius *verbo* interdictum. *n.5*. Im-
mò neque ab aliquo legato sedis Apostolicæ exce-
pto legato à latere, Cassarubias, quem refert, & se-
quitur Belasius *supra n. 5*. nisi fortè aliquis Regula-
ris habeat parochiale beneficium in Ecclesia alicu-
jus Episcopi, *cap. cum Capella de privil.* E contra ve-
rò licet Prælati Religionum possint ponere inter-
dictum personale, non tamen locale, nisi aliàs in-
star Episcoporum jurisdictionem habent quasi E-
96 piscopalem in aliquo oppido vel civitate. Nam eo-
rum jurisdictio potius est in personas, quàm in lo-
ca, vel certè si in loca eam perdiderunt per non u-
sum, Noster sapientissimus Cornejo *Tom. 2. in 3. part. tract. de interdicto.* Suar. Filliuc. Navar. Avila, & alii quos refert, & sequitur Belasius *verbo* interdictum *num. 6*.

97 Secundò suppono omnes Regulares teneri ob-
servare sub pœna excommunicationis quæcumque interdicta generalia, tàm Apostolica auctoritate, quàm Ordinariorum posita. Ita habetur *in Clement. 1. de sentent. excom. & in Trident. sess. 25. cap. 12.* Et hoc sivè interdicta valeant, sivè non, dummodò ea observet Cathedralis, Matrix, vel parochialis Ecclesia, Navar: Rodrig. Lezan. quos refert, & sequitur Belasius *verbo* interdictum *n. 1*.
Immò licet Ecclesia Matrix interdictum non ser- 98
vet; nihilominus si Religiosis constiterit de inter-
dicto posito tenentur ipsum observare, non enim
excessus clericorum matricis debet præbere Reli-
giosis materiam delinquendi, *ca. petistis de privi-
leg. & excess. privileg.* Ecclesia verò matrix illa di- 99
citur, quæ est major, vel Baptismalis, sivè Cathe-
dralis sit, sivè non. Si tamen in illo populo plures 100
fuerint Ecclesiæ, & nulla fuerit principalis, sed quælibet suos parochianos baptizat, si ex illis Ecclesiis, quædam servant interdictum, quædam verò non, tunc non habet locum dicta *Clement.* nec etiam quando in loco singulariter interdicto, non adest alia Ecclesia præter illam dictorum Religiosorum non observantium dictum interdictum. Ita cum aliis Tambur. *Tom. 2. disp. 16. quæsito 3. n. 3.* His ergò suppositis.

Dico I. Ecclesiæ nostræ non possunt specia- 101
liter interdici, nisi Religiosi causam dederint interdicto, vel nisi ille ad cujus instantiam interdicuntur, provideat Religiosis de victu necessariò. Ita concessit Leo X. *Bulla 29.* Nota tamen quod non dicitur interdici Ecclesia specialiter, quando generale interdictum extenditur etiam ad Ecclesias Regularium, sed quando sola Ecclesia Fratrum interdicitur. vel in litteris specialiter, vel principaliter nominatur; Portel *verbo* interdictum *num. 3.* & ex nostris Urbanus ab Ascens. *Tract. 2. part. 2. dist. 2. cap. 5. Reg. 6.* & Augustin. à Virg. *Maria in privilegiis omn. Relig.* verbo *interdictum.*

Dico II, In nostris Conventibus & Templis 102
separatis à populo possunt Regulares tempore interdicti generalis divina celebrare alta voce, campanis pulsatis, & januis apertis, exclusis tamen interdictis, & excommunicatis non toleratis. Ita concessit Urban. IV. *Bulla 3.* & Julius II. *Bulla 9.* sed hæc debent intelligi, dummodò Regulares non dedissent causam interdicto, vel specialiter ex justa causa interdicti non fuerint. Ita Julius II. *in prædicta Bulla.* Distantia autem à populo debet esse saltem per dimidiam Leucam, Tamburin. *Tom. 2. disp. 16,*
quæsito 3 n.6. & jam citati Urban. & August. *loc. cit.* 103

Dico III. Possunt Religiosi nostri tempore interdicti generalis, etiam Apostolica auctoritate positi, non pulsatis campanis & exclusis excommunicatis, ac interdictis Missas, & divina officia celebrare, non solùm in nostris Ecclesiis, sed etiam in aliis Ecclesiis, & devotis locis, tàm in itinere, quàm alibi,

alibi, admissis sociis, & Fratribus nostris. Ita habetur *in cap. Alma mater*, §.adjicimus *de sent. excommun. in 6*, Intellige tamen hoc jus commune, modo Ecclesiæ, ubi dicta officia celebranda sunt, non sint specialiter interdictæ, ut cum glossa notavit Peyrin. §.11. *ad const.2, Sixti IV. n.55*. Ita etiam concessit Leo X. *Bulla 9*, quæ incipit, *Et si in privilegiis*, & Julius II. *Bulla 2. & 12*. quas refert *ibi* Peyrinis, & N. Augustinus *loc. cit.*

104 Immò Alexand. IV. *Bulla 4*, idem concessit pro famulis, procuratoribus, & operariis Monasterii: & Eugenii IV. Bulla idem concessit pro Tertiariis, Servis, Familiaribus, Syndicis, Oeconomicis procuratoribus, Advocatis, & Officialibus ordinariis Monasterii tàm Fratrum, quàm Monialium; dummodò prædicti excommunicati non sint, nec specialiter interdicti, nec dederint causam interdicto, Immò addit, quòd possint in domibus Religiosorum sepeliri sine pompa, & omnia Sacramenta re-
105 cipere. Et Clemens VII. per aliam Bullam concessit, ut non solùm procuratores, & Syndici possent admitti, sed etiam eorum filii, & uxores, quæ concessio suffragatur illis, non solùm tempore interdicti generalis, vel specialis, sed etiam tempore cessationis à divinis, ut infra dicemus. Ita cum Rodrig. Pellizzarius *Tom. 2. Tract. 8 cap. 5, sect 2. nu. 98*, &
106 Alexand. VI per Bullam concessit, ut tempore Interdicti sivè generalis, sivè specialis, non tamen cessationis, possint introducere medicum ordinarium. Ita Pellizzarius *ibi*, & Urban. V. *in alia Bulla*. quam refert idem author *suprà*, concessit, ut admittere possint tàm tempore interdicti generalis, quam specialis, quàm etiam cessationis à divinis ad divina officia proprios famulos, & mercenarios residentes in grangeis, seu cellariis Fratrum. Idem concessit Clemens VII. pro utriusque sexus Confratribus nostri Ordinis, ut habetur *in nostro compendio fol. 299. num. 6.*

107 Dico IV, Religiosi possunt tempore cessationis à divinis etiam auctoritate Apostolica positæ, ultrà *suprà* adnotata janis clausis dicere Missas, & officia divina celebrare, dummodò causam non dederint hujusmodi interdicto, & cessationi, nec per eos stet ut non pareatur. Ita concessit Clemens VII. *in Bulla*, quam refert nostrum compendium *fol. 299. nu. 161.* & Clemens IV. *Bulla 4*. concessit Fratribus Prædicatoribus, ut tempore cessationis, exclusis, qui non sunt de Ordine, campanis non pulsatis possint unam Missam in communi audire, & quivis Frater Sacerdos celebrare, & Nicolaus V. in Bulla quam refert Pellizzarius *Tom. 2. tract. 8. cap. 5. sect. 2. num. 98*. concessit, ut tempore interdicti, sivè generalis, sivè specialis, sivè etiam cessationis à divinis possint Regulares introducere ad audienda divina officia sex personas successivè, viros, vel mulieres, & ad recipienda Sacramenta. Et si ex eis tunc temporis mori contigerit, eas sepelire, absque tamen solemnitate, dummodò hæ personæ causam non dederint interdicto, vel interdictum non fuerit positum, vel confirmatum auctoritate Apostolica, Et Nicolaus Francus Legatus à latere Sixti IV. concessit, ut admitti possent 15. personæ. Ita Pellizzarius *ubi supra*. 108

Et Honorius IV. Bulla 4. concessit, ut tempore cessationis à divinis legere possint divinum Officium, Missas celebrare, Pœnitentiam, Eucharistiam, extremam Unctionem recipere. Ita Joan. à Cruce *lib. 2. cap. 7. dub. 2. conclus. 1. in fine*. Et Leo X. concessit, ut tempore cessationis, etiam auctoritate Apostolica positæ, possint omnia efficere, quæ facere possunt tempore interdicti. Ita Rodrig. Guttier. quos refert, & sequitur Peyrinis *ad constitut. 2. Sixti IV. num. 51. & 52.* Cruz *lib. 2. cap. 7. dub. 2. conclus.* 109
1. sed hæc concessio fuit vivæ vocis oraculum ut testatur Rodrig. *in Bullario fol. 3[illegible]. num. 8*: est tamen jam confirmatum per Bullam, siquidem fuit antè Gregor. XV. ut sæpè dictum est. Et ideò adhuc his temporibus illo uti possunt Regulares. Ita prædicti Doctores. 110

Dico V. Possunt Religiosi nostri tempore interdicti generalis & cessationis a divinis quacumque auctoritate, etiam Apostolica positorum solemniter divina celebrare, janis apertis, & pulsatis campanis, excommunicatis expulsis, sed admissis interdictis, dummodò, qui causa fuère interdicti altari non appropinquent in festivitate Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionisque B. Virginis. 111
Ita habetur in communi jure, *capite Alma mater*, N. Leza. *Tom. 1, p. 1, cap. 21, n. 19*. Item in festo Sanctissimi Sacramenti, & per suam totam Octavam Ita Martinus V. *in quadam Extravaganti*, quam refert *ibidem* idem Lezan. Item in festis B. MARIÆ de monte Carmelo, P. N. S. ELIÆ, ELISÆI, S. THERESIÆ, tituli Conventus, Circumcisionis, Conceptionis, Annuntiationis, Nativitatis B. Virginis & in die sancti Stephani, in nativitate sancti Joannis Baptistæ, & in festis Sanctorum Ordinis nostri, & illorum, quorum corpora sunt in Ecclesiis nostris, & per octavas earumdem Festivitatum, licet de octavis tantùm commemoratio fiat, vel transferendum sit festum: In quo casu si habeat annexas indulgentias, sunt etiam trans- 112

transferendæ. Ita N. Urban. *p. 2. tract. 2. diſt. 2. cap. 5. regul. 6.* nec non per hebdomadam ſanctam, & Reſurrectionis, & quoties Religioſi profeſſionem emittunt, vel primam Miſſam celebrant, ſeu in ſuis Eccleſiis humana corpora ſepulturæ tradi contigerit; dummodò interdicto cauſam non dederint, nec eis contigerit ſpecialiter interdici, nominatim interdictis, & excommunicatis excluſis. Ita Leo X. *Bulla* 34. *& Bulla* 38. apud Rodrig. *in Bullario*; noſtri, Lezana *ſupra*, Urbanus *loc. cit.* Joan. de la Cruz. *lib. 2. cap 7. dub. 2.* Peyrinis *ad conſtitut. 2. Sixti IV. num. 52.* Tambur. *Tom. 2. diſp. 16. quæſito* 4.

113 Immò etiam ipſi Sacerdotes ſæculares non ſpecialiter interdicti, aut excommunicati poſſunt apud eoſdem religioſos, durante ea interdicti ſuſpenſione, ea omnia; quæ aliàs de jure, vel privilegio præſtare poterant, Silveſter, quem refert, & ſequitur N. Urban. *loc. cit.* & cum aliis Joan. de la Cruz. *lib. 2. cap. 7. dub. 2. concl.* 1. An autem eodem modo poſſimus ſuſpendere interdictum in Eccleſiis noſtris in feſtis Epiphaniæ, Aſcenſionis, TRINITATIS, in feſto omnium SANCTORUM, in die commemorationis defunctorum, pro Miſſa tantùm, & proceſſione, & in feſtis Patronorum Ordinum, & ipſorum translatione? Reſpondeo affirmativè. Ita conceſſit Pius IV. & Pius V. ut refert de la Cruz *lib. 2. cap. 7. dub. 2. concluſ.* 1. & Leo X. *in Bulla*, quam refert Tambur. *Tom. 2. diſp. 16. quæſito 4. num.* 1. ubi etiam alia privilegia refert.

114 DICO VI. Religioſi facere poſſunt tempore interdicti ſpecialis, quæ facere poſſunt tempore interdicti generalis, tàm quoad ſe, quàm quoad ſuos familiares, quia etſi juxta jus commune, quando ſuſpenditur interdictum, non ſuſpendatur pro perſonis, & Eccleſiis ſpecialiter interdictis, tamen juxta iſtam conceſſionem, quæ fiunt in interdicto generali in Eccleſiis Religionum licitè, etiam fiunt in iiſdem Eccleſiis, etiam ſpecialiter interdictis. Ita conceſſit Julius II, ſed hæc conceſſio oraculum vivæ vocis fuit, ut teſtatur Rodrig. *in Bullario fol.* 378. Idem conceſsit Leo X. in alio ſimili oraculo, ut teſtatur Cruz. *lib. 2. cap. 7. dub. 2. concluſ.* 1. Licet Urbanus *ubi ſupra* dicat hujuſmodi privilegia etiam per Bullas conceſſa fuiſſe: quidquid tamen ſit de hoc, in caſu quo fuiſſent oracula, jam cenſentur confirmata per Bullas, ſiquidem poſteà per Bullas fuere confirmata à Gregor. XV. ut ſæpè dictum eſt. Ita Urbanus *ſuprà*, Caſarubias, Sorbus, quos refert & ſequitur Peyrinis *ſupra num.* 54. Cruz & Lezan. *locis citatis*, Portel. *in dub. regul. verbo* interdictum *num* 73. Villal. 1. *p. tract.* 10. *diffic. 6. num.* 7. Tambur. *ſuprà in fine quæſiti.*

Advertetamen, quod in omnibus diebus ſuprà poſitis, excepto die commemorationis Fidelium defunctorum, in quibus ſuſpenditur interdictum, vel ceſſatio à Divinis, etiamſi ſit in die qua profitetur Regularis, vel primam Miſſam celebrat, debere incipere ſuſpenſionem interdicti à primis veſperis diei, & durare uſque ad ſecundas veſperas ejuſdem feſti. Ita cum aliis Tambur. *Tom. 2. diſp. 16. quæſito* 4. & ſi ſepeliatur Religioſus hora veſpertina, ſuſpenditur etiam interdictum, non ſolùm pro eo die in quo ſepelitur, ſed etiam pro altera die per tempus, quo cantatur Miſſa diei obitus. Ita cum aliis Tambur. *ubi ſuprà.* 115

An autem hujuſmodi privilegia ſint revocata per *cap. 2. in Trident. ſeſſ.* 25. in parte, vel in totum? Affirmant Garcia, Navar. & alii apud Tambur. *ſuprà*, nixi quadam declaratione Cardinalium, ſed abſolutè negandum eſt. Nam licet Tridentinum revocet omnia privilegia Regularium contraria Tridentino, hoc privilegium Leon. X. & alia *ſupra* relata non ſunt contraria Tridentino. Ita Lezan. *Tom. 1, cap. 21, num. 19.* Henriq. Rodrig. Sayrus, Medina, Miranda, Sorbus, Peregrinus, Cruz, Barboſa, quos refert, & ſequitur Peyrinis *ad conſti. 2, Sixti IV. num.* 51, Urbanus *ſuprà regula* 6. Archangel. Romanus *verbo interdictum.* Nec de prædicta declaratione nobis conſtat authenticè. 116

An verò per Bullam Cruciatæ ſuſpendantur prædicta privilegia Regularium? Reſpondeo, de privilegiis inſertis juri communi ſuprà relatis nullum eſſe dubium non ſuſpendi; nam privilegia, quæ ſunt inſerta juri communi non ſuſpenduntur, niſi de illis fiat expreſſa mentio, Sorbus, Rodrig, quos refert & ſequitur Villal. 1. *tract. 21. diſ. 9. nu.* 2. Idem dicendum eſt de privilegiis Religioſorum reſpectu ipſorum Religioſorum, ut in eademmet Bulla Cruciatæ continetur. De privilegiis autem quæ *ibi* retulimus, ratione quorum poſſunt Regulares interdicta ſuſpendere pro ſæcularibus, in aliquibus feſtivitatibus, & aliquos admittere ad officia divina, majus eſt dubium. Affirmant Navar. Lopez, quos refert Palaus ſtatim citandus. Verùm dicendum eſt nullatenus talia privilegia per Bullam Cruciatæ ſuſpendi, ſed optimè poſſe ſæculares ſine Bulla tempore interdicti aſsiſtere divinis officiis in noſtris Eccleſiis, tempore quo juxta noſtra privilegia in illis ſuſpenditur interdictum. Ita Henriquez Leſsius Rodrig. mutans ſententiam 117

Sanch.

Sanch. quos refert, & sequitur Fragos. 2. *p. libro* 2. *disp*. 7. *num*, 23. Villal. quem refert, & sequitur Palaus *Tom*. 4. *tract*. 27, *disp*, *unica p*. 10. *numero* 11. Cruz *lib*. 2. *cap*, 3. *dub*. 7.

118 Nec obstat, quòd Commissarius suspendat omnes facultates, & gratias, quas potest suspendere, quia id intelligitur de gratiis concessis particularibus locis, aut Monasteriis, quibus non fruentur sæculares Bulla carentes, non autem suspendit facultates omnes, & indulta concessa Regularibus, quæ cedunt in bonum commune Fidelium, nam hæc egent speciali clausulula derogatoria. Et confirmatur ex speciali indulto Pii V. specialiter de hac re consulti dicentis, nunquam sibi in mentem venisse derogare per Cruciatam privilegiis, & facultatibus Regularium, quod etiam declaravit Clemens VIII. ut notavit cum aliis Palaus *loco citato*. Advertendum tamen est *in fine hujus* §. cum Lezana *cap* 21, *num*. 20. *Tom*, 1, quod Regulares debent maximè attendere, an quando ponitur cessatio à divinis, vel interdictum Apostolica auctoritate, an revocentur privilegia Regularium, quia si revocantur non licebit tunc illis frui, sicut etiam quando scandalum aliquod emergeret propter singularitatem, videatur circa ea, quæ dicta sunt hoc §. 3. noster Ildephonsus à Jesu-MARIA *in scholiis* ad mare magnum Carmelitarum §. 50, *& seqq*.

SECTIO II.

De dispensationibus, quibus uti possunt Regulares respectu ipsorum Regularium.

§. I.

De dispensatione quoad irregularitates inter ipsos Regulares.

120 *Religiosi nostri deputati in confessarios Fratrum, possunt cum illis dispensare in omnibus irregularitatibus, in quibus Episcopus jure ordinario potest dispensare.*

121 *Eadem facultate possunt uti Religiosi aliorum Ordinum, si non habeant aliquod statutum in contrarium.*

122 *Confessarii nostri possunt dispensare semel in vita cum nostris in omnibus irregularitatibus, & inhabilitatibus, exceptis bigamia, homicidio voluntario, & membri mutilatione.*

123 *Semel in vita possunt Regulares dispensari ab aliquo Religioso confessario ejusdem Ordinis in omni irregularitate quacumque occasione contracta.*

124 *Confessarii nostri possunt cum nostris dispensare toties, quoties in omnibus irregularitatibus, exceptis bigamia, & homicidio voluntario.*

125 *Possunt dispensare in irregularitate ex indebita celebratione incursa, si illam per inadvertentiam, vel negligentiam incurrerunt.*

126 *Possunt confessarii nostri dispensare cum nostris in omnibus pœnis ex quibuslibet delictis contractis, sed hoc in foro conscientiæ.*

127 *Et hoc etiamsi prædictæ pœnæ sint Papæ reservatæ, si crimen fuerit occultum.*

128 *Confessarii nostri possunt dispensare cum nostris in omnibus pœnis, etiam Papæ reservatis, exceptis ob quæ sedes Apostolica consulenda erat.*

DICO I. Religiosi deputati in confessarios Fratrum à Provinciali, dispensare possunt toties 119
quoties cum nostris Religiosis in omnibus irregularitatibus, in quibus jure ordinario Episcopus dispensare potest. Undè possunt dispensare in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto excepto voluntario homicidio. Quid autem intelligatur per homicidium voluntarium dicemus *infra disp*. 3 *sect*. 2. §. 1. *num*. 67. Ita concessit Sixtus IV. *Bulla* 2. apud Peyrinis. Et hanc sententiam tenent Vega, Rodr. Henr. quos refert, & sequitur Portel. *in responsione ad casus conscientiæ Tomo* 1. *casu* 3. *n*. 1. Peyr. *Tom* 1. *privilegior*, §. 8. *ad const. unicam Phirri num*. 37, Bauny *Tom*, 3. *tract* 11. *quæst*, 58, *littera F. folio mihi* 533. Quintanad. *Tract*. 3. *singul*, 19. *num*. 9, N. Urban. *tr*. 2, *p*. 2, *dist*. 2, *cap*, 4, *reg*. 2. Qua facultate possunt etiam uti alii Religiosi aliorum Ordinum, si aliàs non habeant aliquod statutum in contrarium.

DICO II. Confessarii nostri dispensare possunt 120
cum Fratribus nostris semel in vita in omnibus irregularitatibus, & inhabilitatibus, quovis modo contractis, etiam sedi Apostolicæ reservatis, exceptis casibus Bigamiæ, homicidii voluntarii, & membri mutilatione: ita concessit Eugenius IV. *Bulla* 1. apud Rodrig. *in Bullario*, monachis S. Benedicti Vallisoleti. Eamdem facultatem concessit idem Eugenius Minoribus, ut testatur Rodri. *Tom*. *q*. 62. *art*, 13. & videre est apud Rodrig. *in Bullario fol*. 171. *num*. 9. vide de hoc, & sequent. privilegiis nost. Augustinum à virg. MARIA in *privileg. omnium Religionum*, verbo *irregularitas*, aliisque multis

in locis. Eamdem facultatem concessit Sixtus IV.
etiam vivo oraculo, ut testatur de la Cruz, *li.* 1. *cap,*
6, *dub.* 12. & cum illo & aliis tenet Candid. *Tom,* 2,
disquisit. 24, *artic.* 61, *dub,* 6. Hæc tamen oracula
jam sunt confirmata per Bullas, siquidem fuerunt
ante Sixtum V. & Gregor. XV. ut sæpè dictum est
Aliud amplissimum privilegium refert Rodrigo,
Tom. 1. *quæst.* 62, *art.* 13. in quo conceditur Reli-
giosis S. Hieronymi in Hispania; ut quilibet Men-
dicantium semel in vita dispensari possit in foro
conscientiæ per suum confessorem deputatum à
suo Superiore super irregularitate, quacumque oc-
casione contracta: undè cum nullam excipiat, in
omnibus dispensare potest, Ita Rodrig. *ibi* præci-
123 puè, cum ponat illam particulam, quacumque oc-
casione contracta juxta superius dicta *disp,* 1. *sect.* 2.
§. 1. Sed an hoc privilegium fuerit, non potui in-
venire.
124 Dico III. Confessarii nostri à Prælato depu-
tati dispensare possunt toties quoties cum aliis Fra-
tribus in omni irregularitate, excepta bigamia, &
homicidio voluntario. Ita concessit Eugenius IV.
Religiosis S. Hieronymi in Hispania ut testatur
Portel. *in dubiis regular. verbo* confessor erga fra-
tres *num.* 19. An autem hæc concessio vivæ vocis
oraculum fuerit, non potui invenire, in casu tamen
quod fuisset, jam confirmata per Bullam est, siqui-
125 dem fuit ante Sixtum V. ut *supra* dictum est. Item
possunt dispensare toties quoties cum Fratribus in
irregularitate ex indebita celebratione incursa, si
illam per ignorantiam, vel inadvertentiam, vel ne-
gligentiam incurrerunt. Ita concessit Eugenius IV.
Benedictinis Vallesoletanis *Bulla* 1. apud Rodrig.
in Bullario fol. 79. & idem concessit Eugenius IV.
Minoribus vivo oraculo, ut testatur Rodrig. *in Bul-
lario fol.* 10. *numero* 9.
126 Dico IV. Possunt confessores nostri deputati
à nostris Prælatis dispensare in foro conscientiæ
cum nostris Fratribus in omnibus pœnis, ex qui-
buslibet delictis contractis, quales sunt inhabili-
tates ad officia, & dignitates, & privationes offi-
ciorum, dignitatum vocis & loci. Primo quidem
si tales pœnæ non fuerint Papæ reservatæ, sed tan-
tum Episcopis, nam tunc eo ipso possunt Regula-
res in illis dispensare, siquidem juxta Bullam Sixti
IV. dispensare possunt in omnibus casibus, in qui-
bus Episcopi jure ordinario possunt,
127 Deinde si prædictæ pœnæ fuerint Papæ reserva-
tæ, si fuit crimen occultum adhuc possunt in illis
dispensare, tum ex privilegio Sixti IV. quod con-
cedit eandem facultatem omnibus Regularibus re-
spectu suorum Fratrum, quam habet Episcopus: E-
piscopus autem ex Tridentino in omnibus his ca-
sibus dispensare potest: tum ex alia Bulla Sixti IV.
quam refert Lezana *Tomo* 5. *in Mari magno Carme-
lit.* §. 62, in qua Pontifex concedit facultatem o-
mnibus Regularibus ad absolvendum Fratres ab o-
mnibus pœnis, nisi tales forent, propter quas sedes
Apostolica consulenda esset. Erit autem consulen-
da in relapsu hæresis, schismate, falsificatione litte-
rarum Apostolicarum, & delatione prohibitorum
ad infideles, Per illam namque particulam à pœ-
nis intelliguntur prædictæ inhabilitates, & priva-
tiones, ut cum Sorbo, Cruce, Fausto, Sanch, Por-
tel, Peyrinis, & aliis probat Lezana *Tomo* 5. *in Mari
magno, Eremitarum S. Augustini* §. 43, & 44. *n.* 124
Tum ex privilegio Pii IV, quod refert Portel,
in dub. regular. verbo *confessor erga fratres num.* 19, 128
Nam ibi conceditur facultas Regularibus, ut elige-
re possint confessarium deputatum à suis prælatis,
qui eos absolvat à qualibet irregularitate, ut pos-
sint officia Ordinis recipere, & retinere, sed an hoc
privilegium fuerit oraculum vivæ vocis, non potui
invenire: in casu tamen quod fuerit, jam videtur
confirmatum per Bullam, nam fuit ante Sixtum V,
& Gregor, XV. ut sæpe dictum est.

§. 2.

De dispensatione votorum, & juramento-
rum, & de eorum commutatione.

129 *Nostri confessarii dispensare possunt quater in an-
no cum Religiosis nostris in omnibus votis, ex-
ceptis substantialibus, & idem dicendum est
de aliis Regularibus.*
130 *Confessarii possunt suorum pœnitentium Regula-
rium toties quoties vota commutare.*
131 *Immò possunt eorum vota relaxare, hoc est di-
spensare.*
132 *Confessarii Regulares in omnibus votis aliorum
Religiosorum dispensare possunt, seu commu-
tare, in quibus possunt cum sæcularibus.*
133 *In omnibus casibus, in quibus Regulares dispen-
sare possunt in votis aliorum, possunt secum
ipsis dispensare.*

Dico I, Confessarii nostri, & idem de aliis
aliarum Religionum, ubi non fuerit statu- 129
tum in contrarium, possunt quater in anno dispen-
sare cum aliis Religiosis ejusdem Ordinis in omni-
bus votis, exceptis substantialibus, dummodo sub
spe hujus gratiæ non peccent. Ita concessit Leo X.

vivæ vocis oraculo, ut testatur Cruz *lib.1.cap.6.dubio 12.* Rodrig. *Tom.1.quæst.62.art.10,* & in Bullario *fol.338. num 64.* est tamen hoc oraculum jam confirmatum per Bullam, siquidem concessum fuit ante Sixtum V. qui omnia oracula Bullâ confirmavit, ut *supra* dictum est.

130 Dico II. Possunt confessarii nostri deputati à suis Prælatis suorum pœnitentium regularium vota permutare toties quoties in alia opera pietatis, & illorum juramenta omnia relaxare, ita concessit Leo X. *in quadam Bulla:* quam refert de la Cruz *lib. 1.cap.6.de statu religioso du.20.* Immò possunt prædicta vota toties quoties relaxare. Ita concessit Sixtus IV; *Bulla 2,* quam refert Peyrinis *ad constit. 2.*
131 *Sixti IV.§.4.* & tenet ipse Peyrinis *ad constit. 2. Iulii II.§.32. num 61.* Quid autem per vota relaxare intelligatur? Respondeo illud verbum relaxare, idem esse, ac dispensare, ut notavit Lezana *Tom. 3. verbo* juramentum *num.24.* & videtur approbare Bordo. *Tom 1.resol.14.num.16* N. Urban, *tract. 2. part. 2. cap.4, regula 1.* ubi pro eodem sumunt vota dispensare, ac relaxare.

132 Dico III. Confessarii Regularium possunt commutare, seu dispensare in omnibus votis suorum pœnitentium Religiosorum, in quibus possunt in votis sæcularium ex privilegio Eugenii IV. *in quadam Bulla,* in qua concedit Regularibus dispensare posse cum omnibus Christi fidelibus in omnibus votis, exceptis Papæ reservatis, ut infrà dicemus.
133 Ita docet Quintanad. *tract 3, singul. 19, nu. 9,* Adverte tandem in omnibus, in quibus Regulares dispensare possunt in votis aliorum Religiosorum, posse etiam dispensare in votis secum ipsis, Ita San. *de matr. libro 8, disp.3, numero 8. & lib.4, moral. cap. 37, num. 48,* Rodrig. Bonac. & alii, quos refert, & sequitur novissimè Pellizzarius *Tom.2, tract.8, cap. 3, sect.2, numero 177,* & nostri Philippus à SS. Trinitate *Tom. 3 in 22, tract. 3, disp. 3, dubio 12. in resp. ad 2,* Gabriel à S. Vinc. *disp. 9,* de Sacram. Matrim. *quæst.2 num.20, & seqq.* Joan. à SS. Sacram. *in priore Claust. part 3. num. 117, & seqq.*

SECTIO III.

De obligatione, & exemptione Regularium circa leges, & præcepta Ecclesiæ, & suæ Religionis.

§. 1.

De exemptione à legibus in communi.

134 *Si constet observantiam legis, sivè Ecclesiasticæ, sivè Religionis, nocere communi, vel particulari saluti propriæ, vel alienæ: potest omitti, etiam inconsulto Superiore.*

135 *In casu dubio, an lex obliget, non tenetur subditus illam observare.*

136 *Religiosus habens sufficientem causam, ut cum eo in lege dispensetur, si Superior non adsit, qui dispenset, vel malitiose nolit dispensare, ipso jure dispensatus est.*

SI certò constet judicio periti Medici, aut aliter, 134
observantiam legis Ecclesiasticæ, sivè Religionis communi saluti, vel particulari propriæ, vel alienæ nocere, potest omitti, etiam inconsulto superiore, Ita D. Thom. *1.2. quæst. 96. art. 6. & 2.2. quæst.147, art.4.* potest enim quis comedere carnes die vetito, si non habeat alium cibum, quod enim 135
pro charitate institutum est, contra charitatem militare non debet. Immò in casu dubio, an lex obliget propter aliquam occurrentem necessitatem, Superior, si fieri possit consulatur, quod si non possit, & verisimile sit, quod si Prælatus adesset, non obligaret, non tenetur tunc subditus legem servare Ita Cruz *lib.1.c.6.dub.21.concl.2.* Navarr. & alii, quos refert & sequitur Peyrinis *in additamento ad constit. Vrbani VIII, cap.12. num.4.* Et si in aliquo casu Re- 136
ligiosus habeat sufficientem causam, ut secum in Regulæ observantiis dispensetur, & non adest Prælatus, qui id faciat, vel ex odio, vel malitia dispensare nolit, tunc ipse subditus potest secum per epichejam dispensare. Ita Rodrig. Peyrinis: immò est ipso jure dispensatus. Ita Henriq. quos omnes refert, & sequitur Archangelus *de privilegiis libro 3. verbo* dispensare *in fine* Belasius *verbo* dispensare *numero 7. & 9.*

§. 2.

De jejunio tam Regulæ, quam Ecclesiæ.

137 *Regulares tantùm tenentur ad jejunia Ecclesiæ & suæ Religionis, non vero ad jejunia loci, sivè sint indicta ab Episcopo, aut consuetudine, sivè præcepto sivè voto.*

138 *Regulares tenebantur quondam ad observantiam festorum indictam ab Episcopis.*

139 *Episcopi hodie non possunt instituere dies festos, & si instituant non obligant sub mortali.*

140 *Regulares, & eorum famuli possunt absque Bulla Cruciatæ comedere in quadragesima jejuniis, lacticinia, & de consilio Medici carnes.*

141 *Sæculares comedere possunt absque Bulla lacticinia in jejuniis quadragesimæ absque peccato mortali. Idem dicendum est de Regularibus seclusis privilegiis, juxta aliquorum sententiam, quam reprobat Diana.*

142 *Regulares quando ob infirmitatem, vel debilitatem non possunt commodè jejunare, non tenentur ad jejunia.*

143 *Oracula nemini præjudicantia non sunt sublata.*

144 *In casu dubii an Religiosus teneatur jejunare, non tenetur dispensationem petere, sed potest non jejunare.*

245 *Regulares itinerantes possunt transferre jejunium unius diei in alterum diem; sivè jejunium fuerit Ecclesiæ, Religionis, sivè etiam voti.*

146 *Prædicatores non tenentur jejunare in die, quo prædicant, imò neque die antecedenti, si commodè jejunare non possunt, quod maximè verum de concionatoribus integræ Quadrages.*

147 *In casu tamen quo possint commodè jejunare, possunt servato jejunio anticipare, & retardare horam collationis.*

148 *Idem possunt facere itinerantes.*

149 *Itinerantes equestres, si iter sit multorum dierum vel si sit unius diei, & fiat gressu citato eximentur à jejunio, juxta nonnullorum opinionem.*

137 DIco I. Religiosi tantùm tenentur ad jejunia Ecclesiæ, & suæ Religionis, non verò ad loci jejunia, sivè sint indicta consuetudine, sivè ex voto; sivè ab Episcopo. Non ex consuetudine, nam Religiosi non adstringuntur consuetudinibus sæcularium, cum ab eis remoti esse debeant. Non ex voto, nam Regulares, neque expressè, neque implicitè consenserunt in tale votum: non enim vocati fuere Prælati ad talem consensum dandum. Non ab Episcopo, nam Religiosi sunt exempti. Ita Bordon. *Tom,* 1, *resolutione* 18. *num.* 5. Pellizzarius, Pasqualig, quos refert Dian. 9. *part. tract.* 7. *resol.* 14. licèt aliqui contrarium teneant, quando jejunium est ex consuetudine generali, vel ex voto, quos refert, & sequitur Peyrinis *in additamento ad constit. Leon X. cap.* 5. *n.* 55, Tambur. *Tom.* 2. *disp.* 12. *quæsito* 3. *num,* 1.

138 Nec obstat Regulares teneri ad festa observanda loci indicta ab Episcopo: nam præterquam quod hoc argumentum his temporibus nihil valeat, cum præter dies festos nunc denuo determinatos ab Ecclesia, nemo alios teneatur ex præcepto observare, sivè fuerint indicti ab Episcopo, sivè consuetudine, sivè communi voto, ut constat ex Bulla Urbani VIII. Romæ publicata 22. die Decembris anno 1642. quam refert Ventriglia *annotatione* 16, *de diebus festis num,* 3. In qua potestas instituendi alios dies festos ab Episcopis auffertur, & solo Romano Pontifici reservatur, hoc tamen adhuc non obstante, respondeo, ex eo tum temporis Regulares obligatos fuisse festa indicta ab Episcopo observare, quia id illis præcipiebatur in Tridentino *sess.* 25. *cap.* 12. quod tamen illis non præcipitur de jejunio. Undè licèt tenerentur dies festos indictos ab Episcopo observare, non tamen jejunia indicta ab Episcopo. Ita Barbosa, Fagund. & alii, quos refert, & sequitur Peyrinis *in additamento ad constitut.* Leon X. *cap.* 5, *num,* 54. Bordon. *suprà.* 139

Dico II. Regulares, & eorum familiares, & eis servientes possunt absque Bulla Cruciatæ comedere in diebus Quadragesimæ, & aliis anni diebus, de jure, seu consuetudine, aut juxta sua instituta, aut aliàs quomodolibet prohibitis, butyrum, ova, & alia lacticinia, & de consilio utriusque medici etiam carnes. Ita concessit Leo X. Religiosis S. Jacobi de Spata *in quadam Bulla*, quam refert Cruz *lib,* 1. *c.* 6, *dub.* 22, *concl.* 2, Sed hoc privilegium quoad Servitores, & familiares Monasterii, suspenditur per Bullam Cruciatæ. Ita Cruz *ibi*, Palaus, Dicastillus, quos refert Dian. 9. *part. tract,* 8. *resol,* 67. Adverte tamen, quod si ipsi familiares, etiam sine causa, & absque Bulla Cruciatæ lacticinia comedant prædictis diebus, non peccare mortaliter, sed tantùm venialiter. Ita Palaus Fagund. Dominicus, & alii, quos refert & sequitur Tambur. *Tomo* 2, *disp.* 12. *quæsit.* 9. *num.* 4. Et probabilem putat Vidal. *inquisit.* 1. *de jejunio num.* 56. sed hæc reprobat Diana, qui *loco proximè citato* in fine hæc subjicit: *sed his non obstantibus & tali privilegio non obstante, nolo Regularibus author esse, ut possint in Quadragesima lacticiniis vesci: sed puto omninò standum esse usui & consuetudini contrariæ: nunquam enim tale privilegium practicatum à Regularibus fuisse apertissimè patet: ergo* &c. *dicendum est itaque ex supradictis, prohibitum esse de jure, tam sæcularibus, quàm Regularibus sub peccato mortali esum ovorũ & lacticiniorum in jejunio quadragesimali, nec opinionem contrariam ullo pacto in praxi admittendam esse existimo.* Hactenus ille. Perpendat accuratè Lector utriusque partis, seu sententiæ fundamenta, & quæ firmiora repererit, illam sequatur. 140

Dico III. Regulares quando ob infirmitatem, vel debilitatem non possunt commodè jejunare, non tenentur jejunare. Ita concessit Sixtus IV. vi- 141

væ

væ vocis oraculo, ut testatur Rodrig. *in Bullario fol.* 237. Sed hoc oraculum jam est confirmatum per Bullam, siquidem fuit ante Sixtum V. & nemini præjudicat. Oracula autem quæ nemini sunt præjudicialia non sunt sublata, ut cum aliis latè probat Bordon. *Tomo* 1. *resolutione* 3. *quæstione* 3. *&*
142 *resolutione* 18. *quæstione* 4. *numero* 7. Per hoc autem privilegium conceditur aliquid per modum dispensationis, & tunc habet locum, quando nimirum opus est dispensatione, ut quando causa du-
143 bia est. Undè stante causa dubia, an Religiosus teneatur jejunare propter debilitatem, vel infirmitatem, non tenetur petere dispensationem à Superiore, sed potest comedere Ita Rodrig. quem refert, & sequitur Pasqualig. *de jejunio decisione* 401. *numero* 3. Cruz *libro* 1. *capite* 6. *dubio* 22. *conclusione* 2.

144 Dico IV. Religiosi itinerantes transferre possunt jejunium unius diei in alterum diem, sivè sit Ecclesiæ jejunium, sivè voti, sivè regulæ. Ita concessit Leo X. vivæ vocis oraculo, ut testatur Rodrig. *Tomo* 2. *quæstione* 101, *articulo* 3. Bordonius *Tomo* 3. *resolutione* 18. *numero* 7. & Sorbus docet, quem refert, & sequitur Pasqualig. *de jejunio decis.* 416. *numero* 3. Cruz *libro* 1. *capite* 6. *dubio* 22. *conclus.* 4. quod privilegium, ut aliquid operetur, debet intelligi de jejunio, quod adhuc in itinere obligat, ut quando iter ratione brevitatis, vel quia commodè fit non sufficit, ut excuset ab illo. Ita Pasqualig. *ibi*, Rodrig. & alii, & hoc oraculum non est revocatum, ut diximus de præcedenti, quia jam est per Bullam confirmatum, modo sæpè sæpiùs repetito.

145 Dico V. Licet concionatores non teneantur jejunare in die qua concionantur, si aliàs commodè non possunt jejunare, ut quorundam fert sententia apud Pasqualig. *de ieiun. decis.* 326. *num.* 2. immò neque die antecedenti concionem, ut cum
146 Sanch. docet idem Pasqualig. *ibi num.* 9, in casu tamen quo possint commodè jejunare, possunt servato jejunio anticipare, & retardare, seu horam collationis, & comestionis mutare. Ita concessit Leo X. ut testatur Cruz *lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 22. *concl.* 4. Pasqualig. *decis.* 416. *num.* 2.

147 Et idem privilegium concessit Sixtus IV. quoad itinerantes equestres, ut testatur Pasqualig. *suprà*, quod privilegium debet intelligi, ut aliquid operetur, quando jejunium sic itinerantes obligat; nam si iter sit multorum dierum, non est improbabilis sententia, quæ tales sic itinerantes excusat absolutè
148 à jejunio. Immò si tantùm sit iter unius diei, si fiat gressu citato, & equis conductis, ut communiter fit, valdè namque hujusmodi equi lassant equitantes. Ita Ortiz. Viguerius, & alii, quos refert, & sequitur Pasqualig. *suprà decis.* 316. *num.* 7. Nec ob- 149
stat hujusmodi privilegia fuisse vivæ vocis oracula, tum quia sunt nemini nocentia, tum quia jam sunt confirmata per Bullas, siquidem fuere concessa ante Sixtum V. & Greg. XV.

§. 3.

De Horis canonicis.

150 *Regulares tenentur recitare divinum Officium in choro sub mortali. Hæc tamen obligatio principaliter afficit Prælatos.*

151 *Debent tamen adesse in Conventu tres vel quatuor Religiosi choro deputati.*

152 *Religiosos Sacris Ordinibus non initiatos, & Moniales, non teneri extra chorum sub mortali Divinum officium recitare, probabile non est.*

153 *Regulares possunt officia feriarum recitare in diebus, quibus non sunt occupati, & officia Sanctorum reservare in illos dies, in quibus credunt se fore occupatos concionibus &c.*

154 *Regulares, si absque causa mutent officium Divinum recitando de Sancto loco feria non peccant mortaliter.*

155 *Aliqui dicunt idem de eo, qui loco officii feriæ recitat officium resurrectionis, sed malè.*

156 *Regulares ex justa causa possunt totum Officium divinum mane, vel quando ipsis videbitur recitare.*

157 *Probabile est Regulares satisfacere divino Officio, dicendo illud totum mentaliter, sed qualiter hoc sit intelligendum.*

158 *Regulares recitando certas orationes satisfaciunt defectibus quocumque modo commissis in choro, seu Officio divino.*

159 *Officiis concessis uni Religioni potest uti alia Religio, saltem per communicationem privilegiorum: & de quibus officium hoc intelligendum sit.*

Possunt Regulares semel in mense, die non impedito festo 9. Lectionum, recitare de suo Fundatore.

Quis modus & ritus in hoc, tam in Missa, quam Officio, sit observandus exactè describitur.

Pro explicatione hujus §. suppono Regulares te- 150
neri ad recitandum Officium divinum in choro

sub peccato mortali: quæ obligatio principaliter cadit in Prælatum. Ita communiter Doctores, quos refert, & sequitur Diana 10. *part. tract.* 14. *resolut.* 3. licet contrarium dicat Vidal. *titulo* de
151 horis canonicis *inquisit.* 1. *num.* 31. Hæc autem obligatio recitandi sub mortali Officium divinum publicè in choro, tum solum datur, quando in Monasterio adsunt ad minimum tres, aut quatuor, Ita Nald. Bord. quos refert, & sequitur Belasius *verbo* chorus *num.* 6. An autem etiam extra chorum teneantur Regulares Officium divinum recitare? de Sacerdotibus, & Sacris ordinibus initiatis nullum est dubium. De illis verò qui non sunt Sacris ordinibus initiati, & de Monialibus negant nonnulli,
152 quos refert Diana 10, *part. tract.* 11. *resol.* 45. licet contrarium probabilius sit, ut cum multis *ibi*, latè probat Diana: imò quidam contrariam sententiam non modo improbabilem, verùm etiam temerariam censent, ut Eusebius Herrera *in decisionibus moral.* & alii His suppositis.

153 Dico I. Regulares possunt officia Feriarum quæ sunt prolixiora anticipare diebus, quibus sunt otiosi, & officia festiva, quæ sunt breviora reservare in illos dies, quibus credunt se fore occupatos concionibus, & confessionibus audiendis, modò id non faciant in fraudem, sed ad commodius studendum, prædicandum, & confessiones audiendum. Ita concessit Leo X. Minoribus, ut testatur N. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 30.

An autem Regulares, si absque justa causa, loco officii feriæ recitent officium brevius alicujus Sancti peccent mortaliter? Respondeo negativè, sed tantùm peccare venialiter, licèt hoc de industria faciant, dummodò tollatur contemptus. Ita Cajet.
154 Layman, Zerola, Lessius, Valentia, Vega, Binsfeldius, Sylvest. Sotus, Medina, Armilla, Azor, Rodri. Filliucius, quos refert, & sequitur Diana 2. *parte*
155 *tract.* 12. *resol.* 3. & idem affirmat de eo, qui loco officii feriæ, vel alicujus Sancti recitat officium Resurrectionis. Caramuel, quem refert Diana 6. *part. tract.* 11. *res.* 7. Leander, quem refert idem Diana 10. *p. tract.* 11. *resol.* 16. Sed hæc sententia meritò rejicienda est cum Diana *ibi*, & aliis: imò & ipse Caramuel hanc sententiam rejecit, & mutavit in 2, editione suæ Theologiæ Fundamentalis, de quo nos infrà *tract.* 3. *disp.* 6. *sect.* 11. *num.* 1613.

156 Dico II. Regulares ratione itineris, vel alterius justæ causæ, vel occupationis, possunt dicere totum Officium divinum simul manè, aut quando ipsis videbitur cum majori devotione posse recitare. Ita concessit Pius V. vivæ vocis oraculo, ut testatur Rodrig. *in Bullario fol.* 456. *nu.* 7, Simile privilegium concessit Leo X. apud Rodrig. *Tomo* 1. *q.* 42. *art.* 18. Sed non tam amplum, debent autem hujusmodi privilegia intelligi, ut aliquid operentur, quando occupationes non sunt nimis urgentes. Ita cum aliis Rodrig. *ibi.*

Alterum privilegium concessit Leo X. ut satisfaciant Fratres divino Officio, dicendo illud totum 157
mentaliter, ita intelligunt hoc privilegium Thom. Tambur. *de sacrificio Missæ lib.* 2. *cap.* 9. §. 3. Cruz, Sanctor. Persicus, quos refert Diana 10. *p. tract.* 11. *resol.* 1. Sed re vera tale privilegium non debet intelligi, ut satisfaciant dicendo totum Officium divinum mentaliter, sed tantùm dicendo mentaliter *Pater noster*, *Ave* MARIA, & cætera, quæ jubentur secretè dici, ne aliis fastidio sint. Ita cum Lezana, Pelizzario, & aliis observat Diana ubi *suprà*. Adverte tamen, quod licet hoc privilegium oraculum fuerit, ut testatur Lezana *Tom* 1 *cap.* 12. *numero* 31. Peyrin. *ad constit.* 28. *Leon X n.* 4. jam est confirmatum per Bullam, siquidem fuit ante Sixtum V. & Greg. XV. ut sæpè dictum est.

Dico III. Regulares non valentes benè recita- 158
re in choro ob defectum visus, vel auditus, si quid ex Horis sic omittant, satisfaciunt dicendo in fine horarum aliquem Psalmum, vel Pater noster cum Ave Maria. Ita concessit Minoribus Innocen. VIII. vivæ vocis oraculo, ut testatur Cruz *lib.* 2. *capite* 8. *dub.* 2. *concl*, 2.

Leo X. etiam vivæ vocis oraculo concessit Minoribus, ut satisfaciant divino Officio, etiamsi recitent sedendo, ambulando, vel non integrè verba proferendo propter imperitiam, vel defectum linguæ, vel si fiat cum mentis evagatione, dummodò non fiat ex malitia, hoc est cum advertentia.

Et præterea concessit, quod recitantes cum malè pronuntiantibus, vel committentibus supradictos defectus, non teneantur postea iterare malè ab illis pronuntiata, vel à seipsis malè audita propter distantiam localem, vel strepitum factum, sed omnibus his satisfaciant, maximè in choro. Ita Portel *in dub. regul. verbo* horæ canonicæ *n.* 10, Cruz *lib.* 2. *cap.* 8. *dub.* 2. *concl.* 2.

Tandem Innocent, IV. *Bulla* 11. concessit Minoribus, ut Religiosi extra sua loca existentes possent se aliis Regularibus, vel clericis conformare in divino Officio, ut testatur Cruz *lib.* 2. *capi.* 8. *concl.* 4.

Ut satisfiat non paucorum devotioni ac curiositati, lubet hic pro coronide hujus paragraphi 159
de Horis Canonicis, unum alterumque dubium subjicere, & resolvere. Quæritur à nonnullis, an *Offi-*

Officiis concessis uni Religioni, alius Ordo uti etiam possit, saltem per communicationem privilegiorum?

Ad hoc inter alios respondet affirmativè doctissimus P. Franciscus Bordonus in suo *variarum Resolut.* opere, *Resol.* 30. *quæst.* 22. *num.* 26. his verbis: *Officia concessa uni Religioni sunt in duplici differentia: alia sunt Beatorum illi Religioni, cui conce-*
157 *duntur propria: ut si concedatur Tertiariis in tota Religione officium B. Pauli de Ambrosiis Confessoris*, &c. *Et hujus generis officia, aliis Religionibus, quarum non fuit professor, non communicantur: Alia verò communia, & nulli propria, ut officium SS. Nominis* Jesu, Gabrielis *Archangeli* &c. *& horum officia uni Religioni concessa, aliis Religionibus uti volentibus, intelliguntur communicata.* Hactenus ille, subscribit Antonius de Quintanadvennas soc. Jesu celebris Doctor in suis *singul. Theolog. moralis Tract.* 8. *singul.* 13. his verbis: *Et in particulari dari hanc communicationem in Religionibus, quoad recitationem & celebrationem quorundã festorum, ut nominis* Jesu & Mariæ, Eucharistiæ, *& similium, probant* Emanuel Rodrig. *Tom.* 2. *quæst.* 69. *art.* 2, Hieronymus Rodriquez *resolut.* 65. *num.* 2. *&* Portel.
158 *part.* 3, *cas.* 28. *nu.* 3, *Hoc verò intelligendum non est de Sanctis propriis cujuslibet Ordinis, sed de prædictis Festis, & aliis toti Ecclesiæ generalibus ut praxis & sapientum usus docent. Et si alicubi Gavantus oppositum sentire videatur, in hoc sensu percipiendus est.* Hæc Quintanadvennas. Nec Diana *part.* 6. *Tract.* 8. *resol.* 14. & *part.* 10. *tract.* 11. *resol.* 17. quibus in locis de hac materia agit, contrarius est.

Ex his jam oritur alia quæstio, quam movet doctissimus Zacharias Pasqualigo in suo novo grandique opere de sacrificio novæ legis *Tomo* 1. *tract.* 1. *quæst.* 275. his verbis: *An omnes Regulares possint semel in mense celebrare de suis Fundatoribus?* Et postquàm retulisset privilegium à Paulo V. *die* 20. *Martii anno* 1617. *in sua constitut.* 102. *Tom.* 3. *Bullar.* concessum Fratribus Minoribus, ut possint semel in mense, prima die non impedita, officio novem lectionum recitare officium de S. Francisco, ipsorum Fundatore, prout in festo ipsius recitatur, respondet dicendo: *Omnes Religiones celebrare posse officium eodem modo de suo Fundatore, quo concessum est Fratribus Minoribus*, probat hoc ex quadam Bulla Julii II. relata à Rodriquez *Tom.* 1. *qq. Reg. quæst.* 55. *art.* 20. & à Corsetto *in collect. privileg. in constitut.* 8. *ejusdem Pontificis*, Et post
159 plura inferendo subjicit: *Ex his ergò constat, quòd participantes in privilegiis Mendicantium poterunt frui, & uti prædicto privilegio, & celebrare semel in mense officium sui Fundatoris, juxta ea, quæ docent* Suarez *li.* 8. *de legib. cap.* 17. *num.* 7. Rodriquez *qq. Reg. Tom.* 1. *quæst.* 55. *art.* 20. Portel. *in resp. moral part.* 2. *casu* 28. *num.* 3. Hieronymus Rodriquez *in compend. resol.* 65. *num.* 2, Palaus 1. *par. operum moralium, tract.* 2. *disp.* 4, *puncto* 2, §. 9, *nu.* 5, *qui volunt in celebratione festorum, locum habere communicationem privilegiorum.* Et nonnullis interjectis iterum infert inquiens: *Ex quibus constat, trahi ad nos Clericos Regulares privilegium prædictum Pauli V. de celebrando semel in mense officium nostri Fundatoris*, &c.

Quod attinet ad Ritum, cum quo dictum menstruum officium celebrandum est, licet videatur Pasqualigo propter illa verba privilegii: *prout ab ipsis in die festo recitatur*: celebrandum esse sub Ritu duplici: nam sub tali Ritu celebrari solet festum Fundatoris apud quemlibet Ordinem, hoc tamen malè infertur. & simili modo posset inferri esse celebrandum sub Ritu duplicis primæ classis, uti solent festa Fundatorum. Sed prædicta verba privilegii intelligenda sunt juxta subjectam materiam, & denotare mihi videntur ipsam substantialem, ut ita dicam, qualitatem officii, non Ritum accidentalem, & festivitati solùm congruentem. Hoc docet ipsa praxis, & Rubricæ Breviarii, seu officiorum propriorum Ord. S. Francisci, quæ de hoc officio sic loquuntur: *Prima cujuslibet mensis, die non impedita, festo novem lectionum, extrà Adventum & Quadragesimam, & mensem octobrem recitandum est officium S. P. N.* Francisci *sub ritu semiduplici ex concessione Pauli V. omnia dicuntur, ut in festo proprio ejusdem, præter lectiones* 1. *Nocturni, quæ erunt de scriptura occurrente, quando habentur, sin minus, legendæ, quæ diei festo assignantur: cum precibus & suffragiis*, quid manifestius?

Simili privilegio, ex indulto Apostolico, fruuntur RR. PP. Augustiniani Eremitæ; qui prima die cujuslibet mensis, festo duplici aut semiduplici non impedita recitant officium de S. Augustino, sub Ritu semiduplici: (illis solum mensibus exceptis, quibus aliquod peculiare ejus festum occurrit) ut patet ex Rubr. Officiorum propriorum ejusdem Ordin. ab Urbano VIII. recognit. & confirmat. & variis in locis excus. Assignant eædem Rubricæ pro 1. Noctur. Lectiones de scriptura occurrente, & in Quadrage. de commu. doctorum. Orationes in Missa tempore Quadrages. 2. de feria Quadrag. 3. de suffragiis Sanctorum. In adventu 2. de feria 3. de S. Maria, reliquo tempore dicuntur, ut in semiduplic. per annum.

Symbo-

Symbolum Apostolorum in Missa hujus officii, juxta Pasqualig. aliorumque sententiam, non dicitur: & si in lectionibus aut orationibus occurrat nomen *festivitatis*, aut simile, mutandum est in *commemorationis*: & in 8. Benedictione dicendum *cujus commemorationem colimus*, &c. loco *cujus festum*, quod idem, ut quidam Author advertit, observandum in officio sabbatino beatissimæ *Virginis*, quod aliqui recitant 9, lectionum ita, ut dicatur in 8. Benedictione *cujus commemorationem colimus ipsa virgo virginum*, &c. vel omittendo illa verba *cujus commemorationem colimus*, ac solùm dicendo *ipsa Virgo virginum intercedat pro nobis ad Dominum*, ut habetur in Romano Breviario, in officio sabbatino B. Virginis. Præterea advertendum est nostris Carmelitis Discalceatis, quòd si aliquando, utendo hoc privilegio velint modo præfato de nostra sanctissima Seraphicaque matre TERESIA officium recitare, non solùm debeant in oratione & 8. Benedictione nomen *festi*, aut *festivitatis* in *commemorationis* commutare, verùm etiam in Hymno Matutino loco illorum verborum *Hæc est dies, qua candida* &c. substituere, *Felix dies, qua* &c. quia prædicta verba solùm conveniunt diei anniversario sanctissimi obitus ejus, & non alteri, *&c.*

Observat etiam non ignobilis Author, quòd quando in hac Missa dicenda est oratio *A cunctis*, &c. non sit iterum in illa nominandus post Apostolos Fundator, uti mos est; cùm jam in prima oratione nominatus sit, ne bis nominetur, quod fieri non solet, vide quæ circa hoc tradit Gavantus in *comment. Rubr. Miss.* ad Dominicam sexagesimæ.

Circa relata in hoc §. privilegia, & indulta Apostolica, & nonnulla alia, vide nostrum Augustinum à Virgine MARIA in *privilegiis omn. Relig. Lugduni edit.* verbo *Officium divinum.*

§. 4.

De Officio defunctorum, Psalmis pœnitentialibus, & Gradualibus, & de officio minori B. Virginis.

160 *Regulares utentes Breviario Romano, non tenentur recitare Officium defunctorum, vel Psalmos pœnitentiales, aut Graduales,*

161 *Tenentur tamen omnia illa recitare non utentes Breviario Romano, si in ipsorum Religione adsit consuetudo vel præceptum.*

162 *Religiosi non utentes Breviario Romano tenentur recitare officium B. Virginis intra chorum & extra, ubi talis consuetudo aut præceptum datur.*

163 *Religiosi verò utentes Breviario Romano intra chorum, solùm tenentur illud recitare, ubi adest talis consuetudo.*

DICO I. Regulares utentes Breviario Romano 160
non tenentur recitare septem Psalmos pœnitentiales, vel Graduales, vel Officium defunctorum, quæ dicuntur aliquando diebus Adventus, & Quadragesimæ, quia ab hac obligatione eos exemit Pius V. in Bulla edita anno 1568, Tenentur 161
tamen Religiosi non utentes Breviario Romano illa omnia recitare, si adsit præceptum, vel consuetudo. Ita cum Suario, Lezana *Tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 22, Belasius *verbo* Officium divinum, *nu.* 8.

DICO II. Religiosi non utentes Breviario Ro- 162
mano tenentur recitare Officium beatæ Virginis tàm intra, quàm extra chorum, ubi adest consuetudo illud recitandi. Ita Pius V. *in Bulla dicta*, In 163
Religionibus verò recitantibus Breviarium Romanum tenentur illud recitare solùm in choro, si adsit præceptum, vel consuetudo. Ita cum aliis Lezana *loco jam citato*, & Belasius *supra num.* 7. vide, quæ circa hæc doctissimè disserit noster Religiosissimus Thomas à JESU, *Expositione in Reg. Carmelit. part.* 3. *cap.* 7. *dub.* 4.

SECTIO IV.

De potestate, quam habent Regulares circa benedictiones rerum Ecclesiasticarum, & celebrationem Missarum, & Sacramenta.

§. 1.

De rerum Ecclesiasticarum benedictione.

164 *Omnes Religiosi sacerdotes possunt benedicere omnia ornamenta Ecclesiastica, exceptis corporalibus.*

165 *Hoc privilegium est in usu apud aliquas Religiones.*

166 *Regulares possunt candelas benedicere, palmas, aquam, sal, & omnia ornamenta Ecclesiastica, etiam calicis, & altaris*

167 *Regulares possunt campanas benedicere.*

168 *Religiosi deputati à Capitulo generali possunt omnia*

omnia ornamenta Ecclesiastica, etiam corporalia benedicere, & Ecclesias ejusdem Ordinis reconciliare.

169 *Prælati regulares possunt delegare potestatem ad benedicenda ornamenta Ecclesiastica, & ad reconciliandas Ecclesias.*

170 *Regulares, etiam Sacerdotes simplices, possunt reconciliare suas Ecclesias, etiam sine tali deputatione.*

171 *Fratres laici, & Conversi, tangere possunt calices, & corporalia.*

172 *Moniales, & qualibet alia persona honesta, possunt corporalia semel lota tangere & lavare.*

164 DIco I. Omnes religiosi Sacerdotes possunt benedicere omnia Ecclesiæ ornamenta, & vestes sacerdotales, exceptis corporalibus. Ita concessit vivæ vocis oraculo Sixtus IV. Minoribus, ut testatur Cruz, *lib.* 1. *de statu religioso, cap.* 5. *dub.* 8. Sed hoc oraculum jam est per Bullam confirmatum; siquidem fuit ante Sixtum V. Gregor. XV. & alios, ut sæpè diximus. Unde adhuc illo
165 possunt uti Regulares. Nec obstat, si dicas cum Rodrig. *Tom.* 1. *quæst.* 19. *art.* 1. & aliis, hoc privilegium non esse in usu; Respondetur namque cum Portel. *in additionibus, ad dubia regularia, verbo* benedicere, *num.* 2. hoc privilegium non esse in usu respectu Minorum, non tamen respectu aliorum. Unde ego non arguerem quempiam Regularem, qui in praxi, saltem quando non adest Prælatus, uteretur tali privilegio. Ita expressè tenet noster Urban. *Tract.* 2. *p* 2. *dist.* 2. *cap.* 5. *regula* 4. & Portel. *loc. cit.* idem absolutè tenet Ildefonsus à Veracruce, quem refert Lezan. *Tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 57. Capucinus, Collector privilegiorum, Rosella, & alii, quos refert, & sequitur novissimè Vidal. *tit. de jurisdictione, inquisit.* 1 *num.* 7. qui addit *num* 3. non solùm posse Religiosos simplices benedicere ornamenta sui Conventus, sed etiam extranea, quia cùm privilegium sit absolutum, non est cur limitetur. Consuli poterit circa hæc & subseq: Privilegia N. Augustinus à V. MARIA *lib. supracit. de privileg.* V. Benedicere.

166 Alterum privilegium amplius refert Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 17. *num.* 2. in quo per Bullam concedit Bonifacius IX. Dominicanis, ut omnes ubilibet constituti Fratres, candelas, aquam, sal, palmas, & alia ornamenta in eorum Ecclesiis, servatis solemnitatibus consuetis, benedicere possint, per quod privilegium, ait Bordonus *ibi*, & *infra, num.* 8. posse Sacerdotes simplices benedicere paramenta calicis, & altaris, & addit cum Portel. *suprà*, ita esse in usu apud Dominicanos, quod etiam affirmat Vidal. *suprà*. Tandem possunt Re- 167
gulares benedicere campanas, ex Bulla Innocent. VIII. & Julii III. Ita cum Lezan. Pellizzarius *Tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *sect.* 3. *num.* 105.

Dico II. Religiosi Sacerdotes etiam simpli- 168
ces, si deputati fuerint à Capitulo generali, possunt omnia ornamenta Ecclesiæ, etiam corporalia benedicere, & Ecclesias pollutas ejusdem Ordinis reconciliare cum aqua ab ipsis Prælatis benedicta. Ita concessit Sixtus IV. *in quadam Bulla*, ut testatur Bordon *Tom.* 1. *resol.* 17. *num.* 2. & tenet *ibi* ipse Bordon. qui addit omnes Prælatos delegare posse cuilibet religioso Sacerdoti hanc potestatem, quam ipsi habent ad benedicendum Ecclesiæ ornamenta, & ad reconciliandum Ecclesias. Immò 169
absque prædicta deputatione probabile est posse Regulares, etiam Sacerdotes simplices reconciliare suas Ecclesias, cum aqua benedicta communi, si Ecclesia non fuerit consecrata, siquidem hoc etiam possunt efficere alii Sacerdotes sæculares, etiam absque Episcopi licentia, ut tenent Avila, Henriq. Tambur. & alii, quos refert, & sequitur Diana 4. *p. tract.* 4. *resol.* 91. ergo idem dicendum est de 170
Regularibus. Ita tenent Portel. Præpositus, Barbosa, Tambur. Novarius, quos refert, & sequitur Diana *supra*, quibus adde Dicastillum *de Eucharist. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 6. *num.* 109. Pellizzarium *Tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *sect.* 2. *num.* 69.

Dico III. Fratres Laici, & Conversi, tangere 171
possunt calices & corporalia, cum reverentia tamen. Ita concessit Calistus III. vivæ vocis oraculo, ut testatur Lezan. *Tom.* 2. *cap.* 8. *num* 33. quod jam est confirmatum per Bullam, siquidem fuit ante Gregor. XV. Idem privilegium concessit Sixtus IV. Conversis, & Laicis, qui officio Sacristæ funguntur; quæ concessio licet non fuerit facta per Bullam, quia tamen ab ipso Papa subscripta fuit, existimat Lezana *ibi* non fuisse sublatam in generali oraculorum revocatione.

Idem privilegium concessit Leo X. Laicis sociis Generalium vel Provincialium, ut in Missa possint corporalia plicare, ubi non sunt fratres Sacerdotes. Quæ concessio licet fuerit vivæ vocis oraculum, ut testatur *ibi* Lezana, jam est per Bullam confirmatum similiter; siquidem fuit ante Greg. XV.

172 Tandem Sixtus IV. concessit etiam Monialibus sub clausura viventibus tangere posse corporalia, & purificatoria priùs lota à Religiosis. Ita testatur Cruz *suprà*, sed hoc privilegium parùm concedit; nam hæc facultas etiam secluso privilegio competit aliis fœminis honestis, quæ tangere possunt corporalia, & purificatoria priùs lota, ut ipsa ampliùs lavent, quò fiant puriora, & politiora, ad quod conficiendum, fœminæ solent esse magis industriæ. Ita cum Suar. Fragos. *Tom.* 2. *disp.* 21. *lib.*10. §.8. *n.*105.

§. 2.

De celebratione Missarum.

173 *Regulares possunt celebrare* Missas *in grangiis, infirmariis, & aliis locis monasterii.*

174 *Regulares possunt in castris, & arcibus, ad quæ, ob bella confugiunt, altare portatile erigere, & in eo celebrare.*

175 *Regulares possunt ubilibet celebrare, etiam in privatis domibus sæcularium.*

176 *Regulares possunt celebrare, etiam in plateis, & cameris sæcularium.*

177 *Regulares non possunt uti prædictis privilegiis, si ab Episcopo prohibeantur.*

178 *Episcopus non potest prohibere Regularibus, quòd non celebrent in grangiis suis, quia hæc veniunt nomine Ecclesiæ.*

179 *Regulares possunt celebrare in Ecclesiâ violata.*

180 *Regulares possunt in suis Ecclesiis in festis* Missas *celebrare, antequam Curatus celebret.*

181 *Regulares possunt celebrare in sæcularium Ecclesiis, & à nullo in hoc impediri possunt.*

182 *Regulares possunt celebrare in mari, immò & in fluminibus, certis tamen adhibitis conditionibus.*

183 *Regulares possunt celebrare* Missas *duabus horis post mediam noctem, & hoc etiam possunt facere sæculares Clerici in domibus Regularium.*

184 *Regulares possunt celebrare una hora ante auroram, hoc est tribus horis ante solis irradiationem.*

185 *Immò illico post matutinum possunt* Missas *celebrare.*

186 *Regulares possunt* Missas *celebrare ex causa, usque ad horam nonam, hoc est, usque ad tres horas post meridiem.*

187 *Quæ causæ ad hoc sufficiant, & requirantur?*

188 *Regulares possunt celebrare una hora post meridiem.*

189 *Hæc privilegia non sunt revocata.*

DIco I. Possunt Regulares celebrare Missas in grangiis, infirmariis, & aliis locis monasterii. 173
Ita concessit Sixtus IV. Prædicatoribus *Bulla* 33. & Julius II. *Bulla* 20. & Innocent. IV. *Bulla* 24. & Alex. VI. *Bulla* 14. Ita de la Cruz *in Epitome lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 7. *concl.* 2. nostri Augustinus à V. MARIA in *Privileg. omn. Relig. V.* Altare. *& V.* Missa. Gabriel à S. Vincent. *Tom.* 2. *de Sacram. disp.* 3. *de sacrosanct. Miss. Sacrif. quæst.* 5. Lezan. *c.* 21. *num.* 15. *Tom.* 1. Urban. *tract.* 2. *part.* 2. *dist.* 1. *cap.* 2. *regula* 7. Peyrin. *ad constit. Pyrrhi, num.* 31. Portel. *in dub. regul. verbo* Altare, *num.* 1. Belasius *verbo* Missa, *num.* 2. *&* 3. Diana 6. *part. tract.* 8. *resolut.* 37. Dicastillus *de Euchar. tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 6. *num.* 104. & alii.

Dico II. Possunt Religiosi in castris, & arcibus, ad quæ ob bella confugiunt, altare portatile erigere, & ibi Missas, & Divina Officia celebrare, salvo jure Ecclesiarum parochialium, & cujusvis alterius. Ita concessit Urban. V. *Bulla* 1. Joann. à Cruce *suprà concl.* 3. & nostri Urbanus & Augustinus locis jam citatis; & Franciscus Bonæ Spei *Tom.* 6. *sua Theolog. Tract.* 4. *disp.* 9. *dub.* 7. 174

Item possunt ubilibet, etiam in privatis domibus sæcularium Missas celebrare. Ita concessit Minoribus Sixtus IV. *Bulla* 14. & Eugenius IV. Ita Cruz. Ledesm. Rodrig. Portel. quos refert, & sequitur Diana 3. *part. tract.* 2. *resol.* 80. Lezan. *Tom.* 3. *verbo* Altare, *num.* 13. Belasius *verbo* Altare, *num.* 8. N. Augustinus *lib. cit. V.* Missa. Lugo, quem refert, & sequitur Dicastillus *de Eucharist.* 175
tract. 5. *disput.* 4. *dub.* 6. *num.* 104. Ledesm. Marchin. & alii, quos refert, & sequitur Pasqualig. *Tom.* 2. *decisione* 54. *num.* 3. Et Alexand. VI. 176
inter vivæ vocis oracula concessit eisdem posse Missas celebrare in cameris sæcularium, & in plateis, dato quòd non videantur loca honesta, quia in cameris sæcularium dormiunt conjugati, & in plateis multa profana fiunt. ita N. Augustin. *loc. jam cit.*

Nec obstat si objicias Decretum Tridentini *sessione* 22. Ubi præcipitur Episcopis, ne patiantur Missas celebrari etiam à Regularibus in domibus 177
privatis

privatis extra Ecclesiam, per quod Decretum talia privilegia revocata videntur. Respondetur namque cum Rodrig. Cruce, Urbano, & Dicastillo *locis suprà citatis*, Tridentinum non derogare Regularium privilegiis; sed solùm præcipere Epi-
178 scopis, ut non patiantur Regulares Missas celebrare in privatis domibus. Unde dum Episcopus illud non vetat, poterunt Religiosi ibi celebrare. Secùs tamen erit post prohibitionem; nam tunc non poterunt in domibus sæcularibus celebrare; benè tamen in grangiis, & aliis locis Regularium: nam hujusmodi loca veniunt nomine Ecclesiæ, ut cum multis latè probat Cruz. Unde in illis celebrantes, non celebrant omnino extra Ecclesiam; ut cum aliis probat Peyrinis *Tom.* 1. *privilegiorum in constitut. Pyrrhi, num.* 31. Vide circa hanc materiam nost. Ildephonsum *loc cit. ad* §. 87. *Maris magni Carmel.*

179 Ex dictis patet à fortiori licere Regularibus celebrare juxta dicta privilegia in Ecclesia violata, nec hoc prohibetur in dicto Decreto Tridentini, sed celebratio in domibus privatis, & omnino extra Ecclesiam. Ita Cruz *ubi suprà*, & alii. Possunt item in Dominicis & festis in suis Ecclesiis Missas, & Divina Officia celebrare, etiam antequam curatus celebret, quibus, & fideles astare possunt, & à nullo in hoc molestari possunt. Ita concessit Pius V. *in Bulla* 7. apud Cruz *suprà conclus.* 4.
180 Ita Belasius *verbo* Missa, *num.* 2. Diana 5. *part. tract.* 8. *resolut.* 39. ubi plures refert. Et tandem Novarius *in Lucerna Regularium*, *verbo* Missa, *num.* 10.

181 Possunt etiam celebrare in Ecclesiis sæcularium, & à nullo in hoc impediri possunt. Ita concessit Pius V. *Bulla* 7. & tenet Cruz *lib.* 2. *c.* 5. *dub.* 7. licet contrarium teneat Lugo *in respons. moralibus,*
182 *lib.* 5. *dub.* 25. *num.* 2. in casu, quo Episcopus contradicat; sic enim, ait Lugo, debet interpretari Bullæ concessio, ut possint ubique celebrare, etiam in locis alienis permittentibus loci dominis.

Tandem possunt celebrare in mari in magnis navibus ex privilegio Clement. VIII. & Pauli V. quod refert Fagund. 1. *præcepto Ecclesiæ, lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 5. quod privilegium competit etiam aliis Sacerdotibus, debet tamen hoc fieri in longissimis navigationibus, verbi gratia: Indiarum, & sereno cælo & tranquillo mari, in magnis navibus. Ita Layman. quem refert, & sequitur Amicus *de Eucharist. disput.* 23. *sect.* 12. *num.* 346. Trullenc. Leander, Palaus, Garcia, & alii, quos refert, & sequitur Dian. 5. *part. tract.* 3. *res.* 40. Immò etiam in fluminibus. Ita Layman. Hurtado, Diana, & alii, quos refert, & sequitur Pellizzarius *Tom.* 2. *tract. cap.* 2. *sect.* 2. *num.* 95.

Dico III. Religiosi ex causa possunt celebrare Missas immediatè post duas horas mediæ noctis. 183
Ita concessit Alexand. VI. *Bulla* 13. quod privilegium extendit etiam ad Clericos sæculares celebrantes in Conventibus Regularium. Ita Cruz *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 6. *conclus.* 2. Martin. à S. Joseph, 184
Caspensis, Dicastillus, Leander, Lugo, quos refert, & sequitur Diana *part.* 10. *tract.* 12. *resol.* 25.

Aliud privilegium concessit Gregor. XIII. Jesuitis *Bulla* 22. ut celebrare possint per horam ante auroram, hoc est, per tres horas ante Solis irradiationem. Ita sentit Peyrinis *de privilegiis, ad Constit. Pyrrhi, num.* 20. Leander, Dicastillus, Thom. 185
Tamburin. Pellizzarius, & alii, quos refert, & sequitur Diana 10. *part. tract.* 12. *resolut.* 26. & Leo X. vivo oraculo concessit Minoribus, posse illicò post matutinum Missam celebrare: idem concessit postea Congregationi S. Justinæ Gregor. XIII. etiam vivæ vocis oraculo, ut testatur Peyrin. *Tom.* 1. *privileg. in constit. Pyrrhi, num.* 20. Dicastillus *de Eucharistia, tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 4. *num.* 58.

Tandem Eugenius IV. *Bulla* 11. concessit Be- 186
nedictinis itinerantibus, aut alia de causa posse celebrare usque ad horam nonam inclusivè, hoc est, usque ad tres horas post meridiem, & ita docent Cruz *suprà.* nostri Augustinus *lib. cit. V.* Missa. & Gabriel à S. Vinc. *loc. cit quæst.* 2. Dica- 187
stillus *de Eucharistia, disput.* 4. *tract.* 5. *dub.* 4. *num.* 58. Tamburin. Lugo, Leander, quos refert, & sequitur Diana 10. *part. tract.* 15. *resol.* 27. Causa autem ad Missam differendam usque ad horam nonam sufficit quæcumque, etiam si non sit maxima, ut si propter invaletudinem citiùs non potest è lecto exurgere, vel si habeat confessionem inceptam, & duret ad illam dictam horam nonam, vel si est sibi necesse studere usque ad illam horam, quia postea non est sibi occasio studendi, vel propter aliam rationabilem causam, ita cum Tamburin. Dian. *suprà.*

Item Gregor. XIII. *Bulla* 22. concessit Jesuitis, 188
ut celebrare possent una hora post meridiem; quæ omnia cum Molfesio meritò approbat novissimè Novarius, *in Lucerna Regularium*, *verbo* Missa, *num.* 20. Pellizzarius, quem refert, & sequitur Diana 10. *part. tract.* 12. *resolut.* 26. *in medio.*

M 2 Nec

189 Nec obstat si dicas cum Lezan. *Tom.* 1. *cap.* 21. *num.* 2. hujusmodi privilegia esse revocata per declarationem Sacræ Congregationis. Respondetur enim nobis de illa authenticè non constare; & idem dicendum est de quadam revocatione Pii V. quam refert Belasius *verbo* Missa, *num.* 26.

§. 3.

De stipendio quod Regulares possunt accipere pro Missis.

190 *Regulares non possunt accipere pro una Missa nisi unicum stipendium.*

191 *Nulla dantur privilegia quæ concedant Regularibus posse plura accipere stipendia pro una Missa.*

192 *Privilegia, quæ referuntur ab aliquibus recentioribus, fuêre subreptitia.*

193 *Doctrina admittens talia privilegia quàm scandalosa, & perniciosa sit.*

194 *Sacerdotes pauperes secundùm aliquos possunt sumere integram sustentationem diurnam pro una Missa.*

195 *Hæc opinio hodie est improbabilis.*

196 *Aliqui affirmant posse Sacerdotes una Missa pluribus satisfacere, quando stipendia sunt incongrua, si non promiserunt totam Missam pro incongruo stipendio offerre.*

197 *Hanc resolutionem alii extendunt etiam ad Sacerdotes divites*

198 *Quilibet Sacerdos potest pro parte sibi correspondente, secundùm aliquos, aliud stipendium sumere.*

199 *Decretum Urbani VIII. de celebratione Missarum, non fuit in Hispania receptum.*

200 *Decreta Sacræ Congregationis non obligant in judicio, nec extra, si non constat de illis authenticè.*

201 *In quo differant declarationes Cardinalium factæ consulto, & de mandato Papæ, ab aliis, quæ sunt illo inconsulto.*

202 *An tales opiniones sint probabiles? proponitur judicium Auctoris circa has opiniones.*

203 *Religiosi Carmelitæ discalceati non possunt uti talibus privilegiis, vel opinionibus.*

204 *Quid disponant leges nostræ circa Missarum stipendia.*

205 *Capitulum generale potest auferre à Religiosis usum privilegiorum Apostolicorum, & illis sublatis non possunt eis uti Regulares, nec licitè, nec validè.*

206 *Capitulum generale potest privilegiis Pontificiis renuntiare.*

207 *Explicatur, quàm periculosum sit uti prædictis privilegiis, & opinionibus, etiam Religiosis, qui non habent statutum in contrarium, & Clericis.*

208 *Refertur casus mirabilis circa hanc materiam.*

209 *Donati nostri participant de omnibus privilegiis, aliis Religiosis concessis juxta suam capacitatem.*

DIco I. Regulares nullo modo possunt accipere pro una Missa, nisi unicum stipendium, & hoc secundùm taxam Episcopi. Ita cum aliis communiter Dicastillus *Tom.* 5. *de Sacrificio Missæ, disput.* 4. *dub.* 19. *num.* 351. Nec obstant quædam privilegia, quæ referunt aliqui recentiores. Primum Alexandri VI. quod refert Cruz *de privilegiis, cap.* 5. *lib.* 2. Secundum Julii II. & III. Nicolai Nuntii, Sixti IV. quæ refert Peyrin. *ad constitut.* 5. *Leonis X. num.* 4. per quæ illis videbatur concedi posse plura accipere stipendia pro una Missa applicando pro Missas petentibus alia opera Religionis. 190

Non obstant hæc, inquam, nam hujusmodi privilegia, etiam seclusa revocatione Urbani VIII. nullo modo admittenda sunt; siquidem fuêre subreptitia, ut cum Collectore privilegiorum Minorum testatur Dicastillus *suprà num.* 352. Unde caveant ab illorum usu Regulares, ut à facie colubri: est enim talis doctrina scandalosa, & perniciosa (quam noster sapientissimus Joannes de Bacchone in 4. *dist.* 20. *quæst.* 3. *art.* 1. vocat errorem) & maximè retrahens fideles à Missarum postulatione, qui meritò ob talem opinionem renuunt aliquibus Regularibus, de quibus talis est suspicio, dare stipendia pro Missis celebrandis, ut testatur Dicastillus *suprà num.* 369. 191 192 193

An autem Religiosi pauperes, & idem quæritur de aliis Sacerdotibus sæcularibus pauperibus, seclusis etiam privilegiis, possint pro qualibet Missa sumere tot stipendia integra, quot sufficiunt ad eorum diurnam sustentationem, vestitum decentem, &c. affirmant multi, & relictis illis Doctoribus, qui ante Decretum Urbani VIII. *de celebratione Missarum*, hanc sententiam docuêre, quos refert Marchinus *cap.* 16. *num.* 6. & alii, quos refert Diana 1. *part. tract.* 14. *resolut.* 8. post 194

post prædictum decretum, probabilem putat Lezana *Tom. 3. verbo* Missa *num.* 24. Seclusis declarationibus Sacræ Congregationis; & absolutè illam tenet, ut speculativè probabilem Bordonus *resolution. 25. quæstione 6. num* 13. & secluso Decreto Urbani VIII. Marchin. *ubi suprà num.* 18. & absolutè stante Decreto Urbani Bauny *Tom. 2. tract. 10. quæstion. 12. fol. mihi 441. litt B.* & tandem Leonsillus *de privilegiis pauperum 2. part. privileg. 263. num. 5.* ubi ait talem declarationem Cardinalium solum loqui in genere, & fortè non comprehendere pauperes.

195 Sed pace tantorum virorum, talem opinionem ego improbabilem existimo cum Dicastillo *loco citato numer.* 362. ubi multos refert Doctores, estque communis sententia, & auctoritas Ecclesiæ in contrarium; qui omnes unanimi ore dicunt non deberi Sacerdoti ex justitia totam sustentationem diei pro una Missa, & licet me non lateat in schola Theologica illud censeri probabile, quod tale apparet multis, & sapientibus, & pro contraria sententia plures videam stare Doctores, aliàs doctissimos, eorum tamen opinionem non judico probabilem cum Decastillo, quia non ratione ducti) (nulla enim ratio firma est pro hac sententia) sed tumultuariè potius gregatim in eam sententiam unum secuti Sotum iverunt, sed de his vide latius Decastill. *suprà num.* 362.

An autem possit saltim Regularis pauper, vel Sacerdos sæcularis plures sumere eleemosynas, &
196 omnibus illis satisfacere unica Missa, quando stipendia incongrua, & exigua sunt reducendo illa ad stipendium secundum taxam suæ Diœcesis? etiam stante Decreto Urbani VIII. non metuit affirmare Peyrinis *Tomo 3. privilegiorum capite 1. numer.* 26. dicens Decretum Urbani VIII. solum loqui de illis, qui voluntariè, non verò de illis qui necessitate compulsi hoc faciunt. Immò Homobonus, Fraxinellus, Nugnus, & alii, quos refert,
197 & sequitur Marchinus *supra*, addunt etiam Sacerdotes divites posse reducere incongrua stipendia usque ad taxam, dummodo expresè contrarium non promittant, sed vel taceant cum recipiunt eleemosynas incongruas, vel utantur amphibologia.

198 An vero possit quilibet Sacerdos valorem specialem Missæ sibi correspondentem alteri applicare, & pro eo stipendium sumere? Ante Decretum Urbani VIII. multi Doctores affirmabant quos refert
199 Diana 1. *parte tractatu 14. resolut.* 14. & post Decretum Urbani VIII. *De celebratione Missarum* probabile adhuc putant, Naldus, Faustus, quos refert Diana *parte 5. tractatu 14. resolution.* 45. Peyrinis *Tomo 3. cap. 1. numero 25. de privilegiis*, sed hoc post factum. Marchinus, quem refert Diana *6. parte* 200
tractatu 6. resolution 8. Trullenc. *Praxi Sacramentorum libro 3. capite 8. dubio* 11. ubi dicit hoc Decretum Urbani VIII. *De celebratione Missarum*, non 201
fuisse receptum in his Hispaniæ partibus, nec nobis constare de illo authenticè, ut necessarium erat, licet tale Decretum fuisset factum consulto Pontifice, & de illius mandato juxta præscriptum Sacræ Congregationis quod refert Lezana *Tomo 3. verbo* Sacra Congregatio *num.* 10. & tenent in terminis cum aliis Peyrinis *de subdito, quæstione 1. capite 25. circa finem.* Salas, quem refert, & sequitur Belasius *verbo* Congregatio Cardinalium *numero 2.*

Si quæras, in quo differant declarationes Cardinalium factæ consulto, vel de mandato Papæ, ab aliis, quæ fiunt illo inconsulto? Dico differre, 201
quod hæ etsi authenticè fiant, non habent vim legis in utroque foro, benè tamen illæ, quæ fiunt, consulto Papa; Ita Salas *suprà*, Peyrin. quos refert, & sequitur Belasius *ubi suprà num.* 3.

Si tamen quæras, an hujusmodi opiniones sint probabiles? Respondeo illarum judicium me aliis remittere. Ego enim, si fas est dicere quod sentio, à prædictis privilegiis (si forte aliqua legitima fuerint) ut contendit Rodriguez, apud Dicastillum *supra numer.* 351. & à talibus opinionibus semper 202
abstinendum esse existimavi, & maximè periculosum semper reputavi, uti talibus opinionibus, & privilegiis; quod maximè notandum est, etiam secluso Decreto Urbani VIII. *de celebratiane Missarum.*

Immò addo, quod dato, & non concesso, quod 203
tales opiniones fuissent probabiles, & privilegia certa, & legitima, licet alii Regulares possent in tali casu eis uti, si aliàs non haberent statutum in contrarium, & Decretum Urbani VIII. apud illos non esset receptum; in nostra tamen Religione Carmelitana Discalceata nullo modo possent Prælati, nec subditi uti talibus privilegiis, vel opinionibus, licet etiam non extaret decretum Urbani VIII. *de celebratione Missarum.*

Moveor, quia tales opiniones, & privilegia non suffragantur nostris Prælatis, aut subditis; & de privilegiis constat; nam *in 3 part. nostrarum Con-* 204
stitutionum cap. 6. numer. 1. decernitur, ut Generalis in toto Ordine, & Provinciales in sua Provincia, & Prior in suo Conventu illis tantum possint

uti privilegiis Pontificiis concessis similibus Prælatis aliarum Religionum per communicationem, quæ per easdem Constitutiunes non fuerint limitata, sed 1. *part. nostrarum Constitutionum cap.* 10. *numer.* 7. præcipitur, ut nunquam in Ordine pro una Missa, nisi unam tantùm pitantiam recipiant: ergo Prælati nostri nullo modo possunt uti prædictis privilegiis, & à fortiori neque prædictis opinionibus propter eamdem Constitutionem, quæ à fortiori militant etiam in aliis Fratribus subditis. Idem decernunt Constitutiones Congregationis nostræ Italicæ 1. *part. cap.* 3. *num.* 4.

205 Nec obstat, si dicas Capitulum Generale non posse tollere à Fratribus usum privilegiorum Apostolicorum. Respondetur namque negando antecedens; nam Capitulum Generale potest auferre à Religiosis privilegia concessa à Pontificibus, & eorum usum restringere. Ita concessit Leo X. & Gregorius XIII. *in Bullis*, quas refert Pellizzarius *Tom.* 2. *tractat.* 9. *cap.* 8. *sect.* 2. *numer.* 76. Unde illis sublatis non possunt Religiosi subditi illis uti, neque licitè, neque validè, Rodriguez, Sanchez, Peyrinis, Lezan. quos refert, & sequitur Pellizza-
206 tius *ubi supra.* Tum quia unicuique licitum est renunciare juri suo. Unde cum Capitulum generale repræsentet totam Religionem, poterit prædictis privilegiis renuntiare: ergo cum nostra Constitutio statuerit, ut nunquam in Ordine pro una Missa, nisi una tantùm pitantia recipiatur, ideo neque Prælati, neque subditi possunt uti talibus privilegiis, aut opinionibus, etiamsi prædicta decreta Sacræ Congregationis nullo modo extarent: & sic vidi semper in tota hac nostra Congregatione practicari.

207 Respectu verò aliorum Religiosorum, qui tale statutum non habent, & de prædictis opinionibus, respectu etiam Sacerdotum sæcularium, non est facile explicatu, meo judicio, quàm periculosum sit illis uti, etiam sublato Decreto Urbani VIII. de celebratione Missarum, & casum satis mirabi-
208 lem refert Bordonus *in decisionibus decision.* 104. ibi namque refert de quodam Sacerdote sæculari, qui cum plura acciperet stipendia Missarum, & partem illorum applicasset pro illa portione sacrificii sibi correspondente, secutus opinionem *supra* relatam *num.* 194. Postea in febrim incidit, & cum jam in extremis laboraret, scrupulis agitatus, jussit ad se accersiri ipsummet Patrem Bordonum, qui videns infirmi anxietatem consuluit, ut tot stipendia diversis Sacerdotibus statim offerret pro Missis noviter dicendis, pro quot ille speciali illo fructu satisfecerat. O mirabile dictu, stipendiis à se abdicatis, statim cœpit convalescere, quia febris mentalis multum vexabat corpus. Videant nunc Sacerdotes, videant Religiosi quàm periculosum sit prædictis uti opinionibus. Unde ego tales opiniones, reprobandas esse semper existimavi. Si quis ampliorem de materia hujus §. notitiam desideret, consulere poterit nostros Gabrielem à S. Vincentio 2. *part. de Sacram. disput.* 3. *de sacrif. Miss. q.* 6. *&* 7. Stephan. à S. Paulo *Tract. de Sacrament. disp.* 4. *dub.* 11. *&* 12. Francisc. Bonæ Spei *Tom.* 6. *de Sacram. Tract.* 4. *de* Eucharist. *disp.* 9. *dub.* 6.

In fine hujus sectionis adverte, hîc nihil agi de reliquis Sacramentis. quia nihil speciale reperio in illorum usu pro Religiosis in ordine ad seipsos. Quid autem valeant efficere pro sæcularibus suo loco dicemus.

Secundò adverte hæc omnia privilegia, quæ Religiosis competunt, competere etiam respectivè, & secundùm capacitàtem nostris Donatis primæ, & secundæ professionis, & omnibus oblatis, qui sunt simpliciter oblati. Ita concessit Gregor. IX. in 209
quadam Bulla, quam, & aliàs refert Lezana *Tom.* 2. *cap.* 8. *num.* 30. & tenet cum aliis ipse Lezana *supra num.* 32 consulatur circa hoc noster Ildephonsus supracit. in *Scholiis* ad Mare magnum Carmelit. *circa* §. 49. An verò etiam competant novitiis, & Monialibus, dicemus *sectione sequenti.*

SECTIO V.

De Monialium & Novitiorum privilegiis.

§. I.

De Monialium privilegiis.

210 *Moniales subjectæ Regularibus gaudent omnibus privilegiis concessis Religiosis suæ Religionis.*

211 *Immò non solùm subjectæ Regularibus, sed etiam Ordinario gaudent prædictis privilegiis.*

212 *Moniales tam subjectæ, quam non subjectæ Regularibus uti possunt omnibus privilegiis suis Religiosis concessis, quoad absolutiones a peccatis, & censuris, & quoad eligendum Confessarios.*

213 *Confessores Monialium Regularibus subjectarum de*

de jure communi sufficit, quod sint approbati à Prælatis monialium.

214. *Non de jure novo ex Bulla Gregor. XV.*

215 *Hæc constitutio Gregor. XV. non fuit recepta in Hispania.*

216 *Moniales possunt toties quoties absolvi à suis Provincialibus, & confessariis ab omnibus casibus etiam Sedi Apostolicæ reservatis.*

DICO I Moniales subjectæ Regularibus gaudent omnibus privilegiis concessis religiosis suæ Religionis respective ipsis convenientibus quo ad earum sexum. Ita concessit Sixt. IV. *in Bulla aurea*, Bonif VIII. Leo X. Clemens VII. *in variis Bullis*, quas refert Lezan. *Tom.2.in Bulla aurea* §.4.& tenent communiter Doctores apud eundem Lezan. *suprà*, & Tambur. *de jure Abbatissarum disp. 6. quæsito. 7. num.* 14. Dian. 10. *p. tract.* 13. *resol.* 24.

211 Immò non solum Moniales subjectæ Regularibus, sed Ordinario gaudent omnibus privilegiis concessis Fratribus suæ Religionis. Ita Tambur. quem refert, & sequitur Lezana *Tom.1.cap.25.* Portel. 2. *part.casuum, casu* 14. Cast. Pal. Pasqualig. Pellizzarius, Cespedes, quos refert, & sequitur Diana *suprà resolut.* 24. Ita illis concessit Bonifacius VIII. *in Bulla* quam *ibi* refert Diana. Quia de similibus, & connexis idem fit judicium *cap.in cet. de rescript.cap.translato de const.cap.in causa de re judicata*, & ubicumque est eadem ratio, debet esse eadem juris dispositio *L.illud ff.ad leg. Aquil.l.Titio ff.de verbor.obligat.*

212 Hinc fit Moniales, tam Regularibus, quàm Ordinario subjectas, uti posse omnibus privilegiis concessis Religiosis suæ Religionis, tam quoad absolutiones a peccatis, & censuris, quàm quo ad eligendum confessores, ut *supra* diximus.

213 DICO II. Confessores Monialium Regularibus subjectarum de jure communi non indigent Ordinarii approbatione, sed sufficit quod sunt approbati à Prælato regulari ipsarum Monialium. Ita

214 Sorbus, Azor. Campanil. Barbosa, quos refert, & sequitur Lezana *Tom. 5. in Mari magno Carmelitarum* §.62.*num.*371. Hodie tamen post Constitutionem Gregor. XV. quam refert idem Lezana *Tom.1.cap.19.num.35.& cap.25.num.45.* aliter se res habet, ubi viget talis Constitutio; nam secundùm illam confessores Monialium, etiam Regularibus subjectarum debent esse ab Episcopo approbati ad confessiones Monialium; ut latè *ibi* probat Lezana. Verùm hæc Constitutio Gregor. XV. in regnis Hispaniæ suspensa est. Ita Lezana *Tom.5.in Mari magno Carmelitarum num.*371. Belasius *verbo* confessor Monialium *num.* 1. per quæ corruunt, 215 quæ docet Bordon. *Tom.1.resol.36.quæst.27.* saltem in Hispania.

DICO III. Moniales possunt absolvi à Provincialibus, Visitatoribus, & Confessoribus ordinariis 216 earum, ab omnibus criminibus, pœnis, & censuris, etiam Apostolicæ Sedi reservatis, quoties opus fuerit. Portel. *in dub. regular. verbo* Moniales *num.*12. Immò etiam ab hæresi occulta, Bord. *Tom.1.resol.5. num.5.* Ratio autem est, quia Moniales propter clausuram sunt perpetuò impeditæ adire Papam; sed in hoc puncto vide, quæ dicemus *disput.3.section.1.§.2.n.50.* agentes de sæcularibus.

§. 2.

De privilegiis Novitiorum tam Fratrum, quàm Monialium.

217 *Novitii tam Fratrum, quàm Monialium profiteri possunt in mortis articulo ante annum approbationis expletum, dummodo habeant legitimam ætatem.*

218 *Probabile est talem Novitium professum sic non indigere alia professione; si casu non decedat.*

219 *Monasterium succedit in bonis sic profitentis, & hæredes tenentur solvere dotem monialibus.*

220 *Professio novitiorum differri potest etiam ultra annum ad arbitrium Prælati prudentis.*

221 *Si professio post multos annos postquam expletus fuit annus approbationis, emittatur est valida.*

222 *Novitii religiosi gaudent omnibus privilegiis professorum Ordinis ejusdem.*

223 *Possunt absolvi, & dispensari in irregularitatibus, ut alii professi.*

224 *Possunt intra domum confiteri valide aliis confessoribus, quam suo magistro.*

225 *Etsi confiteantur confessoribus extraneis approbatis ab Ordinario tenet absolutio, licet confessio sit de reservatis in religione, sive confessio fiat intra, vel extra domum.*

226 *Id quod dictum est de illis, qui acti sunt novitii, dicendum est etiam de illis, qui de proximo sunt induendi habitu novitiorum.*

227 *Prælati erga novitias monialium habent eandem potestatem, ac in novitios religiosos.*

228 *Si*

228 *Si novitii ingressi fuerint animo perseverandi, etiamsi postea exeant, non reincidunt in præteritas censuras, à quibus fuêre absoluti in Religione, sive ante ingressum, sive post illum incursas.*

229 *Secus dicendum est de illis, qui novitii actu non sunt, sed sunt de proximo induendi, si non ingrediantur.*

217 DIco I. Novitii tam Fratrum, quàm Monialium habent privilegium, ut in articulo mortis emittere possint professionem, etiam ante annum approbationis expletum, dummodo sint legitimæ ætatis. Ita concessit Pius V. *in Bulla*, quam refert Lezana *Tom.* 1. *cap.* 25. *num.* 39. Monialibus sancti Dominici, quod privilegium non est
218 revocatum à Gregor. XIII. qui reduxit omnia privilegia Regularibus concessa à Pio V. ad terminos Tridentini. Ita Lezana *ibi*, Peyrinis *ad Constitut. Pii V.* §. 2. Sanchez, Megala, Faustus, & alii, quos refert, & sequitur Diana 3. *part. tract.* 2. *resol.* 17. Fragos. 2. *part. lib.* 11. §. 15. *nu.* 13. Barbosa, quem refert, & sequitur Novarius *in Lucerna regularium verbo* Novitii *numer.* 2. Belasius *verbo* Novitius *num.* 33.

Probabile etiam est talem novitium sic professum in mortis articulo, si casu non decedat è vita verè professum manere, nec nova indigere profes-
219 sione. Ita Peyrinis, Lezana *supra*: benè tamen faciet postea ratificare illam adimpleto anno ad tollendum scrupulum propter opinionem contrariam.

Tandem in nostra opinione Monasterium succedit in bona sic profitentium, Sanchez, & alii, quos refert, & sequitur Lezan. *ibi*: Immò parentes Novitiæ sic decedentis tenentur solvere integram dotem. Ita Confectarius, Sanch. Henriq. quos refert, & sequitur Peyrinis *ad constitut. Pii V. num.* 1.

220 Adverte tamen hîc, professionem Novitiorum differri posse ad arbitrium Prælati prudentis, etiam ultra annum justa interveniente causa, ut si Monialis nondum solverit totam dotem, si non sciverit legere, vel recitare, vel si sufficienter nondum satisfecerit in anno approbationis, vel si quid obstiterit ad rectam bonorum suorum dispositionem. Ita cum aliis Tamburin. *de jure Abbatissar. disput.* 6. *quæsito* 6. *num.* 6.

221 Immò si professio post plures annos, postquam transactus est annus approbationis emittatur, etiam nulla interveniente causa, ut aliquando accidit in Conventibus Monialium, professio valida est. Ita Suarez, Palaus, & alii, quos refert, & sequitur Lezana *in consiliis Tom.* 6. *consilio* 9. *num.* 32.

Dico II. Religiosorum Novitii gaudent omnibus privilegiis professorum ejusdem Ordinis, cujus novitii sunt. Ita Suar. Sanch. Riccius, Azor. & alii quos refert, & sequitur Diana 3. *p. tract.* 2. *resol.* 73. Fragos. *lib.* 10. *p.* 2. *disp.* 24. §. 11. *num.* 23. Lezana *Tom.* 5. *in Mari magno Minorum num.* 35. Delbene *Tom.* 2. *cap.* 14. *sect.* 9. *dub.* 18. *num.* 1. Tum, quia novitii in favorabilibus veniunt nomine Fratrum: Tum ex privilegio speciali concesso Societati, quod refert Diana *ibi*. Unde possunt absolvi à suis Prælatis ab omnibus peccatis, pœnis, & censuris, & dispensari in omnibus irregularitatibus, votis, & præceptis, sicut alii Fratres: Lezana *supra num.* 38. Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 3. *num.* 11. Candid. *Tom.* 2. *disquisit.* 24. *art.* 59. *dub.* 9. Delbene, ad quod etiam facit maximè privilegium Pii V. Bulla relata à Candido *supra art.* 48. *dub.* 3. *disquisit.* 22. Immò possunt absolvi, & dispensari ab aliis Fratribus deputatis à suis Prælatis, eo modo, & tot vicibus, quibus possunt professi, ut *ibi* diximus. 222 223

An autem possint novitii, intra domum validè confiteri aliis religiosis ejusdem Ordinis, quàm suo Magistro, & Prælatis deputatis? Respondeo affirmativè cum Portel. Ita tenent Coriolan. Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 4. *num.* 11. Molfesius, Villalob. & alii, quos refert, & sequitur Delbene *Tom.* 2. *cap.* 14. *dub.* 18. *sect.* 17. *num.* 10. 224

Immò si novitii confiteantur confessoribus approbatis ab Episcopo, tales confessiones validæ erunt, sive fiant itinerando in defectu confessoris ejusdem Ordinis: in quo casu etiam erunt licitæ, Bordon. *suprà resol.* 34. *num.* 38. Licet fiant intra domum, in quo casu licèt non sint licitæ, utpotè contra legem, sunt tamen validæ etiamsi confiteantur de casibus in Religione reservatis. Ita Molfesius, Homobonus, Ortiz. & alii, quos refert, & sequitur Diana 3. *p. tract.* 2. *resol.* 4. contra Peregrinum, Portel, & alios. 225

Dico III. Id, quod diximus de novitiis, qui actu sunt novitii, dicendum est de illis, qui non sunt adhuc habitu induti, sunt tamen de proximo induendi; nam etiam hi gaudent eisdem privilegiis, & absolvi possunt, ac dispensari eo modo, ac si actu novitii essent, & professi. Ita Vechius, quem refert, & sequitur Peyrinis *Tom.* 3. *cap.* 3. *num.* 13. noster Ildephonsus à JESU-MARIA in *scholis Privilegiorum Carmelitarum Discalceatorum* Ursecæ in Hispa- 226

Hispania editis an. 1624. *ad* §. 56. *Maris magni Carm.* Diana 3. *p. tract.* 2. *resol.* 46. Lezan. *Tom.* 5. *in Mari magno Minorum num.* 36. ubi addunt ita de-
227 clarasse Clementem VIII. & tandem Delbene *Tom.* 2. *cap.* 14. *sect.* 9. *dub.* 18 *n.* 1.

An autem idem dicendum sit de novitiis monialium majus est dubium, quia nullum de hoc invenitur privilegium, ut testatur Cruz *lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 13. *conclus.* 4.

Dicendum tamen est Prælatos erga hujusmodi novitias monialium habere eamdem potestatem ordinariam, tam in ordine absolutionis peccatorum, & censurarum, quàm dispensationis votorum, & præceptorum, ac habent circa alios novitios. Ita Crux *suprà*, Rodrig. *Tom.* 1. *q.* 20. *art.* 23, De aliis privilegiis nihil apud Authores reperio.

228 Dico IV. Si novitii ingressi sunt animo perseverandi, etiamsi postea sua culpa, vel spontè exeant, non reincidunt in præteritas censuras, sive antea, sive post ingressum Religionis incursas, etiamsi sint Sedi Apostolicæ reservatæ; nec tenentur præsentare alicui, qui aliàs eos absolvere poterat. Ita Suar. Vechius, Hieron. Rodrig. Sanctor. quos refert, & sequitur Lezana *in Mari magno Minorum num.* 35. Fragos. *supra num.* 31. Bordon. *Tom.* 1. *resolut.* 28 *num,* 56. Candid. *Tom.* 1. *disquisit.* 22. *art.*
48. *dub.* 1. Belasius *verbo* novitius *num.* 19. Ratio 229
autem est; quia novitii absolvi possunt, sicuti alii professi virtute privilegiorum Ordinis, sed professi absolvuntur sine ullo onere comparendi, aut reincidentiæ: ergo etiam novitii. Sicque dicendum est de illis etiam, qui novitii actu non sunt, sed qui volunt ingredi Religionem; nam licet hujusmodi etiam antequam habitu induantur possint absolvi, & dispensari, ut supra diximus, si non fictè, sed ex corde velint intrare Religionem, si tamen mox non intrent reincidunt, &c. à quibus aliàs confessor eorum eos non poterat absolvere, si non velint fieri novitii. Ita Rodrig. quem refert & sequitur Bordon. *supra* Fragos. *supra num.* 31. & alii, quos refert, & sequitur Lezana *supra num.* 39. Et in hoc sensu debent intelligi aliqua privilegia, quæ concedunt Prælatis, ut possint absolvere novitios ad reincidentiam. Ita Lezana *supra*.

DISPUTATIO III.

De Privilegiis Regularium in ordine ad sæculares.

POstquam in superioribus de privilegiis Prælatorum respectu subditorum, & de privilegiis Regularium respectu ipsorum Regularium abunde disseruimus; restat, ut aliquid de privilegiis Regularium in ordine ad sæculares dicamus. Principium autem sumimus à Sacramento pœnitentiæ, non quia primum est, cum re ipsa non sit, sed quia plura scitu necessaria continet præ aliis omnibus Sacramentis. Et primo loco agemus de potestate ad absolvendum; deinde de potestate ad dispensandum, tam in irregularitatibus, quàm in votis, & statim ad cætera Sacramenta suo ordine procedemus.

SECTIO I.

De potestate, quam habent nostri confessarii, & illi, qui cum eis communicant in privilegiis, ad absolvendum sæculares à peccatis, & censuris.

§. I.

De approbatione requisita in Regularibus; quo possint audire confessiones sæcularium.

1 *Regulares jure communi sunt habiles ad audiendum confessiones sæcularium.*

2 *Confessio facta Regularibus approbatis cum cæteris requisitis, de fide est, non deberi repeti coram parocho etiam pro præcepto annuæ confessionis.*

3 *Vt Regulares possint hodie audire sæcularium confessiones, debent esse approbati ab Episcopo.*

4 *Regulares cum sola licentia suorum Prælatorum absque approbatione Episcopi, possunt ministrare pœnitentiæ Sacramentum suis famulis, etiam pro viatico, & adimplendo præcepto confessionis.*

5 *Idem facere possunt cum suis alumnis.*

6 *Regulares præsentati Episcopo, si injustè eos noluerit approbare, ipso jure approbati manent.*

7 *Regulares non possunt sine justa causa approbari ab Episcopo cum limitatione ad tempus, locum. & personas.*

8 *Regulares semel ab Episcopo approbati, non possunt denuò ab eodem examinari; & licentia data revocari absque justa causa ad confessiones pertinente.*

9 *Mortuo Episcopo non expirat facultas concessa Regularibus, nec Capitulum sede Vacante eam revocare potest.*

10 *Immò si successor non revocet, semper durat; poterit tamen Episcopus successor ad majorem quietem animæ suæ, iterum examinare Regulares.*

11 *Probabile est approbationem Mendicantium perpetuam esse.*

12 *Regulares ab uno Episcopo approbati quando itinerantur, possunt ubique confessiones audire, modo loco illo non adsit Ordinarius.*

13 *Probabile est Regulares in uno Episcopatu approbatos juxta formam Tridentini manere pro toto orbe approbatos, ita ut nulla aliâ indigeant approbatione.*

14 *Solvitur objectio in contrarium.*

15 *Regularis, ut possit sæcularium audire confessiones, saltem ab uno Episcopo debet esse approbatus.*

16 *Regularis approbatus in uno Episcopatu non potest absolvere in alio, in Indiis occidentalibus.*

17 *Sententia, quæ asserit Regulares in uno Episcopatu approbatos manere approbatos pro toto orbe, videtur aliquibus esse adhuc hodie probabilis, non obstante decreto Innocentii X. in contrarium.*

18 *Regulares approbati ab Episcopo ad confessiones sæcularium, si contra voluntatem suorum Prælatorum audiant confessiones, peccant mortaliter, vel venialiter, secundùm obligationem statuti aut mandati prohibentis, validè tamen absolvunt.*

19 *Non poterunt tamen hi Regulares absolventes sine licentia suorum Superiorum uti privilegiis suæ Religionis, contrarium tenent alii, ut probabile.*

20 *Quando Prælatus prohibet alicui confessiones audire, ob defectum v. g. scientiæ, vel ex alia causa, non censetur auferre jurisdictionem, si aliàs non explicet, vel ex alio capite colligatur.*

INprimis, ut certa ab incertis separemus, suppono Regulares esse habiles ad audiendas sæcularium confessiones. Ita illis concesserunt multi Pontifices, tum specialibus Bullis, tum in aliquibus Extravagantibus, quas latè refert Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 6. *num.* 1. & nost. Augustin. *supra cit. V. confessio sæcularium.* & tandem Joann. XXII. in Extravaganti, *vas electionis*; de fide definivit confessionem factam Regularibus approbatis cum cæteris requisitis esse validam, etiam renuente parocho, & nullatenus coram suo parocho repetendam esse. 1 2

Secundò suppono, quod licèt antiquitùs Regulares solum approbati à suis Prælatis potuerint sæcularium confessiones audire, ut ex multis privilegiis probat Lezana *Tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 2. attamen 3

post Tridentinum, in confesso est apud omnes, requiri approbationem Episcoporum, & si quæ post Tridentinum privilegia emanarunt audiendi sæcularium confessiones, absque prævio examine & approbatione Episcoporum, ea omnia cassavit, & annullavit Urbanus VIII. in quadam Bulla edita anno 1620. quam refert Lezana *supra* Sed quāvis hæc ita sint, non tamen adeò strictè accipienda sunt, ut in aliquo casu non liceat Regularibus sæculares confitentes audire absque approbatione Episcoporum.

4 Dico igitur I. Regulares cum sola licentia suorum Superiorum possunt sine licentia Ordinarii, etiam in Paschate, & mortis articulo ministrare Sacramentum Pœnitentiæ suis famulis commensalibus. Ita concessit Innocent. VI. *Bulla* 1. & Carmelitis Sixtus IV. *Bulla* 37. & Minimis Leo X. *Bulla* 41.

Nec Tridentinum his privilegiis contrarium est, siquidem quoad hoc nihil innovavit, sed jus antiquum explicavit. Ita Cruz, Peyrinis, Rodrig. Suar. Barbosa, & alii, quos refert & sequitur Lezana *Tom.* 2. *cap.* 16. *numer.* 16. ubi ait ita esse declaratum à Sacra Congregatione, quod etiam testatur Belasius *verbo* confessarius *n.* 18.

5 Immò possunt suos alumnos degentes in suis Conventibus etiam à casibus Episcopo reservatis absolvere, cum sint Regularium commensales. Ita Cespedes, quem refert Pellizzarius *Tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 3. *sect.* 2. *num.* 56. qui addit cum eodem Cespede præfatos alumnos frui omnibus privilegiis, quibus fruuntur Regularium famuli.

6 Dico II. Regulares Episcopo præsentati, si illis injustè Episcopus licentiam denegaverit, ipso jure approbati manent ad confessiones sæcularium audiendas. Ita habetur in Clement. *Dudum de sepulturis* pro Prædicatoribus, & Minoribus, quæ facultas postea extensa fuit pro Carmelitis, & Augustinianis *in Extravag.* frequenres *de judiciis*, quæ non sunt revocata in Tridentino, siquidem de illis non facit expressam mentionem, ut necessarium erat Ita Layman, Pinellus, Villalob. Peyrinis, Miranda, Sotus, Cruz, Rodrig. Vega, Graffius, Cenedus & alii quos refert, & sequitur Diana 3. *part. tract.* 2. *resol.* 24. Cellotius, Cœlestinus, quem refert, & sequitur Diana 6. *p. tract.* 7. *resol.* 60. Lezana, quem refert, & sequitur Belasius *verbo* confessarius *numer.* 5. quidquid in contrarium dicant Suar. Coninch. Vasq. Barbos. & alii, quos refert *ibi* Diana.

Dico III. Regulares non possunt sine justa causa, & quidem ad confessiones pertinente ab Episcopo approbari cum limitatione ad tempus, locum, & personas. Ita Villalob Vega, Peyrin. Zanard. quos refert Diana 3. *p. tract.* 2. *resol.* 25. Cellotius, Zambellius, Præpositus, quos refert Diana 6. *part. tract.* 7. *resol.* 61. Lugo, quem refert, & sequitur Pasqualig. *Tom.* 2. *decisione* 500. *n.* 2. Delbene *Tom.* 2. *cap.* 14. *dub.* 18. *sect.* 11. *numer.* 30. contra Fagund. Suar. & alios, quos refert, & sequitur Diana *supra*. 7

Immò semel approbati ab Episcopo, non possunt ab eodem Episcopo iterum examinari, & licentia data revocari absque justa causa ad confessiones pertinente. Ita Joan. Sancius, Zanard. Peyrinis, Miranda, Navar. & alii quos refert idem Dian. 3. *part. tract.* 2. *resol.* 22. Martin. à S. Joseph *fol.* 474. *num.* 4. Lugo *de pœnit. disp.* 11. *sect* 3. §. 1. *n.* 6. & alii, quos refert, & sequitur Delbene *Tom.* 2. *cap.* 14. *dub.* 18. *sect.* 11. *numer.* 34. Dicastill. *de pœnit. tract.* 8. *disp.* 10. *dub.* 11. *num.* 321. Cellotius, Bauny, Præpositus, quos refert Diana 6. *p. tract.* 7. *resol.* 62. contra Suar. Turrianum, Vasq. & alios, quos ibi refert Diana. Ita concessit Pius V. *in Extravag. Romani Pontificis providentiæ*; & de hoc datur quædam Cardinalium declaratio, quam refert Lezana *Tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 7. 8

Nec mortuo Episcopo expirat facultas concessa Regularibus, nec Capitulum Sede vacante eam revocare potest, ut constat ex privilegio Clement. IV. ut cum Fagund. & Miranda notavit Diana 3. *part. tractat.* 2. *resolut.* 27. Delbene *supra n.* 26. 9

Immò si successor non revocet, semper durat approbatio; poterit tamen Episcopus Successor ad majorem quietem animæ suæ, iterum examinare Regulares, non tamen potest simul omnes confessores unius Conventus privare munere confessorum. Ita Declaratum est à Sacra Congregatione, ut testatur Lezana *ibi num.* 9. Vide etiam Dian. 10
3. *p. tract.* 2. *resol.* 27. Cruz *lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 4. ubi ait probabile esse approbationem Mendicantium esse perpetuam, ut patet ex Extravag. *Inter cunctos*; & tenent Silvest. Fum. Vega, Rodrig. Baptista, Salas, 11
Villalob. quos refert, sed non sequitur Delbene *Tom.* 2. *cap.* 14. *dub.* 18. *sect.* 11. *num.* 24.

12 Dico IV. Regulares approbati in uno Episcopatu, dum itinerantur, possunt, non repugnantibus parochis quorumlibet fidelium, in quacumque Diœcesi confessiones audire, dummodo eo loco non adsit Ordinarius. Ita habetur *in Clement. dudum*,

dum, & illis concessit Sixtus IV. & Gregor. XIII. *in Bulla, Ad perpetuam* apud Lezan. *Tom.1.cap.19.n.5.* & tenet Rodrig. Suar. quos refert, & sequitur Palaus *Tom.4.tract.23 disp.unica puncto 14.numer.13.* Cruz *lib.2.cap.6.dub.5.conclus.2.* Peregrin. Mirand. quos refert Diana 3. *part. tract. 2. resolut.* 523. quicquid *ibi* in contrarium dicant Diana, & Lezana.

13 Immò probabile est Regularem approbatum in uno Episcopatu juxta formam Tridentini manere approbatum pro toto orbe, & nulla alia indigere approbatione in alio Episcopatu. Ita concessit Clemens VII. Minoribus, & Sixtus V. presbyteris Congregationis oratorii *in Bulla, Decet Romanum*, apud Bordon. *Tom.1. resol.6. numer. 2.* Ita docent Cellotus, & Præpositus, quos refert Diana 6.*part. tract.7.res.59.* Coninch quem refert Urban. *Tract. 2.dist.1 cap.1.regula 5.* Bauny.1.*part.tract.4.quæst.4.* Mansius, Medina, Henriquez, quos refert & sequitur Martin. à S. JOSEPH *fol. mihi* 547. Trull. *praxi Sacramentorum disp.8.dub.7.numer.57.* Amicus *de pœnit. disp.15.sect.3.num.123.* Antonilez, Leand. à Murcia, & probabilem putat alter Leander. *de Sacram.* quos refert Dian. 10. *p.tract.14. resolut.* 23. licet contraria, communis, & probabilior sententia sit, ut testatur Diana *6.p.tract.7, resol.59. & 10.p loco citato.*

14 Nec obstat quædam Urban. VIII. declaratio sive Constitutio, quam ibi refert Diana & Lezana in qua videtur contrarium definiri. Respondetur namque Pontificem ibi tantùm revocare privilegia generalia absolvendi sæculares absque approbatione, & examine Ordinarii. Unde non loquitur in nostro casu; nam supponimus hunc Regularem deberi semel esse in uno Episcopatu approbatum, intra formam Tridentini.

15 Et licet Diana 10.*p.tract.14.resol.23.* contendat hanc sententiam non esse probabilem propter quamdam declarationem & Bullam Innocent. X. in causa Angelipolitana anno 1648. in qua Bulla ad novum dubium respondit, Regulares in una Diœcesi approbatos nequaquam posse in alia Diœcesi confessiones audire sine approbatione E-

16 piscopi Diœcesani. Fallitur tamen ipse Diana, nam hujusmodi Bulla, quam etiam refert Lezana *in consiliis, Tom.6 aut juxta alios 4. consilio 40.n.110.* vel nihil prob. t, siquidem in illa tantùm postulatur approbatio ab Episcopo, ut intuenti patebit, vel dato, quod loquatur de quolibet Diœcesano, ut contendit Diana, tantùm hoc procedit pro Episcopatu Angelipolitano, in Indiis occidentalibus ad sedandas lites, & scandala, ibi inter Episcopum, & Patres Societatis subortas. Ita Lezana *loco citato consilio 40. num.113.* Unde nostra sententia 17
adhuc probabilis est, ut antea, & non improbabilis, ut contendebat Diana. Nam illud Breve Innocent X. nihil ei saltem in his partibus præjudicat.

DICO V. Regulares approbati ab Episcopo ad 18
confessiones sæcularium audiendas, si contra voluntatem suorum superiorum illas audiant, peccant mortaliter, vel venialiter, secundùm obligationem, seu qualitatem statuti prohibentis, propter votum obedientiæ, quod sic faciendo transgrediuntur: Navar. quem refert, & sequitur Lezana *Tom.1.cap.19.num.12.* Megala, Molfesius, quos refert, & sequitur Diana *1.part.tract.11.resol.* 13.

Validè tamen absolvunt, cum revera habeant 19
potestatem Ordinis & jurisdictionis. Ita Pitigian. Nugnus, Salas, Angelus, Cruz, Vidal. Homobon. Mirand. quos refert, & sequitur Diana *1.p.tract. ut supra*, Delbene *Tom.2.cap.14.dub.18.num.1.* Candid. *Tom.2. disquisit.24.art.56.dub.11.* contra Silvest. Portel, Rodrig. Bossium, & alios, quos refert & sequitur Bordon. *Tom.1. resolut. 36.numer.* 41.

Non poterunt tamen hujusmodi Regulares sic 20
audientes confessiones contra voluntatem suorum Prælatorum in talibus confessionibus uti privilegiis suæ Religionis, quia non fuêre expositi à suis Prælatis, licet contrarium etiam probabiliter teneat Pellizzarius *Tom.2.tract.8.cap.3.sect.2. n.* 17. ubi dicit etiam in hoc casu posse uti suis privilegiis.

Adverte tamen, quod si prælatus prohibeat alicui Regulari confessiones audire ob defectum scientiæ, vel ex alia causa, non censeri auferre ab illo jurisdictionem, nisi explicet, vel ex aliis circumstantiis constet; nam illa prohibitio solum facit factum illicitum, non tamen nullum, Rodrig. Miranda, quos refert, & sequitur Delbene *supra nu.6. & 8.* Vide, quæ circa materiam ac quæstiones hujus §. eruditè disserunt nostri Gabriel à S. Vincentio *part.3. de Sacram. disp. 9. de pœnit. quæst. 6.* Francisc. Bonæ Spei *Tom.6.tract.5.disp.11. dub.1. & 2.* & Urban. ab Ascensione *Tract. 2. dist. 1. cap. 1.*

§. 2.

A quibus peccatis, & censuris possint Regulares absolvere sæculares.

21 *Regulares possunt absolvere sæculares ab omnibus casibus nemini reservatis, & idem dicendum est de excommunicationibus.*

22 *Regulares de jure communi absolvere possunt sæculares à casibus extra jus commune Episcopis reservatis.*

23 *Regulares absolvere possunt ab omnibus casibus Episcopo, tam ab ipso, quàm à jure, quàm consuetudine reservatis.*

24 *Et hoc post decretum Clementis VIII. certum erat extra Italiam.*

25 *Nunc post decretum Urbani VIII. probabilius est de casibus jure communi Episcopis reservatis.*

26 *Probabile verò de omnibus, tam de jure communi, quàm de illis, quos specialibus edictis sibi Episcopi reservant, quidam putant.*

27 *Congregatio Cardinalium an possit privilegia Regularium revocare?*

28 *Decretum revocans privilegia Regularium, etiam Pontificium non valet, nisi fuerit illis certa solemnitate intimatum, & promulgatum.*

29 *Debet esse receptum, ut obliget,*

30 *Facultas, quam Regulares habebant absolvendi à casibus Episcopo reservatis, non fuit abrogata à Tridentino, nec à decretis sacræ Congregationis.*

31 *Regulares expositi à suis Prælatis, & approbati ab Episcopo, possunt tam intra, quàm extra Conventus extra Italiam absolvere ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis extra Bullam Cœnæ.*

32 *Regulares intra Italiam possunt absolvere ab omnibus casibus Papalibus, quinque exceptis.*

33 *Regulares extra Italiam absolvere possunt à censuris violationis immunitatis Ecclesiasticæ, violationis clausuræ monialium, provocantium ad duellum, simoniæ realis, etiam confidentialis scienter contractæ.*

34 *Atque etiam injicientium manus violentas in clericos, etiamsi læsio enormis fuerit.*

35 *Absolvere possunt à censuris, & pœnis abortus fœtus animati.*

36 *Absolvere possunt Regulares non solùm excommunicatos per sententiam generalem à jure, vel ab homine, sed etiam nominatim & specialiter excommunicatos: seu aliis sententiis ligatos, per sententiam ab homine latam, dummodo hoc fiat satisfacta parte, & exceptis casibus Bullæ Cœnæ.*

37 *Hac facultate non possunt uti Patres Societatis sine speciali licentia suorum Prælatorum.*

38 *Regulares possunt absolvere à prædictis casibus Papalibus in foro conscientiæ, etiamsi sint publici, & ad forum contentiosum deducti.*

39 *Privilegia concedentia absolutè facultatem sine limitatione pro interno, vel externo foro, absolutè intelligenda sunt, etiam pro foro externo.*

40 *Ut absolutio censurarum valeat, debet fieri parte satisfacta. Et ut prosit pro foro externo, debet pœnitens afferre schedulam à Confessario, & debet acceptari à Prælato, interim verò debet pœnitens in foro externo se gerere, ut excommunicatus.*

41 *Regulares non possunt absolvere à casibus publicis Bullæ Cœnæ.*

42 *Aliqui excipiunt aliquos casus, & qui sint?*

43 *Alii affirmant Regulares posse absolvere ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ.*

44 *Cùm quotannis revocentur privilegia Regularium per Bullam Cœnæ, hæc revocatio debet revocare privilegia, altem pro sæcularibus.*

45 *Regulares non possunt absolvere ab hæresi occulta.*

46 *Alii Doctores contrarium docent.*

47 *Illorum fundamentum proponitur & diluitur.*

48 *Regulares absolvere possunt receptores, fautores, defensores hæreticorum, legentes, imprimentes, & tenentes hæreticorum libros, solicitantes mulieres in confessione, superstitiosos, magos, blasphemos, adoratores dæmonum, nigromanticos, & ab aliis excommunicationibus, contentis in edictis Inquisitorum, dummodo non detur error in intellectu.*

49 *Regulares absolvere possunt ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ occultis, exceptâ hæresi.*

50 *Regulares non possunt absolvere sæcularem à casibus publicis Bullæ Cœnæ, etiam exceptâ hæresi, quando datur impotentia adeundi Papam, & urget necessitas.*

51 *Quando datur impotentia adeundi Papam, casus publici Bullæ Cœnæ competunt Episcopo per delegationem.*

52 *Si quis per seipsum recurrere non potest ad Papam, vel saltem ad Inquisitores pro absolutione hæresis, non tenetur secundùm aliquos recurrere ad illos, vel ad pœnitentiariam, per nuntium, vel epistolam, vel procuratorem, sed potest ab Episcopo, vel privilegiatis absolvi.*

53 *Si impedimentum non fuerit perpetuum, debet Confessarius absolvere à censuris ad reincidentiam, & cum cautione saltem juratoria comparendi.*

54 *Si impedimentum est perpetuum absolutè, & simpliciter est absolvendus in eadem sententia.*

55 *Si in prædictis casibus est facienda aliqua satisfactio, talis satisfactio, si fieri potest, præmittenda est absolutioni; & quid faciendum sit, si non sit possibilis satisfactio?*

56 *In casu, quo dantur prædicta impedimenta, adeundi Papam, possunt Parochi absolvere suas oves ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ, & etiam ab hæresi juxta sententiam aliquorum.*

57 *In omnibus casibus, in quibus Regulares absolvere possunt à censuris, absolutio dari potest extra Sacramentum.*

58 *Si quis propter ignorantiam non incurrat excommunicationem, casus non manet reservatus, si aliàs simul cum censura reservatus erat.*

59 *Si peccatum in aliqua Diœcesi reservatum, committatur in aliquo Conventu Regularium, non manet reservatum.*

In quo sensu cuncta supradicta admittenda sint?

21 DIco I. Confessarii regulares possunt inprimis absolvere omnes sæculares ab omnibus casibus, qui summo Pontifici, aut Episcopo, aut aliis Superioribus non fuerint reservati, quia ut habetur in regula Juris, *in cap. Nuper de sententia excommunicationis*, quæ specialiter non reservantur, jure concessa censentur: Miranda, quem refert, & sequitur Lezana *Tom.* 1. *cap.* 19. *num. decimoquarto.*

Idem dicendum est de omnibus excommunicationibus non reservatis propter eandem rationem. ita noster sapientissimus Petrus Cornejo *Tom.* 2. *in* 3. *part. Tract.* 5. *de excommunicat. disp.* 11. *dub.* 1. loquens de censura juris nemini reservata, & *dub.* 3. de censura hominis nulli reservata; quem *ibi* refert, & sequitur Lezana, Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 6. *num.* 16.

DICO II. Probabile est Regulares de jure communi posse absolvere sæculares à casibus extra jus commune Episcopis reservatis. Ita Antoninus, Silvest. Tabiena, Armilla, Panormitanus, quos refert, & sequitur Cruz *lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 7. *conclus.* 3. Angelus, Felinus, quos refert, & sequitur Rodriq. *Tom.* 1. *quæst.* 6. *art.* 2. Sorbus, quem refert Bordon. *Tom.* 1. *resolut.* 6. *num.* 81. & probabilem putat Suar. *de Pœnitentia, disp.* 30. *sect.* 2. *num.* 10. Quintanad. quem refert Diana 9. *part. tract.* 6. *resolut.* 51. N. Urban. *Tract.* 2. *dist.* 1. *cap.* 1. *regula* 7. Et probatur ex *Clement. Dudum de sepulturis*, ubi illis conceditur hujusmodi facultas, ut benè probat Cruz *suprà*, & alii. 22

DICO III. Regulares per sua privilegia absolvere possunt ab omnibus casibus, Episcopo, tam ab ipso, quàm à consuetudine, quàm à jure reservatis. Ita Eugenius IV. Benedictinis *Bulla* 2. Urban. IV. ut constat ex Bulla Sixti IV. concessit Carmelitis, ut audire possint fidelium confessiones, & ab omnibus casibus & peccatis eos absolvere, nisi talia forent, propter quæ meritò Sedes Apostolica consulenda esset. Et Eugenius IV. ut constat ex eadem Bulla Sixt. IV. concessit eisdem Carmelitis eandem in hoc facultatem, quam habent ex officio Minores pœnitentiarii Romanæ Curiæ. Et idem concessit Paulus III. Pius V. Julius II. Societati, ut testatur Palaus *Tom.* 4. *tract.* 13. *disp. unica, p.* 14. *num.* 14. Idem concessit Sixt. IV. Minimis *Bulla* 2. apud Peyrinis *ad Constit.* 1. *Julii*, §. 36. *num.* 67. Hæc ante Decretum Clement. VIII. & Urban. VIII. & Innoc. X. quæ refert Dian. 10. *part. tract.* 13. *resol.* 22. inoffenso pede currebant apud DD. at post dicta decreta, & Congregationis Sacræ declarationem, maxima contentio est inter Doctores, & ut certa ab incertis separamus. 23

DICO IV. Post Clement. VIII. decretum extra Italiam certum erat posse Regulares absolvere à prædictis casibus Episcopo reservatis. Ita Portel. *in dub. regul. verbo* Confessor erga sæculares, *num.* 22. Rodrig. & alii, quos refert & sequitur Villalob. *part.* 1. *tract.* 9. *difficult.* 62. *num.* 1. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 16. Nald. quem refert, & sequitur Peyrinis *ad constit.* 2. *Julii II. num.* 62. Acunna *de Jubilæo, cap.* 10. *dub.* 8. Lugo *de Pœnit. disp.* 20. *sect.* 1. Bauny *Tom.* 1. *tract.* 4. *quæst.* 33. *dicto* 1. & constat ex ipsismet verbis: *Per universam Italiam extra urbem degentes.* 24

Tota

Tota igitur difficultas est, post Decretum Urbani VIII. quod absque dubio prohibet omnibus Regularibus, etiam extra Italiam, & in urbe Româ degentibus, absolvere à casibus ordinariis reservatis, ut patet ex ipso Decreto Sacræ Congregationis exten'o apud Peyrinis *Tom. 3. privilegiorum, cap. 2. num. 38.*

An adhuc non obstante tali Decreto, Regulares absolvere possint à prædictis casibus? Negant Aversa, Peyrinis, Peregrin. Lezan. Bordon. & alii, quos refert, & sequitur Diana 9. *part. tract. 6. resolutione* 51, & 10. *part. tract.* 13. *resolutione* 22.

25 Verùm contraria sententia probabilis est. Et in primis loquendo de casibus de jure communi Episcopis reservatis, tenent hanc sententiam Aversa, quem refert, & sequitur Diana 8. *part. tract.* 7. *resol.* 71. Sanch. Merola, quos refert, & sequitur Delbene *Tom. 2. cap. 19. dub. 69. num.* 15. Peyrinis, Floronus, Belochius, Lezan. quos refert, & sequitur Vidal. *titulo* de casibus reservatis, *inquisit.* 1. *num.* 68.

26 De omnibus verò tam reservatis jure communi, quàm quos specialibus edictis Episcopi sibi reservârunt, tenent hanc sententiam Quintannad. quem refert Diana 9. *p. tract. 6. resol.* 51. noster Urban. *Tract. 2. dist. 1. cap. 1. regula* 7. Bonacin. *Tom. 1. tract. quæst. 33. dicto* 2. Martin. à S. JOSEPH. *fol. mihi* 530. Thomas Tambur. *in Methodo Confessionis, lib. 3. cap. 5. §. 4. num.* 17. Vidal. *in arca Theologiæ moralis, titulo de* casibus reservatis, *inquisit.* 1. *num.* 121. qui omnes dicunt, non obstante Decreto Urbani VIII. adhuc posse Regulares absolvere sæculares, etiam à casibus, quos Episcopi speciali edicto reservant sibi.

27 Ratio autem est; quia dato, quòd Cardinalium Congregatio revocare posset per suam declarationem privilegia, quod negat Bauny ubi supra, hoc tantùm concedens Pontifici, debebat tale Decretum intimari Regularibus eo modo, quo debebat juxta privilegium Gregor. XIII. apud Dianam
28 3. *part. tractat. 2. resolutione* 78. Item debebat promulgatum esse in omnibus Provinciis, ut latè probat Quintannad. apud Dianam 9. *part. tractat. 6. resolutione* 51. at hoc Decretum nec fuit intimatum Regularibus modo dicto, ut latè probat Vidal. *loco citato*, nec fuit promulgatum in omnibus Diœcesibus, ut probat Quintannad. *supra*, neque acceptatum fuit, ut cum multis probat Quintannad. *suprà*: ergo nullo modo obligat.

Confirmatur, quia dato, quòd tale Decretum 29
fuerit modo dicto intimatum, promulgatum, & authenticum, immò & receptum, adhuc non derogat privilegiis, quæ habent Regulares ad absolvendum à casibus Episcopo reservatis.

Nam, ut notavit Thomas Tamburin. *in Me-* 30
thodo Confessionis, lib. 3. cap. 7. §. 4. num. 17. hoc Decretum solùm revocat facultatem absolvendi à casibus Episcopo reservatis, quam Tridentinum, & decreta Sacræ Congregationis abrogaverant; sed facultas absolvendi à casibus Episcopo reservatis, qua Mendicantes gaudent, non fuit abrogata à Tridentino, & decretis Sacræ Congregationis; Nam licet ibi dicatur, quòd non possint absolvere in vi privilegiorum, intelligitur de privilegiis ante Tridentinum: Et de eorum confirmationibus, ut legenti talia privilegia patebit: ergò cùm aliàs Mendicantes habeant nova privilegia post Tridentinum, hæc per tale decretum censentur revocata. Ita Thom. Tambur. *suprà*, & eodem prorsus modo, & eisdem solutionibus respondendum est ad Cardinalium declarationem, factam de mandato Innocentii X. anno 1647. Non enim majoris roboris, aut efficaciæ est, quàm illa Urbani VIII. Immò nobis non constat de illa authenticè, quod necessarium erat, ut *suprà* dictum est. Interim non intermittat Lector videre, quæ circa hanc difficultatem tradit nost. suprà cit. Franciscus *loc. cit. disp. 10. dub.* 4. observatione dignissima.

DICO V. Regulares expositi à suis Prælatis, & 31
approbati ab Ordinario, possunt tam intra, quàm extra Conventus extra Italiam absolvere ab omnibus peccatis, & quibuscumque censuris Sedi Apostolicæ reservatis, extra Bullam Cœnæ. Ita concessit Paulus III. *Bulla* 7. quæ gratia non est revocata, ut declaravit Gregor. XIII. & tenent hanc sententiam Sorbus, Cruz, Portel. Miranda, & alii, quos refert, & sequitur Bordon. *Tom. 1. resolutione 6. num.* 1. Suar. & alii, quos refert, & sequitur Palaus *Tom. 4. num. 23. disput. unica, part.* 14. N. Urban. *loco cit. regul.* 4. Lezana *Tom. 1. cap. 19. num.* 16. & declaratum est à Sacra Congregatione anno 1618. ut testatur idem Lezana. Pro illis verò, qui sunt intra Italiam, ex- 32
cluduntur *ibi* quinque casus, de quibus, si velint Itali, consulant nostros, Lezanam, & Urbanum. In nostra namque sententia talis revocatio non illis nocet, si aliàs tale decretum non fuit ab illis acceptatum, nec intimatum, nec promulgatum; sed ipsi de hoc videant.

Hinc

33 Hinc fit, Regulares saltem extra Italiam absolvere posse à censuris violationis immunitatis Ecclesiasticæ, violationis clausuræ monialium ad finem malum, provocantium, vel pugnantium in duello, simoniæ realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ benefic alis, injicientium manus violentas, in clericos, sive læsio fuerit levis,
34 sive mediocris, vel enormis. Ita Lezana *Tom.* 3: *verbo* Clericus, *num.* 18. Naldus, quem refert Diana 9. *part. tract.* 4. *resolutione* 53. & alii, quos refert, & sequitur Bordon. *Tom.* 1. *resolutione* 6. *num.* 13. Sanchez, Merola, quos refert, & sequitur Delbene *Tom.* 2. *de jurisdictione Ecclesiastica, cap.* 18. *dub.* 69. *num.* 15. Vidal. *de casibus reservatis, inquisit.* 1. *num.* 107. *& disquisit. de censuris, num.* 24. *& disquisit. de duello, num.* 6. Omnes namque hi casus sunt Papales extra Bullam Cœnæ, & solùm reservantur in decreto Clement. VIII. pro Italis, non verò extrà Italiam, ut videre est apud DD.

35 Insuper absolvere possunt à censuris, & pœnis abortus fœtus animati, non obstante Constitutione Gregor. XIII. Tum, quia postea fuit de novo concessus hic casus Congregationi Clericorum regularium à Paulo V. non obstante Constitutione Sixti IV. Tum, quia hic casus non est Papalis, ut patet ex Constitutione Gregor. XIV. Ita Scortia, Peregrinus, & alii, quos refert, & sequitur Peyrinis *ad constit.* 2. *Julii II.* §. 32. *num.* 65.

36 Secundò fit, Regulares per sua privilegia absolvere posse non solùm excommunicatos per sententiam generalem à jure, vel ab homine, sed etiam nominatim, & specialiter excommunicatos, seu aliis sententiis ligatos per sententiam ab homine latam, dummodo hoc fiat satisfacta priùs parte, & exceptis casibus Bullæ Cœnæ, de quibus *infra* erit sermo. Ita Portel. *in dub. regular. verbo* Confessor erga censuras, *num.* 28 Medina, quem refert, & sequitur Rodriquez *Tom.* 1. *quæst.* 61. *art.* 6. Joan. à Cruce *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 1. *conclus.* 1. Suar. *Tom* 4. *de religione, lib.* 9. *cap.* 2. *num.* 22. *tract.* 10. Thomas Tamburin. *in Methodo Confessionis, cap.* 6. §. 4. *lib.* 3. *numero* 12. Peyrinis *de privileg. Tom.* 1. *ad Constitut.* 2. *Julii II. num.* 62. Pellizzarius *Tom.* 2. *tractatu* 8. *cap.* 3. *sect.* 2. *num.* 88. quidquid contradicat cum Lezana Belasius *verbo* Absolutio, *num.* 13.

Et ratio est, quia licet Leo X. *Bulla* 45. decreverit, non posse Religiosos absolvere sæculares à sententiis ab homine latis, revocando contraria privilegia, postea prædicta privilegia confirmata, & revalidata fuêre, & de novo concessa per Paulum V. & Urban. VIII. ut testatur Cruz *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 1. *conclus.* 1. Tum, quia post illam revocationem factam à Leone X. postea Paulus III. *Bulla* 3. ut testatur Suar. *suprà*, concessit Societati, ut ab omnibus censuris, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ, possent absolvere: unde cùm nullam excipiat, non est, cur nos censuras ab homine latas, excipiamus. Tum, quia Sixtus IV. *Bulla* 2. apud Peyrinis *ad eamdem constit. Sixti IV.* §. 6. concessit Minimis absolvere posse ab excommunicatione, suspensione, & interdicto, ac irregularitate, tam à jure, quàm ab homine reservatis, quoties opus fuerit, sicut potest Diœcesanus, quam Bullam postea declaravit, & confirmavit Julius II. *Bulla* 2. §. 32. ut testatur Cruz *suprà*, & Peyrinis *ibi*.

Adverte tamen cum Thom. Tamburin. *ubi suprà*, Patres Societatis non posse uti hujusmodi facultate absolvendi nominatim excommunicatos per sententiam ab homine, sine speciali licentia suorum Superiorum. 37

Secundò adverte, Regulares absolvere posse à prædictis casibus Papalibus, & Episcopalibus in foro conscientiæ, etiamsi casus sint publici. Immò etiam si deducti sint ad contentiosum forum. Ita cum Sanchez *in Decalog. libro sexto, cap.* 17. *num.* 43. Covar. Rodriguez, Merola, Sorbus, Diana, & alii, quos refert, & sequitur Delbene *Tom.* 2. *cap.* 19. *dub.* 82. *num.* 3. ubi rationes contrarias solvit, Vidal. *tit. de* casibus reservatis, *inquisit.* 1. *num.* 107. Nam cùm privilegia absolutè concedant licentiam ad absolvendum à prædictis casibus, sine ulla limitatione; à nobis limitanda non sunt. Imò talis absolutio valet non solùm pro foro interiori, sed etiam pro externo, sive censura sit à jure, sive ab homine. 38
Ita Covar. Henriquez, Corduba, Sotus, quos refert, & sequitur Avila *de censur.* 2. *part. disp.* 3. *dub.* 12. Navarr. & alii, quos refert, & sequitur Sayrus *de censur. libro secundo, cap.* 20. *num.* 3. Coninch. *de Sacram. disput.* 14. *dub.* 16. *num.* 64. & alii, quos refert, & sequitur Trullenc. *libro* 1. *in Cruciatam*, §. 7. *cap.* 2. *dub.* 10. *num.* 1. & in simili casu Lezana *Tom.* 5. *in Mari magno Minorum*, §. 40. *num.* 113. Pellizzarius *Tomo secundo, tract.* 8. *capite tertio, sect.* 2. *num.* 91. & 92. Cruz, quem refert, & sequitur Thom. Tamburin. *in Methodo Confessionis, libro tertio*, §. 4. *num.* 12. 39

Debet

40 Debet tamen hujusmodi absolutio censurarum fieri satisfacta parte, si aliàs commodè possit. Ita Sanchez Bonacin. quos refert, & sequitur Candidus *Tomo 1. disquisitione de censur. artic. 53. dubio 3.* & ut valeat in foro externo, debet pœnitens afferre schedulam a suo confessario, & debet acceptari à Prælato, interim tamen debet pœnitens se gerere in foro externo, ut excommunicatus, aliàs minueretur auctoritas Prælatorum. vide Trullenc. *supra* & Castr. Palaus *Tomo 4. disputatione unica tract. 25. parte 18. numero 11.* Pellizzarium *loco, & num. supradicto.*

41 Dico VI. Regulares nullo modo absolvere possunt ab aliquo casu publico Bullæ Cœnæ. Ita supponunt communiter Doctores, & constat ex eadem Bulla, licet aliqui excipiant illos, qui bona naufragantium rapuêre, ut sunt Palaus *Tom. 4. tractat. 23. part. 14. numero 14. disput. unica.* Portel *in dub. regular. verbo* Bullæ Cœnæ *num. 3.* ex privilegio Gregor. XIII.

42 Immò Crousers, quem refert Diana *6. part. tractat. 6. resolutione 54.* ausus est affirmare ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ posse Regulares absolvere, præter eos, ob quos sedes Apostolica consulenda esset ex privilegio Urbani IV. Bulla, quæ incipit *Vobis ad hoc*, quæ Bulla cum non determinet, an solùm in foro conscientiæ intelligenda sit, an etiam in foro fori, cum favores sint ampliandi, pro utroque foro intelligenda est. Et eodem modo de-
43 bet interpretari Crousers, juxta ea, quæ docet Peyrinis *in formulario Prælatorum litera N. capite 1. numero 3. in fine.*

Quidquid tamen de hoc sit, revera prædicti Doctores falluntur: nam cum quotannis revocentur prædicta privilegia Regularium in Bulla Cœ-
44 næ, aliquid talis revocatio operari debet. Undè cùm non revocet Religiosorum privilegia in ordine ad se ipsos, ut *suprà* diximus, ad minùs debet illa revocare in Ordine ad sæculares, ut cum aliis notavit Peyrinis *Tomo 3. privilegiorum cap. 2. numero 35.* ubi addit ita declaratum esse à sacra Congregatione. Undè existimo à communi sententia non esse recedendum, & in hoc sensu intelligo locutum fuisse Crousers.

45 Dico VII. Regulares ratione suorum privilegiorum nullo modo possunt absolvere sæculares ab hæresi etiamsi sit occulta. Hæc sententia communis est, ut testatur Diana pluribus in locis statim referendis, non desunt tamen Doctores contrarium affirmantes, ita namque tenet Crousers quem refert Diana *6. parte tractatu 6. resolutione* 54. qui absolutè affirmat posse Regulares sæculares absolvere ab hæresi occulta, quam sententiam approbat Urbanus *tractatu 2. dist. 1. regula 8.* saltem pro Gallia, & illam absolutè, & expressè docet novissimè Vidal. *de casibus reservatis inquisitione 1. numero 99.* ubi dicit hoc debere affirmare omnes illos, qui dicunt Regulares absolvere posse à casibus, qui per Tridentinum competunt Episcopis. Et eandem sententiam videntur tenere Mazuchellus, & Bossius, quos refert Diana *5. part. tractat. 12. resolutione 35. & 8. part. tractatu 7. resolutione 67.* Et tandem eandem sententiam novissimè docet 46
Bassæus *verbo* hæresis *numero 18.* ubi dicit hanc opinionem visam in consistorio sacræ Congregationis, anno 1629. die 18. Julii, ut probabilem fuisse toleratam.

Ratio fundamentalis horum Doctorum est, quia Regulares juxta privilegia suprà citata absolvere possunt sæculares ab omnibus casibus, à quibus possunt Episcopi jure ordinario; sed hæresis occulta est Episcopis reservata, tam jure antiquo, quam novo in Tridentino: ergò Regulares eodem modo, & eadem probabilitate absolvere possunt ab hæresi occulta sicut Episcopi: ita ratiocinatur Vidal. *ubi suprà*, sed huic rationi, quæ in hac re maxima est, meo videri; respondetur non sufficere ad 47
hoc, ut Regulares possint absolvere ab hæresi occulta, quod possint absolvere ab omnibus casibus Episcopalibus, sed ultrà hoc requiri, quod in tali privilegio fiat specialis mentio hæresis, ut cum multis probat Diana *6. part. tractatu 6. resolutione 54.* undè cum in nostris privilegiis non fiat talis mentio, benè tamen in privilegio Episcoporum, inde est, quod licèt Episcopi possint absolvere ab hæresi occulta (de quo non disputamus) non tamen Regulares. Ita cum multis Diana *suprà*. Undè sententia contraria omninò rejicienda est.

Dico VIII. Licèt Regulares absolutè non pos- 47
sint absolvere ab hæresi occulta, possunt tamen absolvere receptores, fautores, defensores hæreticorum, legentes, tenentes, & imprimentes hæreticorum libros, solicitantes mulieres in confessione, superstitiosos, magos, blasphemos hæreticaliter, adoratores dæmonum, Nigromanticos, & ab aliis excommunicationibus, contentis in edictis inquisitorum, dummodò non detur error in intellectu & credant omnia ab Ecclesia determinata, sed tantùm illa crimina committant ob sensualitatem, vel iracundiam, seu ex aliquo alio motivo, ita Portel, Freitas Acugna, quos refert Diana *1. parte, tractatu 5. resolutione 8.* Trimarchius, Bossius, quos refert Bor-

Bordon. *resolutione* 9. *num.* 19, Trullenc. *in decalogo lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 6. *numero* 4. Vidal. *titulo* de casibus reservatis *inquisitione* 1 *numero* 150. & debent tenere omnes Doctores, qui dicunt posse confessarios per Bullam Cruciatæ à prædictis absolvere, quos refert Diana *suprà resolut.* 7.

49 Dico IX. Regulares per sua privilegia possunt absolvere sæculares ab omnibus casibus occultis Bullæ cœnæ, excepta hæresi, ita Crousers, quem refert Diana 8 *parte*, *tractatu* 6, *resolut.* 54. Aversa quem tenet Diana 8. *parte tractat.* 7. *resolutione* 71. N. Urbanus *tractatu* 2. *dist.* 1. *cap.* 1. *regul.* 8. Martinus à S. Joseph *folio* 530. Vidal. *titulo de* casibus reservatis, *inquisitione* 1. *numero* 99, consonat Sanchez *in Decalogo libro* 4. *capite* 54. *numero* 27. Trullenc. *in Cruciata libro* 1. *capite* 2. §. 7. *dubio* 3. *&* 6. & à fortiori debet tenere Mazuchelus, quem refert Diana 8. *parte*, *tractatu* 7. *resolutione* 67. Leand. à Murcia, quem refert Diana 9. *parte*, *tractatu* 8. *resolutione* 50. & alii, quos suppresso nomine refert idem Diana 9. *parte*, *tractatu* 4. *resolutione* 65. *in fine*.

Ratio autem est, quia omnes hi casus jure Ordinario Episcopo competunt, quando sunt occulti; sed Regulares per sua privilegia absolvere possunt ab omnibus à quibus potest Episcopus jure Ordinario absolvere: ergo *&c.*

Quando autem delictum dicatur occultum? Respondeo occultum sumi hic prout distinguitur contra publicum & notorium. Ita Sanchez, Suarez, Fagund. & alii multi, quos refert, & sequitur Vidal. *supra num.* 102. quid autem sit publicum, & notorium, vide *tra.* 2. *sect.* 2. *disp.* 1. §. 1, *num.* 83.

50 An autem Regulares ratione suorum privilegiorum possint absolvere ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ, etiam publicis, excepta hæresi, quando datur aliquod impedimentum adeundi summum Pontificem, v. g. ægritudinis, paupertatis, fragilitatis sexus: ut si fuerit mulier, senex, vir delicatus, qui labores itinerum sustinere non possit, claudus, cæcus, pauper, servus, & aliàs urgeat necessitas? Respondeo negativè. Ita Pellizzarius *tractat.* 8. *capite* 3 *numero* 99. Fagund. Quintanadvenas, Bardi, Layman, Portel, Palaus, Trullenc. Barbosa, quos refert, & sequitur Diana 9. *p. tractat.* 9. *resolut.* 61. licet contrariam sententiam probabiliter teneant Pasqualigus, & Leand. à Murcia quos *ibi* refert Diana, Peyrinis *ad constit.* 1. *Iulii II.* §. 36. *num.* 67. Delbene *Tomo* 2. *cap.* 19. *dub.* 69. *nu.* 16. & in simili casu Crousers, quem refert Diana 6 *par. tractatu* 6. *resolutione* 54.

Ratio nostræ resolutionis est, quia hi casus non competunt Episcopo jure Ordinario; sed tantùm jure delegato, eligitur enim industria personæ, & ideò ad nullum alium inferiorem spectat: ergò Regulares nullo modo ab illis possunt absolvere, quia hi casus non absolutè, sed secundùm quid Episcopis competunt ratione urgentis necessitatis. 51

Advertendum tamen est Primò, quod in sententia Doctorum asserentium Regulares à prædictis casibus posse absolvere (quæ, ut diximus, satis probabilis est, licet nostra longè probabilior sit) si quis per seipsum non possit recurrere ad Papam pro absolutione à prædictis casibus Bullæ Cœnæ, vel saltem ad Inquisitores pro absolutione hæresis, non teneri ad illos recurrere, vel ad sacram Pœnitentiariam per nuntium, vel Epistolam. Ita Henriquez, Duard. Avil. & alii quos refert, & sequitur Diana 4. *parte*, *tractatu* 4. *resolutione* 58. Trullenc. *in decalogo lib.* 1. *capite* 3. *dub.* 7. *numero* 8. quoniam à jure ad id non obligatur. 52

Et idem dicendum est de procuratore, ut notavit Caspensis, quem refert Diana 7. *parte*, *tractatu* 10. *resolutione* 23. Immò neque teneri ire ad Nuntium, si adsit, sed potest ab Episcopo absolvi. Ita Avila, Hurt. Henriquez, & alii quos refert, & sequitur Diana 9. *parte*, *tractatu* 7. *resolutione* 9. Valencia, Azor. & alii, quos refert, & sequitur Dicastillus *de Pœnitentia*, *tractatu* 8. *disputatione* 11. *dubio* 16. *numero* 270. vel à Regularibus, ut tenent Doctores prædictæ sententiæ *suprà*.

Advertendum est secundò, quod etiam in eorum sententia, si impedimentum non fuerit perpetuum, debet Confessarius absolvere ab hujusmodi censuris ad reincidentiam, id est cum cautione juratoria, ut cum primum potuerit compareat coram summo Pontifice, mandatum Apostolicum recepturus, aliàs reincidet eo ipso in easdem censuras. Si autem impedimentum est perpetuum absolutè, & simpliciter absolvat. Ita Caspensis quem refert, & sequitur Diana 7. *p. tract.* 10. *resolut.* 23. *in fine*, 53 54

Advertendum est tertiò, cum Castro Palao *Tomo* 1. *tract.* 4. *disp.* 4. *puncto* 3. § 5. *num.* 15. quod etiam in prædicta sententia, si in prædictis casibus aliqua satisfactio facienda sit parti læsæ, absque dubio talem satisfactionem esse præmittendam ante absolutionẽ si fieri potest, at si id fieri non potest, debet pœnitens, si debitũ est pecuniarium præstare cautionem pignoratitiã, & si non potest, debet adducere fidei 55

fidei jussorem, quod si sit illi difficile, præstet cautionem juratoriam, hanc autem tenetur ad minus præstare in delictis Bullæ Cœnæ, & similibus; in aliis verò sufficit, si satisfacere promittat, quod si debitum non sit pecuniarium, sed honoris, vel doctrinæ, tunc sufficiet jurare se restiturum, cùm primum potuerit. Ita Suar. Sanch. Bon. quos refert, & sequitur Cast. Palaus *suprà*.

An autem in casu, quo dentur prædicta impe-
56 dimenta ægritudinis, paupertatis, servitutis, *&c.* adeundi Papam, vel alium, qui nomine ipsius absolutionem concedat, possint Parochi absolvere suas oves, tàm à casibus Episcopo, quàm sedi Apostolicæ reservatis, etiam intra Bullam Cœnæ, & etiam ab hæresi, affirmant Abbas, Ancharranus, Angelus, Silvester, Tabienna, Henriquez Navarrus, Sanus, Hugolinus, quos refert Sanch. *in Decalog. capite* 14. *numero* 36. & novissimè Palaus *Tomo* 1. *tractatu* 4. *p.* 3. §. 5. *numero* 5. Trullenc. *in Decalo. libro* 1, *capite* 3. *dubio* 7. *numero* 19, Dicastillus *de pœnit. tractatu disputatione* 11. *dubio* 11. *numero* 168. Thomas Tambur. *in Methodo confessionis lib.* 3. *cap.* 6. *numero* 3. Rationem autem hujus conclusionis vide apud præcitatos Doctores, non enim hæc resolutio pertinet ad nostrum institutum.

Dico X. In omnibus casibus, in quibus hucusque diximus Regulares posse absolvere à casibus reservatis Papæ, etiam intra Bullam Cœnæ, absolvere possunt à censuris extra confessionem. Et i-
57 dem dicendum est de censuris reservatis Episcopis, & sic absolutus postea potest à quocumque confessore absolvi à peccato. Ita Avila Vidal. Sanch Vega, Ledesma, Victoria, Penna, Medina, Gutierrez, & alii, quos refert, & sequitur Diana 1. *parte tractatu* 11, *resolutione* 25, Trullenc. *in Cruciatam libro* 1. §. 7. *capite* 2. *dubio* 13. *numero* 6, Garcia, Sotus, quos refert, & sequitur Palaus *Tomo* 4 *tractatu* 23. *disputatione unica p.* 8. §. 5. *numero* 5. Suar. Layman. quos refert, & sequitur Bordon. *Tomo* 1. *resolutione* 6. *numero* 24. Rodrig. quem refert, & sequitur Portel *in dub regulari*, verbo *confessor erga censuras numero* 31. Belasius *verbo* censura *num* 10.

Nec obstat, quod in aliquibus privilegiis dicatur, ut absolvant à prædictis censuris, audita confessione, vel in foro conscientiæ, & interno, nam illa verba solùm indicant absolventem debere esse confessorem idoneum, non qui actu absolvat, sed qui possit à peccatis absolvere, aliàs non reservatis, & quod postea absolutio non valeat pro foro externo, & contentioso, nisi à judice recipiatur. Ita cum aliis Avila *suprà*.

In fine hujus §. maximè advertendum est, & præ oculis habendum, quod in casibus Papæ reservatis, etiam intra Bullam Cœnæ, cùm habeant semper annexam excommunicationem, si quis propter aliquam causam v. g. ignorantiam non incurrerit excommunicationem, etiamsi esset propter hæresim externam, nam per internam non incurritur excommunicatio, tunc ille casus non esset reservatus, sed potest quis à quocumque confessore absolvi, quod valdè notandum est propter hæresis 58
crimen; nam si quis ignorabat talem pœnam impositam esse illi crimini, non incurrit illam. Ita Suar. Sanch. Bonacin. Coninch, & alii, quos refert & sequitur Palaus *Tomo* 1. *tract.* 2. *disp.* 1, *p.* 17. *nu.* 5. & notavit cum illis Thomas Tambur. *in meth. confessionis lib.* 1. *cap.* 7. §. 2. *num*, 3. vide circa hoc nostros Gabrielem à S. Vincentio in suo opere de censuris *disp.* 1. *quæst.* 23. *n.* 256. *& seqq.* Petrum ab Angelis in Judice Regulari *cap,* 21 *num,* 56.

Tandem advertendum est, quod si aliquod peccatum reservatum fuerit in aliqua Diœcesi, & committatur in Conventibus Regularium existentibus intra eandem Diœcesim à sæcularibus, aliàs subditis illius Diœcesis, non manere tale peccatum tunc reservatum. Ita Bau. Pellizzarius, & probabile putat Diana 10. *p. tract,* 14. *resol.* 7.

Ratio est, quia tale peccatum commissum fuit in loco exempto (suppono namque talem Conventum non esse Ordinario subjectum) ergò po- 59
test à quocumque confessario approbato absolvi.

Non tamen indè idem inferre potest de Regulari committente simile delictum à suo Prælato reservatum in alio Conventu Religionis alterius, cum etiam sit locus exemptus. Nam, ut notavit Pellizz. loco citato, reservatio facta Religiosis respicit personas, non verò territorium, aliàs exeundo Regularis è Conventu ad plateam, si tale peccatum committeret, non esset reservatum, quod est absurdissimum. Econtrà verò reservatio Episcopalis non respicit personas, sed territorium.

Cuncta supradicta in *hac sect.* tradideram in prima hujus operis editione, sed cum interim Romæ emanaverint nova quædam decreta SS. D. N. ALEXANDRI VII. nonnullis ex præfatis opinionibus contraria, juxta illa & non aliter supradicta omnia intelligenda, atque admittenda sunt, quod ipsum dictum volo circa universa, quæ in hoc opere, aut jam dixi, aut dicturus sum, si quid forsan præfatis decretis ulla ratione dissonum, aut per omnia omninò haud consonum deprehendatur.

SECTIO II.

De potestate quam habent Regulares confessores ad dispensandum cum sæcularibus.

§. I.

De dispensatione quoad irregularitates.

60 *Quomodo irregularitas dividatur.*

61 *Irregularitas ex delicto malæ susceptionis, seu administrationis Ordinis, non incurritur à talem pœnam ignorantibus.*

62 *Idem dicendum est de irregularitate proveniente ex delicto.*

63 *Sufficit quod ignorantia sit vincibilis, dummodò non sit crassa & supina.*

64 *Regulares possunt dispensare cum sæcularibus in irregularitate, quæ oritur ex mala susceptione, seu administratione Sacramentorum.*

65 *Regulares dispensare possunt cum sæcularibus in omnibus irregularitatibus, in quibus Episcopus potest jure Ordinario.*

66 *Immò etiam in illis, in quibus Episcopus dispensare potest per cap.* liceat *in Tridentino.*

67 *In quibus irregularitatibus possit Episcopus dispensare numerantur.*

68 *Quibus modis dicatur homicidium occultum aut voluntarium.*

69 *Per homicidium occultissimum secundum aliquos non incurritur irregularitas, sed hoc est improbabile.*

70 *Episcopus dispensare non potest in irregularitate ex homicidio voluntario licet occultissimo.*

71 *Potest Episcopus in aliquo casu dispensare cum homicida voluntario occulto, ut ministret in sacris jam anteà susceptis.*

72 *Episcopus dispensare potest in aliquo casu, cum homicida occulto simpliciter voluntario, ut ad Ordines promoveatur.*

73 *Refertur casus, in quo homicida voluntarius occultus promoveri potest ad Ordines cum dispensatione Episcopi.*

74 *Regulares possunt dispensare in omnibus irregularitatibus, in quibus potest Episcopus jure Ordinario dispensare.*

75 *Regulares dispensare possunt in omnibus irregularitatibus, in quibus Episcopus dispensare potest, quando non est recursus ad Papam.*

76 *Regulares dispensare possunt in omnibus pœnis Ecclesiasticis, etsi non sint occulta, dummodò sint extrà* Bullam *Cœnæ.*

77 *Quid per hujusmodi pœnas intelligatur.*

78 *Regulares non possunt dispensare in inhabilitate, quam contrahunt recipientes simoniacè beneficia tàm ad idem, quàm ad aliud beneficium.*

79 *Episcopus potest dispensare in inhabilitate contracta ob simoniam occultam.*

PRo explicatione hujus §. notandum est cum
Fragoso *Tomo 2. lib. 11, disp. 24, §. 7. numero 18.*
irregularitatem dividi in tres classes: in prima, quæ
contrahitur cum peccato, ex eoque resultat v. g. ex
homicidio, seu culpabili mutilatione: in secunda
quæ incurritur absque culpa, nempè ex bigamia,
seu morte, aut mutilatione justa, & in tertia, quæ
oritur ex mala susceptione, seu administratione 60
Sacramentorum, quando scilicet quis excommunicatus, vel suspensus Ordines suscipit, vel celebrat. Alias divisiones, & varias, pluresque subdivisiones irregularitatis, reperiet Lector apud nost. Gabrielem in *opere iam citato disput. 9. de irregul. quæstione* 3, Petrum Cornejo *tract. 5. de irregular. disp. 1, & seqq.* Lezana *Tomo 3. qq. Regul.* verbo *irregularitas.*

Secundò notandum est irregularitatem ex deli- 61
cto tertiæ classis non incurri ab eo, qui ignorabat, quando commisit delictum, talem pœnam irregularitatis esse illi crimini impositam, ita Sanchez, Bonacin. Coninch, quos refert, & sequitur Palaus *Tomo 1, tract. 2 disp. 1, parte 17, numero* 8, Alvarez, Avila, & alii, quos refert, & sequitur Diana *4. par. tractatu 2, resol.* 85.

An autem doctrina hæc extendenda etiam sit ad irregularitatem primæ classis? scilicet ob homicidium voluntarium, vel mutilationem. Respondeo affirmativè: ita Portel, Palaus, quos *ibi* refert Diana *suprà*, & ut probabilius defendit noster sapientissimus Petrus Cornejo *Tomo 2, disput. 6. lib. 3. conclusione 3. numero* 1. & alii.

An autem hujusmodi ignorantia debeat esse invincibilis, vel sufficiat quòd non sit crassa, & su-
pina: Consule Portelium *verbo* ignorantia *in additionibus ad dub. regul. numero* 25. Sanch. *lib. 9. de* 62
matrimonio disp. 32, n. 31, N. Gabrielem *libro citato, disputatione. 1. quæst. 23,* & Quintanad. *tractat. 9. singul. 6. numero* 4. Delbene *Tomo 2. capite 19. dub, 59. numero* 11. ubi cum aliis dicit sufficere, quod ignorantia sit vincibilis, dummodò non sit crassa, & suppina, his suppositis.

Dico I. Regulares dispensare possunt toties
64 quoties cum sæcularibus in irregularitate, quæ oritur ex mala susceptione, vel administratione Sacramentorum, quando scilicet quis excommunicatus, vel suspensus Ordines suscipit, vel celebrat, Ita Fragos. *supra numero* 18. ubi hoc probat ex privilegio Pauli III. *Bulla* 3. in qua concedit facultatem absolvendi à quibuscumque peccatis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis. Undè cum irregularitas resultet ex mala administratione Sacramentorum, non est dubium absolvi posse per privilegium Mendicantium.

Eamdem sententiam tenet Peyrinis *ad constit.* 1. *Iulii II. numero* 67. ubi refert quædam privilegia Martini V. & hanc sententiam tenere debent omnes Doctores, qui defendunt per Bullam Cruciatæ dispensari posse in hujusmodi irregularitatibus, quos refert, & sequitur Diana 1. *parte, tractatu* 11. *resolutione* 17. & 4. *par. tract.* 2. & tandem omnes illi Doctores, quos statim in sequenti dicto referemus,

65 Dico II. Regulares dispensare possunt cum sæcularibus in omnibus irregularitatibus, in quibus Episcopus potest jure ordinario. Ita concessit Sixtus IV. Minimis *Bul.* 9. quam postea confirmavit & Julius II. constitutione sua, quæ incipit, *Dum ad Sacrum Ordinem Minimorum* §. 32. quam refert Peyrinis *ad constitat.* 1. *Iulii II.* & tenent hanc sententiam Vega, Rodrig. Henriq: quos refert, & sequitur Portel *in responsionibus ad casus conscientiæ, Tomo* 1. *casu* 3. *numero* 1. Belasius *verbo* irregularitas *numero* 12. Pellizzarius *Tomo* 2. *tractatu* 8. *cap.* 3. *sectione* 2. *subsect.* 2 *numero* 90. Bauny *Tomo* 2. *tr.* 11. *q.* 58. *dicto* 4. ubi affirmat hoc privilegium in usu esse. Nost. Urb. ab Ascensione *tractatu* 2. *disti.* 1.
66 *capite* 1. *regula* 13. *prope medium,* ubi dicit, posse Regulares dispensare in omnibus irregularitatibus, in quibus potest Episcopus, non solùm jure communi, sed etiam speciali *per cap.* liceat *in Tridentino*: & eamdem sententiam Urbani tenet Murcia *in quæstionibus regular. capite* 7. *regula* 98. *numero* 62. citans pro hac sententia Sanch. Trullenc. & Dianam, quam sententiam, & suam citationem referens ipse Diana non renuit: immò videtur annuere. Et tandem eandem sententiam tenet Lezana *Tom.* 3. *verbo* confessor Regularis *numero* 10. licet dubitet, an sit in usu. Ab hac tamen dubitatione illum liberat Bauny *loco citato.*

67 Ratio est, quia Regulares per privilegium Julii II, & Sixti IV. *suprà* positum dispensare possunt in omnibus irregularitatibus, in quibus Episcopus potest jure ordinario sed dispensationes concessæ Episcopo *per cap.* liceat *in Trident.* competunt illis jure ordinario, ut docent Panormitan. Felin. Sanc. Fagund. Bauny, & alii, quos refert, & sequitur Diana 7. *parte, tractatu* 2. *resol.* 1. & 4. siquidem lege Pontificia competunt perpetuo dignitati Episcopali: ergò Regulares possunt in illis dispensare. Irregularitates autem, in quibus possunt Episcopi dispensare sunt sequentes.

Prima est irregularitas contracta ex homicidio casuali occulto, tale autem homicidium est, quando committitur in sui defensionem, sivè debito moderamine inculpatæ tutelæ. *Secunda,* si clericus exercens Chirurgiam aliquem interficiat ex negligentia, vel imperitia. *Tertia*, si dominus mandet famulo, ut inimicum percutiat, non lethaliter, & tamen famulus occidit. *Quarta*: homicidium commissum ex subita ira, quia censetur involuntarium, cum non sit factum per insidias, vel de industria. Ita Lessius, Avila, & alii, quos refert Diana 9. *par. tr.* 7. *resol.* 22. Suar. Miranda, Cruz, Salzed. quos refert, & sequitur Peyrinis *ad constit.* 2. *Iulii* 2. *num.* 104. Barbosa, Vasq. Turrian. quos refert, & sequitur Diana 4. *part. tra.* 2. *res.* 79. *Quinta*: si quis jam fugientem insequatur, ut occidat. Ita Henri. Hurtad. Layman. Navar. Palaus, quos refert, & sequitur Diana 10 *part. tract.* 11. *resol.* 19. *in fine.*

An autem possit dispensare cum homicida casuali notorio ad Ordines minores, & beneficium simplex? Respondeo affirmativè, Ita Sayrus, Navar. Avila, Layman. quos refert, & sequitur Diana *suprà* & probatur *ex cap.* 2. & *cap. ad audientiam de homicidio,* quæ potestas à Tridenr. illis non est restricta.

An verò in aliquo casu possit Episcopus dispensare in bigamia propria, aut interpretativa, consule Dianam 4. *parte, tractatu* 2. *resol.* 61. & 62.

Secundò dispensare possunt Episcopi in irregularitate, orta ex quacumque mutilatione membrorum, dummodò sit occulta. Ita communiter Doctores apud Dianam 4. *part. tract.* 2. *resol.* 61.

Possunt etiam dispensare in irregularitate orta ex defectu lenitatis. Ita Rod. Campanil. Vidal Medina, Barbosa, Novarius, Hieron. Rodrig. quos refert, & sequitur Diana *suprà resol.* 69.

Possunt etiam dispensare in irregularitate orta ex homicidio justo, quia quando concilium excipit homicidium voluntarium, intelligitur de prohibito in 5. præcepto Decalogi. Ita Barbosa, Bannez, Medina, Campanile, Novarius, Cruz, & alii, quos refert, & sequitur Diana *supra resol.* 70.

Denique etiam possunt dispensare in irregulari-

tatibus ortis ex mala susceptione seu administratione Sacramentorum, quando scilicet quis excommunicatus, vel suspensus ordines suscipit. Ita Fragos. quam refert, & sequitur Dia. 9.*p.t.* 8.*res.* 50.

Sed quæres, an in aliquo casu possit Episcopus
68 dispensare in irregularitate homicidii occulti simpliciter voluntarii? Pro quo sciendum est aliquos Doctores, quos refert Rod. *Tomo* 1. *q.* 24. *art.* 21, distinguere homicidium in occultissimum, occultum, & ad forum contentiosum deductum.

Primo modo tunc contingit, quando solum qui occidit, scit se occidisse, & nullo modo potest in judicio probari, nec in notitiam hominis venire, nisi à propria occisoris confessione.

Secundò, tunc est occultum, quando licet non sit deductum ad forum contentiosum, potest tamen deduci, quia ab aliquibus scitur.

Tertiò est, quando jam homicidium deductum est ad forum contentiosum.

His suppositis Doctores aliqui tenent homicidium primo modo occultum irregularitatem non includere. Ita Castro, Covar. quos citat, & ut probabile sequitur Rodrig. *Tomo* 1. *q.* 24. *artic.* 11. & probabile etiam putat novissimè Pellizzar. quem refert Diana 10. *parte, tract*, 13 *resol.* 38. quam sententiam probat Pellizzarius *supra* ex capite *Ex tenore de tempore ordinandorum*; quia irregularitas solùm incurritur in casibus jure expressis: in nullo autem jure (ait Pellizzarius) expressa est talis irregularitas. Quæ quidem sententia Pellizzarii valdè notanda est pro praxi, illi tamen non possum suffragari, & meritò illam rejicit Diana *loco citato*.

70 Sed difficultas non levis est, an dato, & non concesso, quod per tale homicidium omninò occultum irregularitas incurratur, possit nihilominus irregularitas talis tolli, & dispensari ab Episcopo jure ordinario?

Affirmant Covarruv. cum multis Doctoribus, quos refert, ut testatur Rodrig. *Tomo* 1. *q.* 24. *art*, 11. & eamdem sententiam, ut probabilem supponit ipse Rodrig. *ibi*, & eam novissimè tenet Texeda, quem refert Diana 6. *part. tract* 6. *resolu.* 51. Verum quidquid sit de probabilitate hujus sententiæ: contraria tamen est communis, & ita observat stylus Curiæ Romanæ, ut testatur Diana *ibi*.

An autem Episcopus dispensare possit, ut homicida voluntarius occultus, tantùm minoribus or-
71 dinibus sumptis utatur, immò & sacris justa interveniente causa.

Negant noster Cornejo, Avila, & alii, quos refert, & sequitur Diana 9, *p. tract.* 7. *resol.* 22. id solùm admittens, quando urget necessitas, vel scandalum, & non est facilis recursus ad Papam, ut cum prædictis docet Diana 9. *part. tract.* 8. *resol.* 52.

Verùm contrariam sententiam non solùm in casu urgentis necessitatis, & quando non est recursus ad Papam, sed absolutè tenet Henriq. *de excommunic. lib.* 14, *cap.* 19. *n*, 1. Probabilem putat Lessius *lib.* 3. *cap*, 4. *dub.* 2. *num.* 35. quem refert Diana 9. *part. tract.* 7. *resol.* 22. Eamdem sententiam à fortiori debet tenere Covarruv. ut testatur Henriq. & Texeda *suprà*, sed hoc debet intelligi, justa interveniente causa, quæ semper requiritur, quoties Episcopus in lege Pontificis dispensaturus est.

Ratio autem est, quia concilium tantùm vetat ad sacros Ordines promoveri: ergò cum iste non promoveatur, sed susceptis utatur, indè est, quod hoc non prohibetur Episcopis; cùm ergò Episcopi jure ordinario antiquo hoc facere possent, & alias hoc per novum jus illis non sit sublatum, inde est, quod jure ordinario possint cum talibus jam in Sacris dispensare, ut ministrent in Ordinibus jam susceptis, quam sententiam dicit Lessius *suprà* tenere plures recentiores, ut testatur Diana, *ubi suprà*, quæ doctrina valdè pro casibus occurrentibus notanda est.

Sed nunc majus insurgit dubium. An Episcopus 72
in aliquo casu possit dispensare cum homicida simpliciter voluntario, occulto tamen, ut ad ordines Sacros promoveatur? casus est curiosus v. g. vir gravis ratione Canoniæ paratus jam quoad omnia ad Sacrum Ordinem suscipiendum, pridie illius diei, quo Ordines conferebantur, de industria occultum homicidium patravit. Si non ordinatur, apud omnes reputabitur auctor homicidii illius, & vitæ discrimen apertissimè subibit, & si ordinatur illud periculum evadit. Quæritur, an in hoc casu possit Episcopus cum tali homicida dispensare?

Affirmat Fragos. *Tomo* 2. *lib.* 8. *disp* 18. §. 5. *nu.* 20. 73
Ratio est, nam ut suprà diximus, Episcopus saltem cum non est recursus facilis ad Papam, & urget necessitas, & scandalum timetur, dispensare potest cum homicida occulto simpliciter voluntario, ut ministret in Sacris: ergò etiam poterit dispensare, ut ad alios promoveatur, non enim apparet major ratio.

An autem possit etiam Episcopus dispensare cum mandante, vel consulente homicidium voluntarium? Affirmat Pellizzarius, quem refert Diana 10. *parte, tractatu* 13 *resol.* 38. non enim propriè dicitur homicida voluntarius, nisi ille, qui occidit; quæ sententia mihi videtur probabilis, licèt con-

contraria, quam tenet cum Toleto idem Diana *ibi* probabilior sit.

74 Et ex his colliges, in quibus irregularitatibus Regulares possint dispensare quoad sæculares? Respondeo namque in omnibus his irregularitatibus, in quibus diximus posse Episcopos dispensare, posse & Regulares dispensare. Ratio est, quia Regulares dispensare possunt in omnibus irregularitatibus, in quibus Episcopus potest jure ordinario dispensare, sed Episcopus in omnibus prædictis irregularitatibus dispensare potest jure ordinario: ergò etiam in illis possunt Regulares dispensare. Major jam *suprà num.* 65. probata latè est ex privilegiis & Doctoribus: consequentia rectè infertur, Minor verò probatur.

75 Quia vel Episcopus dispensat per *c.* liceat *in Tridentino*, vel quia urget necessitas, & datur impotentia adeundi Papam. Si dispensat in virtute *cap.* liceat *in Tridentino jam sup. n.* 66. ostendimus dispensare jure ordinario: si verò dispensat, quia urget necessitas, & impotentia datur adeundi Pontificem, etiam dispensat jure ordinario, ut tenent Merola, quem refert, & sequitur Diana 8. *par. tra.* 4. *resol.* 9. & alii, quos refert, & sequitur Palaus *Tomo* 1. *tra.* 3, *disp.* 6 *par.* 5. *n.* 12. ergò in omnibus illis possunt Regulares dispensare, & ita tenent in simili casu Pasqualig. & Murcia quos refert Dian. 9. *p. tr.* 9. *res.* 61.

Advertant tamen Regulares in hoc casu magna circumspectione procedendum esse, & raro similibus esse utendum privilegiis.

76 Dico III. Regulares dispensare possunt cum sæcularibus saltem in foro conscientiæ in omnibus pœnis Ecclesiasticis, etiamsi non sint occultæ, dummodò sint extrà Bullam Cœnæ, ex privilegio Pauli III. in quo illis concedit per Bullam facultatem absolvendi à quibuscumque peccatis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & à quibuscumque sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis resultantibus extra Bullam Cœnæ, ut testatur Fragoso *libro* 11. *p.* 2. *disp.* 24. §. 7. *num.* 18. Cruz *lib.* 2. *cap.* 6. *dubio* 6. *concl.* 2.

77 Quid autem intelligatur per hujusmodi pœnas? Respondeo intelligi inhabilitates ad officia, & privationes dignitatum vocis, & loci, *&c.* Ita expressè Sanchez *in Decalogo lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 78. *in fine* Cruz, Portel, Sotus, Faustus, Tamburinus, & alii, quos refert, & sequitur Lezana *Tomo* 5. *in Mari magno Eremitarum Sancti Augustini* §. 43. *&* 44. *numero* 124.

An autem indè colligatur Regulares posse dispensare ratione horum privilegiorum in inhabilitate quam contrahunt recipientes simoniacè beneficia, tàm ad idemmet beneficium quàm ad alia, affirmant Urbanus *tra.* 2. *dist.* 2. *cap.* 6. *reg.* 15. *ex regulis brevioribus pagina mihi* 390. Croulers quem refert, & ut probabilissimum putat Bissæus *in suis floribus Theologiæ moralis verbo* Simonia 6. *num.* 2.

78 Sed contrariam sententiam existimo sustinendam, nam cum dispensatio in hac inhabilitate sit virtualis collatio beneficii, ut expressè tenet Suar. cum Abbate quos refert, & sequitur Palaus *Tomo* 3. *disp.* 3. *de simonia puncto ultimo num.* 5. Portel *in responsionibus ad casus conscientiæ p.* 3. *Tomo* 1. *casu* 12, Trullenc. *in Bullam Cruciatæ lib.* 2. *dub.* 2. §. 2. *num.* 5. impossibile est posse talem dispensationem concedi à Regularibus, & simul non esse virtualem collationē beneficii; sed Regulares nec directè nec indirectè possunt conferre beneficia, ut possunt Episcopi: ergò nullo modo possunt in tali inhabi- 79
litate dispensare, licèt aliàs Episcopi in illa possint dispensare, quando est occulta, ut tenent Henriq. Lessius, Suarez, quos refert, & sequitur Palaus *Tomo* 3. *disp.* 3. *de simonia, puncto ultimo num.* 4. Sairus quem refert, & sequitur Trullenc. *in Cruciatam lib.* 1. §. 2. *num,* 15. & alii.

§. 2.

De Dispensatione & commutatione vototorum, & juramentorum.

80 *Regulares possunt dispensare in omnibus votis sæcularium, exceptis* 5. *Papæ reservatis.*

81 *Regulares dispensare possunt in quinque votis Papæ reservatis, quando non afficiuntur reservatione, non afficiuntur autem reservatione, quando non sunt perfecta, perpetua, & absoluta.*

82 *Regulares dispensare possunt in voto non fornicandi, non polluendi, non tangendi turpiter mulierem, in voto virginitatis &c.*

83 *Regulares absque dubitatione Provincialis dispensare possunt in petitione debiti cum eo, qui post vel ante matrimonium votum Castitatis emisit.*

84 *Probabile est Regulares posse dispensare in quinque votis etiam, quando sunt absoluta, & Papæ reservata in his casibus, in quibus ob impotentiam recurrendi ad Papam, potest in illis dispensare Episcopus.*

85 *Regulares dispensare possunt in votis habentibus annexum juramentum in sui Confirmationē.*

86 *Regulares dispensare possunt in juramentis, quæ*

cadunt super materiam quinque votorum Papæ reservatorum.

87 *Regulares commutare possunt vota sæcularium exceptis quinque Papæ reservatis.*

88 *Regulares commutare possunt juramenta castitatis, Religionis, & triplicis peregrinationis.*

89 *In casibus in quibus Regulares dispensare possunt cum sæcularibus, dispensatio dari potest extra Sacramentum.*

80 DIco I. Regulares dispensare possunt in omnibus votis sæcularium, undequaque venientium, exceptis quinque Papæ reservatis, scilicet castitatis, Religionis, & triplicis peregrinationis. Ita concessit Eugen. IV. *in quadam Bulla*, quam refert Bordo, *Tom.*1.*resol.*15.*nu*43.,& idem concessêre Julius II. Martin. V. & Innocen. VIII. Ita Bordo. tenet *ut supra*, Lopez, Navar. Valentia, Sayrus, Aragonius, quos refert, & sequitur novissimè Candid. *Tomo* 2.*disq*.27 *art.unico dub.*1. Pellizz. *Tomo* 2.*tr.*8.*cap.*3.*sect.* 2.*n.*141. Vidal. *titulo de votis, Inquisi.*3 *n* 77. & ex nostris Gabriel à S. Vinc.*par.*4.*de Sacra.disp*,9.*quæst.*7. Francisc. bonæ spei, *Tomo* 5.*tract.*2.*de Relig. disp*,7.*du.*5. Stephanus à S. Paulo, *tr.*4.*disp*,12.*du.*4.§.6.& Urba. *tract.*2.*p.*2.*dist.*1.*cap.* 4.*reg.*1.& licet Lez.*To.*1.*c.*19.*n.*22. dubitet, an prædicta privilegia fuerint per oracula vivæ vocis concessa, Bordo. tamen *ubi suprà*, affirmat fuisse per Bullas concessa.

81 DIco II. In quinque etiam votis Papæ reservatis possunt Regulares dispensare cum sæcularibus, quando non afficiuntur reservatione. Non afficiuntur autem reservatione, quando non sunt perpetua, absoluta, & perfecta, & hac ratione, votum assumendi sacros Ordines, non nubendi, non fornicandi, non tangendi turpiter mulierem, non petendi debitum in conjugatis, observandi castitatem per tempus limitatum, non sunt vota reservata. Idem dicendum est de voto paupertatis, & obedientiæ extra statum Religiosum, & de voto Romanæ, & Compostellanæ peregrinationis ob alium finem expressum quam devotionis,

Idem dicendum est, quando omnia ista vota pœnalia sint, vel conditionalia etiam post adimpletam conditionem, ita cum aliis Bord, *Tomo* 1, *re-*
82 *sol*,15,*per totam*; Lopez, Layman, & alii, quos refert, & sequitur Candidus, *Tomo* 2, *disquisit.* 2, *art. unico dubio* 6, Vidal, *tit.* de voto, *inquisit.* 3, *numero* 84, nostri Petrus Cornejo, *Tomo* 2, *tractatu* 6, *disputatione.dubio* 42, Gabriel supracitatus, *disputatione* 9, *de Sacramento Matrimonii*, *quæstione* 6, & 7, Franciscus B. spei. citatus à Stephano à S, Paulo *loc.cit.* 80, & Urban, *loc.cit.reg*,2.

Immò dispensare possunt in virginitatis voto, quando constat non fuisse virginitatis absolutæ, sed integritatis servandæ, Ita Sanch, Sayr. Portel, & alii, quos refert, & sequitur Vidal, *ubi su.n.*87, quod etiam affirmandum est in dubio de intentione voventis, ut cum aliis ibi probat Vidal, *loco citato.*

Et hinc fortè colliges Regulares absque ulla de- 83
putatione à Provinciali dispensare posse ad petendum debitum cum conjugatis, qui post votum castitatis contraxerunt, vel illud post matrimonium, etiam de utriusque consensu emiserunt; nam cum hoc votum castitatis, in conjugatis non sit integræ castitatis, sed tantùm non petendi debitum, indè fit quòd non sit absolutum, & perpetuum, sed ex parte; ac per consequens non est Papæ reservatum. Ita Sanch. quem refert, & sequitur Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 15. *num.* 31. Trullenc. *in Decal. libro* 2. *capite* 2. *dub.*44.*nu.*5. Palao, *Tom.*3. *disp.*2. *de voto p.*13.*nu.*9, & nostri Gabriel *loco citato*, *quæstione* 6, & 7. Stephanus à S. Paulo, *loc.cit.nu.*28. Urban. *loc cit. Regu.* 5, Franciscus B. spei. *loco citato*, *nu.* 82. aliique plures.

DIco III. Probabile est posse Regulares dispen- 84
sare etiam in quinque votis Papæ reservatis, quando sunt absoluta, & perpetua ac perfecta in illis casibus, in quibus Episcopi ratione urgentis necessitatis, & quia non est recursus ad Papam, dispensare possunt, ita Crousers, quem refert Diana 6.*p.tra.*6, *resol.* 50, Murcia, & Pasqual, quos refert Diana 9.*p.tra.*9, *resol.*61, Vidal, *titulo de voto inquisi.* 3.*nu.* 77 & 88. Licet contraria sententia probabilior sit, quam docet cum aliis Diana 6, *p. tract.* 6. *resol.* 50.

Ratio nostræ assertionis est, quia Regulares per prædicta privilegia dispensare possunt in omnibus votis, in quibus Episcopi possunt jure Ordinario dispensare, sed Episcopi etiam in his casibus urgentis necessitatis dispensant jure Ordinario: ergò maior, & consequentia patent; minor probatur à prædictis Doctoribus, quia hujusmodi facultas conceditur Episcopo ratione sui muneris, officii, & est perpetuò dignitati Episcopali annexa: ergò competit illis jure ordinario.

DIco IV. Regulares dispensare possunt in vo- 85
tis habentibus adjectum juramentum in sui confirmationem, Ita concessit Gregor. XIII. Societati *in Bulla*, quam refert Bordon. *Tom. resol.* 15. *num.* 25, & tenet Peregrin. Bossius, Portel, Rodrig, & alii, quos refert, & sequitur idem Bordonus *ibi*: Et idem dicendum est de juramentis Deo factis, ut si quis juraret se jejunaturum singulis Sabbatis in honorem B. Virg: hæc enim juramenta includunt ratio-

cationem voti. Ita Portel, Bossius, Sanch. & alii, quos refert & sequitur Bordon. *supra numer.* 26. Cruz, Rodrig. & alii, quos refert & sequitur Candid. *disquisit.* 27. *artic. unico dub.* 3. *&* 4. *tom.* 2.

Idem dicendum est de votis, & juramentis factis in favorem tertii, ut si quis vovit Ecclesiæ dare calicem, vel juravit dare aureum in eleemosynam pauperi; dummodo non sint ab aliquo homine acceptata. Ita cum aliis Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 15. *num.* 25. Immò etiamsi votum acceptatum sit ab aliquo tertio, dummodo non præcesserit specialis promissio homini facta, ut cum multis probavimus *supra disp.* 1. *sect.* 2. § 2. *numer.* 104. quare, quæ *ibi* diximus hìc accommoda, ne eadem sæpe repetamus.

86 Dico V. Regulares dispensare possunt in juramentis, quæ cadunt super materiam quinque votorum, quæ Papæ reservantur, etiamsi sint absoluta, perfecta, & perpetua. Ita Tabienna Navarr. Ledesma, quos refert, & sequitur, ut probabiles cum Trullenc. & Leone, Diana 4. *p. tract.* 4. *resolut.* 96. Martin. à S. JOSEPH *fol mihi* 52. licet contrarium cum multis teneat Bordon. *Tom.* 1. *resolut.* 15. *numer.* 28. Ratio autem nostræ resolutionis est, quia in jure nullum reperitur juramentum reservatum; & non sequitur illa quinque vota sunt Pontifici reservata: ergo etiam juramenta de illa materia: nam obligatio voti major est obligatione juramenti; & ex alia parte, cum reservatio odiosa sit, restringenda est, & non amplianda.

87 Dico VI. Possunt Regulares habentes communicationem in privilegiis cum Benedictinis, & Jesuitis commutare omnia prædicta vota undequaque venientium, in alia opera pietatis, exceptis tantùm quinque votis Papæ reservatis, scilicet, castitatis, religionis, & triplicis peregrinationis: modo explicato. Ita concessit per Bullam Eugenius IV. Benedictinis, & Paulus III. etiam per Bullam Jesuitis, ut testatur Lezana *Tom.* 1. *cap.* 19. *n.* 23. & postea Gregor. XIII. extendit hoc privilegium etiam per Bullam ad vota jurata, dummodo commutatio in alterius præjudicium non fiat: ita Lezana *ibi:* Ad quæ autem vota se extendat commutatio hæc? Respondeo eodem modo esse extendendam, ac dispensationem. Ita Bordon. *supra resol.* 15. *num* 29. Unde juxta illa, quæ diximus de dispensatione, philosophandum est in commutatione. Immò addit Pellizzarius *Tom.* 2. *tractat.* 8. *cap.* 3. *numer.* 158. posse Regulares commutare juramenta castitatis, religionis, & triplicis peregrinationis.

Advertant tamen confessores semper in tollendis votis debere uti potius commutatione, quàm dispensatione, vel utraque simul; nam privilegia, quæ concedunt Regulares posse dispensare in votis sæcularium, non sunt tam clara, quin opinio detur in contrarium, ut *supra* ostendimus. 88

Dico VII. Omnes has dispensationes, quas Regulares facere possunt ratione suorum privilegiorum, sive sint in irregularitatibus, sive in votis, sive in juramentis, sive in debito conjugali, possunt extra confessionem dare. Ita Layman. quem refert, & sequitur Diana 3. *part. tract.* 1. *resol.* 20. & nostri Gabriel *loco citat. quæst.* 7. *num.* 59. Lezana & Urbanus, quos refert Stephanus à S. Paul. *loc. supra cit. num.* 83. & nos jam *supra* tetigimus agentes de absolutione censurarum, ubi etiam argumentum, quod poterat fieri in contrarium solutum est. 89

§. 3.

De dispensatione in debito conjugali.

90 *Quomodo Regulares possint in petitione debiti dispensare quocumque modo talis pœna incurratur.*

Hic nobis agendum erat de facultate, quam habent confessores regulares deputati à suis Prælatis ad dispensandum in petitione debiti conjugalis cum illis, qui incestum cum consanguinea suæ uxoris commiserunt, vel cum illis, qui contraxerunt cognationem spiritualem, vel cum illis, qui post votum castitatis contraxerunt, vel post contractum matrimonium voverunt castitatem; sed quia de his, quæ hìc desiderari poterant latè diximus *disput.* 1. *sect.* 2. §. 3. *per totum, & hac disput.* 3. §. *antecedenti num.* 83. Ideo lectorem ad hæc loca remitto, ne eadem sæpius repetantur. Ubi etiam invenies, an Regulares sine prædicta Provincialis deputatione possint dispensare in petitione debiti, non solum cum illis, qui votum castitatis emiserunt, sed etiam cum illis, qui cognationem carnalem, vel spiritualem contraxerunt. Ubi etiam an Prior in suo Conventu possit hanc facultatem alicui concedere, & an incurratur ab illis, qui talem pœnam huic crimini impositam esse ignorabant. 90

SECTIO III.

De privilegiis, quæ habent Regulares respectu sæcularium circa Sacramenta.

IN prima sectione hujus disputationis egimus de Sacramento pœnitentiæ, & de his, quæ Regulares possunt cum sæcularibus in illo, tam absolvendo, quàm dispensando, quod fecimus propter rationes in principio disputationis assignatas. Nunc hac sectione reliqua Sacramenta comprehendemus, utpote faciliora.

§. 1.

De Baptismi Sacramento.

91 *Regulares non possunt, nisi in extrema necessitate baptizare absque Parochi licentia.*

92 *Regulares baptizantes sine licentia Parochi non incurrunt excommunicationem.*

93 *Religiosi nostri, neque de licentia Parochi possunt licitè baptizare.*

91 DIco I. Regulares non possunt extra casum extremæ necessitatis baptizare, nisi de licentia Parochi, *cap placuit*, etsi de facto baptizaverint absque prædicta licentia, peccant mortaliter. Non loquor hîc de Religiosis baptizantibus in terris Indiarum, & infidelium; nam de his disputatione sequenti redibit sermo, nullam tamen incurrunt excommunicationem, vel irregularitatem, aut su-
92 spensionem. Ita Urban. *Tract.2.dist.1.cap.2.regula 1.* Cruz *lib.2.cap.5 dub.1.concl.2.* Lezan. *Tom.5. in Mari magno Eremitarum S. August. §. 45. numer. 129.*

93 Immò Religiosi nostri, neque de licentia Parochi baptizare posse sub pœna privationis ab officio, vel vocis, & loci per unum mensem. Sic habetur *in nostris constitutionibus 2. part. cap. 6. num. 14.* ubi prohibetur, ne quis nostrorum in aliquo gerat officium Parochi, vel ejus vicem suppleat; intellige seclusa extrema necessitate; baptizare autem, sicut, & assistere matrimonio, extremam unctionem, viaticumque extraneis præstare est proprium officium Parochi, ut probat cum aliis Lezana *suprà num. 129.*

§. 2.

De Eucharistiæ Sacramento.

94 *Regulares extra tempus Paschale possunt Eucharistiam fidelibus ministrare, licentia Parochi minimè requisita.*

95 *Idem possunt facere Sacerdotes sæculares in Ecclesiis Regularium.*

96 *Regulares possunt Eucharistiam ubique fidelibus extra tempus Paschale ministrare, etiam in domibus privatis sæcularium, & in eorum oratoriis, non obstante Episcopi prohibitione, & in tempore interdicti.*

97 *Non licet regularibus ministrare Eucharistiam in Ecclesiis alienis contradicentibus Parochis, bene tamen de licentia præsumpta.*

98 *In die Paschatis possunt ex devotione fidelibus Eucharistiam sumentibus ministrare.*

99 *Regulares possunt etiam in Paschate suis servis commensalibus pro adimplendo præcepto Eucharistiam ministrare.*

100 *Regulares possunt in die Paschatis ministrare Eucharistiam pro adimplendo præcepto peregrinis, transeuntibus, & mercatoribus.*

101 *Licet satis probabile sit, quod Regulares ministrare possint Eucharistiam in suis Ecclesiis, etiam pro adimplendo præcepto, in Paschate minimè consensu Parochi requisito, non decet tamen tali facultate uti.*

102 *In mortis articulo possunt Regulares suis domesticis Eucharistiam pro viatico ministrare.*

103 *Regulares in articulo mortis possunt ministrare Eucharistiam pro viatico suis hospitibus sæcularibus.*

104 *In casu quo Rectores sæculares se præbeant difficiles dare Eucharistiam sæcularibus, qui confessi fuerant Regularibus, possunt eis Regulares ministrare viaticum. Immò si illis non sint confessi, sed aliàs, vel absens est Parochus, vel nolit Eucharistiam moribundo ministrare.*

105 *Regulares in suis Ecclesiis possunt Eucharistiam exponere publice adorandam, & cum illa facere processiones absque consensu Ordinarii.*

106 *Regulares possunt facere processiones per vicos, & plateas absque licentia Ordinarii.*

Dico I.

94 Dico I. Religiosi possunt saltem extra tempus Paschale Eucharistiam fidelibus ministrare, licentia Parochi minimè requisita. Ita concessit Nicolaus V. *Bulla* 2. & Sixtus IV. *Bulla* 11. quas refert Cruz *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 3. *conclus.* 3. Eamdem facultatem concessit Pius V. *constitut.* 7. & Greg. XIII. Bulla, quæ incipit. *In tantu*, & Paulus III. *in Bulla*, quæ incipit *Paulus Episcopus*.

95 Et idem possunt facere sacerdotes sæculares de Regularium licentia in Ecclesiis ipsorum Regularium quoties id Religiosis facere licet. Ita Lezan. *Tom* 1. *cap.* 21. *num.* 8. Peyrin. *ad constit.* 1. *Julii II. num.* 85. noster Urban. *p.* 2. *tract.* 2. *dist.* 1. *cap.* 2. *regula* 4. Portel. *in dub. regularib. verbo*, sacramentor. administratio, *num.* 8. Dicastill. *de Euchar. disp.* 11. *dub.* 4. *num.* 69. *tract.* 4.

96 An autem ratione horum privilegiorum possint Regulares Eucharistiam fidelibus ob devotionem ubique ministrare? hoc est non solum in Ecclesiis suis, & Oratoriis, sed etiam in domibus sæcularium, & ubi decenter id fieri potest, verbi gratia, in eorum oratoriis, vel quando licet altaria erigere? Respondeo affirmativè. Ita Portel, Rodriguez, Suarez, & alii, quos refert, & sequitur Diana 4. *part. tract.* 4. *resol.* 14.

Immò addit Pellizzarius *Tom.* 2. *tractat.* 8. *cap.* 3. *sect.* 3. *num.* 303. posse Regulares Eucharistiam ministrare extra sua templa, etiam in Oratoriis sæcularium, non obstante Episcopi prohibitione ex Bulla Pauli III. quam refert idem Pellizzarius *suprà num.* 312. & etiam in tempore interdicti, excommunicatis & interdictis exclusis. Ita Pellizzarius *suprà num.* 313.

97 Adverte tamen nunquam licere Regularibus ministrare Eucharistiam sæcularibus in alienis Ecclesiis contradicentibus Parochis, ut notavit noster Urbanus *part.* 2. *tractat.* 2. *dist.* 1. *capite* 2. *regula* 4.

Poterunt tamen illam ministrare omnibus fidelibus sine Parochi licentia ex privilegio Julii II. & Nicolai V. quod refert Dicastillus *de Eucharistia disputation.* 11. *tract.* 4. *dub.* 3. ubi hoc de omnibus Regularibus, Societati Jesu excepta, affirmat cum Fagund. Beja, Lugo, & aliis.

98 Dico II. Etiam in die Paschatis possunt fidelibus Eucharistiam ex devotione ministrare, si aliàs jam satisfecerint præcepto in sua Parochia. Ita Filliucius, & alii, quos refert, & sequitur Lezana *Tom.* 1. *cap.* 21. *num.* 8. Peyrinis *ad constitut.* 1. *Julii II. num.* 86. Cruz *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 3. *conclus.* 2. Dicastillus *suprà num.* 49. ubi plurimos refert, & nostri Gabriel à S. Vinc. *loco mox citando*, & Franciscus Bonæ Spei *Tom.* 6. *suæ Theolog. tract.* 4. *de Eucharist. disp.* 8. *num.* 18. & ita obtinuit consuetudo universalis. Nec obstat quædam Cardinalium declaratio, quam refert Gavantus apud eumdem Lezanam *supra*; nam de illa nobis authenticè non constat, neque est usu recepta.

Dico III. Possunt Religiosi, etiam in Paschate pro adimplendo præcepto Eucharistiam ministrare familiaribus, & servitoribus actualiter Religiosis servientibus, & intra monasteria, aut loca religiosorum commorantibus, & sub eorum obedientia viventibus. Ita concessit Prædicatoribus Sixtus IV. *Bulla* 33. & Leo X. *constitutione sua* 4 *apud Peyrinis*, & tenet ipse Peyrinis *ad constitution.* 1. *Julii II.* §. 15. Cruz *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 4. *conclus.* 1. & alii, quos refert, & sequitur Portel. *in dubiis regular. verbo* Sacramentorum administratio *numer.* 9. Novarius *in lucerna regularium verbo* familiares *n.* 1. Diana 10. *part. tract.* 11. *resolut.* 3. Dicastillus *suprà num.* 64. Pellizzarius *Tom.* 2. *tract* 8. *cap.* 3. *sect.* 3. *numer.* 302. nostri Gabriel a S. Vinc. *Tom.* 2. *de sacram. disp.* 15. *de Euch. quæst.* 7. Ildephonsus supra cit. in *Scholiis ad* §. 51. *Mar. magni Carm.* Lezana *Tom.* 2. *cap.* 16. *nu.* 9. ubi videtur corrigere id quod dixerat *Tom.* 1. *cap.* 21. *num.* 10. ubi quandam declarationem Cardinalium in contrarium ex Gavanto afferebat; de qua etiam nobis non constat authenticè. 99

Dico IV. Possunt Regulares Eucharistiam ministrare in suis Ecclesiis in die Paschatis peregrinis, transeuntibus, & Mercatoribus pro adimplendo præcepto Paschali. Ita concessit Julius II. *constitutione sua* 1. §. 37. *apud Peyrinis ibi*, & tenent Rodriguez, Cajetan. Sotus, Henriquez, etiam secluso isto privilegio, quos refert, & sequitur Peyrinis *suprà num.* 90. Sanchez, & alii, quos refert, & sequitur Portel. *ubi suprà num.* 6. & probabilem putat Lugo, quem refert, & sequitur Dicastillus *Tom.* 2. *cap.* 14. *dub.* 7. *num.* 1. Pellizzarius *ubi suprà num.* 290. nostri Gabriel & Urbanus *locis cit.* quidquid Barbosa apud Lezanam *suprà num.* 8. Tambur. & alii, quos refert, & sequitur Diana 2. *part. tract.* 2. *resol.* 12. 100

Dico V. Licet satis probabile sit posse Regulares Eucharistiam ministrare in suis Ecclesiis omnibus fidelibus, etiam in Paschate pro adimplendo præcepto, nullo ad hoc consensu Parochorum requisito, ut concessit Nicolaus V. Fratribus de Guadalupe & tenet Cruz *suprà conclus.* 3. Rodrig. Beja, & alii, quos refert, & sequitur Peyrinis *ad constit.* 101

1. *Julii II. num.* 88. Fagund. *in præceptis Ecclesiæ præcepto 3. lib. 1. cap. 5. num.* 13. Lugo, quem refert, & sequitur Dicastillus *suprà num.* 6. Idem privilegium refert ex Authore Compendii Fuliens. noster Augustinus à V. MARIA, idemque sentit in suo *de privilegiis omn. Relig. opere V. Eucharistia*, ubi etiam plura ex præd. reperies. Verùm licèt hæc sententia probabilis sit, à contraria tamen sententia rarò, aut nunquam recedendum est; nam licet hæc facere licitè possint Religiosi, non expedit tamen tali facultate regulariter uti, dabitur namque occasio rixarum cum parochis. Unde applicari potest hic illud Pauli *ad Corinth.* 6. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, ut in simili casu notavit Lezana *in consiliis, consil.* 16. *n.* 43. & tenet nostri Gabriel *loc. cit.* & Urbanus *tract.* 2. *p.* 2. *dist.* 1. *cap.* 2. *regula* 4.

102 DICO VI. In mortis articulo possunt Religiosi ministrare Eucharistiam suis domesticis intra Conventum degentibus. Ita concessit Sixtus IV. apud nostrum Lezan. *Tom.* 5. *in Mari magno Prædicatorum* §. 11. *num.* 25. Idem concessit Clemens IV. Minoribus, & Alexand. IV. *in Mari magno Carmelitarum* apud *Lezan. Tom.* 2. *cap.* 16. *num.* 7. & 9. & tenet ipse Lezana *ibi*: Portel. *supra num.* 9. nostri Ildephonsus, Gabriel & Urbanus *locis cit.* Mancinus, quem refert, & sequitur Diana 5. *part. tract.* 3. *resol.* 52. & 2. *part. tract.* 2. *resolut.* 12.

Immò Lezan. *in Mari magno Prædicatorum Tom.* 5. §. 11. *num.* 25. cum aliis addit hoc facere posse Regulares, secluso privilegio; quam sententiam etiam tenet Novarius *verbo* familiares *num.* 2. Pellizzarius *Tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 3. *sect.* 4. *numer.* 324. & 326.

103 DICO VI. Regulares ministrare possunt Eucharistiam in mortis articulo pro viatico hospitibus in nostris Conventibus infirmantibus. Ita concessit Julius II. *Bulla* 1. apud Peyrinis, & tenet ipse Peyr. *ad eamdem constit.* 1. *Julii II. num.* 92. cum Rodrig. & aliis, quos ibi refert, & ex privilegio Pii IV. Nicolai V. quod refert, & sequitur Lezana *Tom.* 5. *in Mari magno Carmelitarum* §. 5. *num.* 20. Dian. 10. *p. tractat.* 11. *resolut.* 31. *in fine*, Pellizzarius *ubi suprà num.* 302.

104 DICO VIII. In casu, quo Rectores Parochialium se ostendant difficiles in præbendo Eucharistiam sæcularibus, qui Regularibus confessi sunt, vel malitiosè differant; tunc possunt Regulares eis deferre Eucharistiam pro viatico; sufficienti tamen prius exhibito testimonio de repudio. Ita concessit Sixtus IV. *in Bulla Dum attenta*, quæ est Mare magnum Carmelitarum. Ita Lezana *Tom.* 5. *in Mari magno Carmelitarum.*

Immò etiamsi illis non sint confessi, si aliàs est absens Parochus, vel injustè negat viaticum, & aliàs urget necessitas; possunt Religiosi omnibus fidelibus Eucharistiam pro viatico ministrare. Ita Præpositus, Hurtad. Tannerus, Ochogavia, & alii, quos refert, & sequitur Diana 5. *p. tract.* 3. *res.* 51. Leand. quem refert Diana 10. *p. tract.* 11. *res.* 31. Lugo, Suar. & alii, quos refert, & sequitur Dicastill. *Tom.* 1. *de Sacram. tract.* 4. *disp.* 11. *dub.* 8. *n.* 25. quod etiam probat ex Bulla Pauli III.

DICO IX. Regulares in suis Ecclesiis Eucharistiam processionaliter circumferre possunt, & super altare publicè adorandam exponere, ex quavis causa publica, vel privata. Ita declaravit Sacra Cõgregatio, apud Cruz *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 7. *notabili* 2. 105

Nec ad hoc requiritur consensus Ordinarii, saltem in hoc regno, non obstante alia declaratione Cardinalium, quam refert Lezana in contrarium *Tom.* 2. *cap.* 1. *n.* 26. siquidem in illo publicata non fuit, etsi fuit, usus legitimus illam abrogavit, ut & in aliis partibus fecit. Ita Lezana *ibi*; Pellizzarius *Tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *sect.* 2. *num.* 79.

An autem Regulares deferre possint Eucharistiam processionaliter extra Conventum, vel aliàs processiones facere absque licentia Ordinarii per vicos, & plateas. Respondeo affirmativè. Ita concessit Clemens VIII. pro festo corporis Christi *in Bulla*, quam refert Cruz *supra notabili* 2. & de omnibus tenent Portel. *in dub. regular. verbo* processiones *num.* 8. Tambur. Hieronymus, Rodrig. Graffius, quos refert Diana 2. *p. tract.* 2. *resol.* 27. 106

Nec obstant aliquæ declarationes Cardinalium in contrarium, quas refert Barbosa, siquidem contrario usu abrogata fuêre, nec nobis de illis constat authenticè. Ita Portel. *supra* ubi testatur de contrario usu in hoc regno.

In fine hujus §. Adverte, nos hîc non agere de Sacramento confirmationis; siquidem circa illud nihil Regulares possunt, nisi apud Indos, de quo *infra suo loco* dicemus.

§. 5.

De Sacramento Extremæ-Unctionis.

107 *In casu necessitatis, & absentia Parochi, possunt Regulares extremam Unctionem sæcularibus ministrare.*

108 *Extra talem casum id facientes incidunt in excommunicationem.*

109 Re-

109 *Regulares possunt dare extremam Unctionem suis familiaribus, & hospitibus sacularibus.*

110 *In casu quo Parochi se ostendant difficiles in exhibitione extrema Unctionis illis, qui Regularibus confessi sunt, possunt Regulares illis Unctionem extremam ministrare.*

111 *Regulares possunt extremam Unctionem suis hospitibus ministrare.*

107 DIco I. Licèt in casu necessitatis, & in absentia Parochi, quando scilicet licentia præsumitur tacita illius, possunt Regulares ministrare Sacramentum extremæ Unctionis sæcularibus, ut tenent Sylvest. Sotus, & alii, quos refert, & sequitur Lezana *Tom.1.cap.21.num.10.* extra tamen talem casum facientes id absque licentia Parochi, incidunt in excommunicationem latæ sententiæ. Ita cum multis aliis Lezana *ibi.* Ex privilegio tamen Sedis Apostolicæ, possunt Regulares Sacramentum ministrare extremæ Unctionis suis familiaribus, & pauperibus in hospitalibus suis degentibus, quibus etiam dare possunt Ecclesiasticam sepulturam, quæ privilegia refert *ibi* Lezana,

108 & Diana 9.*part. tract.*7. *resol* 56. & alii, quos refert, & sequitur Quintanad. *Tract.* 5. *singul.* 3. *num.* 9. *& singul.* 4. *num.* 3. & nostri Gabriel à S. Vinc. 3. *part. de Sacram. disp.* 1. *de extrem. Unct. quæst.* 2. & Urbanus *Tract.*2. *dist.*2. *reg.*2.

109 Immò Sixtus IV. concessit in Bulla, *Dum attenta,* quæ est *Mare magnum Carmelitarum*; quod in casu, quo Rectores Parochialium difficiles se reddant in exhibitione extremæ Unctionis erga illos, qui dictis Fratribus confessi sunt, illis absque causa rationabili denegando, vel differendo dictum Sacramentum illud petentibus, possint exhibere, facto tamen sufficienti testimonio de repudio, & de dilatione malitiosa, ut notavit Urbanus *loco cit.* nisi aliàs urgeat necessitas extrema, ut cum aliis notavit Lezana *Tom.* 5. *in Mari magno Carmelitarum, circa* §. 64. *num.*381.

110 Nam tunc, etiamsi nullum daretur privilegium, possent adhuc Regulares illis ministrare, & Eucharistiam, ac extremam Unctionem. Ita etiam Præpositus, Granad. Victorel. & alii, quos refert, & sequitur Diana 5. *part. tract.* 3. *resol.* 82. Quintanad. *Tract.* 5. *singul.*3. *num.*6.

111 DICO II. Regulares ministrare possunt extremam Unctionem etiam hospitibus, in suis Conventibus infirmantibus, quocumque titulo illos ibi contingat hospitari, absque licentia Parochi. Ita concessit Nicolaus Francus Legatus à latere, Sixt. IV. *Bulla* 42. *num.* 4. & statuta Legatorum de Latere sunt perpetua, ut habetur *in cap. fin. de offic. delegati,* ubi Glossa *verbo statuta,* & docent Zerola, Suarez, Rodriquez, quos refert, & sequitur Peyrinis *ad Constitut.* 1. *Julii II. num.* 93. Quintanad. *tract.* 5. *singul.* 4. *num.* 5. Eamdem facultatem concessit Pius IV. & Pius V. & ita docet Peyrin. & nostri Lezana in *Mari magno Carmelitarum,* §. 5. *num.*20. Gabriel & Urbanus *locis citatis.* Advertitque hic quemlibet Sacerdotem à Superiore suo deputatum, posse hoc munus obire, &c.

§. 4.

De Ordinis Sacramento.

112 *Regulares possunt suis subditis dimissorias concedere, ut non servatis interstitiis in tribus diebus festivis, vel solemnibus, ordinentur.*

113 *Prælati regulares possunt eodem modo novitiis dimissorias concedere.*

114 *Regulares ad Ordines mittendi debent examinari ab Episcopo, & intra suas domos non possunt ordinari ab Episcopo transeunte absque consensu Diœcesani.*

115 *In monasteriis Regularium non possunt Episcopi illis invitis dare Ordines, vel alia Pontificalia exercere, aut convocare Processiones, Missas, vel exequias celebrare, nec aliàs causas agere.*

DIco I. Possunt Prælati regulares concedere 112
dimissorias suis Religiosis, etiam sine consensu Episcopi Diœcesani, ut ordinentur extra tempora à quocumque Episcopo Catholico tribus diebus Dominicis successivis, non servatis interstitiis, vel in tribus solemnitatibus duplicibus eodem modo successivis. Ita Alexand. IV. *Bulla* 10. & Sixti IV. *Bulla* 13. Idem concessit Urban. II. *Bulla* 2. & Gregor. XIII. ut testatur Cruz *lib.* 2. *cap.* 8. *dub.* 1. & noster Augustinus supra citatus verb. *Ordinatio Clericorum.* ubi & plura alia hujus generis privilegia videre est: & Clem. VIII. Patribus S. Joan. Evangelistæ in Portugallia, ut testatur Portel. *in dub. regular. verbo* Ordines Sacri, *num.* 4. & hanc opinionem sequitur multos referens Palaus *ubi suprà, num.* 13. Rodrig. & alii, quos refert, & sequitur Portel. *suprà num.* 4. Cruz *suprà cap.* 8. *per totum.* N. Urban. *tract.*2. *dist.*2.

part. 2. *cap.* 5. *regula* 2. N. Gabr. à S. Vinc. *part.* 4. *de Sacram. disp.* 2. *de Sacr. Ord. quæst.* 5. *num.* 66. & Francisc. Bonæ Spei *Tract.* 7. *de Sacram. Ord. num.* 60. *&* 77. Dian. 3. *part. tract.* 2. *resol.* 31. 32. *&* 112. *ejusdem Tractatus, &* 9. *part. tract.* 8. *resol.* 28. ubi plures refert Novarius *verbo* dimissoriæ, *num.* 2. Ventriglia *annotat.* 24. §. *unico, num.* 46. *in praxi notabilium.* Immò Diana, & Portel. testantur de praxi. Et specialiter de Ordine nostro Carmelitano Reverendissimus Joan. Caramuel in *Vita Venerab. P. nostri* DOMINICI à JESU-MARIA, *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 147.

113 DICO II. Prælati regulares concedere possunt Novitiis litteras dimissorias, ut à quocumque Episcopo eodem modo, ac professi ordinentur; siquidem Novitii, ut *suprà* diximus, gaudent eisdem privilegiis, ac professi; ita Suar. Diana, quos refert, & sequitur Novarius *supra.* Vechius, Sanch. Tambur. & alii, quos refert, & sequitur idem Diana 3. *part. tract.* 2. *resol.* 7. Ventriglia *annotat.* 24. §. 45.

Adverte tamen, quòd in casu, quo Prælati regulares concedunt hujusmodi dimissorias Novitiis, debere observare decretum Tridentini *sess.* 21. *cap.* 2. *ut nemo absque beneficio, vel patrimonio ordinetur.* Lezan. *Tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 20. Excipiuntur tamen professi primæ professionis Societatis, propter specialem Religionis illius gubernationem à Gregor. XIII. ut testatur Urban. *Tract.* 2. *dist.* 2. *part.* 2. *cap.* 5. *reg.* 2.

114 DICO III. Licèt antiquitùs Regulares poterant ordinari in suis monasteriis à quocumque Episcopo transeunte absque consensu Episcopi Diœcesani, nec tenebantur subire examen coram ordinante, nunc tamen hæc sunt omnia in præsenti revocata, tum à Trident. *sess.* 6. *de reform. cap.* 5. *& sess.* 23. *cap.* 12. & Pii V. ita Portel. *suprà,* Urban. *loc. cit.* In aliis verò, quæ hucusque diximus, non est contrarium Tridentinum; ut latè probat Urban. *suprà,* & Palaus. Nam in Tridentino non revocantur privilegia, nec in Bulla Sixti V. & dato, quòd in Bulla Sixti V. revocentur, postea tamen Clemēs VIII. & Paulus V. ea reduxêre ad terminos Tridentini, in quo prædicta privilegia non revocantur: vide Urban. *suprà reg.* 2. & Palaum *suprà.* Nec etiam obstant quædam declarationes Sacræ Congregationis, quas refert Lezana *Tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 12. Nam hujusmodi declarationes non fuêre receptæ in Hispania, ut testatur Portel, *suprà num.* 2.

DICO IV. In monasteriis Religiosorum, illis invitis, non possunt Episcopi Ordines celebrare, vel alia Pontificalia exercere, vel Synodum, vel Processiones convocare, Missas, exequias; funera aut alia officia celebrare, nec aliàs causas agere. Ita Eugen. IV. Bulla pro Benedictinis, ubi hoc sub excommunicatione mandatur Episcopis, & Ordinariis, & quibusvis personis. Ita etiam concessit Augustinianis Sixtus IV. *Bulla* 34. & Prædicatoribus *Bulla* 33. & Pius V. *Bulla* 7. Ita Cruz *lib.* 2. *cap.* 8. *dub.* 1. *dicto* 6. Portel. *verbo* Processiones, *in dub. regular. num.* 10. Peyrinis, Tamb. quos refert, & sequitur Lezan. *Tom.* 5. *in Mari magno Eremitarum S. Augustini, num.* 44. quidquid in contrarium dicant Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 7. *num.* 104. 108. *&* 132. Delbene *Tom.* 2. *cap.* 14. *dub.* 22. *num.* 41. quorum sententiam approbat etiam Lezana *quoad Processiones Tom.* 5. *in Mari magno Carmelitarum, num.* 423. pro quo referunt, præsertim Delbene, multas Cardinalium declarationes, sed de illis nobis non constat authenticè, ut par erat. 115

§. 5.

De Matrimonii Sacramento.

116 *Regulares in nullo casu absque Parochi licentia possunt solemnizare matrimonium, aliàs incurrunt excommunicationem.*

DIcendum: In nullo casu absque Parochi licentia posse Regulares matrimonium solemnizare, etiamsi malitiosè Parochus assistere nolit; benè tamen cum tali licentia. Ita Lezan. *Tom.* 1. *cap.* 21. *num.* 9. Unde Regulares solemnizantes matrimonium absque Parochi licentia, incurrunt excommunicationem positam *in Clementina de privilegiis*; ut cum aliis tenet Lezana *suprà,* & *cap.* 9. *num.* 31. vel saltem incurrunt suspensionem ad arbitrium Ordinarii, ut tenent Henriquez, Suarez, Sayrus, Bonacin. & alii, quos refert Lezana *in Mari magno Eremitarum S. Augustini* §. 45. *num.* 130. Non loquor autem hic de Religiosis in Indiarum partibus, nam de his *infrà* redibit sermo. 116

SECTIO IV.

SECTIO IV.

De sepulturis, & exequiis in Ecclesiis Regularium, & quarta funerali.

§. I.

De sepulturis in Ecclesiis Regularium.

117 *Qui possint eligere sepulturam?*

118 *Sepulturæ electio probatur per testamentum, vel per duos testes, vel per codicillum invalidum, vel per solum dictum Confessarii.*

119 *Si quis fabricavit Capellam cum sepultura, censetur velle eli ere talem sepulturam.*

120 *Religiosi non possunt eligere sepulturam, benè tamen Prælati, vel Novitii, vel etiam Religiosi cæteri, quando non est possibile, quòd in Conventibus sui Ordinis sepeliatur.*

121 *Unusquisque potest eligere sibi sepulturam in Ecclesiis Regularium.*

122 *Non possunt tamen inducere aliquem ad vovendum, vel promittendum, quòd sepeliantur in suis Ecclesiis.*

123 *Idem dicendum est de Ecclesiis Monialium.*

124 *Parentes possunt pro filiis impuberibus eligere sepulturam; pro filiis impuberibus idem potest facere mater mortuo patre illorum.*

125 *Eligentes sepeliri in habitu Mendicantium, possunt eligere sepulturam, ubi voluerint.*

126 *Regulares vocato Parocho, possunt cum illo, vel sine illo si vocatus noluerit accedere, asportare defunctos ad suas Ecclesias cum cruce elevata, cantu, &c.*

127 *Regulares possunt cadavera exhumare, & illa ad alium locum transferre.*

117 DIco I. Quilibet, sive Clericus, sive Laicus, etiam illi, qui non sunt sui juris, ut uxor, filiusfamilias, pubes, vel servus, potest eligere sibi sepulturam. Ita habetur ex communi Ecclesiæ consuetudine; & tenent communiter Doctores apud Lezan. *Tom. 5. in Mari magno Minorum, §. 41. num.* 117. Probatur autem hæc sepulturæ electio per testamentum, vel scripturam manu propria subscriptam, vel per duos testes, etiamsi sint singulares, Lavorius, & alii, quos refert, & sequitur Barbosa apud Peyrin. *Tom. 2. cap. 4. num.* 52. quam sententiam etiam sequitur Peyrinis *ibi*: & Rolanus, Mascard. & al i, quos refert, & sequitur Pasqual. *Tom. 2. decisione* 404. *num.* 1. *&* 2. Immò sufficit codicillus invalidus, vel scriptura manu propria, vel dictum Confessarii, ut cum multis late probat Pasqual. *suprà decis.* 405. *&* 406. 118

Immò si aliquis sibi construxit Capellam cum sepultura in alia Ecclesia, ubi non sunt suorum majorum sepulturæ, eam sibi videtur eligere in sepulturam. Ita cum aliis Peyrinis *ibi*. Ab hac tamen communi regula excluduntur Religiosi, qui eligere non possunt sepulturam, nisi à propriis monasteriis adeò forsitan sint remoti, quòd ad ea cùm morientur, non possint commodè portari. Ita decernitur *in cap.* final. *de sepult. in* 6. Ut tenet cum aliis Barbosa, quos refert, & sequitur Lezana *Tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 10. Pasqualig. *Tom.* 2. *decis.* 382. *num.* 3. 119

An autem Prælati regulares in suis monasteriis eligere possint sepulturam? Affirmant prædicti Doctores *ibi*, quia in suis monasteriis habent auctoritatem. Idem dicendum est de Novitiis, quia in odiosis non veniunt nomine Religiosorum: Lezana *Tom.* 4. *verbo* Novitii, *num.* 41. Pasqualig. *Tom.* 2. *decis.* 381. *num.* 6. 120

Dico II. Unusquisque potest eligere sepeliri in Ecclesiis Regularium mendicantium cum illorum habitu, vel sine illo. Ita Sixtus IV. *in Mari magno Carmelitarum.* Ita Lezana *Tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 31. Non possunt tamen Regulares aliquem inducere ad vovendum seu promittendum sepulturam eligere in suis Ecclesiis, sub excommunicationis pœna Papæ reservatæ ipso facto incurrenda. Non incurrunt tamen hanc excommunicationem simpliciter tantùm inducentes, ut eligant sepulturam in alia Ecclesia. Ita Lezana *Tom.* 1. *primo, cap.* 9. *num.* 25. 121

Hæc autem facultas eligendi sepulturam in nostris Ecclesiis, extenditur ad Capitula, Claustra, Sacristiam, & Capellas. Ita cum aliis Lezana *Tom.* 5. *in Mari magno Carmelitarum*, §. 57. *num.* 345. 122

Et idem dicendum est de Ecclesiis Monialium; excepto quòd in claustris intra clausuram nullus sæcularis potest sepeliri, sed tantùm debent sepeliri in Ecclesia exteriori. Ita declaravit Sacra Congregatio, ut cum Marsilla, & Portel. testatur Lezana *suprà*. 123

Dico III. Possunt parentes eligere sepulturam pro filiis usque ad annos pubertatis in Ecclesiis Regularium. Immò mortuo patre, potest mater,

si non

si non extet majorum sepultura, illam eligere pro impuberibus filiis. Ita Molina, Layman, Lavorius, & alii, quos refert, & sequitur Pasqualig. *Tom. 2. decis.393. num.3.* Barbosa, quem refert, & ut probabilem tenet Ventriglia, loquendo *de legitimis filiis, annot. 52. num.16.* Nam de spuriis impuberibus, qui sunt sub matris potestate, absolutè tenet nostram sententiam *ibi num. 15.* & ita declaravit Sacra Congregatio apud Lezan. *Tom. 5. in Mari magno Prædicatorum, §.28. num. 85.* cui declarationi non obstat alia emanata *à num. 1645.* sub Innocent. X. quam refert Lezana *Tom. 5. in Mari magno Minorum, § 30. num. 70.* in qua dicitur non licere matribus eligere sepulturam pro impuberibus filiis, cessante legitima consuetudine: Nam hoc solùm fuit declaratum pro regno Majoricensi, nec talis declaratio authentica est, ut testatur idem Lezana, unde non est recedendum à prima declaratione.

An autem eligentes sepeliri in habitu Mendicantium possint eligere, etiam sine consensu illorum, sepulturam in alia Ecclesia, non obstante
125 Bulla aurea Sixti IV. & aliis, quas *ibi* refert Peyrinit *ad Constitut. 3. Sixti IV.* Respondeo affirmativè. Ita concessit Leo X. *in Bulla 26.* apud Peyrinis *suprà.*

126 Dico IV. Quando corpora defunctorum asportanda sunt ad Ecclesias Mendicantium, possunt Mendicantes accedere cum cruce elevata ad locum, ubi est corpus defuncti; & requisito priùs Parocho, qui aliàs tenetur venire, ut latè probat Portel. *Tom.2. casuum, casu 66. per totum.* ipso accedente, possunt deferre corpus defuncti cum cantu ad Ecclesias Regularium; quòd si Parochus accedere noluerit, sine illo possunt Regulares deferre corpus defuncti, nec tenentur deferre priùs corpus defuncti ad Ecclesiam parochialem, sed recto tramite possunt illud deferre ad suas Ecclesias. Ita declaravit Sacra Congregatio, ut testatur Peyrinis *in additamentis Leonis X. cap. 5.* Lezana *Tom. 5. in Mari magno Carmelitarum, num. 346. & in Mari magno Prædicatorum, num. 85.* ubi plura habes ad intentum; & tandem Belasius *verbo* Defunctus, *num. 2.*

Dico V. Possunt Regulares exhumare cadave-
127 ra, & illa in alium locum transferre. Ita concessit Leo X. & tenent Hieronym. Rodrig. Villalob. Navarr. quos refert Lezana *Tom. 5. in Mari magno Carmelitarum, num. 346.* & noster Ildephonsus à Jesu-Maria, *in Scholiis ad §. 57. Maris magni Carmel.* ubi plura advertit, circa hanc materiam, observatione dignissima. Diana *3. part. tract. 2. resol. 120.* Quod privilegium debet intelligi, quando talia corpora non sunt depositata: nam si tantùm sunt depositata, etiam seclusis privilegiis absque licentia Episcopi hoc facere possunt Clerici sæculares, quantò magis regulares.

Nec obstat, si dicas hujusmodi privilegium fuisse oraculum, ut notavit *ibi* Lezana. Respondetur namque jam esse per Bullam confirmatum, siquidem fuit ante Gregor. XV. quod sufficit, ut *ibi* advertit Lezana. Non intermittat Lector videre, quæ circa materiam hujus §. docent nostri supracitati Augustinus & Urbanus: hic in sua Theolog. Canonica ac morali *Tract. 2. part. 2. dist. 1. cap. 5. Regula 10. & 11.* ille verò in *Privilegiis omn. Religion. verbo* Sepultura.

§. 2.

De officio funerali & exequiis.

128 *Quoties cadavera defunctorum ad Ecclesias Mendicantium deferuntur, officia mortuorum debent fieri à Religiosis.*
129 *Dum cadavera sepeliuntur, non possunt Parochi in aliquo se intromittere, nec aliquos actus ibi exercere.*
130 *Officia sepulturæ debent fieri à Religiosis, etiamsi ante fuisset contraria consuetudo.*
131 *Hæc omnia procedunt etiam in Ecclesiis Monialium Regularibus subjectarum.*
132 *Parochi non possunt cogere hæredes defuncti, ut in parochiis celebrari curent aliquas Missas, vel novenalia.*
133 *Parochi non possunt postulare plus pro associandis defunctis ad Ecclesias Regularium, quàm sæcularium sub pœna excommunicationis.*
134 *Hæredes defuncti non tenentur vocare tot Clericos, quot Regulares, nec prius totum Capitulum, quàm Regulares.*
135 *Nec dare tot intortitia parocho, quot Regularibus, sed possunt vocare, sibi bene visos.*
136 *Statutum aliquarum Ecclesiarum, quarum Curati nolunt levare corpora defunctorum, nisi tot vocentur Clerici, quot Regulares, vel quòd dentur tot intortitia, est simoniacum, & continet monopolium, &c.*

Dico I. Quoties ad Ecclesias Mendicantium cadavera deferuntur, officia mortuorum, & 128
reliqua munera, quæ in hujusmodi monasteriis fieri

fieri solent, non à Canonicis, neque à clero, sed ab eisdem Fratribus obiri, ac peragi debent. Ita declaravit Sacra Congregatio, ut testantur Peregrinus, & Peyrinis apud Lezan. *Tom. 3. V.* Sepultura, *num.* 18. & tenet cum ipsis ipse Lezana *ibi:* Belasius *verbo* Defunctus, *num:* 10.

129 Immò dum cadavera in prædictis Ecclesiis Mendicantium, vel ipsis unitis sepeliuntur, non potest Parochus se intromittere, nec aliquos actus ibi exercere, etiamsi monasteria sint intra suos limites sita. Ita declaravit Sacra Congregatio, apud Lezan. *Tom. 5. in Mari magno Eremitarum S. Augustini, §. 3. num. 9.*

130 An verò officium super cadavera tumulanda in Ecclesiis Regularium debeat à Parocho fieri, (saltem ubi est immemorabilis consuetudo, an verò ab ipsis Regularibus? Respondeo, non debere fieri à Parocho, sed semper faciendum esse à Regularibus, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili in contrarium. Ita declaravit, & statuit Sacra Congregatio Rituum in una Salmonensi, 8. Augusti, anno 1629. & in aliis similibus declarationibus ejusdem Sacræ Congregationis, quas refert Barbosa. Ita Pellizzarius *Tom. 2. tract. 8. cap. 5. sect. 14. num. 164.* quæ procedunt etiam in Monialium Ecclesiis, Regularibus subjectarum. Ita declaravit Sacra Congregatio die 15. Martii, anno 1649. Ita Pellizzarius *ubi supra, num. 154.*

131 Nec parochus cogere potest hæredes testamentorum, qui in Ecclesiis Regularium sepulti sunt, ut in suis parochiis celebrent aliquas Missas, vel
132 novenalia. Ita declaravit Sacra Congregatio apud Lezanam *Tom. 5. in Mari magno Prædicatorum, §. 43. num. 154.*

133 Dico II. Parochi, qui majorem eleemosynam postulant pro sociandis cadaveribus, quæ apud Mendicantes sepeliuntur, quàm pro illis, qui in parochialibus Ecclesiis eligunt sepulturam, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam à Clemente VIII. *Bulla 2.* ut testatur Portel. *in additionibus ad dub. regular. verbo* Sepultura, *num. 2.* quam Constitutionem confirmavit Urbanus VIII. Et licet hujusmodi excommunicatio lata sit contra parochos Indiarum, quia tamen est declarativa juris communis Canonici, imò & naturalis, ad omnes parochos Universi extendenda est. Ita cum Portel. Peyrinis *in additament. ad Constit. Leon. X. cap. 4. num. 8.*

134 Dico III. Hæredes defuncti non tenentur convocare ad associandum corpus defuncti tot Clericos, quot Regulares, nec priùs totum Capitulum, quàm Regulares, nec dare tot intortia parocho quot Regularibus, sed convocare possunt Clericos sibi benè visos, & cuilibet dare ceram sibi benè visam, quolibet contrario prætextu per parochum deducto non obstante. Ita statuit Urban. VIII. *Constit. 21.* confirmans ex certa scientia Constitutionem Pauli V. ut testatur Peyrinis *in additamentis ad Constitutionem Leonis X. cap. 4. num. 7.* Belasius *verbo* Defunctus, *num. 9.*

Unde statutum aliquarum Ecclesiarum, quarum Curati volunt levare corpora defunctorum, nisi tot vocentur Clerici, quot Regulares, & nisi vocetur priùs totum Capitulum, vel si vult Regulares vocari, ut tot intortia dentur parocho, quot Regularibus, est contra Constitutionem Pii V. ut testatur Peyrinis *ibi*, & continet monopolium, & simoniam, & est contra libertatem Ecclesiasticam, ut latè probat ibi cum Fagund. & aliis Peyrinis. 135

Immò abusum hunc auferendum esse in toto Orbe, statuit Urbanus VIII. *Constitutione supra citata* apud Peyrinis *suprà.* Quare statutum Ecclesiæ Viennensis, quod hoc, & alia similia præcipit, omnino auferendum est. Vide supracitatos Augustinum & Urbanum *locis cit.* 136

§. 3.

De Quarta funerali.

137 *Nostri Religiosi non tenentur solvere quartam funeralem.*
138 *Qui Conventus teneantur juxta Tridentinum solvere quartam funeralem.*
139 *Si aliquando Regulares contra sua privilegia solverent quartam funeralem, non ex eo perdunt jus ad illam non solvendam.*
140 *Contra privilegia Regularium non datur præscriptio, nisi centum annorum spatium intercedat.*

Dico I. Religiosi nostri non tenentur solvere quartam funeralem parocho, (hoc est, quartam partem, quam obtinebant illorum, saltem, quæ collata fuerant cum corpore defuncti, juxta Bullam Pii V. apud Lezanam *Tom. 1. cap. 3. num. 12.*) non obstante decreto Clement. *Dudum.* Nec solvere tenentur Episcopo, seu parocho aliquam partem de legatis, & ultimis voluntatibus, nec de aliis pro victu, & ornamentis, aut aliis quomodo- 137

modolibet elargitis, nec qui eis illa solvunt, possunt ad illa coarctari. Ita concessit post dictam Clement. Eugenii IV. *Bulla* 12. Sixtus IV. *Bulla* 37. & Clemens VIII. *Bulla* 26. & nostri Carmelitæ Discalceati post contradictorium judicium, ventilata causa à solutione quartæ funeralis liberati fuêre à Clemente VIII. ut testatur Cruz *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 5. *conclus.* 2.

138 Nec obstat decretum Tridentini *sect.* 25. *cap.* 13. ubi præcipitur Mendicantibus, ut solvant quartam funeralem, ubi solitum erat ante annos 40. hoc est, per 40. annos ante Tridentinum, ut Sacra Congregatio declaravit, & Pius V. *Bulla sua*, quam refert Lezana *Tom.* 5. *in Mari magno Eremitarum S. Augustini, num.* 116. Nam ex hoc decreto solùm colligitur, quòd Conventus, qui solvere solebant quartam funeralem per 40. annos ante Tridentinum, ad eam solvendam in perpetuum teneri; non tamen illi Conventus, qui ante Tridentinum plus 100. annos illam non solvebant, nec alii Conventus post Tridentinum fundati, qui nunquam illam solverunt, ut docet Lezana *Tom.* 5. *in Mari magno Carmelitarum, num.* 349. ut decidit sacra Rota in quadam decisione, quam refert Lezana *in Mari magn. Eremitarum S. Augustini, num.* 116. atqui multi ex nostris Conventibus centum ferè & viginti annis ante Tridentinum quartam funeralem non solvebant ex privilegio Nicolai V. Clement. IV. & Benedicti II. & qui postea fundati sunt, non includuntur in dicto decreto Tridentini, ut decidit sacra Rota *suprà*: ergo non tenentur solvere quartam funeralem.

Tandem, ut omnis dubitatio tolleretur post dictum decretum Tridentini, Paulus V. postea concessit nostris Carmelitis, in Bulla, quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem*, ut omnes nostri Conventus, qui deinceps in toto Orbe construerentur, non tenerentur ad solutionem dictæ quartæ funeralis: non obstante decreto Tridentini, vel alio quocumque statuto. Ita nostri Lezana *in Mari magno Carmelitarum*, §. 58. *num.* 353. Urban. *Tract.* 2. *part.* 2. *dist.* 1. *cap.* 5. *regula* 10. Augustinus à V. MARIA *lib. cit. V.* Portio Canonica. & Ildephonsus *loc. cit.*

139 DICO II. Quamvis Regulares contra sua privilegia decretum Tridentini, & Bullas Pontificum, & Cardinalium declarationes, aliquando quartam funeralem solverint, non ex eo perdunt jus ad illam non solvendam, quia renuntiatio privilegii non valet, nisi ab habente facultatem ad id faciendum, quales non sunt personæ privatæ Religiosorum, juxta juris vulgatum: *Delictum personæ, & cat. in* 6. Ita Abbas, Felinus, uterque Rodrig. apud Lezan. *Tom.* 5. *in Mari magno Carmelitarum, num.* 351. & casu quo id facere possint, non fieret hoc, nisi per spatium 40. annorum, juxta dispositionem juris *in cap. accedentibus, cap. si terra de privilegiis.* Item etiam, si per spatium 40. annorum solverent, adhuc præscriptio non tenet, quia contra bona, & jura Regularium, non nisi centenaria currit præscriptio. Ita Eugenius IV. *Bulla* 17. quam refert Lezana *Tom* 5. *in Mari magno Carmelitarum, num.* 351. & tenent Portel. Diana, Cruz, Rodrig. & alii, quos refert & sequitur Pellizzarius *Tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *sect.* 4. *num.* 161. Barbosa, quem refert & sequitur Lezana *suprà.* 140

SECTIO V.

De Concionatoribus regularibus, eorumque privilegiis, & obligationibus.

141 *Licitum est Religiosis prædicare; debent tamen priùs examinari à suis Superioribus.*

142 *Religiosus prædicans sive in sua, sive in aliena Ecclesia, sine Superioris approbatione & licentia, peccat mortaliter.*

143 *Regularibus ad prædicandum in suis Ecclesiis, sufficit, quòd habeant licentiam suorum Superiorum, & quòd se præsentent Episcopo.*

144 *Ad prædicandum in alienis Ecclesiis requiritur licentia Episcopi.*

145 *Parochus potest dare licentiam Religioso docto, ut bis, vel ter prædicet in sua Ecclesia, sine Episcopi approbatione.*

146 *Religiosi possunt prædicare suis Monialibus privatè, absque approbatione Episcopi, cum sola licentia suorum Prælatorum.*

147 *Regulares semel approbati ab uno Episcopo, ad prædicandum possunt non repugnantibus Parochis ubique prædicare.*

148 *Non tamen repugnante Episcopo.*

149 *Quacumque diei hora possunt Regulares in suis Ecclesiis prædicare, etiamsi in eadem hora prædicet Episcopus.*

150 *Regulares aliàs idonei, cum sola prima tonsura possunt ubique de licentia suorum Superiorum, & Episcopi prædicare.*

151 *Regulares non debent de jure ab Episcopo examinari, sed sufficit suorum Superiorum attestatio,*

testatio, contrarium tamen fit ex consuetudine.

152 *Regulares semel præsentati Episcopo, & ab illo approbati, non possunt iterum compelli ut se præsentent.*

153 *Quod peccatum committant detrahentes in sermonibus?*

154 *Qui non explicant Scripturam sacram juxta mentem sanctorum Patrum, falsa prædicendo, incidunt in excommunicationem.*

155 *Non tamen incidunt in excommunicationem, qui mutant nomen unius Sancti pro alio, vel qui dicunt aliquas facetias inter concionem, peccant tamen venialiter.*

156 *Regulares semel ab Episcopo approbati, possunt ubique prædicare, non contradicentibus parochis.*

157 *Quomodo de B. M. V. Conceptione sit prædicandum.*

158 *Regulares retrahentes in sermonibus à solutione decimarum, incurrunt excommunicationem.*

141 DIco I. Licitum est Religiosis prædicare. Ita definitur *in cap. Moderamine, & cap. Ex parte,* non possunt tamen exercere hoc munus sine examine de moribus, vita, & scientia, & absque licentia suorum Superiorum. Ita habetur in Tridentino *sess. 5. cap. 2.* Unde Regularis prædicans, sive intra suas Ecclesias, sive in alienis Ecclesiis absque sui Superioris licentia, peccat mortaliter. Ita Navar. & alii, quos refert, & sequitur Lezana *Tom. 1 cap. 20. num. 1.* Cruz *lib. 1. cap. 7. dub. 2. conclus. 2.* Bordon. *Tom. 1. resol. 7. num. 26.* non tamen incurrit ipso facto excommunicationem, ut benè probat Bordon. *supra num. 29.*

142 Idem peccatum committunt Prælati, qui subditos non examinatos de vita, moribus, & scientia, & non idoneos permittunt prædicare, tum ex Tridentino, tum ex Leone X. tum ob scandala, quæ inde oriri solent: Peyrinis, quem refert, & sequitur Lezana *suprà.*

143 DICO II. Regulares ad prædicandum in suis Ecclesiis, sufficit habere licentiam suorum Superiorum, & præsentare se Episcopo, (si aliàs non detur aliquod grave impedimentum, ut advertit Peyrin. *Tom. 3. privileg. cap. 1. num. 11.*) & petere benedictionem illius ad prædicandum: in aliis verò Ecclesiis, ultra licentiam suorum Prælatorum, requiritur etiam licentia Episcopi. Ita habetur in Tridentino *suprà*, quæ verba, ut tolleretur ambiguitas, quæ ex illis oriebatur, explicavit Urbanus VIII. *in quadam Constitutione*, quam refert Barbosa apud Peyrinis *suprà num. 9.* ut ita intelligantur, quòd Regulares possint de licentia suorum Superiorum prædicare in suis Ecclesiis, petitâ priùs Episcopi benedictione, licèt non obtentâ, immò illo contradicente.

In alienis verò Ecclesiis obtentâ priùs licentiâ Episcopi, quæ si non exequantur, possunt fieri, excommunicatione latâ *in cap. Excommunicamus de hæreticis,* Portel. *in dub. regular. verbo* Prædicare, *num. 11.* 144

Adverte tamen, quòd si Religiosus prædicet absque ulla dictarum licentiarum, non ab Episcopo, sed à Superiore suo puniri debet. Ita declaravit sacra Congregatio, ut testatur Cruz *suprà.*

DICO III. Licèt Regulares sine Episcopi licentia prædicare non possint extra suas Ecclesias, poterit tamen parochus bis, vel ter licentiam dare alicui Religioso gravi, & idoneo, vel alio cuicumque, ut prædicet in sua parochia sine Episcopi approbatione. Ita Rodrig. Portel. Navar. Barbosa, quos refert, & sequitur Bordon. *suprà num. 24.* Henriq. quem refert Lezana *suprà num. 4.* 145

An autem Regulares possint absque licentia, vel benedictione Episcopi prædicare suis Monialibus de licentia suorum Superiorum? Respondeo affirmativè, modò prædicatio privata sit non pro solis Monialibus; quia Concilium requirit benedictionem, quando prædicaturi sunt in suis Ecclesiis in publico, non verò quando prædicant privatim: Bordon. *suprà num. 33.* 146

DICO IV. Prædicatores Societatis semel approbati ab Ordinario, & à suo Prælato deputati, Curatis non repugnantibus, possunt ubique terrarum, ubi non sunt Ordinarii, prædicare. Ita habetur in eorum Compendio, ut testatur Bordon. *Tom. 1. resol. 7. num. 22.* ubi cum Rodrig. ait hoc privilegium aliis Mendicantibus communicari. 147

Possunt item omnes Religiosi prædicare in viis, & plateis, etiam sine Episcopi licentia. Ita concessit Sixtus IV. & Bonifacius IX. Paulus III. & Clemens V. in Bullis variis, quas refert Lezana *suprà*, quæ privilegia non sunt revocata à Tridentino, nec per Constitutionem Gregor. XV. nam in illis solùm prohibetur, quòd Regulares non prædicent absque benedictione Episcopi in Ecclesiis alienis. Mirand. & alii, quos refert, & sequitur

Lezana *suprà num.* 5. Pellizzarius *Tom.* 2. *tract.* 8. *cap* 4. *sect* 1. *num.* 32.

148 Nunquam tamen possunt uti hac facultate contradicente Episcopo. Ita Rodrig. Lezana *ibi.* Possunt tamen in Diœcesibus, ubi approbati sunt, suo munere prædicandi uti, etiam contradicentibus parochis, ex privilegio Sixti IV. concesso Carmelitis, quod refert & approbat Pellizzarius *suprà num.* 33. Sed hoc rarò, aut nunquam expedit.

149 Item possunt prædicare, etiamsi eadem hora Episcopus prædicet; nam licèt in aliquibus privilegiis hæc restrictio habeatur, ut non prædicent eadem hora, qua Episcopus prædicat; in Bulla tamen Pauli III. pro Jesuitis talis restrictio non invenitur.

150 Dico V. Regulares aliàs idonei, etiam cum sola prima tonsura, ubique prædicare possunt de licentia Episcopi, & suorum Prælatorum, non obstante quovis Concilio generali, & ibi mandatur Ordinariis, ne eos impediant. Ita concessit Paulus III. Jesuitis *Bulla* 7. quam posteà confirmavit Gregor. XIII *Bulla* 3. quas refert Cruz *supra conclus.* 2. Ita Portel. *in dub. regular. verbo* Prædicare. *num.* 16. Cruz *suprà*, & cum aliis Pellizzarius *Tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 4. *sect.* 1. *num.* 30.

151 Adverte tamen, quòd licèt Regulares habere debeant licentiam prædictam Episcopi, ut in alienis Ecclesiis prædicent, ut suprà diximus; non debent tamen de jure examinari ab Episcopo, sed sufficit attestatio eorum Superiorum, ut patet ex Constitutione Leonis X. apud Bordon. *Tom.* 1. *resolut.* 7. *num.* 16. & tenet Pellizzarius *suprà num.* 22. benè tamen de consuetudine, ut *ibi* testatur Bordon. ubi etiam affert quamdam declarationem Sacræ Congregationis.

152 Secundò adverte, Regulares semel præsentatos, & approbatos ab Episcopo, non posse iterùm compelli, ut præsententur, benè tamen à successoribus, juxta dicta de Confessariis *disp. præcedenti*, §. 1. *sect.* 1. *num.* 7. Ita Mirand. Sorbus, quos refert, & sequitur Lezan. *suprà num.* 7.

153 Dico VI. Religiosi, qui detrahunt in sermonibus Sacerdotibus, eos nominando specialiter, mortaliter peccant. Navar. apud Cruz: immò si detrahunt Prælatis Ecclesiæ, vel retrahunt fideles à dictorum Prælatorum Ecclesiis, vel indulgentias falsas pronuntiant, aut retrahunt testatores à restitutionibus debitis, vel legatis Ecclesiis ma-tricibus faciendis, aut aliis, suis, vel alienis Conventibus, vel non explicant Scripturam sacram juxta sanctorum Patrum interpretationem, falsa proferendo, vel tempus præfixum malorum, vel adventus Antichristi, aut Dei judicii prædicendo, aut futura, ut revelata à Spiritu sancto proferendo, incidunt in excommunicationem Papæ reservatam à Leone X. in Concilio Lateranensi, Bordon. *suprà num.* 21. Lezana *suprà num.* 10. licèt Navar. 154
& Suar. quos *ibi* refert Lezana, dicant hujusmodi censuram non fuisse acceptatam; sicut nec *Clementina*, 1. *de privilegiis*, quoad ejus pœnas, Portel. *in dub. regular. verbo* Prædicare, *num.* 3. Peccabunt tamen in omni opinione mortaliter, quia vel falsa in doctrina, vel scandalosa dicunt.

Secùs dicendum est de illis, qui in concionibus 155
falsum dicunt in citationibus, ut in numero, capitulo, nomine Auctorum, vel loco unius Prophetæ alterum dicendo: nam tunc non peccant mortaliter, cùm non committant mendacium in doctrina, sed in accidentibus, & sine præjudicio proximi, Cajetan. Azor. quos refert, & sequitur Lezana *suprà num.* 17.

An autem illi, qui fabulas, facetias, &c. dicunt in concionibus, peccent mortaliter? Respondeo negativè; peccant tamen venialiter, quia abutuntur suo munere, Navar. quem refert, & sequitur Lezana *suprà num.* 16.

Dico VII. Regularis semel admissus ab Epi- 156
scopo in concionatorem, cùm iter terra aut mari agit, ubique non contradicentibus parochis, prædicare potest. Ita concessit Gregor. XIII. dummodo tamen in ipsis locis non sint Episcopi; nam tunc requiritur eorum licentia, Peyrinis *de subdito, quæst.* 1. *cap.* 22. Belasius *verbo* Concionator, *num.* 10. & alii, & nos jam *suprà* tetigimus.

Adverte tamen, quòd concionatores prædican- 157
tes de B. Virginis Conceptione, prædicare debent conceptam fuisse absque peccati originalis labe; non possunt tamen contrariam sententiam reprobare, aut rationibus impugnare, vel auctoribus, sed tantùm possunt partem negantem approbare sub excommunicationis pœna reservata Papæ, & suspensionis à divinis, & privationis cujuscumque gradus, & dignitatis, seu administrationis, & inhabilitatis ipso facto incurrendæ, tam per Sixtum IV. quàm per Pium V. ut testatur Lezana *suprà num.* 12. quas pœnas postea innovavit, & auxit Paulus V. ut videre est apud eumdem Lezanam, & no-

& nostros Salmanticenses *Tom.* 4. Curs. sui Theologici, qui est 2. *in* 1. 2. *S.Thom. tract.* 13. *disp.* 15. *in Principio.* Qui etiam adducunt decretum Gregorii XV. in quo idem statuitur. & *numer.* 2. *ac per* 10. *subseq.* prolixè validèque probant primos vates & Auctores sententiæ Conceptionis immaculatæ *Deiparæ* Virginis fuisse Carmelitas. Adi illos *ibidem*, & multa nova & lectione digna reperies, tota illa disputatione fusissima in *sex dubia divisa.*

158 Tandem in eamdem excommunicationis censuram incidunt, qui in concionibus suis aliqua proferre præsumunt, ut audientes à decimarum Ecclesiis debitarum solutione retrahant. Ita habetur in Clement. *cupientes* apud Lezan. *Tom.* 1. *cap.* 9. *n.* 26. & nost. Gabrielem à S. Vinc. in suo opere de censuris *disput.* 4. *quæst.* 3. *num.* 73. ubi tres conditiones requirit ad hanc excommunicationem incurrendam: & *disp.* 6. *quæst.* 6. *num.* 254. ubi agit de suspensione, quam incurrunt Prædicatores & confessarii, si requisiti non moneant auditores, aut pœnitentes de obligatione solvendi decimas. Et si plura vis de his consule Lezanam, Peyrinis, Bordon. *locis supra citatis,* & nost. Urbanum *Tractat.* 2. *part.* 2. *dist.* 1. *cap.* 3. ac Ildephonsum in *scholiis supracitatis.*

SECTIO VI.

De decimis, oblationibus, gabellis, & contributionibus.

§ I.

De Decimis.

159 *Regulares sunt exempti à decimis personalibus, & prædialibus, eorúmq; quæ propriis sumptibus excolunt, etiam de novalibus, & nutrimentis animalium.*

160 *Hoc privilegium extenditur etiam ad prædia adquirenda, licet talia prædia antea solverint.*

161 *Mendicantes sunt exempti à decimis de omnibus suis terris etiamsi eas per colonos excolant.*

162 *Regulares non tenentur solvere decimas de terris emptis, vel donatis, locatis, & in emphyteusim habitis, si propriis manibus excolant, vel excoli faciant.*

163 *Coloni Regularium sunt etiam à decimis exempti.*

164 *In Lusitania ex consuetudine coloni solvunt decimas parochis.*

165 *Moniales non tenentur solvere decimas sicut Regulares.*

166 *Equites Christi, Calatravæ, Aviz, Divi Jacobi, &c. non tenentur solvere Decimas de commendis.*

167 *Quid sit dicendum de bonis patrimonialibus.*

168 *In exemptione à decimis datur communicatio privilegiorum.*

169 *Decisionibus sacræ Rotæ non est necessario semper standum.*

170 *Equites Christi, & Aviz, &c. sunt veri Religiosi.*

171 *Magnus Magister, seu Generalis non potest per se solum renuntiare privilegiis.*

172 *Nec Generalis, nec Capitulum generale potest renuntiare privilegiis exemptionis absque licentia Papæ.*

173 *Generalis, nec Capitulum generale non potest aliquid contra jus commune statuere.*

174 *Generalis, nec Capitulum generale non potest renuntiare privilegio principaliter concesso in gratiam Communitatis, & in commune commodum.*

175 *Equites ex vi privilegiorum non tenentur solvere Decimas, benè tamen ex vi consuetudinis, & quia Curati contra illos præscripsère.*

176 *Religiosi non amittunt privilegium, si à privatis personis fiant aliqui actus contrarii privilegio, si Communitas non consentit.*

177 *Contra privilegia Regularium solum potest dari præscriptio centenaria.*

178 *Hæc præscriptio debet numerari ab ultima confirmatione privilegiorum ex certa scientia.*

179 *Privilegia Regularium non possunt annullari per non usum, vel contrarium usum.*

180 *Equites Christi, Aviz, & Calatravæ tenentur solvere decimas de bonis patrimonialibus juxta decisionem novissimam sacræ Rotæ.*

DIco I. Religiosi non solum jure communi (*cap. Ex parte de Decimis*) exempti sunt à Decimis 159
personalibus, & prædialibus eorum, quæ propriis sumptibus excolunt, & de novalibus, ac de nutrimentis animalium, ut latè probat cum Suar. & aliis

Paulus *Tom.* 2. *tract* 10. *disp. unica p.* 19. *num.* 2. sed etiam ex privilegiis multis. Ita námque illis concessit Eugenius IV. Augustinianis & postea confirmavit Sixtus IV. *in eorum Mari magno* §. 13. *n.* 29. ut testatur *ibi* Lezana *Tom.* 5. ubi etiam alia complura privilegia quoad hoc tam pro Minoribus, quam Carmelitis refert, quæ privilegia, non solum extenduntur ad possessiones acquisitas, sed etiam acquirendas, licet aliàs talia prædia antea
160 solverent Decimas parochiæ. Ita concessit Sixtus IV. & Gregorius XIII. cum derogatione Capitis *nuper* de Decimis. & definitum est à sacra Rota anno 1627. ut testatur Lezana *Tom.* 5. *in Mari magno Prædicatorum* §. 26. & cum eo tenent Pellizzarius, Palaus, Leand. quos refert, & sequitur Diana 10. *p. tract.* 12. *resol.* 52.

Immò privilegia hæc extenduntur etiam ad novalia culta post concessionem privilegii. Ita citati Doctores apud Dianam *supra*.

161 Dico II. Mendicantes, & qui communicant cum eis in privilegiis, exempti sunt à Decimis, non solum prædiorum, quæ propriis sumptibus excolunt, sed etiam de omnibus suis terris, etiamsi ipsi eas non colant. Ita concessit Joan. XXII. *Bulla* 21. expressè derogans *Cap.* nuper *de Decimis*.

Et licet hoc privilegium per Gregor. XIII. moderatum postea fuerit pro patribus Societatis Lusitaniæ, ut tantùm solverent ex 20. modiis unum, à Paulo V. postea omnia antiqua privilegia magna ex parte illis etiam pro hoc regno restituta fuêre à Gregor. XV. ut testatur Fagund. *in præceptis Ecclesiæ præcepto* 5. *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 3.

Et tandem omnia privilegia hæc confirmavit Paulus V. Urbanus VIII. ut testatur Cruz *lib.* 2. *cap.* 9 *dub.* 4. *conclus.* 4. *versu* ad hoc *in* 4. *editione*. Ita etiam tenet Pellizzarius, & alii quos refert, & sequitur Dian. 10. *part. tract.* 12. *resol.* 51. Immò nec etiam tenentur Decimas solvere de terris emptis, donatis, locatis, & in emphyteusim habitis, si propriis manibus excolant, vel excoli faciant pro sua
162 sustentatione. Ita concessit Gregor. XI. Martin. V. & Paulus III. Fratribus de Guadalupe, ut refert Diana *supra*, & tenet Azor. Hieronymus, Garcia, Leand. Cruz, quos refert Diana 10. *p tract.* 12. *resol.* 50.

163 Immò in aliquibus privilegiis, ut sunt illud Joannis XXII. & aliud Leon. X. & Gregor. XIII. quæ refert Diana statim citandus, eximuntur etiam coloni, vel saltem conceditur quod coloni teneantur Decimas solvere, non parocho, sed Monasterio, ut testatur Portel. *in dub. regular. verbo* Decimæ *n.* 10. nam hoc privilegium, non est personale, sed reale. Ita etiam tenet cum aliis Palaus *supra n.* 10. Peyrinis *ad constitut.* 2. *Julii II. n.* 121. Lezana, Tambur. quos refert, & sequitur *Verbo colonus num.* 1. Pellizzarius, Leander, Philippus à Cruce, Garcia, Hieronymus, & alii, quos refert & sequitur Diana 10. *p. tract.* 12. *resol.* 52. licet Philippus à Cruce asserat hoc procedere quidem in tota Hispania, non tamen in Lusitania ubi ratione contrariæ consuetudinis, coloni Decimas solvunt parochis suis, sed hoc apud alium non inveni: unde consulatur consuetudo.

Et hæc omnia, quæ diximus competere Religiosis, competunt etiam monialibus. Ita concessit Bonifacius VIII. *Bulla* 3. & Benedictus XI. *Bulla* 2. ut testatur Cruz *supra conclus.* 5. Lezana *Tom.* 5. *in Mari magno Minimorum num.* 107. ubi refert quamdam decisionem Rotæ in monialium favorem, in qua deciditur Decimas, quas coloni tenebantur solvere parocho, teneri solvere monialibus, sed in his omnibus standum est regni consuetudinibus, ut rectè ait Portel. *in dub. regular. verbo* Decimæ *num.* 3. Et ferè omnes Religiones habent similia privilegia, ut testatur Lezana *Tom.* 5. *in Mari magno Augustiniensium* §. 13. *num.* 29. *&* *Tom.* 1. *cap.* 3. *n.* 15. & nost. Augustin. à V. MARIA in *supracit. opere* de Privileg. verb. *Decima*. ubi quamplurima refert plurimorum Pontificum diversis Religionibus circa hoc concessa Privilegia. 164 165

An autem equites Christi, Alcantaræ, Calatravæ, & Divi Jacobi exempti sint à Decimis, non solum de Commendis, sed etiam de prædiis patrimonialibus, quæ propriis sumptibus excolunt? De Commendis certum est teneri, ut testatur Portel. *Tom.* 2. *casuum casu*...... De prædiis autem Patrimonialibus, quæ propriis sumptibus excolunt, magna est dissensio inter Recentiores. Affirmat Navar. *Tom.* 1. *tract. de redditibus Ecclesiasticis fol. mihi* 332. *num.* 1. Gabriel Pereira de Castro *decis.* 91. *per totam*, Pheb. quem citat Themudus 1. *p. decisione* 2. *n.* 36. favet Tambur, *Tom.* 2. *disp.* 24. *quæsito* 5. *n.* 79. *&* 72. 166

Eandem sententiam à fortiori debent tenere omnes Doctores, qui dicunt hujusmodi milites esse veros Religiosos, ut sunt multi, quos referunt, & sequuntur Sanch. *in sum. lib.* 4. *cap.* 4. *cap.* 16. *n.* 11. Dian. *part.* 1. *tract.* 2. *resol.* 10. Joan. Sancius *disp.* 49 *num* 10. Barbosa *de potestate Episcopi Tom.* 2. *allegar.* 12. *num.* 46. Lezana *Tom.* 2. *cap.* 5. *num.* 6. Nam Religiosi 167

ligiosi exempti sunt à Decimarum solutione de prædiis, quæ propriis sumptibus excolunt, tum jure communi *cap.* Ex parte *de decimis. & cap.* quæsiti. & *cap.* decimis. ut *supra* diximus; tum ex privilegiis multis, de quibus Mirand. *Tom.* I. *quæst.* 29. *art.* 12. Lezan. *Tom.* 1. *cap.* 3. *n.* 15.

Probatur deinde sententia hæc multis privilegiis. Nam Martinus V. in Bulla *Militanti Ecclesiæ*, tam militiæ JESU CHRISTI, quàm de Aviz, & aliis, quæ ad Ordinem Cisterciensem pertinent, concedit gaudere privilegiis Ordinis Cisterciensis, S. Justinæ, & Montis Cassini, ut constat latius ex Bulla Gregor. XIV. Ordo autem Cisterciensis multa habet privilegia non solvendi Decimas, ut patet ex privilegio Gregor. X. Bulla *In vestitu deaurato*, quam postea confirmavit Bonifacius VIII. & Sixtus IV. in Bullis quas refert Lezan. *Tom.* 2. *cap.* 2. *num.* 26. & Gregor. XIII. anno 1578. in Bulla *Ex Apostolicæ Sedis*, ad instantiam Regis D. Sebastiani concessit militiis hujus regni, quando jam vivebant cum uxoribus omnia privilegia, & indulta militiæ S. Jacobi de Calatrava, ut testatur Rodrig. *in Bullario fol.* 793. & postea confirmavit idem Gregor. XIII. *in altera Bulla*, quam refert Cherubinus *Tom.* 2. *pagina mihi* 300. atqui militia Calatravæ gaudet privilegiis non solvendi prædictas Decimas ex Bullis Honorii III. & Sixti IV. & Leon. X. ut testatur Tamburinus *Tom.* 2. *disp.* 24. *quæsito* 5. *num.* 79. ergo milites hujus regni exempti sunt à Decimis.

168 Nec obstat, si dicas in exemptione à Decimis non prodesse communicationem privilegiorum, ut decisum est à sacra Rota, ut testatur Trullenc. *in Decalog. Tom.* 1. *lib.* 9. *dub.* 11. *num.* 4. ergo licet Pontifex iis militibus privilegia Cisterciensium, & Equitum S. Jacobi de Calatrava communicasset, non tamen communicavit exemptionem à Decimis. Respondetur negando antecedens. Ita Joan. à Cruce, Raphaël de la Torre, Lezana, Philippus de Cruce, Hieronymus, Garcias, quos refert Dian. 10. *p. tract.* 12. *resol.* 49. Nam, quando

169 agitur de causa pia, & in favorem Religionis privilegia latè sunt interpretanda. Unde decisioni sacræ Rotæ non est necessariò standum; & dato, quod deberemus illi stare, adhuc prædicti Equites non tenerentur solvere prædictas Decimas. Nam in Bulla Leon. X. quæ refertur *in libro gladiorum fol.* 309. & testatur Pereyra *supra*, illis hæc exemptio conceditur à Decimis. Quæ omnia tandem renovata fuêre per Gregor. XIII. ut constat *ex libro gladiorum fol.* 18. & 25. ut testatur idem Pereyra *supra*.

Hæc privilegia adeo clara, & manifesta sunt, ut 170 illa etiam admittat Brittus *de locato* 1. *p. cap.* 2. *n.* 4. cum aliàs sit sententiæ contrariæ acerrimus defensor: negat tamen suffragari adhuc hujusmodi militibus, qui extra Conventus vivunt, quia, ait, illi postquam uxores duxerunt, à vero statu Religioso defecerunt; siquidem & uxores, & proprium habent, possuntque testari, & vendere, donare, majoratus instituere; quæ omnia paupertatis, & castitatis voto opposita sunt. Sed in his omnibus equivocatus est hic Auctor, siquidem cum juxta nostram sententiam illi Equites sint veri Religiosi, nullum dominium habent bonorum etiam patrimonialium, ut docent Azor, Rodrig. Navar. quos refert, & sequitur Lezan. *Tom.* 2. *cap.* 5. *n.* 6. & *seqq.* Sed hæc omnia bona pertinent ad Religionem in communi, & Equites tantum usum illorum habent in Ordine ad licita & honesta, nutu, & voluntate Superiorum commissa, sicut Equites D. Joannis, sed cum majori amplitudine; nam ex concessione Pontificum possunt testari, majoratus instituere, nubere, &c. quæ omnia non adversantur vero statui Religioso, ut latissime probat cum multis Cast. Palaus *Tom.* 4. *tract.* 16. *disp.* 1. *p.* 1. *n.* 4.

Quare Themudus 1. *p. decisione* 2. *n.* 36. videns imbecillitatem hujus rationis Britti, aliud investigavit fundamentum dicens omnia supradicta privilegia revocata fuisse *in cap.* nuper *de Decimis* in Concilio Lateranensi: Sed hic Auctor etiam in annorum numero computando hallucinatus est; siquidem post prædictam revocationem *in cap.* nuper *de Decimis* concessa fuêre hujusmodi Equitibus alia nova privilegia, non solvendi Decimas, ut constat ex prædicto privilegio Martini V. qui vixit 200. annis post dictum Concilium Lateranense. Concilium namque fuit celebratum anno 1215. & Martinus V. vixit anno 1430. ut refert historia Pôtificalis 2. *Tom. c.* 2. & ex privilegiis Gregor. XIII. & Leon. X. *supra* citatis, qui multis postea transactis annis floruêre. Nec etiam obstant aliquæ sententiæ, quas pro se citat Themudus, nam præterquam quod etiam Equites alias sententias pro se habuêre in judicio Ecclesiastico legati hujus regni, quas refert Pereira *supra*; sententiæ, quæ fuêre latæ contra Equites, vel fuêre latæ in judicio Ordinarii evidenter suspecti, vel non fuêre datæ in judicio competenti, ut latè probat Gabr. Pereira *supra*.

Harum rationum vim penetrans Themudus 3.

p. deci-

p. decisione 260. *&* 262. ad alia confugit argumenta, dicens: ita declaratum fuisse, immò impetratum specialibus diplomatibus à serenissimis Joanne III. Sebastiano, & Henrico, non tanquam à regibus, sed ut à magistris harum militiarum; quorum diplomata ad instantiam status Ecclesiastici novissimè jussisse observari Joannem IV, ut magnus Magister Militiarum in Comitiis anno 1645. usque dum causa Romæ definiatur, ut constat ex capitulis ipsorum Comitiorum *cap.* 6. *pag.* 65. 66. *&* 83.

171 Sed hujusmodi ratio non difficiliori præcluditur negotio ac aliæ; cum quia Rex noster Joannes, nec ut magnus magister & Generalis potest per se solum renuntiare Ordinis privilegiis, sed hoc debet facere in Capitulo generali, ut concessit Leo X. Gregor. XIII. in Bullis, quas refert Pellizzarius, ut latè *supra* probavimus *disp.* 2. *sect.* 4. §. 3. *numer.* 205. & cum aliis *ibi* citatis tenet Portel, & alii, quos refert, & sequitur Diana 3. *p. tract.* 2. *resol.* 87 quod tamen non fecit Rex noster Joannes, nec ejus successores ad privandum Equites suo privilegio: tum, quia hujusmodi privilegium est privilegium exemptionis ab Ordinario. Sed nec Generalis, nec
172 ipsum Capitulum generale renuntiare potest privilegio exemptionis absque licentia Papæ, ut decidit sacra Rota apud Lezan. *Tom.* 5. *in Mari magno Carmelitarum* §. 33. *&* 38. & tenent multi Doctores, quos refert, & sequitur Lezan *Tom.* 6. *in consil.* 7. *num.* 3 *&c.* ergo Rex non potuit renuntiare huic privilegio.

173 Deinde nec Generalis, nec Capitulum generale potest aliquid statuere contra jus commune, ut patet *ex cap. quod super.* atqui hujusmodi equites jure communi exempti sunt à prædictis decimis, utpote veri Religiosi, ut *supra* probavimus: ergo. Præterea quia nec Generalis; nec Capitulum generale renuntiare potest privilegio principaliter concesso in gratiam Communitatis, & in commodum commune, ut cum multis probat Peyrinis *Tom.*
174 1. *ad constitut.* 2. *Julii II. num.* 10. *&* 13 Palaus, quem refert & sequitur Diana 10. *p. tract.* 12. *resol.* 52. *in fine*; sed hoc privilegium concessum fuit in gratiam Communitatis, & omnium Militum commodum: ergo absque licentia Papæ, non potest tale Capitulum generale illi renuntiare.

175 His sic, contra meum morem prælibatis, si meam sententiam liceret proferre, existimarem hujusmodi milites, quantum est ex vi privilegiorum à prædictis decimis immunes esse, & si fortè ad illas tenentur, ut docent Brittus *de locato* 1. *p. cap.* 2, *nu.* 23. Llamas 3 *part.* §. 25. Themudus 1. *part. decis.* 2. *n.* 36. *&* 3. *p. decis.* 260. 262. non ad illas teneri; quia ad tales milites, etiam uxoratos, privilegia non extendantur, ut Brittus dicebat: neque, quia talia privilegia sint revocata per *cap.* nuper *de Decimis*, ut contendebat Themudus: & minus propter Regis mandatum, ut existimavit ipse Themudus: nec propter plures sententias, quibus ipsi nituntur, siquidem in hac parte notoria laborat nullitate: sed quia sic obtinuit regni consuetudo ratione cujus Curati præscripserunt contra Equites; & etiam contra ipsum Papam: nam etiam contra jus Papale præscribi potest, si per spatium 100. annorum contrarium fiat, *cap. ad audientiam de privilegiis* ubi Panormitanus, Mandosius, & alii, quos refert, & sequitur Lezana *Tom.* 5. *in Mari magno Carmelitarum n.* 128.

Quæ ratio licet non sit undequaque firma, siquidem contra illam allegari potest, quod Religiosi non amittunt privilegia, si à privatis personis fiant aliqui actus contrarii privilegio, ut patet ex privilegio Eugenii IV. concesso monachis S. Justinæ, quod refert Tamburinus statim citandus: ergo quamvis aliqui milites parochis solverent Decimas, si alias Communitas ipsa non concessit hoc; non potest præjudicare suo privilegio exemptionis: Tum quia Eugenius IV. concessit Congregationi S. Justinæ de Paula, ut refert Tamburinus *Tom.* 1. *disp.* 16. *quæsito* 17. *num* 4 (cujus privilegiis 177
gaudent hujusmodi milites) quod non possit contra illam præscribi minus, quàm per spatium 40. annorum, vel etiam per spatium 100. annorum, ut concessit idem Eugenius IV. Monasterio S. Pauli 178
extra muros, ut testatur idem Tamburin. *supra*, & cum aliis multis Belasius *verbo* præscribere *nu.* 72. quæ præscriptio debet numerari ab ultima confirmatione, ex certa scientia privilegiorum: sed nunquam inter habitas hucusque confirmationes, ex certa scientia privilegiorum ut *supra* intercurrerunt 100. anni inter ipsas confirmationes, quod necessarium erat. Nam anni ante ultimam confir- 179
mationem, non numerantur cum sequentibus dictam confirmationem, ut cum Corduba, Cruz, & aliis docet Tamburinus *de jure Abbatum Tom.* 1. *disp.* 16. *quæsito* 140. *num.* 8. ergo Curati nondum præscripserunt contra milites; Tum, quia idem Eugenius IV. per Bullam concessit Congregationi S. Benedicti, quorum privilegiis gaudent ii milites, eorum privilegia non posse amitti per contrarium usum, nec per non usum, ut ait Rodrig.

in Bulla

in Bullario fol. 199. & tenet Portel, quem refert, & sequitur Diana 3. *p. tract.* 2. *resol.* 88.

180 Verùm licet hæc ita sint, adhuc tamen in re tam gravi à nostra affirmativa sententia non est recedendum, sic enim decisum fuit à sacra Rota Romana 25. die Junii anno 1649. in causa Toletana Decimarum, ut refert Diana 10. *parte, decisione* 7. *folio* 10. ubi per sacram Rotam judicatum fuit quemdam Equitem de Calatrava teneri solvere decimas de bonis patrimonialibus propter possessionem; & consuetudinem continuam, & nunquam interruptam, quam curati habebant accipiendi decimas à talibus militibus, qui non probarunt sufficienter hujusmodi possessionem interruptam fuisse, ut sacra Rota testatur; tum quia privilegia non sunt tam clara, ut par erat, siquidem non constat evidenter: an loquantur solùm de bonis Religionis, an etiam de bonis patrimonialibus, tum ob alias rationes *ibi* assignatas, quæ omnia militant in nostris etiam militibus, siquidem omnium istorum cum Calatravensibus sunt eadem privilegia, ut *suprà* vidimus? & in eadem possessione sunt, & semper fuêre parochi in hoc regno ut testatur Themudus *ubi suprà.* Undè posita hac decisione Rotæ, ab hac opinione jam ampliùs non est recedendum, nec de hoc potest ampliùs dubitari.

§. 2.

De oblationibus, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium.

181 *Omnes oblationes, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium, etiamsi Episcopus celebret, sunt ipsorum Regularium.*

182 *Omnes oblationes inter Missarum solemnia data Regularibus ubicumque celebrent, illis cedunt.*

181 DIcendum omnes oblationes, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium, etiamsi Episcopus celebret, esse ipsorum Regularium, nec de illis tenentur aliquid solvere Episcopo, vel parocho. Ita concessit Clemens IV. *constitut. sua*, quam refert Lezana *Tomo* 5. *in Mari magno Carmelitarum num.* 503. & tenent Riccius, Cruz, & alii, quos refert, & sequitur Lezana *ibi:* Immò omnes oblationes Regularibus datæ inter Missarum solemnia, ubicumque illa celebrent, ipsis cedunt, non parochis, tum jure communi cap. 1. *de statu monachorum*, cap. *nimis iniqua de excessibus Prælatorum*, tum ex privilegio Bonifacii VIII. *Bulla*, quam refert Lezana *in Mari magno Carmelitarum num.* 464. Et idem Bonifaci- 182 us prohibuit sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ, ut nullus prohibeat prædicatoribus oblationes in Missa recipere, Corduba, uterque Rodrig. & alii quos refert, & sequitur Lezana *suprà:* Vide etiam Novarium verbo *oblationes* in *Lucerna Regularium nu.* 1. & nostrum celeberrimum Thomam Waldensem, quem refert Hieron. Rodriquez *in compend. resol.* 59.

§. 3.

De Gabellis, & contributionibus.

183 *Regulares sunt exempti ab omnibus tributis, gabellis, taliis, datiis sivè à sæcularibus, sivè Principibus Ecclesiasticis ponantur.*

184 *Qui à Clericis, vel Regularibus similia postulant tributa incurrunt excommunicationem.*

185 *Regulares non tenentur ad charitativum subsidium, nec etiam in Hispania.*

DIcendum: Regulares exemptos esse ab omnibus tributis, gabellis, talleis, & datiis, collectis, impositionibus, & contributionibus, & oneribus, etiam ad pontium refectionem, vel viarum reparationem, atque ab alio quocumque gravamine, quovis nomine nuncupato, sivè à Principibus Ecclesiasticis, sivè sæcularibus, absque speciali Papæ mandato exigantur. Ita concessit respectu Principum Ecclesiasticorum, etiamsi legatorum munere fungantur, Sixtus IV. in quadam Bulla, quam refert Lezana *Tomo* 5. *in Mari magno Minorum nu.* 93. Respectu verò Principum sæcularium, præterquam quod hoc prohibetur in Bulla Cœnæ etiam respectu clericorum *can.* 18. ut docet Suar. quem refert, & sequitur Portel *in dub. regul. verbo* tributum *num.* 3. Ita concessit Sixtus IV. Congregationi S. Salvatoris motu proprio, quæ concessio canonizata est per decisionem sacræ Rotæ, quam refert Leza. *To.* 5. *in Mari magno Erem. S. Aug. n.* 107. 183

Immò Pius V. speciali Bulla, quam refert Portel *in dub. regul. verbo* tributum *n.* 3. & noster Gabriel à S. Vincent. *de censur. disp.* 4. *quæst.* 10. §. 41. *n.* 422. sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda prohibuit, ne similia tributa à Clericis, & Regularibus exigantur, ubi etiam alias addit pœnas. Ita Tambur. Rodrig. Molina, & alii, quos refert, & sequitur Ventrig. *annotat.* 14. §. *unico n.* 6. Novarius in 184

lucerna regularium verbo gabella *n.* 1. Leza. *in Mari magno Eremitarum S. Augustini*, ubi refert quamdam decisionem novissimam sacræ Rotæ *nu.* 108.

An autem teneantur Regulares ad charitativum
185 subsidium, saltem in Hispania, Respondeo negativè. Ita concessit Sixtus IV. *in Mari magno Prædicatorum* apud Lezan. *Tomo* 5, *numero* 302. nec huic privilegio derogatum fuit à Gregorio XIII. saltem pro Hispania, & Lusitania, ut vult Lezana *Tomo* 5. *in Mari magno Carmelitarum numero* 305. Respondetur namque hujusmodi Bullam Gregorii XIII. in qua fundatur Lezana non esse usu receptam in his regnis Ita respondet Portel *in dubio regular. verbo* tributum *numero* 3. Et si plura de his malueris, consule Portel *supra*, Peyrinis *ad constit.* 2. *Julii II. nu.* 137. *& sequentibus*, Lezana *locis citat.* & Nost. Urbanum *tr.* 2. *parte* 2. *dist.* 2. *c.* 1. *Reg.* 8. nostrum quoque Ildephonsum *in scholiis cit. ad* §. 46.

DISPUTATIO IV.

De Privilegiis, quibus gaudent Regulares in partibus hæreticorum & infidelium, in ipsorum conversione laborantes.

POstquàm de privilegiis Regularium, tàm Prælatorum, quàm ipsorum subditorum; non solùm in ordine ad se, sed etiam in ordine ad cæteros Christi fideles undequaque venientes ad ipsos Regulares egimus; jam animum induximus sedulò investigare privilegia, quibus ornantur in ordine ad infideles, hæreticos, schismaticos, paganos &c. quæ omnia hac disputatione comprehendemus, eadem methodo, ac fecimus in præcedentibus disputationibus. Sit igitur.

SECTIO I.

De potestate quam habent Regulares eundi ad missiones & ibi ministrandi Sacramenta.

§. I.

Quomodo Religiosi ad missiones ire possint?

1 *Regulares non possunt ire ad missiones in terras infidelium absque licentia suorum Prælatorum sub pœna excommunicationis.*

2 *Quando Regulares mittuntur ad missiones, non possunt in itinere immorari, nec aliò divertere.*

3 *Omnes Regulares possunt ad Iaponias & aliorum Orientalium terras ire, etiamsi non sit per Lusitaniam.*

4 *Religiosi ad has missiones profecti possunt in illis terris, ad quas missi sunt Evangelium prædicare & cum illis communicare etiamsi sint excommunicati & eos ad fidem recipere.*

5 *Possunt occultare vestes utendo vestibus infidelium in terris ipsorum infidelium.*

DIco I. Regulares non possunt ire ad terras infi- 1
delium ad prædicandum absque licentia suorum Superiorum, aliàs incurrunt excommunicationem Papæ reservatam. Ita statuit Joan. XXII. *Bulla* 3. apud Rodrig. *in Bullario folio* 60. Et si à 2
Prælatis suis mittantur in Indiarum partes, non possunt in itinere immorari, vel ad loca eis non destinata declinare, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda. Ita decrevit Paulus V. in 3
Bulla, *Accepimus.* apud Lezan. *Tomo* 1. *cap.* 16. *nu.* 29, ubi etiam affert quandam Bullam ipsius Pauli V. in qua conceditur omnibus Religiosis posse ad Japo-

Japonicas, & alias Orientalium Indiarum regiones accedere, etiam per aliam viam, quàm per Lusitaniam, non obstante Bulla Clement. VIII. id prohibentis apud eumdem Lezan. *n.* 28.

4 Dico II. Religiosi ad terras Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthiopum, Sinorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zilorum, Ruthenorum, Jacobitarum, & Nubianorum, Georgianorum Armenorum, Indorum, Mostelittarum, Tartarorum, Hunganorum, majoris Hungariæ, Christianorum captivorum apud Tartaros, aliorumque infidelium Orientis, seu quarumcumque aliarum partium proficiscentes, possunt Evangelium prædicare, & cum eis etiamsi sint excommunicati communicare ad fidemque recipere. Ita concessit Minoribus & Prædicatoribus Innocentius IV. in Bulla, quam refert noster Religiosissimus Thomas à Jesu in suo opere *de conversione omnium gentium procuranda, &c. lib.* 12. & Emman. Rodriq. in suo Bullario *fol.* 19. & Nicolaus III. Bulla 2. apud eumdem Rodrig. in Bullario *fol.* 44. Et idem pro Indis Occidentalibus concessêre Leo X. Bulla 2. apud idem Bullarium *fol.* 229. & Adrian. VI. Bulla 1. apud idem Bullarium *fol.* 304.

5 An autem ad hoc melius faciendum se possint occultare utendo signis, & vestibus infidelium in ipsis terris infidelium, quamvis tales vestes institutæ fuissent ad potestandam Religionem falsam? Respondeo affirmativè; nam tales vestes non ideò amittunt suam nativam significationem. Ita Sanc. Azor. Coninch. & alii, quos refert, & sequitur Pelliz. *Tomo* 2. *tra.* 8. *cap.* 4. *sect.* 3. *n.* 99. Palaus *Tom.* 1. *tra.* 4. *disp.* 1, *p.* 16. *num.* 33. *& p.* 17. *num.* 87.

§. 2.

De Baptismi Sacramento.

6 *Missi ad terras infidelium possunt infideles Baptizare, si ibi non sint jam parochi.*

7 *In Indiis possunt Regulares assumi ad munus parochorum.*

8 *In his baptismis possunt uti oleo, & chrismate antiquis usque ad tres annos.*

9 *Quando urget necessitas & in locis ubi non dantur Ecclesiæ possunt Baptizare extra Ecclesiam absque solemnitate & cæremoniis ordinariis, non tamen, ubi dantur Ecclesiæ &c.*

6 Dico I. Religiosi ad regiones supra nominatas missi possunt prædictos infideles baptizare. Ita concessêre præfati Pontifices, hac verò distinctione; quod si jam in prædictis locis sint parochiæ destinatæ, non debent Regulares baptizare in aliena parochia absque parochi licentia, sed hoc tantum facere posse in suis Conventibus, seu locis sibi deputatis, ubi verò non fuerint parochi, vel ubi exercent officium parochiale id poterunt. Cruz *lib.* 2. *cap.* 4. *du.* 1. *conc.* 5. Palaus *Tom.* 4. *tra.* 19. *p.* 9. *& alii.*

Possunt Regulares ad munus parochi præsertim 7
in Occidentalibus Indiis assumi, ex privilegio Pii V. quod refert Rodrig. *Tomo* 1. *q.* 35. Immò absque prædictis privilegiis posset Rex illis committere tale officium, ut notavit *ibi* Rodrig. *art.* 2.

Dico II. In his baptismis Regulares possunt u- 8
ti oleo & chrismate antiquis, usque ad tres annos. Ita concessit Leo X. Bulla 3. apud Rodrig. *in Bullario folio* 294. Immò usque ad quatuor annos. Ita concessit Gregorius XIII. & testatur Rodrig. *Tomo* 1. *quæst.* 31. *art.* 5. quod privilegium, an fuerit vivæ vocis oraculum invenire non potui.

An autem baptizare possint extra Ecclesias sine 9
consuetis cærimoniis? Respondeo in populis ubi sunt Ecclesiæ, & non urget necessitas minimè possunt, benè tamen, si urgeat necessitas, vel non sint Ecclesiæ. Ita Palaus *Tomo* 4. *tract.* 19. *p.* 9. *nu.* 6. *&* 7. & noster Thomas à Jesu *loco cit.* verbo *Baptismus.* Nec obstant quædam privilegia Pii V. & Gregor. XV. quæ refert Rodrig. *Tomo* 1. *q.* 35. Nam præterquam quod talia privilegia tantum fuêre concessa ad decennium, nihil amplius concedunt, ut consideranti patebit.

§. 3.

De Confirmationis Sacramento.

10 *Possunt Regulares prædictos infideles ad fidem conversos confirmare cum chrismate ab Episcopo consecrato, si alias deest Episcopus Catholicus, qui hoc faciat.*

Regulares possunt prædictis infidelibus ad fi-
dem conversis confirmationis Sacramentum 10
conferre chrismate ab Episcopo consecrato, si non detur Episcopus Catholicus, qui hoc possit facere. Ita concessit Leo X. *Bulla* 9. apud Rodrig. *in Bullario folio* 294. Nicolaus V. Joannes XXII. Urbanus V. & Eugenius IV. quorum Bullas refert Lugo *in responsis moralibus lib.* 1 *dub.* 6. *& nu.* 6. Pellizzarius *Tom.* 2. *tractat.* 8. *cap.* 4. *sect.* 3. *num.* 88. Ita etiam Quintanad. quem sequitur Lezana *in Mari*

magno Prædicatorum numero 36. & nostri Thomas à Jesu *loco citato*, verbo *Sacramentum Confirmationis*. & Augustinus à V. Maria in *privilegiis omnium Religiosorum Ordin.* verbo *Missionarii pag.* 467.

§. 4.

De ineffabili Eucharistiæ Sacramento, & de his, quæ ad Missam, & Officium divinum pertinent.

11 *Regulares in terris infidelium possunt Ecclesias fundare, & jam fundatas reconciliare, si fortè fuerint pollutæ, & de Rectoribus idoneis providere, cæmeteria benedicere, & altare portatile consecrare, si non adsit Episcopus, vestes, & pallas, & corporalia benedicere.*

12 *Possunt Ecclesias, & hospitalia reformare, mutare, addere* &c.

13 *Possunt fidelibus Eucharistiam ministrare.*

11 Regulares in regionibus hæreticorum, & infidelium possunt de novo fundare Ecclesias, & si fortè jam fundatæ fuerint pollutæ, illas reconciliare, & de novo fundatis de Rectoribus idoneis providere, cæmiteria benedicere: Et in casu, quo non habeant altare portatile, & longè absit Episcopus, illud consecrare, & vestes, pallas, & corporalia benedicere, & in locis, in quibus hospitari contigerit, vel ubi resident Missas, & Officia divina celebrare, ac indulgentias concedere. Ita concessit Innocent. IV. *Bulla* 20. & Nicolaus III. & V. &
12 Paulus III, *Bulla* 8. apud Rodrig. *in Bullario fol.* 371.

Immò Ecclesias, & hospitalia, prout eis videbitur expedire, possunt reformare, & quæcumque statuta, ordinationesque desuper necessarias facere, istasque postquàm factæ fuerint mutare, & illis addere, & detrahere. Item possunt calices benedicere, & bis in die in diversis locis celebrare. Ita concessit Paulus III. *prædicta Bulla*, & refert Pellizzar. *Tomo* 2. *tr.* 8. *cap.* 4. *sect.* 3. *nu.* 88. & nostri supracit. August. *li. cit.* verb. *Missionarii*. & Thomas *li. cit.* verbo *altare*. v. *benedicere*. v. *Ecclesia* v. *Horæ Canonicæ*. v. *Missa*.

Possunt etiam fidelibus Eucharistiam ministra-
13 re ex concessione Leon X. *Bulla* 34. Tum quia Pius V. concessit Religiosis Indiarum, ut in Monasteriis, & locis ibi deputatis baptizare possint, & alia Sacramenta sicut Parochi ministrare, quo privilegio gaudent omnes Provinciæ Indiarum, ut testatur Cruz *li.* 2. *ca.* 5. tum ex privilegio Pauli III. Innoc. IV. & Nicolai III. & V. *sup.* relati.

§. 5.

De Pœnitentiæ Sacramento.

14 *Possunt in terris infidelium audire confessiones omnium infidelium ibi habitantium,*

15 *Possunt omnes ibi absolvere ab omnibus casibus, etiam Bullæ Cœnæ, & à quibuscumque censuris ac pœnis. Item ab hæresi, schismate, & Apostasia.*

16 *Possunt dispensare cum prædictis in omnibus irregularitatibus, in quibus possunt dispensare Legati Sedis Apostolicæ,*

17 *Possunt omnia vota commutare exceptis reservatis Papæ, & in eis dispensare.*

18 *Confessarii, & Prædicatores in Indiis semel præsentati Ordinario, non debent ampliùs præsentari, aut approbari.*

Regulares ultra privilegia, quæ habent respectu 14
sæcularium, de quibus latè egimus in tota disputatione præcedenti, specialiter in dictis terris Hæreticorum & infidelium, possunt confessiones omnium infidelium ibi commorantium audire, injunctaque pœnitentia salutari eos absolvere ab omnibus peccatis, criminibus, excessibus, delictis, quantumcunque enormibus, etiam in cœna Domini contentis, aut quomodolibet Sedi Apostolicæ reservatis sine ulla exceptione toties quoties. Innocent. IV. Sixtus & Eugenius IV. & Clemens VIII. Carmel. Discalc. ac etiam ab omnibus censuris & pœnis prædicta delicta consequentibus. Ex prædictis Thoma à Jesu *libro citato* verbo *absolutio* & Augustino *loco cit.*

Item Paulus III. *Bulla* 3. apud Rodrig. *in Bullario* 15
fol. 371. concessit Patribus societatis, ut in terris Saracenorum, Paganorum, & aliorum infidelium, ac in Provinciis remotissimis possint Christianos ibi commorantes, absolvere ab omnibus casibus, etiam in Bulla Cœnæ reservatis, & à quibuscumque censuris, & pœnis per quod privilegium possunt illos absolvere etiam ab hæresi, ut cum Suar. docet Palaus *Tom.* 4. *tra* 23. *tr.* 8. *disp. unica part.* 14. *nu.* 15. Pellizz. *Tom.* 2. *cap.* 4 *sect.* 13. *num.* 94.

Immò Gregor. IX. *Bulla* 7. concessit Minoribus, ut in terris Paganorum, & Sarracenorum possint non solùm baptizare, sed ibi eos, qui per hæresim, schisma, vel Apostasiam ab Ecclesia recesserunt, absolvere, & ad Ecclesiam reducere.

Dico II. Religiosi in prædictis regionibus hæ- 16
reticorum, & infidelium cum eis omnibus, quos præ-

prædicto modo absolvere possunt, etiam possunt in irregularitatibus dispensare, quas quacunque ex caussa contraxerunt: possunt etiam cum illegitimis dispensate, dummodò non sint ex adulterio, incestu; vel ex Regularibus procreati. Possunt etiam dispensare cum illis, qui ab Ecclesia recesserunt, si humiliter redire voluerint. Et tandem possunt dispensare in omnibus irregularitatibus, in quibus dispensant legati Sedis Apostolicæ.

17 Possunt insuper omnia vota commutare, & in iis dispensare, exceptis reservatis: immò Clemens VIII. concessit Carmelitis Discalceatis in votis simplicibus Religionis & castitatis authoritatem dispensandi, si necessitas aut utilitas conversionis animarum id exigat, & hoc amplissimum sanè est privilegium. Vide de his Nost. Thomam à Jesu, *loco citato*. v. *dispensare*, & v. *votum*, & Augustinum *loco citato pag*. 480.

18 Dico III. Confessarii, & Prædicatores in Indiis Orientalibus semel præsentati Ordinario, non debent amplius præsentari Ordinariis, vel ab iis approbari, nec ad id à quocumque compelli. Ita concessit Gregor. XIII. apud Rodrig. *in Bullario fol*. 453. & idem concessit Leo X. Adrianus VI. *suprà* citati pro Indiis Occidentalibus, vide N. Thomam verbo *Confessarii*, & verbo *prædicare*.

§. 6.

De Ordinis Sacramento.

19 *In terris infidelium possunt Regulares conversos ad fidem promovere ad quatuor Ordines minores.*

19 Regulares in prædictis infidelium regionibus, in quas à suis Prælatis mittuntur, possunt conversos ad fidem, quatuor Ordines minores conferre. Ita concessit Innocen IV. *Bulla* 20. & Nicolaus III. *Bulla* 2. pro omnium infidelium regionibus: & tenent uterque Rodrig. & alii, quos refert, & sequitur Lezan. *Tomo* 5. *in Mari magno Prædicatorum. n*. 36. Pellizzarius *Tomo* 2. *tr*. 8. *cap*. 4. *sect*. 3. *nu*. 88. Nostri Augustin. & Thomas *loc. cit*. verbo *Ordines*. Idem concesserunt Leo X. & Adrianus VI. *in Bullis suprà citatis* pro Indiis Occidentalibus.

§. 7.

De Matrimonii Sacramento.

20 *Regulares in prædictis regionibus possunt de caussis matrimonialibus cognoscere.*

21 *Possunt dispensare cum noviter conversis, ut maneant cum uxoribus conjunctis, dummodò non sint in gradu jure divino prohibito.*

22 *In partibus, ubi non dantur parochi, vel ubi parochi munere funguntur, possunt solemnizare matrimonium.*

23 *Regulares omnia illa in terris infidelium possunt efficere, quæ fuerint ducentia ad augmentum fidei, & Ecclesiæ.*

Dico I. Regulares in prædictis regionibus infidelium, & hæreticorum à suis Prælatis illuc destinati & designati possunt de causis matrimonialibus cognoscete, & inordinatè viventes compellere per censuras: & illis, qui de Gentibus noviter conversi sunt, possunt licentiam dare, ut uxores, cum quibus in gradibus à lege Divina non prohibitis contraxerunt, valeant retinere: ita pro omnium infidelium, & hæreticorum regionibus concessit Innocentius IV. *Bulla* 20. Nicolaus III. *Bulla* 2. & tenent cum aliis Lezana *in Mari magno Prædicatorum Tomo* 5. *numero* 36. Pellizzarius *Tomo* 2. *ut suprà*. 20

Immò in Indiarum partibus, in quibus Religiosi funguntur munere parochi possunt assistere matrimoniis in locis sibi à suis superioribus assignatis. Ita concessit Alexand. IV. apud Sanch. *de matrimonio libro* 3. *disput*. 26. *numero* 4. qui addit, & benè, cum Henriquez idem posse facere alium Sacerdotem, ubi non est proprius parochus, ex tacita licentia Papæ, aliàs manerent tales infideles destituti ministerio Sacramentorum, quod non est dicendum, immò si absque ullo sacerdote, & testibus in terris infidelium Christiani istic commorantes, vel etiam hospites contraxerint, est validum matrimonium. Ita cum aliis Sanchez *libro* 3. *disp*. 18. *num*. 35. siquidem in prædictis regionibus non est publicatum Tridentinum. N. Thomas *lib*. 12. *cit*. verbo *Matrimonium*. 21 22

Dico II. Religiosi in infidelium, & hæreticorum regionibus à suis Prælatis designati possunt omnia illa efficere, quæ ad augmentum Divini cultus, ampliationem fidei Catholicæ, ac reprobationem eorum, qui Sacris traditionibus contradicunt, sicut pro loco & tempore viderint expedire: ita concessit Innoc. IV. *Bulla* 20, & Nicolaus III. *Bulla* 2. & cum Hieronym. Rodrig. & aliis tenet Lezana *Tomo* 5. *in Mari magno Prædicatorum n*. 36. Si quis prolixiorem de privilegiis in hac IV. disput. adductis notitiam desideret, consulere poterit pluries jam citatum P. Thomam à Jesu in quo- 23

dam tractatu anno 1610. Romæ excuso, cui titulus, *Stimulus missionum*, sive *de propaganda à Religiosis per universum orbem fide*, part. 5, & libro duodecimo præfati operis *de conversione omnium Gentium procuranda:* quod tanti fecit Urbanus VIII. ut ad Patres in comitiis generalibus Romæ an. 1632. congregatos suum miserit vicarium, iis indicando, ut illud opus recudi curarent: ita attestante R: P. Elia à S. TERESIA in sua *Legatione ad Ecclesiam militantem lib.* 2. *cap.* 18. & præfatum P. Augustinum à V. MARIA in sæpius *citato lib.* verbo *Missionarii.* Apud hos quoque authores præter complura hic non adducta Missionariorum privilegia, reperire est quandam Bullam CLEMENTIS VIII, cujus initium *dominici gregis,* Carmelitis Discalceatis ad Persarum Regem, aliasque infidelium, schismaticorum ac Hæreticorum partes destinatis ac destinandis, concessam, Affirmat autem prædictus P. Augustinus, quod concessiones ac gratiæ in dicta Bulla contentæ, locum habere & extendi possint ad illas partes Galliæ, Germaniæ, Belgii, àc Poloniæ *&c.* ubi hæreses grassantur: idque probat & confirmat testimonio Venerab. N. P. PETRI à MATRE DEI, Concionatoris Apostolici ipsius CLEMENTIS VIII. LEONIS XI. ac PAULI V. ac fidei per totum orbem propagandæ Apostolica Authoritate præfecti *&c.* qui Bullam illam à Clemente obtinuit: ac celeberrimi P. FERDINANDI à S. MARIA Congre S. ELIÆ Carmelit. Discalc. uti & jam dictus PETRUS Præpositus Generalis. vide illum loco citato pag. 483.

DISPUTATIO V.

De indulgentiis concessis Regularibus, & eorum Ecclesiis pro sæcularibus, ubi etiam de aliis variis magnisque indulgentiis & privilegiis agitur.

POstquàm de privilegiis Religiosorum, tàm in ordine ad Prælatos, & subditos, quàm etiam sæculares, non solùm fideles, sed etiam infideles satis disseruimus, ad indulgentias, quibus tàm Regulares, quàm sæculares etiam in Ecclesiis Regularium frui possunt, Deo favente, progrediemur. Decet namque virum Religiosum, tàm ad proprium commodum, quàm ad aliorum quoque indulgentias, utpote gemmas pretiosissimas, & thesaurum inæstimabilem præ oculis semper habere, ne sua negligentia tot priventur gratiis, & favoribus. Non intendo tamen disputare hic de causis, natura, & effectu indulgentiarum, de his enim, si lubet, consulere poteris Lugum *de pœnit. disp. ult.* Fragosum 2. *p. lib.* 2. *disp.* 4. *per totam.* Palaum *Tom.* 4. *tract.* 24. *disp. unica per totam.* nostros Hieronymum à Matre Dei, aliàs Gratianum in suo *tractatu de Iubilæo par.* 1. Lezan. *in summa qq. Regul.* variis in locis. Gabriel à S. Vincent. 3. *part. de Sacram. disp.* 13. Dominicum a SS. Trinitate in su *tract. Polemico* de anno Iubilæi, Romæ excuso anno Iubilæi, *maximè controversia nona.* Verùm ne indocti ipsarum indulgentiarum divisione & nominibus implicentur, breviter sectione sequenti: Quid sit indulgentia, & quomodo dividatur, & quid cujuslibet nomen importet, item quomodo illis utendum sit, breviter differemus.

SECTIO

SECTIO I.

Quid sit indulgentia, quomodo dividatur? & quomodo illa utendum sit?

1 *Quid sit indulgentia?*
2 *Quomodo indulgentia dividantur?*
3 *Quid sit indulgentia plena, plenaria, seu plenissima?*
4 *Quid significet indulgentia per modum Iubilæi concessa?*
5 *In quo differat ab indulgentia plenaria Iubilæum.*
6 *Quid sit indulgentia partialis?*
7 *Quid intelligatur per unam quadragenam, vel centum dierum indulgentiam.*
8 *Qui lucrantur indulgentiam plenariam liberantur ab onere adimplendi pœnitentiam impositam à confessario, nisi fuerit præservativa, & aliter non possit peccatum vitari.*
9 *Quomodo per indulgentias possit liberari pœnitens ab onere pœnitentiæ impositæ à confessario etiam medicinalis.*
10 *Qui peccat venialiter tempore, quo consequitur indulgentiam non ob id eam amittit.*
11 *Sufficit intentio habitualis faciendo opus præscriptum ad consequutionem indulgentiæ.*
12 *Potest quis uno & eodem opere plures consequi indulgentias diversis titulis viisque concessas.*

1 DICO I. Indulgentia est *actus spiritualis jurisdictionis, quo peccator in foro Dei liberatur à reatu pœnæ temporalis extra Sacramentum, ex applicatione thesauri Christi, & Sanctorum.* Ita definitur à Trullenc. *in cruciata lib.* 1. §. 1. *dub.* 14. *nu.*1, Dicitur actus spiritualis jurisdictionis, quia potestas concedendi indulgentias non est ordinis, sed jurisdictionis spiritualis, ac proindè si Episcopus non fuerit ordinatus, nec consecratus, si tantùm electus, & confirmatus fuerit, potest suas indulgentias concedere. Dicitur, quo peccator liberatur à pœna temporali, quia non à peccato etiam veniali, sed tantùm à pœnis pro illis debitis liberat. Additur in foro Dei, quia non liberat à pœna legis in foro exteriori. Dicitur extra Sacramentum ad differentiam remissionis pœnæ temporalis, quæ fit in Sacramento: Ex applicatione thesauri Christi, & Sanctorum ut intelligas hujusmodi remissionem fieri ex applicatione satisfactionum thesauri Christi, & Sanctorum. Sed hanc definitionem impugnat Nost. Gabriel *loc. cit. disp.* 13. *qu.* 1. aliamque statuit & propugnat, quam ibi videre poteris. Alii, inter quos est noster Hieronymus Gratianus. *loco cit. cap.* 4. Stephan. à S. Paulo *tract.* 5. *disp.* 5. *dub.* 12. & Lezana *Tomo* 3. *qq Reg.* verbo *Indulgentia nu.* 2. sic illum definiunt: *Indulgentia est remissio, seu relaxatio pœnæ temporalis debitæ propter peccata actualia jam dimissa, extra Sacramentum per applicationem à Prælatis factam thesauri Ecclesiæ.* Hanc fusiùs expositam reperies apud eundem Lezanam.

DICO II. Indulgentia dividitur in totalem & partialem: indulgentia totalis est, remissio totius pœnæ peccatori debitæ respectu omnium peccatorum, quam secundum divinam justitiam tenebatur luere in purgatorio pro omnibus peccatis suis. Hæc autem indulgentia tunc censetur concessa, cum in Bullis conceditur indulgentia plena, vel plenaria, vel plenissima, vel quando dicitur, concedimus indulgentiam omnium peccatorum, vocatur autem aliquando plena, aliquando plenissima. non quia per quodlibet ex prædictis verbis totalem, & integram debiti solutionem non significet, sed ad majorem exagerationem, & indulgentiæ commendationem. Ita Sotus, Corduba, Suar. & alii, quos refert, & sequitur Palaus *supra n.* 11. Trullenc. *supra nu.* 5. & nostri Gratianus suprà cit. *tract. de Iubilæo part.* 1. *cap.* 5. Lezana *Tom.* 3. verbo *indulgentia.* Gabriel à S. Vinc. *parte* 3. *de Sacram. disp.* 13. *qu.* 6. Stephanus à S. Paulo in sua Theolog. morali *tr.* 5. *disput.* 5. *dub.*12. & Dominicus à SS. Trinitate *loco cit. controversia* 9. *cap.* 1. 2 3

Et idem dicendum est de indulgentia, quæ conceditur per modum seu ad instar Jubilæi, nam hoc nihil aliud significat, nisi illam indulgentiam esse plenissimam, seu plenariam, qualis concedi solet in Jubilæis, ita Suar. Corduba. Reginald. & alii, quos refert. & sequitur Trullenc. *supra num.* 56. Differt autem indulgentia hæc à Jubilæo, quia Jubilæum ultra remissionem totius pœnæ, adfert facultatem ad commutandum votum, ad absolutionem à censuris, & à casibus reservatis, quod non datur, quando solum conceditur indulgentia plenaria. Ita Sua. Henriquez, Reginald. & alii, quos refert, & sequitur Cunna *de Iubilæo capite* 1. *numero* 7. & noster Dominicus *lib. cit. controvers.* 9. *cap.* 3. 4 5

Indulgentia partialis est, quæ non totam pœnam sed partem remittit, ut si dicatur concedo indulgentiam tertiæ partis peccatorum, vel unius anni, vel 100. dierum. Quid autem intelligatur per unum annum, vel unam quadragenam, vel 100. dierum indulgentiam? Respondeo hoc tempore illa 6

verba

verba debere intelligi, non de pœnis purgatorii, sed de pœnitentiis injunctis, seu injungendis pro peccatis, & de pœnis purgatorii illis correspondentibus, hoc est per indulgentiam unius anni, non solùm remitti, satisfactionem pœnitentialem, sed tantam pœnam purgatorii, quantam per pœnitentiam unius anni. Indulgentia igitur unius anni, & idem est de aliis, est ille gradus satisfactionis, & re-
7 missionis pœnæ purgatorii, qui proportione servata corresponderet pœnitentiæ injunctæ, seu injungendæ, juxta Canones pœnitentiales, & prudens sacerdotis arbitrium. Ita cum multis Trullen. *suprà num.* 11. & nostri supracit. Lezana, Gratianus, Gabriel, & Dominicus.

Hinc fit, quod si alicui imposita esset pœnitentia ut jejunaret 40. diebus, sivè continuando, sivè interpolando, si iste lucraretur indulgentiam 40. dierum esset absolutus ab illa pœnitentia. Idem dicendum est, si alicui omnibus 6. feriis unius anni daretur in pœnitentiam, ut se disciplinaret, si iste lucretur indulgentiam 52. dierum, quot sunt feriæ
8 sextæ totius anni, liberabitur à tali pœna. Item si alicui daretur pœnitentia, ut jejunet duobus annis, alternatis diebus. si lucraretur indulgentiam unius anni liber manet à tali pœnitentia. Ita Faustus, Hieronymus Rodrig. & alii, quos refert, & sequitur Diana 5.*p.tra.*12.*resol.*39.*&* 10 *part.tra.*12.*res.*46. An verò si quis lucretur indulgentiam plenariam liber maneat ab implenda pœnitentia medicinali imposita à confessario? Respondeo quod vel hæc pœnitentia est simpliciter necessaria ad vitanda peccata futura, vel non: si est necessaria tunc non tollitur per indulgentiam; quia hæc obligatio pœnitentiæ non oritur ex præcepto confessarii, sed ex ipso jure naturali, quo obligatur homo ad evitandum peccatum futurum utendo ad hoc remedio opportuno, quam obligationem confessarius non imponit sed declarat. Secùs dicendum est, quando pœnitentia non est simpliciter necessaria, quia potest uti alio medio, vel remedio, quo evitetur illud peccatum: nam tunc talis pœnitentia tollitur per indulgentiam plenariam. Ita Lugo, Leander, quos refert Diana 10 *p.tra* 12.*resol.*46. licet ille cum aliis contrarium teneat. Sed nostra sententia probabilis est, quam tenet etiam noster Dominicus *loc.cit.controv.*10.*cap.*3 quadam tamen adhibita distinctione, quam apud illum videre poteris.

Et hinc colliges cum Granado, & aliis communiter doctoribus, quos refert Diana 5.*par.tra.*12.*resolut.* 3. quod si semper inveniri posset indulgentia plenaria, aut quæ ab injunctis pœnitentiis absolveret, semper posset homo liberari ab obligatione implendi pœnitentiam impositam à confessario, sivè ordinariam, ut tenent communiter Doctores apud Dian. *ibi.* Aut etiam medicinalem modo dicto, ut ait Lugo *loco citato*,

Nec obstat quod homo non possit reddi certus, an lucratus fuerit indulgentiam. Nam homo, non 9
tenetur semper exequi id quo reddatur certissimus de remissione; satis enim est, si probabiliter id sibi persuadeat; sicut sibi persuadere potest, si consecutus fuisset indulgentias, & ideò ad pœnitentias à confessario injunctas ampliùs non teneri, est tamen semper bonum consilium eam implere. Ita cum aliis Diana *ubi supra*.

Dico III. Si ille, qui tempore, quo facit opus in- 10
junctum ad lucrandum indulgentias peccat venialiter, non ob id desinit consequi indulgentias. Ita Granado, Suar. Præpositus. Ludovicus à Cruce, & alii, quos refert, & sequitur Diana *Tom.* 5.*tra.*12.*resol.*5. & nostri Gabriel *loc.cit.disp.*13.*de Sac.Pœniten. quæst.*3 & Steph. à S. Paulo *tr.*5.*disp.* 5.*du.*12.*n.*293.

An autem semper requiratur intentio actualis ad lucrandum indulgentias, an verò sufficiat habitualis, hoc est, ut quis faciat opus injunctum, etiamsi i- 11
gnoret indulgentiam, facientibus illa opera concessam. Respondeo affirmativè. Ita Portel, Sanctarellus, Layman, Salas, & alii, quos refert, & sequitur Diana 5.*p.tra.*12.*resol.*6. & nostri jam citati Gabriel & Stephanus *loc.cit.* Ratio est, quia non videtur aliud præsumendum de intentione Pontificis indulgentiam concedentis.

An autem possit quis uno, eodemque opere lucrari simul plures indulgentias diversis viis conces- 12
sas, v.g. variæ indulgentiæ diversis titulis concessæ, scilicet, recitanti *Pater noster*, & *Ave Maria*, vel talem Ecclesiam visitanti, an possit quis omnes lucrari, semel recitando *Pater noster* & *Ave Maria*, & semel tantùm Ecclesiam visitando? Affirmant Cord. Graffius, Naldus, & alii apud Dian. *supra resol.*11.

Verùm ego existimo hanc sententiam solùm esse veram, quando tale opus injunctum est determinatum tali diei, vel tempori, & in eodem non potest iterari, ut si diversis titulis concedatur, ut qui in vigilia S. Joannis Bapt. jejunaverit, consequatur indulgentiam: nam tunc eodem jejunio consequentur tot indulgentiæ, quot fuerint privilegia: Ita Granado, Præpositus, Layman, & alii, quos refert, & sequitur Diana 5. *part. tract.* 12. *resol.* 11; *&* 10. *par. tra.* 16. *resolut.* 14. & nostri Lezana *Tom.* 3.*qq. Reg.* verbo *Indulgentia num.* 19. & Stephanus à S. Paulo *tract.* 5. *disp.* 5. *dub.* 12. *num.* 295.

SECTIO

SECTIO II.

De indulgentiis concessis Religiosis in ordine ad seipsos, quæ hodie sunt in suo vigore.

CUm Paulus V. die 23. Maji, anno 1606. omnes indulgentias quovis modo Regularibus concessas, revocaverit, ut constat ex ipsius Bulla apud Peyrinis *ad Constitut.* 8. *Pauli V.* Ideò nobis priùs dicendum erit de indulgentiis, quibus nunc gaudent Regulares extra omnem dubitationem, & statim dicemus, quibus possunt frui in opinione probabili.

§. I.

De indulgentiis, quibus Regulares his temporibus uti possunt extra omnem dubitationem.

13 *In die quo Novitii suscipiunt habitum, & in die professionis, si receperint sacram communionem, lucrantur indulgent. plen.*

14 *Eamdem lucrantur, quando promoti ad presbyteratum celebrant primam Missam, & in die Patroni principalis, ac in articulo mortis, si saltem corde nomen* JESU *invocaverint.*

15 *Qui per* 10. *dies juxta præscriptum Bullæ exercentur spiritualibus exercitiis, lucrantur indulgentiam plenariam.*

16 *Religiosi visitantes suas Ecclesias, & ibi orantes, lucrantur easdem indulgentias, quas consequuntur visitantes Ecclesias Romæ diebus stationum.*

17 *Qui quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam recitaverint, lucrantur quinque annos, & totidem qradragenas.*

18 *Orantes per mediam horam mentaliter, lucrantur indulgentias 60. annorum.*

19 *Accusantes suas culpas in capitulis, lucrantur tres annos, & tres quadragenas.*

20 *Moniales, & infirmi, quomodo has possint lucrari.*

21 *Regulares recitantes coronam beatæ Virginis, lucrantur indulgentiam plenariam.*

22 *Mendicantes recitantes ante sanctissimum Sacramentum* 6. Pater noster, *&* AVE MARIA *cum* Gloria Patri *in fine cujuslibet, lucrantur indulgent. stationum, &c.*

23 *Indulgentiæ concessæ pro defunctis Regularibus ante Paulum V. & concessæ Regularibus pro mortis articulo non fuêre revocatæ.*

DIco I. Qui habitum regularem suscipiunt, si verè pœnitentes, & confessi, Eucharistiæ Sacramento fuerint refecti, ipso die assumptionis habitus lucrantur indulgentiam plenariam. Eamdem lucrantur in die professionis, si similiter confessi Eucharistiam susceperint, & quando ad presbyteratus ordinem canonicè promoti, & confessi primam Missam celebrant: nec non ii Religiosi, qui pariter confessi, ac sacra Communione refecti, eidem Missæ interfuerint, similiter plenariam. Eandem consequuntur, qui in festo principali Ordinis sui confessi, ac sacra Communione refecti, pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Rom. Pontificis salute, ac S. M. Ecclesiæ exaltatione oraverint: & qui in mortis articulo verè pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, vel si id nequiverint, saltem corde contriti nomen JESU ore si potuerint, sin minùs corde devotè invocaverint, etiam plenariam. Eamdem indulgentiam consequuntur, qui per decem dies exercitiis spiritualibus vacant; & saltem per duas horas quotidie orationi mentali incumbunt, si confessi sacram Communionem recipiant. 13

Eamdem indulgentiam lucrantur, qui de licentia Superiorum missi fuerint ad prædicandum hæreticis, vel infidelibus, duabus vicibus, videlicet, quando itineri se accingunt, & quando Provinciam eis destinatam ad prædicandum ingressi fuerint, dummodo his diebus confessi sacram Communionem recipiant. 14

Item plenariam, quando Superiores tempore Visitationis Generalis, orationem quadraginta horarum, pro bono visitationis successu ponere voluerint, iis Religiosis, qui dictis orationibus per spatium duarum horarum in diverso tempore interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Rom. Pontificis salute, & S. M. Ecclesiæ exaltatione, nec non disciplinæ, & observantiæ regularis augmento pias ad Deum preces effuderint, & confessi SS. Sacramentum receperint. Has omnes concessit Paulus V. *in prædicta Bulla.*

DICO II. Religiosi intra claustra viventes, qui suam Ecclesiam devotè visitaverint, & ut præferetur,

fertur, oraverint, consequuntur easdem indulgentias, quas visitantes Ecclesias urbis, & extra eam diebus stationū consequuntur, in omnibus diebus, perinde ac si ipsas urbis Ecclesias personaliter visitarent. Unde inprædictis diebus stationum omnes prædictas indulgentias, sive plenarias, sive non plenarias, lucrantur Religiosi. Nam illa particula, perinde, omnem similitudinem importat. Ita Peyrinis *ad Constitut.* 8. *Pauli V. num.* 4. & tenet communis sensus Religiosorum. Ita Palaus suprà, *in dicta Bulla.*

17 Dico III. Qui quinquies orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante altare suæ Ecclesiæ dixerint in quolibet die, quinque annos, & totidem quadragenas consequuntur: quam indulgentiam consequuntur etiam, qui manent extra Conventum de licentia suorum Superiorum, si prædictas orationes ante quodlibet altare dixerint.

18 Item, qui per mensem integrum singulis diebus per spatium mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac confessione, & sacra Communione ultima Dominica mensis hujusmodi refecti fuerint, 60. annos, & totidem quadragenas; qui verò contrito corde, suas culpas, peccata, & imperfectiones in capitulis culparum accusaverint, & spiritaliter communicaverint, & exercitium virtutum fecerint, tres annos, & totidem quadragenas. Ita Paulus V. *in præcedenti Bulla.* Declarat etiam hujus-

19 modi indulgentias posse quoque lucrari Moniales, etiam Ordinario subjectas; qui etiam declaravit, quòd infirmi, & decrepiti, qui non possunt adire Ecclesiam, ad lucrandas prædictas indulgen-

20 tias, posse eas consequi in lectulis suis, dummodo agant aliquod opus pium arbitrio Confessarii. Ita habetur in Compendio Congregationis S. MARIÆ Fuliens. ut testatur Peyrinis *ad Constitut.* 8. *Pauli V. num.* 2. & noster Augustinus *lib. cit. verbo* Indulgentia, *pag.* 352.

21 Dico IV. Omnes Regulares communicantes cum Mendicantibus, recitantes coronam Beatæ Virginis, consequuntur indulgentiam plenariam. Ita concessit Paulus V. Minoribus post prædictam revocationem indulgentiarum, & non obstante illa, ut testatur Portel. *in dub. regular. verbo* Indulgentia, *num.* 13. Hieronym. Rodrig. & cum illis tenet Quintanad. *in appendice, tract.* 4. *dub.* 2. *num.* 6.

Item omnes Regulares similiter cum Mendicantibus communicantes, in privilegiis, recitantes ante sanctissimum Sacramentum 6. *Pater noster;* & *Ave* MARIA cum *Gloria Patri*, ad finem cujuslibet *Ave* MARIA, lucrantur omnes indulgentias stationum Romæ, Hierusalem, S. Jacobi in Compostella, & Portiunculæ. Ita concessit idem Pau- 22
lus V. Minoribus, & confirmavit, & de novo concessit Urbanus VIII. dummodo statio fiat ante altare principale Ecclesiæ; ut testatur cum Hieron. Rodrig. Quintanad. Nec ego invenio aliud privilegium amplius & facilius.

Tandem certum est, adhuc durare omnes indulgentias concessas pro defunctis Regularibus ante Paulum V. Nam hujusmodi indulgentiæ non fuêre comprehensæ in illa revocatione Pauli V. ut declaravit idem Paulus V. ut cum Peregrino, & Peyrinis testatur Lezana *Tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 19. Quintanad. *suprà num.* 5. Et idem declaravit Pau- 23
lus V. de indulgentiis concessis Regularibus pro mortis articulo, ut cum prædictis Doctoribus testatur Novarius *in lucerna Regularium, verbo* Indulgentia, *num.* 3. quæ autem sint hujusmodi indulgentiæ, *infrà* dicemus.

§. 2.

De indulgentiis, quibus probabiliter Regulares uti possint, etiam his temporibus.

24 *Regulares probabiliter lucrantur omnes indulgentias, quæ secundùm opinionem probabilem non sunt revocatæ.*

25 *Ad lucrandum indulgentias sufficit opinio probabilis.*

26 *Probabile est indulgentias concessas ante Paulum V. non esse hodie revocatas.*

27 *Indulgentiæ revocatæ à Paulo V. fuêre postea ab eo confirmatæ.*

28 *Indulgentiæ revocatæ à Paulo V. fuêre postea à Gregorio XV. revalidatæ.*

29 *Probabile est indulgentias concessas per oracula vivæ vocis non esse revocatas in generali oraculorum revocatione.*

30 *In revocatione non sunt intelligendæ comprehendi indulgentiæ, nisi de illis specialiter fiat mentio.*

31 *Probabile est per revocationem Pauli V. non revocari indulgentias, quæ competunt Religiosis, ut sunt fideles, seu habitatores talis loci.*

32 *Non sunt revocatæ indulgentiæ concessæ suis Ecclesiis, Capellis, monasteriis, &c.*

33 *Probabile est non esse revocatas indulgentias concessas*

cessas patribus, fratribus, cognatis, benefactoribus, & servitoribus Regularium.

24 CUm Paulus V. largiendo supradictas indulgentias, omnes alias antea concessas Regularibus revocaverit, restat, ut videamus, an adhuc, non obstante tali revocatione, possint Regulares frui aliis indulgentiis, sive antea, sive postea concessis. Quæ doctrina sanè perutilis est. Nam indulgentiæ, quæ secundùm opinionem probabilem non sunt revocatæ, probabile est obtineri posse à faciente opus præscriptum ad illam consequendam.
25 Ita Martinus à S. JOSEPH, Leander, Paulus Maria, quos refert, & sequitur libenter Diana 10. *part. tract.* 11. *resol.* 34. & ratio est, nam quando agitur de jurisdictione, sufficit, ut detur opinio probabilis ad hoc, ut dicunt plures, & gravissimi Doctores, quos *ibi* refert Diana, quòd Papa in eo casu concedit jurisdictionem: ergo idem dicendum est de indulgentiis, & Jubilæis; non enim aliud præsumi potest ex benignitate Pontificis. Vide circa hoc N. Gabrielem *loc. cit. quæst.* 3.

26 DICO igitur I. Probabile est omnes indulgentias Regularibus concessas ante Paulum V. non esse hodie revocatas. Ita docent Martinus à S. JOSEPH. *in regulam S. Francisci, fol. mihi,* 419. Hieron. Rodrig. quem refert Diana 4. *part. tract.* 4. *resol.* 20. Amic. *Tom.* 8. *num.* 5. & ratio est, quia idemmet Paulus V. post prædictam generalem revocationem indulgentiarum confirmavit ex certa scientia, & de plenitudine potestatis omnia privilegia Minorum concessa & confirmata à Clemente VIII. cum omnibus, & singulis decretis, & clausulis, & declarationibus quibuscumque contentis
27 in litteris suæ confirmationis. Sed Clemens VIII. expressè concessit indulgentias: ergo omnes indulgentiæ à Paulo V. antea revocatæ per hanc concessionem, de novo revalidatæ fuêre ab ipsomet Paulo V.

28 Confirmatur, quia Gregorius XV. in quadam Bulla, quæ incipit, *in Apostolicæ Sedis specula,* quam ex typographia Cameræ Apostolicæ extraxit noster *Petrus ab Angelis,* Procurator Generalis Discalc. Carmelitarum in Romana Curia, ut mihi testatus fuit P. *Emanuel à Conceptione,* Prior & Procurator Lusitaniæ Provinciæ Carmelitanæ Discalceatæ in eadem Romana Curia, confirmavit motu proprio, & ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, omnia, & singula privilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias, ac indulta principaliter, vel per communicationem, vel alios aliàs quomodolibet Congregationi, & Clericis Theatinis per quoscumque Romanos Pontifices, & Sedem Apostolicam concessa, & de novo illa concessit, ut patet ex prædicta Bulla; atqui Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit: *Exponi nobis fecistis,* quæ habetur apud Cherubinum *Tom.* 1. & est 4. hujus Pontificis, concesserat prædictis Clericis Theatinis omnia, & singula privilegia, exemptiones, & immunitates, indulgentias, facultates, & favores, libertates, auctoritates, & indulta, quibus gaudent Canonici Regulares. Et idem Clemens in alia Bulla, quæ incipit: *Dudum pro parte vestra,* concesserat eisdem Theatinis omnia, & singula privilegia, indulta, prærogativas, exemptiones, immunitates, gratias, indulgentias, tam in specie, quàm in genere concessas, & concedendas tam Mendicantibus, quàm non Mendicantibus, etiam Cisterciensibus, & Cluniacensibus. Et Julius III. anno 1551. prædicta omnia confirmavit, & innovavit, ut habetur *Tom.* 2. *Bullarii magni apud Pium V Bulla* 31. *anno* 1567. Idemque fecit Paulus IV. qui omnia privilegia, gratias, & indulgentias Societati concessas, & concedendas etiam per communicationem confirmavit; quæ omnia Pius V. ut habetur *in Bullario magno, Bulla* 30. motu proprio ex certa scientia confirmavit, & innovavit: ergo has omnes indulgentias, quas Paulus V. revocaverat, innovavit Gregor. XV. pro Theatinis, quorum privilegiis gaudent nostri Religiosi, & cæteri communicantes per Bullam Clementis VIII. quæ incipit: *Dudum,* ut habetur in nostro Compendio, *fol.* 183. At quid de his hoc tempore sentiendum sit, constabit ex Decreto SS. D. N. ALEXANDRI VII. anno 1666. die 18. Martii promulgato, & in calce hujus Operis subjiciendo.

DICO II. Indulgentiæ concessæ per vivæ vocis oracula, probabile est non esse revocatas adhuc 29
stante Urbani VIII. & Gregorii XV. generali oraculorum revocatione. Ita Peyrinis, & alii, quos refert, & sequitur Bordon. *resol.* 31. *num.* 4. Mendoza, & alii, quos refert, & sequitur Quintanad. *in appendice, tract.* 4. *dub.* 2. *num.* 9. Et ratio est, quia in prædictis Bullis revocatoriis, tam Gregorii XV. quàm Urbani VIII. non fit specifica mentio indulgentiarum, qualis requirebatur ad revocationem, utpote privilegii privationem. Et licèt in eis dicantur revocati indulta spiritualia sub horum nominibus, in odiosis non sunt intelligendæ indulgentiæ, licèt in favorabilibus intelligantur; nec indulgentiæ revocari existimantur, nisi expressè nomi- 30

nominentur. Ita Quintanad. *ibi*, & quia omnia oracula usque ad Gregorium XV. sunt confirmata per Bullas, ut diximus *disp.* 1. *sect.* 1. §. 2. *num.* 41.

31 Dico III. Probabile est per revocationem Pauli V. non revocari indulgentias, quæ competunt Religiosis, ut sunt fideles, vel habitatores talis loci: sed quæ ratione suæ Religionis illis concessæ erant, aliàs deterioris conditionis essent ac sæculares, etiam quoad spiritualia. Ita cum aliis Quintanad. *suprà num.* 2. Item non revocantur indulgentiæ, & Jubilæa, quæ conceduntur eorum Ecclesiis, Capellis, & monasteriis, & Ecclesiás visitantibus.
32 Ita declaravit sacra Congregatio, die 20. Aprilis, anno 1607. ut ex Peyrin. testatur Lezana *Tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 19. Zuzarte *cap.* 1. *de indulgentiis, fol.* 299. nost. Theodorus Stratius *in institutione, pro Fratribus Carmelitis, cap.* 1. *num.* 2. & iterùm Lezana *Tom.* 4. *verbo* Indulgentiæ, *num.* 3. Portel. Hieronym. Rodrig. quos refert, & sequitur Diana 4. *part. tract.* 4. *resol.* 20. Peyrinis *Tom.* 3. *cap.* 10. *num* 58. Quintanad. *suprà num.* 2. & noster Ildephonsus à JESU MARIA, *loc. cit. ad* §. 82. *Maris*
33 *magni Carm.* Unde Regulares possunt consequi prædictas omnes indulgentias concessas suis Ecclesiis pro illis diebus, sicut cæteri fideles, ut tenent prædicti Doctores.

Tandem probabile est, non esse revocatas indulgentias concessas Fratribus, patribus, cognatis, benefactoribus, & servitoribus Religiosorum, ac aliis hujusmodi personis ad eos spectantibus. Ita Hieronym. Rodrig. quem refert, & sequitur Quintanad. *suprà num.* 3. quæ omnia procedunt adhuc stante revocatione Pauli V.

§. 3.

Referuntur indulgentiæ concessæ Religiosis pro se ipsis per Bullas.

34 *Regulares visitando suas Ecclesias diebus stationum Romæ, & ibi certas recitando orationes, lucrantur omnes indulgentias concessas visitantibus Ecclesias stationum Romæ.*

35 *Romæ quotidie lucrari possunt indulgentia plenaria, præter alias minores.*

36 *Religiosis in die sui Patriarchæ orantibus pro pace Ecclesiæ, in suis Ecclesiis, conceditur indulgentia plenaria.*

37 *Venientes ad Capitulum provinciale, & orantes in Ecclesia domus, ubi Capitulum celebratur, indulgentiam plenariam lucrantur.*

38 *Quoties Regulares Eucharistiam recipiunt, indulgentiam plenariam lucrantur.*

39 *Regulares in die Natalis Domini, & in mortis articulo, si sint in statu gratiæ, indulgentiam plenariam lucrantur.*

40 *Quoties tres Missæ dicuntur pro anima alicujus defuncti Religiosi, liberatur à purgatorio.*

41 *Regulares examinando suas conscientias singulis noctibus, cum dolore, & proposito confitendi, unum annum, & unam quadragenam lucrantur.*

42 *Religiosi celebrantes Missam de requiem in aliquibus altaribus assignatis, liberant animam ex purgatorio.*

43 *Quilibet Sacerdos celebrando in nostris altaribus Crucifixi, liberat animam defuncti, pro quo celebrat, à purgatorio.*

Dico IV. Regulares visitando suas Ecclesias 34
diebus stationum Romæ, & ibi recitando septem Psalmos, aut alias orationes juxta arbitrium Confessarii pro summo Pontifice, & sancta Matre Ecclesia, & cuncto populo Christiano, lucrantur omnes indulgentias, & remissiones concessas visitantibus Ecclesias stationum Romæ. Ita concessit Pius II. *Bulla* 2. Idem concessit Sixt. IV. *Bulla* 41. visitantibus in diebus quadragesimæ aliqua altaria à Prælato deputata. Et idem concessit idem Sixtus *Bulla* 13. Religiosis, recitantibus ad quodlibet trium altarium unum Psalmum Pœnitentialium; & Innocent. VIII. *Bulla* 8. idem concessit Religiosis, etiam Novitiis recitantibus
ad altare majus Psalmum *Miserere*: & Officialibus, 35
& familiaribus Conventus ibi recitantibus septies *Pater noster*, & *Ave Maria*. Et nota quòd Romæ quotidie lucrari possint indulgentiæ plenariæ, & una anima à purgatorio liberari à quovis visitante, præter alias indulgentias certorum annorum, & dierum. Ita Cruz *ad finem Epitom.* in Compendio, quod ibi facit *indulgentiarum*.

Dico V. Religiosis orantibus in suis Ecclesiis 36
pro pace Ecclesiæ conceditur indulgentia plenaria in die sui Patriarchæ. Ita concessit Dominicanis Greg. IX. *Bulla* 17. & Sixt. IV. *Bulla* 11. qui etiam concessit indulgentias stationum Romæ eisdem
pro eodem festo, & pro articulo mortis; & venien- 37
tes ad Capitulum Provinciale, & orantes in suis Ecclesiis, ubi celebratur Capitulum, in singulis 8. diebus Capituli, lucrantur indulgentiam Portiunculæ: ita concessit Bonifacius IX. *Bulla* 6.
& consequuntur indulgentias S. Mariæ de Popu- 38
lo Regulares, & eorum familiares suas Ecclesias

visitantes.

visitantes. Ita concessit Leo X. *Bulla* 6. Item quoties Regulares Eucharistiam recipiunt, vel Missam celebrant lucrantur indulgentiam plenariam. Ita concessit Leo X. *Bulla* 48. *juxta Bullarium Rodrig.*

39 Dico VI. Regulares in die Natalis Domini, & in articulo mortis, si sint in statu gatiæ lucrantur indulgentiam plenariam. Ita concessit Innocent. VIII. *Bulla* 4. Et Gregorius XIII. *Bulla* 43. con-
40 cessit Fratribus confessis ac Sacra communione refectis singulis mensibus indulgentiam plenariam, si ter *Pater noster*, & *Ave Maria*, recitaverint. Eamdem indulgentiam concessit eisdem Regularibus in mortis articulo, si ter nomen Jesu voce, vel si non potuerint, saltem corde, invocaverint; & quoties tres Missæ pro anima cujuscumque ex prædictis Religiosis in charitate decedentibus celebran-
41 tur, à Purgatorii pœnis liberantur *Bulla* 43. Et Gregor. XIII. concessit omnibus Regularibus singulis noctibus suas conscientias examinantibus, ac de commissis peccatis dolentibus cum proposito confitendi, recitando ter orationem Dominicam, & salutationem Angelicam pro felici Ecclesiæ statu unum annum, & unam quadragenam de injunctis pœnitentiis, quæ omnia sunt valdè notanda.

42 Dico VII. Religiosi celebrantes Missam de requiem in altari Crucifixi, S. Stephani, S. Matthiæ, vel SS. Virginum, vel S. Magdalenæ, vel columnæ Domini, vel in alio altari semel pro semper designando à Priore Conventus, liberant animam à Purgatorio. Ita concessit Gregorius XIII. *Bulla* 7. 9. & 11. *apud Cruz, ubi supra.* Et Religiosus conventualis celebrando pro anima alterius Religiosi, in altari majori Ecclesiæ liberat animam illius à Purgatorio, & animam Monialis, si celebret in altari majori chori. Ita concessit Innocent. VIII. *Bulla* 8.

43 Tandem quilibet Sacerdos liberat animam à Purgatorio, celebrando pro ea in nostris altaribus Crucifixi. Ita concessit Clemens VII. *Bulla* 4. vel si celebrat in altaribus Beatiss. Virginis, aut Spiritus Sancti. Ita concessit Gregor. XII. *Bulla* 5. & 6. apud Cruz *supra*. Et licet multæ ex his indulgengentiis concessæ fuerint Dominicanis, & aliis Mendicantibus, omnibus tamen illis nostri Religiosi frui possunt propter communicationem, ut notavit Cruz *ubi suprà*, & constat ex Bullis Sixti IV. Innocentii VIII. Alexand. VI. Julii II. Leonis X. Clement. VII. Eugen. IV. Gregor. IX. Pii II. & V. quos refert, & pro communicatione Religiosorum cum communi Doctorum approbat Quintanaduennas *Tract.* 4. *dub.* 8. 9. & 10. Sed hæc dixerim referendo, quæ prædictus *Cruz* asserit, de valore ejusque fundamento alii judicent.

§. 4.

Recensentur indulgentiæ concessæ Religiosis per vivæ vocis oracula, & de quibus dubitatur, an fuerint per oracula concessæ.

44 *In qualibet nostrarum Ecclesiarum datur unum altare privilegiatum.*

45 *Missæ, quæ dicuntur pro nostris Religiosis defunctis, in quocumque altari nostro dicantur, sunt privilegiatæ.*

46 *Religiosi portantes crucem, aut imaginem crucifixi ad pectus, quas indulgentias consequantur.*

47 *Qui solemniter in certis diebus professionem renovant, lucrantur indulgentiam plenariam.*

48 *Religiosus, qui per mediam horam extra consuetas oraverit, vel cilicium portaverit pro determinata Pontificis intentione, indulgentiam plenariam lucratur.*

49 *Prædictæ indulgentiæ possunt pto defunctis applicari.*

50 *Oracula signata per manum alicujus officialis Cameræ Apostolicæ, qui hoc ex officio agit non fuère comprehensa sub revocatione universali oraculorum.*

51 *Quas indulgentias lucrantur solventes ex Breviario divinum officium, & recitantes in choro.*

52 *Quas indulgentias in fine psalmorum inclinantes ad Gloria Patri?*

53 *Dicentes certas orationes lucrantur omnes indulgentias stationum Romæ, Jerusalem, Compostellæ, ac Portiunculæ.*

54 *Regulares orantes in suis Ecclesiis pro pace Ecclesiæ, &c. lucrantur omnes indulgentias plenarias concessas quibuscumque Ecclesiis.*

55 *Regulares in Dominicis, in quibus recipiunt Eucharistiam lucrantur indulgentiam plenariam, & eamdem lucrantur in aliis anni solemnitatibus ibi assignatis.*

56 *Regulares quoties Missam celebrant, vel communicant, lucrantur indulgentiam plenariam.*

57 *Quomodo infirmi consequi possunt has indulgentias.*

58 *Religiosi visitantes suas Ecclesias, & ibi dicendo certas orationes, lucrantur omnes indulgentias concessas, & concedendas quibuscumque Ecclesiis seu locis, tam intra, quam extra Romam.*

59 *Omnes prædictas indulgentias possunt Regulares applicare pro defunctis saltem concessas usque ad Sixtum IV.*

60 *Prædictæ indulgentiæ licet fuerint revocatæ pro vivis, non tamen pro mortuis.*

44 DIco VIII. Paulus V. post generalem revoca-
tionem privilegiorum concessit, ut in qualibet
nostra Ecclesia sit unum altare privilegiatum per
omnes hebdomadæ dies, & quod missæ, quæ pro
nostris Religiosis defunctis dicuntur in quocum-
que altari, privilegiatæ sint, ac si in altari privi-
legiato dicerentur.
45 Item Religiosis nostris portantibus crucem,
aut imaginem Crucifixi ad pectus, concessit omnes
indulgentias, concessas ad instantiam Marchionis
de Villena, dummodo orent pro infidelium, &
46 schismaticorum conversione. Item concessit in-
dulgentiam plenariam illis, qui solemniter in die
Epiphaniæ exaltationis sanctæ Crucis, aut in die,
quo viaticum recepturi sunt, professionem reno-
47 vaverint dummodo recipiant Sacram communio-
nem, & orent pro prædicta conversione, ut aliquis
publicè convertatur. Indulgentias ad instantiam
Marchionis de Vigliena à Paulo V. concessas, quæ
liberalissimæ sunt, reperiet Lector apud nostrum
Eliam à S. TERESIA libro mox citando *cap.* 30. *n.* 8.
9. & 10. cũ aliis maximis ab eodem Papa concessis
ad instantiam Carmelitarum Discalceatorum,
quando illos tanquam Legatos Sedis Apostolicæ
in Persidem destinabat pro illius regni conversio-
ne: inde hæ indulgentiæ *Persicæ* dictæ sunt. Vide
hunc Authorem, & non pœnitebit, ob plurimas
planèque maximas indulgentias, quas *loco cit.*
refert.
48 Item concessit indulgentiam plenariam quoties
aliquis Religiosus per spatium mediæ horæ extra
consuetas, oraverit pro prædicta conversione infi-
delium: Item eandem indulgentiam concessit;
quoties quis propter eandem causam semetipsum
extra consuetum tempus flagellaverit, aut porta-
verit cilicium, aut catenam, dummodo Sacram re-
cipiat communionem.

Item concessit, quod tribus missis dictis pro Re-
ligioso nostro defuncto satisfiat pro omnibus pœ-
nis ei debitis in purgatorio. Quæ omnia confirma-
vit Urbanus VIII. vivo oraculo, & de novo con-
cessit. Idem Urbanus VII. indulsit, ut pro ani- 49
mabus defunctorum applicari possint prædictæ
indulgentiæ. Tandem idem Urbanus concessit
fratribus eleemosynas quærentibus pro amore Dei
qualibet die, qua id faciunt indulgentiam 40. die-
rum. Et adverte has indulgentias esse certas, & ci-
tra opinionem. Nam cum concessæ fuerint post
revocationem indulgentiarum ab ipso Paulo V. &
Urbano VIII. non est cur dicantur revocatæ; nec
constat, quod fuerint vivæ vocis oracula: nam, ut 50
supra diximus Urbanus VIII. declaravit oracula
signata manu alicujus Officialis ex illis, quibus ex
officio id competit non fuisse comprehensa in illa
universali revocatione oraculorum facta a Grego-
rio XV. vel ab ipso Urbano VIII. ut constat ex Bul-
la ipsius Urbani apud Peyrinis *in Formulario Prælatorum littera Z. capite* 3. *in appendice* 453. *folio mihi*
539. hujusmodi autem supra relata privilegia sunt
signata manu propria Notarii publici, & constitu-
ti in dignitate ad hæc munera, ut patet ex origina-
libus ipsorum, quæ testatus est se vidisse *P. Emmanuel à Conceptione*, Definitor hujus Provinciæ, &
Procurator ipsius in Romana curia; & clarius con-
stat ex Compendio privilegiorum nostrorum, ergo
non est cur illa, ut certissima & indubitata non re-
putemus.

DICO IX. Leo X. concessit Religiosis Divinum 51
Officium solventibus ex Breviario ob oculos posi-
to remissionem dimidiæ partis peccatorum com-
missorum illa die, qua prædictum officium reci-
tant. Et Martin. V. concessit recitantibus Divi-
num officium in choro cum aliis pro qualibet die
100. dies indulgentiarum.

Joan. XXII. inclinantibus, quando nominatur 52
nomen JESU 40. dies indulgentiarum, & toti-
dem similiter inclinantibus cùm in fine Psalmo-
rum dicitur *Gloria Patri.* Ita ex Casarubio refert
Tamburin. *de jure Abbatissar. disput.* 15. *quæsito* 4.
num. 5.

Et Leo X. Regularibus concessit recitantibus se-
xies orationem Dominicam, & totidem vicibus
salutationem Angelicam dicendo *Gloria Patri* in
fine uniusquisque, omnes indulgentias stationum
Romæ, Jerusalem, Compostellæ, & Portiun-
culæ, etiamsi extra Conventum existentes reci-
tent.

Idem concessit Alexand. VI. & Innocent. VIII. 53
Et infirmi in suis lectulis lucrari possunt easdem
indulgentias.

Regulares visitantes suas Ecclesias, & ibi oran-
tes

tes pro exaltatione S. Ecclesiæ, & hæresum extirpatione, & pro pace inter Principes Christianos lucrantur omnes indulgentias plenarias, & non plenarias concessas quibuscumque Ecclesiis. Ita concessit Sixtus IV. Item lucrantur indulgentiam plenariam in die S. Catharinæ Martyris, & quatuor
54 vicibus quotannis in diebus per ipsos Regulares eligendis.
55 Item in omnibus Dominicis, in quibus recipiunt Eucharistiam, lucrantur indulgentiam plenariam. Ita concessit Innocent. VIII. Eandem indulgentiam consequuntur, in omnibus festis Domini, Beatæ Virginis, sancti Petri, S. Pauli, omnium Sanctorum, S. Eliæ, & per omnes dies hebdomadæ Sanctæ.
56 Item communicando in omnibus festis Sanctorum nostri Ordinis, Domini nostri Jesu Christi, & Beatæ Virginis: & quoties Missam celebrant, vel communicant, lucrantur indulgentiam plenariam. Ita concessit Innocent. VIII & Leo X. eandem indulgentiam concessit Gregor. XIII. etiã Re-
57 ligiosis confitentibus, & communicantibus in die Apostolorum Petri, & Pauli, S. Mariæ Magdalenæ, 40. Martyrum, S. Luciæ, & S. Alberti. Eandem indulgentiam lucrantur recitantes coronam Salvatoris, quæ constat ex 33. *Pater noster, & 5. Ave Maria*, & infirmi satisfaciunt dicendo unum Psalmum, vel Hymnum B. Virginis. Ita concessit Leo X.
58 Julius II. Clemens VII. Religiosis visitantibus suas Ecclesias, dicendo Psalmum *Exaudiat te Dominus*, & 3. *Pater noster, & 3. Ave Maria*, omnes indulgentias concessas, & concedendas quibuscumque Ecclesiis, seu locis, tam intra, quàm extra Romam, dummodo orent pro anima ipsius Pontificis, qui hoc privilegium concessit.
59 Dico X. Omnes ferè hucusque enumeratas indulgentias, ut sunt omnes concessæ usque ad tempus Leonis X. & Sixti IV. possunt Regulares applicare per modum suffragii pro animabus Purgatorii. Ita concessit Leo X. & Sixtus IV. Idem dicendum est de indulgentiis, quas Paulus V. & Urbanus VIII. post revocationem indulgentiarum
60 per sua oracula Regularibus concessêre, ut *suprà* diximus *hac eadem disput.* Immò licet hujusmodi indulgentiæ revocatæ fuerint pro vivis, non tamen pro defunctis. Ita declaravit Paulus V. ut testatur Peregrinus, & cum illo Peyrinis *ad constit.* 8. *Pauli V.* §. 19. *n.* 5. Portel. quem refert, & sequitur Diana 4. *p. tract.* 4 *resol.* 20. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 19.

An autem possint Regulares alias indulgentias præter supradictas applicare per modum suffragii pro animabus Purgatorii, & illis prosint? Affirmat Pater Gobat, quem refert Diana 10. *part. tract.* 16. *resol.* 12. quæ sententia absque dubio pia, & probabilis est, quidquid dicat cum Quintanad. Diana *ibi.* Non enim aliud præsumi potest ex Pontificis pietate. Qui fusiorem hujus difficultatis & materiæ expositionem desiderant, consulere poterunt nostros Eliam à S. Teresia in sua *Legatione Ecclesiæ Triumphantis ad militantem lib.* 2. *cap.* 30. Dominicum à SS. Trinitate *Tract. de anno Jubilæi controversia* 11. *cap.* 3. *& seqq.* & Gabrielem à S. Vincentio *Disput.* 13. *de Sacramento Pœnitent. quæst.* 5.

SECTIO III.

De indulgentiis concessis Confratribus B. Mariæ de Monte Carmelo.

61 *Confratres nostri Ordinis in die qua recipiunt scapulare, si confiteantur, & communicent, lucrantur indulgentiam plenariam. Eandem indulgentiam lucrantur in aliis diebus & festivitatibus.*
62 *Referuntur aliæ variæque indulgentiæ.*
63 *Quas indulgentias lucrentur Confratres recitantes officium B Virginis, vel qui assistunt in nostris Capellis, vel Ecclesiis Missæ vel aliis officiis Divinis, vel faciunt eleemosynas, vel alia opera bona.*
64 *De indulgentia seu Privilegio Bullæ Sabbatinæ, ejusque excellentia, confirmatione aliisque ad illam pertinentibus: an aliis communicetur?*

ANtequam referre incipiam indulgentias antiquissimæ celeberrimæque Archiconfraternitati Beatissimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo concessas, nonnihil dicendum primum foret, de ejus origine & antiquitate, institutione ac propagatione, approbatione ac confirmatione, verum cum id paucis fieri nequeat, & proposita mihi in differendo brevitas multa dicere non permittat, consuli poterunt infracitandi Authores, qui de hoc argumento seu hac Confraternitate, integros Tractatus consultò edidêre. Sufficiet mihi hic solum advertere nonnullorum hallucinationem, existimantium,

mantium, hanc B. MARIÆ Virginis de monte CARMELO Confraternitatem ex eo primum tempore, quo S. SIMON STOCK SCAPULARE sacrum à DEIPARA virgine accepit suam sumpsisse originem, cum plus quam quadringentis annis ante tempora S. SIMONIS hæc sacra Archiconfraternitas extiterit, ut patet ex Bulla GREGORII XIII. quæ refert illi concessas indulgentias ab ADRIANO II. qui sedit anno 867. licet à tempore cælitùs recepti Mariani Scapularis à S. SIMONE (quod contigit anno 1251.) multo amplius florere & propagari cæperit, ob innumera suspiciendaque miracula ac prodigia, quæ illo mediante per universas ferè Europæ Provincias mox patrari cæperunt. Hoc præter complures alios manifestè docet Antonius Sanderus in sua *Brabantia illustrata* agendo de *Carmelo Bruxellensi*, his verbis: *Sicut* SCAPULARIS *ante* S. SIMONEM *in Ordine Carmelitico usus perhibetur, ita quoque ejusdem aliqua extitit Confraternitas, quæ* B. MARIÆ de monte Carmelo *dicebatur: Sed non tot tantisque privilegiis, uti post* S. SIMONIS *tempora erat ditata. Quadringentis tamen ante* S. SIMONEM *annis eam indulgentiis decorasse* ADRIANUM II. *(qui rexit anno 867.) invenio. Item* STEPHANUM V, SERGIUM III, JOANNEM X. & XI. & SERGIUM IV. *certas indulgentias lego concessisse: quas refert & confirmat* GREGORIUS XIII. *in Bulla, quæ incipit*, UT LAUDES. *Data anno* 1577. *die* 18. *Sept.* Hæc ille; & cum illo R. & celebris P. DANIEL à Virg. MARIA Sac. Carm. Ord. in Belgio Præpositus Provincialis in sua *Vinea Carmeli*, seu *Historia Eliani Ordinis*, *&c. Part.* 5. *cap.* 7. *num.* 841. Idipsum tradit *nost. Paulus ab omnibus sanctis in Thesauro Partheno-Carmelitico*, quem idem *R. P. Daniel* citat in *coronide Parænetica ejusdem operis num.* 1269. Et *Joan. Bapt. de Lezana in Appendice ad Tom. IV.* Annalium Ordin. Carmelit. *ad annum* 1337. *pag.* 1042.

Innumera stupendaque miracula ac prodigia hujus Marianæ vestis, seu Carmelitici SCAPULARIS, quæ Confraternitatem hanc adeo celebrem illustremque reddidêre, conscripserunt Varii; inter quos *Franciscus de Rosa*, Neapolitanus, *Augustinus Guardus* Italus, *Jodocus ab Assche, & Cyprianus a S.* MARIA Belgæ, *Philocalus Caputus* Italus, *Gregorius Nazianzenus à S. Basilio* Gallus, *Leo à S. Joanne* Gallus, *Alphonsus à Matre Dei* Hispanus, *Philibertus Fezelyus*, *R. D. Berthelot* magnus Vicarius celeb. Abbatiæ S. Petri Senonens. in Burgundia, *Theophilus Raynaudus* Soc. JESU, & novissimè, omniumque copiosissime præfatus *P. Paulus ab omnibus Sanctis* Germanus, in libro, cui titulus CARMELUS THAUMATURGUS, pluries recuso variis in locis. His brevissimè prælibatis.

61 DICO I. Confratres utriusque sexus nostri Ordinis in die qua recipiunt sacrum Scapulare, si confiteantur, & communicent lucrantur indulgentiam plenariam. Eandem indulgentiam plenariam lucrantur die 16. Julii, vel Dominica sequenti, in qua Festum Beatæ MARIÆ de Monte Carmelo celebratur juxta consuetudinem Confratrum, si Confessi, & S. Communione refecti oraverint pro pace Principum Christianorum, pro extirpatione hæresum, & S. M. Ecclesiæ exaltatione. Et si Confratres hac die non inveniantur in loco, ubi sit Ecclesia Ordinis, possunt lucrari hanc indulgentiam, ubicunque fuerint, modo dicta præstent. Item Confratres, qui in articulo mortis confessi, & S. Communione refecti, nomen JESU, saltem corde invocaverint, si ore non possint, lucrantur indulgentiam plenariam, & qui confessi, & communione suscepta processionem, quæ per singulos menses in una Dominica fit devotè associaverint, consequuntur eandem indulgentiam plenariam.

62 DICO II. Confratres, qui feria 4. & Sabbato à carnibus abstinent lucrantur 30. dies indulgentiæ, & quacumque die septies recitaverint orationem Dominicam, & salutationem Angelicam in memoriam 7. gaudiorum SS. Virginis lucrantur 40. dies indulgentiæ, & qui deferendo Marianum Scapulare confessi receperint semel in mense Sac. Communionem, & ut præfertur oraverint, quinque annos, & totidem quadragenas: illi vero confratres, qui in festivitatibus B. M. V. confessi ac S. Communione refecti in Ecclesia vel Capella dictæ Confratern. ut præfertur oraverint tres annos & totidem quadragenas. Et qui cum lumine Eucharistiam quando ad infirmos defertur, associaverint, & pro eisdem infirmis preces ad Deum fuderint 5. annos, & 5. quadragenas: quoties verò corpora defunctorum tam Confratrum, & Consororum, quàm aliorum ad sepulturam associaverint, & pro eis oraverint 100. dies.

63 DICO III. Confratres, sive consorores, qui officium B. Virginis devotè recitaverint lucrantur 100. dies indulgentiæ; qui verò Missis, aut aliis divinis officiis in Ecclesia, vel capella, aut Oratorio dictæ confraternitatis interfuerint, aut pauperes hospitio receperint, aut eis in eorum necessitatibus, aut existentibus in peccandi periculo, auxiliati fuerint, aut eleemosynas, temporales, vel spirituales eis dederint, vel pacem cum inimicis propriis,

propriis, vel alienis composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, aut devium aliquem ad salutis viam reduxerint, & ignorantes Dei præcepta, & ea, quæ ad salutem necessaria sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, & charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum piorum operum 100. dies de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis relaxantur. Has omnes indulgentias post generalem revocationem indulgentiarum concessit nostris Confratribus Paulus V. in Bulla, incipiente: *cum certas*, & possunt nostri Religiosi per communicationem illis frui.

64 Joannes XXII. per *Bullam*, quæ communiter *Sabbatina* nuncupatur, ac incipit, *sacratissimo ut in culmine*, aliam sane eximiam indulgentiam, admirandumque privilegium, anno 1316. vel ut alii volunt 1322. die 3. Martii publicavit ac confirmavit: per quod animæ Fratrum Ord. Carmelitarum, ac Confratrum Sodalitatis Mariani, Carmeliticique Scapularis, si præscripta à DEIPARA, in jam dicta Bulla observaverint, proximo post eorum obitum Sabbato, è pœnis purgatorii liberantur. Ita indicavit sanctissima DEI mater, visibiliter apparens prædicto Joanni, ei jubendo hoc Privilegium promulgare ac confirmare: uti ipse ibidem refert.

Hoc Joannis diploma decem alii Pontifices confirmarunt: videlicet, Alexander V. Clemens VII. Paulus III. & IV. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. Gregorius XIV. Clemens VIII. ac novissimè Paulus V. ipsa etiam *sacra Rom. & Generalis Inquisition. Congregatio* sub Paulo V. anno 1613. die 11. Februarii hoc privilegium post longum maturumque examen approbavit confirmavitque: cujus confirmationis tenorem referunt plures ex mox citandis Authoribus. Quamplurimi vero sunt Authores, tam exteri, quam domestici, qui de hac gratia ac Privilegio, aut consultò scripsêre, aut ejus in suis libris meminêre. Placet ex illis paucos indicare, ut lector, si lubeat, illos consulere queat. E domesticis antiquioribus sunt: Joannis Hornebius in *opusculo de misericordia Virg. ad an.* 1575. Thomas Lombe *lib. inscripto* MARIÆ *memoria. ad an.* 1387. Gualterus Hunte in *Chronic. lib.6. ad an.*1478. Thomas Serope Episcopus Dromorensis *ad an.* 1488. quos omnes citat Joannes Cheron *in Vindiciis privilegiati scapularis pag. 96.* Arnoldus Bostius *in Speculo Historiali lib. 7.* Joannes Palconydorus *Lib.3. Historiæ Carmelitanæ.* Balduinus Leersius *in Collectaneo exemplorum cap. 6.* Petrus Lucius *in Compendio Historico Ord. Carm. cap. 12.* Ex recentioribus Thomas à JESU *de antiquit. Ord. Carm. lib. 2.* Cyprianus à S. MARIA *in Thesauro Carmel.* Gregorius Nazianzenus à S. Basilio *lib. de Adoptione Parthenia.* Didacus Coria *in Dilucidario Chronic. & antiq. Ord. Carm. lib. 11.* Joannes Pintus *in Hierarchia Carmelitana.* Seraphinus Georgius, & Petrus Thomas Saracenus *in lib.* Italicè inscripto *informatione per li devoti della SS. Virg. de Carm. part. 3.* Philippus à SS. Trinitate *in Historia Ord. Carmel. lib.5. cap.14.* Augustinus à Virg. MARIA lib. de *Privilegiis omn. Relig.* verb. *Indulgentiæ concessa extraneis intuitu Carmelitarum.* Matthias à S. Joanne in lib. inscripto, *vera devotio S. Scapularis cap. 24.* Ludovicus à S. TERESIA in suo insigni opere Gallice inscripto, *la succession du S. Prophete Elie, en l' Ordre des Carmes, & en la Reforme de S.* TERESE. *cap. 233. & sequentib.* Elias à S. TERESIA in sua *Legatione Ecclesiæ triumphantis ad militantem lib.2. cap.9.* Leo à S. Joanne *in Fœdere Mariano* qui Tract. 25. vicibus in Gallia fuit recusus. Joan. Bapt. Lezana *Tom. 4. Annal. Ord. Carm. ad an.* 1322. & lib. inscripto MARIA *Patrona cap. 5.* Irenæus à S. Jacobo *in Tract. Theolog. de singulari Protectione SS. Virg. Mariæ. sect. 2. cap. 5.* Philibertus Ferayus *in duplici Privileg. Sac. Scapul.* Daniel à Virg. MARIA *in Vinea Carmeli part.3. cap. 23. & part. 5. cap. 5. & 6.* Paulus ab omnibus SANCTIS *in Funiculo triplici viginti quatuor beneficiorum nodis* DEIPARÆ *Virgini Carmelitas suos obligans, &c. Nodo XX.* & in *Compendio privilegiorum Confratern. Sac. Scapularis, &c.* & iterum *in Thesauro Partheno-Carmelitico, &c.* sæpius recuso. Franciscus Bonæ-Spei *Tom. 5. suæ Theologiæ Tract.2. de Relig. disp.2. num. 19. & seqq.* ubi ex Raynaudo Thomæ Hurtadi objectionem efficacissimè refellit. Stephanus à S. Paulo *Tract.5. de Sacramentis. disp.5. dub.12. num.279.* Antonius Olivan, & Michaël de Fonte *lib. de Bulla Sabbatina.* Alphonsus à Matre DEI, Angelus le Blanch, Philocalus Caputus, & Simon à Spiritu Sancto, cum aliis pluribus, *lib. de Confraternit. B.M.V. de Monte Carmelo.*

Ex Authoribus exteris sunt Andreas Duvallius *de infallibilitate summi Pontificis quæst. 5.* Benedictus Gononus *in Chronico* DEIPARÆ *ad an. Christi* 1321. Gabriel Prateolus *Tom. 2. Histor. de statu Eccles. ad an.* 1324. Onuphrius Menescal *Tom.1. concion. concione de B.* MARIA *de Mont. Carmelo* Emmanuel Rodriguez *Tom.2. qq. Reg. quæst. 96. art.7.* Joan. Carthagena *lib.17. homil.2. & Tract.1.* de sacra antiquitate

tiquitate Ord. Carm. *cap.* 4. Martinus Jonghen *lib. de vera Fraternitate part.* 2. Et hi tres ex Ord. Minorum fuêre. E societate JESU plures cum possint adduci, sufficiet quoque tres celebriores insinuare. Laurentius Chrysogonus *in Mundo Mariano* 1. *part. discurs.* 17. *num.* 76. in Indice quoque verb. *Scapulare* hæc habet: *Scapulare gestantes, prima die Sabbati ab eorum morte, è Purgatorio liberantur.* Placidus Samperus *in Iconologia Virg. lib.* 4. *cap.* 32. Theophilus Raynaudus lib. inscripto *Scapulare Partheno-Carmeliticum illustratum & defensum.* Quod opus adeo perplacuit omnibus Mariani Scapularis devotis, ut intra paucos annos pluries in variis Provinciis & Regnis recudendum fuerit. Sapientissimus Doctor, sic eum nuncupant nostri Salmanticenses *Tom.* 4. *in* 1.2 *S. Thom. Tract.* 13. *disp.* 15. *num.* 7. Hieronymus de Ormachea Hisp. *Tomo primo* Comment. in Cantic. Exponendo *cap.* 1. *vers.* 7. maximè *num.* 43. ubi inter plura alia hæc habet: *Voluit Virgo sanctissima hunc peculiarissimum favorem, scilicet celeberrimum illud privilegium Bullæ Sabbatinæ concedere intuitu Religionis illius, originem ducentis ab illo Propheta, qui in vertice Carmeli montis, septima vice Sabbati repræsentativa, ipsius memoriam & festum immaculatæ Conceptionis in nubecula Maris adoravit.* Hæc ille. Georgius Colvenerius *in Kalendario SS. V. MARIÆ die* 3. *Martii.* Antonius Sanderus *in Brabantia illustrata in Chorographia Carmeli Bruxellens. cap* 5. Hermannus Wesselingius J. U. Doctor in suo *Nomognostico Juris Universi, &c. tit. Bulla Sabbatina, &c.* Et tandem præter alios multos, Hippolytus Marraccius, Author totus quantus Marianus, ob quamplurima sua, omnium cum plausu edita Mariana opuscula, in *Pontificibus Marianis*, *in* Joanne XXII. Imo ipsi etiam Hæretici, maximè Balæus de hoc *Sabbatino privilegio* testimonium perhibet in *catalogo script. Britan. centur.* 4. *fol* 370. hæc habet de Joan. XXII. ejusque præfata Bulla: *Mirabilem ante Pontificatum visionem habuit, ut in Bulla testatur, quod Maria V. in magna Cardinalium contentione ab adversariis illum liberaret, ac Papam faceret.* Et in Appendice *centur* 5. inquit, *Istam apparitionem cum inauditis indulgentiis, & animarum purgatorii liberationibus, &c. In quadam Bulla legi, tam in Anglia, quam in Hannonia, quæ etiam Romæ* 1530. *sub Clemente VII. renovata fuit.* Hactenus Balæus.

Quidnam vero requiratur, & observandum sit à Confratribus, hoc tam eximio Privilegio frui cupientibus, tradit ipsa Beatiss. Virgo in præfata Bulla Joan. XXII. & sacra Congreg. in supradicto Decreto, complurésque ex jam relatis Authoribus, maximè ii, qui de hac Archiconfratern. de industria scripserunt. Consulatur *Fœdus Marianum* P. Leonis: *Thesaurus Partheno-Carmeliticus: Adoptio Mariana:* Daniel *loc. cit. cap.* 7. & Reverendiss. Theodorus Stratius *in Instructione de privilegiis indulgentiisque Confratern. Sac. Scapul.*

Hic nunc discutiendum occurrit, *An privilegium* BULLÆ SABBATINÆ *communicetur aliis Regularibus, aut Confraternitatibus?* Ad quod negativè respondet Joannes de Carthagena *lib supracit. Hom.* 1. ubi de Privilegio Sabbatino disserens hæc subdit: *singularissima certe gratia, qua nulla alia Religio potitur: quamvis enim Seraphici N. P. S. Francisci habitum portantibus plenaria indulgentia concedatur, ejus tamen reliqui Mendicantium Ordines redduntur participes, eandemque Carmelitanæ familiæ concessit Clemens VII. gratia vero Sabbatinæ Bullæ propria est illius, & non aliis communis.*

Ferè eadem habet insignis venerandæ antiquitatis investigator Antonius Sanderus in *Brabantia illustrata* agens de Carmelo Bruxellens. *cap.* 5. *Privilegium*, inquit, BULLÆ SABBATINÆ, *quod attinet, divinum est, non humanum, cæleste est, non terrenum: propterea hic verissimè dictum intelligam, quod aliunde Arnoldus Carnotensis scripsit,* MARIA MATER POSTULAT, FILIUS APPROBAT, PATER DECRETAT. *Hoc ergo Privilegium in cælis datum, per ipsam Virginem* MARIAM *ad terras delatum, per Joannem XXII. est confirmatum & promulgatum; ut hæc ejus Bullæ docent verba:* ISTAM ERGO SANCTAM INDULGENTIAM ACCEPTO, ROBORO, ET IN TERRIS CONFIRMO, SICUT PROPTER MERITA V. MATRIS GRATIOSE CHRISTUS CONCESSIT IN CÆLIS. *Ut hinc optimè Sac. Rituum Congregatio Sac.* SCAPULARE VESTEM CÆLESTEM *nuncupet.* (Et post alia) *illud porro non omittendum, hoc Bullæ* SABBATINÆ *Privilegium, ita Carmelitanis Patribus esse proprium, ut nulla privilegiorum communicatione aliis fiat commune. Singularitatem hanc, innuit Pontifex Joannes, dum se Privilegium Sabbatinum non dedisse (ut de aliis indulgentiis fatetur) sed solum asserit publicasse & confirmasse.* His accedit R. P. Leo à S. Joan. Regis Christianissimi Ecclesiastes & Visitator Apostolicus, in *lib. de Privilegiis Sac. Scapul.* inscripto Gallice *Alliance spirituelle* (editionis 25. dicatæ Ludovico XIV. Regi Galliæ) *Deus*, inquit, *est, qui Privilegium istud concessit. Mater* DEI *impetravit in cælis: Vicarius Filii* DEI *ratificavit in terris. Ast alii favores &*

res & indulgentiæ ab hominibus instituuntur, & à DEO *acceptantur. Hoc potius fœdus est cæleste, quam constitutio Apostolica. Unde nec alii Ordines, virtute communicationis mutuæ Privilegiorum & gratiarum aliarum, ejus participes sunt. Hinc est, quod ordinum aliorum non pauci doctrina & eruditione spectabiles, confraternitati* S.SCAPULARIS *inscribi desiderant.* Quod etiam notat & premit. R. P. Matthias à S. Joanne in suo opere *vera devotio Sac. Scapularis* nuncupato. Nec tantum viri plurimi Doctrina clari, verum & complures Romani Pontifices, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, variorumque Ordinum Antistites; imo & Imperatores, Reges, Archiduces, Duces, S. R. I. Electores, Principes, Marchiones, &c. Marianam hanc vestem, singulari devotione, susceperunt, tuleruntque perpetuò: quos omnes longa serie recenset supracitatus P. Paulus in suo *Thesauro Partheno-Carmelitico*, & Raynaudus lib. supra laudato 1. *part. cap.* 8.

SECTIO IV.

De indulgentiis concessis omnibus Christi fidelibus visitantibus Ecclesias Carmelitarum, & in eis orantibus, & Sacramenta in aliquibus diebus, & festivitatibus recipientibus.

65 *Indulgentiæ concessæ Ecclesiis Regularium, non sunt hucusque revocatæ.*

66 *Fideles visitantes Ecclesias Carmelitarum in certis anni festivitatibus, & ibi orantes lucrantur plures indulgentias.*

67 *Et quæ sint hujusmodi festivitates, & indulgentiæ.*

68 *Visitantes nostras Ecclesias, & ibi orantes in certis anni festivitatibus lucrantur indulgentiam plenariam, & quæ sint hæ festivitates?*

69 *Fideles omnes visitantes, modo ab Honorio III. & Nicolao IV. præscripto, Ecclesias nostras, quolibet anni die, lucrantur indulgentiam plenariam.*

70 *Omnes Christi fideles, qui in die Sanctæ* THERESIÆ, S. JOSEPH *& precibus 40. horarum nostras Ecclesias visitaverint, & ibi certas orationes effuderint, lucrantur indulgentiam plenariam.*

71 *Eamdem indulgentiam lucrantur visitantes nostras Ecclesias in aliis festivitatibus.*
Et quæ sint hæ festivitates?

72 *Indulgentiæ concessæ Ecclesiis unius Religionis pro sæcularibus, non communicantur Ecclesiis aliorum Ordinum, bene tamen concessæ Ecclesiis Ordinis unius pro Religiosis illius.*

73 *Idem dicendum est de famulis, servitoribus, & procuratoribus, &c.*

74 *Regulares consequi possunt omnes indulgentias concessas Christi fidelibus pro suis Ecclesiis, si faciant opus præscriptum sicut sæculares.*

SUppono ut certum indulgentias concessas Ecclesiis Regularium pro sæcularibus, & omnibus 65 Christi fidelibus, eas in certis diebus visitantibus, non esse revocatas per illam revocationem Pauli V. Ita declaravit Sacra Congregatio, ut cum multis Doctoribus *suprà* ostendimus *hac eadem disputatione sect. 2. §. 2. num.* 26.

DICO I. Omnes Christi fideles, qui Ecclesias 66 Carmelitarum visitaverint in festis Nativitatis Domini, Paschæ, & Pentecostes, & Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Assumptionis, Nativitatis, Annuntiationis, & Purificationis B. Virginis, in festo sancti Michaëlis, omnium Sanctorum, in duobus diebus sanctæ Crucis, in nativitate S. Joannis Baptistæ, Sanctorum Fabiani, & Sebastiani, & in die Parasceves, & per octavas prædictorum festorum, & in titularibus omnium Ecclesiarum dicti Ordinis, lucrantur 7. annos, & totidem quadragenas. Ita concessit Leo IV. qui sedit an. 848.

Adrianus vero II. Stephanus V. Sergius III. Joan. X. & XI. Sergius IV. & Innocentius IV. omnibus Christi fidelibus verè pœnitentibus, contritis & confessis, qui prefatas Ecclesias in prædictis festis & eorum octavis piè visitaverint, tertiam partem omnium peccatorum relaxarunt.

Eandem elargiti sunt Clemens III. Alexand. II. Gregor. V. & VII. Tandem Clemens IV. omnibus Christi fidelibus, qui quater in anno in quatuor solemnitatibus B. Mariæ, dictas Ecclesias visitaverint triginta annos, & totidem quadragenas concessit.

Innocent. IV. & Gregor. VIII. concessêre qua- 67 libet die dicenti *Pater noster*, & *Ave Maria* in dictis Ecclesiis semel pro vivis, & defunctis 40. dies indulgentiæ.

Honorius IV. omnibus verè pœnitentibus, & confessis dicti Ordinis Ecclesias visitantibus in die

sancto Parasceves S. Crucis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Assumptionis B. Virginis 40. annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis concessit.

Eamdem indulgentiam concessit Benedictus XI. omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui ter in hebdomada videlicet quadragesimali tempore 2. 4. & 6. feriis, & in Dominicis diebus & etiam in festis titularium omnium Ecclesiarum dicti Ordinis, nec non in diebus Sabbati Ecclesiam visitaverint, & præterea omnium peccatorum septimæ partis remissionem in Domino relaxavit, omnesque indulgentias, & remissiones à suis prædecessoribus dicto Ordini concessas in diebus, & festis prædictis duplicavit.

Joannes XXII. omnibus Christi fidelibus, contritis & confessis, visitantibus Ecclesias dicti Ordinis in quatuor solemnioribus festivitatibus B. Virginis, 40. annos & 40. quagenas de injunctis sibi pœnitentiis concessit.

Urbanus VI. his, qui Ordinem Carmelitarum & Fratres ejusdem Ordinis, *Ordinem, seu Fratres Ordinis gloriosissimæ Dei genitricis, semperque Virginis de monte Carmelo* vocaverint, vel appellaverint, si in gratia extiterint tres annos, & totidem quadragenas relaxavit.

Nicolaus V. omnes prædictas indulgentias prædictis diebus, & festivitatibus concessas duplicavit, atque septem annos, & quadragenas totidem relaxavit. Et Sixtus IV. omnes prædictas indulgentias confirmavit, ac de novo nobis concessit indulgentias Mendicantibus concessas. Et in die Conceptionis, Præsentationis, Nativitatis, Visitationis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis B. Virginis, & per septem dies sequentes visitantibus, 30. annos, & totidem quadragenas de injunctis pœnitentiis relaxavit. Et Clemens VII. concessit visitantibus dictas Ecclesias indulgentias stationum in Ecclesiis Almæ urbis, tam intra, quam extra muros.

Quas omnes indulgentias confirmavit, & innovavit Gregor. XIII. in Bulla quæ incipit. *Ut ad laudes*, ubi eas omnes refert non obstante revocatione Pii V. constitutione sua, *Et si Dominici*, ubi revocavit omnes indulgentias, quæ habent clausulam porrigendi manus adjutrices, ut ferè omnes supra enumeratæ habent; & loco eleemosynæ, quam prædictæ Bullæ in prædictis privilegiis postulabant, subrogavit, ut septies orationem Dominicam & salutationem Angelicam recitent, vel habitum dicti Ordinis gestent, vel vesperas pro defunctis recitent, aut ante Eucharistiam terram osculentur, àc pro extirpatione hæresum, & pro Ecclesiæ tranquillitate, Principumque Christianorum pace pias ad Deum preces effundant. Unde ut quis quamlibet ex supradictis indulgentiis lucretur, ultra id quod in qualibet indulgentia fieri postulavimus, requiritur & sufficit si quodlibet ex prædictis operibus fiat. Zuarte *de indulgentiis cap.* 10. *folio* 340.

Ex quibus colliges nostras Ecclesias visitantes, 68
& ibi orantes modo supra dicto, lucrari indulgentiam plenariam in solemnitatibus Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, Assumptionis, Nativitatis, Annuntiationis, & Purificationis B. Virginis, & in festis Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & in Nativitate S. Joannis Baptistæ, & in duabus festivitatibus S. Crucis, Sanctorum martyrum Fabiani, & Sebastiani, & in diebus Sanctorum Titularium Ecclesiarum nostri Ordinis. Ratio est, quia Adrianus II. Stephanus V. Sergius III. & IV. Joannes X. & XI. & Innocent. IV. tertiam partem peccatorum fidelibus verè contritis, & confessis, qui Ecclesias nostras prædictis festivitatibus modo supra dicto visitaverint, relaxavit. Et postea Clemens III. Alexander II. Gregor. V. & VII. eamdem gratiam pro eisdem festis concessêre. Et postea Nicolaus V. Bulla speciali & motu proprio omnes has indulgentias confirmavit, & duplicavit: ergo cum antea prædicti Pontifices duas partes peccatorum remiserint, & postea Nicolaus V. easdem duplicaverit alias duas partes concedendo, ac per consequens ex 4. partibus divisè concessis indulgentia plenaria pro præfatis diebus evasit.

An autem ad hanc plenariam indulgentiam lucrandam requiratur, quod ter in eadem die Ecclesia visitetur? Respondeo partem affirmativam probabiliorem, & tutiorem esse, non caret tamen probabilitate negativa sententia. Nam ut *supra* diximus *hac eadem disputatione sect.* 1. *numer.* 12. probabile est eodem opere posse quempiam multas indulgentias à diversis Pontificibus concessas lucrari, ut cum Corduba, Graffio, Naldo, quos refert, & sequitur Diana 5. *part. tract.* 12. *resol.* 11. Zuarte *de indulgentiis cap.* 11. *fol.* 344. *ibi* probavimus latius.

Secundò colliges visitantes nostras Ecclesias 69
quo-

quolibet anni die, modo supradicto verè pœnitentes, lucrari indulgentiam plenariam. Nam Honorius III. & Nicol. IV. omnibus verè pœnitentibus visitantibus dictas Ecclesias, omnium peccatorum suorum veniam promiserunt; quæ concessio cùm sit indefinita, æquivalet universali. Unde ad omnes dies extendi debet, ut optimè notavit Zuzarte *cap. 12. de indulg. fol.* 348. quæ concessio magna ponderatione digna est, utpote maxima.

70 Dico II. Omnes Christi-fideles, qui Ecclesias nostras visitaverint in die S. THERESIÆ, & in die S. JOSEPH à primis vesperis usque ad Solis occasum, & in precibus 40. horarum in Dominica Quinquagesimæ, & ibi preces ad Deum fuderint pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & S. Matris Ecclesiæ exaltatione,
71 lucrantur indulgentiam plenariam. Item omnes fideles visitantes nostras Ecclesias, & ibi recitantes semel *Pater noster*, & *Ave* MARIA pro Ecclesiæ pace, in Nativitate SS. Virginis, lucrantur indulgentiam plenariam. Ita concessit Paulus III. *Bulla* 2.

Eandem indulgentiam concessit in festo Decollationis S. Joannis Baptistæ, S. Joannis Evangelistæ, Clemens VIII. *Bulla* 8. & idem conceditur omnibus fidelibus, quoties recitaverint quinquies *Pater noster*, & *Ave* MARIA ad altare Crucifixi in inventione, & exaltatione S. Crucis, Pius IV. *Bulla* 4. & iterum Clemens VIII. *Bulla* 9. idem eisdem concessit pro eisdem festis, & pro feria 5. & 6. hebdomadæ sanctæ.

72 De aliis indulgentiis concessis cæteris Ordinibus tam Mendicantibus, quàm non Mendicantibus, pro Christi-fidelibus visitantibus eorum Ecclesias in suorum Sanctorum festis, nihil consultò refero; siquidem hoc postularet integrum volumen. Consulant ipsi sua privilegia, quia hujusmodi indulgentiæ concessæ Ecclesiis Regularium pro sæcularibus, non communicantur alteri Ecclesiæ præterquam illi, cui concessæ sunt, ut latissimè Quintanad. probat *tract.* 4. *in appendice, dub.* 8. *num.* 6. Et reverà talis communicatio non est in usu: quis enim dicet, quòd virtute Jubilæi concessi in die S. Bonaventuræ, lucrantur fideles illud in Ecclesia Dominicanorum. Nec obstat quædam Bulla Julii II. in qua nititur Rodrig. ut concedat hujusmodi communicationem. Respondetur namque cum Quintanad. *ubi suprà, dub.* 10. *num.* 4. Julium II. tantùm loqui de Religiosis. Unde loquendo de privilegiis, & indulgentiis concessis Regularibus pro seipsis, certum est indulgentias concessas uni Ordini Mendicanti, censeri concessas & aliis. Et idem dicendum est de indulgentiis concessis oblatis, famulis, Procuratoribus, & parentibus Regularium; siquidem hi etiam aliquo modo pertinent ad Religionem. Secùs verò 73
dicendũ est de indulgentiis concessis uni Ecclesiæ, v. g. Minorum, in aliquo ipsorum festo pro sæcularibus: nam hanc indulgentiam non consequitur, qui visitat Ecclesiam Carmelitarum: quis enim dicet, quòd in die Portiunculæ, qui visitaverit aliam Ecclesiam Regularium, quàm Minorum, consequatur indulgentiam Portiunculæ? Vide Quintanad. *suprà*, ubi affert circa hoc declarationem Leonis X.

An autem omnibus his indulgentiis omnibus 74
Christi-fidelibus concessis visitantibus Ecclesias Regularium possint hodie ipsi Regulares frui, si faciant, quod ab aliis fidelibus in prædictis Bullis postulatur? Respondeo affirmativè. Ita Peyrinis *Tom.* 3. *privilegiorum, cap.* 10. *num.* 50. Hieron. Rodrig. & alii, quos refert, & sequitur Quintanad. *tract.* 4. *in appendice, dub.* 2. *num.* 2. & nos jam *suprà* tetigimus *hac eadem disputatione, sect.* 2. §. 2. Cùm enim hujusmodi indulgentiæ omnibus Christi-fidelibus illas Ecclesias visitantibus concessæ sint, non est cur Regulares, sicut alii fideles, illas adipisci non possunt.

SECTIO V.

De aliis diversis, magnisque indulgentiis concessis à variis Pontificibus omnibus Christi-Fidelibus.

75 *Referuntur indulg. plen. Adriani VI. concessæ recitantibus 3. Ave* MARIA, *&c. & aliæ variæ Leonis X.*

76 *Item aliæ Clementis IV.* Joan. XXII. *& Pauli V. honorantibus B. V. immaculatam Conceptionem.*

77 *Recensentur variæ indulgent. Sixti V. intuitu Carmelit. Discalceatorum concessæ.*

78 *Quas indulgentias consequantur in habitu Mendicantium morientes, & qui in illo eligunt sepeliri.*

79 *Quas indulgentias consequantur osculantes habitum Mendicantium.*

80 *Quas indulgentias consequantur conciones Fratrum Mendicantium audientes.*

81 *Quas indulgentias consequantur Mendicantium Missas audientes.*

82 *Quid de indulgent. S. Caroli, & V. Sanctorum sentiendum?*

83 *Doctrina valde notanda, quomodo uno eodemque actu plures indulgent. obtineri, & plures animæ purgatoriæ liberari possint.*

84 *An necessaria sit repetitio Confessionis & Communionis, quando dies indulgentiarum sunt sibi invicem valde vicini.*

75 ADrianus VI. concessit omnibus Christi-Fidelibus recitantibus ad tria signa campanæ, quæ post Solis occasum fieri solent, sequentes tres versic. singulis subjungendo unum *Ave* MARIA, &c.

Angelus Domini annuntiavit MARIÆ, & *concepit de Spiritu sancto.* Ave.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Ave MARIA.

Et verbum carò factum est, & habitavit in nobis. Ave MARIA.

In fine addatur oratio: *Gratiam tuam quæsumus Domine,* &c. ita noster Lezana *Tom.* 3. *verb.* Indulgentia, *num.* 20. Em. Rodriq. *Tom.* 2. *quæst.* 88. *art.* 12. Diana 4. *part. Tract.* 4 *resol.* 24. & alii.

Leo X. concessit omnibus & singulis, qui horis singulis, sive de die, sive de nocte ad sonum horologii salutando ac venerando SS. Virginem, semel recitaverint Salutationem Angelicam, pro qualibet vice mille dies indulgentiarum, quod confirmavit Paulus V. an. 1611.

Idem Leo X. concessit an. 1514. decem mille annos indulgent. omnibus recitantibus decies Salutationem Angelicam in memoriam & honorem decem Evangelicarum virtutum SS. Virg. MARIÆ: & idipsum confirmavit Paulus V. an. 1606.

Concessit quoque idem Leo X. omnibus recitantibus quinquies Orationem Dominicam, ac Salutationem Angelicam in honorem & memoriam quinque Vulnerum Christi D. N. & quinque præcipuorum dolorum Beatiss. V. MARIÆ, decies mille dies indulgent. Illis verò, qui quindecies Orationem Dominicam, Salutationémque Angelicam, in honorem omnium plagarum N. Redemptoris JESU Christi, pro omnibus existentibus in peccato mortali recitaverint, pro qualibet vice tertiæ partis suorum peccatorum veniam indulsit.

Paulus de Barry Soc. JESU in suo *Anno sancto* 1. *part.* refert ex Francisco Poiræo ejusdem Soc. Scriptore, quòd salutantes SS. Virg. MARIAM, subjectâ formulâ, consequantur indulgentiam plenariam. *Ave Filia Dei Patris! Ave Mater Dei Filii! Ave Sponsa Spiritus sancti! Ave templum totius Trinitatis!*

Paulus V. concessit centum dierum indulgent. 76
cuicunque semel dicenti sequentes antiph. vers. & orationem.

Antiph. Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.

℣. In conceptione tua Virgo immaculata fuisti.

℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti.

Oratio. Deus, qui per immaculatam Virginis conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum præparâsti, quæsumus, ut sicut ex morte ejusdem Filii tui prævisa, eam ab omni labe præservâsti, ita nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per eundem Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Clemens IV. ad petitionem S. Ludovici Regis Galliæ, concessit trium annorum Indulgentiam omnibus pronuntiantibus toties, quoties subjecta verba, teste Adriano Lyræo in *Trisagio Mariano. Benedictum sit dulcissimum nomen Domini nostri* JESU *Christi, & gloriosissimæ Virg.* MARIÆ *Matris ejus in æternum & ultrà, Amen. Nos cum prole pia benedicat Virgo* MARIA.

Joannes XXII. concessit omnibus sanctissimum MARIÆ nomen invocantibus sexaginta dies indulgent.

Omnes hæ indulgentiæ hac sectione relatæ, cùm sint omnibus Fidelibus concessæ, sub revocatione indulgentiarum à Paulo V. facta, non compræhenduntur, & cùm illis Regulares etiam hoc tempore frui valeant, ideo illas hìc adponere visum est; nunc ad alias indulgentias sæcularibus intuitu Religiosorum concessas recensendas accedamus.

Sixtus V. ad instantiam & intuitu PP. Carme- 77
litarum Discalceatorum concessit, anno 1587. die 11. Julii, per Bullam, cujus initium est: *Redderi-*

turi,

turi, &c. omnibus Christi-Fidelibus subjectas hîc indulgentias.

De omnipotentis Dei misericordia, (*verba sunt Pontificis*,) confisi, FF. Discalceatis, & Christi-fidelibus, qui in illorum Ecclesiis, feriis quintis Missæ, centum: qui verò prædicationi, aut lectioni verbi Dei interfuerint, alios centum: nec non, qui ad orandum interim accesserint, quinquaginta dies: qui denique confessi eo die ibi communicaverint, tres annos, & totidem quadragenas, de eis injunctis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxamus.

Et quia non est aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos salvos fieri, nisi nomen JESU, idcirco omnibus & singulis Christi-fidelibus, qui hoc modo salutaverunt alios, nempe suo vulgari aut Latino sermone LAUDETUR JESUS CHRISTUS: & his, qui sic responderint: IN SÆCULA, vel AMEN, aut SEMPER: utrisque, tam salutantibus, quàm respondentibus, quinquaginta, ubicuqnue id factum fuerit: qui autem nomen JESU ore nominaverint reverenter, vel nomen MARIÆ, viginti quinque dies; qui verò in mortis articulo ore, vel corde, (si ore non potuerint,) idem nomen invocaverint, dummodo ante habuerint consuetudinem sic salutandi, vel nominandi idem nomen JESU, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem. Quique Litanias ejusdem SS. Nominis recitaverint, trecentos; qui Litanias ejusdem B. V. MARIÆ, ducentos: nec non Prædicatoribus verbi Dei, qui inter prædicandum ad hunc modum salutandi, invocandi, vel recitandi seu nominandi nomen JESU & MARIÆ, auditores monuerint, & quicunque hanc salutationis formam usui esse curaverint, easdem indulgentias ac peccatorum remissiones consequantur, &c. *Hactenus Sixtus V.*

78 Clemens IV. & Nicolaus IV. concessêre eligentibus sepeliri in sacro Regularium Mendicantium habitu, remissionem tertiæ partis peccatorum suorum; & Urbanus V. idem ampliori gratia confirmavit; Leo X. verò concessit indulgentiam plenariam: ad quam lucrandam declaravit sufficere habitum petiisse, licet ante mortem eum non induerit. Ita refert Casarub. quem refert, & sequitur Peyrinis *Tom. 1. ad Constit. 3. Sixt. IV. num. 2.* Rodrig. *Tom. 2. quæst. 77. art. 10.* quas indulgentias Leo X. iterùm confirmavit, & etiam ad habitum Monialium extendit apud Rodrig. *in Bullario, fol. 335.* Sed cùm hæ concessiones vivæ vocis oracula fuerint, ut testatur Lezana *Tom. 3. verbo* Habitus regularis, *num. 8.* accipe aliud privilegium per Bullam concessum ab eodem Leone X, & ab Adriano VI. Ordini sanctissimæ Trinitatis, in quo omnibus fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui habitu Ordinis hujus decesserint, conceduntur omnes, & singulæ indulgentiæ, & peccatorum remissiones Fratribus dicti Ordinis concessæ, quæ concessio communicatur Carmelitis, ut optimè Lezana *Tom. 3. verbo* Habitus regularis, *num. 9.* notavit. Et ad consequendam hujusmodi indulgentiam, sufficit, quòd habitus ponatur super thalamum moribundi, ut notavit idem Lezana *suprà num. 12.* Pellizzarius *Tom. 2. tract. 8. cap. 5. sect. 4. num. 170.*

Osculantes habitum sacrum Religiosorum 79
Mendicantium, lucrantur quinque annos, & totidem quadragenas de injunctis sibi pœnitentiis. Ita concessit Joan. XXII. Dominicanis, ut tenet Casarub. quem refert, & sequitur Lezana *Tom. 3. verbo* Habitus regularis, *num. 12.* An autem illi, qui eligunt sepulturam in Ecclesiis Regularium, lucrentur aliquas indulgentias? Respondeo, consequi 40. annos indulgentiarum. Ita concessit Martinus IV. Aut indulgentiam plenariam; ita concessit Leo X. ut cum Rodrig. & aliis testatur Bordonus *Tom. 1. resol. 35. num. 20.*

Audientes conciones Fratrum Mendicantium, 80
& cum illis in privilegiis communicantium, lucrantur indulgentiam 15. annorum ex Gregor. IX. & centum dierum ex Alexand. IV. vel, ut refert ex Sorbo Pellizzarius mox citandus, si in propriis Ecclesiis 18. annos, & 322. dies indulg. si in alienis 18. annos, & dies 222. & hoc quocunque die anni fiat: & 138. annorum, & 202. dierum pro feriis secundæ, quartæ, & sextæ Quadragesimæ ex eodem Alexand. IV. Nicolao III. Innocent. IV. Nicol. IV. & Benedicto XI.

Audientes etiam sermones annuales in Ecclesiis Fratrum Mendicantium, lucrantur indulgentiam 100. dierum ex Honor. III. Bonifacio VIII. Alexand. IV. Gregor. IX. Innocent. IV. Urban. V. Alexand. V. ac ducentorum dierum ex Benedicto XI. Alias indulgentias refert Casarubius, sed illas non refero, quia non sunt in usu. Ita expressè Lezana *Tom. 3. verbo* Concionator, *num. 14.* Pellizzarius *Tom. 2. tract. 8. cap. 4. sect. 1. num. 40.* qui ex Portello benè monet ad acquirendas istas indul-

indulgentias opus esse, ut Concionatores illas concedant in communi, nempe nomine Papæ: aliàs enim non acquirerentur. Easdem indulgent. refert Diana 4. *part. Tract.* 4. *resol.* 22. Sed in numero annorum & dierum discrepat.

81 Tandem, qui audiunt Regularium Missas, quocumque tempore lucrantur 100. dies indulgentiarum; si verò audiant primam Missam, tres annos, & duos dies indulgentiarum. Ita cum Rodrig. Pellizzarius *Tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 2. *sect.* 2. *num.* 136.

Pro coronide hujus Disputationis de Indulgentiis, duo advertenda occurrunt.

82 Primum ex nostro doctissimo Lezana *Tom.* 3. *verb.* Indulgentia, *num.* 19. quòd licèt Urbanus VIII, & Innocentius X. indulgentias S. Caroli Borromæi, & quinque Sanctorum à suis Prædecessoribus concessas, non ampliùs concesserint, non tamen illas revocârint; unde adhuc remanent in pristino vigore: ipsi tamen novas, tam ordinarias, quàm extraordinarias indulgentias concessêre, esto non adeo largas, uti videre est in illorum formulis: quas etiam permisere applicari posse per modum suffragii animabus purgatorii: quid autem sit indulgentiam applicare defunctis per modum suffragii, optimè exponunt nostri Dominicus à SS. Trinitate *Tract. de* anno Jubilæi, *controversia* 11. *cap.* 3. 4. *&* 5. & Gabriel à S. Vincentio *Part.* 3. *de Sacram. disp.* 13. *quæst.* 3. ubi plures alias curiosas, utilesque quæst. defunctos concernentes, eruditè, dilucidèque resolvunt.

83 Alterum ex eodem Lezana advertit Diana 10. *Part. Tract.* 16. *resol.* 14. quòd scilicet, secundùm probabilissimam quorundam opinionem, habens diversa medalia seu numismata, diversas benedictiones à diversis Pontificibus habentia, potest eodem actu, seu oratione injunctâ, diversas illas consequi indulgentias. Quam sententiam inter alios etiam probabilem esse docet P. Gobat à Diana relatus; ex qua probabiliter hìc infert: quòd qui habet numismata, quorum alterum indulgentiis quinque Sanctorum, alterum S. Caroli Borromæi, sit prædicum, quoties communicat, oratque pro fidelibus defunctis, potest duas animas liberare è purgatorio, juxta opinionem Henriquez, & aliorum. Et si ille dies, quo communicat, sit Dominica Communionis Generalis, liberabit tertiam animam. Si prætereà habeat numisma affectum indulgentiis extraordinariis Urbanii VIII. aut Innocentii X, liberare poterit quartam animam. Et si Sacerdos sit, qui has indulgentias habet, & insuper celebret in Altari Privilegiato, liberabit quintam animam. Ac sic de similibus. Et idcirco hæc adeo particularia commemoro, quia non dubito, quin multi has doctrinas in usum redigerent, si nossent esse probabiles. Notat etiam 84
idem Author, eodem loco, quod qui in festo S. Ignatii pro indulgentia lucranda tunc communicat, potest statim biduo post, id est, secundo Augusti, obtinere indulgentiam plenariam in festo Portiunculæ, esto non iterum communicet, aut confiteatur, si non sit sibi conscius peccati mortalis.

Hæc pauca dicta sufficiant pro hac Disputatione de Indulgentiis, & de tota materia de Regularium privilegiis: quæ utinam cedant ad majorem DEI Optimi Maximi, Deiparæque Virginis MARIÆ, SS. JOSEPH, ac TERESIÆ CARMELI TUTELARIUM, omniumque Cælestis Curiæ CIVIUM laudem & gloriam: universa verò dicta, ac dicenda, infallibili S. M. Ecclesiæ judicio ac correctioni, submitto.

***

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
quæ in hac
PRIMA PARTE DIRECTORII REGULARIUM
continentur.

Litera T. Tractatum : D. Disputationem: N. Numerum significat.

Quando

B

Baptismus.

Benedicere.

Bigamia.

Bona.

Bulla Cœna.

Bulla Cruciata.

Bulla.

C

Capitulum generale.

Capitulum Conventuale.

Casus reservati.

Causa.

Cessatio.

Clausula.

Imo

H. *Habitus*

H.

Habitus Mendicantium.

Hæresis.

Homicidium.

Horæ Canonicæ.

Qui

Matri-

M.

Matrimonium,

Missa.

Missiones.

Monasterium.

Moniales.

N.

Notarius.

Notorium.

Novitii.

O

Obedientia.

Oblatio.

Occultum.

alicujus

tione

Privilegiorum concessio.

Privilegiorum communicatio.

Privilegiorum confirmatio.

Privilegiorum usus.

Privilegiorum amissio.

Privilegiorum interpretatio.

Regula-

Tutores.

V

Venatio.

Verba

FINIS PARTIS II. DIRECTORII REGULAR.
P. ANTONII à SPIRITU S.



DIRECTO-

FINIS PARTIS I. DIRECTORII REGULAR.
P. ANTONII à SPIRITU S.

DIRECTORII

DIRECTORII REGULARIUM

PARS SECUNDA,

IN QUA

DE OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM DISSERITUR.

INDEX
DISPVTATIONVM, SECTIONVM, ET PARAGRAPHORVM,
quæ in hac
SECVNDA DIRECTORII REGVLARIVM PARTE
continentur.

TRACTATVS II.

De obligatione Religiosorum ratione status religiosi.

DISPUTATIO III.

De susceptione religiosi status per professionem.

DISPUTATIO IV.

De obligationibus Religiosorum, ratione voti paupertatis.

DISPUTATIO V.

De voto religiosæ castitatis.

DISPUTATIO VI.

De voto religiosæ obedientiæ.

§. I. Quid

15 De

5 De

PARS SE-

PARS SECUNDA.

TRACTATUS III.

DE OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM RATIONE STATUS RELIGIOSI.

PROOEMIUM.

Postquam de Privilegiis, & exemptionibus Religiosorum brevissimè in superiori parte disseruimus, sequitur juxta promissa de illorum obligationibus, ad quas ratione status Religiosi adstringuntur, in hac secunda parte aliqua pertractare; sed quia ad hæc non possumus commodè devenire, absque eo quod prius sciamus, quid, & quotuplex sit Status religiosus, & unde originem duxerit, sit.

DISPUTATIO I.

De origine & essentia status religiosi.

Cum de statu religioso nobis agendum sit, primùm de ejus origine, Authoreque, ac postmodum de ejusdem essentia, ac varietate, perfectioneque suo ordine disserendum erit.

SECTIO I.

Utrum Status Religiosus sit proprius legis gratiæ, vel ante illam extiterit?

1 *In lege scripta fuit verus status religiosus cum tribus votis essentialibus.*

2 *Illius author fuit* ELIAS *Propheta SS.*

3 *Quid sit status religiosus?*

4 *In lege veteri fuêre multi patres habentes votum castitatis.*

5 *Qui sint Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum?*
6 *In lege scripta fuit votum obedientiæ.*
7 *In lege scripta fuit votum paupertatis.*
8 *Patres quidam veteris testamenti obedientiam, paupertatem, & castitatem ex voto observârunt.*
9 ELIAS *fuit princeps status monastici, in lege gratiæ.*
10 *Moyses non fuit legislator legis gratiæ, sed tantum legis scriptæ.*
11 *Samuel non fuit princeps status monastici in lege scripta.*
12 ELIAS & ELISÆUS *fuêre veri Religiosi.*
13 ELIAS *fuit exemplar Religiosorum.*
14 ELIAS *habuit potestatem extraordinariam summi Pontificis in lege scripta.*
15 *Obedientia* ELIÆ *fuit eminentialis.*
16 *Fuit in præparatione animi.*
17 *Hoc votum obedientiæ sufficit ad verum statum religiosum.*
18 *Ad verum statum religiosum secundum aliquos non requiritur acceptatio ex parte prælati.*
19 ELIAS *acceptavit professionem* ELISÆI.
20 *Ad acceptandam professionem sufficit potestas dominativa, & non est necessaria potestas clavium.*
21 *Christus fuit auctor status monastici.*
22 *Ante Christum fuêre veri religiosi.*
23 *Ante Christum plures fuêre martyres.*
24 *Christus fuit causa meritoria status monastici.*
25 *Quomodo dicantur Apostoli fundasse statum monasticum.*
26 *Lex scripta fuit imperfecta negativè, in illa tamen fuêre plures virtutes.*
27 *In lege scripta non solum in figura, sed verè fuit status religiosus.*
28 *Quomodo status monasticus legis scriptæ fuerit figura status monastici in lege gratiæ?*
29 *In lege scripta fuêre Tertiarii Carmelitarum Religionis.*
30 *In lege scripta fuêre militares Carmelitan. Rel.*
31 *Beata Virgo* MARIA *fuit prima, quæ fecit votum castitatis in intentione, non tamen in executione.*
32 *Monachatus quem* ELIAS *instituit est de jure Divino.*
33 *Hæc opinio fuit ut probabilis judicata in tribunali sanctæ inquisitionis.*

CONstans & ab immemoriali tempore recepta Traditio Ordinis Carmelitarum est, Sanctissimum vatem ELIAM ejus esse Fundatorem; ac proinde eundem SS. Prophetam in lege scripta instituisse verum statum Religiosum, qualis est Religio Carmelitarum. Imo non solum hujus Ordinis, sed omnium pene gentium constans & perpetua Traditio, ut testatur, inter alios, clarissimus ille Societatis JESU Doctor, Gaspar Sanchez, loco, & verbis infra referendis: Hanc nihilominus tam constantem ac perpetuam Traditionem, nonnulli Recentiores infirmare ac labefactare conantur, negando in veteri lege extitisse verum statum Religiosum, ac tria substantialia vota Religionis.

DICENDUM tamen & nobis firmiter tenendum 1
est, in lege scripta fuisse verum religiosum statum,
cum tribus votis essentialibus, & cum omni sub-
stantiali perfectione, & illius AUTOREM fuisse san-
ctissimum patrem nostrum ELIAM, DEO ita ju- 2
bente, & inde per hæreditariam successionem hunc
illustrissimum Ordinem usque ad præsens tempus
descendisse. Hanc sententiam præter complures
sanctos Patres, multosque Romanos Pontifices,
tenent innumeri Doctores & Scriptores cùm anti-
quiores, tùm recentiores, quos referunt Authores
in fine hujus sectionis citandi, apud quos videri
poterunt; nimium enim prolixum ac fastidiosum
foret, illorum omnium non dico testimonia, sed
vel solum nomina hic adducere: Ex societate JESU
illam docuerunt Heribertus Rosvveydus, Petrus
Canisius, Maldonatus, Bellarminus, Serarius,
Gualterus, Possevinus, Alcasar, Ojeda, Castro, quos
refert Historia prophetica *Tom. 1. lib. 3. cap. 9. n. 2.*

Ratio fundamentalis est, quia status religiosus 3
est status perfectionis per tria vota Castitatis, O-
bedientiæ & Paupertatis, ut *infra* dicemus, sed in
lege veteri fuêre multi SS. PP. habentes illa tria
vota, inter quos numerantur ELIAS, & ELISÆUS,

Filiique

Filiique prophetarum, Rechabitæ, & Esseni, & Assidæi ergo verè in illa lege fuit status religiosus. Major est certa; minor in qua solum est difficultas probatur.

4 Nam in primis fuêre multi PP. in illa lege habentes votum castitatis, ut constat *ex cap. numerorum. 6.* juxta translationem 70. interpretum, ubi dicitur: *Vir sive mulier quicumque magne voverit votum purificandi puritatem Domino:* in quo loco agnoscunt verum votum castitatis Damascenus *lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 25.* Ugo Cardinalis super hunc locum, Cornelius super caput *Threnorum*, ubi allegat S. Augustinum, Epiphanium, Chrysostomum: idem sentiunt S. Isidorus, *in lib. 2. de officiis cap. 18.* Joannes Hierosolymitanus in libro *institutionis monachorum, &c.* aliique complures.

5 Et confirmari potest ex loco Isaiæ 56. & ex loco Sapientiæ 3. ubi spadones laudantur; ubi per spadones, & Eunuchos intelligunt Tertullianus, Chrysostomus, Anselmus, D. Thomas, S. Ambrosius, S. Fulgentius, quos refert, & sequitur Suarez *Tom. 3. de religione lib. 9. cap. 1. num. 16.* Eunuchos qui se ipsos castraverunt propter regnum cælorum, medio voto castitatis, juxta illud Matthæi 19. *sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cælorum.*

6 Quod autem in illa lege fuerit votum obedientiæ etiam liquet *ex 3. Regum cap. 11.* ubi ELISEUS petivit licentiam ab ELIA Patre nostro post habitus sumptionem ad invisendum patrem suum, quod facere absque licentia nefas reputavit, ut notavit *ibi* Abulensis, patet etiam *ex cap. 3. Jeremiæ*, ubi obedientia Rechabitarum laudatur, & pluribus locis Sac. Scripturæ.

7 Votum autem paupertatis satis ostendit ELIÆ, & ELISEI vestitus, & eorum inopia, quæ tanta erat, ut etiam rebus necessariis indigerent, ut constat *ex 3. Regum*; nam ad scindenda ligna secures petebant mutuò. Præterea ex facto ELISEI, qui relictis bobus secutus est ELIAM, ut discipuli Christum, in quo non solum obedientia, sed etiam illius paupertas demonstratur. Constat etiam ex regula Rechabitarum, quam dedit eis Rechab, in qua præceptum erat, ut proprium non haberent; quod ipsi inviolabiliter observabant, ut constat *ex Jeremia 35.* ergo in lege veteri fuit verus status Religiosus.

8 Dices, quod licet multi Prophetæ in lege veteri observarent castitatem, obedientiam, & paupertatem, non tamen hoc fecisse ex voto, ut erat necessarium ad statum religiosum. Sed contra; nam si admittis Patres veteris Testamenti hæc tria perpetuò observasse, quod negare non potes, inde infero fuisse ex voto; Nam isti sancti, ex eo illa tria observabant, quia credebant magis in hoc Deo placere; sed illi sciebant obedientiam, castitatem, & paupertatem magis gratem esse Deo cum voto, quam sine illo; ergo verisimile est ea observasse ex voto: major est multorum Patrum, quos supra retulimus: minor constat; nam Patres veteris testamenti sæpè voverunt, ergo agnoscebant melius esse operari ex voto, quam sine illo; ergo si illa tria observabant, quia Deo gratiora, ex voto observabant; ergo in illo statu fuit verus status Monachalis.

Confirmatur: quia sanctissimus parens ELIAS fuit Princeps status monachalis, ut testantur multi sancti Patres, & Pontifices, inter quos sunt D. Hieronymus *in Epistola 13. ad Paulinum*, ubi ait: 9
Noster princeps est ELIAS, *Præpositus noster* ELISEUS, *Nostri duces Filii Prophetarum, de his sunt & illi filii Rechab.*

Idem docet Joannes Hierosolymitanus, Petrus Damianus, S. Cyrillus Constantinopolitanus: Idem affirmant multi summi Pontifices, ut Sixtus IV. Joannes XXII. Julius III. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. Clemens VIII. *in suis Bullis*, ubi ELIAM dicunt esse PATREM & PRINCIPEM, & INSTITUTOREM, RELIGIONIS CARMELITARUM, & nos *ab illis hæreditaria successione descendisse*; ergo in illa lege fuit verus status religiosus. Patet consequentia, quia si ELIAS tantum adumbrasset hunc 10
statum, quia vixit in eremis, vel in monte CARMELO cum filiis Prophetarum, ut adversarii non verentur asserere, falso dicerent sancti Patres, & Pontifices ELIAM fuisse PRINCIPEM MONACHORUM, PATREM, & FUNDATOREM CARMELITARUM; quomodo enim diceretur princeps, & fundator status monachalis, qui nec ipsum monachatum agnovit, ut admittunt adversarii.

Præterea ex eo quod Moyses fuerit legislator legis scriptæ, & in hoc adumbravit legislatorem le- 11
gis gratiæ scilicet Christum, non inde inferunt Sancti Patres Moysem fuisse legislatorem, principem, & fundatorem legis gratiæ; ergo si ELIAS tantum adumbrasset statum monachalem, non benè diceretur à sanctis Patribus, & Pontificibus PRINCEPS & FUNDATOR STATUS MONACHALIS.

Nec ex eo quod vixerit Samuel cum filiis Prophetarum hoc inferri potest; nam Samuel instituit Congregationes Prophetarum, ut constat *ex primo Regum cap. 10.* & tenent N. Ven. THOMAS Waldens.

denf. *lib.3.doctrinalis fidei art.1.cap.1.* & tamen sancti Patres non dicunt Samuelem (qui prior fuit ELIA) principem fuisse status monachalis; ergo non ideo dicunt ELIAM esse principem status monachalis, quia vixit cum filiis Prophetarum in Communitate, vel in Eremis, sed quia verum statum Religionis instituit.

12 Confirmatur II. quia sancti Patres vocant Sanctum Patrem nostrum ELIAM VERUM RELIGIOSUM, ita Epiphanius, Anastasius Sinaita, & alii quos referunt utraque Defensoria, seu Apologiæ
13 nostræ Historiæ Propheticæ: vocant etiam illum EXEMPLAR RELIGIOSORUM: ita S. Gregorius Nissenus, S. Ambrosius, Isidorus, Waldensis, Joannes Hierosolymitanus, quos referunt eadem defensoria: sed sic est quod exemplar debet esse perfectius, vel ad minus æquale illi cujus est exemplar, ut docet D. Thom. *quæstione 8. de veritate art.2.* nam, ut ait idem Thom. *3.contra Gentes quæst.59. art.1. ad 3.* exemplar habet causalitatem, in eo cujus est exemplar; ergo si ELIAS fuit EXEMPLAR MONACHORUM in lege gratiæ ipse fuit verus, & perfectus monachus; alias quomodo posset esse exemplar monachorum, si ille nullam habebat veram Religionem nec monachatum? ergo cum sancti Patres asseverant ELIAM fuisse EXEMPLAR MONACHORUM, vel dicendum est illos errasse, quod absit, vel ipsum VERUM MONACHUM fuisse, quod confitemur.

Dices, ELIAS non habuit votum obedientiæ; ergo nullo modo potuit esse verus religiosus. Consequentia est certa, antecedens patet; quia non erat cui promitteret obedientiam, cum ipse juxta meliorem Patrum sententiam haberet potestatem extraordinariam summi Pontificis.

14 Confirmatur, quia dato quod tunc essent vota, nullo modo potuit esse vera professio religiosa, nam in professione requiritur aliquis, qui acceptet vota, & in illa Ecclesia nullus erat, qui vota reciperet, nam ad hoc requiritur potestas clavium, quæ tunc non dabatur.

15 Respondetur ad argumentum, distinguendo antecedens, non habuit votum obedientiæ, vel formale, vel eminentiale nego: non habuit illud formale transeat, ergo negatur consequentia: habuit namque ELIAS votum obedientiæ, vel eminentialiter, quod consistit in impulsu Spiritus sancti, qui reddebat ejus voluntatem mobilem ad obe-
16 diendum DEO: vel habuit votum in præparatione animi, quod consistit in hoc, quod licet alicui non promiserit obedientiam, promisit illam tamen DEO, & illi, qui loco illius in Ecclesia, vel Synagoga fuisset Superior, quod sufficit ad verum 17
votum obedientiæ constituens verum statum religiosum, secluso jure Ecclesiastico, ut docet D. Thom. quem refert, & sequitur Suarez *Tom. 4. de Religione cap.2.n.12.* aliique multi.

Ad confirmationem respondetur ad constituen- 18
dum verum statum religiosum, secluso jure canonico, non esse necessariam acceptationem ex parte prælati, ut tenet Pontius *lib. 7. de matrimonio cap. 6. num. 2.* & dato quod sit necessaria, de facto ELISÆUS acceptabat vota filiorum prophe- 19
tarum, quod etiam fecisse ELIAM cernitur ex illo loco, in quo ELIAS misit pallium suum super ELISÆUM, cum illum ad religionem, & Congregationem admisit, ut dicunt sancti Patres, & Do- 20
ctores; nec ad hoc requirebatur potestas clavium, sufficiebat namque potestas dominativa, ut cernimus in monialibus.

Dices CHRISTUS fuit author status monastici, 21
ut constat ex illis verbis Matthæi 16. *Qui vult venire post me abneget semetipsum, &c.* ergo ELIAS non fuit author illius. Respondetur concedendo antecedens, & negatur consequentia: nam etiam CHRISTUS fundavit Ecclesiam, & fuit caput Mar- 22
tyrum, & tamen ante CHRISTUM & fuit vera Ecclesia, & veri fuêre Martyres, ergo licet CHRISTUS fundaverit statum religiosum, & sit princeps, & caput ipsius, ante ipsum potuit esse verus status religiosus. Unde sicut CHRISTUS dici- 23
tur FUNDATOR ECCLESIÆ & CAPUT MARTYRUM, qui fuerunt ante ipsum, quia fuit causa meritoria gratiæ, quæ dabatur in illa lege justis, ita quoque potuit esse FUNDATOR STATUS MONASTICI, 24
qui fuit ante illum, quia fuit causa meritoria illius, quatenus in virtute fidei Christi venturi dabatur illis PATRIBUS, sicut & MARTYRIBUS gratia ad exercendos actus tam arduos Religionis, sicut dabatur martyribus ad exercendos excellentiores actus fortitudinis, & charitatis.

Objicies II. Apostoli fundarunt monachatum, ut constat ex verbis Petri: *Ecce nos reliquimus omnia &c.* ergo ante Apostolos non fuit monachatus. 25
Respondetur distinguendo antecedens, fundarunt statum monachalem de novo illum instituendo, nego antecedens, perficiendo illum adjunctis certis cæremoniis, ritibus, ut solemnitate votorum, potestate clavium, &c. concedo; deinde negatur consequentia.

Nec

Nec obstat, quòd Apostoli dicantur apud Patres fundâsse monachatum, seu statum religiosum: nam etiam dicuntur cap. ad Ephesios II. fundamenta Ecclesiæ, *supra fundamenta Apostolorum.* & Apocalipsi 21. *Murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in eis duodecim nomina Apostolorum Agni.* Et Ecclesia canit de beatis PETRO & PAULO, fuisse Principes Ecclesiæ, per quos religionis sumpsit exordium, & tamen ante Apostolos fuit Ecclesia, ut est de fide, ergo idem dici potest de statu monachali; nam sicut dicuntur fundasse Ecclesiam, quia illam majori perfectione exornârunt, ita etiam & monachatum, &c.

Objicies III. ex D. Paulo ad *Hebr. cap.* 7. ubi vocat legem scriptam imperfectam, sed status Religionis est status perfectionis, ergo in illa lege non fuit
26 verus status Religionis. Respondetur negando consequentiam: ad probationem respondetur legem scriptam dici à D. Paulo imperfectam negativè, quia scilicet carebat ea perfectione, quam nunc habet lex gratiæ: ita explicat hunc locum Suarez *lib. 6. de legibus, cap. 8. n. 9.*

27 Objicies IV. D. Paulus I. *ad Corinthios* 10. & 10. *ad Hebræos*, ait, *omnia in figura contingebant illis*, ergo status Religionis illius temporis non fuit verus, sed omnia in imagine, & figura illis contingebant. Respondeo, virtutes morales sanctorum Patrum veteris Testamenti dici figuras, non quoad essentiam virtutum moralium, sed quoad aliquid cæremoniale, quod in lege gratiæ repræsentabant, sicut mors Abel, & obedientia Isaac, fuêre figuræ mortis Christi, & ejus obedientiæ, in se tamen fuêre vera mors, & obedientia: sic ille status monachalis fuit figura status monastici legis gratiæ, non quoad esse status virtutis, sed quoad majorem perfectionem accidentalem, quam nunc habet.

28 Dices, verus status religiosus non potest stare sine castitate, sed Prophetæ habuêre uxores, & filios, ut patet ex 4. *Regum*, ubi dicitur: *Mulier quædam de uxoribus Prophetarum*, & ex 3. *Jeremiæ*, ubi loquens de Prophetis, ait: *Mulieres nostræ, filii & filiæ nostræ*, ergo apud illos non fuit verus status
29 religiosus. Respondetur, hos Prophetas, de quibus in his locis loquitur Scriptura, esse tantum Tertiarios nostri Ordinis, ut hodie sunt Confratres nostri, qui licitè possunt ducere uxores.
30 Respondetur secundò, fuisse ad modum equitum militarium, qui tantùm observabant castitatem conjugalem, qui tamen veri sunt Religiosi, ut communior docet opinio: hinc tamen non infertur, non fuisse alios Religiosos, qui observarent perfectam castitatem, ut suprà probatum est, ut fuit sanctissimus parens ELIAS, ELISÆUS, & alii innumerabiles PROPHETÆ, RECHABITÆ quoque, & ESSENI.

Objicies tandem, beata Virgo MARIA fuit 31
prima, quæ fecit votum castitatis, ergo ante illam in lege veteri non fuit tale votum: aliàs jam beata Virgo non fuisset prima in hac excellentia. hoc argumentum est Achilles Authorum contrariorum. Respondetur tamen beatam Virginem MARIAM fuisse primam in ordine intentionis, non tamen in executione, sicut Christus fuit primus prædestinatus, & primogenitus omnis creaturæ, non in ordine executionis, sed in ordine intentionis; unde beata Virgo MARIA fuit EXEMPLAR VIRGINITATIS non solùm in lege gratiæ, sed etiam in veteri Testamento, & in illo *præfigurata in illa nubecula parva*, quam vidit ELIAS in CARMELO; inde didicit, tanquam à sua causa exemplari hanc veritatem, quam Filiis suis dereliquit, ut pignus inæstimabile; unde tantum abest, quòd hoc cedat in minorem gloriam Virginis, quin potiùs magis eam exaltet; nam eò causa est perfectior, quò se extendit ad plures effectus: unde non tam excellens esset virginitas MARIÆ, extendendo se ad legem gratiæ tantum, quàm extendendo se etiam ad legem veterem, ut ex se liquet.

Et ex his deduces, Religionem à SS. Propheta 32
ELIA institutam esse de jure divino: nam illa Religio est de jure divino, quam Deus jussit fundari, sed Deus jussit ELIÆ, ut hanc institueret Religionem, quando segregavit ELIAM ab hominibus, & ad torrentem Carith misit, ut tenet S. Ambrosius in Epistola ad Vercellenses, *lib. 10. Epist. 82.* inquiens: *ELIAS Monachorum Princeps primus extitit: ipse enim religiosam, ac prophetalem vitam primus hominum à proposito ducere cœpit, quam sancto dictante, & mandante Spiritu, instituit.* Idem sentit Rupertus Abbas, Joannes Jerosolymitanus, Thomas Waldensis, Joan. Bachonius, Joan. Soreth, Robertus Arboricens. Suarez, Salianus, Miræus, aliique quamplurimi, quos refert Martinus à JESU-MARIA, Definitor Generalis Congregat. Hispan. Carmelit. Discalc. in suo *Apologetico Opere pro Historia Prophetica, pag. 39. & seq.* Confirmatur quoque ex eo, quando DEUS jussit *ELIÆ, ut ungeret ELISÆUM Prophetam pro se: & quando misit pallium suum super illum, &c.*

3. *Reg. cap.* 19. in quem locum supracitatus Gaspar Sanchez, *dum pallium*, ait, *injecit, ad suum institutum vocat: unctio igitur fecit Prophetam, pallium autem contubernalem & Monachum.* Plures alias hujus asserti probationes ac confirmationes legere est apud eundem Martinum *loco citato*, atque apud alios Authores mox adducendos: inter quos non postremus Philippus Ribotі, qui *libro* 10. *de gestis Carmelit. cap.* 5. quærit: *An Religio Carmelitarum sit de jure divino instituta ac fundata?* Et respondet affirmativè: quod variis rationibus efficaciter probat. Vixit ipse anno 1370. & ejus præfatum opus in X. Volumina distinctum, excusum est Venetiis Anno 1507.

Ut nunc satisfaciam factæ superiùs promissioni, nonnullos, ex innumeris fermè, insinuabo Doctores, qui nostram in principio positam tenent, tuenturque assertionem. E sanctis PP. referuntur S. Athanasius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Basilius, S. Joan. Chrysostomus, S. Gregorius Nyssenus, S. Ephrem, S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Paulinus Nolanus, S. Isidorus, Joan. Cassianus, Sidonius Apollinaris, Theodoretus, S. Petrus Damianus, Dorotheus, Macarius, S. Thomas Aquinas, S Bernardus, Rupertus Abbas, S. Odilo Abbas, S. Antoninus, Bernardus Cassinensis, &c.

Ex Romanis Pontificibus Sixtus IV. Joannes XXII. Julius II. & III. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. & Clemens VIII. item sacra Rituum Congregatio in Officiis Ecclesiasticis, ac propriis Ord. Carmelit.

Ex exteris Authoribus, Joseph Antiochenus, qui vixit an. 130. Philippus Abbas Hierapolitanus, Richardus Armachanus Archiepiscopus Hibern. Erardus, quem alii Wernerum nuncupant, Carthusianus, Guilielmus Eisengreinius, Joannes Molanus, Paulus Morigia, Gilbertus Genebrardus, Sigebertus Gemblacensis, Joseph de Seguenza, Nnuphrius Halt, Ægidius Camartus Generalis Minimorum, Dominicus Gravina, Didacus de Jepez Episc. Ludovicus de Tenas, Bartholomæus Cassanæus, Nicolaus Cæffeteaus, Raymundus Fagier, Nicolaus Boherius, Jodocus Ascensius Badius, Marianus Victor, Michaël Mauclerus Doctor Sorbonicus, Alardus Gazæus, Stephanus Paschasius, Petrus Bertius, Laurentius Landmeter, Michaël Gislerius, Alphonsus de Villegas, Prosper Stellartius, Petrus Valderama, Petrus Calvus, Ferdinandus de Castriglio, Chrysostomus Henriquez, Historiographus Ord. Cistert. Leander Granatensis, Natalis Taillepied; Tres verò, qui sequuntur, speciali memoria digni sunt, qui de Ordinis nostri sacra antiquitate, ortu & progressu ex professo scripserunt, librosque ediderunt, scilicet Joannes Trithemius, Abbas Ord. S. Bened. Joannes de Carthagena, Ord. Minorum, & Aubertus Miræus, quorum Tractatus cum Jodoci Clicthovei de hoc argumento sermone, & Laurentii Beyerlinc ex *Theat. Vit. Hum. lib. XVI.* hujus Ord. Elogio, noster Paulus ab omnibus Sanctis, in uno Volumine simul anno 1643. Coloniæ recudi fecit, adjunctis quibusdam notationibus, & à se conscriptis Opusculis, in quibus pro nostra sententia alios quoque citat Authores.

E domesticis, quotquot de hoc argumento scripsêre, hanc sententiam tenuêre: inter hos præcipui Joannes Patriarcha Hierosolym. qui vixit an. 412. in lib. *de institutione primorum Monachor.* S. Brocardus, Generalis Ord. Carm. S. Cyrillus Constantinopolit. & ipse Generalis, & Doctor, S. Petrus Thomas Patriarcha Constantinop. Thomas Waldensis, dictus à Martino V. *Validus Ecclesiæ Ensis*, B. Joannes Soreth, Baptista Mantuanus, Arnoldus Bostius, Joannes Paleonydorus, Didacus Coria, Petrus Conejo, Petrus Lucius, Thomas Sarracenus, Joan. Pintus de Victoria, Philocalus Caputus, Valerius Ximenez, Emmanuel Romanus, Marcus de Guadalaxara, Marcus Antonius de Casanate, Michaël de Fonte, Georgius Durangus, Didac. Maldonat. Michaël Munozius Romæ edidit *Propugnaculum ELIÆ, & propaginis Carmeliticæ*, Petrus Wastelius *libro* 1. *Vindiciarum Operum Joannis Hierosolymitani*, Mathias à Corona, S. T. D. Parisiensis, in suo Opere, cui titulus: *Sanctitas Ecclesiæ Romanæ in S. ELIA Propheta, Carmelitarum Protoparente figurata.* excuso Leodii. *Tract.* 2. *de signis Ecclesiæ, &c. Charactere b. & Tract.* 4. *cap.* 6. §. 4. Mathias à S. Joanne in *Historia Panegyrica Ord. Carm. part.* 1. Dorothæus à S. Renato in *Commentariis super lib. Regum & Apocalypseos*, Joan. Baptista de Lezana *in Apparatu ad Tom.* 1. *Annal. Ord. Carm.* Daniel à Virg. MARIA in *Vinea Carmeli*, maximè *Part.* 2. & 8. & apud hos, quorum libros hîc apponimus, reperientur plures ex prædictis Authoribus cum suis Operibus citati, & plures aliquos hîc insinuare intermisimus.

Nec defuêre è nostris Discalceatis, qui hanc sententiam calamo egregiè propalârunt, ac propugnârunt. Agmen ducit Venerab. P. Thomas à JESU,

JESU, quem *sapientissimum, Religiosissimum*, atque *ingenuum Doctorem* plures nuncupant, alii *pari sanctimonia ac eruditione Carmelum illustrasse* affirmant, *lib. de antiquitate, & Sanctis Ord. Carm.* Salmanticæ excus. 1599. & in *Opere de variis Regulis Carmelit. Part.* 1. Joannes a *IESV-MARIA* in *Vita S. M. TERESIÆ lib.* 1. *cap.* 2. Ferdinandus à S. *MARIA* in *Prologo ad Privilegia Apostol. Romæ edit.* Thomas Aquinas à S. Joseph in sua *Dissertatione Historico-Theologica, in qua Patriarchatus Ordinis Carmelitarum SS. Prophetæ ELIÆ vindicatur: & principatus totius Monasticæ eidem SS. Vati adseritur: utrumque ex SS. PP.* prodiit primùm Parisiis an. 1631. deinde auctior Coloniæ an. 1643. Philippus à SS. Trinitate in *Hist. Ord. Carm. lib.* 1. & *Tom.* 3. *Curs. sui Theolog. Tract.* 3. *de Religione, disp.* 6. ubi fusiùs de hac disserit, disputatque. Gabriel à S. Vincentio *Tom.* 4. *de Sacrament. disp.* 6. *quæst.* 6. Ludovicus à S. *TERESIA* in suo *Opere de successione ELIAna.* Franciscus à S. *MARIA Tom.* 1. *Historiæ Generalis Propheticæ Ord. B. MARIÆ de monte CARMELO*, & in *Apologetico ejusdem suæ Historiæ.* Martinus à JESV-*MARIA* in *Apologia jam dictæ Historiæ Propheticæ*; & hi duo omnes fermè supra citatos SS. PP. & alios Authores referunt, propriaque ipsorum verba adducunt. Joseph à JESV-*MARIA* celebris Author, ob plura præclara edita volumina. Simon à Spiritu sancto, Petrus à Conceptione, Joseph ab Incarnatione, uterque in suis *Apologiis Historiæ Propheticæ, &c.* Sacræ & Generali Inquisitioni Hispaniæ oblatis ac dicatis. Thomas à S. Vincentio in *doctissimo suo Apologemate*, in quo ex puris & solis Doctoribus, Scriptoribusque Societatis JESU docet, vindicatque probabilitatem nostræ in principio sectionis positæ conclusionis ac sententiæ. Licèt autem brevitatis ergo supersederim à referendis præfatorum Authorum testimoniis, intermittere tamen nequeo, quin præstantiorum aliquot è Societate JESU testimonia hîc producam.

Sapientissimus Theologorum nostri temporis Magister, *FRANCISCVS SVAREZ, Tom.* 4. *de Relig. tract.* 9. *lib.* 2. *cap.* 10. agens de Carmelitarum Religionis origine & institutione, revocavit, implicitè saltem (*doctior factus*, ut quidam ait,) quod priùs asseruerat, *Tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 3. his verbis: *Est autem valde recepta, & satis antiqua Traditio, Religionem hanc à temporibus Prophetarum, & signatim ab ELIÆ institutione suam ducere originem, & quasi hæreditariam successionem in monte CARMELO, à quo nomen etiam accepit, quam Traditionem, ut veram, suscipimus, præcipuè, quia Summi Pontifices,* Sixtus IV. Joannes XXII. Julius III. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. & Clemens VIII. *in Bullis huic Ordini concessis, de Professoribus hujus sacri instituti ita loquuntur:* Tanquam *RELIGIONIS SPECVLVM & EXEMPLAR*, charitate fulgentes, Sanctorumque Prophetarum *ELIÆ* & *ELISÆI*, & aliorum *SS. PATRVM*, qui montem sanctum *CARMELI*, juxta fontem *ELIÆ* inhabitârunt, successionem hæreditariam tenentes, &c. *Vnde* Sixtus V. *huic Religioni concessit, ut ELIAM & ELISÆVM, tanquam suæ institutionis PATRONOS coleret, dies festos in eorum honorem celebrando, propriaque officia in eorum memoriam recitando, quod ipsa Religio studiosè servat, & in ipso Officio nomen, & solemnitatem Patroni ELIÆ tribuunt.* Hæc ille.

GASPAR SANCHEZ ejusdem Societatis singulare decus, & celebris divinarum litterarum Interpres, exponens *Cap.* 17. *lib.* 3. *Reg.* cùm egisset de Collegiis seu Cœnobiis à Propheta *ELIA* institutis, & Ordine Prophetico Carmelitano ab eo inchoato *num.* 12. sic disserit: *Hinc opinor ortum habuerunt antiquum & nobilem, qui nostro ævo CARMELITÆ dicuntur, viri Religionis gloria, & vitæ sanctitate conspicui: quod ut credam, facit non solùm illius Ordinis, sed èt omnium penè Gentium constans & perpetua Traditio. Et quidem si ab hac mea cogitatione nihil staret præter Traditionem omni memoria superiorem, satìs putaretur habere præsidii; quia communis, conspiransque consensio, nullo interrupta tempore, eam habet authoritatem, quam nulla, nisi magna fides, convellere aut infirmare posset. Sed præter Traditionem, quæ, (ut diximus,) constans existimatur, atque perpetua,) sunt alia multa, quæ ad hanc cogitationem plurimùm afferunt momenti: Doctorum nimirùm, non tantùm ex illa religiosa Familia, quorum ingens numerus, sed externorum, quos longum esset numerare, gravis authoritas, & tam veteres, quàm recentes historiæ, & sacri Ordinis antiqua monumenta. Accedit ad hæc à Pontificum judicio gravissimum pondus, qui sacrum hunc Ordinem ab ELIÆ disciplina atque instituto ortum habuisse testantur. Ita sanè apertè in suis Bullis* Sixtus IV. Julius II. Gregorius XIII. & Clemens VIII. *qui dicunt, Carmelitanæ Familiæ viros ab ELIA atque ELISÆO hæreditariam successionem tenere. Hæc mihi gravissima sunt, neque pauca, neque levia, quæ, si Carmelitanæ causæ vindicem agerem, libens adducerem, à quibus in præsentia abstineo, ne ab Interpretis munere, (quod longas digressiones non admittit,)*

defecisse

defecisse videar. Hactenùs Sanchez: quo quid aut elegantius, aut solidius, aut etiam eruditius dici possit non video.

Consentit his *IACOBVS SALIANVS*, Annalistarum veteris Testamenti facilè Princeps, qui *Tom.* 4 Annalium suorum variis in locis SS. vatem *ELIAM* Carmelitarum fuisse Antesignanum, Fundatorémve non semel apertè demonstrat, maximè ad annum mundi 3139. in Elogio elegantissimo, quod eidem adponit, inter alia hæc habet: *Hic Lector PROPHETARVM & RELIGIOSORVM in CARMELO, totáque Chananitide manipulos, sui æmulos atque imitatores instituti, ad cælestem vitam, mundo ignotam ac contemptam traducendam adduxit, tot sæculis suarum precum, quasi facularum ardore calefecit, & ad hunc diem tot inter rerum, locorum, temporúmque varietates constantes reddidit magni sui Patriarchæ sectatores, &c.* Et de S. *ELISÆO* ad an. mundi 3204. hæc addit: *Hic est, qui religiosæ paupertatis thesauro dives, &c. INNVMERABILIVM RELIGIOSORVM PARENS atque PROPAGATOR, &c.*

Et ne ex benevolentiæ in Carmelitas potiùs, quàm ex veritatis amore hæc dixisse videatur, subjunxit ad *an.* 3139. *num.* 45. hæc: *Ac ne quis nostrûm hoc benevolentiæ potiùs erga Religiosissimum Carmelitarum Ordinem, quam veritatis testimonium putet, quòd eos ELIÆ sanctissimi discipulos atque imitatores agnoscamus; audiat is* Sixt. IV. *Rom. Pont. Constitutionem, &c.* quam ad verbum refert, addita *Clem. VIII.* & *Sixti V.* decreto, &c.

Nec dissentit *ILDEPHONSVS* de *FLORES* in *Comment. ad Cap.* 24. *Ecclesiastici*, in *Tract. Ascetic. Part.* 3. *sect.* 36. ubi tractans de Ord. Carmelitano Eliano, Pontificum, Patrumque testimoniis comprobat SS. Vatem *ELIAM*, *MONACHORVM PRINCIPEM*, Ordinemque ab eo in *CARMELO* inchoatum scaturiginem extitisse cæterorum Monachorum. *Etenim*, inquit, *cùm videam hanc nobilissimam Familiam à temporibus Prophetarum, & signatim à SS. ELIÆ institutione suam trahere originem, & quasi hæreditariam successionem, idque septem Pontificum* Sixti IV. Joan. XXII. Julii III. Pii V. Gregorii XIII. Sixti V. & Clem. VIII. *authoritate roboratum animadvertam. Cùm videam tot, eosque nobilissimos Scriptores, & è nostra IESVITARVM Familia quamplures, vetustissimam hanc Traditionem suscipere, NEFAS DVXI, nonnihil huic Sacræ Carmelitarum Familiæ de sua vetustate detrahere.* Deinde adfert authoritates Patrum adstruentium monastici instituti *PRINCIPEM* fuisse *ELIAM*; declarat etiam qualiter hæreditaria successione Ordo à SS. P. ELIA per diversas graduum mutationes, & incrementa ad præsentem statum pervenerit. *Sed continuam,* inquit, *illam ab* ELIA *successionem per hanc graduum diversitatem ductam, haud gravabor ex antiquis monumentis demonstrare, non tam ut Carmelitis gratificer, (etsi id velim,) quàm, ut veritati ipsi consulam.* Et cùm id primùm confirmasset, Pontificum authoritate subdit: *Et quidem vel unum ita sensisse, aut scripsisse Pontificem suffecisset; nedum tot, tamque doctissimos, ut nemo prorsus de veritate ambigeret.* Transit deinde ad alia probationum fulcimenta. Agit quoque de DEIPARÆ exaltatione in hoc Ordine temporibus ELIÆ, atque de Carmelitarum vetustissima, eximiaque in S. DEIPARÆ Conceptionem, cujus expressam imaginem fuisse nubeculam SS. ELIÆ in CARMELO apparentem demonstrat, consequenter ibi, & in antecedentibus *Part.* 2. *sect.* 18. & 21.

Et quia hi omnes Societatis JESU Doctores multum tribuunt testimoniis Pontificum, quos citant, lubet hic vel unius saltem producere, & quidem novissimi ex omnibus citatis, nempe CLEMENTIS VIII. qui in litteris ad Regem Persarum anno 1604. datis, commendans illi Carmelitas Discalceatos; sic loquitur de hujus Ordinis origine: *Habuerunt olim Religionis hujus Professores, sicut à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris memoriæ proditum est, sui instituti Auctores sanctos Prophetas* ELIAM *&* ELISÆUM, *omnibus nationibus & gentibus notos, &c.* Similia habet in Bulla incipiente: *In Apostolicæ dignitatis.* & in alia, cujus initium: *Dominici gregis.* pro Discalc. data.

PAULUS SEHENTNER Soc. Jesu, Germanus, in *Promontorio malæ Spei lib.* 3. §. 13. de Carmelitarum institutione sic disserit: *Carmelitana Religio ex* ELIA *SS. Vate, ejusque Asseclis, hæreditaria quasi successione originem suam trahit.* ibidem etiam refert posteros ac successores SS. P. ELIÆ, *tenaces arrepti semel instituti, eodem in loco semper perstitisse usque ad* CHRISTI *Salvatoris tempora.* Et aliquantò infrà ait: quòd *voluntaria paupertate, castimonia, obedientiáque sese* DEO *adstrinxerint in arctius ejusdem obsequium, auspicaturi simul & religiosæ vitæ exemplar, & daturi aliis pulchræ imitationis occasionem.*

Nec desunt alii complures illustres Scriptores ejusdem Societatis, qui jam dictis manifestè adstipulantur: quos inter Card. Bellarminus, Nicolaus Serarius, Cornelius à Lapide, Tirinus, Ferdin. de Salazar, Francisc. Poiræus, Petrus Ojeda,

Adria-

Adrianus Lyræus, Adrianus Adrianius, aliique quos referunt *loco cit.* Thomas à S. Vincentio, & Daniel à V. M. maximè in *Append. ad Hist. Carm. cap.* 2.

33 Nec solum Franciscus Suarez, verum & alii, qui primùm scripserant in favorem contrariæ nobis sententiæ, doctiores facti; & maturè perpenso gravissimo Authoritatum rationumque pondere nostræ sententiæ, revocantes quod priùs dixerant, illam deseruere, nostræ adhærentes. Ex his fuit alter Franciscus de Aravio, scilicet, Episcopus Segoviensis qui in 1. 2. *q.* 99. *disp.* 4. *sect.* 3. *nu.* 29. de hoc argumento sic loquitur: *Quos refert, & sequitur Author Historiæ Propheticæ Carmeli Discalceati, ut defendat* ELIAM *&* ELISÆUM *veri Monachatus fuisse prof*e*ssores. Quam sententiam absque nota vel censura, cum probabilitate, quam ei adstruunt sua fundamenta, sanctissimum supremæ inquisitionis Tribunal novissimo decreto nono Decembris, anni* 1639. *expedito, defendi ut anteà, & excudi permisit: quam probabilitatem & nos libenter suscipimus.* Hæc sapientissimus ille Præsul. Et doctissimus P. Hieronymus Garcia Ord. S. Hieronymi Cæsaraugustæ Prior in sua *Politica Regulari Tract.* 1. *disp.* 4. *dub.* 1. *num.* 8. postquàm retulerat sententiam affirmantem in lege scripta verum extitisse monachatum subdit: *Hæc opinio ut minimum debet censeri probabilis, & talem illam censuit sanctum inquisitionis tribunal anno* 1639. *attestante R. P. Francisco à S.* MARIA. *Ac proindè, si quis hodie assereret non esse probabilem, puniretur à sacro illo Tribunali tanquam contumax, refractarius, ac decretis atque mandatis ejus repugnans. Et revera, licèt hoc de rerum latum non esset, Apologia nihilominus R. P. Francisci à S.* MARIA, *authoritatum, rationumque pondere gravida, redderent illam probabilem: & non utcunque probabilem, sed probabilem valdè, & ut talem ego illam reputo.* Hactenus magnus ille Theologus.

Qui verò plura scire desiderat circa jam dictum supremæ inquisitionis Hispanicæ decretum, consulere poterit nostros Philippum à SS. TRINITATE *loco supracit.* Lezanam in *Apparatu ad Tom.* 1. *Annal. Ord. Carm cap.* 4. *num.* 28. Danielem à V. MARIA *in Appendice ad Historiam Carmelit. cap.* 9. *num.* 1282. Franciscum à S. MARIA, in *principio suæ supracit. Apologiæ.* & Ludovicum à S. TERESIA, in sua *successione Eliana cap.* 17. *primi sæculi.* qui refert decretum hoc latum fuisse, post plurium annorum maturum examen, & exactissimam discussionem fundamentorum utriusque sententiæ ac partis, in judicio contradictorio, factam ab Archiepiscopis tribus, Hispalensi, Granatensi, ac Valentino, Episcopo uno, P. Generali Ord. B. M. de Mercede. Joanne à S. Thoma Dominicano, Confessario Philippi IV. toti orbi ob suam doctrinam & libros Theolog. notissimo, Ludovico Cabrera Augustiniano eximio ejusdem Regis concionatore, & quatuor aliis totius Hispaniæ, in doctrina ac pietate celeberrimis Theologis *&c.* post maturissimam inquam atque accuratissimam hanc tanti temporis & ab his viris eminentissimis discussionem ac consultationem ab Illustrissimo Domino Archiepiscopo, Inquisitore Generali, aliisque dominis Regii Concilii sanctæ Generalis inquisitionis *&c.* Latum fuit anno 1639. die 9. Decemb. inter cæteras verò approbat, & publicari atque imprimi permittit has propositiones: *quod in lege scripta extiterit votum castitatis ac virginitatis perpetuæ, votum obedientiæ perpetuæ, ac paupertatis voluntariæ. Quod in lege scripta extiterit verus Monachatus & Religio.*

Laudatur etiam pro nostra sententia simile decretum Universitatis Cantabrigiensis, quondam in Anglia celeberrimæ, quod referunt præfati nostri Authores, *locis supracitatis.*

Lubet tandem huic sectioni finem imponere verbis doctissimi Lezanæ, ex *apparatu ad Tom.* 1. *Annalium suorum cap.* 6. *nu.* 28. desumptis: *Animadvertere operæpretium duximus, hanc scilicet, communem Nostrorum sententiam, de successione hæreditaria ab* ELIA *repetenda,* antiquam *semper Ordinis* Traditionem *fuisse, adeò* firmam *&* constantem, *ut nunquam alius præter ipsum titulo* Fundatoris, *aut* Institutoris *creditus, vel nominatus reperiatur. Quod magni argumenti loco apud prudentes haberi oportet. Nec enim vel leviter suspicari licet, tot viros* sanctitate, *&* doctrina *conspicuos, qui in Ordine nostro,* DEI *gratia, omni sæculo claruerunt, in hac re vel inscitia seductos, vel ambitione seductores extitisse.* Hæc Lezana, & ex illo Daniel mox citatus in *vinea Carmeli, part.* 2. *n.* 216.

SECTIO II.

In quo consistat essentia status religiosi?

34 *Quid sit status religiosus?*

35 *Status debet esse immutabilis saltem ex parte suscipientis, non tamen semper ex parte acceptantis.*

36 *Religiosi non tenentur esse perfecti.*

37 *Tenentur tamen sub mortali tendere ad perfectionem.*

38 *Quomodo Religiosus huic obligationi satisfaciat?*

39 *Quomodo peccet Religiosus contra hoc præceptum?*

40 *In quo consistat perfectio essentialis status religiosi?*

41 *Quomodo dicatur Religiosus contemnere ea, quibus pervenitur ad perfectionem?*

42 *Quando propositum committendi omnia venialia occurrentia sit peccatum mortale?*

43 *Quando in violatione legis obligantis ad veniale censeatur adesse periculum remotum peccati mortalis, & quando periculum proximum?*

44 *Quando censeatur dari gravis contemptus legis, & quando levis?*

45 *Contemptus formalis legis solùm obligantis sub veniali non est peccatum mortale.*

46 *Vota constituentia statum Religiosum non est necesse esse absoluta, & perfecta castitatis obedientiæ, & paupertatis.*

47 *Ad veram paupertatem religiosam non requiritur abdicatio dominii.*

48 *Nec privatio totius usus sed in aliquibus casibus.*

49 *Ad veram castitatem religiosam non est necessaria omnimoda privatio copulæ conjugalis.*

50 *Sufficit quod in aliquibus diebus teneatur ab illa quis abstinere.*

51 *Ad veram obedientiam sufficit, quod in aliquibus casibus teneatur obedire.*

52 *Vota constituentia statum religiosum sufficit esse simplicia.*

53 *Religiosi primæ professionis societatis* Jesu *non ex privilegio, sed ex natura rei sunt veri religiosi.*

54 *In lege veteri fuit verus status religiosus.*

55 *Vota in illa lege erant simplicia.*

56 *Nostri Donati secundæ professionis sunt veri religiosi.*

57 *Horum professio est solemnis.*

58 *Regula nostra pro omnibus Religiosis, etiam laicis & Donatis fuit confirmata.*

59 *Quod Donati hoc vel illo habitu utantur, est per accidens ad statum religiosum.*

60 *Donati nostræ Congregationis Italiæ sunt veri Religiosi.*

61 *Omnia privilegia, & indulta concessa nostræ* Congregationi *Italiæ, & ejus personis competunt nostræ* Congregationi *Hispaniæ.*

62 *Ecclesia supponit nostros Donatos secundæ professionis esse veros Religiosos.*

63 *Nostri Donati primæ professionis sunt etiam veri Religiosi.*

64 *Omnis traditio mediis tribus votis facta in Religione approbata, sufficit ad statum religiosum.*

65 *Quomodo hoc sit intelligendum?*

66 *Nostri Donati primæ professionis deserunt religiosum habitum.*

67 *Eorum professio fit indirectè secundum Regulam.*

68 *Subjecti sunt correctioni Prælatorum.*

69 *Ut aliquis modus vivendi cum tribus votis simplicibus sit vera Religio, quæ approbatio Ecclesiæ requiratur?*

70 *Modus vivendi nostrorum Donatorum primæ Professionis cum tribus votis simplicibus fuit approbatus ab Ecclesia, & quomodo?*

71 *Talis modus vivendi sic approbatus ab Ecclesia eos constituit veros Religiosos.*

72 *Qualiter fuerit modus vivendi societatis cum tribus votis simplicibus pro vera Religione approbatus ab Ecclesia.*

73 *Ecclesia approbans, ut bonum, & laudabilem modum vivendi, in quo dantur omnia, quæ sunt de substantia religiosi status, approbat illum ut sit vera Religio, etsi hoc formaliter non exprimatur.*

74 *Solùm veri Apostatæ puniuntur pœnis apostatarũ.*

75 *Nostri Donati primæ professionis, si apostataverint, sunt apostatæ, & Prælati eos tenentur punire pœnis apostatarum.*

76 *Tenentur ad observantiam Regulæ sicut cæteri Religiosi.*

77 *Ut aliquis modus vivendi dicatur religiosus, per accidens est, quod constet votis solemnibus, vel simplicibus.*

78 *Ad statum religiosum præter tria vota requiritur traditio.*

79 *In professione adsunt duo contractus unus ex parte Dei, alter ex parte profitentis.*

80 *Potestas dominativa à traditione procedit.*

81 *Ecclesia potest apponere conditiones in contractu professionis.*

82 *Ad statum religiosum de jure naturæ non requiritur approbatio.*

83 *In quo consistat solemnitas votorum?*

84 *Coadjutores formati Societatis, sunt incapaces dominii, & matrimonii, & tamen eorum professio non est solemnis.*

85 *Equites Divi Jacobi sunt capaces dominii, & matrimonii, & tamen eorum professio est solemnis.*

DIco I. status religiosus est *status perfectionis*, 34
per tria vota, paupertatis, castitatis, & obedientiæ adipiscendæ: ita cum D. Thoma 2. 2. *quæstione* 186. communiter Doctores: dicitur *status*, ut denotet

notet immutabilitatem : siquidem status esse non
35 potest absque immutabilitate, saltem ex parte suscipientis statum : nam ex parte Prælatorum vota subditorum acceptantium non requiritur essentialiter immutabilitas, sicut non obstat statui temporalis servitutis, quod dominus possit servum suum liberum relinquere : dari ergò potest verus status religiosus, in quo liberum sit Prælatis subditos ab obligatione Religionis, quæ est veluti religiosa servitus liberos relinquere, ut cernitur in Patribus Societatis primæ professionis.

36 Dicitur status perfectionis adipiscendæ, ut significetur propria hujus status natura, quæ est, ut sit status perfectionis non adeptæ sed adipiscendæ, quamvis enim Religiosi obligati non sint esse per-
37 fecti, tenentur tamen sub mortali ad perfectionem tendere; quæ veritas, ait Navarrus in c. *quia portio* 12. *q. n.* 1. est terribilis multis religiosis, qui non
38 curant ad perfectionem progredi. Huic tamen obligationi satisfaciet Religiosus observando tria vota, & suas obligationes ex Regula, & Constitutionibus : nam Religiosus non tenetur ad aliam perfectionem comparandam, nisi ad eam, quæ mediis institutis suæ Religionis haberi potest, ita Sanchez, quem refert, & sequitur Lezana *Tomo* 1. *cap.* 1. *num.* 9.

39 Peccabit tamen Religiosus contra hoc præceptum, *Primò*, quando suo pravo exemplo alios duceret ad depravatam vitam, & relaxationem Regulæ in materia gravi, non tamen levi, ut cum aliis optimè probat Giragus *de regimine Regular. parte* 3. *dubio* 43. *num.* 57. *& sequentibus. Secundò*, quando transgreditur Regulam : esto obliget solum ad veniale, eo fine, ut impediat perfectionem, *Tertiò* solù, quandò apud se statuit non conari ad perfectionem, ut si diceret, *nolo ad perfectionem tendere* : non tamen si proponat servare omnia vota, & præcepta, tàm Regulæ, quàm Superioris, & tantùm omittere illa, quæ non obligant sub mortali; ita Azor. quem refert, & sequitur Pellizzari-
40 us *Tract.* 5. *c.* 1 *n.* 10. nam is leviter tantum deficit a proposito perfectionis, cum perfectio essentialis consistat in observantia votorum, & præceptorum, sub quibus consilia, & opera perfectionis continentur.

41 *Tandem* peccabit contra hoc præceptum qui contemnit ea, quibus ad perfectionem venitur, talis autem contemptus tunc datur, quando omittit servare consilia tanquam vana & inutilia, non tamen si ea omittat, quia videt non esse sibi simpliciter necessaria ad salutem, nec sibi præcipi sub mortali : ita D. Thom. Azor. Valentia, Cajetan. quos refert, & sequitur Sanchez *lib.* 6 *moralium capite* 5. *numero* 1, quidquid in contrarium dicant Silvester, Tabiena, Corduba adducti à Sanch. *ibidem.*

Nec obstat hunc Religiosum habere animum 42
committendi quæcumque peccata venialia, propositum autem committendi omnia venialia est mortale, ratione pravæ dispositionis ad mortale, ut cum D. Bonav docet Sanch. *libro* 1. *moralium cap.* 15. *n.* 17. Respondetur namque propositum com- 43
mittendi omnia venialia occurrentia, nisi simul adsit contemptus, vel periculum peccati mortalis, tantum disponere remotè, non verò proximè ad mortale, ita Salas quem refert, & sequitur Palaus *Tract.* 1. *disp.* 2. *puncto* 9. §. 3. *num.* 5. Pellizzarius *Tract.* 5. *cap.* 1 *n.* 15.

Dixi *nisi adsit contemptus vel periculum proximum* 44
peccati mortalis : nam si dentur, tunc disponit proximè ad mortale, hoc autem periculum non datur, nisi quando quis experimento didicit, quod ex remisso modo vivendi in vitandis venialibus contra hanc, vel illam legem, incidere soleat frequenter in mortalia : contemptus verò tunc datur, quando quis proponeret non subjici Regulæ, ac resistendo Superiori, volenti ipsum justè cogere, & 45
punire; at si Religiosus semper habeat intentionem servandi omnia necessaria ex voto, & præcepto, & subjiciendi se Prælato, & religiosæ disciplinæ, non potest dici contemnere saltem graviter legem, etiam si habeat animum non servandi Regulam in aliis; contemptus autem etiam formalis legis in materia levi non est mortale, sed tantùm veniale: ut contra Suarium docent Armilla, Medina, Valentia, Lessius quos refert, & sequitur Diana 3. *parte t.* 6. *resol.* 72.

An autem hæc vota debeant esse absolutæ, & perfectæ castitatis, paupertatis, & obedientiæ? major est difficultas; affirmant omnes illi, qui sentiunt Equites Ordinis militaris non esse veros Religiosos, hi sunt Sotus Aragonius, Sarmiento, & alii quos refert Rodrig. *Tomo* [illegible] *quæstione* 5. Cruz, Ledesma, & alii multi quos refert Diana 1. *parte, tract.* 2. *resol.* 50. Lezarte, Azevedo, & alii quos refert Sanch. *lib.* 4. *decalogi cap.* 16 *num* 11. Medina, Mandosius & alii, quos refert Joannes Sancius *in selectis disp.* 40. *numero* [illegible]0 Brito *de locato* 1. *parte, cap.* 2. *num.* 43. Llamas 3. *parte* §. 25. Trullenc. *in decalogum libro* 2. *capite* 2. *dubio* 18. *numero* 1.

Dico tamen II. Contrariam sententiam probabi- 46

babiliorem esse; hanc tenent Navarrus, Garcia, Mota, Rodrig. & alii quos refert, & sequitur Sanch. *ubi suprà* Pontius, Cenedo, & alii quos refert & sequitur Diana *ubi suprà*, Ledesma, Barbosa, & alii quos refert, & sequitur Joannes Sancius *ubi suprà*. Lezana *Tomo 2. cap. 5. n. 6.* Palaus *tract.*
47 *16. disp. 1. puncto 1. n. 4.* Ratio fundamentalis est, quia ad verum statum religiosum non requiritur,
48 quod paupertas privet dominio neque omni usu, & administratione rei familiaris: nec quod casti-
49 tas privet etiam copula conjugali omninò, neque quod obedientia comprehendat quidquid bonum est, & perfectum, ergò omnimoda, & absoluta paupertas, castitas, & obedientia non est omninò necessaria ad statum religiosum.

Probatur antecedens discurrendo per omnia membra, & in primis de paupertate patet, quia Religiosi societatis Jesu primæ professionis sunt veri Religiosi, & tamen habent dominium suorum bonorum, quod verò neque requiratur privatio totius rei familiaris, patet, quia sufficit quod in aliquibus casibus privet tali usu, ergò cùm votum paupertatis privet in aliquibus casibus Equites usu suorum bonorum, quia non possunt illis uti absque voluntate Magistri Ordinis, hoc sufficit, ut sit votum de consiliis Evangelicis, ac per sequens sufficiens ad constituendum verum statum religiosum.

50 Deindè de castitate constat, quia licèt non privet ipsos Equites copula conjugali, privat tamen illos in aliquibus diebus, in quibus juxta suam Regulam debent abstinere ab uxoribus: sed hoc sufficit, ut sit opus consilii: ergò *&c.*

51 De obedientia etiam constat, quia etiam sufficit, quod in aliquibus casibus teneantur obedire magnis Magistris, quod secundum suas leges sæpè tenentur facere: sed hoc etiam sufficit, ut sit opus consilii, ergò sufficit ad constituendum verum statum religiosum.

Nec obstat *Cap. cum ad monasterium*, in quo nituntur contrarii, nam ibi nomine proprietatis intelligit Pontifex usum liberum, & expeditum, non dominium rei, ut latè probat Palaus *ubi suprà.* & idem dicendum est de castitate nam *ibi* non loquitur Pontifex de equitibus, at de monachis, vide alias solutiones apud prædictos Doctores.

52 Sed quæres, an hæc vota substantialia constituentia statum religiosum debeant semper esse solemnia, an sufficiant simplicia? Respondeo sufficere simpliçia, & hoc adeò verum est, ut dicat Vasquius, quem refert, & sequitur Sanchez *in summa lib. 5. cap. 1. n. 24.* esse de fide definitum in bulla *ascendente Domino*, ubi definitur à Gregorio VIII. Patres Societatis primæ professionis esse, & semper fuisse veros Religiosos, ubi nota, hoc illis non competere ex privilegio; ut aliqui non verentur asserere, sed ex natura rei, ut patet ex il- 53
lis verbis, *esse veros Religiosos, & semper fuisse*, nam si hoc nunc habent ex privilegio non semper fuêre veri Religiosi, quod est contra ipsam Bullam, ut notavit Pontius *de matrim. lib. 7. cap. 7. n. 5.*

Deindè probatur alia ratione, nam in lege scri- 54
pta ut *sectione prima* latè probatum est, fuit verus status religiosus, & tamen vota tantum erant simplicia, ut omnes admittunt, & idem de tempore 55
nascentis Ecclesiæ affirmat Pontius, quem refert & sequitur Palaus ubi *suprà.* ergò vota tantùm simplicia sufficiunt ad constituendum verum statum religiosum.

An autem ex hac doctrina sequatur nostros 56
Donatos primæ professionis esse veros Religiosos, non est difficultas contemnenda? Et in primis ut ante illius discussionem, certa ab incertis separemus suppono ut certum & indubitabile, nostros Donatos secundæ professionis esse, & semper fuisse veros Religiosos, ut benè notavit Lezana *Tomo 2. cap. 8. n. 2.* & pro certo tenuêre omnes DD. Salmanticenses de hoc puncto interrogati, prout videre est in quadam disputatione, quam de hac materia edidit nost. doctissimus Petrus ab Angelis, & est constans consensus totius Religionis: 57
est enim eorum professio solemnis, ut patet *ex 2. parte nostrarum Constitutionum cap. 3. n. 4. & 5.* siquidem emittunt tria vota substantialia, profitendo Regulam approbatam in manu Prælati potentis eos aggregare Religioni, in quo consistit essentia veri Religiosi, ut tradunt omnes DD. & jura proclamant.

Nec obstat si dicas Regulam non fuisse pro Donatis etiam secundæ professionis confirmatam ab 58
Ecclesia. Respondetur namque Regulam fuisse pro omnibus sivè Choristis, sivè laicis, sivè Dona- 59
tis confirmatam, & quod isti Donati hoc, vel illo habitu utantur per accidens est, nam etiam conversi in pluribus Religionibus non utuntur omni habitu Clericorum, sed aliquantulum diverso, & tamen in omnium opinione sunt veri Religiosi; præterea quia talis modus vivendi cum tali habitu sub Regula primitiva fuit ordinatus à Capitulo generali authoritate Clementis VIII. in Bulla quæ incipit *quæ ad sacrarum Religionum perfectionem.* ergò hoc nihil impedit, ut tales Donati sint veri Religiosi.

Con-

Confirmatur, quia Donati nostræ Congrega-
60 tionis Italiæ sunt veri Religiosi, ex confirmatione expressa PAULI V. ergo eadem potiuntur nostri
61 Donati secundæ professionis, siquidem omnia indulta, privilegia, gratiæ, & favores, prærogativæ & facultates, prædictæ Congregationi singulari busque illius personis concessæ, nostræ Congregationi, & illius singularibus personis competunt verè ac propriè, ac si iisdem specialiter concessæ essent, ut patet ex Bulla CLEMENTIS VIII. quæ incipit *Pastoralis offici:* data Romæ die 20. Decembris, anno 1593. nec non ex alia, quæ incipit *Cum*
62 *dudum* data Romæ die 13. Junii anno 1622. ergò prædicti Donati sunt veri Religiosi. Et ita supponitur à Papa; nam cum PAULUS V. præciperet ne nostri Religiosi ad aliam possent transire Religionem, ac postea GREGORIUS XV. interrogatus, an sub tali decreto nomine Religiosorum comprehenderentur nostri Donati professi declaravit, in prædictis Apostolicis indultis comprehensos fuisse, & esse: nec illis antè licuisse, nec deinceps licere transitum ad quamcumque aliam Religionem excepta Cartusia, ut *infra* dicemus: Ergo supponit Pontifex tales Donatos fuisse, & esse veros Religiosos, undè in hoc nullam reperio difficultatem.

Tota igitur difficultas est, an nostri Donati primæ professionis sint veri Religiosi? & partem negantem videtur tenere noster Ildephonsus à JESU-MARIA collector & scholiastes nostrorum privilegiorum *pagina* 81. *num.* 6. ubi loquens de Donatis primæ professionis ait, esse personas Ecclesiasticas gaudentes privilegio fori, & Canonis; de aliis autem Donatis professis ait, nihil dicendum, quia sunt veri Religiosi, ex quibus verbis à contrario sensu colligitur in ejus sententia Donatos primæ Professionis non esse veros Religiosos: eandem sententiam tenet præfatus noster Petrus ab Angelis in quadam *disputatione*, quam edidit *de Donatis Carmelitarum*, *articulo* 4. §. 3. *numero* 6. Miranda *Manuali Prælatorum quæstione* 29. *art.* 2. *& alii*

Verùm contrariam sententiam reputo probabi-
63 liorem, & fortè certam hanc videtur tenere absolutè Lezana *Tomo* 2. *cap.* 8. *numero* 2. ubi referens *numero* 1. duplicem modum nostrorum Donatorum tàm primæ, quàm secundæ professionis, statim *num.* 2. addit certum esse Donatos, si tria vota, Religionis essentialia, obedientiam scilicet, castitatem ac paupertatem promittant, censendos fore verè Religiosos, atqui nostri Donati primæ professionis tria prædicta essentialia emittunt vota: ergò in sententia hujus eximii Doctoris sunt veri Religiosi.

Eandem sententiam videtur tenere Suarez *Tomo* 3. *de Religione libro* 6. *capite* 6. *numer.* 3. ubi ait 64
Omnis traditio (loquitur de oblatis) *cum tribus votis facta in Religione approbata, sufficit ad veram pro-* 65
fessionem, intelligendum est autem formaliter, quatenus approbata est, ita autem fieri, nihil aliud est, quam fieri secundum Regulam approbatam, ita ut, licèt quis non voveat directè observationem Regulæ, voveat obedire secundum illam, id est, quoties secundum illam fuerit præceptum, & profiteatur observare illam, ita ut subjectus maneat correctioni Religiosæ, si illam violaverit, & obligetur etiam ad deferendum habitum regularem, & similia: non potest autem inveniri oblatio cum tribus votis, hoc modo facta in Religione approbata, quin vera professio sit; huc usque Suarez; atqui nostri Donati primæ professionis, hæc omnia enumerata à Suario habent: ut constat *ex nostris Constitutionibus* 2. *parte cap.* 3. *numero* 4. deferunt
namque Religiosum habitum, & eorum professio, 66
licet non fiat directè secundùm Regulam, fit tamen indirectè, quatenus vovendo tria vota secundum modum præscriptum in nostris Constitutionibus, indirectè profitentur vivere secundum Regulam; nam in ipsis Constitutionibus eis præci-
pitur 2. *parte cap.* 3. *num.* 4. *in fine*, ut *ipsi tenean-* 67
tur ad observantiam Regulæ sicut cæteri Religiosi: deindè subjecti sunt correctioni Prælatorum: ibi
namque in *eodem cap.* habentur hæc, *teneanturque* 68
Prælati semifratres apostatas, sicut alios Religiosos quærere, & ad gremium Ordinis reducere, apostatarumque pœnis punire, ergò in sententia hujus gravissimi Doctoris, tales Donati sunt veri Religiosi.

Deindè probatur alia fundamentali ratione: nam ut aliquis vivendi modus cum vera unione & incorporatione, per tria vota simplicia, de se perpetua, fit vera Religio, non requiritur, ut expressè & formaliter sub ratione veræ Religionis approbetur ab Ecclesia: ut putavit Pellizz. *tract.* 1. *cap.* 3. *num.* 4. sed sufficit quod talis modus approbetur ab Ecclesia, ut sanctus & honestus, & detur facul-
tas emittendi, & acceptandi in illo tria vota, ut be- 69
nè, & eruditè probat Suarez *Tomo* 3. *de Religione lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 18. *&* 19. atqui modus viven-
di nostrorum Donatorum cum tribus votis sim- 70
plicibus ex se perpetuis, fuit approbatus ab Ecclesia, ut sanctus, & honestus, & data fuit facultas emittendi, & acceptandi in illo tria vota, ut patet

ex Bulla CLEMENTIS VIII. quâ priores Constitu-
tiones Carmelitarum Excalceatorum, in quibus
talis modus vivendi Donatorum primæ professio-
nis continebatur, ut laudabilis, & honestus, appro-
bavit, & confirmavit, ut testatur noster Petrus
71 ab Angelis *in disputatione prædicta de nostrorum Do-
natorum professione art. 3. §. 2. num. 4. 9. & 10.* er-
gò talis modus vivendi nostrorum Donatorum
constituit ejus professores veros Religiosos.

Confirmatur *primò*: quia PAULUS III. appro-
72 bando institutum Societatis in sua prima appro-
batione, non illud approbavit expresse in veram
Religionem, sed proposita tota ratione vivendi in
illo instituto illam confirmavit his verbis: *præmis-
sa omnia, & singula, tanquam ad spiritualem profe-
ctum eorundem sociorum & reliqui Christiani orbis
opportuna, Apostolica authoritate, tenore præsentium
confirmamus & approbamus*, ut notavit Suarez *loco
citato num. 20.* & tamen prædicta confirmatio
fuit sufficiens, ut talis modus vivendi etiam per
vota simplicia fuerit vera Religio, ut declaravit
PIUS V. & GREGOR. XIII. *in suis Bullis*; prout ibi
latè probat Suarez, ergò idem dicendum est de
modo vivendi nostrorum Donatorum, siquidem
ut bonus, & ad spiritualem profectum opportu-
nus, in Ecclesia Dei à CLEMENTE VIII. fuit appro-
batus, & confirmatus.

73 Confirmatur *secundò*: quia impossibile est ap-
probare modum vivendi in Communitate religio-
sa, & habentem omnia, quæ præter approbatio-
nem sunt de substantia religiosi status, & non ap-
probare illum ut sit vera Religio, etsi in approba-
tione hoc formaliter non exprimatur, ut rectè no-
tavit Suarez *loco citato*, at modus vivendi nostro-
rum Donatorum habet omnia, quæ sunt de sub-
stantia religiosi status, ut suprà vidimus: ergò im-
possibile est, quod ab Ecclesia, ut honestus, & bo-
nus approbetur, quin ut vera etiam Religio ap-
probetur: hæc ratiocinatio est Patris Suarii, *ubi
suprà.*

74 Confirmatur *tertiò*: quia illi solùm apostatæ di-
cuntur, & puniuntur pœnis apostatarum, qui
sunt veri Religiosi, ut docet Suarez *Tomo 4. de Re-
ligione libro 3. cap. 2. num. 1.* & cum eo communi-
ter DD: at sæpius dicti Donati per nostras Consti-
tutiones sunt apostatæ, & puniuntur pœnis apo-
statarum, ergò signum est esse veros Religiosos, &
75 ut tales recipi, & haberi à Religione. Nec obstat, si
dicas hujusmodi Donatos non profiteri secundum
Regulam ac secundùm modum, quo approbata est.
Nam contra hoc est, quod Donati tenentur ad ob-
servantiam Regulæ sicut cæteri Religiosi: ut pa-
ret ex *supradicta Constitutione*, sed alii Religiosi te- 76
nentur ad Regulam secundum quod approbata
est: ergò etiam Donati eodem modo ad eam obli-
gantur.

Nec etiam obstat, si dicas Regulam non fuisse 77
approbatam ad vivendum secundùm illam, cum
tribus votis simplicibus, ut faciunt prædicti Do-
nati, sed solemnibus. Nam contra hoc est, quod ad
hoc, ut aliquis modus vivendi sit simpliciter reli-
giosus, per accidens est, quod constet votis simpli-
cibus, aut solemnibus; nam solemnitas voti quid
accidentale est statui religioso: ergò si modus vi-
vendi, secundùm Regulam Carmelitarum, appro-
batus est absolutè, per accidens erit quod talis mo-
dus observetur per tria vota simplicia, aut solem-
nia: ergò nostri Donati primæ professionis sunt
veri Religiosi, quia licèt talis modus vivendi per
vota simplicia non fuisset secundùm prædictam
Regulam, posteà (ut diximus) à CLEMENTE VIII.
fuit approbatus, & ad veram Religionem redactus.
Hinc colliges per professionem horum Donato-
rum impediri matrimonium subsequens: non ta-
men dirimitur matrimonium ratum, cùm hoc so-
lùm fiat per professionem solemnem, ut suo loco
dicemus.

DICO *tertiò*: ad verum statum religiosum non 78
sufficiunt hæc tria vota, sed ultrà requiritur ex
parte volentis traditio seu donatio sui in potesta-
tem Religionis: quapropter in statu religioso duo 79
adsunt contractus: unus ex parte suscipientis Re-
ligionis, nomine DEI, quod fit per vota: alter fit
per traditionem subditi in potestatem Religionis;
à qua traditione potestas dominativa, quam ha- 80
bent Prælati in Religiosos provenit; quare subla-
ta hujusmodi traditione, nec Prælati haberent po-
testatem dominativam, nec status esset firmus &
immutabilis; quod autem Religiosi se possint tra-
dere, & donare Religioni patet: nam si quis acce-
pto pretio potest semetipsum vendere in servum, ut
omnes concedunt, quid mirum si in servum Reli-
gioni, seu potius DEO semet quis possit tradere.

Adverte tamen hæc tria vota, & hanc traditio-
nem non utcumque debere fieri, sed in Religione
approbata, & acceptata ab Ecclesia, & secundùm
Regulam approbatam, eo modo, quo *suprà* expli-
cavimus; nam licèt ex natura rei, & secundùm
nativam status religiosi institutionem sola dona-
tio cum tribus votis sufficeret ad verum statum re- 81
ligiosum: hodie tamen ex lege Ecclesiæ, & jure
Canonico talia vota debent fieri in aliqua Reli-
gione

gione approbata, undè si ita non fiant, nec vota, nec traditio valida sunt, sed omninò irrita: cùm enim Ecclesia possit, sicut quælibet alia respublica, apponere certas conditiones in donationibus, & permutationibus, quibus deficientibus nullæ sint, sic Ecclesia has conditiones in his votis, & traditionibus posuit.

82 Et ex his deducitur ad religiosum statum, si nativam ejus institutionem spectemus, nullam Pontificis approbationem requiri; tum, quia antè INNOCENTIUM III. plures fuêre in Ecclesia Religiones absque approbatione Pontificis sola cum approbatione Episcoporum, vel illorum non repugnantia: tum, quia Christus religiosum statum instituens sola donatione cum tribus votis contentus fuit. Verùm post Innocentium III. qui sibi Religionum approbationem reservavit *cap.* ne nimia *de religiosis domibus*, nulla potest esse Religio, quin ab Apostolica sede approbetur.

83 Quod si petas, in quo solemnitas votorum consistat? omissis variis Doctorum placitis, quorum latissimè meminit Pontius, *de Matrimonio libro 7. cap. 7.* Censeo consistere in eo, quod ex parte acceptantis relaxari, remittique liberè non possit; & cum hoc jure Ecclesiæ indultum sit, reservat enim Pontifex potestatem relaxandi Religiosorum professiones, qua reservatione cessante, possent Prælati Religiosos liberos demittere, ut quondam sæpè legimus fecisse sanctos Patres, fit indè, solemnitatem professionis solo jure Ecclesiastico inductam esse, ut habetur, *cap.* unico *de voto in 6.* quod autem in nullo alio quam in illa reservatione hæc solemnitas consistat, probatur.

84 Quia hæc solemnitas non potest consistere in eo, quod reddat Religiosos incapaces dominii, & matrimonii: nam coadjutores formati Societatis JESU sunt inhabiles ad matrimonium, & ad acquirendum dominium, & tamen eorum professio non est solemnis: ergò non ex eo quod vota reddant Religiosum incapacem dominii, & matrimonii

85 sunt solemnia: item Equites militares D. Jacobi sunt capaces dominii, & possunt ducere uxores, & tamen eorum professio est solemnis, ergò quod vota reddant capacem vel incapacem dominii, vel matrimonii, per accidens erit ad solemnitatem professionis; in hoc ergò consistet solemnitas votorum, quòd Religiosi non possint liberè dimitti à Prælatis, & ideò coadjutores formati Societatis, non sunt solemniter professi, quia adhuc possunt à Prælatis liberi à votis dimitti; Equites verò ideò sunt solemniter professi, quia non possunt liberi à votis dimitti. Ita Palaus *suprà num. 6.*

SECTIO III.

Quotuplex sit status religiosus, & quæ Religio perfectior?

86 *Inter Religiones non datur diversitas essentialis, sed tantùm accidentalis.*

87 *Hæc diversitas est necessaria ad ornatum Ecclesiæ.*

88 *Status religiosus dividitur in vitam contemplativam, activam, & mixtam.*

89 *Quæ Religiones vitam activam amplectantur?*

90 *Quæ contemplativam?*

91 *Quæ mixtam?*

92 *Quæ vitam mixtam amplectitur perfectior est aliis.*

93 *Vita mixta includit perfectionem contemplativæ & aliquid ampliùs.*

94 *Actiones vitæ activæ sunt virtualiter dilectionis Dei.*

95 *Impossibile est moraliter, quòd homo semper sit in exercitio actuali dilectionis Dei.*

96 *Christus amplexus est vitam mixtam.*

97 *Ex Religionibus, quæ vitam mixtam profitentur illa est perfectior, quæ excedit omnes in contemplatione, & à nulla exceditur in charitate erga proximos.*

98 *Ex Religionibus, quæ vitam mixtam profitentur, illa est perfectior, quæ habet media efficaciora, & magis proportionata ad Dei contemplationem, & exercitium charitatis erga proximos.*

99 *Si cætera sint paria in fine, & efficacia mediorum, illa est perfectior, quæ majorem etiam vitæ austeritatem, paupertatem, & psalmodiam observat.*

100 *Illa Religio mixta est perfectior, quæ non solùm prædicatione, sed etiam austeritate, & psalmodia proximum adjuvat.*

101 *Qui dicantur magni in regno cœlorum?*

102 *Christus prius jejunavit, quàm prædicavit.*

103 *Austeritates, & exercitium psalmodiæ non sunt media contraria aut improportionata prædicationi.*

104 *Imò facilius stimulant homines ad pœnitentiam, ac devotionem.*

105 *Apostoli nihil possidebant.*

106 In

106 *Incedebant discalceati, sandaliis tantùm calceati.*

107 *Magnam in victu & vestitu habuere austeritatem.*

108 *Quomodo dicatur Christum duxisse vitam communem?*

109 *Exercitium psalmodiæ est medium opportunum ad proximi charitatem.*

110 *Christus antequàm majus omnium charitatis opus patraret erga homines, scilicet mortem subire, psalmodiam exercuit.*

111 *Cantus psalmorum maximè incitat ad devotionem.*

112 *Quomodo non opponatur exercitium psalmodiæ prædicationi verbi Dei?*

86 DIco I. Inter Religiones nulla est diversitas
essentialis, sed tantùm accidentalis: ita com-
muniter DD. ratio est, quia vota substantialia
Religionis, & traditio, quæ fit per professionem,
in quibus consistit tota substantialitas status reli-
giosi non habent inter se diversitatem substantia-
lem, sed tantùm accidentalem. Inde evidenter se-
87 quitur omnes Religiones convenire in eadem es-
sentia, licèt per accidens, ratione diversorum me-
diorum, differant inter se accidentaliter. Est au-
tem hæc diversitas optima, tùm ad ornatum Ec-
clesiæ, tùm ad utilitatem fidelium, quibus propter
varias inclinationes unicus vivendi modus non
poterat esse accommodatus. De hac Regularium
Institutorum mirabili varietate concinnè mirifi-
cèque, suo more disserit noster Vener. sapientissi-
musque P. Joannes à JESU MARIA *Tomo 2. ope-
rum suorum* in disciplina Monastica *par. 2. c. 4.*

DIco II. Ex parte finis dividitur status religio-
88 sus in vitam activam, contemplativam, & mix-
tam. Activam amplectuntur, qui ex suo instituto
89 operibus misericordiæ incumbunt, ut sunt Reli-
giones militares, & hospitalariæ, qui Martham
imitantur. Contemplativam amplectuntur, qui
90 contemplationi, orationi, & lectioni vacant; ut
sunt Religiones monachales S. Benedicti, Basilii,
91 Hieronymi, Bernardi, Brunonis; Illi verò mixtam
ex contemplatione, & actione amplectuntur, qui
utrumque suo tempore exercent, ut sunt Ordines
Mendicantes scilicet S. Dominici, Francisci, Au-
gustini, Carmelitarum, & Societatis JESU, qui si-
mul, & Martham, & Mariam imitantur, quam vi-
tam, utpote perfectiorem, Christus exercuit, & ejus
Apostoli fuère sectati. Verùm quia ad consecutio-
nem cujuscumque ex supradictis finibus quælibet
Religio diversa media apponit; hac de causa inter
se distinguuntur, & una ab alia diversum corpus
constituunt: & idem dicendum est de moniali-
bus, nam inter eas eadem est divisio, quæ inter eo-
rum Fratres; nam accessorium sequitur naturam
principalis.

DIco III. Inter omnes Religiones illæ sunt 92
perfectiores, quæ vitam mixtam amplectuntur, ita
communiter DD. apud Suarium *Tomo 4. de Reli-* 93
gione tractatu 9. lib. 1. cap. 6. num 8. Ratio autem
est, quia hæc vita mixta includit totam perfectio-
nem vitæ contemplativæ, & in nullo eam dimi-
nuit, sed potiùs addidit perfectionis aliquid: ergò
est absolutè perfectior: consequentia est clara, ma-
jor est certa: supponimus namque illam & contẽ-
plationi, & actioni simul intendere, minor verò
probatur, quia si illa pars, quæ activa est in aliquo
diminueret contemplationem, esset quia eo tem-
pore quo Religiosus occupatur in actibus charita- 94
tis erga proximos, distrahit, & occupat animum ne
actu possit Deum in se diligere per contemplatio-
nem, sed hæc ratio est nulla: ergò probatur hæc ul- 95
tima minor, quia illa actio, per se loquendo, non
retrahit hominem à dilectione Dei, tùm, quia talis
actio per se includit cognitionem de Deo, & de re-
bus divinis, tùm, quia cum hæc actio sit actus cha-
ritatis erga proximos, est etiam virtualis Dei dile-
ctio; tùm denique quia licet ista actio aliquantu-
lum retrahat hominem à dilectione Dei in se: hoc 96
non potest minuere perfectionem hujus vitæ: nam
impossibile moraliter est, quod homo semper sit in
actuali dilectione Dei: ergò si sæpè sæpiùs in aliis
etiam contemplativus Eremita occupatur, melius
erit in his operibus charitatis occupari.

Tandem idipsum probatur, quia hujusmodi vi-
ta fuit, quam Christus Dominus, & Parens noster
S. ELIAS, & Apostoli secuti sunt, ut latè probat Sua-
rez *ubi sup.* ergò illa est omnium perfectissima.

DIco IV. Ex Religionibus, quæ vitam mixtam 97
profitentur illa est perfectior, quæ ex suo genere
taliter participat de contemplatione, ut cùm o-
mnes excedat in contemplatione, à nulla in proxi-
morum charitate exceditur. Ratio est evidens;
nam hujusmodi Religio ex suo fine amplius parti-
cipat de contemplatione quidquid ad perfectio-
nem propriam est necessarium, & deindè æqua-
tur aliis in exercitiis charitatis erga proximos, er-
gò inter omnes præstantior est.

DIco V. Inter Religiones, quæ vitam mixtam 98
modo dicto profitetur illa est perfectior, quæ habet
media efficaciora, & magis proportionata ad Dei
con-

contemplationem modo dicto, & exercitium charitatis erga proximos exequendum. Ratio est, quia illa Religio est perfectior, quæ cæteris paribus habet media efficaciora, & suo fini magis proportionata, sed finis vitæ mixtæ, est Dei amor per contemplationem, & proximi charitas per exercitium bonorum operum: ergo illa Religio mixta perfectior erit, quæ meliora, & efficaciora media ad consecutionem hujus finis obtinebit: consequentia patet; nam omnes Religiones, quæ vitam mixtam profitentur conveniunt in fine, ergo si aliquem habent excessum inter se, erit ratione mediorum.

99 Dico VI. Inter Religiones, quæ vitam mixtam profitentur, si cætera sint paria in fine, & in perfectione atque efficacia mediorum ad finem, illa est perfectior, quæ majorem etiam vitæ austeritatem, paupertatem, & exercitium chori observat: ita Suarez, *ubi supra num.* 32. & noster Nicolaus à JESU-MARIA *libro infra citando*, aliique plures. Ratio hujus est, quia hæc Religio habet omnia alia, & deinde addit asperitates, paupertatem severiorem, exercitiumque chori, ergo absque dubio perfectior erit.

100 Et hinc colliges illam Religionem mixtam esse perfectiorem quæ non solum intendit proximum adjuvare prædicatione verbi Dei, & doctrina, sed
101 simul illum docet exemplo videlicet austeritate, & asperitate vitæ, paupertate, vigiliis, & abstinentiis, unde Christus non dixit, qui docuerit, hic magnus
102 vocabitur in regno cælorum, sed *qui prius fecerit, & docuerit*, ergo debet quis in se ipso pœnitentiam, mortificationem, & vitæ asperitatem primùm exercere, quàm aliis prædicet: unde Christus prius per quadraginta dies jejunavit, esurivit, & sitivit, quam se prædicationi dederit: ac de Apostolis legimus, non tam verbo quam exemplo vitæ totum Orbem subjugasse.

103 Nec enim asperitas vitæ, vigiliæ, strictior paupertas, abstinentia ab esu carnium, nuditas pedum, vilitas vestium, exercitium chori, contraria, aut minus proportionata media sunt ad prædicationem verbi Dei, ad perducendos homines ad Dei amorem, & cognitionem, imò potius quidam sunt stimuli homines vehementer incitantes ad pœnitentiam, & devotionem, quâ enim sanctus Fran-
104 ciscus Xaverius partem non modicam orbis convertit? certe non tam verbis, quam vitæ austeritate, extrema paupertate, aliisque similibus virtutibus, quibus omnes ubique in admirationem rapiebat.

Dices asperitas vitæ, nimia paupertas, nuditas pedum, abstinentia à carnibus, exercitium chori minus convenientia sunt illi Religioni quæ pro fine habet vitam mixtam: nam hæc Religio non solum debet vacare contemplationi sed prædicationi verbi Dei, & si necesse fuerit ad salutem proximi per orbem discurrere: ergo hæc exercitia non sunt illi proportionata: quod patet exemplo Apostolorum: nam eorum vitæ norma fuit à Christo instituta omnium perfectissima, & tamen non fuit fundata in certa, aut uniformi austeritatis regula, cum fini eis proposito discurrendi per universum orbem ad prædicandum, asperitas vitæ ex regula ipsius minus conveniret: ergo, &c. Deinde ipse Dominus noster Jesus Christus, qui omnium fuit perfectissimus, non duxit vitam austeram, sed communem in victu, & vestitu: ergo ad hoc ut Religio vitam mixtam complectens sit perfectior non est necesse, ut asperiora & duriora exercitia habeat, sed sufficit quod melius prædicationi verbi Dei, & doctrinæ insistat.

Respondetur hanc objectionem dolo, & fallacia non carere, & ut ejus falsitas clarius elucescat exemplum retorquemus: si enim nobis vitam A- 105
postolorum, ut omnium perfectissimam proponit, absque dubio certum est, in illa omnem asperitatem, paupertatem, nuditatem, & psalmodiæ exercitium videri posse. Quid enim Christus dixit suis 106
Apostolis, cum eos ad prædicandum misit? Matthæi *cap.* 10. præcepit eis inquiens: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam, &c. Neque duas tunicas, neque calceamenta, &c.* & Lucæ cap. 9. *Nihil tuleritis in via, neque peram, neq; panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.* Ac Marci c. 6. *Præcepit eis, ne quid tollerent in via, non peram, non panem, neque in zona æs, sed calceatos Sandaliis, &c.* Videsne Apostolorum vitæ asperitatem, & summam rerum omnium in ipsis egestatem? videsne eos Excalceatos? non ergo divitiæ, corporisque commoditates sunt media magis opportuna ad prædicationem verbi Dei, conversionemque animarum: siquidem Christus ejusmodi dedit præcepta, qui normam dedit perfectissimam suis discipulis: ergo illa Religio, quæ non utitur calceamentis, & rigidiori utitur paupertate, accommodatior est ad prædicationem verbi Dei, siquidem magis accedit ad perfectionem Apostolorum.

Quoad austeritatem vero in victu, & vestitu, 107
vide quod ait Apostolus 2. ad Corinth. c. 11. *In vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate, &c.* Et 1. ad Corinthios 9. de se ipso

ipso dicit Apostolus, *castigo corpus meum, & in servitutem redigo; ne forte cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar:* ergo juxta Apostolum prius nosmetipsos debemus per pœnitentias domare, quàm aliis prædicare: ergo illa Religio, quæ ad prædicationem rectam verbi Dei utitur hujusmodi exercitiis, optimum locum inter omnes debet habere.

108 Nec obstat id quod dicitur de Christo, qui vitam duxit communem in victu, & vestitu. Respondetur namque Christum ideo duxisse vitam communem in victu, & vestitu, quia ex oblatis sibi in eleemosynam victitabat; unde non cum regibus vitam duxit communem, cum tamen esset rex, sed cum pauperibus, & hoc non semper, sed ad tempus, aliquando enim etiam per quadraginta dies à cibo, & potu abstinebat; sed hoc totum erat necessarium, quia non solum debebat esse exemplar arctissimis Religionibus, sed etiam minus arctis, & denique omnibus, ut omnes lucrifaceret. Vide pleniorem hujus objectionis solutionem apud præfatum nostrum Nicolaum *libro mox citando propositione 26. & quatuor seqq.* ubi ex SS.PP. more solito eis solidissimè doctissiméque satisfacit, &c.

109 Quod autem etiam usus psalmodiæ ad hoc fit mediũ ordinatissimum constat, tum ex facto Christi, qui antequam ad perfectissimam omnium

110 actionem charitatis descenderet, prius cum discipulis hymnum recitavit, ut constat ex Matthæi 26. *Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti:* ut nos instrueret, quod tunc actio charitatis erga proximos ex omni parte esset absoluta, quando Religiosus ex choro ac psalmodia ad illam exercendam exierit; tunc enim prædicator verbo & opere prædicabit, quando ex choro ad pulpitum, & ex pulpito ad chorum descenderit, ut non semel ego vidi in hac nostra Congregatione Carmelitarum Discalceatorum.

111 Tum, quia cantus psalmorum maximè incitat fideles ad devotionem, ut testatur Augustinus *libro 9. Confessionum capit. 6.* ubi ait: *quantum flevi in hymnis, & canticis tuis suave sonantibus? Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum & ex ea æstuabat affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & benè mihi erat in eis.* Et lib. 10. cap. 33. *Cum reminiscor,* ait, *lachrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ in primordiis recuperatæ fidei meæ, &c.* Tantum psalmorum cantus juvabat Augustinum ad conversionem, & devotionem, cur etiam alios non juvabit, non est ergo medium à fine conversionis animarum, & charitatis proximi, quam intendit vita mixta, alienum.

Dices usus psalmodiæ non potest simul esse cum ministerio prædicationis: unde ut aliquis possit hoc officium exercere frequenter ab onere chori eximitur; quia, ut ait D. Thomas 2. 2. *quæst. 91. articul. 2. ad 3. Diaconi, & Prælati, quibus competit ex officio per prædicationem & doctrinam provocare animos hominum in Deum, non debent cantibus insistere, ne per hoc à majoribus retrahantur.*

Respondeo, aliud esse loqui de singularibus personis, aliud de Communitate, & Congregatione: aliud loqui de tempore prædicationis, aliud de alio; non enim prædicator semper officium prædicationis exercet. Dico ergo, quod Religio eadem 112
simul potest attendere, & choro, & conversioni animarum, vel quia utrumque simul commodè perficere potest, distribuendo tempora ordinatè, vel quia non est tanta necessitas prædicationis verbi Dei, ut omnes exponere cogatur, ut experientia constat, in omnibus Religionibus, etiam illis, quæ non habent chorum, in quibus etiam non omnes Religiosi sunt prædicatores: unde quidam possent choro destinari, & alii prædicationi, vel lectionibus. Sed de his videre non omittas nostrum *Nicolaum à* JESU-MARIA, qui totam hanc doctrinam ex sacris, SS.Patribus, maximeque S. Thoma egregiè dilucidat in suo pluries in variis Provinciis, & bis Romæ intra biennium, recuso opere, quod inscripsit, *Apologiam perfectionis vitæ Spiritualis,* sive *Propugnaculum Religionum omnium, sed maximè Mendicantium, &c.* Quod Universitas Duacensis an. 1630. denuo recudi fecit sub hoc titulo: *Altare incensi:* sive *Aurea methodus se suaque omnia ad majorem Dei gloriam, animæ suæ salutem, proximique ædificationem ordinandi: centum assertionibus doctè solidèque discussis, naturam perfectionis spiritualis demonstrans, & quasi propugnaculum omnium Religiosorum maximè Mendicantium exhibens.*

DISPVTATIO II.

De receptione, obligationibus & privilegiis Novitiorum.

SECTIO I.

Qui possint ingredi Religionem, & qui ab illius ingressu arceantur?

1 *Qui sunt ingressuri Religionem debent habiles esse secundum jus.*

2 *Qui dicantur habiles ad ingrediendum Religionem?*

3 *Qui validè sed illicitè ingrediantur Religionem?*

4 *Quid per criminosos intelligatur?*

5 *Quæ crimina ad hoc requirantur?*

6 *Quomodo post criminis absolutionem, vel punitionem in judicio, delictum maneat occultum ad hunc effectum?*

7 *Quid per ære alieno gravatos intelligatur?*

8 *Qui possint ingredi validè, & licitè Religionem?*

9 *Vt ingressus sit licitus requiritur libertas, quæ coactioni opponitur.*

10 *Hæc conditio si desit, annullat professionem non tamen ingressum.*

11 *Cogere aliquem ad ingressum Religionis est peccatum mortale.*

12 *Cogentes fœminam ingredi Religionem incurrunt excommunicationem, aliquibus casibus exceptis.*

13 *Quæ personæ hanc censuram incurrant?*

14 *Hæc excommunicatio non comprehendit cogentes fœminam ad ingressum educationis causa, vel assecurationis.*

15 *Nec cogentes viros ad ingressum Religionis.*

16 *Quando censeatur pater rigide tractans filiam cogere illam ad ingressum.*

17 *Qui sunt casus, quibus potest fœmina cogi ad ingrediendum Religionem, & profitendum?*

18 *Qui impedit virginem ne profiteatur excommunicatur.*

19 *Non tamen qui impedit ingressum Religionis.*

20 *Excommunicatio non incurritur, nisi in casibus in jure expressis.*

21 *Vt ingressus sit licitus non debet esse simoniacus.*

22 *Professio, vel ingressus simoniacè facti non sunt irriti, licet sint illiciti.*

23 *Vt ingressus sit validus debet recipiens habere potestatem recipiendi.*

24 *Hæc potestas de jure communi solum competit Abbatibus, & Præpositis monasteriorum.*

25 *Ex privilegio competit etiam Generalibus, & Provincialibus unà cum Capitulo Conventuali.*

26 *In Societate* JESV *solus Generalis per se, vel per alium potest recipere novitios ad professionem.*

27 *In nostra Religione Carmelitana hoc competit Provincialibus unà cum Capitulo Conventuali.*

28 *Prælati non tenentur sub mortali recipere volentes ingredi, etiam si sint idonei.*

29 *Imo etiamsi habeant votum ingrediendi Religionem.*

30 *Vt ingressus sit licitus debent fieri informationes de vita, moribus, & genere.*

31 *Quomodo sint hujusmodi informationes faciendæ?*

32 *A quibus fieri possint?*

33 *Præter impedimenta, quæ dantur de jure communi, dantur alia in qualibet Religione de jure speciali.*

34 *Quæ impedimenta de jure nostro impediant ingressum in nostra Congregatione?*

35 *Hæc impedimenta de jure communi non annullant professionem.*

36 *Poterunt tamen annullare de jure speciali, nisi fiat Novitiis protestatio, quod si tales defe-*

ctus habeant, professio sit nulla.

37 *Secus dicendum est, quando non fit illis talis protestatio, nec lex jubet, ut illis fiat, sed tantum prohibet, ne cum talibus defectibus admittantur.*

38 *Solus error personæ annullat matrimonium.*

39 *Deceptio circa substantialia annullat professionem.*

40 *In nostra Congregatione secluso decreto Provinciæ Lusitaniæ si novitius interrogatus reticeat impedimenta, professio tenet.*

41 *Non omnis actus contra legem factus est irritus.*

42 *Quando alicui conceditur potestas cum aliquibus conditionibus, aliqua ponuntur pro forma substantiali, alia pro forma accidentali.*

43 *Hæc impedimenta in nostra Congregatione non sunt substantialia, sed accidentalia.*

44 *Novitius qui interrogatus celat aliquos defectus, post professionem si in illis deprehendatur, potest expelli.*

45 *Qualis probatio criminum requiratur ad hunc effectum?*

46 *In hac nostra Provincia Lusitaniæ dantur aliqua impedimenta substantialia.*

47 *Quæ sint, enumerantur.*

48 *De quibus criminibus intelligatur hoc decretum irritans?*

49 *Delictum occultum omnino, non causat notam, vel infamiam, quomodo in Sodomitæ hoc intelligatur?*

1 PRo faciliori expositione doctrinæ tradendæ in hac *sect.* notandum est, illos, qui volunt ingredi Religionem debere esse habiles, nec habere aliquod juris impedimentum; hæc autem juris impedimenta, vel possunt esse annullantia, vel solum impedientia; ita, ut licet ingressus sit validus, sit tamen illicitus.

2 Dico igitur I. Exceptis Episcopis, & qui potestate Episcopali funguntur, servis, amentibus, & conjugatis, omnes alii, si saltem 15. annum habeant, nullum habent impedimentum quo minus validè possint ingredi Religionem. Dixi *vali-*
3 *dè*; nam licet Sixtus V. *in sua Constitutione* inhabiles fecerit non solum ad professionem, sed etiam ad habitus sumptionem illegitimos, criminosos, & ingenti ære alieno gravatos, & ratiociniis reddendis obstrictos, postea tamen Clemens VIII. quoad nullitatem professionis, seu inhabilitatem ad habitum, seu professionem, revocavit, licet quoad pœnas, tam ingredientibus, quàm recipientibus ibi impositis quantum ad ingressum in sua vi, & firmitate reliquerit: Gregorius quoque XIV. prius sustulerat, quod de illegitimis disposuerat Sixtus V.

Per criminosos autem intelliguntur, qui furta, 4
latrocinia, rapinas, homicidia, aliave crimina patrarunt, timentque ob ea se puniendos esse, & ut 5
punitionem fugiant, ad Religionem confugiunt; quare hæc crimina debent esse publica, non occulta; nam ob crimina occulta punitio non timetur; & non quomodocumque publica, sed de quibus 6
specialis inquisitio facta est, neque reus absolutus est, nec punitus; nam stante absolutione, delictum manet occultum, & stante punitione, fini 7
Constitutionis est satisfactum, & consequenter poterit ingredi Religionem, non solum validè, sed etiam licitè, quæ omnia tradit cum Suar. Palaus *de statu religioso disp.* 1. *p.* 7. Per gravatos autem ære alieno intelliguntur illi, qui culpa sua in impotentiam satisfaciendi devenerunt, si tamen spem habeant aliquando satisfaciendi.

Possunt ingredi non solum validè, sed etiam 8
licitè Religionem Episcopi de licentia summi Pontificis, ut colligitur ex cap. *Nisi cum pridem.* Item omnes Prælati Episcopo inferiores, etiam contradicente Episcopo, nec ad hoc requiritur ejus licentia, sed tantùm debent eum monere, ut loco sui pastorem provideat; Suar. Azor. quos refert, & sequitur Palaus *supra numer.* 1. Lezan. *cap.* 24. *num.* 11. Item conjugati de licentia alterius conjugis post matrimonium consummatum; nam si tantum sit ratum, vel divortium factum sit, non requiritur talis licentia. Item servi, qui non sunt sui juris, de licentia suorum dominorum. Item filii puberes, qui non habent parentes in extrema, vel gravi necessitate constitutos, nisi alias manendo in Religione illis subvenire possint: denique omnes illi, qui fuerant criminosi, vel ære alieno gravati, & ratiociniis reddendis obnoxii, modo supradicto, possunt validè, & licitè ingredi Religionem; Imò ære alieno gravati, & ratiociniis reddendis obnoxii, solùm arcentur ab ingressu Religionis, quando certo domino sunt debitores, & manendo in sæculo per duos annos speratur, ut in toto, vel in parte satisfaciant; ita cum aliis Lezana *Tom.* 1. *qq. Reg. cap. cit.* & nostri Philippus à SS. Trinitate *Tom.* 3. curs. sui Theologici *Disp.* 4. *de statu religios. dub.* 3. & Francisc. Bonæ Spei *Tom.* 5. suæ Theolog. *Disp.* 8. *de statu relig. dub.* 2.

Dico II. Præter hujusmodi impedimenta, aliæ 9
con-

conditiones sunt observandæ, in receptione Novitiorum, ut ingressus sit licitus. *Prima* est libertas, quæ coactioni opponitur; hæc tamen conditio, esto professionem annullet, non tamen novitiatus ingressum, quia nullibi reperitur in jure expressum, & non debet extendi ultra casus expressos; quia, si professio coacta esset valida, indissolubilis esset, & injuria facta irreparabilis, secùs est de
10 novitiatu, qui solvi potest; cæterùm licèt coactio novitiatum non annullet, est tamen grave peccatum; quapropter Tridentinum *sess.* 25. ponit excommunicationem omnibus, & singulis personis cujuscumque qualitatis, & conditionis sint, tam
11 Laicis, quàm Regularibus, etiam qualibet dignitate fulgentibus, si quomodocumque coëgerint aliquam fœminam invitam, præterquam in casibus jure expressis, ad ingrediendum monaste-
12 rium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem; quique auxilium, consilium, vel favorem dederint, ut sunt omnes illi, qui debent interesse illi actui, uti sunt Episcopus, vel Prælatus dans licentiam, Moniales recipientes, Notarius & testes subscribentes emissam professionem; requiritur tamen coactio gravis, & metus cadens in virum
13 contestantem; Ita cum aliis Bordon. *Tom.* 2. *resol.* 54. *num.* 145. Hæc autem excommunicatio solùm est contra cogentes fœminas, non verò viros. Ita Suar. Sanch. & alii, quos refert, & sequitur Palaus *de statu religioso, disp.* 1. *part.* 9. *num.* 2.

14 Hoc verò intelligendum de ingressu ad statum religiosum assumendum, non de ingressu ad educationem, vel ad assecurationem fœminæ.
15 Unde, si pater rigidè filiam tractet, dummodo limites paternæ jurisdictionis non excedat, non incurrit excommunicationem, tametsi filia tædio af-
16 fecta, & causâ vitandi illum patris rigorem, habitum suscipiat; id enim per accidens est, & patri jure suo uti non est vertendum vitio; sine culpa autem non est punibilis; excommunicationem tamen procul dubio incurret, si paternæ jurisdictionis limites in rigore excedat.

Excludit autem casus in jure expressos; nam
17 in eis, (qui in rigore tantùm sunt duo,) possunt fœminæ cogi ad ingressum, & professionem religiosam. Primus est, si puella votum emisit Religionis, tunc cogi potest ad Religionem, si dispensationem voti non obtineat; secundus est, quando conjuges mutuo consensu ingressi sunt Religionem, & post professionem unius, alter vult recedere; quia in his casibus non cogitur quis ad Religionem, tanquam ad rem involuntariam, sed tanquam ad rem ex voluntate propria debitam. Ita Palaus *ubi suprà num.* 7.

Similem excomunicationem profert Trident. 18
sess. 25. *cap.* 18. adversus eos, qui virginem, aut aliam quamcunque mulierem quoquomodo, & sine justa causa à professione impedierint.

An autem incurrant etiam hanc censuram impedientes ingressum Religionis? affirmat Suarez, quem refert, & sequitur Bonacina *pun. finali, de excommunicatione, num.* 2. & noster Gabriel à S. Vincent. in suo Opere de censur. *disp.* 4. *quæst.* 5. *num.* 113. Sed contraria sententia probabilior est. Ita Sanch. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 15. Bordon. *Tom.* 2. 19
resol. 54. *num.* 147. nam Trident. id non exprimit, sicut exprimit contra cogentes, & pœnæ non incurruntur, nisi in jure exprimantur sub tali actione, qualis de impedimento ingressus non exprimitur. Megala *lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 101. *de censuris.*
Justa autem causa impediendi professionem est 20
omnis illa, per quam legitimè potest Novitia expelli, ut quia est inepta, vel inhabilis, ignorans, debilis ad onera, vitiosa, defectus dotis, &c. Ita Bord. *ubi suprà, num.* 147.

Secunda conditio in ingressu Religionis requisita, est immunitas à vitio simoniæ, sed quia de 21
hoc latiùs agunt Doctores in materia simoniæ, nolo in explicatione illius ampliùs hic immorari: solùm adverto, neque ipsam professionem simoniacè factam, nec ipsum ingressum Religionis ad probationem invalidos esse, quia nullo jure annullata inveniuntur.

Tertia conditio, ex parte admittentis Novitium se tenet, ut auctoritatem, & potestatem habeat ad illum admittendum; ita communiter Doctores. 22
Quinam autem Superiores habeant admittendi potestatem? Respondeo ex jure communi, competere solùm Abbatibus, seu Præfectis monasteriorum, simul cum Conventu, ut notat Glossa in 23
cap. fin. de regular. *lib.* 6. & constat ex *cap. Quanto de his, quæ possunt à Prælatis.*

De consuetudine verò, & ex privilegio Nico- 24
lai III. quod refert Pellizzarius *Tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 2. habent talem potestatem Generales in toto Ordine, & Provinciales in sua provincia unà cum Capitulo, nisi fortè lex aut constitutio Religionis in contrarium sit, ut re vera est in So- 25
cietate, in qua solus Generalis per se, vel per alium potest admittere Novitios.

Tandem circa hoc inspicienda sunt peculiaria

Religionum statuta, ut optimè notavit Palaus, *ubi suprà, num.* 13. In nostra autem Religione Carmelitarum discalceatorum solus Generalis,
27 vel Provincialis de consensu Capituli conventualis per vota secreta potest recipere Novitios, ut constat *ex 2. Part. nostrarum Constitutionum, cap. 2. num.* 5.

An autem prædicti Prælati teneantur sub mortali recipere ad Religionem eos, qui idonei fuerint? Affirmant Portel. Rebell. Molin. Vechius, Peyrinis, & alii, quos refert Bordon. *Tom. 2. resol.* 54. *num.* 137. quia id facere, esset retrahere volentem
28 ingredi Religionem; sed contraria sententia verior est. Ita Bord. *ubi suprà, num.* 138. nam impedire alicujus bonum, nullum est peccatum, nisi impeditus ad illud habeat jus, saltem ad rem; sed qui ingredi vult, nullum jus habet: ergo non dicetur iniquè impediri, nec Superior dicetur ipsum avertere à bono, sed simpliciter uti jure suo, non recipiendo aliquem ad Religionem, cùm ad id nullam habeat obligationem.

Sed quid, si volens ingredi habeat votum ingrediendi talem Religionem, tenebitúrne Supe-
29 rior propter votum eum recipere, si aliàs habilis sit? Respondeo negativè, propter eandem rationem, etiamsi nullam habeat causam negandi ingressum. Ita Bordon. *ubi suprà, num.* 139. nam per emissionem illius voti nulla obligatio inducta fuit in Superiore regulari, ergo sicut antea poterat illi negare ingressum, ita etiam postea; neque inde sequetur peccatum aliquod in vovente, qui non potuit adimplere votum, nam per eum non stetit, si aliàs adhibuit requisita ad ingressum, ut supponimus.

30 *Quarta* conditio est, ut fiant informationes de vita, genere, & moribus recipiendorum, juxta Constitutionem SIXTI V. limitatam à GREGORIO XIV. & CLEMENT. VIII. ut *suprà* explicuimus; de quibus supervacaneum reputavi latiùs tractare, cùm nullitas noviciatus, & professionis à SIXTO V. inducta, cessaverit, & modus informationis pro Novitiis recipiendis à recepta cujuslibet Religionis consuetudine præscriptus sit. Et quia, ut notavit cum Barbosa Palaus *ubi suprà,*
31 *num.* 14. CLEMENS VIII. Constitutionem incipientem: *In his.* edidit anno 1597. in favorem Conventus S. Stephani Salmanticensis, ex Dominicana familia, ut Novitiorum informationes de his, quæ secundùm Constitutiones interrogari debent, fierent coram Judice, & Notario publicè, vel coram aliquo Fratre ad id munus deputato, absque omni strepitu judiciario, sed solummodo simpliciter, & de plano, quo privilegio fruuntur 32
omnes Religiones cum eis communicantes, ut cum eodem Barbosa notavit Palaus *ibidem.* Quomodo autem in nostra Congregatione debeant fieri informationes, habes *in nostris Constitutionibus 2. part. cap. 2. num.* 17.

Hæc sunt impedimenta, quæ de jure Ecclesiastico impediunt Religionis ingressum, & conditiones, quæ ante ingressum purificandæ sunt. De 33
jure autem particulari cujuslibet Religionis alia dantur impedimenta, de quibus unusquisque consulat sua statuta. In nostra autem Religione 34
Carmelitana excalceata non possunt recipi hi, quorum parentes aliqua notantur infamia, aut ex descendentibus per sanctum Inquisitionis Officium punitis, sive à Judæis, Sarracenis, hæreticis, aut alterius sectæ professoribus usque ad quartum gradum. Item, qui morbo aliquo contagioso laborant: Item illi, qui semel è nostro noviciatu recesserunt, donec constet de causa sui recessus à Conventu, unde recesserunt, &c. Item conjugati altero conjuge in sæculo manente: Eunuchi, & illi, qui ex legitimo matrimonio non sunt procreati, nisi de licentia Patris Generalis, & Definitorii. Item, qui 17. annum non habuerint, vel qui quadraginta excesserint, nisi cum Prioribus per Provincialem, & cum aliis per Capitulum generale dispensetur. Ita habetur *in nostris Constitutionibus, cap. 2. num. 5. & sequentibus,* specialiter *num. 6. & 10.*

An verò hæc omnia impedimenta annullent 35
professionem? Respondeo, de jure communi non annullare, ut patet *ex cap.* Eam te. *de rescript.* ut cum Navar. Rodrig. & aliis tenet Lezana *Tom. 1. cap. 24. num.* 25. Palaus *de statu relig. disp. 2. part. 2. §. 2. num. 3. & ex cap. sicut nobis.* Ubi Abbas, & alii communiter.

An verò ratione Constitutionum particularium Religionum annulletur professio? Respondeo, hoc 36
ex forma quarumlibet Constitutionum debere constare. Unde, si in aliqua Religione detur decretum, quòd Novitii interrogentur de prædictis defectibus, cum protestatione, quòd si postea inventi fuerint tales defectus habere, vel aliquem ex illis, professio sit irrita; proculdubio talis professio erit irrita, si prædictum defectum celaverint; siquidem illi professioni deficit consensus ex parte Religionis requisitus; Rodrig. Sanch. quos refert, & sequitur Lezana *ubi suprà, num.* 26.

Secùs

37 Secùs dicendum est, quando non fit illis talis
protestatio, neque lex jubet, ut illis fiat, sed solùm
prohibet, ne cum talibus defectibus admittantur;
38 nam tunc talis professio erit valida; Ita Sanch.
Rodrig. Navar. Sorb. Lezana, & alii, quos refert,
& sequitur Pellizzarius *Tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 1.
39 *num.* 66. Nam sicut non omnis error, nec omnis
deceptio, sed solius personæ irritat matrimonium
carnale, ita nec professionem, sed solùm deceptio
versans circa substantialia, quales non sunt præ-
dicti defectus, sed tantùm accidentales, ut cum
multis latè probat Palaus *loco citato*, quæ doctrina
etiam intelligenda est, quando dolus, vel error
circa tales qualitates dedit causam contractui, li-
cèt aliqui teneant non improbabiliter oppositum,
sed de hoc *infrà*.

40 Et hinc colliges, quòd si in nostra Congrega-
tione Novitius reticeat prædicta impedimenta,
stando nostris Constitutionibus, & seclusa pro-
testatione, quæ in hac Provincia Lusitaniæ illis
fit juxta decreta nostri Capituli Provincialis, cele-
brati anno 1654. professionem tenere, & esse
validam, licèt contraria sententia etiam non sit
41 improbabilis, ut *infrà* dicemus. Nec obstat, quòd
in eadem Constitutione *loco citato* dicatur, quòd
qui tales defectus habuerint, non recipiantur, quia
non omnis actus contra legem factus est ipso jure
irritus; siquidem multa prohibentur fieri, quæ
tamen facta tenent, *cap.* ad Apostolicam, *de regul.*
In nostris autem Constitutionibus non extat de-
cretum irritans professionem aliter factam, sed tan-
tùm prohibetur, ne recipiantur, qui talia impedi-
menta habuerint.

42 Nec etiam obstat, si dicas, talem professionem
esse irritam, ex defectu potestatis in recipiente,
nam quando datur alicui potestas ad aliquid fa-
ciendum, & quando datur, præscribitur illi forma,
juxta quam debet operari, quidquid facere
tentaverit, formâ non servatâ, erit nullum, sed
quando in nostris Constitutionibus datur potestas
Prælato ad recipiendos Novitios ad Ordinem, &
Professionem, præscribitur illis forma, qua eos re-
cipere debet: ergo si aliquem receperit, formâ,
quoad prædicta impedimenta non servatâ, pos-
sessio secuta erit irrita.

43 Respondetur namque, in concessione alicujus
potestatis aliqua poni pro forma substantiali, quâ
non servatâ, actus redditur nullus; alia verò poni
pro forma, non substantiali, sed solùm ad ritè, &
rectè exercendam administrationem commissam,
ut colligitur *ex cap.* Sacro, *de sentent. excommunic.*
& in hoc sensu ponuntur illa impedimenta non
substantialia in nostris Constitutionibus, ut col-
ligitur ex illius verbis 2. *part. cap* 2. *num.* 10. ubi
ait: *Volentes autem omnia inconvenientia pruden-
ter devitare, &c.* hoc est: Non ad irritandam
professionem aliter factam, sed ut ritè, & rectè
absque inconvenientibus fiat; quia quando lex
ponit pœnam transgressoribus, non annullat
actum. *L. non dubium, Cod. de leg.* & tenet Bald.
in dicta lege, num. 28. Sanch. & alii, quos refert,
& sequitur Peyrinis, *R. P. quæst.* 31. *cap.* 1. *§.* 6.
num. 172. Sed nostra Constitutio non annullat
prædictam professionem aliter factam, sed apponit
pœnam privationis Prælatis aliter facientibus:
ergo.

Advertendum tamen, quòd licèt talis professio 44
fuerit valida, ut satìs probatum est, Religiosus
tamen, qui cum occulto illo impedimento non
substantiali professus est, potest ejici ex Religione,
ex privilegio bullato LEONIS X. quod refert Pel-
lizzarius *Tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 3. *quæst.* 15. *& eo-
dem Tom. tract.* 3. *cap.* 1. *num.* 67. ubi notat cum 45
Peyrinis, quòd ad hoc, ut ex vi præsentis privi-
legii, expelli possint præfati Regulares, non esse
opus, quòd eorum crimina, seu impedimenta,
sint per accusationem, denuntiationem, aut in-
quisitionem deducta ad judicium, sed suffi-
cere, quòd de his fuerint infamati, & no-
tati.

Ultimò tamen advertendum, quòd juxta de- 46
creta nostri Capituli Provincialis Conimbricæ
celebrati, auctoritate INNOCENTII Papæ X. anno
1654. in hac provincia Lusitaniæ, non tenere
professionem illorum, qui occultant morbum
contagiosum, vel aliquod crimen, ratione cujus
puniendi essent ab Inquisitione, vel si descendant 47
ex genere Judæorum, vel alterius sectæ, vel hæ-
resi infecto, in quocumque gradu, &c; siqui-
dem illis fit protestatio, quòd si reipsa tales de-
fectus habeat, Religio non habeat intentionem
illos recipiendi: quod decretum cùm non fit
factum à Capitulo generali, quomodo sit vali-
dum, difficultas gravissima est, de qua *infrà*, non-
nulla dicemus *disp.* 3. *sect.* 2. *num.* 75. *& sequenti-
bus.*

In præsenti solùm pro hoc decreto adverto, ut 48
crimina, ratione quorum puniendi sunt ab In-
quisitione, annullent professionem, debere esse
publica, saltem probabiliter, hoc est, quòd possint
probari

probari in judicio, vel ita publica, quòd notam aliquam causent; Ita in simili casu docet Palaus *de statu relig. disp.* 1. *punct.* 8. *num.* 7. Ratio est, quia hoc impedimentum solùm stabilitur propter periculum notæ, pœnæ, & infamiæ, sed si delictum est occultum, omnino cessat hæc ratio: ergo.

Sciendum etiam, quòd cùm in crimine sodomiæ, ad ejus cognitionem aperiatur via ex depositione unius testis, etiam complicis, qua depositione factâ, si adsint aliquæ aliæ præsumptiones, ut stricta amicitia, communicatio, vel fama de delicto commisso, reus comprehenditur, & in carceres sanctæ Inquisitionis detruditur, ut optimè pro illis regnis, ubi hic casus Inquisitionis Tribunali committitur, notavit Palaus, *Tom.* 1.
49 *tract.* 4. *disp.* 8. *part.* 12. §. 2. *num.* 11. sufficere, quòd unus commiserit cum alio tantùm sodomiam, si dentur prædictæ præsumptiones, ut famæ, amicitiæ, vel aliæ ad hoc, ut professio talis sodomiæ scelere maculati sit nulla, siquidem tale delictum potest probari in judicio saltem ad incarcerationem, & torturam, ut *ibi* advertit Palaus, in quo datur maxima infamia, quam Religio per talium exclusionem intendit vitare. Sed hoc debet intelligi, si adsint aliquæ præsumptiones, & de eo, qui commisit sodomiam completam, non verò de eo, qui etiam tentavit, vel qui etiam actum ipsum inchoavit, extra verò seminavit; nam hujusmodi nefarios homines, si alii actus completi non probentur saltem per unum testem, non possunt Inquisitores comprehendere, utpotè non veros sodomitas, super quos tantùm habent Inquisitores jurisdictionem, recipiuntur tamen dispositiones talium actuum, ut præsumptiones efficaces ad hoc, ut accedente unico teste de delicto completo sodomiæ, statim reus comprehendatur. Ita omnes Theologiæ Magistri Societatis Collegii Conimbricensis consulti in hoc casu responderunt.

SECTIO II.

De obligationibus Novitiorum, quoad annum Novitiatus.

50 *In omnibus Religionibus, exceptis militaribus, debet dari annus novitiatus.*

51 *Talis annus numeratur de momento ad momentum.*

52 *In anno bissextili quomodo debeat numerari?*

53 *Hic annus regulariter ab assumptione habitus, numeratur.*

54 *De rigore juris numeratur à die, quo Novitius, ut habilis ad Religionem à Prælato legitimè fuit receptus.*

55 *Gestatio habitus non est de essentia novitiatus.*

56 *Iste annus debet esse continuus.*

57 *Non interrumpitur autem, si Novitius per duos, vel tres dies deserat Conventum, animo non redeundi, si habitum non dimisit.*

58 *Novitius retinens habitum, opere continuat novitiatum, etiam si illi desit animus continuandi.*

59 *Exitus Novitii à Conventu, etiam furtivus, ad aliquod peccatum committendum, non interrumpit novitiatum.*

60 *Animus perseverandi, vel non perseverandi, non interrumpit novitiatum, si datur perseveratio.*

61 *In retentione habitus; virtualiter continuatur novitiatus.*

62 *Novitius recedens sine habitu, animo non redeundi, interrumpit novitiatum.*

63 *Contrarium probabiliter tenet Bordonus, si recedat tantùm per quinque dies.*

64 *Ita dicit Barbosa declarasse sacram Congregationem.*

65 *Ex privilegio annus interruptus per habitus dimissionem, potest iterùm de licentia Superiorum continuari.*

66 *Tridentinum tantùm postulat, quòd iste annus sit completus, non verò, quòd sit continuus.*

67 *Praxis est in contrarium in omnibus Religionibus.*

68 *Novitius non tenetur iterare novitiatum, si toto anno fuit infirmus.*

69 *Nec novitiatus interrumpitur per phrenesim, uno vel altero mense supervenientem.*

70 Nec

70 *Nec per dementiam similiter supervenientem.*
71 *Nec est necesse, quòd tale tempus suppleatur.*
72 *Annus novitiatus non potest interrumpi, quin status religiosus cesset.*
73 *Res qualibet, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.*
74 *Novitiatus non interrumpitur, si Novitius navigans de Prælati licentia capiatur, & per longum tempus captivus maneat.*
75 *Novitius existens de licentia extra Conventum, continuat novitiatum.*
76 *Ante pubertatem non potest dari annus novitiatus, & cur?*
77 *Si Novitius dimittens habitum petat licentiam egrediendi, si antequam egrediatur, pœniteat, non interrumpit novitiatum.*
78 *Requiritur tamen consensus novus, saltem interpretativus Conventus in hoc casu.*
79 *Novitiatus habitus cum impedimento occulto, cessante illo, non est opus, ut iteretur.*
80 *Idem dicendum est, si Novitius fuit admissus à non habente potestatem.*
81 *Vel quando professio fuit nulla ex defectu ætatis.*
82 *Vel quia facta est ante completum annum novitiatus.*
83 *Vel si Novitius ingressus fuit per metum.*
84 *Vel si erat aliàs inhabilis, & postea fuit dispensatus.*
85 *Novitius si expleto novitiatu recedat, & postea statim redeat, potest ad professionem admitti.*
86 *Quomodo hoc sit intelligendum?*
87 *Professio non necessariò debet sequi ad novitiatum.*
88 *In Monialibus, expleto anno novitiatus, potest differri professio ob solam dotem non solutam.*
89 *Novitiatus per expulsionem injustam Novitii non interrumpitur.*
90 *Nec per accessum Novitii ad Superiorem ad tuendum jus suum.*
91 *Si Novitius ob infirmitatem decedat de licentia Prælati, novitiatus non interrumpitur.*
92 *Et hoc, sive fuerit Novitius, sive Novitia.*
93 *In monasterio censetur degere, qui extra degit de licentia Superioris.*
94 *Novitiatus per expulsionem justam Novitii interrumpitur.*
95 *Quomodo hoc debeat intelligi?*
96 *Non interrumpitur, si per unum, vel alterum diem solùm extra maneat, si iterùm admittatur.*
97 *Parum & nihil æquiparantur in jure.*
98 *Si novitius expleat novitiatum ante annum 16. potest ad sæculum redire per illud tempus intermedium, & expleto 16. anno redire, & profiteri.*
99 *Expleto anno novitiatus, si Novitius non habeat 16 annum, potest in alium Conventum, quo usque tempus impleatur, dimitti.*
100 *Novitiatus peractus ficto animo, si postea fictio recedat, non est necesse quòd repetatur.*
101 *Actus non operantur ultra intentionem agentis, quomodo intelligatur?*
102 *Novitiatus opere magìs perficitur, quàm intentione.*
103 *Gestatio habitus censetur virtualis voluntas permanendi in statu religioso.*
104 *Matrimonium fictum coram Parocho, & testibus contractum, non est necesse quòd coram Parocho repetatur.*
105 *Religiosus transiens ad alteram Religionem, debet habere integrum novitiatus annum, etiamsi Religio sit strictior.*
106 *Hoc non procedit quando Religiosus Laicus transit in eadem Religione ad statum clericalem.*
107 *Si sponsa 12 annorum post matrimonium ratum transeat ad Religionem, tenetur sponsus per 4 annos expectare.*
108 *In articulo mortis potest emitti professio ante expletum annum novitiatus.*
109 *Si Novitius evadat mortis periculum, non tenetur professionem ratificare.*
110 *Moniales, si Novitia sic professa moriatur, acquirunt dotem.*
111 *Professus unius Religionis, si in alteram admittatur, potest in priori incipere novitiatum, nondum à suis Prælatis licentiâ obtentâ.*
112 *Peccat tamen Religiosus in hoc casu peccato apostasiæ.*
113 *In hoc casu potest inchoari novitiatus etiam cum habitu prioris Religionis.*
114 *Quæ conditiones in hoc casu requirantur?*
115 *Actualis probatio asperitatum Religionis non est de essentia novitiatus.*
116 *In Hispania non est de essentia novitiatus, quòd ille peragatur in aliqua determinata domo, auctoritate Papæ, sed potest à Prælatis designari.*

117 *Constitutio* CLEMENTIS VIII. *de hac re tantùm obligat in Italia.*
118 *Quomodo hoc decretum* CLEMENTIS VIII. *in locis ubi viget, sit intelligendum?*
119 *Quomodo etiam intelligendum sit decretum* URBANI VIII. *de hac re?*

DICO I. Certum inprimis est in omnibus Religionibus, exceptis Ordinibus militaribus, Novitios debere habere annum integrum novitiatus, qui annus vocatur probationis, in quo Novitii experiuntur, & probant, an illis conveniens sit talis Religio, & similiter Religio experitur, ac probat Novitium: huic autem anno non potest Novitius, vel etiam Religio renuntiare post Tridentinum. Ita communiter DD. apud Fragosum *Tom.2. part.2. lib.9. disp.24. num.4.*

Debet autem hic probationis annus numerari de momento ad momentum. Ita multi Doctores, quos refert, & sequitur Fragosus *ubi suprà, num.2.*
51 licèt contrarium teneat cum Garcia Rodrig. Henriquez, Riccius, Peyrinis *de R P. quæst. 3. cap. 1. num. 19.* ubi dicit sufficere, quòd ultima dies anni sit incepta; nam præcepta Ecclesiæ, non mathematicè, sed moraliter sunt intelligenda, & in moralibus parùm pro nihilo reputatur. Sed à contraria sententia non est recedendum propter periculum faciendi professionem irritam: uti rectè advertit nost. Franciscus supracit. *disp.* 8. de statu Relig. *dub.* 3. & cum aliis quoque Diana *5. part. tract. 5. resol.* 18. Imò si annus compleatur 24. Februarii anno bisextili, non poterit e-
52 mitti professio, nisi 25. Februarii eo puncto diei, quo elapso anno susceperat habitum die 24. quia uterque dies pro una habetur in jure. Ita Emmanuel, Henriquez, & alii apud Fragosum *ubi suprà, num 2.*

An autem iste annus debeat numerari à die susceptionis habitus? Affirmat Tamburin. *Tom.* 3.
53 *disp.* 6. *quæsito* 11. *num.* 11. hoc tamen regulariter est intelligendum; nam de rigore juris debet numerari à die, quo Novitius habilis, & in ætate legitima constitutus suscipitur à Prælato ad experiendas Religionis asperitates ac difficultates.
54 Ita Palaus, Sanchez, & alii, quos refert, & sequitur Pellizzarius *Tom.1. tract.2. cap.1. num.34.* gestatio enim habitus non est de essentia novitiatus.
55 Ita Suar. & alii, quos refert, & sequitur Palaus *tract.* 16. *de statu relig. disp.* 1. *punct.* 12. §. 4. *num.*4.

DICO II. Hujusmodi annus debet esse continuus, ita communiter DD. contra aliquos Canonistas, quos refert Fragos. *ubi suprà num.* 2. An autem hujusmodi anni continuatio interrumpatur, si Novitius per duos, vel tres dies, vel etiam 56
horas deserat Conventum animo non redeundi, non est ita certum; affirmant ferè communiter DD. apud Pellizzarium *Tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 11.

Contrariam tamen sententiam tenent Lessius, Navar. Azor. Naldus, quos refert Diana *5. part.* 57
tract. 5. resol. 19. quæ opinio magis mihi placet, si Novitius deserens Conventum animo non redeundi habitum non dimisit, sed exivit cum eo, & post duos dies, vel aliquas horas, pœnitentia ductus regressus est ad Conventum.

Ratio est, quia ex eo in tali casu interrumperetur novitiatus, quia ex ipso, quòd Novitius exivit animo non redeundi deseruit statum, ut latè probat Suar. *Tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 15. *num.* 16. Sed hæc ratio non sufficit, ergo. Probatur minor, quia inde sequeretur, quòd si Novitius per aliquod breve tempus existens in Conventu, non haberet animum perseverandi, sed animo ficto ibi esset, eo ipso derelinqueret statum suum, ac per consequens interrumperet novitiatum: sed hoc non admittit Pellizzarius *ubi suprà, num.* 4. nec Suarez, nec Sanchez *lib. de matrim. disp.* 37. *num.* 56. nulla alia ratione, nisi quia retinens habitum si non intentione, opere tamen explevit annum novitiatus, ut ipsi ajunt: ergo idem dicendum est in nostro casu; nam licèt 58
Novitius habuerit intentionem non redeundi, habitum tamen retinens si non intentione, opere tamen novitiatum continuavit. Ita Bord. *Tom.* 2. *resol.* 54. *n* 192.

Nec obstat, si dicas, illum non solùm mutare animum, sed etiam Conventum dereliquisse, quod tamen non datur in casu posito à Suario: Nam contra hoc est, quòd exitus Novitii à Conventu etiam furtivus, & absque licentia, verbi gratia, ad fornicandum, vel alio titulo, etiam 59
si fiat animo redeundi, non interrumpit novitiatus annum, ut rectè cum aliis docet Pellizzarius, *ubi suprà*: ergo etiam in præsenti casu non sufficiet; nam, ut probatum est, animus perseverandi non continuat, vel interrumpit novitiatum, si 60
aliàs detur perseveratio in habitu: in retentione namque habitus, si non actu, saltem virtualiter continuatur novitiatus, cùm gestatio habitus annumere-

61 numeretur inter austeritates, quas Novitius ex-
periri debet.

Secùs dicendum existimo, si Novitius recedat
absque habitu, animo non redeundi: nam tunc
nihil est, ratione cujus dicamus novitiatum, sal-
62 tem virtualiter, continuari, licèt contrarium satìs
probabiliter teneat Bordonus, *ubi suprà, num.* 204.
si Novitius tantùm recedat per quinque dies,
etiamsi fiat sine habitu, & absque animo redeundi,
putat namque hujusmodi temporis intervallum
reputari modicum, & breve ad hoc, ut inter-
rumpat novitiatum. Imo Barbosa, quem refert
Tamburinus *de jure Abbatum, Tom.* 3. *disp.* 6.
63 *quæsito* 11. *num.* 8. ait declarasse sacram Congre-
gationem, quemdam Religiosum, qui per spatium
24 horarum sine habitu mansit extra Conventum,
64 non interrupisse annum novitiatus, quam senten-
tiam amplectitur etiam ipse Barbos. apud Tam-
burinum *ibidem.*

Adverte tamen, dicta procedere de jure com-
muni; nam ex privilegio bullato Julii II. con-
cesso Minoribus, & relato à Casarubio in *Com-
65 pendio, verbo* Novitius, *num.* 23. *part.* 12. possunt
Regulares in casu, quo annum probationis in-
ceptum interrumpant, deserendo Religionem, &
dimittendo habitum, & postea ad illam redeant;
possunt, inquam, tempus prioris receptionis habi-
tus, cum tempore posterioris sibi computare, juxta
discretionem Superiorum, & hoc etiam post Tri-
dentinum, quod solùm petit annum novitiatus
66 deberi esse completum, & nihil determinat, an de-
beat esse continuus; Ita cum multis Rodrig. quem
refert & sequitur Pellizzarius *ubi suprà, num.* 11.
In mea tamen Religione praxis est in contrarium,
67 juxta communem Doctorum sententiam, quam
sequitur Fragos. *ubi suprà.*

68 Dico III. Novitius non tenetur iterare novi-
tiatus annum, si toto tempore illius fuit infirmus;
nec etiam si per aliquod tempus, puta per unum,
69 vel alterum mensem, in phrænesim inciderit; Ita
Sanchez, & alii apud Pellizzarium *ubi suprà num.*
13. Bord. *Tom.* 2. *resol.* 34. *num.* 27. Non enim
70 annus novitiatus interrumpitur per dementiam
supervenientem. Unde si tantùm per unum, vel
alterum mensem duret, non est necesse, quòd sup-
pleatur illud tempus, quo Novitius fuit in furore.
71 Ita optimè Bordon. *ubi suprà, num.* 26. Palaus
Tract. 16. *disp.* 1. *part.* 12. §. 2. *num.* 9. Ratio
hujus est, quia annus novitiatus non potest inter-
72 rumpi, quin status religiosus cesset; sed status
non potest cessare absque voluntate Novitii, vel
Prælati; nam res quælibet per quascumque causas
nascitur, per easdem dissolvitur: ergò cùm in
hoc casu, neque ex parte Novitii, utpote a- 73
mentis, neque ex parte Prælati detur contraria
voluntas, inde est, quòd novitiatus non fuerit
interruptus.

Nec obest, quòd Novitius eo tempore non
posset experiri asperitates Religionis, nam hoc 74
provenit ex accidenti intrinseco, & non ex statu
ipso; ut si Novitius ex licentia Prælati navigaret,
vel captivus existeret, in quo casu non interrum-
pitur novitiatus, esto non posset asperitates Reli-
gionis experiri, ut docet Palaus *ibidem*; vel si de 75
licentia Prælati extra Conventum existeret, in
quo casu etiam continuaretur annus, ut declaravit
sacra Congregatio, apud Fragos. *suprà num.* 11. ubi
plures alios refert.

Nec etiam obstat, quòd impuberi non impute- 76
tur tempus, quo ante pubertatem degit in Religio-
ne ex defectu plenæ cognitionis status religiosi,
atque idem à fortiori dicetur de furioso? Respon-
detur namque, dari diversam rationem; nam
pubertas simpliciter excludit novitiatum, non
verò dementia superveniens, cùm in omni opi-
nione, dementia per quindecim dies non inter-
rumpat novitiatum, ut ex praxi communi Reli-
giosorum constat.

Dico IV. Novitiatus non interrumpitur re- 77
nuntiatione ex parte Novitii, ut si Novitius petat
licentiam redeundi ad sæculum, & exutus habitu,
antequam à Conventu egrediatur, pœniteat; ita
ex multis juribus, & Doctoribus probat Bordon.
Tom. 2. *resol.* 54. *num.* 53. Palaus *ubi suprà, num.* 7.
requiritur tamen denuò consensus eorum, qui
Novitium licentiârunt, saltem interpretativus.
Bord. *ubi suprà.* hic tamen fit per Novitii non ex- 78
pulsionem, relinquendo illum in eodem statu
Novitii noto Conventui, Bord. *ubi suprà.*

Dico V. Si Novitius fuit à legitimo Superiore 79
admissus, etiam si habeat impedimentum occul-
cultum, cessante tali impedimento, non est opus
iterare novitiatum. Idem dicendum est, quando 80
fuit admissus à non habente potestatem ad reci-
piendum; vel quando professio fuit nulla ex de- 81
fectu ætatis: vel quia facta est ante completum
annum novitiatus; vel etiam, si Novitius fuit in- 82
gressus Ordinem per metum; metus namque, vel 83
dolus, vel etiam vis facta Novitio ad hoc, ut in-
tret Religionem, non irritat novitiatum; item, 84
si erat aliàs inhabilis, & postea fuit dispensatus;
Sanchez, quem refert, & sequitur Portel. *in dubiis*

 regul.

regul. verbo Novitius, *num.* 51. nam jam Novitius est expertus Religionem, Religio Novitium, ad quod fuit novitiatus institutus. Contrarium tamen sentit Bordon. *ubi suprà, num.* 219. ubi dicit deberi ratificari talem novitiatum a Superiore, ad hoc, ut sit legitimus.

85 Sed quæres: An si Novitius expleto anno novitiatus recedat à Religione, & postea iterum redeat, debeat iterùm alium novitiatum inire? Respondeo negativè, nisi fortè in persona aut Reli-
86 gione ita notabilis facta fuerit mutatio, ut jam non censeantur moraliter exploratæ difficultates illius: ita Rodrig. Sanch. & alii, quos refert, & sequitur Pellizzarius *ubi suprà, num.* 17. contra Suar. Peyrinum, Vechium, & alios. Ratio autem est, quia nullum jus extat, quòd petat novitiatum continuari cum professione, aut quòd vetet fieri professionem, si inter novitiatum & illam aliquod tempus vitæ sæcularis intercedat.

87 Hinc colliges, professionem non necessariò debere sequi ad novitiatum, sed ex causa justa posse differri. Ita Lessius, Nald. Sanch. & alii, quos refert, & sequitur Pellizzarius *ubi suprà, num.* 24. Fragos. *ubi suprà, num.* 5. Imò in Monialibus potest fieri quæcumque dilatio temporis, ut communiter fieri solet propter dotem non solutam, ad
88 unum, duos, vel plures annos; atque ita servat usus, donec dotem exhibeant competentem. Emmanuel, Cunha, quos refert, & sequitur Fragosus *ubi suprà, num.* 5. & ratio est, quia Concilium disponens, ut professio statim sequatur ad novitiatum, non loquitur de fœminis, sed tantùm de viris.

Dico VI. Novitiatus non interrumpitur per
89 expulsionem Novitii injustam; imò expulsus habet jus ad redeundum, & tempus, quo extra Religionem mansit expulsus computandum est in anno probationis; Ita decidit sacra Rota *decis.* 215. quam refert Bordon. *ubi suprà, num.* 10. tenet cum aliis Pellizzar. *ubi suprà, num* 43. Nemo enim
90 sine sua culpa debet privari suo jure: imò si Novitius accedat ad Superiorem causa appellationis, aut ad dicendum jus suum non interrumpit novitiatum, cùm sic non adsit recessus ab Ordine, sed justus recursus ad Superiorem. Bordonus, quem refert, & sequitur Pellizzar. *ubi suprà, num.* 43.

Dico VII. Novitiatus non interrumpitur, si
91 Novitius de licentia Superioris ob infirmam valetudinem egrediatur; sed illud tempus, quo extra mansit, computandum est cum sequenti, & hoc, sive fuerit Novitius, sive Novitia; Ita multi DD. quos refert, & sequitur Fragosus, 92
ubi suprà, num. 7. Censetur enim in monasterio degere, qui de licentia Superioris extra illud manet.

An autem novitiatus interrumpatur per ex- 93
pulsionem justam Novitii? Respondeo affirma- 94
tivè. Unde debet alterum novitiatum incipere, si iterum admittatur; sed hoc debet intelligi, 95
quando Novitius expulsus egressus est à Conventu, & extra manet per spatium saltem trium dierum; nam si tantùm recessit per unum, vel al- 96
terum diem, & iterùm admittatur, non censetur interrumpere novitiatum, tum quia factum non 97
dicitur, quod parùm durat; *cap.* Nam & ego, 3. *de verb. signif. Cap.* Divortium, 21. *dist.* 1. *de pœnit.* quia durans parùm, non videtur fuisse; parùm enim & nihil comparantur: tum etiam, quia licèt Novitius causam dederit, non tamen ejus voluntas fuit novitiatum interrumpere. Ita Bordon. *resol.* 54. *num.* 200.

Sed quæres: An si quis incipiat novitiatum 98
ante annum 15 expletum, & expleat ante annum 16. talis novitiatus sit legitimus; ita, ut si Novitius tum temporis petat licentiam redeundi ad sæculum, & post 16 annum redeat, possit statim admitti ad professionem? Respondeo affirmativè. Ratio est, quia non est de essentia novitiatus, ut incipiat post 15 annum completum; sed potest incipere ante, & finire ante 16 annum, etiam post Tridentinum, ut tenent communiter DD. apud Pellizzarium, *ubi suprà, num.* 24. Expleto autem anno novitiatus, si 99
Novitius petat licentiam redeundi ad sæculum, & postea redeat, potest, sine alio novitiatus anno, admitti ad professionem; ut cum Bordono, & Pellizzar. *ubi suprà* probavimus; ergo idem dicendum est in præsenti casu. Hinc fit, quòd si Novitius non compleverit 16 annum, potest mitti in alium Conventum, ut ibi sit, usquequò habeat 16 annum. Ita cum Miranda, & aliis Bordon. *Tom.* 2. *resol.* 54. *num.* 113.

Dico VIII. Si Novitius ingrediatur Religio- 100
nem animo ficto, & post aliquot menses, imò post expletum totum annum, mutato animo velit profiteri, non est necesse, quòd novitiatus repetatur: ita tenet cum Suar. & Sanch. Pellizzarius *suprà, num.* 14. in casu, quo per aliquot menses habuisset Novitius animum fictum; sed absolutè, & 101
de toto etiam anno sustinenda est nostra conclusio; nam ejus rationes utrumque probant. Ratio autem est, quia licèt actus non operetur ultra intentio-

102 tentionem agentis, hoc tamen non procedit, quando impletio actus non pendet ab intentione agentis, in præsenti autem factum ipsum promit intentionem : nam novitiatus opere magis perficitur, quàm intentione : tum, quia per gestationem habitus virtualiter vult permanere ; tum, quia cum novitiatus institutus sit, ut novitius probet Reli-
103 gionem, & Religio ipsum, id totum habetur in præsenti, & cessat finis repetendi novitiatum. Unde sicut in matrimonio ficto, contracto coram parocho, & testibus, non est necesse, quod repetatur
104 coram parocho, cùm de eo jam sufficienter constet Ecclesiæ, sic dicendum est de novitiatu.

Sed quæres : An religiosus transiens de una ad aliam Religionem, teneatur iterare annum inte-
105 grum probationis? negat Corduba, Henriquez, saltem quando transitus fit à Religione strictori ad laxiorem ; sed contrarium omnino est tenendum, quia Tridentinum absolutè postulat annum integrum probationis ante professionem. Ita cum aliis Fragosus, *ubi supra n.* 40. Tum, quia Concilium per verba negativa statuit, quod ante annum probationis professio non fiat, sed lex universalis uni-
106 versaliter est intelligenda. *L. de pretio ff. de public. in rem actam* : ergo ante annum probationis integrum professio nullo modo fieri debet. Hæc tamen doctrina non procedit quando Religiosus laicus transit in eadem Religione ad statum clericalem ; nam tunc sine novo novitiatu potest professionem emittere. Ita Peyrinis, quem refert & sequitur Pellizzarius, *ubi supra num.* 30. nam iste jam expertus est asperitates Ordinis.

Et hinc colliges cum Sanch. quod si sponsa duodecim annorum post matrimonium ratum tran-
107 seat ad Religionem teneri sponsum expectare per quatuor annos, cum ipsa profiteri non possit ante annum 16. & similiter dicendum, si illa 16. annum habeat; nam tunc per totum annum novitiatus debet sponsus expectare, cum ante illud adimpletum non possit profiteri. Ita communiter DD. contra Sanch. *de matrim. lib.* 2. *disp.* 24. *n.* 6. ubi ait probabile esse intra bimestre fieri posse professionem.

Sed quæres: An detur aliquis casus in quo emit-
108 ti possit professio ante completum annum probationis? Respondeo, solum in articulo mortis posse Regulares tam viros, quam feminas profiteri ante expletum annum probationis ex privilegio Bullato Pii V. quod refert Lezana *Tom.* 1. *cap.* 25 *num.* 39. & hoc debet intelligi, dummodo sint legitimæ
109 ætatis. Sed de hoc vide, quæ diximus in nostro *tractatu de privilegiis disp.* 2. *sect.* 5 §. 2. *n.* 217. ubi etiam habes : an in casu, quo evadant mortis periculum
debeant professionem ratificare; & an moniales per 110
hanc professionem acquirant dotem in casu, quo novitii moriatur.

Dico IX. Si Religiosus alicujus Religionis absque licentia proprii Prælati admittatur in alia Religione, potest ibi validè inchoare novitiatum
nondum obtenta tali licentia. Ita Pellizzarius *su-* 111
pra num. 21. nam talis Religiosus sic verè probat Religionem, & Religio ipsum, quod sufficit ad verum novitiatum; peccat tamen peccato apostasiæ;
imo cum, ut *supra* diximus novitiatus de licentia 112
superioris possit peragi saltem ex parte extra monasterium, etiam in curia alicujus Principis ad nego-
tia pertractanda, & alias non sit improbabile dela- 113
tionem habitus religiosi non esse de essentia novitiatus, probabile etiam est in dicto casu posse novitiatum inchoari in priori Religione cum proprio
habitu dictæ Religionis, dummodo Religiosus ibi 114
incipiat manere tanquam subditus Prælati alterius Religionis ad quam transire cogitat ; non tamen potest ibi per totum annum commorari, aliàs non experietur alterius Religionis asperitates, quod moraliter omnino est necessarium, quamquam simpliciter non repugnet totum novitiatum pera-
gi extra Religionem, quam novitius professurus 115
est ; nam actualis probatio non est de essentia novitiatus ; Suarez, quem refert, & sequitur Pellizzarius *ubi supra num.* 21. Unde si de facto totus novitiatus de licentia Prælati extra monasterium fiat, quam tamen licentiam præbendo malè facit Prælatus, professio sequuta erit valida: ita Pellizzarius *ibidem.*

Dico X. In his Hispaniæ partibus non est de 116
substantia Novitiatus, quod ille peragatur in aliqua determinata domo, auctoritate Papæ, sed potest ubiq; à Prælatis absque tali facultate designa-
ri. Nec obstat constitutio Clemens VIII. quam re- 117
fert Pellizzarius *ubi supra n.* 26. nam hæc tantùm
obligat in Italia, & in insulis adjacentibus, ut cum 118
Lezana notavit Belasius *verbo* novitius *n.* 5. Quomodo autem id, in locis, ubi datur & viget tale decretum, debeat intelligi, videant, si placet. Itali, &
Insulani Pellizzarium, qui de hac materia tractat 119
loco citato. Ubi etiam reperietur, quomodo sit intelligendum decretum Urbani VIII. de quo etiam latè tractat Bordonus *Tom.* 2. *resol.* 54. *num.* 2. 3. 4. & 5.

SECTIO III.

Quibus obligationibus teneantur Novitii ex Religionis ingressu.

120 *Novitii, possunt sine culpa mortali, redire ad sæculum.*
121 *Quæ inconstantia peccatum reducat?*
122 *Novitius iniit contractum cum Religione perseverandi, si illi placuerit, Religio verò non illum dimittendi sine justa causa.*
123 *Novitius, qui sine causa exiit, non tenetur solvere expensas, etiamsi illius opera non fuerint æquivalentia.*
124 *Novitius, qui animo & consilio decipiendi ingressus fuit Religionem, tenetur solvere expensas.*
125 *Quomodo hoc intelligatur.*
126 *Novitius tenetur ad expensas, quando præcessit pactum de solvendo?*
127 *Novitio egredienti non est reddenda pecunia, quam dedit ad suam sustentationem, nisi id, quod non consumpsit.*
128 *Si novitius in ingressu se obligavit ad solvendam certam summam pro expensis Novitiatus, potest exigi à monasterio.*
129 *Non tamen propter non factam solutionem potest impediri egressus illius.*
130 *Si novitius suis sumptibus fecit habitum, tenetur Religio reddere illi tantum pretii, quantum æstimatur habitus tempore recessus.*
131 *Non tamen tenetur Religio illi tradere ipsum habitum.*
132 *Potest Religio detinere habitum loco alimentorum, si de hac re intercessit pactum.*
133 *Quomodo hoc sit intelligendum?*
134 *Novitius non tenetur directè præceptis communibus Regulæ, legum, vel superiorum Religionis.*
135 *Tenebitur tamen ad vitandum scandalum.*
136 *Circumstantiam novitii, non tenetur novitius explicare in confessione in peccatis carnis.*
137 *Prælatus regularis non potest præcipere novitiis aliter; ac Prælatus Ecclesiasticus suis clerici.*
138 *Nec potest illis præcipere, quæ sunt tantum consilii, sed quæ sunt præcepti.*
139 *Solum illis potest præcipere cum censuris in casibus, in quibus potest Ordinarius suis subditis.*
140 *Idem dicendum est in reservatione casuum.*
141 *Potest punire novitium delinquentem etiam in re gravissima, & pœna mortis digna.*
142 *Et hoc etiamsi novitius post delictum egredi velit.*
143 *Et lata sententia potest obligare novitium cum censuris ad pœnam subeundam.*
144 *Potest illi imponere pœnam subeundam etiam post Religionis egressum.*
145 *Quomodo hoc sit intelligendum?*
146 *Novitius delinquens, si fugiat, non potest puniri, nec à Prælato regulari, nec à judice laico.*
147 *Debet puniri in tali casu à judice Ecclesiastico.*
148 *Novitius non tenetur ad casus pro Religiosis reservatos.*
149 *Quomodo hoc sit intelligendum?*
150 *Possunt confiteri aliis, quam sibi assignatis, si casus sint tantum pro religiosis reservati, & non specialiter pro novitiis.*
151 *Idem dicendum est de aliis pœnis, & prohibitionibus.*

DIco I. Novitii possunt, si velint, ab institu- 120
to regulari recedere, & ad sæculum redire
absque peccato; quia ad hunc finem constitutum
est tempus novitiatus. Ita Suar. Sanctius, & alii,
quos refert, & sequitur Palaus *de statu religioso*
disp. 1 *p.* 10. *num.* 1. Nec dici potest hoc esse pec- 121
catum inconstantiæ; nam inconstantia, quæ in-
ducit peccatum, est desistere ab aliquo opere obli-
gatorio, non tamen ab opere voluntario, aliàs si
inciperem dare eleemosynas, & ab eis dandis ab-
stinerem, peccarem, quod est absurdissimum.

Nec obstat, si dicas, Prælati non possunt ex-
pellere novitios sine justa causa absque mortali,
ergo & novitius exeundo peccabit mortaliter, pro- 122
pter contractum, quem iniit cum Religione non
exeundi absque causa. Non obstat, inquam:
nam novitius non iniit talem contractum cum
Religione, sed solum in ea perseverandi, si illi
placuerit: Religio verò obligatur illum non di-
mittere absque justa causa, non enim Prælatus ex
pacto cum novitio inito obligatur ad eum non di-
mittendum absque justa causa, sed ex munere &
officio Prælati; nam Prælatis non est concessa po-
testas expellendi novitios, vel illos retinendi in
de-

destructionem, sed in ædificationem, & bono Religionis universali, cum absque causa expellit à religione subjectum aliàs idoneum, graviter nocet, &c. Ita Suar. quem refert, & sequitur Peyrinis *de R. P. quæst. 3. cap. 1. §. 4. numer. 112.* licet Sanchez existimet tantum peccare venialiter Religionem, hoc est, Prælatum, & Conventum dimittendo Novitium absque justa causa; nisi aliàs gravis nota oriretur novitio ex illa expulsione, A nostra tamen sententia, quæ est communis, non est recedendum.

Sed quæres: An novitius sine causa ex Religione exiens teneatur solvere expensas, quas in suis
123 alimentis monasterium fecit? Respondeo negativè. Ita Rodrig. Sanch. Suar. Layman, & alii, quos refert, & sequitur Palaus *supra num. 2.* Lezana *Tom. 1. cap. 24. num. 3.* & alii, quos refert, & sequitur Peyrinis *de R. P. q. 3. cap. 1. §. 4. num. 105.* Tum, quia aliàs non esset libera professio
124 saltem in multis, qui sæpius detinerentur ab egressu, ne solverent tales expensas: tum etiam, quia Religio liberè & spontaneè facit illas, ut supponimus; si quis tamen prava intentione, & animo
125 decipiendi Religionem, illam intraret, & postea recederet, certum est teneri solvere expensas; nisi obsequium ab eo factum expensas adæquet, quod contingit, quando monasterium illo obsequio, sibi utili indigeret, ita Sanch. quem refert, & sequitur Palaus *supra.* Lezana *supra* & alii. Ratio autem est, quia non est æquum, ut quis commodum reportet ex fraude, & malitia; non tamen in hoc casu potest tali impediri liber Religionis egressus, tametsi timor sit egredientem non soluturum impensas, &c.

Tenetur tamen novitius solvere expensas, quan-
126 do præcessit pactum inter novitium, & Conventum, de solvendis expensis, sive perseveret, sive non. Ita Suarez, quem refert, & sequitur Lezana *supra.* Pellizzar. *tract. 2. cap. 6. num. 25.* Peyrinis *de R. P. q. 3. cap. 1. §. 4. num. 106.* Imò si novitius in suo ingressu aliquid donavit ad suam
127 sustentationem, postea non tenetur Religio illi egredienti restituere nisi eam partem, quam non consumpsit pro rata temporis. Ita Sanch. quem refert, & sequitur Peyrinus *supra*, & constat ex Trident. *sess. 25. de regular. cap. 16.*

Imo, si novitius à principio ingrediens nihil donavit, sed se obligavit ad solvendam certam summam pro sumptibus anni novitiatus, poterit
128 monasterium exigere talem summam, cum hujusmodi donatio sit justa, & valida; non potest tamen ex isto titulo impediri liber Religionis egressus, etiamsi frustraretur spes solutionis, si egrediatur: nec ex eo, quod novitius illam summam nolit solvere, si vult permanere, potest ob eam solam
causam expelli; nam hæc non est justa expulsio- 129
nis causa, cum de jure non teneatur; poterit tamen Religio cogere hæredes novitii ad solutionem. Ita Suarez, Vechius, quos refert, & sequitur Peyrinis *supra*, Pellizzarius *tract. 2. cap. 6. num. 27.*

Adverte tamen, quod si novitius suis sumpti- 130
bus habitum fecerit, teneri Religionem reddere tantum pretii, quantum æstimatur habitus eo tempore, quo eum novitius dimisit, ut patet ex Trident. *supra*, ubi præcipit, quod Novitiis recedentibus à Religione, restituantur quæcumque secum ab initio ingressus detulerunt; non tamen tenetur Religio ei tradere ipsum habitum: ita de-
claravit sacra Congregatio, ut testatur Pellizza- 131
rius *ubi supra num. 28.* ubi addit cum Peyrinis
posse Religionem habitum detinere loco alimen- 132
torum novitio pro toto eo tempore concessorum, si fortè intercessit hac de re pactum, aut alimenta excedant servitium à novitio præstitum; non tamen, si servitium ab eo præstitum alimentis æqui-
valeat modo supradicto, nam tunc nihil à novitio 133
debetur, esto ille ingressus fuisset animo redeundi ad sæculum.

Dico II. Novitius non tenetur tempore novi- 134
tiatus præceptis communibus Regulæ, seu Constitutionum, vel Superiorum Religionis, per se, & directè, ex quadam tamen decentia, & propter
vitandum scandalum tenebitur illas observare. Ita 135
Suar. *Tom. 4. de relig. lib. 5. cap. 16. num. 18.* Lezana *supra num. 2.* Palaus *supra num. 5.* Ratio est, quia pro illo tempore non sunt partes illius Communitatis, nec in Religiosorum Sodalitium admissi, sed tantum versantur in probatione ad experiendum, an velint, vel non, professionem emittere; quod tamen teneantur hæc omnia servare, ex gravi decentiâ, & ob vitandum scandalum, patet tum, quia aliàs nec ipsi possent probare Religionem, nec Religio posset illos probare; tum quia esset magna confusio aliorum, si viderent eum Regulam, & alias leges non servare; unde vel tenetur dimittere habitum Religionis, vel saltem publicè leges Religionis observare, ut tollatur scandalum.

Et hinc fit primò novitium violantem castita- 136
tem,

tem, vel obedientiam, vel paupertatem, seclu-
so scandalo, non addere peccato novam malitiam
necessariò confitendam, quia nondum se ad hæc
adstrinxit, sed est in via subeundi illius obligatio-
nem; Ita Suar. Palaus *supra*.

137 Secundo deducitur non posse Prælatum regula-
rem præcipere novitiis aliter, quam potest Præla-
tus Ecclesiasticus suis clericis, proportione serva-
ta. Ratio est, quia novitius non subditur Præ-
lato ex voto obedientiæ, sed ex voluntate, qua ille
se probandum tradidit Religioni sub conditione,
138 ut alatur, & sustentetur, & quia Pontifex con-
cedit hanc jurisdictionem Religioni, ergo Præla-
tus non potest novitiis præcipere, quæ sunt de
consilio, & religionis perfectione; patet conse-
quentia, tum, quia non perfectioni conservan-
dæ se tradidit novitius, sed probandæ; tum, quia
jurisdictio Ecclesiastica, quam Prælatus accipit
à Pontifice non se extendit ad opera consilii, sed
præcepti. Unde tantum potest præcipere novi-
tiis, quæ Prælatus Ecclesiasticus præcipere po-
test suis subditis, quia Religionis ingressu facti
sunt novitii personæ Ecclesiasticæ, & Præla-
tus regularis jurisdictionem à Pontifice in illos
habet.

139 Hinc fit ulteriùs, solum posse illis præcipere sub
censuris in casibus, in quibus potest Ordinarius
suis subditis. Ita Suar. Layman, quos refert, & se-
quitur Pellizzarius *Tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 5.
& eodem modo poterit pro illis eos reservare casus,
quos potest Ordinarius reservare pro suis subditis
propter eandem rationem; ita consequenter cum
Corduba Henriquez, Layman, & Vechio notavit
140 Lezana *Tom.* 1. *cap.* 24. *num.* 7. contra Portel, Vil-
lalobos, Miranda, Azor. & alios quos refert, & se-
quitur Diana 3. *p. tract.* 2. *resol.* 4.

Poterit etiam Prælatus regularis punire novi-
tium delinquentem, non solum quando delinquit
141 adversus Regulas, & Constitutiones, sed etiam
quando delinquit in re gravissima, & pœna mor-
tis digna; quia Prælatus regularis jurisdictionem
habet in foro externo non solum in professos, sed
etiam in novitios, quatenus sunt partes Religio-
nis, ab omni alia jurisdictione exemptæ. Ita Sua-
rez, Sanchez Barbosa, quos refert, & sequitur
Palaus *supra num.* 8. Bordonus. *Tom.* 1. *resol* 54.
num. 131.

Dices; novitio impediri non potest liber è Re-
ligione egressus, quia illi à jure conceditur: ergo
142 Novitius volens Religionem deserere puniri non
potest pœna carceris, respondetur cum Sua-
rio, quidquid dicat Sanch. *lib.* 5. *cap* 10. *n.* 4. *in Deca-
logum*. Prælatum regularem posse punire novitium
delinquentem, etiam egredi volentem, quia in il-
lum habet jurisdictionem, à quo non erat conve-
niens eximi propter solam voluntatem egredien-
di; daretur namque ansa novitiis plura delicta
committendi. Nec obstat ex hac parte impediri
egressum, quia hoc est per accidens, & ratione
culpæ ab eo commissæ; posita vero sententia &
condemnatione obligare potest Prælatus regula-
ris Novitium sub præcepto, & censuris ad illam
subeundam, sicut potest Prælatus ecclesiasticus, 143
quia hæc obligatio in eadem jurisdictione funda-
tur, vide Lezanam *supra n.* 4. ubi pro hac parte alios
refert.

An autem Prælatus regularis possit imponere
Novitio pœnam exequendam post Religionis
egressum, non caret difficultate? quia eo ipso quod 144
egreditur, cessat subjectio ad Prælatos regulares; at
verius est posse; Ita Sanchez quem refert, & sequi-
tur Palaus *supra n.* 8. quia est præceptum, & sen-
tentia data subdito, quam acceptatam ipse propria
auctoritate fugere non potest; secus esset, si more
Religioso, absque figura judicii pœnitentia impo-
neretur; tunc enim cessaret obligatio, quia cense- 145
tur posita novitio, quatenus Religionis mem-
brum, dum tale non est.

Sed quæres, quid dicendum sit, si Novitius fu-
giat? Respondeo in hoc casu non posse puniri à
Prælato regulari, nec etiam à judice sæculari, sed
deberi puniri à judice Ecclesiastico; Ita Palaus, 146
Bord. Diana, & alii, quos refert, & sequitur Pel-
lizzarius, *tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 3. Ratio est, quia Præ-
latus regularis non habet jus absolutum super no-
vitios, sed ratione domicilii, ac delicti: ergo si fu-
giat Novitius, jam non habet super illum jurisdi-
ctionem. Item judex laicus non potest illum pu-
nire, quia in delictis inspicitur tempus, quo crimi- 147
na commissa sunt; novitius autem commisit deli-
ctum, quando erat persona Ecclesiastica: ergo ad
judicem Ecclesiasticum pertinet eum punire.

Dico III. si Prælatus regularis specialiter non
reservet casus pro novitiis, tanquam Prælatus Ec- 148
clesiasticus, sed solum eos reservet absolutè pro
Religiosis; tunc novitii non comprehenduntur
sub hac reservatione: in hoc convenio cum Dia-
na *supra*, & aliis, quos refert, & sequitur Pa-
laus *disput.* 1. *part.* 10. *num.* 9. tum, quia novitii 149
non sunt veri religiosi; tum, quia reservatio est
odiosa, ac per consequens non debet ampliari,
sed restringi. Unde novitii, si casus tantum
sint

sint reservati pro Religiosis, & non in speciali pro
150 novitiis possunt confiteri alteri, quam suo magistro, vel sibi assignato, qui sit confessor sæcularium, & ab eo ab omnibus casibus pro Religiosis in Ordine reservatis absolvi, ut latè diximus *in Tract. de privilegiis disputatione 2. sectione 5. §. 2. numero 222.*

Idem prorsus dicendum est de pœnis ac prohibitionibus generaliter latis contra Religiosos, sivè in constitutionibus Pontificiis, sivè proprii Ordinis, in quibus omnibus non comprehenduntur
151 novitii, nisi specialiter exprimantur, nam novitii in odiosis non veniunt nomine Religiosi.

Solent hic nonnulli, inter quos Pellizzarius, de Novitiorum institutione, Magistrique eorum dotibus necessariis atque obligationibus agere, uti videre est, in ejus Manuali Regularium *Tomo 1. tractatu 2. capite 5.* at mihi sufficiet solùm è nostris paucos, qui de hoc argumento ex professo scripsêre, insinuare; quos inter principem facilè locum obtinet noster pientissimus sapientissimusque JOANNES à JESU-MARIA, Calaguritanus, qui in duobus libris, quorum unum inscripsit *Instructionem Magistri Novitiorum*, & in 4. partes divisit: alterum *Instructionem Novitiorum*, etiam quadripertitam (qui inter ejus opera IV. Tomis comprehensa, & Coloniæ anno 1650. iteratò recusa, Tomo 2. reperiuntur) de his fusiùs differit. Et quidem instructio Novitiorum, in omnes ferè linguas Europæ conversa, variis in locis pluries recusa est, omnium Magistrorum vitæ Religiosæ judicio, omniumque utilitate comprobata. Ante illum de hoc eodem argumento, & sub eodem fermè titulo librum typis Hispanicis pluries repetitis evulgarunt, *Ioannes Baptista*, dictus *Remendadus*, & alter JOANNES a JESU-MARIA, Pastranensis, *Blasius à S. Alberto*, è quibus duos priores, inter viros vitæ sanctitate illustres Carmeli Excalceati, refert Aubertus Miræus, libro de origine, & incrementis Ordinis Carmelitarum: Tertius autem non minori sanctimoniæ fama floruit Salmanticæ, habitus ejusdem celeberrimæ Universitatis oraculum. Vide quoque nostri Lezanæ *lib.* de Reformatione Regularium *cap.* 18. ubi plures è SS. Patribus refert, qui specialis Tractatus de Novitiorum instructione scripserat: & *Exercitationem spiritualem* N. Dominici à S. Alberto.

***

SECTIO IV.

De Novitiorum donationibus, contractibus, renuntiationibus, & testamentis.

172 *Potest Novitius renuntiare cum conditione, quod si aliquando post professionem expellatur, sua bona ei restituantur.*

173 *Frater Minor ejectus ab Ordine, vel electus Episcopus, recuperat jus succedendi parentibus adhuc superstitibus.*

174 *Novitius potest apponere conditionem in renuntiatione, ut quotannis illi certa summa solvatur in proprios usus de licentia Prælati insumenda.*

175 *Non potest apponere conditionem, ut talis summa illi solvatur, si illam voluerit postulare.*

176 *Renuntiatio Novitii facta sine Tridentini solemnitatibus, etiamsi juramento firmetur, non valet.*

177 *Novitii sine solemnitatibus Tridentini, possunt facere testamenta, & codicillos.*

178 *Possunt condere quamcumque ultimam voluntatem, vel contractum causâ mortis.*

179 *Concilium solum comprehendit contractus irrevocabiles, non verò revocabiles.*

180 *Novitii possunt facere donationes parvi momenti.*

181 *Licitum est illis solvere necessaria pro victu, & vestitu.*

182 *Sumptus qui fiunt in receptione, & professione Novitiorum, sunt liciti.*

183 *Idem dicendum est de munusculis, qui ad captandam benevolentiam Religiosorum, ut facilius ingrediendus, vel profitendus admittatur, præbentur.*

184 *Idem dicendum est de contractibus in quibus Novitii nihil perdunt de suo, ut sunt emptio, venditio, locatio, & similes.*

185 *Non tamen de contractu fidejussionis etiam pretio accepto.*

186 *Sub hoc decreto comprehenditur etiam renuntiatio beneficii Ecclesiastici, vel officium publicorum.*

187 *Non comprehenditur in hoc decreto contractus mutui, si detur sub firma cautione, vel fidejussione.*

188 *Renuntiationes, seu donationes factæ à Novitiis, non sortiuntur suum effectum, nisi realiter sequuta professione.*

189 *Quomodo circa hoc debeat intelligi Concilium Tridentinum?*

190 *Si post factam renuntiationem, vel aliquam donationem Novitius ante professionem moriatur, renuntiatio facta nulla erit.*

191 *Ut renuntiatio Novitii sit valida, non solum debet ad eam sequi professio, sed talis etiam professio debet esse undequaque valida.*

CONcilium Tridentinum *sessione* 25. *capite* 16. *de Regular.* decernit, ne Novitius faciat aliquam renuntiationem (hoc est cessionem propriorum bonorum irrevocabilem in favorem tertii) donationem vel obligationem, etiam ad causas pias, ante professionem, nisi cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii, idque intra duos menses proximos ante professionem, & donatio facta alio modo non valeat, & facta modo proximè dicto, non sortiatur effectum, neque sit valida, nisi sequuta professione, & hoc sub pœna anathematis tam dantibus, quam recipientibus. 152

Circa quod decretum notandum est *primò*, hanc excommunicationem non incurri ipso facto, sed esse incurrendam, ut colligitur ex illis verbis sub anathematis pœna. 153

Secundò, non prohiberi in hoc decreto aliquid dare, vel accipere ex propriis parentum, vel tutorum Novitii, sed ex bonis ejusdem Novitii. Peyrinis, quem refert, & sequitur Lezana *Tom.* 1. *cap.* 24. *num* 32. Pottel *in dubiis regular.* verbo *Novitii donationes num.* 1. Non possunt tamen Novitii validè disponere de bonis ad illos pertinentibus, nisi cum licentia Episcopi, vel ejus vicarii intra prædictos duos menses ante professionem, hoc est, quod fiat toto illo bimestri. Ita Sanchez, Faust. & alii, quos refert, & sequitur Pellizzarius *tractatu* 2. *capite* 9. *num.* 40. 154

Debet autem hoc bimestre numerari mathematicè de momento in momentum, & secundum quod currit mensis in Kalendario, sumendo ex mense sequenti id, quod deficit præsenti. Ita communiter DD. contra Zechium, Zerollam, Faustum & alios relatos à Pellizzario, qui dicunt tantum deberi sumi moraliter, ita, ut si fiat modica distantia ante non irritari, sed contraria sententia est communior, ut cum Sanch. notavit Pellizz. *suprà n.* 41. Ratio autem ob quam Concilium hoc statuit est, ne Novitii impediantur, si velint, ab egressu Religionis. Ita communiter DD. 155

Tertiò notandum est, in hac decisione solùm comprehendi actu Novitios, non verò illos, qui Novitii esse volunt, & intuitu Religionis bonis suis renuntiant, & ita declaravit sacra Congregatio, ut refert Lezana *loco citato n.* 34. & tenent Pottel, & Diana, quos refert idem Lezana, Barbosa, & alii multi quos refert, & sequitur Palaus *de statu religioso disputatione* 1. *par.* 17. *num.* 8. licèt aliàs pro 156

parte

parte contraria non desint plures Doctores , quos
157 refert ipse Palaus. Ratio autem est, quia legis di-
spositio , & maximè correctoria juris communis
extendi non debet ad casum sub lata verborum
forma non comprehensum , ut hujus dispositionis
forma non solum Regulares comprehendit ; tum,
quia verba ipsius clarè hoc indicant : tum,quia ru-
brica, ex qua legis interpretatio sumitur, est de Re-
gularibus : ergò.

158 Intelligitur tamen prædicta decisio Concilii de
omnibus Novitiis , etiam minoribus 16. annis. Ita
communiter DD. apud Palaum *supra numer.* 7.
Licentia quoque , quæ desideratur ad validitatem
159 renuntiationis bonorum Novitii,debet esse data
ab Episcopo , vel ejus Vicario ; nomine autem E-
piscopi , vel ejus Vicarii intelligitur Episcopus e-
lectus, & confirmatus , tametsi nondum conse-
cratus , non tamen Archiepiscopus comparatione
Suffraganeorum , nisi causa ad illum per appella-
tionem devolvatur. Item Abbates, aliique Præla-
160 ti exempti jurisdictionem quasi Episcopalem ha-
bentes in suo districtu, ac denique vicarius gene-
ralis, non foraneus, seu Capituli sede vacante, ita
cum Sanch. Palaus *supra numer.* 19. nisi fortè in
aliquibus Religionibus per consuetudinem legiti-
mè introductam , oppositum fuerit introductum,
ut cum Rodrig. & Vega docet Lezana *supra n.* 34.
His positis.

Dico I. Novitii non tenentur facere ante pro-
161 fessionem renuntiationem suorum bonorum ,
quantum est de jure communi;an autem ex vi pro-
prii instituti ad hoc teneantur, consulat unusquis-
que ejus statuta.Ratio est, quia de hoc nullum ex-
162 tat jus,quod eos adstringat ad prædictam renunti-
ationem. Ita communiter DD. Facta autem re-
nuntiatione, juxta Tridentinum modo dicto, non
irritatur, si professio post annum Novitiatus com-
pletum ultra differatur Imò non potest revocari
à Novitio,nisi ob ingratitudinem, nisi fuerit facta
163 in favorem Ecclesiæ, vel monasterii. Layman *tra.*
4. *lib.* 3. *sect.* 5. *cap.* 10. *n.* 17. Fuit namque contra-
ctus conditionatus.

164 Poterit tamen testamento annullari casu, quo
Novitius ante professionem moriatur ; nam
cum præcedens renuntiatio fuerit conditionata,
hoc est , sequuta professione , mortuo Novitio
ante professionem , cessat valor renuntiationis , &
reviviscit testamentum , quod morte testatoris
confirmatur.

165 Sed quæres, quid dicendum sit, quando profes-
sio fuit nulla ? Respondeo , etiam renuntiationem
fuisse nullam; hac tamen distinctione, quod si pro-
fessio fuit nulla ex defectu ætatis, renuntiatio non 166
ratificatur per ratificationem professionis , cum re-
nuntiatio fuerit facta ante legitimam ætatem.

Idem dicendum est, quando post factam renun-
tiationem novitius recedit à Religione , & statim 167
pœnitentia ductus, revertitur , si debeat incipere
alium Novitiatus annum : secus dicendum est , si 168
recessus non interrumpit novitiatus annum , vel si
professio ex aliis capitibus fuit nulla , ut si fuit ex
metu, vel ex alia causa : cum enim in tali casu re- 169
nuntiatio à principio valuerit, quoties ratificatur
professio , etiam renuntiatio confirmatur. Ita Ro-
drig. Sanch. & alii quos refert & sequitur Pellizz.
supra n. 9. & 51.

Dico II. Novitius solum potest disponere de 170
bonis acquisitis ante professionem ; nam ea , quæ
acquiruntur post professionem non ipsi , sed Reli-
gioni acquiruntur ; secùs dicendum est , si Novi-
tius succedat alicui ab intestato ratione consan-
guinitatis; nam in hoc casu ea bona dicuntur quasi
acquisita ante professionem ; nam jus sanguinis,
quod naturale est,est principium, & causa talis ac- 171
quisitionis , & illi Religioso non competit tan-
quam monacho,sed competit ante ingressum tan-
quam cognato,quod valde notandum est. Ita Pel-
lizzarius *loco citato n.*30.

Sed quæres . An possint Novitii renuntiare pro-
priis bonis cum hac conditione, quod si contingat, 172
ut post professionem aliqua de causa recedant
à Religione , bona illa ad ipsos revertantur , ac si
non fuissent renuntiata ? Respondeo affirmati- 173
vè : nam talis appositio conditionis non est con-
tra substantiam Religionis, cum fiat in tempus ha-
bile : tùm quia Frater Minor ejectus à Religione ,
vel electus ad Episcopatum recuperat jus succe-
dendi parentibus adhuc superstitibus. Ita expressè
Sanchez, Natta , quos refert, & sequitur Pellizza-
rius *Tom.* 1. *tract.* 2 *cap.* 9. *num.* 23.

Item potest apponere conditionem in renuntia- 174
tione, ut quotannis certa summa illi solvatur in
proprios usus, de licentia Prælati insumenda : Mi-
randa 1. *p. q.* 13. *art.* 9. Pellizzarius *suprà num.* 25.
est enim tunc Novitius dominus bonorum suo-
rum , & potest de aliis disponere , ut libue-
rit ; & aliàs talis conditio non adversatur substan-
tiæ Religionis , siquidem illa summa acquiritur
non Religioso sed Religioni.

Secùs dicendum est , si apponat conditionem, 175
ut ibi certa summa solvatur , si videbitur illam
postulare , & exigere ; nam hæc conditio ha-

betur tanquam non posita cum sit contraria professioni religiosæ, nam remittere est actus proprietatis, cujus professus est incapax, poterit tamen apponi talis conditio de consensu Prælati. Ita cum multis Bordon. *Tomo 2. resolut. 591. & sequentibus.*

176 An autem renunciatio facta à novitio absque solemnitatibus Tridentini sit valida, si juramento firmetur? Respondeo negativè. Undè neque in conscientia parit obligationem. Ita communiter DD. apud Pellizzarium *suprà numero 29.* Nam omnes renuntiationes aliter factas annullat Tridentinum *sessione 25 capite 16. de regular.* lex autem Ecclesiastica potest probibere, & annullare juramenta aliter facta, ut constat.

177 Dico III. Possunt novitii non obstante decreto Tridentini, & sine solemnitatibus ab eo præscriptis facere testamentum, Codicillum, & quamcumque aliam ultimam voluntatem ex causa mortis, seu quemcumque alium contractum re-
178 vocabilem; Ita Navar. Azor. quos refert, & sequitur Lezana *suprà numerum 35.* Moli. Menoch. Rodrig. quos refert, & sequitur Palaus *suprà numerum 6.* Ratio est, quia cum intentum Concilii solum sit, ne dispositione bonorum facta à novitio
179 cogatur profiteri, censendum est solum velle comprehendere suo decreto dispositiones seu contractus irrevocabiles, non verò revocabiles, ut sunt isti, de quibus loquimur, cum possit illos novitius revocare, quando voluerit.

180 Possunt etiam eodem modo facere aliquas donationes, & eleemosynas parvi momenti, attentis facultatibus ipsorum, propter eandem rationem: qua de causa licitum est etiam novitio, vel novi-
181 tiæ præbere necessaria ad victum, & vestitum, ex qua ratione honestantur sumptus, qui in ingressu monialium fieri solent, pertinent enim ad novitii, vel novitiæ victum. Suar. Sanch. Peyrinis, quos
182 refert, & sequitur Lezana *suprà numero 35.* Palaus *suprà num. 7.*

Idem dicendum est de munusculis, quæ aliqui
183 donant Religiosis ad captandam eorum benevolentiam, ut facilius ingrediendus admittatur; nam hoc non est dare pro ingressu, vel professione, sed pro captanda amicitia, & benevolentia; Ita cum aliis Bordon. *Tomo 2. resol. 54. n. 149. circa finem.*

184 Idem etiam dico de illis contractibus, in quibus nihil perdunt de suo, ut sunt, emptio, venditio, commutatio, locatio, & similes. Peyrinis, quem refert, & sequitur Lezana *suprà numerum 35.* Sanchez, & alii apud Palaum *suprà num. 6.* quibus adde contractus societatis, & ludi, in quibus æquè lucri, ac jacturæ periculo quis exponitur, hoc decreto non comprehendi.

Secùs dicendum est de contractu fidejussionis, etiam pretio accepto, quia semper datur obligatio 185
ad assecurandam majorem quantitatem, quàm est pretium acceptum. Palaus *sup. num. 6.*

Quid verò dicendum sit de renuntiatione beneficii Ecclesiastici, vel officiorum publicorum? Respondeo cum Sanchez *lib. 9. in Decalogum cap. 5. num. 36.* sub hoc decreto comprehendi, ac per consequens talia officia non vacare, nisi conditionibus completis Trid. ut *supra* diximus vide Sanch. 186
supra.

An autem possint ipsi novitii, vel illorum parentes, vel tutores dare mutuo aliquid monasterio 187
firma cautione? Negat Valascus, Sanch. Suar. quos refert, & sequitur Palaus *supra num. 8.* Credo tamen id fieri posse, quando mutuum datum fuit firma cautione, vel fidejussione, quod possit recuperari: hoc enim non videtur esse contra mentem Trid. ita multi DD. Salmanticenses, quos refert, & sequitur Rodrig. 2. *Tomo cap. 7. num. ultim.* Lezana *supra num. 35.* Nec Sanchez, & alii DD. id audent condemnare, ut testatur Palaus *supra.*

Donationes autem, seu renuntiationes factæ 188
à novitiis, cum solemnitate petita à Concilio non sortiuntur suum effectum, nisi realiter sequutâ professione. Undè, si post donationem, vel renun- 189
tiationem moriatur novitius antè professionem, talis donatio, vel renuntiatio est nulla, quia ita clarè deciditur in ipso Concilio, dum dicitur tales 190
donationes, vel renuntiationes non habere effectum, nisi sequutâ professione. Ita Navar. Rodrig. Sanch. quos refert, & sequitur Lezana *supra num.* 191
mer. 39. imò talis professio debet esse valida ut dicunt prædicti DD. & nos *supra* tetigimus.

SECTIO V.

De Privilegiis Novitiorum.

192 *Novitii gaudent privilegio fori, &c.*
193 *Reputantur personæ Ecclesiasticæ.*
194 *In favorabilibus veniunt nomine Religiosorum.*
195 *Sunt exempti à jurisdictione laica, & Episcopali.*

196 Non

196 *Non solum in delictis commissis in Religione, sed etiam in sæculo, si lis non erat incepta tempore ingressus.*

197 *Si judex sæcularis jam cœperat cognoscere potest Novitium à Religione extrahere, & punire.*

198 *Novitii sunt exempti à solutione gabellarum, & contributionem, sicut alii Religiosi.*

199 *Gaudent privilegio canonis*, Si quis Suadente.

200 *Per ingressum Religionis liberantur ab irregularitate ex defectu natalium.*

201 *Novitius in favorabilibus venit nomine Monachi.*

202 *Hoc privilegium, ut prosit Novitiis, debent ingredi Religionem bona fide, etiam animo perseverandi.*

203 *Si ficte ingrediantur, non liberantur à prædicta irregularitate.*

204 *Qui bona fide intrant, si postquam sunt in sacris ordinati nolint profiteri, non reincidunt in prædictam irregularitatem.*

205 *Noviti bona fide ingressi, si postea sua culpa exeant non reincidunt in censuras, à quibus ob ingressum fuere absoluti.*

206 *Novitii per ingressum non privantur beneficiis Ecclesiasticis.*

207 *Possunt illis renuntiare.*

208 *Dum non renuntiant, tenentur recitare officium Divinum, ut faciant fructus suos.*

209 *Si habeant jus præsentandi, ad illos pertinet præsentare.*

210 *Si habeant jus eligendi, possunt ad electionem accedere.*

211 *Si non accedant, cæteri electores non tenentur eos vocare.*

212 *Novitus impotens solvendi creditoribus, per ingressum à debitis liberatur.*

213 *Quomodo hoc intelligatur?*

214 *Conventus prædicta debita tenetur solvere, si Novitio antè professionem aliqua hæreditas relinquatur.*

215 *Non tamen, si post professionem relinquatur.*

216 *Solutio debet fieri ex bonis debitoris.*

217 *Quomodo Novitius possit ad Ordines promoveri?*

218 *Quomodo in irregularitatibus, votis, juramentis & præceptis dispensari possit?*

219 *Quomodo possit absolvi à reservatis, & lucrari Indulgentias?*

SUperiori tractatu *disp.* 2. *sect.* 5. §. 2. aliquà privilegia specialia Novitiorum retulimus; quia verò ibi non omnes exemptiones, & privilegia, quæ novitiis competunt de jure communi, sed quæ illis competunt ex particularibus Bullis declaravimus: ideò breviter hic sequentia addenda existimavimus, pro cæteris ad prædictum Tractatum Lectorem remittentes.

Dico igitur I. Novitii gaudent privilegio fori, ita, ut non possint conveniri pro ullo delicto 192
coram judice sæculari, vel coram Episcopo, sed solum debent conveniri coram suo Prælato regulari. Ita Molina, Sanchez, & alii, quos refert, & sequitur Lezana *Tomo* 2. *cap.* 24. *num.* 4. Pellizzarius *tract.* 2. *cap.* 7. *num.* 7. & 12. Ratio est, quia No- 193
vitius ex ingressu in Religionem reputatur persona Ecclesiastica, & in favorabilibus venit nomine Religiosi, juxta *cap. Relig.* §. quamvis *de sententia* 194
excommunicationis in 6. ergò non solùm est exemptus à jurisdictione laica, sed etiam Episcopali.

An autem hujusmodi conclusio procedat solum de delictis commissis post ingressum Religionis, 195
an verò etiam de patratis ante ingressum? Respondeo procedere etiam de commissis ante ingressum Religionis, si alias judex laicus non cœpit 196
cognoscere de illis, antequam Novitius ingrederetur Religionem; Nam si cœpit cognoscere potest Novitium extrahere à Religione, & punire. Ita 197
Portel *de dubiis regularibus* verbo *Novitii num.* 17. Pellizzarius *supra numero* 8. & patet *ex constitutione Sixii V.* §. 17. quam referunt prædicti DD.

Dico II. Novitii sunt exempti à solutione gabellarum, & contributionum, sicut alii Religiosi; sunt namque, ut diximus, personæ Ecclesiasticæ, & veniunt in favorabilibus nomine Religiosorum: ita Sanch. Peyrinis, Molina, Lezana, Diana, & alii, quos refert, & sequitur Pellizzarius *supra num.* 12. 198

Item gaudent privilegio canonis *Si quis suadente*, ut expressè statuitur in *cap. Religiosus de sententia excommunicationis in* 6. Ita Suar. Filliucius, Portel, noster Lezana, quos refert, & sequitur Pellizz. *supra num.* 13. 199

An verò Novitii per ingressum Religionis liberentur ab irregularitate contracta ex defectu natalium, ita, ut absque alia dispensatione possint admitti ad sacros Ordines? negant Azor. Suarez, Sanchez, quos refert, & sequitur Palaus *disput.* 2. *p.* 8. *tractat.* 16. *num.* 10. Sed licet hæc sententia communior sit, contraria tamen saltem in foro conscientiæ probabilior est. Hanc tenent Rodrig. *Tomo* 1. *quæst.* 13 *art.* 4. ubi dicit hanc sententiam tenuisse 200 201

gravissimos DD. eandem tuetur Pellizzarius *suprà numero* 16. Ratio fundamentalis est, quia *capite* 1. *de filiis presbyterorum* dicitur *ne illegitimè nati ad Ordines promoveantur, nisi aut monachi fiant, vel in Congregatione canonica regulariter viventes*; sed Novitius recipiens habitum fit monachus, præci-
202 puè in favorabilibus, ut *suprà* diximus: ergò. Tum quia esto Monachus non sit, saltem in Congregatione Canonica regulariter vivit, cùm ergò in dicto capite ab irregularitate eximantur, qui in Congregatione Canonica regulariter vivunt, fit
203 indè Novitium eximi: Confirmatur *ex capite* 1. *distinctione* 56. ubi URBANUS II. ab Ordinibus exclusit illegitimos, nisi aut in Cœnobiis, aut in Canoniis religiosè probati fuerint conversati: probantur autem Novitiatu: ergò Novitiatus ingressu hæc irregularitas cessat.

Nec obstat, si dicas cum Sanch. in prædicto *capite* postulari quod Novitius fiat Monachus: nam hoc ipso, quod Novitius Religionem ingreditur, fit Monachus, sicut etiam dicitur Religiosus, cum tamen Religiosus propriè non sit, nisi qui
204 est professus. Undè sicut diximus Novitios frui privilegiis Religiosis concessis, eò quod in favorabilibus veniunt nomine Religiosorum, licèt non sint propriè Religiosi, ita in hoc casu potest dici monachus ad effectum tollendi hanc irregularitatem.

Adverte tamen quod ad hoc, ut hoc privilegium prosit Novitiis, debere ingredi Religionem bona fide, & animo perseverandi; nam si fictè ingrediantur, non liberantur à prædicta irregularitate.

An verò, qui bona fide intrant Religionem, si
205 posteaquam fuerint ordinati Ordinibus sacris noluerint profiteri, reincidant in prædictam irregularitatem, ita ut non possint ministrare in sacris sus-
206 ceptis, nisi fuerint dispensati? Affirmat. Rodri. *ubi suprà*. Ratio illius est, quia sicut Novitius absolutus, à censuris reincidit in eas, si recedat, ita dispensatus in hac irregularitate.

Sed ego existimo minimè reincidere in prædictam irregularitatem; cujus ratio sumitur à con-
207 trario sensu: nam, ut in Tractatu *de privilegiis* diximus *disp.* 2. *sect.* 5. §. 2. *num.* 226. si Novitii bona fide ingressi, & sua culpa exeant, non reincidunt in præteritas censuras, sivè ante, sivè post ingressum
208 commissas, ut docet Suarez, Vechius, Hieronymus, Rodrig. Lezana, Frag. Bord. Candidus, Belazius, quos *ibi* retulimus: ergò idem pari modo in
209 præsenti dicendum erit.

Confirmatur, quia ex eo prædicti DD. dicunt Novitios non reincidere in censuras, quia privile- 210
gia, ratione quorum absolvuntur sunt absoluta, & non ad reincidentiam, sed etiam illa jura, ratione quorum Novitii ex ingressu Religionis dispensantur in hac irregularitate, sunt absoluta, & non ad reincidentiam: ergò.

DICO III. Novitii per ingressum Religionis 211
non privantur beneficiis Ecclesiasticis, possunt tamen præmissa solemnitate petita à Tridentino, illis renunciare; dum tamen non renuntiant, tenentur recitare divinum Officium, ut faciant fructus saltem suos, quoad illam partem, quæ solet dari illis, qui choro non intersunt, sed tantum in 212
particulari recitant divinum Officium. Ita Suar. & alii, quos refert, & sequitur Pelliz. *suprà n.* 23.

Item, si Novitius habeat jus eligendi ad benefi- 213
cia, vel jus nominandi, ut habent Patroni, *&c.* si velit, poterit eligere, & nominare; Undè si simul cum aliis habeat jus eligendi, potest, si velit, accedere ad Electionem faciendam, si tamen non accedat, cæteri coelectores non tenentur eum vocare, cum ille non possit commodè conveniri; Ita communiter DD. apud Pellizzarium *suprà numer.* 214
24. licet Peyrinis *de R. P. cap* 1. *num.* 24. dicat, in hoc sequendam esse consuetudinem, si adsit, sin minùs Novitium vocandum esse ad electionem, ut per se, vel per alium ad electionem modo dicto 215
concurrat.

DICO IV. Novitius per ingressum Religionis liberatur ab obligatione solvendi debita propriis creditoribus, si sit impotens ad solvendum, nec habeat spem se brevi tempore habiturum undè 216
solvat, secùs dicendum est, si habeat spem, quod si maneat in sæculo brevi tempore habebit undè solvat. Ita Diana, Azor, Lopez, & alii, quos refert, & sequitur Pellizzarius *suprà n* 28.

Adverte tamen quod si postquam ingressus est 217
Novitius Religionem, illi relinquatur aliquod legatum, vel hæreditas, vel donatio, teneri monasterium solvere prædicta debita; secùs dicendum est, si legatum relinquatur Novitio post ejus pro- 218
fessionem; nam tunc de rigore juris monasterium non tenetur solvere, cum illud legatum non Religioso, sed Religioni acquiratur, & aliàs solutio debet fieri de bonis debitoris. Ita Pellizzarius *suprà num.* 29.

An autem Novitii possint promoveri ad Ordi- 219
nes, & à quo Episcopo? vide nostrum Tractatum *de privilegiis disp.* 3. *sect.* 4. *n.* 113.

An autem possint dispensari in irregularitatibus,

bus, votis, juramentis, & præceptis, & absolvi à reservatis, & lucrari indulgentias, vide *disput.* 2. *sect.* 5. §. 2. *& disp* 5. ubi quidquid hic desiderari poterat, latiùs: & dilucidè invenies.

SECTIO VI.

Quomodo se gerere debeant Capitulares in approbatione, vel reprobatione Novitiorum?

220 *Quam grave negotium hoc sit?*
221 *Capitulares tenentur sub mortali indignos reprobare.*
222 *Econtrà verò, quos dignos invenerint sub mortali approbare.*
223 *Retrahere aliquem à Religione sine justa causa, est peccatum mortale.*
224 *Prælati sine causa Novitios habiles expellentes abutuntur sua potestate.*
225 *Expulsio semper affert gravem notam Novitio.*
226 *Novitius deserens Religionem tantùm peccat venialiter.*
227 *Ut Capitulares denegent votum Novitio, requiritur gravis causa.*
228 *Ex his quædam sunt vitiosæ, quædam naturales.*
229 *Recensentur vitiosæ.*
230 *Referuntur naturales.*
231 *Defectus naturales, si ante ingressum deprehendantur, non est Novitius admittendus.*
232 *Si postea deprehendantur, Novitius potest expelli.*
233 *Quid faciendum, quando defectus cesserit in infamiam Novitii.*
234 *Novitius si sit expellendus ob aliquem defectum vitiosum, ultra consensum Provincialis, Prioris, & Magistri requiritur etiam judicium Capituli.*
235 *Defectus ob quos Novitius expellendus est, non debent esse cogniti in confessione.*
236 *Magister Novitiorum, vel alius denegans suffragium Novitio ob defectum cognitum in confessione, violat sigillum confessionis.*
237 *Dubitans an debeat, vel non, negare suffragium Novitio, potest ex alio titulo à Capitulo abesse.*
238 *Non tamen declarando se recedere ob hoc dubium.*
239 *Si non potest recedere, nisi suum dubium manifestando, tenetur non recedere, sed dubium deponere.*
240 *Agens ex conscientia dubia peccat mortaliter.*
241 *Ut deponat dubium, debet stare judicio majoris partis Capituli.*
242 *Datis etiam ultimis suffragiis, nova suborta causa potest Novitius expelli.*
243 *In nostra Congregatione Provincialis habet suffragium pro Novitio, si velit Capitulo Conventuali interesse.*
244 *Idem dicendum est de Generali.*
245 *Novitius non potest admitti ad professionem, nisi de licentia Provincialis in nostra Congregatione.*
146 *De jure communi remanentibus æqualibus votis, Provincialis absens potest ferre suum suffragium pro aliqua parte.*
247 *Non tamen de jure nostro, sed statim Novitius expellendus est.*

DIco I. Unum ex gravioribus magisque momentosis omnis Religionis negotium est approbatio, & reprobatio Novitiorum: Undè in re 220
tam gravi, maximo zelo, & prudentia utendum est Religiosis seu iis omnibus, quibus hoc onus incumbit. Tenentur namque sub peccato mortali, quos indignos invenerint, reprobare, quia oppositum cedit in gravissimum Religionis præjudicium. Peyrinis *de R. P. quæst.* 3. *cap.* 1. *num.* 118. cum 221
Fausto, & Ledesma. Econtrà verò, quos dignos invenerint approbare; reprobare namque dignum absque legitima causa peccatum mortale est, ut *suprà* diximus; quidquid dicat in contrarium San. *lib.* 5. *moral. cap.* 4. *num.* 59. ita Miranda 1. *p. quæst.* 25. *art.* 12. Portel *in dubiis regularibus verbo* Novitius *num.* 55. Peyrinis *de R. P. quæst.* 3. *cap.* 1. §. 4. 222
Cajetan. Passarel. Suarez, quos refert, & sequitur Belasius *verbo* Novitius *num.* 39. Vechius, Faustus, Diana, quos refert, & sequitur Bordon. *Tom.* 2. *resol.* 54. *num.* 135. & N. Francisc. Bonæ spei *Tomo* 5. *tr.* 2. *disp.* 8 *dub. n.* 36.

Ratio est, quia Tridentinum *sess.* 25. *de regular. capite* 16. expressè præcipit Superioribus, ut Novitios repertos habiles finito Novitiatus anno ad 223
professionem admittant. Tum, quia non potest negari, quod retrahere alium à Religione sine justa causa sit peccatum mortale, sed expellere per denegationem suffragiorum plus est, quam simpliciter retrahere: ergò peccant mortaliter: Tum, quia sic Prælati abutuntur sua potestate, qua tenentur procurare bonum Religionis, privant namque Religionem Religioso idoneo: Tum, quia nemo negare potest, quod 224
expul-

expulsio sit gravis nota in Novitio : ergò si San-
225 chez admittit expulsionem sine causa esse pecca-
tum mortale, quando affert gravem notam Novi-
tio, cum hanc semper afferat, semper erit pecca-
tum mortale. Nec obstat, quod Novitius dese-
226 rens Religionem tantùm peccet venialiter ; nam
Novitius cedit juri suo, Religiosi verò non possunt
cedere bono, quod indè eveniret toti Religioni,
nec bono spirituali, quod subtrahunt proximo.

Dico II. Ad hoc ut Capitulares denegent vo-
227 tum Novitiis, requiritur gravis causa. Bordonius
Tomo 2. resolut. 54. num. 15. plures autem possunt
causæ assignari ob quas possunt, & debent Novi-
tii expelli : quarum quædam sunt vitiosæ, quæ-
dam naturales : vitiosæ sunt. 1. homicidium, seu
quælibet gravis, & enormis percussio. 2. assuefa-
228 ctio ad rixas, jurgia, & discordias. 3. pravus habi-
tus blasphemiæ. 4. quælibet transgressio casuum
à CLEMENTE VIII. reservatorum, & idem dicen-
dum est de aliis similibus & gravioribus. 5. per-
cussio, calce, pugno, vel manu in Superiorem, aut
magistrum, vel etiam sacerdotem, non tamen si
fuerit in convitium, & fuerit percussio levis.
229 6. furtum de pane, & vino, & aliis cibariis cum
fractione ostiorum, vel clavibus adulterinis, non
tamen si ex apertis officinis illa extraxerit. 7. egres-
sio furtiva, sivè diurna, sivè nocturna, quæ magnæ
est inconsiderationis apud Religiosos. Ita ferè
Bordon. *Tomo 2. resolut. 54. num. 16. & sequenti-*
bus. 8. Si Novitius de facto semel, & iterum exu-
ens se habitu Religionis, vel tædio vitæ regularis
affectus, vel egrè ferens correctiones, seu mortifi-
cationes conqueratur coram aliis connovitiis, &
dicat se nolle remanere in Religione ; quamvis po-
stea pœnitentia ductus postulet professionem, pa-
rum namque inclinat ad vitam regularem, cum
tædio habeat correctiones, mortificationes, clau-
suram, & alia, quæ necessaria sunt ad vitam regu-
larem, Ita cum Peyrinis Bordon. *supra numer. 98.*

Defectus verò naturales, ob quos Novitius de-
230 bet expelli, sunt, ignorantia, dementia, illegitimi-
tas, nisi dispensetur, surditas, cæcitas, claudicatio,
sanguinis macula Ita Bordonius *supra numer. 18.*
quibus ego addo malam indolem, & inflexibilem
voluntatem, ex qua nulla speratur emendatio, vel
profectus. Ita in simili casu Bordon. *supra num. 21.*
Quæ si in principio animadvertantur non debet
231 tale subjectum admitti ad habitum ; si verò postea
deprehendantur, propter illa debet dimitti, cum
hac advertentia : quod si defectus cesserint in ma-
232 ximam infamiam Novitii ; tunc debet expulsio
fieri à solo Magistro Novitiorum conscio Priore,
& Provinciali, non verò à Capitulo, ut optimè ad-
vertunt nostræ Constitutiones. *2. par. ca. 2. nume-* 233
ro 12. regulariter tamen si Novitius expellendus
sit, ob aliquem defectum vitiosum, ultra consen-
sum Provincialis, Prioris, & Magistri, requiritur
judicium aliorum Religiosorum commorantium
in eodem Conventu ; nam cum agatur de re gra- 234
vissima, qualis est status religiosus acquirendus,
vel amittendus, cautius procedendum est. Ita
cum Scorpha, & aliis Bordon *sup. n. 13.*

Dico III. Hujusmodi defectus vitiosi, ob quos
Novitius debet expelli, non debent esse cogniti
tantùm per confessionem ; Magister namque No-
vitiorum, vel alius, qui solum ob notitiam habi-
tam in confessione novitii, denegat suffragium, 235
peccat mortaliter ; est enim hoc contra sigillum, &
cedit in maximum præjudicium Sacramenti, cum
retrahat Novitios ab integritate confessionis. Ve- 236
chius, quem refert, & sequitur Peyrinis *de R. P.*
quæstion. 3. cap. 1. §. 4. numer. 114. Lezana *Tomo*
2. capite 13. numer. 48. Quidquid immeritò dicat
Portel *in dubiis regular. verbo* Novitii annus, *nu-*
mero 35.

Sed quæres : an Religiosus, qui nescit se resol- 237
vere an debeat negare, vel concedere suffragium
Novitio, de cujus idoneitate ad professionem du-
bitat, ex Capitulo possit recedere ? Et si nolit Præ-
latus ut recedat, an possit sine peccato eligere u-
num ex duobus, vel approbare, vel reprobare No-
vitium, vel an teneatur petere consilium ab aliis ?
Respondeo talem sic dubitantem posse se subtrahe- 238
re à Capitulo ex alio titulo, non tamen declarando
se recedere propter illud dubium ; hoc enim est
contra charitatem, ponit namque hoc facto in
discrimine probabilem opinionem, quam cæteri
Religiosi habebant de idoneitate Novitii, & hu-
jusmodi recessus cum sit illi potius nociturus,
quam profecturus, est irrationabilis, & contra cha- 239
ritatem ; nihil enim faciendum est ex quo sequi
possit damnum proximo. In tali ergò casu, si ex alio
titulo non possit recedere, neutrum potest eligere
absque depositione dubii, nam agens ex conscien- 240
tia dubia peccat mortaliter, ut docent omnes DD. 241
quare ut peccatum evitet, adhibitâ diligentiâ de-
bet deponere dubium, & stare consilio aliorum
Religiosorum, majoris enim partis consilium se-
qui tenetur, rejecto dubio. Ita Bordon. *Tomo 2. re-*
sol. 54. num. 61.

Dico IV. Datis etiam ultimis votis seu suffra- 242
giis ad professionem, ante tamen factam professio-
nem,

nem, liberum est Conventui Novitium demittere nova emergente gravi causa, vel etiam si aliqua vetus ignota de novo sciatur; Ita Peyrinis *de Prælato quæstione 3. cap. 1. §. 4. numero* 117. Vechius *disputatione* 12. *dub.* 7. & noster Franciscus supracitatus *dub.* 3. *num.* 29. Nam sicut revocari potest consensus ab altero conjuge ante ratum matrimonium, si aliquid superveniat, quod si à principio fuisset, vel notum esset, non fuissent contracta sponsalia, *capite* quemadmodum *de jurejurando*; ita à Conventu ante professionis emissionem possunt revocari suffragia valida; est enim argumentum de matrimonio carnali ad spirituale, *cap.* inter corporalia *de translat. Episcop.*

Sed quæres: An Provincialis habeat suffragium in receptione Novitii ad professionem? Pro solutione hujus quæsiti notandum est me discutere hanc quæstionem pro mea Religione, nam in aliis quid dicendum sit, Statuta unicujusque docebunt. In nostra igitur Religione non dubito, quod si Provincialis velit assistere Capitulo conventuali, & suffragium ferre, ut cæteri Conventuales
243 hoc posse efficere, cum omnis potestas, quæ est in Prælato inferiori, sit in superiore, ut notavit Pellizzarius *tractatu* 3. *capite* 3. *numero* 8. Et idem propter eandem rationem dicendum existimo de Generali; ipsi namque sunt veri Prælati illius domus.

244 Secundò certum est nullum Novitium in nostra Congregatione posse admitti ad professionem sine consensu Provincialis, ut constat ex 2. *parte nostrarum Constitutionum capite* 2. *numero* 18. Difficultas igitur est, an absente Provinciali à Capitu- 245
lo Conventuali, remanentibus æqualibus suffragiis pro utraque parte, possit Provincialis dare suum suffragium, sivè per scriptum, sivè personaliter, & cum suo suffragio approbativo faciente excessum ultra partem dimidiam, approbare Novitium ad professionem?

Affirmat Portel *in additionibus ad dubia regula-* 246
ria, quem refert, & sequitur Peyrinis *de Prælato quæstione* 3. *cap.* 1. §. 4. *numero* 116. Quæ sententia vera est stando in jure communi; verùm de jure nostro existimo non posse Provincialem hoc efficere, nec Generalem, & ita video quotidie practicari, paterque ex *nostræ Constitutionis* 2. *parte*, *capi-* 247
te 2. *numero* 12. Ubi præcipit, quod si in aliquo casu occurrant suffragia æqualia, statim Novitius ejiciatur. Ubi notanda sunt illa verba: statim Novitius ejiciatur, non enim præcipit, ut Provincialis expectetur assensus, sed quod statim ipso inconsulto ejiciatur: ergò lex minimè intendit, quod Provincialis absentis expectetur suffragium, & ita tenet Navarrus *libro* 2. *consil. titulo de regular. consil.* 62. primæ impressionis, ubi ait, non potuisse R. P. Generalem Ordinis Carmelitarum admittere ad profitendum Novitium, qui in suo Conventù pro receptione ad professionem habuit pro se dimidiam partem suffragiorum Capituli, & contra se aliam dimidiam, & non dissentit Portel, si de jure speciali nostro loquatur.



DISPUTATIO III.

De susceptione religiosi status per professionem.

SECTIO I.

Quas conditiones requirat professio Religiosa, ut sit valida?

1 *Professio solemnis est indissolubilis.*
2 *Professio votorum simplicium est dissolubilis ex parte Religionis.*
3 *Professio solemnis est indissolubilis jure canonico.*
4 *Status religiosus constituitur per professionem expressam, vel tacitam.*
5 *Quid sit professio expressa?*
6 *Quid sit professio tacita?*
7 *Professio tacita est valida, etiam post Tridentinum.*
8 *Talis professio, sivè tacita, sivè expressa debet esse absoluta.*
9 *Conditio repugnans alicui voto apposita professioni, illam annullat.*

10 *Matrimonium celebratum cum conditione repugnante est nullum.*
11 *Professio cum conditione de futuro, etiam adimpleta professione, non valet.*
12 *Sed præterea novus requiritur consensus.*
13 *Ut professio sit valida debet emitti in legitima ætate.*
14 *Debet fieri animo promittendi.*
15 *Non requiritur tamen expressus animus se obligandi, vel adimplendi.*
16 *Conciliantur opposita sententia de hac materia.*
17 *Debet esse libera, & absque errore, & deliberata.*
18 *Metus cadens in virum constantem incussus ad extorquendam professionem, illam annullat.*
19 *Si metus alio fine incutiatur, non illam annullat.*
20 *Metus reverentialis probabile est non annullare professionem.*
21 *Metus cadens in virum constantem incussus admittenti ad professionem, non illam annullat.*
22 *Metus non annullat professionem jure naturali, sed positivo*
23 *Error in substantialibus annullat professionem.*
24 *Error in accidentalibus, quæ non redundant in substantiam non annullant professionem.*
25 *Professio tacentis morbum gallicum est valida.*
26 *Contraria opinio etiam valdè probabilis est.*
27 *Qui in professione occultavit morbum gallicum, post professionem potest à Religione expelli.*
28 *Ingredi Religionem cum vinculo servitutis, & Episcopatus, est peccatum mortale, si fiat absque domini, & Pontificis licentia.*
29 *Professio tamen utriusque est valida.*
30 *Si dominus intra triennium post elapsam professionem servum repetierit, reddendus est ei.*
31 *Si servus noluerit sed pretium ejus, tenentur Religiosi illud solvere.*
32 *Professio conjugis post matrimonium consummatum est nulla, nisi fiat tempore legitimi divortii*
33 *Revocatus à Religione non potest debitum petere, potest tamen reddere.*
34 *Illa professio quoad obligationem non petendi, fuit acceptata ab Ecclesia.*
35 *Quomodo hoc sit intelligendum?*
36 *Causa nullitatis professionis debet probari apud judicem Ecclesiasticum.*
37 *Professio relinquentis parentes in gravi, vel extrema necessitate, est valida.*
38 *Peccat tamen sic professionem emittens.*
39 *Et in casu tali, cum legitima superioris licentia potest è Religione exire ad eis succurrendum.*
40 *Imò tenentur ad hoc, si aliud non detur remedium.*
41 *Si alia via illis potest subvenire, non potest è Religione exire.*
42 *Quid si Religio illis sufficienter provideat?*
43 *Quid si filio ex egressu immineat periculum suæ salutis? aut inopia illa subsequatur professionem?*

SUppono, ut certum, professionem solemnem
esse indissolubilem, tàm ex parte profitentis, 1
quàm Religionis: dixi solemnem; nam si professio sit simplex, ut est in Societate in professis primæ professionis, cum ea professio non sit absoluta, sed sub conditione secundùm statuta Religio-
nis, possunt in casibus, secundùm talia statuta, per- 2
missis dimitti, & liberari à vinculo religiosi status, ut latè probat cum aliis Pellizzarius *Tractatu*
3. cap. 5 num. 3. Quo jure autem inquies profes- 3
sio sit indissolubilis? Respondeo esse jure Ecclesiastico: undè per Pontificis dispensationem solvi potest, de qua materia latissimè agit cum aliis Pellizzarius, quæ utpotè minùs necessaria brevitatis causa omitto. His suppositis.

Dico I. Duplex est professio constituens sta-
tum religiosum, tacita scilicet, & expressa: profes- 4
sio expressa est contractus sacer, per quem Novitius voluntariè, clarè, & expressè emittit tria vota
substantialia, voce, scripto, vel nutibus in manibus 5
Prælati habentis jurisdictionem recipiendi ad professionem, in Religione approbata, quatenus approbata est. Tacita verò est illa, quæ fit habitum
deferendo professorum proprium, vel exercendo 6
munera professorum propria, intentione profitendi, scientibus, & consentientibus Prælatis, servatis
quoque aliis conditionibus, quas assignat Tri- 7
dentinum, quas latè enumerat Portel *verbo professio numero* 3. Et hæc professio est valida etiam post Tridentinum, quia jure antiquo erat valida, & Concilium circa illam nihil disposuit. Portel *suprà*, Lezana *Tom. 1 capite 2. numero 5.* Sanchez, & alii, quos refert, & sequitur Palaus *de statu religioso, disputatione 2. parte 1. numero 6.* Verùm hæc tacita professio apud Carmelitas, & varios alios,

alios, ut benè notavit noster Franciscus bonæ
spei, *loco supracitato*, *dubio* 4. *numero* 41. locum
non habet, cum iidem sint habitus & actus No-
vitiorum ac professorum : & maximè, quia in ipso-
rum Constitutionibus 1. *parte capite* 3. *numero* 6.
manifestè improbatur, his verbis : *Moneantur No-
vitii ratione temporis* &c. *tacitam professionem inter
nos non induci, quia intentio nostra est, ut tantummo-
do expressa professio admittatur.* Manifestiùs id ha-
bent Constitut. Discalceatorum Carm. Congreg.
S. ELIÆ, seu Italiæ, 2. *par. cap.* 7. *n.* 7. *Nec ratione*, in-
quiunt, *temporis, nec habitus gestatione, neque exer-
citio aliquorum actuum, qui professis peculiares sint,
apud nos volumus tacitam professionem induci : solam
enim expressam Congregatio vult admittere.*

8 Debet autem hujusmodi professio, sive tacita,
sive expressa, esse absoluta, & non fieri sub condi-
tione : & de conditione repugnante alicui voto es-
sentiali constat annullare professionem : quia pro-
fessio valida esse non potest deficiente aliquo ex
tribus votis: qua de causa matrimonium cum con-
ditione repugnante celebratum irritum est. Ita fer-
9 mè innumeri, quos refert & sequitur Palaus *sup. nu.*
3. De aliis verò conditionibus de futuro major est
10 difficultas. Dicendum tamen est etiam posita con-
ditione non valere, sed ultra requiri novum con-
sensum; Ita Guttier. Suar. & alii, quos refert, & se-
quitur Dicastillus *de matrim. tra.* 10 *disp.* 5. *dub.* 6.
11 *n.* 55. Lezana *Tomo* 1. *cap.* 2. *n.* 26. Ratio est, quia
ad professionem requiritur consensus, quo se pro-
fessus Religioni tradat; sed consensus sub conditio-
12 ne de futuro non est hujusmodi, siquidem non est
consensus in traditionem præsentem, sed in futu-
ram, pendentem à conditione : ergò nunquam po-
test esse consensus ad professionem sufficiens, sed
tantùm erit votum simplex professionis emitten-
dæ, adimpleta conditione.

13 DICO II. Ut professio sit valida debet emitti
in legitima ætate, hoc est anno 16. ut *suprà* nota-
vimus, & expleto anno novitiatus, ut *suprà* quo-
14 que diximus. Item debet fieri animo prommit-
tendi, aliàs non esset professio; non requiritur ta-
men, ut promittens intendat expresè se obligare,
vel quod habeat animum implendi, quod promit-
15 tit : cùm enim ex natura promissionis naturaliter
sequatur obligatio, & professio essentialiter sit
promissio, quæ intrinsecè includit obligationem,
implicat in adjectis aliquem velle promittere effi-
caciter, & nolle se obligare; undè, si efficaciter in-
16 tendit non se obligare, voluntas promissionis non
fuit efficax; Ita Dicastill. *de matrim. disp.* 1. *dub.* 4. *n.*
61. & 62. Amicus *Tom.* 9. *disp.* 29. *sect.* 2. *n.* 31. &
disp. 4. *sect.* 3. *n.* 16. ubi conciliant oppositas senten-
tias relatas à Pellizzario *Tract.* 3. *cap.* 1. *n.* 42.

Item debet esse libera, & absque errore : & de li-
bertate constat, nam metus gravis cadens in virum 17
constantem incussus voventi, ad votum extor-
quendum de jure Ecclesiastico in omnium senten-
tia annullat votum: ergò à fortiori annullabit pro-
fessionem : ita Portel *sup. n.* 24. Dixi *incussus ad ex-
torquendum votum*, nam si alio titulo incutiatur,
non annullat professionem, quidquid in contrari- 18
um dicat Peyrinis *de R. P. q* 1. *cap.* 25; Ita Pellizz.
ubi supra num. 57. An autem solus metus reveren- 19
tialis annullet professionem? Affirmat Navar Ro-
drig. Henriq. Sayrus, quos refert, & sequitur Portel
in additionibus ad dubia regul. verbo *professio num.* 1.
licèt contrarium etiam sit probabile. Ut fatetur 20
idem Portel. *ubi suprà.*

An verò, si hic metus cadens in virum constan- 21
tem incutiatur admittenti ad professionem, annul-
let illam? Respondeo negativè; Ita Suar. quem re-
fert, & sequitur Palaus contra Lessium. Ratio est,
quia, ut diximus, agentes de voto metus non an-
nullat professionem jure naturali, sed positivo : sed 22
jus positivum, non disponit de metu Prælato pro-
fessionem admittenti incusso, sed solùm de metu
profitenti incusso : ergò solus hic metus annullat
professionem, & non alius: nam in his decretis non
est facienda extensio de uno ad alium.

DICO III. Certum est errorem annullare profes- 23
sionem si detur in substantialibus; nam si error tan-
tùm sit in accidentalibus, quæ tamen non redun-
dent in substantiam, non annullat professionem, ut
latè diximus de voto; Ita communiter DD. apud 24
eundem Palaum *ubi suprà num.* 3. §. 2. ex quo dedu- 25
citur non esse irritam professionem tacentis mor-
bum contagiosum, quo declarato non admittere-
tur, quia hic morbus, neque in jure, neque ex spe-
ciali Constitutione approbata à Papa, ut suppono,
neque ex vi contractus, professionem annullat; Ita
Navarr. Rodrig. Sanc quos refert & sequitur Pa-
laus *ubi suprà num* 4. Lezana *Tom.* 1. *cap* 2. Portel 26
verbo professio *num.* 9. licèt contrarium satis pro-
babiliter doceat Ledesma, quem refert, & sequitur
Peyrinis *de R. P. quæstione* 3. *cap.* 1. §. 2. *numero* 65.
in fine & *numero* 67. In opinione tamen eorum,
qui dicunt talium professionem fuisse validam, 27
poterunt talem morbum contagiosum occultan-
tes ab Ordine post professionem expelli propter
culpam commissam in occultando talem mor-
bum; Navarr. Sanchez, Sa. & alii, quos referunt
G 2 *ibid.*

ibid. prædicti DD. contra Rodri. Ledesmam, & alios, quos refert Peyrinis *de R. P. quæstione 3. capite 1. §. 2. num. 68.*

28 An autem professio, ut sit valida debeat esse libera à vinculo servitutis, & à vinculo Episcopalis dignitatis? Respondeo in primis ingredi Religionem cum his vinculis esse grave peccatum: si ser-
29 vus ingrediatur absque licentia domini, & Episcopus absque Pontificis beneplacito, de facto tamen utraque professio est valida, ita de servo tenet Silvester, Lopez, Suarez, Sanchez, quos refert & sequitur Palaus *de statu religioso disputatione 2. parte 2. §. 3. numero 2.* contra Azor, Lessium, & alios, quos *ibidem* refert.

De Episcopo verò Suarez, quem refert, & sequitur Palaus *supra §. 2.* Pellizzarius *tractatu 3. capite 2. numero 61.* contra Valentiam, quem refert Palaus, & contra Peyrinis *de R. P. quæst. 5. cap. 1. numero 47.* Ratio utriusque est, quia vota servi, & Episcopi, neque ex jure naturali, neque ex jure Pontificio apparent irrita: ergò licet jus probibeat, ne emittant hæc vota, cum tamen illa non annullent, non est cur dicamus talem professionem esse
30 nullam. At si Dominus intra triennium etiam post professionem servum suum repetierit, debet reddi; quod si Dominus noluerit servum professum
31 habere, sed pretium illius, tenetur Religio pretium reddere, ut probabilior tenet sententia, si sua culpa servum hunc ad professionem admisit. Vide Palaum *suprà.*

32 Secùs dicendum est de professione conjugis post matrimonium consummatum absque licentia alterius conjugis; nam talis professio est nulla, nisi fiat tempore legitimi divortii, ut habetur expressè
33 *Capite placeat*, ideoque conjux potest maritum suum à Religione revocare & è contrà: & maritus tenetur obedire: revocatus tamen non potest debitum petere, esto teneatur reddere, quia illa, quo-
34 ad obligationem non petendi fuit acceptata ab Ecclesia, utpote, quæ non cedit in præjudicium conjugis non consentientis, ut constat ex *cap. placeat, & cap. n quidam,* & *ibidem* communiter DD.
35 Palaus, & alii *locis suprà allegatis*, hoc tamen intelligendum est, nisi maritus sic professus expressam voluntatem habuisset non aliter se obligandi ad castitatem, quam dependenter à statu Religioso, quia hac voluntate expressa posita, nulla potest esse obligatio, cum nullus verus sit status assumptus. Vide Palaum *supra §. 4.* ubi pro hac sententia plures congerit Authores. Undè etiam si conjux non petat, ut maritus exeat à Religione, poterit ipse illam deserere, præcedente tamen judicis auctoritate; requiritur namque se- 36
cundùm Tridentinum, quod causa nullitatis professionis apud judicem probetur. Ita Palaus *supra numero 3.* Portel *verbo professio per totum.* In nullo alio casu erit professio irrita, si fiat de consensu uxoris, licèt non serventur regulæ jure præscriptæ, & aliàs professio sit sacrilega. Palaus *suprà num. 7.*

Dico IV. Professio non est irrita, si quis Reli- 37
gionem profiteatur relinquendo parentes in extrema, vel gravi necessitate, quibus si non intrasset Religionem posset subvenire, peccat tamen sic profitens. Ratio est, quia vota non dependent quoad suam essentiam à necessitate parentum, ita 38
ut certum cum aliis tradidit Palaus *suprà §. 6. numero 1.* Lezana *Tomo 1. cap. 2. n. 13.* Graffius, Suar. & alii, quos refert, & sequitur Pellizzarius *tractatu 3. capite 2. numero 54.* in casibus autem, in qui- 39
bus Pater, aut Filius peccat ingrediendo, vel profitendo Religionem, quos suprà insinuavimus, agentes de Novitiis, possunt facta professione egredi è Religione, servatis tamen servandis, ut succurrant prædictis necessitatibus; imò forsan tenen- 40
tur: hoc enim petere videtur jus naturæ, & vinculum obligationis, quod est inter Patrē, & filios.

Dixi, *servatis servandis*, nam si Religiosus alia via possit illis subvenire manendo in Religione, 41
salva obedientia, statuque religioso, vendendo à se artefacta, vel eleemosynas emendicando, sibi ipsi subtrahendo ex victu *&c.* omnia potest licitè efficere; nam licèt ad hæc licentia ab immediato Præ- 42
lato iniquè negaretur præsumitur concessa à superiori Prælato, vel potius ex pia legis interpretatione: hæc tamen debent fieri, secluso scandalo, & parentum necessitate certa; ita cum Sanc. & Suar. Palaus *sup. n. 9.* Lezana *Tomo 1. cap. 2. nu. 13.*

Item, nisi aliàs Religio illis necessaria præstet; quod si non fiat, nec possit fieri, tunc posse Religiosum, è Religione exire non solùm pro necessi- 43
tate extrema parentum, ut omnes tenent, sed etiam pro necessitate gravi ut plures affirmant; licet aliqui ad hoc legitimam Superioris licentiam requirant: Notat tamen, & benè, noster Philippus à SS. Trinitate, *Tomo 3. curs. Theolog. disp. 4. de statu relig. dub. 3.* filium ad hoc non teneri, si adverteret sibi certò imminere periculum suæ perditionis, si à statu religioso recederet; quia cum tanto spirituali dispendio non tenetur parentibus succurrere in necessitate temporali. Quod si parentum gravis necessitas subsequatur filii professionem,

non

non tenetur, imò nec potest statum religiosum dimittere, ut parentibus succurrat, ut *ibidem* ille probat ex sancto Thoma. Nec dissentit noster Lezana *loco citato*, his verbis: si verò ex hujusmodi obsequio parentibus exhibendo, sequatur filio notabile dispendium salutis spiritualis, potest providendo animæ suæ intrare Religionem, & in ipsa profiteri. Quia bonum spirituale filii debet præferri bono corporali, aut temporali parentum. sanctus Thomas 22. *quæst.* 101. *art.* 4. & Cajetan. *ibidem* Nec omittas videre circa hoc Pellizzarium *Tomo* 1. *tract.* 3. *cap.* 2. *n.* 55.

SECTIO II.

Quibus personis competat facultas recipiendi Novitios ad professionem?

44 *Papa se solo potest admittere Novitios ad professionem, non verò Protector Ordinis, aut ullus Legatus, aut congregatio Card. &c.*

45 *Solus Prælatus regularis, & cui ille delegaverit, de consensu majoris partis Capituli, potest recipere Novitiorum professiones.*

Prælatus absque consensu Capituli non potest recipere professiones.

46 *Nec Conventus Prælato repugnante.*

47 *Facultas recipiendi Novitios ad professionem, ad immediatum Prælatum, simul cum Conventu, de jure communi spectat.*

48 *In nostra Congregatione debet præcedere licentia Provincialis, ut aliquis ad professionem admittatur.*

49 *Si talis licentia deficiat, professio absque illa à Priore cũ conventus consensu facta, est valida.*

50 *Professio novitiæ absque eo, quod præcedat Episcopi examen est valida, sicut & matrimonium, non prævìis denuntiationibus celebratum, est validum.*

51 *Professio admissa à Priore cum Conventu, repugnante Provinciali apud nos est valida.*

52 *Quomodo hoc sit intelligendum?*

53 *Matrimonium factum contra simplex interdictum sine decreto irritante, est validum.*

54 *Provincialis data justa causa potest coarctare potestatem Prælati inferioris, etiam cum decreto irritante, non tamen sine illa.*

55 *Capitulum generale potest facere statutum excludens tali vel tali defectu maculatos, &c.*

56 *Potest etiam facere statutum, ut fiat Novitiis protestatio, quod si talem vel talem habeant defectum, Religionem non habere animum illos ad professionem admittendi.*

57 *In hoc casu professio laborantis tali impedimento, est nulla.*

58 *Religio habet potestatem generalem condendi leges, dummodò non sit contra jus commune.*

59 *Prælati superiores possunt inferiorum potestatem, etiam cum decreto irritante, limitare.*

60 *Simile decretum cum protestatione nullitatis potest facere Definitorium generale.*

61 *Nomine Capituli generalis venit Definitorium generale.*

62 *Definitorium generale potest condere decreta, & statuta ad bonum commune totius Religionis.*

63 *Hæc doctrina habet etiam locum in nostra Religione.*

64 *Nostrum Definitorium generale potest condere decreta ad bonum commune totius Religionis, &c.*

65 *In Capitulo generali residet potestas per modum unius.*

66 *Decretum generale directè irritans professiones, debet esse perpetuum.*

67 *Non tamen decretum indirectè irritans professiones per subtractionem consensus.*

68 *Provincialis, & Generalis in casibus specialibus possunt indirectè irritare professiones per subtractionem consensus, & jurisdictionis.*

69 *Idem potest facere nostrum Definitorium.*

70 *Episcopus potest in casu speciali suspendere facultatem parochi assistendi matrimonio.*

71 *Potest facere decretum prohibens parochis, ut non assistant matrimonio, non servata forma Concilii provincialis cum decreto irritante.*

72 *Idem potest efficere nostrum Definitorium circa professiones.*

73 *Sicut poterat Generalis, vel Provincialis casus sibi reservare ante decretum* CLEMENTIS *VIII.*

74 *Si Capitulum conventuale non consentiat in aliquam professionem, nisi cum tali conditione, illa non subsistente professio non tenet.*

75 *Quam facultatem habeat tunc Definitorium hujus Provinciæ?*

76 *Supposita facultate, quam habet potest condere prædictum decretum cum protestatione nullitatis.*

77 *Definitorium hujus Provinciæ nunc potest efficere pro bono communi illius, quidquid poterat definitorium generale.*

78 *Definitorium hujus Provinciæ habet auctoritatem ordinariam.*

79 *Et dato quod esset delegata, est ad universitatem causarum.*

80 *Potest ab Ordine ejicere Religiosos.*

81 *Potest recipere fundationes, & cætera efficere, quæ sunt propria Definitorii generalis.*

82 *Simile decretum potest etiam fieri à nostro Capitulo Provinciali.*

83 *Capitulum Provinciale ex justa causa potest limitare potestatem suorum Prælatorum.*

84 *Quam potestatem habeat nostrum Capitulum provinciale ad faciendum decreta?*

85 *Talia decreta non debent esse contraria Regulæ, vel Constitutionibus.*

86 *Definitorium generale potest Constitutiones dubias declarare.*

87 *Idem potest facere Definitorium hujus Provinciæ.*

88 *Hæc declaratio est legalis, & obligat ut lex.*

89 *Ad faciendum simile decretum, non requiritur specialis facultas legis.*

90 *Sufficit generalis facultas ad facienda decreta, sive sanctiones ad bonum commune provinciæ.*

91 *Capitulum generale non ex speciali, sed generali concessione Papæ faciendi leges pro bono communi religionis, fecit hoc decretum.*

92 *Hoc decretum non est positivè, sed tantùm negativè, contra nostras Constitutiones.*

93 *Talia decreta tantùm sunt negativè contra jus commune.*

94 *Hoc statutum non est indirectè contra nostras Constitutiones.*

95 *Contrarietas indirecta est contrarietas positiva.*

96 *Declaratur hoc optimo exemplo.*

97 *Matrimonium inter consanguineos in primo gradu est prohibitum jure divino.*

98 *In aliis gradibus est prohibitum jure Canonico.*

99 *Facere directè, vel indirectè contra jus divinum, est peccatum mortale.*

100 *Ponere conditiones in professione, est res gravissima pertinens ad bonum totius Religionis.*

101 *Potest etiam esse bonum speciale, pertinens ad bonum alicujus Provinciæ.*

102 *Capitulum provinciale in his, quæ specialiter pertinent ad bonum Provinciæ, non est pars sed totum.*

103 *Quomodo circa has res habeat voluntatem totius Religionis?*

104 *Explicatur hoc quodam exemplo.*

105 *De statu religioso solus Papa potest disponere.*

106 *Respectu status religiosi in communi, non est conveniens apponere has vel illas conditiones in professione.*

107 *Potest hoc esse conveniens bono speciali alicujus Religionis.*

108 *In casu quo sit conveniens, potest illas apponere Religio ex generali potestate condendi leges.*

109 *Non est ad hoc specialis facultas necessaria.*

110 *Idem potest facere hæc Provincia ex generali concessione condendi decreta pro bono communi provinciæ.*

111 *Quomodo in hoc casu consensus totius Religionis subordinetur voluntati hujus Provinciæ?*

112 *Hoc decretum Capituli provincialis, licèt non esset validum, ut præceptivum, valet tamen ut declarativum juris naturalis.*

113 *Professiones habentium tales defectus, sunt jure naturali irritæ.*

114 *Quando Novitiatus est nullus ex defectu consensus, professio etiam est nulla.*

115 *Novitii, si quando de talibus defectibus interrogantur, illos occultent, Novitiatus est nullus*

116 *Deficiente potestate in admittente, professio indè sequuta est nulla.*

117 *Dolus vel error dans causam professioni circa qualitates Novitii; quando annullet professionem?*

118 *Conditio apposita matrimonio circa qualitates, quomodo illud annullet, si absit.*

119 *Idem dicendum est, quando contrahens cogitat de qualitate, & consensus fertur in personam tali qualitate affectam.*

120 *Idem dicendum est de professione.*

121 *Eodem modo Philosophandum est de aliis contractibus, ac de contractu professionis.*

122 *Alii contractus celebrati per dolum dantem causam contractui, sunt jure naturali nulli.*

123 *Generalis non potest dare professionem Novitio, nisi cum consensu Capituli illius domus, ubi Novitius peregit annum Novitiatus, vel majore parte illius.*

124 *Consensus Capituli est de essentia ad validam professionem Novitiorum.*

125 *Id quod est forma actus, non potest per aliud suppleri.*

126 *Professio recepta à Prælato excommunicato vitando, est valida.*

127 *Idem*

127 *Idem dicendum est in casu, quo omnes vocales sint excommunicati.*
128 *Excommunicatio non tollit potestatem exhibendi legitimum consensum ad professionem.*
129 *In casu, quo omnes vocales sint privati voce activa, excepto Prælato, de solo illius consensu potest Novitius profiteri.*
130 *Si solus Prælatus careat voce activa, tunc de consensu Conventus absque Superioris suffragio potest Novitius profiteri.*
131 *De jure communi Prior cum Conventu sine consensu Provincialis non potest expellere Novitium.*
132 *Benè tamen de jure speciali.*
133 *Approbatio Novitiorum in nostro Ordine debet fieri per secreta suffragia Capituli, non tamen de jure communi.*

44 PRo clariori notitia doctrinæ hujus sectionis suppono de jure communi nullum Ecclesiæ Prælatum, excepto Papa, & proprio Prælato regulari posse recipere professionem alicujus Novitii, sive sit Cardinalis, sive Legatus à latere, sive Religionis Protector, nec etiam ipsamet sacra Congregatio pro negotiis Regularium; Ita Sanch. *li.5. moral.cap.4.num.74.* Rodrig. *Tom.1.q.63 art.4.* Pellizz. *Tom.1.tr.3.cap.3 num. 5.* Nullus enim istorum habet jurisdictionem delegatam super Regulares, nisi tantùm quoad forum contentiosum, professio autem non pertinet ad forum contentiosum, sed gratiosum. Dixi, *excepto Papa,* quia cum ipse sit supremus Prælatus omnium Religionum, & habeat plenitudinem potestatis illimitatam, & independentem; potest de non Religioso facere Religiosum, & è contra. His suppositis.

45 Dico I. Solus Prælatus regularis, & cui ille delegaverit, de consensu majoris partis Capituli conventualis possunt recipere Novitios ad professionem. Hæc est communis apud omnes: nam licèt aliqui Canonistæ, quos refert, & sequitur Peyrinis
48 *de R.P q.1.cap.26.§.2.* dicant de jure communi non requiri consensum Capituli, sed tantùm consultationem factam à Prælato cum Capitularibus; de consuetudine tamen omnium Religionum, neque Prælatus potest absque dicto consensu Novitium recipere ad professionem, neque Monasterium potest aliquem recipere repugnante proprio Prælato, quia uterque consensus est requisitus ad valorem professionis: ergò si alter illorum deficiat, professio non subsistet; Ita Rodrig. Vechius, Medina, & alii, quos refert, & sequitur Pelliz. *sup.nu.12.*

Dico II. De jure communi hæc potestas tantum competit Prælato immediato simul cum suo Conventu; Ita colligitur ex Cap. *consuluit. 4.* Capite *fin. qui clerici.* Cap. *porrect.* Cap. *ad Apostol. de regul.* Cap. *fin. C. eodem in 6.* Ita Sanch. *supra numero 61. & 70.* Bonacina *q.2. de clausura p.10. dis.* 48
2. §.6.n.1. & alii communiter: De jure tamen particulari Religionum, videnda sunt earum Statuta, nam in Societate Jesu solus Generalis potest admittere ad professiones, ut constat ex ejus *Constitutionibus p.5.cap.1.§.2.& p.9.cap.3.§.1.* & in nostra Religione Carmelitana discalceata, ut aliquis admittatur ad professionem, debet præcedere licentia Provincialis ut patet ex *2. p.* nostrarum *Constitutionum cap.2.num.18.*

An autem, si Prælatus immediatus Conventus 49
novitiatus recipiat professionem alicujus Novitii in nostra Congregatione absque prædicta licentia Provincialis, professio sit irrita, major est difficultas? Existimo tamen respondendum negativè; Ita in simili casu colligo ex Portel *Tomo 2. casuum, casu 64.* & ex Sanch. *in decal. lib.5. cap.4. num. 84.* Ratio est, quia Prælati immediati de jure communi possunt recipere Novitios ad professionem, ut probatum manet: ergò licèt deficiat prædicta licentia, professio erit valida. Patet consequentia: quia quando supponitur potestas ad faciendum actum, & solùm additur nova solemnitas absque decreto irritante, tunc forma præscripta est accidentalis, ut cum multis latè probat Suarez *de legib. libro 3.cap.31.n.10.* & ejus omissio actum non annullat, ut sumitur ex *cap. dilectus de præbendis*, & ex *libro 1. cod. de appellat,* ut cum Suar. *suprà* docet Portel *ubi suprà num.5;* atqui in nostro casu supponitur potestas in Prælato ad recipiendum Novitium ad professionem; hæc enim competit illi ex jure communi, quam potestatem ab illo non adimit prædicta Constitutio, siquidem actum contrarium non annullat, sed tantùm postulat, ut tali modo fiat, sic enim ait: *posteriori facta Novitiorum approbatione, elapsoque Novitiatus anno, alio non interveniente impedimento, præcedente licentia Provincialis, ad professionem admittatur.* Ergò si aliter fiat licet illicitè, validè tamen fiet.

Confirmatur, quia facultas, quæ competit Prælatis immediatis ad recipiendos Novitios ad professionem, non censetur illis sublata, nisi positivè ab illis auferatur, ut cum Navarro & Bordon. tenet Pellizzarius *Tractatu 3. cap.3. numero 14.* Statuta namque specialia, debent quantum fieri potest jure communi conformari, sed nostra Constitutio

in

in prædicto loco, nec in alio non aufert prædictam potestatem à Prælatis localibus, quæ in illis competit de jure communi, sed tantum apponit, illam conditionem, quæ ut probatum est, tantum est accidentalis, ergò professio aliter facta erit valida.

50 Confirmatur secundò; quia sicut in nostra Constitutione postulatur quod præcedat licentia Provincialis ad professionem, ita etiam in Tridentino postulatur, quod præcedat admonitio Episcopi ad faciendum examen antequam novitia ad professionem admittatur, & quod trina denuntiatio à parocho fiat antè matrimonium, & tamen si talis admonitio Episcopi omittatur, & talis denuntiatio non præmittatur ad matrimonium, professio sequuta, & matrimonium tenent: ut cum Sanch. & aliis latè probat Portel *suprà*: ergò idem dicendum est in nostro casu; nam argumentum à matrimonio carnali ad spirituale est validum, ut colligitur ex *capite, hæc verò qui. cap. quæ* 10. 27. *quæst.* ut cum multis latè tenet Bordonius *suprà num.* 3.

Et hinc colliges, quod si Prælatus Conventus
51 Novitiatus postulaverit licentiam à Provinciali ad admittendum aliquem ad professionem, & ille eam denegaverit, si Prælatus immediatus talem Novitium admittat ad professionem, professio erit valida, nisi aliàs Provincialis ex legitima causa irritet professionem aliter factam. Ita Sanch *in De-*
52 *cal. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 71. Bordon. *Tom.* 2. *res.* 57. *num.* 33 Peyrinis *ubi suprà.* Ratio prioris partis est, quia multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent *cap.* ad Apostolicam *de regular.* Et ratio est,
53 quia non caret requisita potestate: tùm, quia matrimonium carnale factum contra simplex interdictum sine decreto irritante, tenet ex communi Doctorum sententia: ergò & spirituale, ab illo enim ad hoc valet argumentum, ut *suprà* diximus.

54 Quoad secundam verò partem etiam probatur; quia cum tota potestas Prælati inferioris resideat in Prælato Superiori, sicut justa interveniente causa potest eum privare tota potestate, ita illam coarctare, & sibi reservare in aliquo casu particulari. Dixi, *justa interveniente causa*, nam sine ea professio aliter facta teneret, etiam cum adjecto decreto irritante: cùm enim hæc potestas competat Prælato immediato de jure communi, non potest à Superiore auferri absque legitima causa, quæ sit nota inferiori Prælato, ut cum multis latè probat Peyrinis de *R. P. quæst.* 1. *capite* 26. §. 2. *versu.* Dixi ex justa causa.

Sed hic insurgit non levis difficultas, an Capitulum generale possit facere statutum, ne recipiantur ad professionem Novitii tali vel tali defectu, vel vitio laborantes, ut, si sint ex genere Judæorum, vel insanabili morbo infecti cum decreto simpliciter irritante professionem? Et respondeo, quod vel statutum absolutè annullat professionem sic maculatorum, vel tantùm vult, ut fiat illis protestatio, quod si tales defectus habeant, Religionem non habere intentionem illos recipiendi: si primo modo fiat Navar. *cons.* 17. *de regular.* Sanch. *lib.* 7. *de matr. disputat.* 39. *num.* 3. & alii affirmant tale decretum esse nullum, utpotè contra jus commune.

Sed contraria sententia probabilior est: hanc tenent Suarez *Tom.* 4. *de relig. tractat.* 10. *lib.* 2. *cap.* 2. *numero* 4. Portel *in responsionibus Tom.* 2. *casu* 90. *num.* 5. noster Lezana *Tom.* 6. *cons.* 27. *num.* 2. non enim tale statutum opponitur juri communi positivè, sed tantùm negativè.

Si verò statutum secundo modo fiat, tunc præ- 56
ter citatos Doctores affirmant etiam Navar. Rodriquez, quos refert, & sequitur etiam Sanchez *libro* 5. *in decal. cap.* 3. *numero* 73. & *lib.* 7. *de matrim.*
disput. 37. *numero* 30. Pellizzar. *tract.* 3. *cap.* 3. *numero* 24. Portel in *responsionibus casu* 19. & alii communiter. 57

Et ratio est, quia omnis Religio habet potesta- 58
tem generalem condendi leges, dummodò non sint contra jus commune, ut cum multis probat noster Lezana *loco citato, nu.* 2. sed hoc statutum sive uno sive altero modo fiat, non est contra jus commune; tùm, quia non opponitur illi positivè, sed tantum negativè: tùm, quia sicut liberum est Religioni recipere, vel non recipere aliquem ad illam, ita etiam liberum est illi non recipere, nisi habentes tales conditiones: ergò si de facto in admisso tales conditiones deficiant, professio erit irrita; nam Religio in tantum intendit eum recipere ad professionem, in quantum tales conditiones habet: hæc enim est natura conditionalis, ut tunc solùm habeat effectum, quando conditio existit.

Confirmatur, quia Prælati Superiores possunt 59
justa intercedente causa potestatem inferiorum ad recipiendos Novitios ad professionem coarctare, & limitare, etiamsi talis potestas illis competat de jure communi, nam quoad exercitium illius sunt dependentes à Superioribus, ut latè probat Palaus *de statu Religioso disp.* 2. *parte* 3 *num.* 5. ergò si de facto, decreto irritante, eam limitent, ut non recipiat aut consentiat professioni, nisi profitendus tali vitio,

vitio, vel defectu careat, professio aliter facta erit
irrita, utpote recepta à non habente potesta-
tem.

An autem idem statutum protestativum nul-
litatis professionis possit condere Definitorium ge-
60 nerale? Existimo respondendum esse affirmativè.
Ratio est, quia nomine Capituli generalis probabi-
le est, non solùm intelligi ipsum Capitulum gene-
rale, sed etiam Definitorium generale, & quod fit
à Definitorio generali, dicitur fieri à toto Capitu-
lo generali, ut tenet Pellizzarius *Tomo 2. tractatu
2. capite 3. numero* 102. Lezana *Tomo 2. capite* 12.
61 *numero* 21. Rodriquez *Tomo* 1. *quæstione* 13. *articu-
lo* 9. Sed Capitulum generale potest condere tale
Statutum ut probatum est: ergò idem poterit De-
finitorium generale. Confirmatur, quia Definito-
rium generale potest condere acta, & Statuta in
Ordine ad bonum commune Religionis, ut docet
Bordonius *Tomo* 2. *resolutione* 58. *quæsito* 5. *nume-
ro* 9. *in fine*: ergò licèt materia professionis sit res
gravissima pertinens ad bonum commune totius
Religionis, optimè circa illam poterit Definitori-
um generale condere acta, & Statuta, dummodò
sint iusta & convenientia

62 Hæc in aliis Religionibus, in quibus Defini-
torium generale, potest condere leges & statuta
perpetua pro tota Religione, non tanta cum diffi-
cultate procedunt: At in nostra Congregatione,
in qua Definitorium generale non potest condere
leges, & statuta perpetua, sed tantum pro suo tri-
ennio, majorem habet difficultatem. Verùm
absolutè dicendum existimo adhuc nostrum De-
finitorium generale posse pro illis provinciis, u-
bi opus fuerit, præcipere, ne per suum trien-
nium Novitii recipiantur, nisi cum prædicta pro-
testatione.

64 Ratio fundamentalis est, quia nostrum Defi-
nitorium generale potest condere decreta circa
alias materias pertinentes ad bonum commune
Religionis pro suo triennio, ut patet ex 3. *par-
te nostrarum Constitutionum capite* 8. *numero* 4.
ergò etiam poterit ferre hoc decretum. Patet con-
sequentia, quia lex absolutè, & absque ulla restri-
ctione talem potestatem illi concedit, ergò cum
nec etiam in jure detur talis restrictio, non est cur
illam restringamus: nam juxta commune axioma
juris, *illa permissa sunt omnia, quæ non sunt prohibi-
ta*, ut ex Barbos. & aliis notat Lezana noster *Tomo*
6. *consil.* 39. *numero* 17.

Confirmatur, quia eadem Constitutio 2.
parte, capite 2. *numero* 10. committit Superiori

bus potestatem faciendi arctiora statuta circa pro-
fessiones in illis Provinciis, ubi opus fuerit, sic
enim ait: *Si in aliqua Provincia, vel Reli-
gione, opus fuerit, strictiora Statuta circa hoc ad-
hibere, præcipimus, ut ea Superiores severis pœ-
nis imponant.* atqui per illam particulam (*Supe-
riores*) non solùm debet intelligi Capitulum ge-
nerale; nam pluralis locutio in duobus ad mi-
nus debet verificari, & pluralis numerus uno
non contentatur, ut est vulgare axioma, & per
jura, & DD. notum; Britto *littera P. numero* 14.
& in Capitulo generali residet potestas per mo-
dum unius, ut patet, & notat Megala *Tomo* 1.
verbo Capitulum *numero* 1. ergò illa particula (*Su-
periores*) etiam ad Definitorium gneerale exten-
denda est.

Nec obstat, quod Definitorium generale non 66
possit facere leges perpetuas, quia licèt de ra-
tione Statuti generalis, & absoluti pro tota Re-
ligione directè irritantis professiones sit quod sit
perpetuum, & quod à solo Capitulo gene-
rali fiat, de quo nunc non disputamus; non
tamen de ratione decreti specialis pro speciali-
bus casibus indirectè tantùm irritantis professio-
nes per subtractionem consensus, & potesta-
tis admittendi ab inferiori Prælato, quod sic
probatur: Generalis, & Provincialis possunt 67
condere decretum irritam reddens professio-
nem, in casibus specialibus, per subtractionem le-
gitimi consensus, & potestatis à Prælato inferio-
ri, reservando sibi in tali casu consensum, unà
cum Conventu in tali admissione præstandum,
ut cum Sanchez & Peyrinis docet Bordonius *To-
mo* 2. *resolutione* 57. *numero* 54. Palaus *de statu
Religioso disputatione* 2. *parte* 3. *numero* 5. & 68
tamen tale decretum non est perpetuum, nec fit
à Capitulo generali: ergò de ratione hujus de-
creti non est, quod sit perpetuum, nec quod
fiat à Capitulo generali; atqui Definitorium
præcipiendo Prælato Conventus novitiatus, ut 69
non consentiat professionibus, in casu, quo ex
parte profitentis detur talis defectus, nihil aliud
efficit, quam decretum ferre indirectè irritans pro-
fessiones per subtractionem consensus, & per re-
servationem potestatis admittendi in casibus spe-
cialibus: ergò optimè potest tale decretum con-
dere; consequentia est Thomæ Sanchii *libro* 5.
in Decalog. capite 4. *numero* 73. loquentis de Ca-
pitulo generali, cujus nomine venit etiam Defi-
nitorium generale.

Secundò probatur nostra assertio: quia licèt

Episcopus non possit impedimenta dirimentia matrimonium condere, potest tamen in casu speciali, ex justa causa suspendere facultatem parochi ad assistendum alicui matrimonio absque ipsius Episcopi licentia, in quo casu matrimonium aliter factum, est nullum, ut docet Sanchez *lib. 5. in Decalog. cap. 4. num.* 71.

71 Imò si Episcopus faciat decretum, vel statutum prohibens, ne parochi conjungant aliquos matrimonio, contra formam Synodi Provincialis, cum decreto irritante matrimonium aliter celebratum, non tenet, ut cum Pontio, Sanchez, Rota, Gutier. & aliis docet Joannes Bossius *de matrimonio, capite* 4. *numero* 129. ergò si Definitorium generale faciat decretum, ut Prælati in-
72 feriores non præstent consensum professionibus, nisi tali, vel tali forma servata, professio aliter facta erit nulla, non enim apparet de uno quam de altero major ratio: nam sicut Prælati inferiores non possunt ponere impedimenta dirimentia professionem, ita nec etiam Episcopus; sed Episcopus hoc non obstante, potest per suum decretum impedire matrimonium per subtractionem jurisdictionis à Parocho; ergò idem possunt facere Prælati inferiores Capitulo generali.

73 Confirmatur primò; quia licet potestas absolvendi de jure communi competat Prælato immediato respectu suorum subditorum, adhuc tamen Generalis, & Provincialis possunt, data justa causa, aliquos casus reservare, etsi omnes non possint, & facta reservatione, absolutio inferioris esset irrita (loquor ante decretum CLEMENTIS VIII.) ergò simili ratione, etsi ordinaria potestas recipiendi Novitios ad professionem conveniat immediato Prælato Conventus, cum Conventu de jure communi poterit Provincialis scilicet, vel Generalis non ad libitum, nec in omnibus casibus, sed ex justa causa, & in casibus specialibus reservare sibi admissionem ad professionem, hucusque Sanchez *in Decalog. libro* 5. *capite* 4. *numero* 71. ergò idem poterit facere Definitorium generale, quod superiorem habet potestatem, quam Generalis, vel Provincialis: ergò si reservet sibi professionem in casu, quo detur tale impedimentum, professio admissa à Priore in tali casu erit nulla; patet consequentia, quia quando Definitorium præcipit, ut nemo recipiatur ad professionem, si talem habuerit defectum non in omnibus casibus, & ad libitum aufert potestatem ordinariam à Prioribus, sed in his casibus specialibus, in quibus datur tale impedimentum: ergò sicut potest reservare potestatem Prælati inferioris, ne quemquam Religiosum pro suo triennio habentem tale, vel tale peccatum absolvat, ita poterit similiter reservare, ne quemquam sæcularem habentem talem defectum ad professionem recipiat, non enim invenio in his casibus ullam disparitatem rationis.

Confirmatur secundò: quia si Capitulum 74
Conventuale, etiam nullo præcedente decreto Capituli generalis, admitteret Novitium ad professionem cum conditione, si non sit infectus morbo gallico, aut alio defectu laboret, *&c.* Si Novitius haberet talem defectum, professio foret nulla, ut docet Bordonus *Tomo* 1. *resolutione* 8. *numero* 10. non ex vi alicujus decreti Capituli generalis irritantis professionem, sed ex defectu consensus ex parte Conventus, ut cum aliis tradit Bordonus *eadem resolutione numero* 61. ergò si Prælati superiores, quale est Definitorium generale pro tempore sui officii præcipiat Conventui noviciatus ejusque Priori, ut nullum Novitium admittat ad professionem, habentem tales, vel tales defectus, & Prior cum Conventu ad profitendum admittat habentem tales defectus, procul dubio tales professiones erunt nullæ; tum, quia Conventus cum suo Prælato non habuerunt intentionem admittendi talem Novitium ad professionem, utpote affectum tali vitio: tum, quia dato quod Prior cum Conventu attentaret talem admittere ad professionem, adhuc nihil efficeret; siquidem ejus potestas per Prælatum superiorem, cui illi obedire tenebatur, justa de causa limitata, & subtracta erat: ergò nostrum Definitorium generale optimè poterit tale decretum condere pro suo triennio, ut Novitii non admittantur ad professionem, nisi cum tali, vel tali conditione.

An autem hæc eadem potestas competat De- 75
finitorio hujus Provinciæ Lusitaniæ, pro præsenti statu, majus est dubium. Pro quo sciendum est, quod cum ob belli impedimenta hæc Lusitaniæ Provincia non possit recurrere ad suum Generalem, utpote Iberum, his bellorum temporibus, INNOCENTIUS X. huic necessitati occurrere volens, concessit eidem Provinciæ, ut sex Consiliarii electi à Capitulo Provinciali haberent cum Provinciali simul congregati respectu hujus Provinciæ omnem potestatem, & jurisdictionem, ac habet Definitorium generale pro tota Religione: hac ergò facultate INNOCENTII suppo-

ſuppoſita, inquirimus, an prædictum Definitorium poſſit condere tale decretum, in caſu, quo ſit neceſſarium ad bonum commune hujus Provinciæ? Et exiſtimo affirmativè eſſe reſponden-
76 dum. Ratio autem eſt, quia Definitorium hu-
77 jus Provinciæ poteſt efficere ad bonum commune hujus Provinciæ, quidquid poteſt Definitorium generale, ſed Definitorium generale poteſt condere prædictum decretum, ſi bono communi hujus Provinciæ neceſſarium fuerit, ut probatum manet: ergò idem poteſt efficere noſtrum Definitorium hujus Provinciæ.

78 Nec obſtat, ſi dicas Definitorium Generale habere authoritatem ordinariam; Definitorium verò hujus Provinciæ, tantùm habere poteſtatem delegatam, ac per conſequens limitatam ad directiones ſolummodò expreſſas in reſcripto Pontificio. Undè licet hoc poſſit efficere Definitorium generale, non tamen Defini-
79 torium hujus Provinciæ. Nam contra hoc eſt, quod Definitorium hujus Provinciæ non ſolùm delegatam, ſed, & ordinariam habet poteſtatem ad illas res, pro quibus in ordine ad bonum commune Provinciæ indiguerit Definitorio generali, ob defectum recurſus, ſiquidem conſtituitur per electionem, auctoritate Pontificia; ut in caſu ſimili docet Lezana *Tomo* 2. *cap.* 13. *numero* 16.

80 Et dato, quod tantùm haberet poteſtatem delegatam, adhuc tale decretum poſſet conficere, ſiquidem hæc poteſtas, licet ſit delegata: eſt tamen ad univerſitatem cauſarum;
81 unde poteſt ejicere Religioſos, admittere fundationes, & alia efficere, quæ ſunt propria Definitorii generalis, ut quotidiana experientia cernimus: ergò cum hoc decretum neceſſarium ſit in hac Provincia, & pro illo non poſſit recurri ad Definitorium generale, ſequitur neceſſariò, poſſe fieri à noſtro Definitorio provinciali eo modo, quo poteſt fieri à Definitorio generali, ſuppoſito quod tale decretum non ſit contra noſtras Conſtitutiones directè, vel indirectè, ut *infrà* dicemus.

82 Sed nunc majus inſurgit dubium, an prædictum decretum poſſit etiam fieri à Capitulo provinciali? Et loquendo de noſtro Capitulo provinciali exiſtimo affirmativè reſpondendum, quidquid ſit de aliis aliarum Religionum, quarum poteſtatem conſideret unuſquiſque pro ſua Religione. Et ra-
83 tio eſt: Primò, quia ut *ſuprà* probavimus, Definitorium generale, imò, & noſtrum provinciale Luſitaniæ poteſt præcipere Conventui novitiatus cum ſuo Prælato, ne quemquam recipiat pro ſuo triennio ad profeſſionem habentem talem, vel talem defectum; imò ipſemet Conventus, nullo præcedente decreto, hoc poteſt efficere, non præbendo ſuum conſenſum, ſi talem defectum habuerit: ergò idem poterit illi Conventui ejuſque Prælato præcipere Capitulum provinciale reſtringendo illius poteſtatem in hac parte, ut *ſuprà* probavimus, & Conventus tenebitur obedire; nam ſubditus, qualis eſt iſte Conventus ejuſque Prælatus reſpectu Capituli Provincialis, ex juſta cauſa licitè præcipienti obedire tenetur, ut notavit Peyrinis *de R. S. quæſt.* 1. *cap.* 26. §. 2. *dicto* 5.

Secundò probatur, quia Conſtitutiones N. 3. 84
part. cap. 4. *numero* 12. concedunt Capitulo Provinciali poteſtatem ad faciendum decreta, ſive ſanctiones toti Provinciæ, quando opus fuerit ad bonum commune ipſius Provinciæ, dummodò Con- 85
ſtitutionibus, & Regulæ non adverſentur; atqui prædictum decretum, neque Regulæ, neque Conſtitutionibus adverſatur, imò eſt ſecundùm ipſas Conſtitutiones, & eſt neceſſarium ad bonum commune ipſius Provinciæ: ergò Capitulum provinciale poteſt condere tale decretum; major eſt certa, minor probatur: quia non datur major ratio, cur alia ſtatuta poſſit condere, quam hoc: ergò ſi cætera poteſt efficere, etiam hoc, ſiquidem neque in jure, neque in ipſis Conſtitutionibus poteſtas quoad hoc illi reſtringitur.

Confirmatur, quia dato, & non conceſſo, quod 86
ſit dubium, an lex in prædicto loco tribuat facultatem Capitulo provinciali ad faciendum prædictum decretum? Noſtrum Definitorium declara-
vit talem facultatem illi conceſſiſſe: ergò hoc eſt 87
tenendum; nam Definitorium generale, cujus vices habet noſtrum Definitorium pro hac Provincia, ex indulto Pontificio, poteſt Conſtitutiones dubias declarare, ut ex Portel tradit Lezana *Tomo* 2. *cap.* 13. *num.* 14. Vidal. *tit. de ſubdito inquiſit.* 1. 88
num. 45. & hæc declaratio eſt legalis, & obligat, ut lex, ex privilegio Julii II. in quadam Bulla, quam refert Peyrinis *de privileg. Tom.* 1. *ad conſt.* 13. *ejuſdem Pontificis* § 1. *n* 2. & tenet idem Peyrinis, *ibid.* Tambur. *Tomo* 1. *diſp.* 16 *quæſt.* 6. *num.* 8. ergò illi ſtandum eſt.

Dices, ad faciendum tale decretum requiri 89
ſpecialem facultatem legis, & non ſufficere generalem ad facienda acta, ſive decreta ad bonum commune pertinentia Provinciæ. Reſpondetur negando antecedens. Nam ex eo quod Pontifex 90
tri-

tribuit facultatem Capitulo generali ad faciendas
leges, censetur dare illi potestatem ad faciendum
Statutum perpetuum irritans professiones, ut ar-
guit noster Lezana *Tomo 6. constitut. 27. numero 3.*
91 cum sit ad bonum totius Religionis: ergò pari ra-
tione ex eo quod lex nostra probet facultatem Ca-
pitulo Provinciali ad facienda acta & decreta per
triennium ad bonum commune Provinciæ, &
hoc sine aliqua restrictione, censetur etiam dare
illi facultatem ad facienda decreta conditionalia,
in casibus specialibus in ordine ad professiones,
non quatenus hoc est bonum totius Religionis,
sed quatenus est bonum illius provinciæ; & si lex
contrarium vellet in hoc casu, illud debebat expli-
care: nam verissimum est illud axioma, *si lex volu-
isset, expressisset,* de quo in simili casu Lezana *loc. cit.
consilio 6. n. 52.*

Instabis, hanc generalem concessionem legis ex-
cludere hoc decretum, nam lex tantum concedit
Capitulo provinciali facultatem faciendi acta, sivè
decreta, dummodo Regulæ aut Constitutionibus
non sint contrariæ; atqui hoc decretum est con-
trarium nostris Constitutionibus, siquidem illæ
non annullant professiones habentium tales defe-
ctus, sed tantum probibent; decretum verò illas an-
92 nullat: ergò Capitulum provinciale non potest
condere tale Statutum. Respondetur tamen tale de-
cretum non esse positivè, sed tantùm negativè con-
tra prædictas Constitutiones, quod non est esse
93 contra, sed præter legem, ut *suprà* diximus cum
Suario, Lezana, & aliis.

Sed insurges, saltem indirectè tale decretum esse
94 contra legem; atqui Capitulum provinciale non
potest condere aliquod decretum contra nostras
Constitutiones directè vel indirectè, ut patet ex ea-
dem lege: ergò non potest facere tale decretum. Re-
spondetur, negando majorem. Et ratio est, quia
contrarietas indirecta re vera est contrarietas posi-
tiva, & non tantùm negativa, qualis est ista, & po-
95 test hoc explicari hoc exemplo. Prohibet jus divi-
num matrimonium inter consanguineos in primo
gradu, & in aliis gradibus illud permittit, & ni-
hil amplius disponit: deindè idemmet jus Divi-
96 num præcipit, ut nemo faciat directè vel indirectè
contra ipsummet jus Divinum, quod quidem
certum est; nam facere directè, vel indirectè con-
tra jus Divinum peccatum mortale est, hoc sup-
posito.

Quæro, quando Ecclesia prohibet fieri matri-
97 monium in secundo, tertio, & quarto gradu facit-
ne indirectè contra jus Divinum, quod tale matri-
monium permittit? minimè; ita omnes affirmare 98
debemus, sed tantùm facit contra jus divinum ne-
gativè, siquidem jus Divinum ultra primum gra-
dum nihil disposuit: ergò contrarietas negativa,
non est contrarietas indirecta. ergò tale decretum
Provinciæ, nec indirectè est contra legem, & conse-
quenter ut validum debet sustineri, supposito,
quod Capitulum generale illi per prædictam le-
gem tribuit talem facultatem, quod potuit optimè 99
facere, habet namque Capitulum generale pote-
statem ordinariam, ac per consequens delegabi-
lem, ut in materia annullandi professiones suppo-
nit Lezan. noster *Tom. 6. consilio 5. num. 35.*

Objicies tamen primò pro contraria sententia, 100
quam absolutè docet Bordon. *Tom. 2. resol. 57. n. 18.*
ponere conditiones in contractu professionis est
res gravissima pertinens ad bonum totius Religio-
nis, ergò ad solum Capitulum generale debet per-
tinere in quo tota Religio repræsentatur?

Respondeo primò, ex hoc argumento tantum
sequi non posse Capitulum provinciale ponere
conditiones directè irritantes professionem, non
tamen, quod non possit ponere conditiones indi-
rectè irritantes professionem, suspendendo scilicet
in casibus speciali bus ex justa causa potestatem ad-
mittendi.

Secundò respondetur, apponere tales conditio- 101
nes etiam posse esse bonum speciale alicujus pro-
vinciæ: Undè licèt tales conditiones non posset
apponere, ut est bonum commune totius Religio-
nis, benè tamen prout est bonum commune pro-
vinciæ, præcipuè quando non ex se, sed ex com-
missione legis hoc facit, ut *infrà* dicemus, in quo
etiam sensu non existimo loqui Bordonum.

Objicies secundò: Capitulum provinciale esse
partem respectu totius Religionis, ac per conse-
quens non posse immutare consensum illius, qui
consensus datur ad contractum professionis in lege 102
sine ulla restrictione: ergò cum Capitulum non
habeat consensum totius Religionis, sed tantùm
partis non potest facere tale decretum. Responde-
tur, quod licèt Capitulum provinciale respectu 103
earum rerum, quæ pertinent ad bonum totius Re-
ligionis sit pars, in illis tamen rebus, quæ specialiter
pertinent ad bonum Provinciæ ex concessione le-
gis non est pars, sed totum, & habet etiam ex con-
cessione legis voluntatem totius Religionis ad po-
nendas has, vel illas conditiones, ubi opus fuerit ad
bonum totius provinciæ, ut supponit lex suprà ad-
ducta: *Si in aliqua provincia, &c.*

Et potest hoc declarari hoc exemplo: sicut
una

una Provincia, est pars respectu totius Religio-
nis, ita una integra Religio est pars respectu
status religiosi in communi, qui consistit in pro-
104 fessione, & traditione religiosa, de quibus so-
lus Papa potest disponere, ut tradit Suar. *Tomo
4. de Religione tractatu* 10. *libro* 2. *capite* 2. *nume-
ro* 6. & tamen licet respectu status religiosi in
105 communi non sit conveniens apponere has, vel
illas conditiones in professione, quia tamen hoc
potest esse bonum conveniens bono speciali ali-
cujus Religionis in particulari, ideò illas potest
talis Religio apponere ex generali concessione fa-
ciendi leges, quam habet à Papa, ut optimè ar-
guit Suar. citatus *numero 6. littera C. ibi. non opor-
106 tuit semper hanc potestatem in particulari à Pontifice
postulari; nam si alia, quæ ad Religionis regimen spe-
107 ctant per generalem concessionem commissa sunt, cur
non etiam hæc potestas:* ergò licet apponere has, vel
108 illas conditiones non sit conveniens bono com-
muni totius Religionis, si tamen fuerit conveniens
109 bono speciali alicujus Provinciæ, poterit talis Pro-
vincia tales conditiones professioni apponere, si
110 habeat potestatem à Capitulo generali faciendi a-
cta, sive decreta ad bonum commune ipsius pro-
vinciæ, ut habet nostra Provincia; nam si alia,
quæ ad regimen Provinciæ spectant per genera-
lem concessionem commissa sunt, cur non etiam
hæc potestas?

111 Objicies tertiò, hinc sequi consensum totius
Religionis manere subordinatum voluntati uni-
us Provinciæ, quo quid absurdius? quid diffici-
lius exponi potest? Respondeo consensum Reli-
gionis, non simpliciter, sed tantùm ex supposi-
tione, quod lex tribuit Provinciæ talem faculta-
tem, manere illi subordinatam; undè sicut non
est inconveniens, quod voluntas Regis maneat
subordinata voluntati legati, circa aliquos con-
tractus, quando Rex illi tribuit facultatem ad
faciendum circa tales contractus, quod conveni-
ens, & necessarium fuerit ad bonum commu-
ne regni: nam talis legati voluntas non ex se,
sed ex eadem voluntate Regis efficaciam ha-
bet, sic nullum est inconveniens, quod volun-
tas totius Religionis maneat subordinata, & de-
pendens ex voluntate alicujus Provinciæ in casi-
bus, in quibus tota Religio ipsi Provinciæ commi-
sit facere, & disponere, quod ad bonum commune
Provinciæ illius necessarium videbitur, siquidem
voluntas Provinciæ, non ex se, & ex innata virtute
sua, sed ex voluntate totius Religionis talem habet
efficaciam.

Addo tandem dato, & non concesso, quod
nec Capitulum provinciale, nec Definitorium ge-
nerale, nec nostrum hujus Provinciæ, haberent
à lege potestatem faciendi simile decretum, nec
illud jure communi possent efficere, ut conten- 112
dit Bordonus, adhuc tamen si tale decretum in a-
liqua ex nostris Provinciis fieret, ut in hac, à gra-
vissimis & doctissimis Patribus factum fuit, exi-
stimo, ut validum, & firmum deberi observari.
Nam tale decretum non est præceptivum, nec
inductivum aliquarum conditionum, quæ non
insint jure naturæ ipsi contractui, nec ullam 113
de novo inducit nullitatem in professionibus, sed
tantùm declarat nullitatem, quam affecti tali-
bus qualitatibus & sic profitentes contra vo-
luntatem Religionis jure naturali incurrunt; quod
sic probo.

Nam, quando Novitiatus est nullus ex defectu 114
consensus, professio etiam est nulla, ut cum Pey-
rinis, Tamburino, & aliis notavit Bordon. *Tom. 2.
resolut.* 54. *numer.* 11. sed novitiatus est nullus ex
defectu consensus totius Religionis in illis, in
quibus lex præcipit facere prædictam interroga-
tionem, an habeant tales defectus, si illos tacue-
rint, ut docet Peyrinis *de R. P. quæstione* 3. *capite* 1.
§. 2. *num.* 67. ergò cum nostra lex præcipiat fieri 115
Novitiis talem interrogationem si defectus tace-
ant, professio erit nulla.

Confirmatur, quia deficiente potestate in ad-
mittente ad professionem, professio est ipso jure
nulla, ut notavit Bordon. *ubi suprà.* & tenet Peyri-
nis *de Prælato quæst.* 3. *cap.* 1. §. 5. *n.* 135. *in fine.* Sed 116
quando nostra lex præcipit, ut habentes tales de-
fectus non admittantur, videtur adimere potesta-
tem à Prælatis sic maculatos admittendi: ergò pro-
fessio sequuta est irrita.

Secundò, urgentius probatur, quia quando da- 117
tur dolus & error, non solùm circa substantialia,
sed etiam circa qualitates personæ, contractus
professionis est irritus, si fiat dependenter ab ea
qualitate tanquam à conditione, ut tenet Sanchez
lib. 10. *de matrim. disp.* 9. *num.* 20. & *lib.* 7. *disput.*
18. *num.* 21. Sed in hoc casu datur talis dolus, &
error ex parte professionis, tacentis qualitatem in-
fectionis: ergò talis professio jure naturali est irri-
ta? Major præterquam quod est Sanctii probatur;
nam conditio circa qualitatem opposita actuali-
ter matrimonio carnali, sive expressè, sive virtu-
te, sive mente retentâ annullat matrimonium, ut
præter Sanchez *ubi suprà* docent Perez *disputatione*
24 *sectione* 4. *de matrimonio.* Dicastillus *de matrim.*

tract. 10. *disput.* 7. *dubio* 5. *numero* 58. Trullenc. *de matrimon. lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 3 *numer.* 8. & est ferè communis, ut testatur Onhate, *Tom.* 1. *de contractibus disp.* 3. *sect.* 8. *num.* 156; ergò idem de professione dicendum est; Minor verò probatur. nam Religio non consentit in professionem, nisi Novitius sit affectus tali qualitate, ut patet ex interrogatione, quàm illis præcipit fieri; ergò professio deficiente tali conditione erit nulla, consequentia rectè infertur; valet namque argumentum à matrimonio carnali ad spirituale: ergò.

119 Confirmatur, & declaratur ampliùs ex his, quæ tradit Pontius, *libro* 4. *de matrimonio capite* 21. ubi ait, quod quando contrahens cogitat de qualitate, & consensus fertur in personam tali vel tali
120 li qualitate affectam, esse nullum matrimonium jure naturali, si qualitas illa, etiamsi sit extrinseca non subsistat, ex defectu consensus, quia in eo casu, ait Pontius, talis dispositio virtute est conditionalis, ex disponentis intentione, si ea subsistat circumstantia: quandoquidem ut supponimus, animus disponentis expresſè nititur illi circumstantiæ, & illa ducitur ad contrahendum, si autem quis sub ea conditione expresſè contraheret, nemini dubium esse poterat tali conditione non subsistente invalidum esse contractum: ergò idem dicendum est in nostro casu, ait Pontius, siquidem consensus ille est virtute conditionalis. Hæc Pontius loquendo de matrimonio, & quod idem dicendum sit de professione ait, *infrà numero* 9. *ibidem.* quibus addendum est, juxta hæc etiam de professione judicandum esse, quæ doctrina est probabilis, quidquid dicat Dicastillus *tractatu* 10. *de matrimonio, disputatione* 7. *dubio* 5. *numero* 68 Sed sic est, quod consensus Religionis versatur circa Novitium bona illa qualitate affectum, & hoc expresſè, siquidem se declarat hoc ab illo interrogando: ergò solùm conditionaliter consentit: ergò deficiente hac conditione professio jure naturali est nulla ex defectu consensus; quod dè tacente morbum gallicum expresſè tenet cum Ledesma Peyrinis *de R. P. quæst.* 3. *cap.* 1. *§.* 2. *nu.* 65. & idem à fortiori debebat dicere de tacente defectum sanguinis.

Confirmatur ulterius: Eodem modo philoso
121 phandum est de professione, ac de aliis contractibus; ut docet Lessius, quem laudat Diana 4. *parte, tractatu* 4. *miscellaneo. resolutione* 188. sed alii con-
122 tractus celebrati per dolum circa qualitates dantem causam contractui, sunt ipso jure naturali nulli ex defectu consensus, ut satis probabiliter docet Rebellus 2. *parte, libro* 1. *pagina* 6. *sectione* 2. *numero* 9. & probabile etiam putat Onhate, *Tomo* 1 *de contractibus, tractatu* 1. *disputatione* 3. *sectione* 8. ubi alios refert: Medina, Præpositus, quos loquens de matrimonio refert Dicastillus *tractatu* 10. *disputatione* 7. *dub.* 5. *numero* 6. Vidal. *inquisitione* 2. *de voto numero* 64. *&* 66. ergò etiam professio per dolum dantem causam professioni celebratæ circa qualitates, *&c.* erit nulla, sed in nostro casu datur dolus dans causam contractui professionis circa qualitates: nam si Religio sciret Novitium non esse tali qualitate affectum, non illum admitteret ad professionem: ergò talis professio jure ipso naturali est nulla, & ita expresſè cum Rosella, & Lancelloto docet novissimè, Vidal. *Inquisitione* 2. *de voto*, *numero* 48. quando ergò Capitulum provinciale decrevit, ut Novitiis ante Professionem fiat protestatio, quod si tales defectus habeant, Religio non habeat intentionem illos recipiendi, non novum decretum edit, vel aliquas novas conditiones professioni imponit, sed antiquas, & quæ jure naturali illi inerant, declarat.

Ex quibus omnibus, sic contra meum modum fusius prælibatis, satis probabiliter colligo decretum, quod nostrum Capitulum provinciale edidit anno 1654. quod fieret talis protestatio Novitiis, scilicet, quod Religio non habeat intentionem, & animum illos recipiendi, si ex Judæis, & Saracenis, vel hæreticis, vel per sanctam Inquisitionem punitis descenderent, in quocumque gradu cognito, vel si haberent aliquem morbum incurabilem, vel aliquod commiserint delictum, ratione cujus puniendi essent ab Inquisitione, fuisse validum, sive quia Capitulum ex commissione legis tale decretum poterat efficere: sive quia tantum est declarativum juris naturalis, ut manet probatum. Et ideò tale decretum confirmavit nostrum Definitorium, potestate, quam ad id nunc habet ab INNOCENTIO X. ut *suprà* diximus, ex consilio gravissimorum Patrum, inter quos fuêre Reverendissimus P. N. Sebastianus à Conceptione, pluries Definitor generalis nostræ Congregationis, & Provincialis hujus Provinciæ, & nunc Episcopus electus Meliaporensis, cujus sapientiam meritò Orbis miratur. P. Michael à Spiritu sancto, Theologiæ quondam Lector primarius, P. Emmanuel à Conceptione quondam sacræ Scripturæ Lector, & nunc Definitor Consiliarius; P. Antonius à sancto JOSEPH Theologiæ moralis Lector,

Lector. P. Andreas à Regibus Theologiæ Lector ingeniosissimus, & tandem omnes Patres Capituli provincialis, qui unanimi consensu hoc decretum approbarunt, & hodie in hac Provincia executioni mandatur.

123 Sed quæres, An in casu, quo Prælatus immediatus cum suo Conventu nolit admittere Novitium ad professionem, possit in hoc casu Generalis totius Religionis eum admittere de consensu illius domus, in qua residet Generalis? Re-
124 spondeo negativè, nisi Conventus in quo residet Generalis sit idem ille, in quo Novitius habuit annum Novitiatus, vel majorem partem illius; Ita cum Navar. & Bordon. Pellizzarius *Tracta-*
125 *tu* 3. *capite* 3. *numero* 16. Ratio est, quia actus non potest subsistere absque eo, quod est de forma illius, sed de forma receptionis ad professionem est, ut in eam consentiat Capitulum locale non qualecumque, sed illius domus, in quo Novitius peregit annum novitiatus, saltem ex majori parte: ergò actus aliter factus nullo modo potest subsistere. Patet consequentia, quia quod est de forma actus, non potest per aliud suppleri.

126 Dico III. Professio recepta à Prælato excommunicato vitando, est valida; Ita communiter DD. apud Sanch. *in Decalog. libro* 5. *capite* 4.
127 *numero* 78. & idem dicendum est in casu, quo omnes Religiosi vocales Conventus, quorum est consentire in professionem, essent excommunica-
128 ti vitandi, ut tenet Pellizzarius *supra numero* 25. & ratio est, quia excommunicatio non tollit potestatem exhibendi legitimum consensum circa con-
129 tractus, sed professio est quidam contractus, ut suprà diximus: ergò.

Idem dicendum est, si omnes vocales essent pri-
130 vati voce activa præter Superiorem: nam tunc de solo consensu Superioris posset Novitius profiteri: nam licet de jure communi receptio Novitii ad professionem spectet ad Prælatum cum Conventu, id tamen limitari debet, nisi Conventus sit privatus voce activa, non enim quis debet pati damnum ex culpa aliena; Ita Bordon. quem refert, & sequitur Pellizzarius *suprà numero* 26.

Imò etiam in casu, quo solus Superior careret voce activa, Novitius validam emitteret professionem ex consensu monasterii absque suffragio Superioris, & admissio ad professionem facta à tali Superiore esset valida. Cum carentia vocis activæ, non impediat facultatem admittendi ad professionem, quæ est quid diversum ab illa.

Dico IV. De jure communi solus Conventus 131
cum Superiore absque consensu Provincialis, aut alterius Prælati superioris, non potest expellere Novitium ei denegando professionem. Ratio est, quia res per quascumque causas nascitur per easdem dissolvitur, sed Novitius recipitur de licentia Provincialis: ergò absque ejus assensu non potest dimitti.

Confirmatur, quia id videtur innui *in Tridenti-* 132
no, sessione 25. *de regularibus capite* 16. his verbis: *Superiores Novitios, quos habiles invenerint ad profitendum admittant, aut è monasterio ejiciant*; ubi nota non dicere, Superior, sed Superiores, indicans in subjecta materia exigi consensum Prælati non solùm localis, sed etiam majoris; Ita Bordonus *ubi suprà. numero* 46. Pellizzarius *ubi suprà numero* 34. Verùm hæc debent intelligi in Religionibus, in quibus ad receptionem Novitii concurrunt, non solùm Prælatus inferior, sed etiam Superior, & ubi lex, aut Statutum non datur in contrarium, & ideò in nostra Congregatione Carmelitana reprobato Novitio à majori, vel æquali parte Capituli, statim ejicitur absque alio Provincialis consensu; lege in hoc casu vices Superioris supplente, ut constat *ex* 2. *p. nostrarum Constitutionum cap.* 2. *n.* 12.

Dico V. Reprobatio, & approbatio Novitiorum, tàm ad receptionem, quàm ad professionem, debet fieri in nostro Ordine per secreta vota, seu suffragia, ut patet *ex* 2. *parte nostrarum Constitutionum cap.* 2. *num.* 12.

An autem hoc sit de jure communi? Respon- 133
deo negativè; Ita Bordonus *Tomo* 2. *resolutione* 54. *numero* 168. Ubi tamen invaluit usus recipiendi per suffragia secreta, etiamsi non detur lex, debet observari, & solùm possent sumi in voce, ubi viget consuetudo recipiendi illa, modo publicè, modo secretè; Ita Bordon. *ubi suprà n.* 168. *in fine.*

SECTIO III.

Qualiter professio nulla ratificari possit, & rata esse censeatur?

134 *Quot modis irrita possit esse professio?*
135 *Professio irrita ex defectu consensus potest à solo Novitio ratificari, dummodò Superior consensum non revocaverit.*

136 *Talis*

136 *Talis consensus perseverat quamdiu non constat illum revocasse.*

137 *Quando professio fuit nulla ex defectu potestatis in admittente, posteà acceptando, qui habet potestatem professio extat valida.*

138 *Idem dicendum est, quando professio fuit nulla ex defectu ætatis ?*

139 *Vel quia annus probationis non fuit integer.*

140 *Vel ob qualecumque impedimentum absque alia acceptatione ex parte Prælati.*

141 *In casibus, in quibus professio ratificatur non requiritur novus annus Novitiatus.*

142 *Qui invalidè professus est, non tenetur professionem ratificare.*

143 *Quod verum est, etiamsi per sententiam publicam cogatur.*

144 *Si non potest nullitatem probare in foro externo, potest secluso scandalo habitum dimittere.*

145 *Imò uxorem ducere, si nondum est ordinatus.*

146 *Nemo potest ad religiosum statum obligari.*

147 *Talis nulliter professus, si certus sit de nullitate, potest fugere, etiam non deductis causis coram Superiore.*

148 *Nulliter professus vel debet ratificare professionem, vel eximere à Religione, propria, vel Prælatorum auctoritate.*

149 *Professus utendo actibus professorum, & alimenta suscipiendo, si cum possit, nolit exire, peccat.*

150 *Si absque scandalo non potest exire potest se gerere ac si Religiosus esset, alimenta recipiendo,* &c.

151 *Item potest administrare sacramenta, dispensare in votis,* &c.

152 *Sic nulliter professus non potest recipere sacramenta, & dispensari in votis, nisi ab eis, qui cum sæcularibus possunt dispensare, vel eos absolvere.*

153 *Religio non potest obligare Religiosum, ad ratificandum professionem, cujus nullitatem probare non potuit,*

134 DIco I. Professio potest esse nulla, vel ex impedimento se tenente ex parte solius Professi, vel ex parte solius Religionis, vel ex parte utriusque; si impedimentum fuit ex parte solius Pro-
135 fessi, puta, quia defuit ex ejus parte consensus, vel ratione metus, *&c.* tunc poterit ratificari professio ex parte solius Novitii, iterum apud se tantum consentiendo, dummodo Superior, qui eam professionem acceptaverat, priorem consensum non revocaverit; Ita Sanchez *libro 2. de matrim disp.* 31. *num.* 10. Rodrig. Silvest. Portel, quos refert, & sequitur Pellizzarius *Tract. 3. cap.* 1. *num.* 43. Peyrinis *de R. P. q.* 3. *cap.* 1. *num.* 14. Dicastillo *de matrim. Tract.* 10. *disp.* 2. *dub.* 9. *num.* 8. Lezana *cap.* 2. *Tomo* 1. *num.* 9. Ratio est, quia ex parte Prælati acceptantis adsunt omnia requisita, cum ejus consensus fuerit validus, & sufficiens ad acceptandum professionem, censeturque talis consensus perseverare, quamdiu non constat illum revocasse: ergò quando, qui fictè professus est, revera præstat consensum, fit ut duo consensus jungantur, & effi- 136
ciant professionem validam.

Idem dicendum est, quando professio fuit nulla ex defectu potestatis in admittente; nam postea acceptando talem professionem, qui habuerit legitimam potestatem absque novo consensu 137
ex parte profitentis ratificatur professio, si aliàs Novitius perseverat in eadem voluntate, & censetur perseverare, donec constet illum eam revocasse; Ita Sanch. Rodrig. Azor. & alii, quos refert, & sequitur Pellizzarius *tra.* 2. *cap.* 1. *nu.* 69. Ratihabitio namque retrotrahitur, & mandato comparatur juxta *reg.* 10. *de regul. jur. in* 6.

DICO II. Idem dicendum esse, quando professio fuit nulla ex defectu ætatis, vel quia annus probationis non fuit integer, vel ob qualecumque 138
impedimentum irritans, in quo casu tam consensus profitentis, quam acceptantis fuit illegitimus; nam etiam tunc ad revalidandum professionem 139
sufficit consensus ex parte profitentis, postquam sublatum est tale impedimentum absque alia acceptatione ex parte Prælati. Ita Navarr. Graf. San- 140
chez, Vechius, quos refert, & sequitur Peyrinis *de R. P. quæst* 3. *cap.* 5. *num.* 146, contra Azorium *Tomo* 1. *lib.* 12. *cap.* 49. Suar. *Tom.* 3. *de relig. lib.* 7. *capite* 1. *num.* 20. Ratio est, quia licet quantum est ex natura rei desideretur novus consensus ex parte acceptantis, cum prior fuerit nullus, Papa tamen pro bono pacis, & Religiosorum consolatione juxta dictam professionem nomine Religionis acceptat, *cap. significatum de regul. & cap.* 1. *eodem titulo numero* 6. nec in his casibus, in quibus professio ratificatur, requiritur novus novitiatus annus, sed ille, qui jam habitus est sufficit, quia per eum sufficienter satisfactum est menti Ecclesiæ: Sanchez, 141
quem refert, & sequitur Lezana *Tomo* 1. *capite* 2. *numero* 9. Sed circa hæc cum distinctione loquitur noster Franciscus Bonæ Spei *Tomo* 5. *suæ Theologiæ tractatu* 2. *de Religio. disput.* 8. *dub.* 4. qui cum fructu consuli poterit.

Sed

142 Sed quæres: An qui invalidè professus est ex a-
liquo impedimento irritante, vel ex defectu con-
sensus, teneatur ratificare modo dicto professio-
nem? Respondeo negativè, quamvis per senten-
143 tiam publicam cogatur in Religione manere; unde
si non potest nullitatem in foro exteriori probare,
potest secluso scandalo absque periculo apostasiæ
fugere, habitum dimittere, & uxorem ducere,
si jam non est ordinatus; Ita Suar. Navar. Hen-
144 riquez, Sa, Rodrig. Sanch. Lessius, quos refert,
& sequitur Peyrinis *suprà num.* 14. contra Tam-
burin. *de jure Abbatum, Tom.* 2. *disp.* 6. *quæsito* 15.
145 *num.* 4. Et ratio est, quia nemo obligari potest
ad Religionem, & sententia super hoc à Ju-
146 dice lata, fuit nixa falso fundamento. Imò ad-
didit Sanchez, quòd potest fugere, etiam non
147 deductis causis coram Superiore suo, & Ordina-
rio, quia nemini facit injuriam, qui utitur jure
suo.

148 Quæ omnia adeò certa sunt, ut taliter nulliter
Professus, vel à Religione debeat exire, vel au-
ctoritate Judicis, vel propria, quàm primùm pot-
est, vel debet ratificare professionem, aliàs in
Religione permanendo, sic nulliter professus, pec-
cat recipiendo alimenta, & aliis actibus solis
149 Professis concessis utendo; nec potest à Confessa-
rio absolvi; quod si absque scandalo, nota gravi,
vel infamia, non potest exire, vel propria, vel
150 Judicis auctoritate, tunc licitè potest se gerere,
ac si Religiosus esset, alimenta recipiendo à Reli-
gione, tum in compensationem laboris, & mini-
sterii à se exhibiti, si fortè æquale sit: tum animo
satisfaciendi, quando facultatem habuerit. Item
poterit Ordines suscipere, nam licèt Ecclesia-
sticum præceptum sit, neminem ordinari posse,
quin vel sit verus Religiosus, vel patrimonium
habeat, cessat hoc præceptum in casu urgen-
tis necessitatis, sicut cessat præceptum, ne ex-
communicatus occultus Sacramenta ministret, si
se excusare non potest absque gravi scandalo, vel
damno.

Item potest administrare Sacramenta, dispen-
151 sare in votis virtute privilegiorum aliis Religiosis
concessorum ob eandem rationem, & sic absoluti,
& dispensati, absoluti manent; *juxta leg. Barba-
rius, ff. de offic. prætor.* quia habet titulum colora-
tum cum errore populi, ipse verò sic nulliter pro-
fessus, non potest recipere Sacramenta, & dis-
pensari in votis ab illis, qui solùm possunt ab-
solvere, & dispensare cum Religiosis, quia verus
Religiosus non est, & absque ulla nota se excusare
potest, tum manifestando veritatem Confessario,
tum accedendo ad alios, quorum potestas ad sæ-
culares extenditur. Denique suffragia in ele- 152
ctione potest ferre; in electionem in se factam
consentire, dum via apta evadendi non occurrit;
Ita cum multis Palaus *suprà num.* 3. quibus adde
Portel. *verbo* Professio, *per totam,* Peyrinis *suprà
num.* 141. Pellizzarius *suprà num.* 84.

An verò Religio compellere possit Religiosum, 153
qui tentavit probare nullitatem suæ professionis,
& non potuit probare, ut ex animo ratificet? Af-
firmat Suar. quem refert Palaus *ubi suprà.* Contra-
rium tamen probabilius est. Ita Navarr. Lessius,
Sanchez, quos refert, & sequitur Palaus *ubi
suprà;* Ratio est, quia hæc potestas non potest
oriri nisi ex vera professione, cùm autem professio
vera non fuerit, sed tantùm præsumpta potestas
cogendi Religiosum, vera esse non potest, sed
solùm præsumpta; sed leges in præsumptione
falsa fundatæ, obligationem non possunt inducere
in conscientia: ergo.

SECTIO IV.

De jure reclamandi, quod habent Regulares prætendentes probare nullitatem suæ professionis.

154 *Quid sit reclamatio?*
155 *Omnes Religiosi, & Religiosæ, possunt reclamare, si illis constet de nullitate suæ professionis.*
156 *Non possunt reclamare, quando tantùm est dubium de validitate professionis.*
157 *Nullitas professionis ad reclamationem debet procedere ex aliquo defectu qui possit probari coram Ecclesia.*
158 *Si tantùm defuit intentio profitendi, non potest reclamari.*
159 *Secùs, si coram testibus protestatus sit, se non habere intentionem, sed fictè profiteri.*
160 *Hæc reclamatio debet fieri intra quinquennium à die professionis.*
161 *Debet fieri absque dimissione habitus religiosi, nisi aliàs adsit justa demittendi causa.*
162 *Toto litis tempore tenetur Religio alere Religiosum litigantem.*
163 *Summam debitam pro sententia, tenetur solvere nulliter professus.*

164 *Transacto quinquennio nullatenùs Religiosi possunt reclamare.*
165 *Nisi allegaverint causas, ob quas non potuerunt reclamare intra quinquennium.*
166 *In praxi, elapso quinquennio, semper postulatur Papæ rescriptum.*
167 *Sine illo, neque Episcopi, neque Prælati regulares possunt audire reclamantes.*
168 *In foro interno ex professione nulla, nulla datur obligatio.*
169 *Prælati regulares possunt etiam post quinquennium ejicere, quos invenerint non validè professos.*
170 *Hæc reclamatio debet fieri coram Ordinario, & Superiore regulari.*
171 *Qui veniant nomine Ordinarii?*
172 *Ad quos Superiores pertineat hæc materia in nostra Congregatione?*
173 *Laborans impedimento perpetuo irritante professionem, potest reclamare, etiam elapso quinquennio.*
174 *In hoc casu fit reclamatio apud solos Prælatos regulares, ad quos pertinet declarare nullitatem professionis.*
175 *Religiosus sic nulliter professus, nolens reclamare, nec ratificare professionem, nec fugere è Religione, potest ejici, secluso scandalo absque Ordinarii auctoritate.*
176 *Quomodo sit intelligendum Decretum Trident. quòd reclamatio fiat coram Ordinario?*

PRo intelligentia doctrinæ hujus sectionis no-
154 tandum est, per reclamationem hîc intelligi, jus quod habent Regulares ex Tridentino *sess.* 25. *cap.* 19. *de Regular.* ad probandum coram legitimo Judice, & intra certum tempus suam professionem fuisse nullam, & allegandum causas suæ nullitatis;
155 qua facultate uti possunt omnes Religiosi, cujuscunque Religionis, etiam Ordinum Militarium, & tam virorum, quàm fœminarum, si certò constet de nullitate professionis: nam si tantùm sit dubium, an fuerit nulla, vel non, nullo modo possunt reclamare, quia professio dubia habetur pro valida, ut latè ostendit Bordonus *Tom.* 2. *resol.* 57. *num.* 69.

156 Item nullitas professionis debet procedere ex aliquo defectu, qui probari possit coram Ecclesia. Unde si tantùm defuit intentio profitendi, aut quis fictè professus est, nisi habeat testes de sua
157 ficta intentione, coram quibus protestatus sit se fictè, & absque animo, ob vim illatam profiteri, non est illi credendum, etiam si juret, cùm in foro
externo juranti non credatur, maximè, si extet 158
gestum in contrarium, aut præsumptio juris; Sanch. *de matrim. lib.* 3. *disp.* 15. *num.* 12. & *lib.* 7. *disp.* 37 *num.* 14. & noster Franciscus *loc. cit. num.*
61. His suppositis. 159

DICO I. Hæc reclamatio debet fieri intra quin-
quennium, quod numerandum est à die professio- 160
nis; Item debet fieri absque dimissione habitus religiosi, ut constat ex Trid. *loco citato*; sed hoc debet intelligi, nisi adsit justa causa dimittendi habitum, ut quia verb. g. non potest reclamans
obtinere licentiam eundi ad reclamandum: nam 161
Concilium intendit tantùm punire temerariam habitus dimissionem. Bonacina, Sanch. Navar. quos refert, & sequitur Belasius *verbo* Reclamatio, *num.* 6.

Imò toto tempore, quo lis durat, usque ad sen- 162
tentiam definitivam, tenetur Religio Religiosum litigantem alere, cùm usque ad illam reputetur
filius Conventus. Ita Bord. *Tom.* 2. *resol.* 69. *num.* 163
12. summam tamen debitam pro sententia tenetur solvere nulliter professus. Ita Pellizzarius *Tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 39. transacto verò tempore quinquennii, nullatenùs Religiosi possunt reclamare; Ita
Trid. *loco citato.* Bonacina, quem refert, & sequitur 164
Lezana *Tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 7.

Hoc tamen intelligendum est, nisi allegaverint legitimas causas, ob quas non potuerint reclamare
intra prædictum tempus, quia ita interpretanda est 165
mens Concilii. Ita Navar. quem refert, & sequi- 166
tur Lezana *ubi suprà.* Rodrig. quem refert, & sequitur Portel. *suprà num.* 44.

Credo tamen cum eodem Portel. hodie in praxi esse, quòd, ut possint audiri post quinquennium elapsum, debeant impetrare rescriptum à Papa;
& quòd sine hoc nec Prælatus regularis, nec Epi- 167
scopus eos possint audire. Vide Portel. *ubi suprà.*

Sed hæc intelliguntur quoad forum exterius,
nam quoad forum interius, si professio fuit nulla, 168
nullam per se inducit obligationem. Item non obstante decreto Trid. de quinquennio post professionem, possunt Prælati Religiosorum, etiam transacto quinquennio, ejicere Religiosum, quem
noverint, non validè professum fuisse, quia Con- 169
cilium solùm determinavit illud quinquennium pro reclamatione professorum. Peyrinis *Tom.* 1. *de subdito, quæst.* 1. *cap.* 25. §. 4. Noster Lezana *loc. suprà cit.* Vide præfatum N. Franciscum *loc.* jam *citato.*

DICO II. Hæc reclamatio debet fieri coram Supe-

170 Superiori regulari, & coram Ordinario: nomine autem Ordinarii intelligitur Episcopus, aut ejus vicarius, imò Abbates habentes jurisdictionem, quasi Episcopalem, Capitulum sede vacante, seu vicarius illius loci, ubi professus est; Ita Barbosa *de potestate Episcopi, alleg.* 104. *num.* 10. Bordon. *Tract. de professione, cap.* 7. *num.* 29. ubi dicunt sic decisum esse à sacra Congregatione: nomine Superioris regularis intelligitur Prælatus immediatus, non verò Generalis, seu Provincialis; Ita
172 Bordon. *ubi suprà.* licèt in nostra Congregatione Carmelitana hujusmodi judicium pertineat ad nostrum Definitorium generale, ut patet *ex* 3. *part. nostrarum Constitutionum, cap.* 7. *num.* 2. solum enim Definitorium potest judicare de nullitate professionis quacunque ex causa.
173 Dico III. Laborans impedimento perpetuo, irritante professionem, potest reclamare etiam elapso quinquennio. Sanch. Navar. quem refert, & sequitur Belasius *verbo* Reclamatio, *num.* 5. clausula namque illa Concilii, *quacunque ex causa,* restringenda est ad personas habiles; Sanch. *l.* 7. *de*
174 *matrimonio, disp.* 37. *num.* 33. Belasius *loc. cit.* Aliàs, quòd in favorem religionis decretum est, in ipsius detrimentum redundaret, ipsique inhabiles reportarent commodum ex suo delicto: in hoc autem casu impedimenti perpetui fit reclamatio apud illos Prælatos regulares, ad quos pertinet declarare nullitatem professionis: Peyrinis *de subdito, quæst.* 1. *cap.* 25. §. 4. citans Rotam Romanam.
175 Imò si in hoc casu Religiosus sic nulliter professus, noluerit reclamare, nec ratificare professionem, nec fugere, si potest, absque scandalo, potest eum Religio expellere, etiam absque Ordinarii auctoritate; Ita cum Lezana, & Peyrinis tenet Pellizzarius *Tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 48. non enim Religio tenetur retinere eum, qui secundùm sua statuta auctoritate pontificiâ firmata est inhabilis. Nec obstat Decretum Trid. *sess.* 25. *cap.* 19. *de Regularibus,* in quo præcipitur, quòd nullitas professionis decernatur intra quinquennium coram Superiori, & Ordinario. Respondetur namque cum Doctoribus, *suprà* relatis, Concilium non loqui
176 de professione nulla ex statutis Religionis à Papa confirmatis, sed in causis irritantibus professionem de jure, ut sunt professio facta ante tempus debitum, seu vi, vel dolo exorta: in his namque casibus non potest Religio absque interventu Ordinarii eum expellere, potest tamen reclamare coram Ordinario contra illum, quod tamen rarò fieri debet, Bord. *Tom.* 2. *resol.* 22. *num.* 6. & hoc intra quinquennium, Bord. quem refert, & sequitur Pellizzarius *ubi suprà, num.* 52. nisi aliàs, ut diximus, allegaverit legitimas causas ignorantiæ; verb. g. ob quas non potuerit reclamare. Consulantur etiam nost. jam citatus Franciscus *loc. cit. num.* 60. & Philippus à SS. Trinitate *Tom.* 4. *curs. Theolog. disp.* 4. *de Relig. dub.* 6.

SECTIO V.

De effectibus provenientibus ex professione religiosa.

177 *Per professionem obligatur professus Religioni, & Religio illi, & in quibus?*

178 *Per professionem plenissimè remittitur pœna debita omnibus peccatis, &c.*

179 *Idem accidit, quoties professio ratificatur aut renovatur.*

180 *Gaudere de aliorum professione est actus valde meritorius.*

181 *Per professionem omnia vota antecedentia commutantur, & extinguuntur.*

182 *Idem dicendum est de juramentis, soli Deo factis.*

183 *Non tamen de juramentis homini factis, & ab eo acceptatis.*

184 *Idem dicendum est de votis realibus emissis non soli Deo, sed intimatis parti cum promissione ab ea acceptatis.*

185 *Per professionem tollitur irregularitas ex defectu natalium, non quoad Prælaturas, sed quoad Ordines suscipiendos.*

186 *Imò quoad jam susceptos.*

187 *Per professionem habilitatur professus ad aliquos actus temporales, à quibus erat prohibitus ratione delicti commissi.*

188 *Per professionem irritantur sponsalia, & matrimonium ratum, tam subsequens, quàm antecedens; & consummatum infidelium.*

PLures effectus sequuntur ex professione solemni, quos breviter percurram.

Primus est, ut per eam transeat professus in potestatem Religionis, cum obligatione obediendi in omnibus, quæ sunt secundùm Regulam, & Constitutiones, & Religio vicissim obligatur eum alere, gubernare, &c; Ita communiter DD. apud Suar. *Tom.* 3. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 2. hinc fit, 177

per hanc professionem solvi patriam potestatem, saltem in eis, quæ Religioso utilia sunt, non tamen in odiosis, & meritò; siquidem à Religione assumitur professus gubernandus; Ita cum Sanch. Covarruv. & aliis Palaus *de statu religioso, disp.* 2. *part.* 7. *num.* 2.

178 *Secundus* effectus est, per professionem plenissimè remitti omnia peccata, non quoad culpam, cùm professio Sacramentum non sit, sed quoad pœnam, sive hoc fiat ex privilegio, sive ex liberalitate Dei, ut communis tenet opinio cum D. Thom. & aliis, quos refert, & sequitur Palaus *ubi suprà, num.* 3. & ex nostris Lezana *Tom.* 1. *qq. Reg. cap.* 3. *num.* 1. Franciscus Bonæ-Spei *loc. suprà citato, num.* 65. & Philippus à SS. Trinitate *Tom.* 3. *in* 2. 2. *S. Thom. Tract.* 3. *disp.* 4. *dub.* 6. ubi ex SS. Patribus ac rationibus efficaciter hoc probat & confirmat.

179 An autem idem effectus sequatur, quando Religiosus ratificat suam professionem nullam? Communis affirmat opinio propter eandem rationem: imò addit Villalobos, Palaus, & alii, piè posse credi, quotiescunque Religiosus renovat suam professionem eo affectu, ac si tunc de novo illam emitteret, si nondum emisisset, consequi eandem indulgentiam, ac si de novo profiteretur: nam sicut, si quis memor peccati à se perpetrati, gauderet de illo, puniendus est, ac si verè illud de novo commisisset; cur, si quis memor alicujus actus boni gaudet de illo à se facto non erit dignus eadem gratia aut venia; non potest non hoc credi ex Dei benignitate; ita etiam tenet Layman, Sa, Peyrinis, quos refert, & sequitur Pellizzarius, *Tract.* 3. *cap.* 4. *num.* 15. & nost. supracit. Franciscus, qui inquit, toties quoties affectu æquè efficaci renovatur professio, obtineri eandem peccatorum remissionem: miraturque N. Lezanam contrarium docere.

Imò addit, & benè Villalobos, non solùm illum, qui de suâ professione gaudet, & lætatur, ac si de novo illam emisisset, multùm apud Deum mereri, & consequi; sed etiam illum, qui de professionibus
180 aliorum gaudet: nam si juvare aliquem ad peccatum, vel gaudere de illo, est dignum eadem pœna, vel quasi æquali, ac si illud perpetrasset; cur gaudere de professione aliorum, & illos ad professionem emittendam juvare, non erit dignum eodem præmio, vel saltem æquali, quæ doctrina nunquam è memoria bonorum Religiosorum recedere deberet.

181 *Tertius* effectus est, commutatio omnium votorum antecedentium professionem, sive vota sint personalia, ut tenent communiter DD. sive realia, ut fert communior sententia; fit autem hæc commutatio jure divino naturali; nam, cùm ea omnia obsequia, quæ Deo per vota promittimus, sint opera particularia, ea omnia eminenter in professione, per quam nos, & nostra omnia Deo dicamus, continentur. Unde ex voluntate voventis talis effectus non potest impediri; Ita Silvester, Sanch. Lezana, Layman, quos refert, & sequitur Pellizzarius *ubi suprà, num.* 21. & nostri supracit. Philippus à SS. Trin. & Francisc. *loc. cit. num.* 66. qui hoc etiam extendit ad dictam votorum renovationem, quoad omnia vota facta post professionem, excepto strictioris Ordinis, quod in prima professione eminenter non includitur, &c. quæ doctrina valde notanda est, & ideo ipsum *ibidem* videre non omittas.

Idem dicendum est de juramentis factis soli Deo, non tamen de juramentis factis homini, & ab eo acceptatis, cùm per hæc acquiratur jus tertio; Ita Sanch. Lezana, & alii, quos refert, & sequitur Pellizzarius *ubi suprà, num.* 31. Verùm ad juramenta facta homini, etiam acceptata, extendit hunc effectum N. Franciscus Bonæ-Spei *loco proximè citato.* 182

Idipsum quoque dicendum est de votis realibus emissis non soli Deo, sed intimatis parti, cum promissione ab ea acceptatis: licèt in hoc casu obligatio exorta ex talibus votis, vel juramentis, transferatur in successores bonorum profitentis. 183 184

Quartus effectus est, sublatio irregularitatis ex defectu natalium, non quoad Prælaturas, sed quoad Ordines suscipiendos. Imò etiam quoad jam susceptos, ut si quis illegitimus absque dispensatione in sæculo Ordines reciperet, & postea profiteretur; Ita Layman, Sanch. quos refert, & sequitur Pellizzarius *ubi suprà, num.* 34. & nostri sapientissimus Petrus Cornejo *Tom.* 2. *in* 3. *part. disp.* 15. *de irregul. dub.* 2. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 2. Philippus à SS. Trinit. *loc. supracitato,* & Franciscus Bonæ-Spei *in supplementis ad Tom.* 5. & habetur *cap.* 1. *de filiis Presbyterorum,* ubi licèt concedat Pontifex per professionem, vel ingressum Religionis, ut alii volunt, ut *suprà* diximus, extingui hanc irregularitatem, quoad Ordines statim addit: prælationem verò nullatenus habeant; unde Rodrig. contrarium sustinens *Tom.* 1. *quæstione* 15. *art.* 1. ab omnibus rejicitur. 185 186

Quintus

187 *Quintus* effectus est, purgatio inhabilitatis ad aliquos actus temporales ratione delicti commissi; ut si ex furto, falsove testimonio inhabilis factus sit aliquis ad testimonium ferendum, per professionem religiosam ab hac inhabilitate liberatur. Ita Sanch. Layman, & alii, quos refert, & sequitur Palaus *supra num.* 14. colligiturque *ex authentica de monachis collat.* 1. *statim in principio* item purgat omnem ingratitudinis notam ante commissam, ob quam exhæredari filius poterat à parentibus. Ita Sanch. Molina, Layman, quos refert, & sequitur Palaus *supra numer.* 15. & noster Lezana *num.* 4. *&* 5.

Tandem *sextus* effectus est, irritatio sponsalio- 188
rum, & matrimonii subsequentis, & antecendentis rati, de quo effectu agemus in materia de matrimonio, Deo volente, interim vide Pellizzarium *loco citato num.* 44. *& sequentibus*, & nostros Lezanam loc. cit. num. 3. Petrum Cornejo *Tom.* 2. *in* 3 *part. tract. de matrimon. disp.* 6. *dub.* 2. *&* 3. & Franciscum Bonæ Spei *loc. cit. num.* 67. qui docent non solum ratum matrimonium fidelium per professionem solemnem dissolvi, sed & consummatum infidelium: quia si dirimatur ratum fidelium, quod est vinculum strictius, à fortiori consummatum infidelium, &c.

DISPVTATIO IV.

De obligationibus Religiosorum ratione Voti paupertatis.

SECTIO I.

Quid sit paupertas religiosa, & quarum rerum dominio privet Religionem in communi?

1 *Quomodo definiatur paupertatis votum?*
2 *Assignatur differentia inter dominium, possessionem, administrationem, usumfructum, usum juris, & usum facti.*
3 *Per votum paupertatis privatur Religiosus dominio, & usu, possessione, & administratione, ac peculio, prout quid juris important.*
4 *Religiosi solum possunt habere usum facti.*
5 *Possunt habere dominium in communi.*
6 *Excipiuntur Minores, & Capucini.*
7 *Paupertas pro qualibet Religione diversa est.*
8 *Strictior est paupertas Mendicantium, quam Monachorum.*
9 *Monachi, & Canonici regulares possunt habere dominium omnium rerum, etiam immobilium in communi.*
10 *Solum privantur dominio in particulari.*
11 *In privatione dominii in particulari, salvatur substantia voti paupertatis.*
12 *Idem dicendum est de Ordinibus militaribus, non solum quoad viventes in communi, sed etiam uxoratos.*
13 *Milites sæculares facientes tria vota privantur dominio in particulari, etiam bonorum patrimonialium.*
14 *Solum habent usum illorum ad nutum Superioris, ad licita & honesta.*
15 *Mendicantes de jure antiquo non poterant habere dominium rerum immobilium in communi.*
16 *Minores, & Carmelitæ ex vi Regulæ, non possunt habere dominium rerum immobilium in communi.*
17 *De jure novo omnes Mendicantes sive viri, sive fœminæ possunt habere bona stabilia in communi, exceptis Minoribus, & Capucinis.*
18 *Nostra Religio huic privilegio Trid. renuntiavit quoad Conventus, in Congregatione Hispanica Discalc.*
19 *Idem fecit Societas* Jesu, *quoad domos professas.*
20 *Nostra Collegia possunt possidere annuos redditus, dummodo non sint in bonis immobilibus.*

21 *Nostri Conventus, & Collegia habent dominium super sua viridaria, & super alias res mobiles, sive pretiosæ sint, sive non.*

22 *Collegia Societatis possunt possidere quascumque res immobiles.*

23 *Mendicantes immobilia possidentes, non desinunt esse mendicantes.*

24 *Ad hoc ut sint Mendicantes, sufficit quod ex Regula, vel Constitutionibus hæc possidere non possint.*

25 *Etiam si habeant bona immobilia possunt, si velint, mendicare.*

26 *Mendicantes possunt succedere in omni hæreditate, exceptis Minoribus, & Capucinis.*

27 *Quomodo hoc sit intelligendum?*

28 *Excipiuntur, qui ex suis Constitutionibus, vel ex Regula prohibentur.*

29 *Nostri non possunt succedere jure hæreditatis nomine Religiosorum, in Congregat. Hispanica.*

30 *Idem dicendum est de religiosis Societatis.*

31 *In nostrorum Religiosorum, & Societatis bona succedunt venientes ab intestato, si novitii non disponant.*

32 *Nostri possunt succedere extraneis, vi testamenti, imo possunt constitui hæredes.*

33 *Nec nostri, nec Mendicantes incapaces habendi annuos redditus, possunt succedere in jure nominandi ad emphyteusim, in jure patronatus, in majoratu, feudo, &c. non solum nostrorum, sed nec extraneorum.*

34 *Hæc omnia veniunt ad hæredes ab intestato.*

35 *In his omnibus possunt succedere Mendicantes capaces habendi annuos redditus pro vita Religiosi.*

36 *Idem dicendum est de Religiosis Societatis primæ professionis.*

37 *Annui redditus, & Majoratus nostrorum donatorum primæ professionis, an transeant ad hæredes ab intestato.*

38 *Mendicantes, qui non possunt habere annuos redditus in communi, possunt recipere quæcumque legata, sive rerum immobilium sive mobilium.*

39 *Quomodo hoc sit intelligendum?*

40 *In nostra Congregatione Hispanica legatum rei immobilis debet intra annum vendi.*

41 *Quid in hoc disponat lex hujus regni?*

42 *Mendicantes, qui non possunt habere annuos redditus, possunt recipere legata perpetua relicta pro Missis, vel anniversariis.*

43 *Si defunctus obliget hæredem, ut quotannis tot eleemosinas, pro missis dicendis, tribuat, Mendicantes, etiam Minores sunt capaces hujusmodi legati.*

44 *In nostra Congregatione potest recipi pro missis quodlibet legatum, etiam in bonis immobilibus.*

45 *Quomodo hoc sit limitandum, & intelligendum?*

46 *In quibus casibus nostri Conventus possunt habere aliquam eleemosynam perpetuam, & annualem?*

47 *Quæ licentia ad hoc requiratur?*

48 *Mendicantes, qui non possunt habere annuos redditus in communi, possunt recipere legata relicta ad breve tempus.*

49 *Non verò ad longum tempus.*

50 *Idem dicendum est de usufructu.*

51 *Idem de legato relicto alicui Religioso, præsertim, si sit robustus, & juvenis.*

52 *Quando testator obligavit hæredem, ut quotannis tantam summam tribuat Conventui, vel alicui Fratri, omnes Mendicantes, etiam Minores sunt capaces hujusmodi legati,*

53 *In hoc casu Religio incapax dominii in communi non habet jus, neque in re, neque ad rem ad has eleemosynas.*

54 *In hoc casu hæredes solum sunt obligati testatori, & non Conventui.*

55 *Mendicantes etiam incapaces habendi annuos redditus possunt recipere legata, vel annuos redditus pro cultu Divino, etiam in Ecclesiis Minorum.*

56 *Idem dicendum est de legatis relictis pro emendis libris, vel pro infirmaria.*

57 *In Religione Minorum, ut hæc legata sint licita, debent esse moderata, hoc est, quantum postulat necessitas.*

58 *Moderatio horum legatorum à Prælatis Minorum dijudicanda est.*

59 *Mendicantes incapaces dominii in communi, non acquirunt dominium super hæc legata.*

60 *Dominium remanet apud hæredes usque quò vendantur.*

61 *Mendicantes capaces dominii in communi, acquirunt dominium super legata, & super omnia bona, in quibus succedunt, sive per testamentum, sive ab intestato.*

62 *Quomodo hoc sit intelligendum?*

63 *Ad ipsos pertinet prædicta legata vendere, & non ad hæredes.*

64 Si

1 DIco I. Paupertas religiosa est voluntaria rerum
temporalium abdicatio, per quam Religiosus
ipsarum proprietate privatur; ita ex D. Thom. 2.
2. *q.* 186. *art.* 5. definit Lezana *Tom.* 1. *cap.* 6. *n.* 2.
Vidal. *tit. de paupertate num.* 2. pro cujus explica-
tione notanda est differentia, quæ datur inter *do-
minium, possessionem, administrationem, usumfru-
ctum, usum juris, & usum facti.* Et in primis *domi-
nium* proprietatis, de quo nobis hic est sermo, est
jus perfectè disponendi ad libitum de aliqua re:
2 *possessio* verò est quoddam dominii complemen-
tum, quæ est duplex: una dicitur *possessio facti*, quæ
est ipsemet actus possidendi, alia dicitur *possessio ju-
ris*, quæ nihil aliud est, quam jus insistendi alicui
rei tanquam suæ; sine prohibitione, ne possidea-
tur: *administratio* nuda absque dominio consistit
in jure disponendi de re aliena alterius nomine ab-
solutè, vel limitatè gratis, vel cum stipendio juxta
commissionem factam ab eo, qui administratio-
nem commisit: *ususfructus* est jus utendi, seu fru-
endi rebus alienis, salva semper ipsarum substantia:
usus juris est jus utendi aliena re, seclusa semper
ejus substantia, idest, jus disponendi de re aliena,
ad proprios tantum usus, non tamen ad alienos, ut
facere potest usufructuarius. *Usus facti* est ipsemet
actus, quo Religiosus utitur vestibus, cibo, &c. His
suppositis, de quibus, si placet vide Bordon. *Tom.* 1.
resol. 43. *num.* 6. Vidal. *tit. de paupertate num.* 10. &
nostrum venerabilem P. THOMAM à JESU in suis
commentariis in *cap. Non dicatis.* part. 1. cap. 1. ubi
de hoc fusius disserit, & doctissimè exponit.

3 DICO II. Per votum paupertatis non solum pri-
vatur Religiosus dominio, seu usufructu, aut usu
alicujus rei, prout important quid juris; sed etiam
privatur possessione, administratione, aut peculio,
4 prout etiam important, quid juris. Ratio est, quia
hæc omnia, hoc modo sumpta, denotant faculta-
tem utendi aliqua re ex propria voluntate, & inde-
pendenter à voluntate alterius, quod repugnat vo-
to paupertatis, solum ergo possunt habere religio-
si usum facti, idest, usum rerum necessariarum de-
pendenter à voluntate Superiorum, quia hic usus
non repugnat cum paupertate. Ita Vidal. *tit. de pau-
pertate num.* 11. Lezana *supra num.* 3. noster THO-
MAS à JESU *lib. cit.* & alii apud ipsos.

DICO III. Licet Religiosi ratione voti pauper- 5
tatis non possint habere dominium in particulari,
possunt tamen illud habere in communi, exceptis
tantum Minoribus de observantia, & Capucinis,
patet ex Trid. *sess.* 25. *cap.* 3. *de regular.* ubi concedi-
tur omnibus Mendicantibus, ut deinceps bona im-
mobilia eis possidere liceat; ex quo apparet juxta
doctrinam D. Thom. 2. 2. *q.* 184. *art.* 3. quod non 6
est una, & eadem paupertas in omni statu perfe-
ctionis necessaria, sed in unoquoque statu illa, quæ
est suo fini proportionata, dummodo sit sufficiens 7
ad tollenda impedimenta perfectionis acquiren-
dæ. Unde alia est paupertas Monachorum, &
Canonicorum regularium & non Mendicantium, 8
alia Mendicantium, de quibus omnibus aliqua
attingemus.

DICO IV. Monachi, & Canonici regulares, &
omnes illæ Religiones, quæ non sunt Mendicantes 9
sive jure, sive privilegio possunt habere dominium
in communi omnium rerum, sive mobilium, sive
immobilium, & solum privantur dominio in par-
ticulari, in quo salvatur substantia paupertatis, ac
per consequens status religiosi, cum votum solem-
ne paupertatis solum importet, ut *supra* diximus
abdicationem dominii privati, ut constat *ex cap.* 10
Non dicatis 12. *q.* 1. *cap. cum ad monasterium* 6. *de
statu monachorum.*

Idem dicendum est de Ordinibus Militaribus,
non solum quoad Milites viventes in communi,
sed etiam quoad illos, qui cum uxoribus vivunt,
quia tria vota emittunt, cum enim hi omnes emit- 11
tant votum solemne paupertatis carent dominio
quorumcumque bonorum sibi ex patrimonio vel
alio modo competentium, & solum habent usum 12
illorum in ordine ad licita, & honesta, non tan-
quam suorum, sed tanquam sibi commissorum, ac 13
commendatorum, nutu, & voluntate superiorum,
prout alii Religiosi, quia hoc solum permittit vo-
tum solemne paupertatis. Ita Azor. Rodrig. Na- 14
var. Mota, quos refert, & sequitur Lezana *Tom.* 2.
cap. 5. *n.* 28. quidquid in contrarium dicat Sanch.
lib. 5. *in Decal. cap.* 8. *n.* 29.

DICO V. Licet Religiones mendicantes de jure 15
communi antiquo non possent habere in commu-
ni dominium bonorum immobilium, ut sunt fun- 16
di, prædia, possessiones, annui redditus, & similia,
idque vel ex Regula, ut FF. Minores, & Carme-
litæ, ut notavit nost. Ven. Thomas à JESU in Ex-
posit. Reg. Carmel. *Part.* 3. *cap.* 8. *dub.* 6. & ex il-
lo Lezana *Tom.* 1. *cap.* 1. *num.* 1. vel ex propriis Con- 17
stitutionibus à Pontifice approbatis, ut Dominica-
ni, &

ni, & Augustiniani, quibus per Regulas permitti-
tur, ut possint habere in communi bona stabilia,
esto per Constitutiones tali jure postea se privave-
18 rint; de jure tamen novo Tridentini, possunt o-
mnes Ordines Mendicantes utriusque sexus possi-
dere in communi bona stabilia, exceptis Minori-
bus, & Capucinis, nisi aliàs renuntiaverint prædi-
19 cto privilegio Tridentini, ut de facto renuntiavit
nostra Hispanica Congregatio Carmelitana Dis-
calceata, quoad Conventus, ut patet ex nostris *Con-
stitutionibus* 1. *p. cap.* 7. *n.* 11. & Religiosi Societatis,
quoad domos professas.

20 Dixi, *quoad Conventus*, nam nostra Collegia id
est, domus studiorum possunt possidere annuos
redditus, legata, & alias eleemosynas relictas à fi-
delibus, dummodo non sint in bonis immobilibus,
qualia sunt domus, agri, oliveta, vineæ, & aliæ si-
miles, nam super his nullo modo possunt habere
dominium exceptis illis, quæ necessaria sunt ad ha-
bitationem Patrum, ut sunt Conventus, & eorum
21 horti, & viridaria, nam super his non solùm Colle-
gia, sed etiam Conventus habent dominium: pos-
sunt tamen Collegia nostra habere census perpe-
22 tuos, & jura, ut patet ex *prima parte nostrarum Con-
stitutionum cap.* 7. *n.* 12. *&* 14. in quo differunt à
Collegiis Societatis; nam hæc possunt possidere
annuos redditus, vineas, oliveta, agros, &c. ut te-
23 statur Pellizzarius *Tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 116. per
hoc tamen quod Ordines Mendicantes possideant
24 annuos redditus, sive quoad Collegia tantùm, si-
ve etiam quoad Conventus, non inde desinunt esse
Mendicantes, nam ad hoc sufficit, quod ex Re-
gula, vel Constitutionibus bona immobilia pos-
sidere non possint, unde non impediuntur, quin
25 possint, si velint ostiatim mendicare, ut declara-
vit sacra Congregatio apud Lezanam *Tom.* 1. *cap.* 6.
num. 44.

26 Dico VI. Ordines Mendicantes, qui sunt inca-
paces possidendi bona immobilia in communi, ex-
27 ceptis tamen Minoribus, & Capucinis, possunt
succedere in hæreditate, sive paterna, sive extranea,
sive ex testamento, sive ab intestato, non quidem
ut eam retineant, sed vendant, pretiumque illius
convertant in bonum Monasterii, nisi aliàs ex par-
ticularibus Constitutionibus prohibeantur, ut de
facto prohibentur nostri succedere jure hæredita-
tis nomine Religiosorum, ut patet ex nostris *Con-
28 stitutionis* 1. *part. cap.* 7. *n.* 11. quod idem de Religio-
29 sis Societatis affirmat Suar. Sanch. quos refert, &
30 sequitur Pellizzarius *Tract.* 4. *num.* 123. Ideoque in
31 nostrorum, & Societatis Religiosorum bona suc-
cedunt venientes ab intestato, si prius de propriis
bonis Novitii non disposuerunt: Possunt tamen
nostri succedere extraneis via testamenti, vel lega- 32
ti, imò possunt institui hæredes, dummodo hære-
ditas modo dicto vendatur, ut patet ex eadem *Con-
stitut.* 1. *part. cap.* 7. *num.* 12.

Hinc fit, nec nostros, nec alios Mendicantes in-
capaces habendi annuos redditus in communi, 33
posse succedere in jure nominandi ad emphyteu-
sim, in jure patronatus, in usufructus; in majora-
tu, in feudo, sive acquisito sive acquirendo, non
solum suorum Religiosorum, sed etiam neque ex-
traneorum via testamenti, aut legati, sed hæc o- 34
mnia transeunt ad hæredes ab intestato; Ita cum
multis Pellizzar. *Tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 198. *&* 199.
Palaus *de statu Religioso disp.* 3. *part.* 4. §. 1. 2. *&* 3.
possunt tamen in his omnibus succedere Mendi- 35
cantes capaces habendi annuos redditus, & illorum
dominium in communi (nisi aliàs majoratus ha-
beat clausulam excludentem Religiosum) sed hoc
pro vita Religiosi.

Idem dicendum est de Religiosis Societatis pri- 36
mæ professionis, quia sunt capaces dominii; Palaus
supra §. 1. *num.* 5.

Sed quæres, ad quem pertineant redditus, & fru- 37
ctus possessionum, sive majoratus nostrorum Do-
natorum primæ professionis in casu, quo illos ha-
beant, dum in Religione vivunt sub hac professio-
ne, nam facta professione solemni, certum est tran-
sire ad hæredes ab intestato? Respondeo transire ad
hæredes ab intestato; Ratio est, quia vel isti Dona-
ti sunt veri Religiosi, ut supra diximus, vel tantum
Oblati, ut alii volunt, in neutro casu possunt ha-
bere dominium talium bonorum, & aliàs Religio
etiam est incapax illius hæreditatis, ergo devolvitur
ad hæredes ab intestato; Major quoad primam
partem patet, quia licet votum paupertatis horum
Donatorum sit simplex quod ex se nec reddit, nec
potest illos reddere incapaces dominii, ut benè no-
tavit Pellizzarius *Tract.* 4. *cap.* 2 *num.* 187. reddun-
tur tamen incapaces dominii ex vi Regulæ, quam
ipsi profitentur, in quo omnibus Religiosis præci-
pitur paupertas cum abdicatione proprietatis, qua-
re vel dicendum est illos non esse veros Religiosos
secundum nostram Regulam, vel non posse habere
proprium secundum illam. Unde eos reputo ut
Coadjutores formatos Societatis Jesu.

Quoad secundam vero partem etiam liquet,
quia esto fuissent Oblati, cum Oblati se & omnia
sua præsentia, & futura tradant Religioni, non
sunt capaces dominii, ut cum Rodrig. & aliis no-

tavit

tavit Lezan. *Tom.2.cap.8.num.16.* quod cum alias
Religio ſit incapax dominii,fit,ut hæreditas devol-
vatur ad hæredes ab inteſtato, niſi alias ipſi Donati
eam ſibi reſervent, ut poſſunt in caſu quo tantum
ſint oblati: Lezana *ſupra num.* 18. in caſu tamen
quo tales redditus ſibi reſervent, non poſſunt illis
uti abſque Superioris licentia ratione voti pauper-
tatis, ſi tamen de facto aliqua diſponant,licet pec-
cent, factum tenet. Lezan. *num.*18.

38 Dico VII. Mendicantes qui non poſſunt ſecun-
dùm ſua Statuta habere annuos redditus in com-
muni, poſſunt recipere legata relicta Religioſis,
tam in communi, quam in particulari, ſive rei mo-
bilis, ſive immobilis, ſive in cenſibus, ſi aliàs lega-
tum rei immobilis, vel cenſus perpetuus non ha-
beat conditionem, ut non poſſit vendi, ſed debere
eſſe ſub dominio talium Mendicantium, nam ſi
39 talem conditionem habeat, eſt caducum; Ita com-
muniter DD. apud Sanchez *ſupra num.* 16. contra
S. Antonin. & Menoch. relatos ab ipſo Sanch. In
noſtra tamen Congregatione Hiſpanica debet tale
legatum intra annum vendi, ut patet ex 1 *part.no-
ſtrarum Conſtitutionum cap.7.num.*12. intellige ta-
40 men, ſi commodè fieri poſſit,ne aliàs viliſſimo pre-
tio vendatur cum præjudicio Religioſorum. Pel-
41 lizzarius *ſupra num.* 47. hæc tamen limitatio Pel-
lizzarii non procedit pro hoc Regno: nam in illo
bona immobilia relicta, vel per hæreditatem ac-
quiſita à quibuſcunque Regularibus, tam Mendi-
cantibus, quam non Mendicantibus, ſive ab aliis
Eccleſiis debent intra annum vendi,aliàs applican-
tur fiſco, niſi novum detur Regis ſupplementum,
ut patet ex *lib.2.Ordinationum hujus regni titulo* 18.
num. 1.

42 Dico VIII. Mendicantes, qui non poſſunt ha-
bere annuos redditus poſſunt recipere legata per-
petua relicta promiſſis, vel anniverſariis, quando
in teſtamento gravatur hæres, ut ſolvat quotannis
in ſtipendium aureum unum pro qualibet Miſſa,
quo legato etiam Minores ſunt capaces, ſiquidem
hæc anniverſaria non ſunt propriè legata, ſed Miſ-
ſarum ſtipendia. Ita cum aliis à ſe conſultis Pelliz-
43 zar. *Tract.*4. *cap.*2.*num.*44. licet contrarium cum
multis teneat Palaus *ſupra n.*16. loquens de Fratri-
44 bus Minoribus.

In noſtra tamen congregatione Hiſp. tale lega-
tum acceptari poterit in bonis immobilibus, dum-
modo vendatur, & pretium illius in juribus, &
cenſibus perpetuis reponatur, quia cenſus perpetui
pro miſſis, vel anniverſariis nullo modo ſunt pro-
hibiti in noſtra Congregatione, ut patet ex eadem 45
Conſtitutione ſupra *n.* 14. ſecundùm quam Conſti- 46
tutionem noſtri Conventus poſſunt habere ali-
quam eleemoſynam perpetuam, & annualem ra-
tione fundationis, aut patronatus alicujus Con- 47
ventus, vel capellæ, aut ratione anniverſarii, aut
orationis, aut alterius exercitii Religioſi, dummo-
do fiat de licentia noſtri Definitorii, concurrenti-
bus,quinque ex ſeptem ſuffragiis & pro illis domi-
bus, quæ aliter commodè non poſſunt ſuſtentari:
dummodo talis eleemoſyna non ſit in bonis ſtabi-
libus, ut ſunt agri, vineæ, oliveta, &c. nam ſuper
hoc nullus poteſt diſpenſare, ſed tantum debet talis
elemoſyna poni in cenſibus, juribus, &c. ut con-
ſtat ex eadem *Conſtitutione* 1.*part.cap.*7.*n.*14.

Dico IX. Mendicantes, qui non poſſunt habe- 48
re annuos redditus in communi, poſſunt recipere
legata relicta ad certum tempus. v. g. intra decen- 49
nium, ſecus ad longum tempus: Idem dicendum 50
eſt de uſufructu; Ita de legatis, Sà, Sorbus, Cordu-
ba & alii, quos refert, & ſequitur Sanch. *lib.* 7. *in
Decal cap.*26.*num.*39. Palaus *de ſtatu Religioſo diſp.*
3. *part. n.* 12. Et de uſufructu Pellizzarius *Tract.*4.
*cap.*2.*num.*55. Ratio eſt, quia in priori caſu, legata
& uſusfructus reputantur quaſi legatum unius e-
leemoſynæ, ſicque per illud non tollitur,ſed ſuble-
vatur mendicitas: In ſecundo verò caſu receptio
legati, ad longum tempus æquivalet poſſeſſioni
rei immobilis,ſicut locatio rei immobilis Eccleſia-
ſticæ ad longum tempus æquivalet venditioni.

Idem dicendum eſt de legato relicto alicui Reli- 51
gioſo ad ejus vitam, præcipuè ſi fuerit vir robuſtus
ac juvenis; nam tale legatum debet moraliter re-
putari ad longum tempus, ſiquidem redditus an-
nui relicti pro vita præſertim hominis robuſti, &
juvenis emi ſolent pretio reſpondente decem &
pluribus annis. Ita Lugo *de juſtitia diſp.* 3. *n.* 102.
contra Sanch. *ſupra cap.*26.*num.*40.

Secus dicendum eſt, quando quis non reliquit 52
legatum Monaſterio, vel Fratribus,ſed reliquit bo-
na ſua alicui hæredi cum conditione, ut quotannis
certam eleemoſynam noſtris det Conventibus, vel
aliis incapacibus habendi annuos redditus, nam
tunc poſſunt noſtri Religioſi, aut alii recipere hu- 53
juſmodi eleemoſynas, non tamen habent aliquod 54
jus ſive in re, ſive ad rem ad illas, nullum enim ta-
le jus adquirunt, ſed hæredes ſolum ſunt obligati
teſtatori: non enim repugnat quempiam non ha-
bere jus ad aliquam rem, conſequenter alterum
non eſſe ei obligatum, & tamen hunc eſſe obliga-
tum reſpectu alterius; ut patet in voto, quo quis

se astringeret dandi in perpetuum quotannis Fratribus Capucinis certam eleemosynam; siquidem ipse tenetur dare, non obstante, quod illi sint incapaces habendi annuos redditus, cum talis obligatio non sit respectu illorum, sed respectu solius Dei. Ita Sanch. Rodrig. Tabiena, & alii, quos refert, & sequitur Pellizzarius *supra n.* 53.

55 Idem dicendum est de legatis, vel annuis redditibus in perpetuum pro cultu divino deputatis, etiam in Ecclesiis Minorum. Ita Sanchez, quem refert & sequitur Pellizzarius *Tract.* 4. *cap.* 2. *n.* 61. Nam mendicitas Ordinum Mendicantium consistit in eo, quod sibi illi mendicent alimenta; nomine autem alimentorum solum veniunt necessaria corpori, ut esus, potus, habitatio, & vestes, hoc autem legatum solum cedit in cultum Dei.

56 Idem dicendum est de legatis annuis relictis pro emendis libris, pro infirmaria; nam his legatis etiam Minoritæ sunt capaces, Pellizz. *ubi supra n.* 106. Palaus *ubi supra numer.* 18. non enim per hæc legata liberantur à mendicitate, cum per ea quoad victum, vestitum, aut habitationem non subveniatur illis.

57 Advertendum tamen est in Religione Minorum ad hoc, ut hæc, & alia supradicta legata sint licita, deberi esse moderata, ita ut non præsumantur fieri in fraudem, videlicet ad relinquendam hæreditatem sub titulo legati, ut constat ex Clement. *Exivi.* §. *cupientes* versu. *Nec licet eis*, ubi licet non irritet legatum, nec hæredes ab eo solvendo liberentur, ut cum Bartholo, Rodrig. Sorbo & aliis notavit Sanchez *supra cap.* 26. *num.* 13. prohibentur tamen Fratres recipere talia legata; unde si illa recipiunt, peccant contra votum, siquidem usurpant illorum usum contra voluntatem Papæ, qui est legitimus dominus illorum. Ita cum Sanch. Pellizzarius *tractat.* 4. *cap.* 2. *numer.* 97. debet igitur illis tantum illorum legatorum dari, quantum postulat imminens necessitas, & non amplius, nisi aliàs alia nova superveniat necessitas, quo casu residuum

58 legati solvendum esset. Quando autem hujusmodi quantitas sit immoderata necne? judicandum est à ministris Fratrum, vel custodibus seu ipsorum Prælatis, sive simul, sive separatim. Ita cum aliis Pellizzarius *supra n.* 96.

An autem Mendicantes, qui non possunt habere bona stabilia in communi acquirant dominium super legata sibi relicta? Respondeo, quod vel

59 ipsi Mendicantes sunt incapaces dominii in communi, ut Minores & Capucini, vel non: si sunt, nullo modo acquirunt dominium, sed tales res, si fuerint immobiles debent ab hæredibus defuncti vendi, & dum non venduntur fructificant hæredibus: Sanch. & alii, quos refert & sequitur Palaus *de statu Religioso disp.* 3. *part.* 9. *num.* 9. Si tamen fuerint capaces dominii in communi, ut sunt 60
nostri Conventus, & domus professæ Societatis, 61
statim acquirunt dominium, non solum super le- 62
gata, sed etiam super omnia bona, in quibus succedunt, sive per testamentum, sive per donationem, non ut ea possideant, sed ut illa vendant, non enim repugnat habere incapacitatem habendi annuos redditus in communi, & capacitatem dominii, in eadem Religione; sunt enim res omnino diversæ, ut notavit Pellizzarius *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 56.

Unde talia legata, & omnia bona ipsis relicta 63
debent eis tradi cum omnibus fructibus antea ab hæredibus susceptis, & ad ipsos pertinet ea vendere, ratione juris, ac dominii: Sanchez *supra cap.* 27 *numer.* 22. Pellizzarius *Tom.* 1. *tract.* 4. *num.* 127. Et in casu quo non occurrat opportu- 64
nitas emptoris, vel si est necessaria res ad habitationem, & non adest occasio aptandæ habitationis, possunt interim ea alteri locare, nam retinere redditus saltem pro modico tempore non repugnat nostræ pauperpati, ut patet *ex nostra Constitutione* 1. *part. cap.* 7. *num.* 14. Immò addit cum Pa- 65
lao Pellizzarius *ubi supra n.* 130. posse tales red- 66
ditus possideri per spatium, infra decennium, hoc enim tempus modicum reputatur; quod etiam potest admitti in nostra Religione, licet Constitutio præcipiat, ut ultra annum non differatur: nam talis Constitutio debet intelligi in casu, quo dentur emptores, vel res non sit necessaria ad fundationem, & sic video à Prælatis hujusmodi Constitutionem practicari. Vide circa prædicta nost. Thomam à Jesu in commentariis *cap. Ne dicatis.* seu *Tract. de voto paupertatis part.* 1. & 5. Lezanam *Tom.* 1. *qq. Reg. cap.* 6. & Franciscum Bonæ Spei *Tom.* 5. *Theolog. tract.* 2. *de Religione disp.* 9. *dub.* 2.

* * *

SECTIO

SECTIO II.

Quarum rerum usu privet votum paupertatis Religiosos in particulari?

67 *Paupertas in particulari in aliquibus Religionibus strictior est, quàm in aliis.*

68 *Unde mensuranda sit paupertas in qualibet Religione?*

69 *Paupertas Carmelitarum Excalceatorum strictissima est.*

70 *Ad quæ teneantur Carmelitæ ratione illius?*

71 *Ad quid teneantur eorum Prælati ratione illius?*

72 *Nostræ Constitutiones non obligant ad culpam.*

73 *Omnes Regulares tenentur vitam communem in victu, vestitu, &c. observare.*

74 *Religiosi possunt habere annuos redditus, census vitalitios, sive peculium in particulari, dependenter à voluntate Prælati, si non habeant legem in contrarium.*

75 *Nostri Religiosi habent Statutum in contrarium.*

76 *Religiosi habentes peculium, nec dominium, nec proprietatem habent.*

77 *Usus peculii magis conveniens est Religionibus, in quibus Religiosis de necessariis omnino non providetur.*

78 *Licita est consuetudo taxandi certam pitantiam Religiosis ad usus necessarios, quæ datur in aliquibus Religionibus minus reformatis.*

79 *Idem dicendum est de administratione alicujus possessionis Monasterii.*

80 *Deposita pecuniarum in arca communi, quæ in aliquibus Religionibus fiunt, licita sunt.*

81 *Quid prohibeat Tridentinum in hac materia?*

82 *In quo fuerit in hac materia receptum?*

83 *Decretum Tridentinum de hac re non fuit usu receptum.*

84 *Idem dicendum est de declaratione Cardinalium in hac re.*

85 *Religiosi reformati non possunt habere superflua.*

86 *Quæ censeantur superflua respectu Religiosorum?*

87 *Ad quod se extendat votum paupertatis?*

88 *Religiosi Religionum laxarum possunt habere superflua.*

89 *Tales Religiosi habentes superflua non sunt proprietarii, nec faciunt contra votum.*

90 *Habere superflua est contra accidentalia voti.*

91 *Superiores possunt dispensare in illis, quæ sunt contra accidentalia voti.*

92 *Non tamen in his, quæ sunt contra substantialia voti.*

93 *Consuetudo legitimè introducta facit cessare Regulam quoad accidentalia voti.*

94 *Consuetudo potest inducere, quidquid potest Princeps concedere.*

95 *Summus Pontifex potest Religiosis concedere, ut habeant superflua.*

96 *Prælatus potest concedere superflua pro toto Conventu.*

97 *Potest concedere etiam in particulari hanc superfluitatem.*

98 *Peccant Prælati talem superfluitatem concedendo, aut permittendo ultra legitimam consuetudinem.*

99 *Idem dicendum est, si permittant introduci talem consuetudinem.*

100 *Religiosi, utendo superfluis in casu, quo ea Prælatus illis concedat, vel permittat, non peccant.*

101 *Præscriptio non potest dari cum mala fide.*

102 *Consuetudo contra legem ut plurimum malam fidem supponit.*

103 *Moniales laxarum Religionum licitè possunt habere, non solum annuos redditus, sed etiam supellectilem superfluam ac pretiosam.*

104 *Easdem res superfluas possunt habere Religiosi laxarum Religionum.*

105 *Religiosi retinentes apud se pecuniam in notabili quantitate, inscio superiore, si illam non expendant absque licentia tacita, vel expressa, non peccant contra votum paupertatis.*

106 *Retentio pecuniæ præscindendo à dominio, non est contra votum paupertatis.*

107 *Dominium hujus pecuniæ pertinet ad personam, quæ eam dedit in depositum.*

108 *Religiosus potest apud se retinere vestem, vel quid simile, inscio superiore, dummodo illa non utatur absque licentia tacita, vel expressa.*

109 *Habere apud se pecuniam, si illa non potest uti absque licentia, non est pretio æstimabile.*

110 *Retinere apud se pecuniam, inscio Superiore, est contra leges aliquarum Religionum, & maximè nostræ.*

111 *In casu, quo sit contra legem, solum erit culpa secundùm qualitatem legis.*

112 *In hoc casu erit peccatum contra obedientiam, non verò contra votum paupertatis.*

113 *Qui frangit votum obedientiæ in materia gravi non peccat mortaliter, nisi simul detur lex, vel præceptum Prælati obligans sub mortali.*

114 *Qui frangit votum paupertatis in materia gravi, peccat mortaliter.*

115 *Religiosi non vovent obedientiam simpliciter, sed juxta declarationes Constitutionum, vel Regulæ suæ Religionis.*

116 *Religiosi vovent absolutè castitatem, & paupertatem.*

117 *In nostra Religione nulla obedientia, lex, vel Constitutio obligat ad mortale, nisi detur præceptum formale in scriptis, & certa forma.*

118 *Religiosus sciens non esse illi tribuenda necessaria ad itinerandum v. g. potest habere pecuniam in deposito ad eam occasionem, etiamsi detur præceptum in contrarium.*

119 *Quomodo hoc sit intelligendum?*

120 *Religiosus potest retinere apud se syngrapham campsorum, animo exigendi pecuniam in ea contentam, cum Superioris tamen licentia, si non detur præceptum in contrarium.*

121 *Potest petere partem pecuniæ syngraphæ, juxta suas necessitates, & partem relinquere, cum intentione acquirendi jus in solam partem, quam postulavit.*

122 *Religiosus potest apud se retinere pecuniam alterius in depositum, inscio superiore, nisi detur præceptum in contrarium. Hæc supradicta & similia omnia prohibita sunt apud Carmel. Discal.*

123 *Religiosus habens apud aliquem pecuniam in depositum, inscio Superiore, quando à peccato liberatur?*

124 *Religiosus res à Prælato concessas præsente Prælato occultans, ne ab eo auferantur, peccat mortaliter.*

125 *Secus, quando tales res præ verecundia, vel ne reprehendatur occultat.*

126 *Idem dicendum est, si eas occultet ad celandum peccatum proprietatis, quod admisit illas sine licentia recipiendo.*

127 *In hoc casu, ut absit peccatum debet Religiosus habere intentionem, vel rem abdicandi à se, vel licentiam obtinendi.*

128 *Religiosus, qui cœnobium egrediens res suas, artificioso modo, intra suam cellam occultat, ne alii eas furentur, non peccat contra votum paupertatis.*

129 *Idem dicendum est, si extra apud sæculares custodiendas relinquat.*

130 *Religiosus, qui habens rem aliquam de licentia Prælati Superioris, eam Prælato inferiori occultat, ne eam ab illo auferat, non peccat mortaliter.*

DICO PRIMÒ: Sicut superiori sectione diximus, 67
non esse eandem paupertatem in communi in omnibus Religionibus, sed admittere latitudinem, juxta praxim Religionum: quia aliæ strictiorem, aliæ minus strictam observant paupertatem, sic dicendum quoque est de paupertate in particulari. Unde hæc ex communi usu, & consuetudine, sci- 68
entibus, & non contradicentibus Prælatis cujuscumque Religionis, mensuranda est: censetur namque concessa facultas generalis ad illos actus, qui fiunt ex tali consuetudine, qui aliàs essent contra votum: hæc enim sufficit, ut non peccent subditi contra votum dando, vel accipiendo, vel retinendo, vel utendo; Ita Lessius *lib. 2. cap. 41. n. 19.* Sanch. *lib. 7. moral. cap. 19. n. 7.* & alii.

Hinc fit paupertatem nostrorum Religiosorum 69
in particulari esse strictissimam, siquidem non solum universali consuetudine, sed etiam ex lege non possunt sibi applicare usum alicujus rei etiam minimæ, sed omnia sive magna, sive parva debent illis tribui à Prælato juxta cujuscumque necessitatem: nec aliquis Religiosus, sive subditus, sive Prælatus, potest retinere usum alicujus rei quantumvis etiam minimæ, sive in Conventu, sive extra, præter illa, quæ Religio solet unicuique concedere ad usus necessarios. Unde omnia bona, quæ 70
Religiosi acquirunt, sive ratione prædicationis, lectionis, Missæ aut quocumque titulo statim debent integrè tradi Prælatis, & Communitati incorporari, ita, ut non solum pecunias, sed neque etiam res comestibiles liceat Religiosis, etiam Prælatis, ullo titulo habere.

Immò neque potest esse locus, aut arca, in qua Religiosi habeant aliquod depositum, non solum pecuniæ, sed neque aliarum rerum: nec possunt rem aliquam dare, vel recipere, mutuare, commu-

commutare, aut alio quocumque modo alienare
71 absque licentia Prælati. Unde omnino illis pro-
hibitus est usus clavium, etiam pro foribus cellu-
larum, exceptis tantùm Patre nostro Generali,
Definitoribus generalibus, Provincialibus, &
Procuratoribus generalibus, atque ipsorum Secre-
tariis, qui possunt habere aliquam arcam clave ob-
seratam pro servandis litteris, aut instrumentis
ad munera sua pertinentibus: Priores verò tantùm
possunt habere aliquam capsulam munitam clave,
inclusam tamen intra arcam trium clavium; intra
quam arcam nec etiam Priores, aut alii Prælati
possunt pecunias habere, aut retinere, quæ omnia
hodie adeo rigidè in utraque Congregatione no-
stra Hispanica, atque Italica observantur, ut ex-
ceptis paucis, necessariisque libris, Breviario, Cru-
ce lignea, imagine chartacea, & lectulo pauper-
rimo atque durissimo, nullam rem aliam reperire
sit in Religiosorum nostrorum cellulis: quæ
paupertas adeo stricta est, ut nesciam, an alia
strictior in Dei Ecclesia inveniatur.

72 Licèt autem hæc paupertas strictissima in no-
stra Religione observetur, quia tamen aliis in
Ordinibus, etiam Mendicantibus, non adeo stricta
paupertas observatur in particulari, & licèt nostra
Statuta non obligent, sub mortali, ideo videndum
nobis est, quas res possint Religiosi tam nostri,
quàm aliorum Ordinum habere absque violatio-
ne voti paupertatis, secluso tamen speciali præ-
cepto alicujus Religionis.

73 Dico igitur SECUNDÒ: Omnes Religiosi cujus-
cumque Religionis, tenentur vitam communem
observare in victu, vestitu, lectisterniis, & aliis
similibus omnibus; Ita habetur ex Tridentino
sess. 25. cap. 2. juxta declarationem sacræ Congre-
gationis facta auctoritate Urbani VIII. in decreto
de ejectis, & apostatis, quod refert Lezana *Tom. 1.
cap. 6. num. 8.* & N. Thomas à JESU in *Comment.
cit. part. 4. cap. 2. & 3.*

74 An autem de licentia suorum Prælatorum, non
obstante prædicto decreto Tridentini, possint Re-
ligiosi, qui non habent speciale statutum in con
trarium, ut habent nostri, habere annuos redditus,
& census vitalitios, & particulare peculium ad
proprios usus honestos, etiam indeterminatos,
75 dependenter tamen à voluntate Superiorum? Re-
spondeo affirmativè; Ita tenent Fagundez, Villa-
lobos, Sanchez, quos refert, & sequitur Vidal. *ti-
tul. de paupertate, num. 29.* Pellizzarius *Tract. 4.
cap. 2. num 196.* contra Valentiam, Lessium,
Molinam, Suarez, quos refert Diana *1. part. tract. 6.
de paupert. resol. 32.* Vide prædictum N. Thomam
lib. cit. dub. 5. qui cum distinctione procedit in hoc,
& optimè.

Ratio fundamentalis est, quia etiam in arctis- 76
simis Religionibus Religiosi possident aliqua mo-
bilia sibi concessa, & deputata pro suis particula-
ribus usibus, ut sunt vestes, libri, imagines, & alia
hujusmodi, quibus ipsi utuntur sine violatione
voti paupertatis: ergo neque ipsum violant ha-
bendo peculium, seu annuos redditus pro suis usi-
bus, & necessitatibus assignatos. Patet conse-
quentia, quia ex eo Religiosi non peccant contra
votum retinendo illa mobilia, quia retinendo illa
dependenter a voluntate Superioris, neque domi-
nium, neque proprietatem habent super illa: ergo
idem dicendum est de peculio, & annuis redditi-
bus; siquidem illa habent dependenter à voluntate
Superioris.

Hinc colliges *primò*, à fortiori licitum esse 77
usum peculii, & annuorum redditUum in Religio-
nibus, in quibus non providetur Religiosis de ne-
cessariis ad victum, & decentiam sui status.

Secundò colliges in his Conventibus licitam
eam esse consuetudinem, quam habent, ut de
bonis monasterii certi annui redditus, aut certa
portio pecuniarum taxetur Religiosis ad usus ne-
cessarios, dependenter à voluntate Superiorum;
siquidem hoc non est aliud, quàm Superiorem ap-
plicare de bonis monasterii necessaria Religiosis,
quod sine dubio licitum est: Navarr. Sanchez,
quos refert, & sequitur Lezana *Tom. 1. cap. 6.
num. 22.*

Et idipsum dicendum est de administratione 78
alicujus boni stabilis, vel possessionis monasterii
in prædictis casibus propter easdem rationes; 79
Graffius, quem refert, & sequitur Lezana *ubi
suprà.*

Idem dicendum est de depositis pecuniarum, 80
quæ solent esse in aliquibus monasteriis ex iis, quæ
Religiosi acquirunt, aut monasteria ipsis con-
cedunt, ex quibus extrahuntur expendenda pro
singulorum necessitatibus; Ita Azor, quem re-
fert, & sequitur Lezana *ubi suprà, num. 23.* quæ
omnia aliena sunt à nostro instituto, ut patet ex
1. part. nostrarum Constitutionum, cap. 7. num. 3.

Nec obstat contra hæc prædictum decretum 81
Trident. & sacræ Congregationis. Respondetur
namque Tridentinum non condere jus novum,
sed solùm confirmare antiquum. Unde solùm 82
prohibet habere annuos redditus, & peculium in-
dependenter, non tamen dependenter à Superiore.

Quòd si instes, postulare abdicationem etiam usus
83 independentis à Superiore; Respondeo, quòd dato, quod postulet, in hoc non fuisse receptum illud decretum, cùm nunquam fuerit in usu, experientia teste: declaratio autem Cardinalium minùs urget: nam cùm sit accessorium, sequitur
84 naturam principalis, unde cùm decretum per consuetudinem sit abrogatum, idem judicium de prædicta declaratione ferendum est: vel dicito non constare de illa authenticè, vel tales declarationes non esse decisivas, sed solùm doctrinales, ut asserunt plures Doctores apud Dianam 1. *part. tract. de paupert. resol.* 32.

85 Dico tertiò: Religiosi illarum Religionum, in quibus paupertatis votum cum rigore observatur, non possunt habere superflua, nec Prælatus ea
86 permittere; v. g. vasa aurea, aut argentea, gemmas, annulos, vestes sericas, picturas pretiosas, scriptoriola curiosa, & alia hujusmodi; & si de facto habeant, peccant contra votum paupertatis: Hoc quoad nostros, constat ex 1. *part. nostrarum Constitutionum, cap.* 7. *num.* 9. ubi non solùm superflua, sed etiam minùs necessaria prohibentur, de aliis verò tenet hanc sententiam Rodrig. Navarr. & alii, quos refert, & sequitur Lezana *Tom.* 1. *cap.* 6. *num.* 15. Lug. *de justit. disp.* 2. *sect.* 7. *num.* 131.
87 Sanch. *lib.* 7. *moral. cap.* 17. *num.* 21. Ratio est, quia votum paupertatis non solùm est de non utendo rebus absque Prælati licentia, sed etiam de conservando statu paupertatis, nec faciendis sumptibus, qui pauperes non deceant; unde Prælatus, vel Conventus totus habendo talia superflua, & faciendo tales sumptus peccaret contra paupertatis votum.

88 Dixi, *ubi paupertatis votum cum rigore observatur*, ut excluderem aliquas Religiones, in quibus longæva consuetudo explicuit, votum paupertatis non extendi ad hujusmodi superflua; Ita loquens de Ordinibus Militaribus, & aliis similibus tenet
89 Lugo *ubi suprà*, & de Religionibus non reformatis absolutè tenet Bordon. *Tom.* 1. *resolut.* 43. *num.* 45. Moronius *resp.* 86. *num.* 95. & inprimis, quòd isti Religiosi non sint proprietarii contra votum paupertatis, tenent præter citatos Sylvester & Graffius, quos refert, & sequitur Bordon. *ubi suprà, num.* 45. Lugo *disp.* 3. *de justit. sect.* 7. *num.* 132. Peyrinis *de subdito, quæst.* 2. §. 9. *num.* 5. Sanchez, quem refert, & sequitur Moronius *ubi suprà, num.* 96. Quòd autem non peccent alio modo, ut putavit Lugo, neque peccato avaritiæ, ut putavit Peyrinis, Lessius, & alii *locis supracitatis*, probatur.

Quia id non est contra substantiam voti pau-
pertatis, sed tantùm contra accidentalia ejus, in 90
quibus possunt Superiores dispensare, cùm non
sit dispensare in proprio, neque proprium permit- 91
tere, sed accidentia voti relaxare: quia sic obtinuit
talis Religionis consuetudo à Prælatis scita, &
tolerata, ut suppono; sed consuetudo legitimè 92
introducta facit cessare Regulam, ut dicit perti-
nentia ad votum non essentialia, sed accidentalia: 95
ergo. Probatur minor, quia consuetudo potest in-
ducere, quicquid potest Princeps concedere, *leg. si*
quisquam, ff. de diversit. & tempor. præscript. Cap. 94
Super quibusdam, §. *Præterea, de verb. signif.* ut latè
probat Moronius *resp.* 3. *num.* 8. *& sequentibus*;
sed summus Pontifex potest prædicta concedere:
ergo idem potuit consuetudo introducere. 95

Nec obstat, si dicas, Prælatum non posse con-
cedere hanc facultatem, cùm non sit dominus, sed 96
tantùm dispensator bonorum monasterii, & jus
non tribuit illi hanc facultatem, eò quòd sit il-
licita, ac reprobata à Tridentino, & Clemente
VIII. in sua *Constitut. reformat. num.* 18. & idem 97
censuit sacra Congregatio, ut testatur Lezana *loco*
citato. Respondetur namque Prælatum sicut pot-
est concedere superflua pro toto Conventu in 98
communi, ita & concedere in particulari hanc 99
superfluitatem. Ad auctoritatem Tridentini,
Clementis, & sacræ Congregationis, respondeo
restringi ad Religiones reformatas. Et hinc col-
liges, Prælatos consentientes Religiosos habere
superflua ultra præscriptam consuetudinem Reli- 100
gionis, vel permittentes introduci talem consue-
tudinem peccare mortaliter, ipsos verò Religiosos
utendo talibus rebus, non peccare, si illis utantur
cum legitima licentia suorum Superiorum.

Nec obstat, si dicas, consuetudinem non posse 101
dari contra legem, quia daretur præscriptio cum
mala fide. Respondeo namque in hoc differre præ-
scriptionem à consuetudine, quòd præscriptio, ut
dicit jus alterius sibi acquirere, non admittit ma-
lam fidem; consuetudo autem, ut plurimùm ma- 102
lam fidem supponit, & præcipuè cùm est contra
legem, & ideo in ejus præscriptione non requiritur
bona fides.

Et hinc colliges, quomodo multæ Moniales 103
possint habere non solùm peculium, & annuos
redditus, sed etiam supellectilem superfluam, pre-
tiosamque, ut in diversis videre est Monialium
Conventibus non reformatis, & in pluribus Reli-
gionibus

104 gionibus virorum non reformatorum, videmus Religiosos aliàs observantes, habere imagines magni valoris, scriptoriola, & alias res pretiosas videntibus, & non contradicentibus Prælatis, quæ omnia tam in Prælatis, quàm in tot viris gravibus, litteratisque condemnare, durum foret; dico ergo ita habuisse illarum Religionum consuetudinem legitimè introductam: unde licet illi Priores, qui talem consuetudinem introduxêre, contra legem graviter peccaverint, modo tamen utentes illis rebus, minimè peccant, nisi quatenus legitimam consuetudinem excedunt. Contrariam tamen sententiam his, quæ suprà *num.* 88. *& seqq. hujus sectionis*, diximus, docet nost. Ven. Thomas à Jesu in *Comment. supracit. de voto paupertatis*, 4. *Part. cap.* 7. *&* 8. quam egregiè tuetur ex SS. PP. antiquioribusque Doctoribus: quem non sine fructu consulere poteris. Eundem sequitur nost. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 6. *num.* 13. qui etiam pro ea citat nost. Hieronymum Gratianum, aliàs à Matre Dei.

105 Dico quartò: Religiosi professi retinentes apud semetipsos pecuniam in notabili quantitate, inscio Superiore, non peccant mortiferè contra votum paupertatis, dummodo illam non expendant sine licentia tacita, vel expressa Superioris; Ita expressè tenet Vidal. *titulo de paupertate, num.* 49. Pasqualigus *decis.* 451. *Tom.*2. Sanch. *lib.* 7. *moral. cap.* 19. *num.*50. Bartholomæus à sancto Fausto, quem refert, & sequitur Lugo *de justit. disp.*3. *sect.* 8. *num.* 150. Diana 1. *part. tract.* 6. *resol.*43. Ratio est, quia ille, qui retinet pecuniam apud se, præcisè non facit actum, qui fit contra
106 paupertatem religiosam, quia illa retentio secundùm se, præscindendo à dominio, & proprietate, non est contra votum paupertatis, cùm sit solùm quidam actus materialis, non habens formam contrariam voto: ergo in hoc casu non est judicandus proprietarius.

Confirmatur, quia dominium illius pecuniæ pertinet ad illum, qui tales pecunias dedit in de-
107 positum tali Religioso, ut debito tempore, & cum licentia Superioris illis uteretur: ergo Religiosus illas retinens, nullo modo habet dominium super illas, sed, ut suppono, est merus depositarius.

Dices, Religiosus non potest habere sine fra-
108 ctione voti paupertatis rem pretio æstimabilem, ut vestem, vel quid simile, absque licentia Prælati: ergo idem de pecunia dicendum erit. Respondetur, eodem modo philosophandum esse de retentione vestis, vel alterius rei; nam si Religiosus tantùm illam retinet in cella, inscio Superiore, sine illius usu, non violat formaliter paupertatem, quia tunc tenet illam in deposito nomine monasterii, secùs si illa uteretur absque Superioris licentia.

Instabis: Habere pecuniæ commoditatem apud 109
se, est pretio æstimabile: ergo dum pecunia retinetur, absque Superioris licentia, adversatur voto paupertatis. Respondetur, hoc esse verum, quando Religiosus ex tali commoditate acquirit independenter à voluntate Superioris dominium; secùs in casu nostro, ubi tantùm usum facti acquirit de licentia saltem tacita Superioris, quando actualiter expendit illam pecuniam: ergo nihil contra nos.

Dices, tenere pecunias apud se, est contra Re- 110
gulas & Constitutiones Religionum, & quoad nostros patet ex 1. *part. nostrarum Constitutionum,*
*cap.*7. *num.*7. ergo illa actio est illicita, & pecca- 111
minosa, præsertim in Religionibus perfectæ observantiæ. Respondetur, quòd si Regula, vel
Constitutio ad culpam non obliget, non esse grave 112
peccatum illam pecuniam retinere; deinde peccatum contra Regulam, vel præceptum, non est culpa proprietatis, sed inobedientiæ.

Instabis: Hic Religiosus retinet materiam gravem contra obedientiam: ergo peccat mortaliter, saltem contra obedientiam, esto lex non obliget ad mortale: patet consequentia, quia qui frangit votum paupertatis in materia gravi, peccat mortaliter: ergo etiam, qui frangit obedientiam in materia gravi, peccat mortaliter. Respondeo
cum Fagund. *lib.* 7. *in Decal. cap.* 7. *num.* 8. esse 113
diversam rationem; nam Religiosi, quorum leges non obligant ad mortale, ut sunt nostræ,
non vovent obedientiam simpliciter, & absolutè, 114
sicut castitatem, & paupertatem, sed juxta decla- 115
rationes suarum Constitutionum. Unde cùm a- 116
pud nos nostræ Constitutiones declarent, quòd 117
nulla Constitutio, lex, aut obedientia obligat ad mortale, nisi imponatur præceptum formale in speciali forma, ut patet ex 1. *part. nostrarum Constit. cap.* 1. *num.* 6. Inde est, quòd si non detur tale præceptum, violatio obedientiæ, etiam in materia gravi, nunquam erit peccatum mortale, quod idem de aliis Religionibus dicendum est.

Sed quæres, quid dicendum sit, si detur præ- 118
ceptum obligans sub mortali, ne Religiosi habeant pecunias modo dicto in deposito, sive intra, sive extra Conventum, sed quòd omnis pecunia, quæ fuerit, tradatur depositario communi monasterii,

vel

vel Prælato, peccabitne Religiosus contra paupertatem, vel saltem contra obedientiam, si aliquam pecuniam contra præfatam prohibitionem apud se retineat, sive intra, sive extra Conventum, eò quòd certa ductus experientia, novit se de facto non provisum iri, quando his indiguerit; cùm tamen non raró similes casus indigentiæ soleant ei evenire, & re vera sint eventuri?

Respondeo negativè: Etiamsi non solùm per modum depositi modo dicto, sed etiam absolutè
119 retineat apud se talem pecuniam; Ita expressè Pellizzarius *Tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 312. & ratio est, quia attentis circumstantiis in dicto casu censetur habere illas pecunias, & illas expendere de licentia Prælati superioris, si prohibitio illa facta fuerit à Prælato inferiori, quòd si facta fuerit à Prælato superiori, tunc censetur operari de licentia supremi Prælati, qui est Summus Pontifex, vel de jure naturali dictante unicuique licitum esse sibi in necessariis providere, quod jus naturæ sine dubio prævalet cuicumque juri humano: quamquam cùm facilè possit Religiosus in hujusmodi rebus decipi, falsò apprehendendo aliqua esse sibi necessaria, quæ verè non sunt, valde cavendum est, ne nimis facilè præsens doctrina in praxim trahatur; Ita cum viris doctissimis à se consultis docet Pellizzarius *ubi suprà*.

120 Et hinc colliges *primò*: posse Religiosum sine mortali peccato, si aliàs non detur præceptum in contrarium, retinere apud se syngrapham campsoriam ab amico oblatam, animo non exigendi pecuniam ex ea debitam sine Superioris licentia; non enim super illam ullum jus acquirit, aut dominium, ut suppono, sed tantùm eam habet in deposito.

121 *Secundò* colliges: posse paulatim petere pecuniam dictæ syngraphæ juxta suas necessitates, postulando licentiam pro illa tantùm parte, qua indiget, relicto dominio, quoad alias portiones in eo, qui syngrapham concessit; Ita Pellizzarius *Tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 4. *num.* 298.

122 Colliges *tertiò*: Religiosum secluso similiter præcepto in contrarium, retinentem apud se pecuniam alterius, tanquam in deposito, inscio Superiore, non peccare mortaliter; siquidem talis pecunia non est sua, nec super illam dominium habet: Suarez, Lugo, Diana, & Sanchez *locis citatis*.

Colliges *quartò*: eum, qui pecuniam particularem retinet penes alterum, tanquam in deposito,
123 inscio Superiore, secluso præcepto in contrarium, non peccare mortaliter contra votum paupertatis, dum non habet intentionem acquirendi dominium, vel possessionem, aut usum, sive juris, sive facti, independenter omnino à voluntate Superioris; Ita Sanchez *lib.* 7. *moral. cap.* 19. *num.* 50. & alii apud ipsum Vidal. *suprà num.* 68. Sed hæc jam dicta omnia, ut supra dixi, prohibentur nostris Religiosis 1. *part. nostrarum Constitutionum, cap.* 7. *num.* 2. & 8. quod ipsis valde est advertendum & observandum.

Sed quæres, an Religiosus, qui res à legitimo 124
Superiore concessas, præsenti Prælato occultat, peccat mortaliter contra votum paupertatis? Respondeo, peccare, quando talem rem occultat, ne idem Superior, vel alius in visitatione cellarum auferat: secùs, quando talem rem occultat præ vere- 125
cundia, vel ne reprehendatur à Prælato, quòd ex sola licentia tacita eam receperit, paratus tamen 126
eam Prælato tradere, & minimè retinere, quando intelliget eam minimè concessuram; Ita Rodrig. Sanchez, & alii, quos refert, & sequitur Peyrinis *de R. P. quæst.* 2. *cap.* 2. §. 4. & noster Franciscus Bonæ-Spei *Tom.* 5. suæ Theologiæ *Tract.* 2. *disp.* 9. *dub.* 2. qui triplicem adhibet distinctionem: & optimè monet, valde cavendum esse Religiosis, ne quispiam suis blandimentis in hac materia in æternum decipiatur, & damnetur.

Ratio prioris partis est, quia sic occultans vult contra Superioris licentiam rem illam ablaturi, si conscius esset, possidere, quod est contra paupertatem. In secundo verò casu, nullus intervenit actus proprietatis, cùm sic Religiosus sit paratus, rem illam à se abdicare, ad nutum Superioris, & per illam occultationem solùm intendit effugere verecundiam: idem dicendum est, quando Religiosus occultat rem ad celandum peccatum proprietatis, quod commisit in receptione talis rei, cum proposito tamen illam dimittendi, vel ad retinendum licentiam obtinendi, cùm 127
primùm ei data fuerit opportunitas, Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 19. *num.* 61. Peyrinis *ubi suprà*.

Et hinc colliges *primò*: non peccare mortaliter 128
Religiosum, qui ad mensem, verbi gratia, commoraturus extra Conventum in proprio cubiculo artificioso aliquo modo res suas occultat, vel extra 129
apud sæcularem, vel apud alium Religiosum custodiendas tradit, non quia timeat, ut eas Prælatus auferat; sed quia timet, ne ab aliis, sive Religiosis, sive extraneis surripiantur; Ita Pellizzarius *Tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 291.

Secundò

130 *Secundò* colliges: non violaturum votum paupertatis religiosum, qui rem habitam de licentia Prælati superioris, occultat Prælato inferiori, ne fortè ipse ægrè ferat, & curet illam ei auferri per Prælatum superiorem; Ita Lugo *de justit. disp. 5. num. 156.* In hoc enim casu habet se Prælatus inferior, sicut quilibet privatus, qui nequit revocare facultatem Superioris.

SECTIO III.

Quomodo Religiosi peccent contra votum paupertatis, recipiendo aliquid contra Prælati voluntatem, vel absque Superioris licentia?

131 *Quando Prælati Religiosis denegant necessaria secundùm suum statum, possunt ea Religiosi clam è Conventu, vel ab externis accipere.*

132 *Superiores injustè denegant Religiosis necessaria.*

133 *Quomodo hoc sit intelligendum?*

134 *Religiosus recipiendo aliquid notabilis quantitatis, absque Superioris licentia tacita, vel expressa, animo illud occultandi, peccat mortaliter.*

135 *Quomodo hoc sit intelligendum?*

136 *Usus rei est pretio æstimabilis.*

137 *Quid si talem rem recipiat non animo occultandi, sed eam ostendendi Prælato?*

138 *Quando acquiritur aliquid monasterio, semper censetur dari tacita voluntas Prælati.*

139 *Religiosus, qui postulat ab amico, ut emat libros, & illos ab eo accipit ad usum, quoad voluerit, manente dominio eorum amico, peccat contra paupertatis votum.*

140 *Secùs si accipiat tales libros ad brevè, & limitatum tempus, etiamsi eos deferat de uno monasterio ad aliud.*

141 *Quid in hoc casu censeatur breve tempus?*

142 *In hoc casu solùm censetur Prælatus invitus quoad modum.*

143 *Usus alicujus rei absque Superioris licentia ordinariè est quid leve.*

144 *In hoc casu Prælatus potest privare talem Religiosum illis libris.*

145 *Quomodo hoc sit intelligendum?*

146 *Religiosus accipiens aliquam rem pretiosam de bonis monasterii ad aliquem usum temporarium, v. g. librum de bibliotheca sine licentia, non peccat mortaliter.*

147 *Quid si illum per aliquot menses occultasset, aliis id gravissimè ferentibus?*

148 *Accipiens ex alterius cella librum à Prælato ipsi applicatum, regulariter non peccat mortaliter.*

149 *Benè tamen quando ex defectu libri Religiosus graviter, & rationabiliter offenditur.*

150 *Religiosus, qui ex alterius cella surripit manuscripta concionum, &c. peccat mortaliter.*

151 *Etiamsi tantùm ea usurpet ad transcribendum.*

152 *Religiosi absque periculo proprietatis possunt accipere, & retinere reliquias Sanctorum.*

153 *Reliquiæ non sunt pretio æstimabiles.*

154 *Possunt accipere, ac etiam emere, & retinere medalias & imagines in papyro, sive in corta depictas, grana benedicta, rosaria, &c.*

155 *Quomodo hoc sit limitandum, & intelligendum?*

156 *Religiosi Romam petentes, possunt ibi prædicta ad eundem effectum emere.*

157 *Religiosus accipiens, vel donans, aut expendens paulatim modica, sive sint pecuniæ, sive esculenta, sine licentia, non peccat graviter contra votum.*

158 *Nec tenetur ad restitutionem.*

159 *In quibus casibus, & quomodo hoc sit intelligendum?*

160 *Per modica paulatim sublata cum intervallo temporis quindecim dierum, non patitur monasterium grave damnum.*

161 *Nec Prælatus censetur graviter invitus.*

162 *Qui paulatim aliena surripit usque ad gravem quantitatem cum temporis intervallo, & cum intentione non deveniendi ad majorem summam, non peccat mortaliter.*

163 *Nec tenetur ad restitutionem, etsi totam illam summam retineat voluntariè.*

164 *Religiosus perveniens per minuta furta ad materiam gravem, tenetur restituere illam partem per quam materia redditur gravis, aliàs erit reus voti.*

165 *Qui infert alteri grave damnum physicum, & morale, tenetur ad restitutionem.*

166 *Non tamen, quando grave damnum est physicum, & non morale.*

167 *Qui infert proximo grave damnum physicum, formaliter tenetur ad restitutionem.*

168 *Non tamen qui illud infert tantum moraliter.*

169 *Qui infert grave damnum physicum, vel morale proximo totum, simul tenetur ad restitutionem.*

170 *Secus, quando infertur disparatè moraliter.*

171 *Qui retinet rem alienam, invito domino rationabiliter, tenetur ad restitutionem.*

172 *Secus, si dominus sit irrationabiliter invitus.*

173 *Religiosus accipiens à Conventu simul magnam quantitatem, etiamsi sit esculentorum, & in proprium usum, peccat mortaliter, si Prælatus sit rationabiliter invitus.*

174 *Ut Prælatus censeatur rationabiliter invitus, quantitas esculentorum debet esse major, quàm pecuniæ.*

175 *Si esculenta sint pretiosa, ut sunt conservæ, minor quantitas requiritur, quàm si essent communia.*

176 *Quid si harum rerum detur abundantia, & non sentiatur defectus.*

177 *Qui gallinas, vel dulcia acciperet, quæ pro infirmis asservantur, ita ut defectus sentiretur, peccaret mortaliter, si ad valorem sufficientem ad mortale acciperet.*

178 *Secus, si non sentiretur talis defectus ob illarum rerum abundantiam.*

179 *Qui necessaria ad faciendum unum jentaculum cum amico surriperet, non peccaret mortaliter.*

180 *Quid si acciperet de penu caseum, vel capsellam malorum sidoniorum saccaro conditorum?*

181 *Si esculenta ab externis dentur, major quantitas requiritur ad mortale, quàm si à Conventu surriperentur.*

182 *Religiosi munera electuariorum, vel confectionum cordialium ab externis accipientes, non peccant mortaliter.*

183 *Religiosus prandendo extra domum sine licentia, non peccat contra votum paupertatis graviter.*

184 *Religiosus, qui habet animum continuandi furta minuta comestibilium ad proprios usus, non peccat mortaliter.*

185 *Secus, si ea recipiat ab extraneis donanda, si habeat animum deveniendi ad notabilem quantitatem.*

186 *Quæ quantitas requiratur, tam in pecuniis, quàm in aliis rebus ad peccatum proprietatis? & referuntur plura Doctorum placita in hac materia.*

187 *In his furtis philosophandum est sicut in furtis filiorum.*

188 *Quæ furta filiorum censeantur mortalia?*

189 *Conventus alii sunt pauperes, alii mediocriter pecuniosi, alii divites.*

190 *Quæ quantitas pecuniæ sufficiat in Conventibus pauperibus ad mortale?*

191 *Quæ in mediocriter pecuniosis?*

192 *Quæ in divitibus?*

193 *Quæ quantitas requiratur in aliis rebus nemini applicatis?*

194 *Religiosus dans vestem, vel aliam rem sibi concessam Religioso ejusdem Conventus, non peccat mortaliter, etsi vestis valeat viginti aureis.*

195 *Quomodo hoc sit intelligendum?*

196 *Religiosus dans Religioso ejusdem Ordinis librum valoris quinque aureorum, non peccat mortaliter.*

197 *Religiosi ejusdem domus, & provinciæ, possunt sibi invicem donare, vel recipere res cujuscunque valoris.*

198 *Religiosus potest dare alteri Religioso ejusdem Conventus, non solum vestes, sed etiam picturam valentem mille aureos.*

199 *Religiosus potest res sibi ad usum concessas, de uno ad alterum Conventum asportare.*

200 *Valor unius aurei in esculentis, non sufficit ad mortale.*

201 *Religiosi licitè possunt repudiare dona, & munuscula, quæ sibi ab externis offeruntur, sine violatione paupertatis vel charitatis.*

202 *Religiosus impediens, ne aliquis extraneus tribuat aliquam rem notabilem Conventui, peccat mortaliter contra charitatem.*

203 *Idem dicendum est de legatis relictis monasterio, vel alicui Religioso ante mortem testatoris, si absque causa illa impediat.*

204 *Secus, si illa ex causa justa impediat.*

205 *Post mortem testatoris Religiosus non potest repudiare hæreditatem, vel legatum.*

206 *Hæreditas relicta Religioso, ut fiat monasterii, non requiritur ipsius Religiosi aditio.*

207 *Religiosus potest rogare amicum, ut res, quas illi vult dare, amico suo, vel consanguineo tribuat.*

208 *Religiosus potest accipere pecuniam absque licentia, non sibi, sed ad eam inter pauperes dividendam.*

209 *Quomodo hoc sit intelligendum?*

210 Reli-

210 *Religiosus potest sine licentia accipere pecuniam ab amico, ad eam solvendam meretrici.*
211 *Idem dicendum est, quando Religiosus accipit pecuniam ab amico, indicans ei, illam sibi recipere, cùm tamen verè non sibi recipiat, sed ut largiatur tertiæ personæ nomine amici.*
212 *In hoc casu non dat pecuniam nomine proprio, sed nomine dantis.*
213 *Religiosus de licentia tacita Prælati, potest sibi applicare eleemosynas, quas pro pauperibus postulavit, si eas pro pauperibus in genere postulavit.*
214 *Quid si à principio habuisset animum eas dandi certo pauperi?*
215 *Quid si eas petiit pro determinato paupere?*
216 *Religiosus, qui habet potestatem donandi aliquam rem alicui determinato, non potest eam alteri dare.*
217 *Secùs, si non constet donatarium ad hunc magìs, quàm ad illum se determinasse.*

131 DIco PRIMÒ: Quando monasteria non dant Religiosis simpliciter necessaria ad vitam secundùm suum statum, & conditionem, & secundùm Religionis consuetudinem, ut sunt cibaria, vestes, medicinæ, &c. quia vel non possunt, vel Prælati malitiosè nolunt, possunt ipsi Religiosi, etiam sine Superioris licentia, & ipsis invitis accipere taliter sibi necessaria, tam ab aliis Religiosis, quàm ab extraneis, atque etiam è bonis Conventus; Ita Sanchez, Sayrus, Rodrig. & alii, quos refert, & sequitur Peyrinis *de R. P. quæst.* 2. *cap.* 2. §. 4. Vidal. *titulo* de paupertate, *num.* 72. Fragos. 2. *part. lib.* 11. *disput.* 24. §. 11. *num.* 24. & Lezana *Tom.* 1. *cap.* 6. *num.* 31.

132 Ratio autem est: quia in tali casu Superiores injustè negant talem facultatem, cùm non possint cogere subditos, ut careant necessariis simpliciter ad vitam.

133 Advertant tamen nostri Religiosi debere sæpè recolere ac meminisse se esse pauperes, pauperésque escis modicis esse contentos, & necessariis sæpè carere, defectumque æquanimiter tolerare, neque etiam divites possunt omnia pro votis habere, ut illis dicitur 1. *part. nostr. Constit. cap.* 16. *num.* 3. Unde non statim eis licet ista inquirere, sed quando defectus fuerit valde notabilis; nam tunc illa accipiendo utuntur jure suo.

134 DIco SECUNDÒ: Religiosus, extra prædictam necessitatis casum, accipiens aliquid notabilis quantitatis, absque licentia tacita, vel expressa, animo illud occultandi, etiamsi recipiat quoad usum tantùm, manente dominio in extraneo, dante talem rem, peccat mortaliter contra votum 135
paupertatis; Ita quoad primam partem Rodrig. Miranda, Ledesma, Sanchez, quos refert, & sequitur Peyrinis *de R.P. quæst.* 2. *cap.* 2. §. 4. nost. supracit. Franciscus Bonæ-Spei *disp.* 9. *dub.* 2. *num.* 26. & nost. Thomas à JESU *in Comment. supracit. Part.* 3. *cap.* 3. & 4. ubi de hoc fusiùs agit, & ex SS. P.P. Conciliis & rationibus more solito, egregiè probat, ac confirmat. Quoad secundam verò Suarez, quem refert, & sequitur Pellizzarius *Tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 214. Ratio utriusque partis est, quia se gerit in hoc casu, tanquam dominus, vel accipiendo dominium, ut facit in primo casu, vel accipiendo usum, qui absque dubio est pretio 136
æstimabilis, ut fit in secundo: Dixi *notabilis quantitatis*; nam si sit res parva, non erit mortale. Dixi *animo illud occultandi*, quia si habeat ani- 137
mum illud in manus Prælati tradendi, non peccat.

Immò sufficit ad excusandum à peccato proprietatis, quòd Religiosus res acceptas, vel emptas pecunia ab extraneis accepta, reponat in cella palam expositas, ita ut illas videre possit Prælatus; Ita Azor. Coriolanus, Homobonus, & alii, quos refert, & sequitur Diana 1. *part. tract.* 6. *resol.* 26. Machadus, Suarez, Caramuel, & alii, quos refert, & sequitur Vidal. *titulo* de paupertate, *num.* 51. contrà Sanch. Lugo; quos refert, & sequitur Pellizzarius *Tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 177. Ratio est, tum quia, quidquid hoc pacto Religiosus possidet, Prælatorum suorum voluntati ac potestati subjicitur: tum, quia cùm in hoc casu illæ res emptæ acquirantur monasterio quoad earum acquisitionem, semper præsumitur licentia Superioris, cùmque solùm usus illorum sit independens à Superiore, non potest in hoc regulariter intervenire culpa gravis, præsertim cùm præsumatur 138
Superioris licentia, qui videndo tales res, illas non subtrahit.

DIco TERTIÒ: Religiosus, qui postulat ab amico, ut emat aliquos libros, quibus ipse Religiosus indiget, & postea illos accipit ab eo ad usum, quoad voluerit, manente tamen eorum dominio penès amicum, idque, ut eis liberè uti possit, eos secum deferendo de monasterio in monasterium, ut postea, cùm illis non indiguerit, reddat amico, peccat contra votum paupertatis, si talis Religio- 139
sus recipiat eos libros ad usum perpetuum; nam

 usus

usus talium librorum cum his circumstantiis, im-
140 portat materiam gravem : secùs dicendum est,
quando eos accipit ad limitatum, & breve tem-
141 pus, puta per spatium sex aut septem annorum;
non enim præsumitur Prælatus invitus in hoc
142 casu, nisi quoad modum, & aliàs materia culpæ
143 non est res ipsa, sed usus, qui ordinariè est quid
leve, & ratione parvitatis materiæ parùm videtur
lædere paupertatem. Suarez *Tomo* 4. *de Relig.*
*Tract.*10. *lib.*4. *cap.*8. *num.*2.

144 Poterit tamen in tali casu Prælatus privare il-
lum Religiosum usu talium librorum, & alteri ap-
145 plicare, nisi aliàs talis Religiosus eligat non am-
pliùs uti illis libris, & velit eos tradere domino
suo : cùm enim acceptaverit de licentia tacita
Superioris usum illorum librorum non absolutè,
sed quoad voluerit, dummodo non excedant sex
annos, & dominus eos tradiderit cum tali inten-
tione hoc ipso, quòd ille eligat non ampliùs illis
uti, statim etiam quoad usum transeunt ad domi-
num suum; Pellizzarius *ubi suprà, num.*304. Secùs
dicendum est, quando usus fuisset concessus ad
certum tempus, nam intra illud tempus posset
Prælatus illorum usum alteri applicare.

146 Idem prorsus dicendum est, quando Religiosus
accipit sine licentia Prælati rem aliquam, etiam
pretiosam, de bonis monasterii, verb. gr. librum
ex communi bibliotheca ad aliquem usum tem-
porarium, cùm etiam in hoc casu propter eamdem
rationem Prælatus non censeatur invitus, nisi
quoad modum. Suarez *Tom.*4. *de Relig. tract.*10.
*lib.*4. *cap.*8. *num.*2.

147 Secùs dicendum est, si talem librum sic acce-
ptum occultasset per aliquot menses, aliis id gra-
vissimè ferentibus, non enim cum tota Commu-
nitatis repugnantia usus ille excusari potest à
mortali; Lugo *de justit. disp.*3. *sect.*8.

148 Et idem à fortiori dicendum est de accipiente
ex alterius cella librum ipsi à Prælato applicatum,
licèt enim regulariter hoc non sit peccatum mor-
149 tale, aliquando tamen mortale erit, quando
ex defectu libri illius graviter, & rationabiliter
offenditur, qui eum habebat, ob damnum inde
proveniens. Quod præsertim locum habet, quan-
do ex alterius cella quis accipit manuscripta con-
150 cionum, aut alterius generis, eaque sibi transcribit,
est enim usus illorum pretio æstimabilis ob singu-
laritatem, quæ addit magnam æstimationem,
151 quare interdum non deesset, qui usum illum, &
facultatem transcribendi pretio fortasse 200. aut
300. aureorum emeret; Ita Lugo *de justit. disp.* 3.
sect. 8. *num.* 154. Pellizzarius *Tract.* 4. *cap.* 2.
num. 326. quæ omnia meritò sunt sub graviori-
bus pœnis severè prohibita apud nos; ut patet
ex 1. *part. nostrarum Constitut. cap.* 7. *num.* 6. &
cap. num. 2.

Dico quartò : Possunt Religiosi sine periculo 152
proprietatis accipere, & retinere reliquias Sancto-
rum, agnus Dei, & alia hujusmodi; ita N. Tho-
mas supracit. *part.*3. *cap.*5. Bartholomæus à sancto
Fausto, quem refert, & sequitur Pellizzarius,
*ubi suprà, num.*316. Lezana *Tom.* 1. *cap.*6. *num.*4.
non enim sunt pretio æstimabiles, etsi sint magni 153
valoris; unde ad hoc non requiritur licentia Præ-
lati.

An autem possint etiam absque prædicta licen-
tia accipere, emere, vel retinere numismata, &
imagines, sive in corio, sive in papyro depictas,
grana benedicta, Rosaria, & alia hujusmodi,
majus est dubium? nam hæc omnia ratione ma-
teriæ sunt pretio æstimabilia. Respondeo tamen 154
ad hæc semper requiri licentiam Prælati, suf-
ficere tamen præsumptam, quæ tunc rationa-
biliter præsumi potest, quando hæc omnia
retinentur à Religioso ad effectum ea postea
distribuendi inter benefactores Ordinis, & aliàs
non sint in magna quantitate, juxta prudentis
arbitrium; non enim potest in hoc casu præsumi 155
Prælatus invitus, quoad substantiam, sed tantùm
quoad modum.

Idem dicendum est de Religiosis Romam pe- 156
tentibus, quia ad eumdem effectum possunt
ibi hæc omnia emere, dummodo non faciant
expensas ad prudentis arbitrium admodum ex-
cedentes; Ita Pellizzarius *Tractatu* 4. *capite* 2.
num. 431.

Dico quintò : Religiosus accipiens, vel 157
donans, aut expendens paulatim modica, sive
sint pecuniæ, sive esculenta, vel aliud aliquid,
sine ulla licentia, non committit gravem cul-
pam contra paupertatis votum, nec proprie-
tarius censetur, nec sub mortali tenetur ad re-
stitutionem, si res jam sunt consumptæ, vel
aliis distributæ, quando per hæc modica plu- 158
ries cum intervallo saltem quindecim dierum
temporis repetita, & absque animo detinendi,
pervenit ad materiam gravem, sive illa mo-
dica accepta sint de bonis communibus mona-
sterii, sive ab extraneis donantibus. Et inprimis, 159
quoad esculenta, tenent hanc sententiam San-
chez, Bonacina, Fernand. Graffius, Tannerus,
quos

quos refert, & sequitur Diana 1. *p. tract.* 6. *resol.* 31. Cajet. Navar. Sayrus, Lessius, Fagund. quos refert & sequitur Pellizzarius *Tract.* 4. *cap.* 2. *n.* 258. Quoad omnia verò tenent hanc sententiam Rebellus, quem refert & sequitur Vidal. *titulo de paupertate num.* 101. Fernand. Sà, Berardutius, Granad. quos
160 refert & sequitur Diana. 1. *p. tract.* 6. *resol.* 34. Lugo *de justit. disp.* 3. *sect.* 8. *num.* 181. *&* 182. Graffius, Lessius, & alii quos refert & sequitur Fagund. *lib.* 7. *Decal. cap.* 5. *num.* 3. Et quod ipsa furta debeant esse inter se disparata, notat cum nost. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 6. *num.* 58. nost. Stephanus à S. Paulo in sua Theolog. Morali *Tract.* 4. *disp.* 12. *dub.* 4. Et quod inter unum, & aliud debeant saltem quindecim dies intervenire, ut non continuentur; Filiucius, quem refert, & sequitur Diana 1. *part. tract.* 6. *resol.* 34.

161 Ratio est, quia per hæc modica paulatim sublata cum intervallo temporis non patitur mona-
162 sterium grave damnum: ergo Prælatus non censetur graviter invitus. Quia, qui pluribus repetitis
163 vicibus furatur alienum, usque ad notabilem quantitatem, non peccat mortaliter, nec sub mor-
164 tali tenetur ad restitutionem, etiam si voluntariè retineat totam illam summam absque intentione restituendi, dummodo illa modica furta ratione voluntatis intercisæ, & ratione alicujus intervalli temporis inter unum, & aliud furtum moraliter non continuentur, ut tanquam probabile tenet Filiucius, Diana, Salaz, Sà, & absolutè Toletus, Berardutius, Fernand. quos refert, & sequitur Vidal. *inquisitione unica de paupertate n.* 101. ergo idem à fortiori dicendum erit de Religiosis, quorum furta comparantur cum furtis filiorum.

Solum hic est advertendum, quod si Religiosus postquam furatus est illa modica, & devenit ad
165 materiam gravem, adhuc totam illam retinet, tenetur restituere illam ultimam partem, per quam redditur materia gravis, aliàs retinendo illam cum aliis, erit reus voti paupertatis, cum materiam gravem retineat sine licentia Prælati, quidquid sit, an sit reus furti.

Dices, qui infert alteri grave damnum tenetur ad restitutionem, sed quando hæc furta perveniunt ad magnam quantitatem Conventus sentit
166 grave incommodum; siquidem privatur illo emo-
167 lumento accepto ab extraneis, vel à rebus, quas antea habebat: ergo talis Religiosus tenetur omnia restituere, Respondetur majorem esse veram, quando infertur grave damnum proximo physicum, & morale, non tamen, quando grave damnum tantum est physicum, & non morale, hoc autem no- 168
cumentum non est morale, nam defectu pravæ intentionis, & intervalli temporis, nocumentum no- 169
tabile non imputatur furanti, qui non est causa illius proxima, sed tantùm remota, & per accidens, 170
seu physica.

Secundo respondetur, teneri ad restitutionem, qui infert grave damnum etiam physicum, si inferat illud formaliter, non tamen quando infert illud materialiter. Vel tertio respondetur, tum teneri restituere, quando damnum physicum vel morale infertur proximo totum simul physicè, aut moraliter, secus verò quando infertur disparatè moraliter, ut contingit in nostro casu.

Instabis, qui retinet alienum, invito domino, 171
tenetur ad restitutionem, sed qui recipit paulatim alienum usque ad notabilem quantitatem habet illud invito domino: ergo tenetur ad restitutio- 172
nem: Respondetur majorem esse veram, quando dominus rei est invitus rationabiliter quoad rei substantiam, quod tamen non fit in nostro casu, cum proximo non sit illatum grave damnum formale. Et hinc colliges Religiosum accipientem è Conventu simul & semel magnam quantitatem, etiam si sit esculentorum, & in proprium usum, 173
peccare mortaliter contra paupertatem, si aliàs quantitas tanta sit, ut spectata voluntate rationabili Prælati culpam mortalem attingeret; nam sic præsumi potest Prælatus invitus quoad substantiam, & quoad modum. Quæ autem sit hæc quantitas sufficiens ad mortale hic est tota difficultas.

DICO SEXTÒ. Quantitatem esculentorum 174
sufficientem ad mortale debere esse majorem, quam si essent pecuniæ, vel res aliæ. Sanchez quem refert & sequitur Lugo *de justit. disp.* 3. *sect.* 8. *numer.* 178. Deinde debet inspici, an sint 175
esculenta pretiosa, ut sunt verb. gr. conservæ; nam tunc quantitas minor sufficiet, quam si essent communia esculenta, & eorum major quantitas requiritur, quando adest illorum 176
abundantia, & cum in fundo monasterii producuntur, quam quando pecuniis emuntur, & adest illorum inopio; Ita cum Sanchez Lugo *ubi supra.*

Unde, si quis furto acciperet gallinas, vel dul- 177
cia, quæ pro infirmis asservantur; ita ut defectus sentiretur in Conventu peccaret mortaliter, si ad valorem sufficientem ad mortale acciperet; secus si non sentiretur talis defectus ob abundantiam 178

 harum.

harum rerum : nam tunc etiam si acciperet furto
unam gallinam, vel perdicem, vel petasonem,
179 & panem, & vinum pro uno jentaculo, vel pran-
dio particulari, vel cum amico ; aut furto etiam
acciperet de penu caseum, vel capsulam malorum
180 sidoniorum saccaro conditorum, nec esset reus
furti mortalis, nec peccaret mortaliter contra vo-
tum paupertatis; quia moraliter in his præsumi-
tur voluntas Superioris adesse ; Ita Flamma, quem
refert, & sequitur Fagund. *in lib.* 7. *Decal. cap.* 5.
num. 9.

181 Immo si esculenta ab extraneis dentur, major
quantitas requiritur ut Prælatus censeatur invitus
rationabiliter, quam si talia esculenta à Conventu
surriperentur. Sanchez, quem refert & sequitur
Lugo *ubi supra n.* 179. Fagund. *ubi supra n.* 10. Vi-
dal. *ubi supra num.* 7. teste namque experientia in
usu est apud Religiosos, etiam scrupulosæ consci-
entiæ, accipere ab extraneis ista munera electua-
182 riorum, vel confectionum cordialium absque ex-
pressa Superioris licentia; Ita Vidal. *ubi supra.* Unde
audiendus non est Palaus, qui existimat sufficere
ad mortale, quod recipiantur comestibilia animo
ea paulatim insumendi excedentia valorem unius
aurei : nec etiam Amicus *Tom.* 5. *disp.* 14. *num.* 57.
183 qui existimat non posse Religiosum absque licen-
tia Prælati invitatum à sæculari ad prandium e-
dendo, & bibendo consumere materiam notabi-
lis valoris; nam ut advertit Lugo, quando escu-
lenta ab externis accipiuntur non permanenter ha-
benda, sed ad unum actum edendi & bibendi non
pervenitur regulariter ad peccatum mortale, cum
sic Superior sit minus invitus.

184 Solum est hîc advertendum, quod licet ad pec-
catum mortale sufficiat accipere minima, tam pe-
cuniarum, quam aliarum rerum, tam sibi, quam
aliis donanda, animo ea continuandi : non pec-
185 cat tamen mortaliter Religiosus, qui habet ani-
mum continuandi hæc minima furta comestibi-
lium ad proprios usus, peccabit tamen si ea reci-
piat ad extraneis donanda; Ita Sanchez, Graffis,
quem refert, & sequitur Fagundez *lib.* 2. *Decal. c.* 5.
n. 8. Non enim censetur in his Prælatus rationabi-
liter invitus, benè tamen in illis, quæ sunt valde
notanda.

186 Quæ autem requiratur quantitas in pecunia, &
aliis rebus ad constituendum peccatum proprieta-
tis in Religiosis mirum est, quantum varient Au-
ctores,

Miranda namque hoc relinquit arbitrio boni
viri pro temporum, locorum, & Religionum qua-
litate. Sanchez putat esse summam quatuor argen-
teorum : hanc sequitur Suarez *Tom.* 3. *de relig. lib.*
8. *cap.* 6. *num.* 10. Palaus *tract.* 16. *disp.* 5. *part.* 20. *n.* 3.
Fragos. 2. *part. lib.* 11. *cap.* 24. §. 12. *n.* 16. ubi plures
refert. Bartholomæus à sancto Fausto *in Thesauro
Religion. lib.* 8. *q.* 193. *n.* 2. putat in ditissimis Con-
ventibus sufficere tres argenteos, in monasteriis
verò mediocri summa dotatis, duos argenteos.
Ledesma *in additionibus ad Summam Tom.* 2 *cap.* 4.
ponit octo, aut novem regales. Pater Lugo in Con-
ventibus mediocribus ponit sex argenteos, si furen-
tur ex pecuniis applicatis ad usus communes mo-
nasterii, si verò furentur ex pecuniis jam destina-
tis ad usus particulares septem, vel octo argenteos.
Hanc opinionem approbat Pellizzarius *Tom.* 1.
tract. 4. *cap* 2. *num.* 256 pro Ordinibus paupertatis
observantioribus; in aliis verò in quibus minus
viget observantia paupertatis majorem quantita-
tem expostulat, non tamen ullam determinat.
Tandem Rodriguez & Aragonius, quos refert
sed rejicit Diana. 1. *part. tractat.* 6. *resol.* 36. po-
nit duos aureos absque aliqua distinctione Reli-
gionum.

Unde ego in tanta opinionum varietate existi- 187
mo cum Fagund *lib.* 7. *in Decal. cap.* 5. *num.* 2. in
hoc philosophandum esse, sicut in furtis filiorum,
non enim aliud præsumi debet de voluntate Præ-
latorum; Unde sicut ipse Fagundez cum aliis à se
relatis facit distinctionem inter filios hominis no-
bilis, pauperis, & hominis mediocriter pecuniosi, 188
& divitis; ita ego faciendam esse hanc distinctio-
nem existimo inter Conventus, & illorum Reli-
giosos; nam alii sunt pauperes, & hi debent ho- 189
minibus pauperibus comparari : alii mediocres
habent redditus, & hi debent cum hominibus me-
diocriter pecuniosis mensurari : alii verò Conven-
tus etsi amplissimos habeant redditus, nunquam
tamen debent cum hominibus ditissimis compara-
ri, sed tantum divitibus : siquidem si magnos ha-
beant reditus, habent etiam excessivum Religio-
sorum & famulorum numerum, quo hujusmodi
homines ditissimi carent, unde eorum expensæ
sunt tripliciter majores, qua ratione, nunquam
possunt dici ditissimi, cum sæpe illis desint neces-
saria, ut experientiâ constat. Sicut ergo Fagun- 190
dez pro filiis hominum pauperum assignat pro
quantitate sufficienti ad furtum grave quinque vi- 191
gennas, & pro filiis mediocriter divitum vigennas
quindecim, pro filiis verò divitum duos aureos,
vel ad summum tres ; sic ego pro Religiosis Con-
ventuum pauperum, ut sunt nostri, assigno pro
materia

materia gravi vigennas quinque: pro Religiosis
Conventuum mediocriter pecuniosorum, ut sunt
192 aliqui Dominicanorum, & similium vigennas
quindecim; pro Religiosis verò Conventuum di-
tissimorum, ut sunt aliqua Canonicorum regula-
rium, D. Bernardi, & Benedicti cœnobia duos
aureos, & ad summum tres, & sic meo videri con-
193 ciliantur omnes sententiæ.

De aliis verò rebus, verbi gratia, vestibus, libris,
& aliis hujusmodi, nemini applicatis, si Religiosus
194 aliquid surripiat, major quantitas requiritur ad
peccatum mortale; si verò ex vestibus, vel aliis re-
bus sibi concessis aliquid det aliis Religiosis, ita ta-
men, ut Conventus non debeat plus expendere
non erit grave peccatum, etsi vestis valeat viginti
195 argenteos, Item non erit grave, si Religiosus det
alii Religioso ejusdem Conventus librum valoris
quinque aureorum, cum liber adhuc maneat in
eodem Conventu, sicque parum extrahatur ex usu
communi; Ita Lugo *ubi supra*, Pellizzarius *supra*
196 *num.* 255. Imò Llamas, & Fagundez, quos refert,
& sequitur Peyrinis *de R. S. quæst.* 2. *cap.* 2. §. 6.
existimant posse sibi invicem dare, & recipere Re-
ligiosos ejusdem Conventus, & provinciæ libros,
& res cujuscumque pretii, quam doctrinam appro-
197 bat Caramuel *disp.* 64. *in regulam Benedicti numer.*
965. addens posse dare unum Religiosum alteri
198 Religioso ejusdem Conventus, non solum vestes
quascumque, sed etiam picturam valentem plus
quam mille aureis, pro qua sententia citat etiam
Machadum. Ratio autem istorum est, quia quid-
quid acquiritur semper Religioni acquiritur, &
nulli fit injuria, nisi Prælato, qui, nisi per obedien-
tiam prohibeat, vel nisi fuerit contemptus, erit so-
199 lum culpa venialis.

Ex quibus colliges à fortiori posse Religiosum
res sibi ad usum concessas ex uno Conventu ad a-
200 lium deferre: Ita Pellizzarius *tract.* 4. *cap.* 2.
sect. 3. *num* .289. propter eamdem rationem.
Licet plures alii, quos ipse citat, contrarium sentiat.

Colliges secundò, quæ quantitas requira-
tur in esculentis, & rebus comestibilibus, nam si
hæc debet esse major, quàm summa, quæ surripi-
tur ex pecunia, & aliis rebus, ut *supra* diximus,
sit inde non sufficere summam unius aurei in
sententia Lugi, & in nostra plus requiri pro quo-
rumlibet Religiosorum qualitatibus, ut *supra* di-
ximus.

201 Dico septimo. Religiosi licitè possunt repu-
diare dona, & munuscula, quæ sibi deferuntur, ac
mittuntur: nec in hoc violant votum paupertatis,
nec faciunt contra charitatem; Ita Fragosus 2. *p.*
lib. 11. *disp.* 24. §. 11. *num.* 18. contra aliquos, qui
dicunt peccare contra charitatem; & in primis,
quod non violet votum patet, tum, quia votum
paupertatis læditur per actum positivum acceptan-
di absque licentia, non verò per actum negativum
non acceptandi, imo magis votum roboratur:
Tum, quia licitum est Religioso relinquere aliqua
etiam ex sibi concessis absque licentia Prælati: ergo
multo magis licebit nondum acquisita relinquere
amore ipsius paupertatis; quod autem non sit con-
tra charitatem ea repudiare patet, quia talia mu-
nuscula, vel dona eo fine solent mitti, ut de-
serviant Religioso particulari de licentia Prælati,
& non cedunt in utilitatem monasterii: ergo
non violatur charitas, siquidem monasterium
non habet jus aliquod in illis ante acceptationem
religiosi.

Secus dicendum est, quando Religiosus impe- 202
dit ne aliquis extraneus, sive sit consanguineus, si-
ve alius titulo charitatis donet notabilem aliquam
rem mobilem, vel immobilem monasterio; nam si 203
hoc impediat sine justa causa peccabit contra cha-
ritatem, cum hoc donum non Religioso, sed Con-
ventui largiretur. Sanchez, Fagund. quos refert, &
sequitur Vidal. *titulo de paupertate, inquisitione uni-*
ca num. 74.

Idem dicendum est de legatis relictis monaste- 204
rio, vel alicui Religioso ante mortem testatoris:
nam licitè, imò aliquando meritoriè potest Reli-
giosus rogare testamentarium, ut aliis relinquat, si
detur justa causa; peccabit tamen contra charita-
tem, si absque causa, bonum illud monasterio im-
pedierit. Lugo *disput* 3. *de justit. sect.* 5. *numer.* 95. 205
Dixi, *ante mortem testatoris*, nam post mortem te-
statoris religiosus non potest repudiare hæredita-
tem, vel legatum, cum hæc immediatè non Reli- 206
gioso, sed monasterio acquirantur, & non indiget
ejus aditione, sed monasterii, ut tenet communior
sententia apud Sanch. *libr.* 7. *in Decal. capit.* 2.
num. 35.

Sed quæres, an si Religioso offerantur ab exter-
nis aliqua dona, possit sine violatione paupertatis 207
dicere: domine ego non egeo, sed rogo, ut velis
ea mittere, seu donare Petro mihi, vel sanguine,
vel amicitia conjuncto? Respondeo affirmativè.
Ita Villalobos, Sanchez, Alphonsus, Rodriguez,
quos refert, & sequitur Fragosus *ubi supra num.* 21.
Filiucius, Bonacina Peyrinis, quos refert & sequi-
tur Vidal. *titulo de paupertate num.* 75. Ratio est, 208
quia in hoc casu Religiosus nihil acceptat, sed est
tantum

tantum merus intercessor pro amico. Eodem modo dicendum est posse Religiosum absque licentia Prælati accipere pecuniam non sibi, sed ad eam di-
209 stribuendam inter pauperes, nisi aliàs detur Religionis statutum in contrarium, nam Religiosus accipiens tales pecunias non sibi accipit, nec suo nomine distribuit, sed nomine dantis, penes quem est dominium; Ita Azor, Alphonsus, Rodriguez, quos refert, & sequitur Fragosus *ubi supra num.* 22. Sed hanc doctrinam in utroque hoc jam dicto casu admittendam non esse censet nost. Franciscus Bonæ Spei *Tom.* 5. *sua Theologiæ Tract.* 2. *de Religione disp.* 9. *dub.* 2. *num.* 40. Quia videtur ibi involvi palliata quædam proprietates. Rationem, qua id probat apud eum videre poteris. Citat etiam pro se & secundo casu nost. Lezanam. *Tom.* 1. *qq. Reg. cap.* 6. *n.* 39.
210 Et idem dicendum est si Religiosus accipiat sine licentia Prælati pecuniam ab amico ad eam solvendam meretrici, siquidem etiam in hoc casu non expendit pecuniam nomine proprio, sed nomine dantis. Pellizzarius *tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 3. *n.* 223.
211 Idipsum dicendum est, quando Religiosus accipit pecuniam ab amico indicans ei eam sibi recipere, cum tamen verè non sibi recipiat, sed ut largiatur tertiæ personæ nomine amici dantis; Ita in si-
212 mili casu Sanchez *lib.* 7. *moral. cap.* 30. *numer*.... Pellizzarius *tract.* 4. *cap.* 2. *numer.* 306. non enim in hoc casu accipit pecuniam, tanquam propriam, sed ut nomine alieno nempe amici dantis, det illi tertio. Nec obstat, quod amicus donans pecuniam existimet illam sibi accipere religiosum, si aliàs taliter est affectus illi, ut si sciret illam acceptare, ut
213 alteri daret, adhuc consentiret.

An autem possit Religiosus sibi applicare eleemosynas quas pro pauperibus petivit? Respondeo
214 de licentia Prælati tacita vel expressa posse, quamvis à principio habuisset animum eas dandi alteri pauperi, si eas pro pauperibus in genere postulavit, & aliàs donator nulla alia speciali causa, præter communem paupertatis ductus fuit ad eam elar-
215 giendam; Ita Sanchez, quem refert, & sequitur Fagund. *lib.* 7. *Decalog. cap.* 8. *num.* 14. Secus dicendum est quando petivit illam pro aliquo pau-
216 pere de licentia Ordinarii exprimendo ejus nomen, vel necessitatem, ut optimè cum Sanchez probat Fagund. *supr.*, nam tunc donans determinat suam
217 intentionem ad hunc pauperem, quam intentionem non potest recipiens eleemosynam licitè, & absque furto mutare.

Idem dicendum est, quando Religiosus habens facultatem dandi uni aliquid, det illud alteri; nam si non dentur conjecturæ, quod donatarius se determinaverit ad hunc magis, quam ad illum, potest licitè alteri donare, secus si dentur. Pellizzarius *tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 1. *num.* 275. Circa dicta in *hac sectione*, & dicenda in *sequentibus*, ne nostri Religiosi aberrent, recolant ac perpendant ea, quæ dicemus atque animadvertemus in fine *sectionis sextæ ac septimæ*: quia generalis regula dari nequit, ob diversas variarum Religionum, circa hanc paupertatis materiam, leges ac statuta: quæ semper attendenda sunt.

SECTIO IV.

Quomodo peccent Religiosi dando aliquid absque Superioris licentia?

218 *Religiosus absque licentia tacita, vel expressa, superioris, non potest dare aliquid notabilis quantitatis absque violatione paupertatis.*
219 *Et hoc etiam ex illis, quæ illi ad usum conceduntur, etiam si sit in eleemosynas.*
220 *Usuarius non potest rem sibi ad usum concessam alteri donare.*
221 *Religiosus est simplex usuarius.*
222 *Religiosus non potest remittere etiam externis pecuniam sibi debitam sine licentia.*
223 *Religiosus non potest dare quod subtrahit de expensis sibi ad iter concessis, parcius concedendo absque licentia.*
224 *Excipiuntur, quæ usu consumuntur.*
225 *Quando pecunia datur Religioso taxata pro itinere, potest Religiosus, quæ parcius comedendo subtraxit, consumere in pios usus.*
226 *Nostri Religiosi, quæ supersunt ipsis de expensis itineris non possunt aliis dare.*
227 *Quid dicendum de aliis Religiosis, qui versantur in studiis, quibus certa summa taxatur pro expensis.*
228 *Quid de illis, qui in Universitatibus accipiunt stipendia Cathedrarum, vel aliorum officiorum.*
229 *Religiosus in itinere potest recipere pecuniam quamcumque sibi ab aliquo donatam pro itineris expensis, & quæ superfuerit dare pauperibus, aut in pios usus consumere, juxta aliquos.*
230 *Possunt Religiosi dare extraneis ea, quæ in suæ Reli-*

Religione solent communiter dari.
231 *Excusantur moniales munera magni valoris sæpe donantes.*
232 *Constitutio* CLEMENTIS VIII *de largitione munerum, non est ubique usu recepta.*
233 *Idem dicendum est de constitutione* URBANI VIII. *pro confirmanda prædicta constitutione* CLEMENTIS VIII.
234 *Constitutio declarativa alterius non inducit novum jus, nec obligat plusquam illa cujus est declarativa.*
235 *Religiosi non possunt facere testamentum.*
236 *Religiosi possunt facere donationem aliquam moderatam causa mortis, de licentia Prælati.*
237 *Quando Religiosus in morte declarat se debere tantam pecuniam Petro, verbi gratia, & jubet ut ex tali pecunia à so relicta illi detur, tenetur Conventus ita facere.*
238 *Prælatus promittens Religioso morienti, se sua bona alicui daturum, tenetur ita facere in conscientia.*
239 *Quomodo hoc sit intelligendum?*
240 *Religiosus sine Prælati licentia, non potest dare sæculari aliquam imaginem, vel arte factum magni valoris, quod ipse sibi antea fecerat, etsi expensas ad illud faciendum acceperit ab extraneis.*
241 *Religiosus potest facere quodcumque arte factum ad petitionem amici, si amicus illi det expensas, etiam sine Prælati licentia.*
242 *Religiosus faciens prædictum arte factum contra voluntatem Prælati, non peccat contra paupertatem, sed contra obedientiam.*
243 *In hoc casu tantum peccat, qui fecit imaginem valentem mille aureis, quantum qui vilissimam fecit, si idem tempus ambo consumpsère.*
244 *Religiosus potest dare extraneis sua manuscripta sine violatione voti paupertatis.*
245 *De quibus manuscriptis hoc intelligatur?*
246 *Manuscripta non sunt pretio æstimabilia.*
247 *Religiosus scribens epistolas sine licentia, regulariter non peccat contra paupertatem.*
248 *Aliquando faciet contra obedientiam, si detur lex, aut præceptum in contrarium.*
249 *In nostra Religione datur talis lex.*
250 *Religiosus potest celebrare ad intentionem amici absque violatione paupertatis.*
251 *Et hoc quamvis sciat eum pro tali missa accipere stipendium.*
252 *De quibus missis hoc sit intelligendum?*
253 *Probabile est posse etiam dare eleemosynam sacrificii, vel concionis, vel alterius rei spiritualis sibi concessæ à lege, aut à superiore.*
254 *Idem dicendum est de aliis ex industria acquisitis.*
255 *Religiosus potest celebrare missas pro intentione alicujus, remittendo illi stipendia titulo charitatis, & pietatis.*
256 *Religiosus potest dare de sibi concessis ad proprium usum, quando monasterium inde non patitur damnum.*
257 *Patres Societatis non possunt pro missis, vel aliis functionibus spiritualibus recipere stipendium.*
258 *Si tamen recipiant, non peccant contra paupertatis votum, nec contra justitiam.*
259 *Nec tenentur ad restitutionem.*
260 *Tantùm peccant contra suas leges.*
261 *Si celebrent pro amico, etsi sciant illum accepturum stipendium, non faciunt contra hanc suam legem.*
262 *Idem dicendum est, si celebrent pro sacerdote obligato ex stipendio, sive jam consumpto, sive non.*
263 *Idem dicendum est, si celebrent pro hæredibus, legatariis, Capellanis, similiter obligatis ad missas celebrandas.*
264 *Religiosus Societatis potest celebrare pro stipendio, quod ipse accepit, & jam consumpsit.*
265 *Item potest celebrare missas, quas ex stipendio dicendas accepit, antequam intraret Societatem.*
266 *Potest missas celebrare retento sibi stipendio extraneis sacerdotibus solvendo pro missis dicendis, si alias dans tale stipendium gratis & liberaliter illud donet.*
267 *Procurator Conventus expendens bona Conventus in alios usus quam à Superioribus deputatos, peccat mortaliter.*
268 *Quid si ex ignorantia vel inadvertentia operetur?*
269 *Procurator faciens magnas expensas in bonum Conventus sine licentia, peccat mortaliter, si aliàs superior est rationabiliter invitus.*
270 *Quid si occultet magnam summam pecuniæ, ut eam in promptu habeat ad occurrentes Conventus necessitates?*
271 *Religiosus, cui sæcularis dedit pecuniam, ut eam distribuat, cui voluerit, potest eam ad suum libitum expendere.*

272 *In hoc casu Religiosus tantum est minister illius domini.*

218 DIco I. Religiosus non potest absque violatione voti paupertatis, donare aliquid notabilis quantitatis, etiam ex iis, quæ sibi ad usum sunt concessa, tam intra, quam extra monasterium, absque Superioris licentia tacita, vel expressa, etiamsi sit in eleemosynas: in hoc conspirant uni-
219 versi DD. relati à Peyrinis *de R. P. q.* 2. *cap.* 2. §. 6. & quoad nostros constat ex 1.*p. nostrarum Consti-*
220 *tutionum cap.* 7.*num.* 5. Ratio autem est, quia usuarius potest solum uti re sibi ad usum concessa,
221 non tamen alteri dare, ut supra dictum est; sed Re-
222 ligiosus est simplex usuarius: ergo. Et idem dicendum est de remissione, ut si Religiosus suis consanguineis remittat summam pecuniæ ipsi quotannis debitam ad victum; nam remissio est quædam donatio, donatio autem non potest fieri à Religioso sine licentia Prælati.

Hinc fit non posse Religiosum absque Superioris licentia dare, aut alienare ea, quæ sibi conce-
223 duntur ad usum ex bonis communibus monasterii, si quid eorum sibi subtraxerit, sive de quantitate cibi, quam posset licitè consumere, sive ex quantitate pecuniæ, quam in itinere posset expendere; ita
224 tenent communiter DD. apud Pellizzarium *Tract.* 4.*cap.*2.*n.*220. licet contrarium quoad ea, quæ usu consumuntur ut probabile tenet cum Silvestro, Sarmiento, Turrecremata, & aliis Diana 1.*p. tract.* 6.*resol.* 19. poterit tamen dare etiam extraneis ea, quæ habet ex licentia Superioris, quando, ex rerum conditione colligitur Superiorem concedentem licentiam emendi, aut accipiendi tales res, scire non fore usui ipsi Religioso, sed aliis, distribuenda. Sanch. Bonac. quos refert, & sequitur Pellizzarius *Tract.* 4. *cap.* 2. *n.* 274.

Imò de licentia tacita Prælati poterit Religiosus, dum iter agit ex iis, quæ sibi pro expensis dantur à Prælato, quidquid ex eis sibi subtraxerit, vel parcius comedendo, vel quia à sæcularibus in itinere invitatur ad mensam, donare ad libitum in eleemosynas, vel pios usus; sed hoc debet intelli-
225 gi, quando tale viaticum datur taxatum pro qualibet die, ita, ut si deficiat Conventus non amplius teneatur: Secus vero quando sine taxa datur; Unde cum tale viaticum nostris sine taxa detur, sed quid-
226 quid necessarium illis fuerit, ut patet ex 1.*p. nostrarum Constitutionum cap.* 11. *n.* 8. quidquid parcius comedendo subtraxerit, vel illis ob eleemosynas in itinere erogatas supererit, Prælato tradere tenentur, ut mos est apud nos; Ita Fragosus 2.*p.lib.*11.*disp.*24. §.11.*num.*23. & cum aliis Fagund. *lib.* 7. *in decalog. cap.* 5.*num.*23.

Idem dicendum est de aliquibus Religiosis aliorum Ordinum, qui in studiis versantur, vel in negotiis extra monasteria, vel qui sunt constituti à 227
Prælatis ad curanda aliqua beneficia, quibus quotannis certa summa assignatur ad annuum, alimentum, quicquid namque parcius vivendo subtrahunt in pios usus, & licita, & honesta possunt insummere. Et idipsum dicendum est de Religiosis, qui in Universitatibus, de licentia suorum Prælatorum stipendia cathedrarum demerentur; ita cum multis Fagund. *supra n.* 24.

Addo Religiosum iter agentem de licentia suo- 228
rum Superiorum, posse recipere in itinere pecuniam sibi ab aliquo donatam pro expensis, & quod 229
superfuerit dare pauperibus, vel in pios usus consumere: censetur namque id facere de licentia tacita Prælati; Ita Fagund. *lib.* 7. *in Decal. cap.* 5. *num.* 29 Sed hoc non admittit nost. Franciscus Bonæ Spei *loc. cit. num.* 32. qui vult omnem similem pecuniam (nisi alibi Religionis recepta consuetudo prævaleat) in aliud, quam in sustentationem & necessitates in itinere occurrentes expendi posse, sine venia Superioris sub peccato mort. in materia gravi, & residuum Monasterio tradi debere: quod probat pro Carmelitis ex constitut. Reform. 1.*part. cap.*10 *num.* 16. ubi etiam in fine hæc subjunguntur: *Neque liceat cuiquam, dum è Conventu migrat, à parentibus aut amicis ullam pecuniam oblatam recipere nisi monito prius Superiore, &c.*

Tandem possunt Religiosi dare, & accipere ea 230
omnia, & si sint in magna quantitate, quæ in sua Religione solent communiter dari, & accipi videntibus, & non contradicentibus Prælatis, sive sit de proprio peculio, sive de bonis Conventus; cum 231
enim Prælati non prohibeant, cum possint, censentur concedere licentiam; per quod excusantur moniales fere omnium Conventuum, præcipuè in hoc Regno, donantes aliquando munuscula, & alias res magni valoris, tum Conventibus Religiosorum in eleemosynas, tum consanguineis, & aliis bene meritis, Ita Lessius, & alii, quos refert, & sequitur Fagund. *ibi Decalog. lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 11. & 12.

Nec obstat Constitutio CLEMENTIS VIII. *de* 232
largitione munerum, quæ incipit *Religiosæ Congregat.* quæ videtur omnibus prædictis, tam in hac, quam in precedenti sectione conclusionibus adversari.

versari. Respondetur namque talem Constitutio-
nem usu receptam ubique non fuisse, vel in dis-
233 suetudinem abiisse, & ideo in præsenti vix obser-
vatur, quidquid in illa Constitutione præcipitur,
neque in usu sunt inflictiones pœnarum; Ita Bor-
donus *Tom. 1. resol. 43. num.* 13. Peyrinis *de R.P. quæst. 2. cap. 2. §. 6. versu at huic*, Vidal. *Inquisi-*
234 *tione unica de paupertate num.* 94. Et idem respon-
detur ad Constitutionem sub URBANO VIII. edi-
tam à sacra Congregatione pro declaranda, & con-
firmanda dicta constitutione CLEMENTIS VIII.
nam cum novum jus non condat, sed reformet
antiquum, ut Constitutio declarativa, & con-
firmativa illius CLEMENTIS VIII. non plus obli-
gat quam illa; cum ergo hæc CLEMENTIS VIII.
per non usum, & dissuetudinem non obliget, idem
dicendum est de illa URBANI VIII. Ita Vidal. *supra num.* 97.

235 DICO II. Licet Religiosus non possit facere te-
stamentum, potest tamen de licentia Prælati face-
re aliquam donationem causa mortis, dummodo
236 sit moderata & proprio statui conformis; Ita San-
chez, Garcia, & alii, quos refert, & sequitur
Lugo *de justitia disp. 3. num.* 122. Ratio est, quia
non apparet ratio cur Religiosus de licentia Præla-
ti possit statim dare, verb. gr. librum alteri, & non
possit illum eidem donare causa mortis, ut donatio
237 post mortem habeat effectum. Hinc fit, quod si
Religiosus in morte declaret, se debere tantam pe-
cuniam Petro, ac postulet, quod solvatur ex ta-
li pecunia à se relicta, tenetur Conventus in con-
scientia eam solvere, imò in foro externo, si aliàs
debitum probetur, incumbit tamen creditori onus
probandi; Ita cum Sanchez, Bald. & aliis Lugo
supra.

238 Sed quæres; An si Prælatus promittat Religio-
so morienti, se ejus bona distributurum post illius
mortem, juxta ipsius mentem ei manifestatam, te-
neatur stare promissis, saltem in foro conscientiæ?
239 Respondeo affirmativè; nisi juxta factam promis-
sionem illa distribuenda essent alteri Religioso sibi
subdito, quo casu, sicut rem ei datam potest aufer-
re, sic non dare; Ita Sanchez *lib. 7. moral. c. 8. n.* 18.
Ratio est, quia Prælatus sic paciscens cum subdito,
videtur cedere juri suo, sicut dominus, si pacisca-
tur cum servo; non enim allegari potest diversatis
ratio.

240 DICO III. Religiosus sine Prælati licentia non
potest facere sibi ex primaria intentione picturam,
vel aliud artefactum magni valoris, & postea mu-
tata intentione illud dare amico, etiam si omnia
in eo consumpta antea ab eodem amico ei data fu-
issent absque violatione voti paupertatis; Ita Lu- 241
go *de justit. disp. 3. num.* 149. Secus dicendum est,
quando facit illud arte factum ex primaria inten-
tione ad petitionem amici, nam tunc potest illud
facere, si dentur illi materialia; Ita Lugo *ubi su-
pra.* Diana. 7. *part. tract.* 11. *resol.* 18. Carmuel *in
regul. S. Benedicti disp. 59. resol. 8. n.* 859. Pellizzarius
tract. 4. *cap.* 2. *num.* 295. Ratio primæ partis est:
quia Religiosus faciendo illud arte factum, vel pi-
cturam sibi ex primaria intentione, acquirit super
illam dominium monasterium, est enim illa pi-
ctura pretio æstimabilis, saltem ratione materiæ,
quæ licet data fuisset ab eodem amico, non tamen
fuit data ea intentione, ut sibi fieret, sed ipsi Re-
ligioso. Quoad secundam verò partem, etiam
probatur, quia Religiosus potest absque licentia
sine præjudicio paupertatis inservire alteri, suam-
que operam ei gratis exhibere, sicut potest sine li-
centia acceptare obsequium ab alio sibi præsti-
tum; ergo si ad petitionem amici, & cum ejus
expensis faciat artefactum, non violat pauper-
tatem; patet consequentia, quia in tali casu
non Religioni, sed amico acquiritur artefactum,
qui Religiosi opere utitur ad faciendum sibi illud
opus.

Et hinc colliges cum iisdem Doctoribus, quod 242
si Religiosus insignis pictor faciat imaginem mil-
le aureis valentem, & dederit sæculari, etiam con-
tra voluntatem Prælati, si aliàs colores & tabulæ
pertineant ad dictum sæcularem, non peccare con-
tra paupertatem, sed solum peccare mortaliter con-
tra obedientiam, quia notabile tempus consum- 243
psit, pingendo contra voluntatem Prælati. Unde
inferes non magis peccare, qui imaginem pre-
tiosam faceret contra voluntatem Prælati, quàm
ille, qui vilissimam faceret, si uterque pingendo
idem spatium temporis consumpsit; Ita Carmuel
supra

Colliges *secundò*, non violare paupertatis vo-
tum Religiosum, qui suos libros manuscriptos, sive 244
in vita, sive in morte dat etiam extraneis sine Supe-
rioris licentia; Ita Valerus, Diana, quos refert, &
sequitur Pellizzarius *Tract. 4. cap. 2. n* 318. Ratio
est, quia hæc ex natura sua non sunt pretio æstima-
bilia, sunt enim partus scientiæ, & accessorium ad
illam, sed accessorium sequitur naturam principa- 245
lis: ergo sicut scientia Religiosi non cadit sub ma-
teria voti paupertatis Religiosæ, ita neque ejus 246
manuscripta, idque procedit sive Religiosus ea
manuscripta concinnarit intra, sive extra Reli-

gionem, sive ea confecerit, sive ab alio sint confecta, dummodo tamen sua sint; Ita Pellizzarius *ubi supra*, quæ sunt valde notanda. Nec obstat quod hæc manuscripta pretio vendi possent ad hoc ut dicantur pretio æstimabilia. Respondetur namque cum Lugo *de justit. disput.* 3. *num.* 147. non omnia, quæ alioquin vendi possent, prohiberi voto paupertatis, sed bona temporalia, & corporalia, quæ divitem faciunt, non spiritualia, qualis est notitia intellectualis, & scientia ob quam papyrus illa pretio digna erat.

247 Colliges *tertio*, Religiosum scribentem, aut recipientem epistolas absque licentia, etiam si sint rerum inutilium, regulariter non violare graviter votum paupertatis, licet aliquando peccare
248 possit contra legem, vel obedientiam Superioris, si lex, aut præceptum detur in contrarium, ut accidit in utraque nostra Congregatione, in qua datur lex, ne Religiosi accipiant, aut mittant
249 epistolas absque eo, quod Prælatus eas integrè legat, nisi aliàs fuerint ad Prælatos Superiores, ut patet *ex* 1. *part. nostrarum Constitutionum Congreg. Hispanicæ cap.* 5. *num.* 2. *& Congreg. Italicæ* 1. *part. cap.* 1. *numer.* 7. Quæ etiam præcipiunt, ut tantum in dimidio folio, ob cultum paupertatis, scribatur tam Superioribus, quam extraneis, nisi negotii longitudo, aut personarum externarum, dignitas aliud exigat. Hanc sententiam tenet noster Lezana *Tom.* 1. *cap.* 6. *num.* 50. Quadam tamen distinctione adhibita, & Sanchez *lib.* 7. *in Decal. cap.* 19. *num.* 47. Lugo *disp.* 3. *de justit. num.* 147. Contra Peyrinis *de R. S. q.* 2. *cap.* 2. §. 10. Ratio est, quia dum litteræ absque licentia recipiuntur, non recipitur papyrus illa scripta ad usum, tamquam quid pretio æstimabile, nec quando mittuntur, litteræ mittitur papyrus, tanquam quid sic æstimabile; nam papyrus sic scripta nullam habet æstimationem, nisi ob in se contenta, quod absque licentia facere, opponetur obedientiæ, non tamen paupertati. Dixi *regulariter?* nam si Religiosus consummat maximam quantitatem papyri, in scribendis epistolis res vanas continentibus, absque dubio peccabit mortaliter contra paupertatem, sed ad hoc requiritur, quod detur nimia continuatio sine interpolatione morali, & animo continuandi hanc inutilem consumptionem papyri usque ad materiam gravem, ut diximus de furtis Religiosorum, quod tamen raro evenire potest.

250 Colliges *quartò*, posse Religiosum absque violatione voti paupertatis celebrare ad intentionem amici, etiam sine licentia Superioris, quamvis agnoscat evidenter prædictum amicum pro talibus missis stipendia esse accepturum, si aliàs non 251
detur obligatio ex lege celebrandi pro intentione Prælati, ut datur apud nos, ut patet *ex* 1. *par. nostrarum Constitutionum cap.* 10. *numer.* 7. Ratio 252
est, quia Religiosus in hoc casu nihil dat, nisi tantum bonum spirituale, quia nihil de monasterio usurpat; Ita Diana, Souza, Rodrig. Navarr. Fagund. & alii multi, quos refert, & sequitur Vidal. *Inquisitione unica de paupertate numer.* 116.

Immò addit Vidal. *ubi supra numer.* 118. posse 253
Religiosum saltem de licentia tacita Superioris, dare etiam extraneis titulo charitatis, aut pietatis pecuniam, quam pro missis sibi concessis à lege, aut Superiore acquirit, sicut etiam pro omnibus aliis ex industria acquisitis, aut perceptis, & 254
nullo modo obligatis. Ratio est, quia Religiosus potest dicere missas pro intentione alicujus remittendo illi stipendia titulo charitatis, & pietatis 255
absque violatione voti paupertatis, si aliàs non tenebatur pro aliis sacrificare; ut tenent communiter Doctores; ergo etiam eodem intuitu charitatis, & pietatis poterit dare stipendia pro missis accepta; patet consequentia, quia qui gratis dimittit, donare censetur *cap. veniens* 1. *de testam. &* 256
glossa ibi versic. remittere. Deinde quidam DD. affirmant posse Religiosum dare de sibi concessis ad proprium usum, quando monasterium inde non patitur damnum, quia tunc præsumitur tacita licentia Superioris, nec recipiens in hoc casu tenetur ad restitutionem: ergo idem dicendum erit in hoc casu, cum inde Conventus non accipiat aliquod damnum, quæ sententia mihi etiam probabilis videtur.

An autem hæc omnia affirmari possint de Patri- 257
bus Societatis? Respondeo illos non posse juxta sua instituta accipere stipendia pro missis, vel aliis 258
functionibus spiritualibus, si tamen recipiant, non peccant contra votum paupertatis, nec tenen- 259
tur ad restitutionem, sed tantùm faciunt contra suas Constitutiones; Ita Palaus *Tract.* 16. *disp.* 3. 260
part. 11. *num.* 9.

An autem si celebrent pro amico, sive ad intentionem illius, faciant contra hanc suam Constitu- 261
tionem de non recipiendo stipendium pro missis? Respondeo negativè, etiamsi sciant illum acce- 262
pturum stipendium pro talibus missis; Ita Palaus *ubi supra numer.* 7. qui idem affirmat si Sacerdos Socie-

Societatis celebret pro Sacerdote obligato ex stipendio, sive tale stipendium jam consumpserit,
263 sive non; Item, si celebret pro hæredibus, legatariis, capellanis similiter obligatis ad Missas celebrandas; nam hic non datur receptio stipendii pro Missis, cùm ipse Sacerdos Societatis nihil recipiat, sed tantùm deobligat prædictos ab onere celebrandi, quæ sententia mihi placet, sicut etiam placuit Michaëli Vasquio, & Joanni de Salas, relatis ab ipso Palao; non enim video diversitatem rationis, cur possit Sacerdos Societatis celebrare pro hæredibus, legatariis, obligatis ex testamento, & pro obligationibus ex voto ad solvenda plura stipendia pro Missis, ut admittunt Sanchez, Pellizzarius, & alii, & non possit celebrare pro Sacerdote obligato ex stipendio accepto; nam sicut illi tenentur ad Sacra dicenda titulo hæreditatis, vel voti, ut ajunt prædicti DD. ita iste tenetur titulo donationis onerosæ.

264 Et hinc colliges *quintò* à fortiori, posse Sacerdotem Societatis celebrare pro stipendio, quod ipse accepit, & jam consumpsit, cùm jam non acquirat stipendium, sed tantùm se liberet ab ea ob-
265 ligatione; Ita Sanchez, quem refert, & sequitur Palaus *ubi suprà, num.* 10. Item potest celebrare Missas, quas ex stipendio dicendas accepit, antequàm intrasset Societatem propter eandem ratio-
266 nem, Pellizzarius *ubi suprà, num.* 145. Item potest Missas celebrare, retento sibi stipendio extraneis Sacerdotibus solvendo pro Missis dicendis, si alias dans tale stipendium, id gratis, & liberaliter donet; nam tunc tantùm liberat dantem gratis stipendia, ab illo onere solvendi stipendia pro Missis; Ita Pellizzarius *ubi suprà, num.* 142. quæ omnia similiter affirmanda sunt de aliis Religiosis, qui similes habent Constitutiones: uti sunt monasteria Eremitica utriusque nostræ Congregationis Hispanicæ atque Italicæ, quæ in singulis Provinciis illarum construi solent; quod patet ex propriis illorum Asceteriorum atque Eremitarum legibus ac Constitutionibus, &c.

267 Dico IV. Procurator Conventus expendens bona Conventus in alios usus, quàm à Superioribus deputatos, peccat mortaliter; Ita communiter DD. siquidem quod fit ultra facultatem, censetur fieri sine facultate; excusabitur tamen talis procurator ex ignorantia, vel inadvertentia, vel bona
268 fide, vel parvitate materiæ: ut si amico det vestem meliorem, quàm intendit Superior ad faciendam illi rem gratam: sive ex qualitate rerum, ut si sint esculenta minùs pretiosa, in quorum distributione facta contra voluntatem Prælati, censeatur Prælatus invitus, solùm quoad modum, ut *suprà* diximus.

An autem peccet etiam mortaliter Procurator,
faciens magnas expensas in bonum monasterii sine 269
licentia Prælati? Respondeo affirmativè, si Superior justis de causis sit rationabiliter invitus, non solùm quoad modum, sed etiam quoad substantiam. Idem dicendum est, si procurator aliquam notabilem quantitatem pecuniæ occultet Superiori, ut eam ad occurrentes monasterii necessitates in promptu habeat expendendam in rebus utilibus ipsius monasterii, invito tamen Superiore, qui nollet pro tunc fieri hujusmodi expensas; Ita Pellizzarius *Tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 291. *&* 313.
Ratio hujus est, quia procurator in utroque casu 270
est merus administrator, dependens à Prælato, qui est principalis administrator: ergo nihil potest administrare, nisi juxta Prælati voluntatem tacitam, vel expressam, & apud nos, nisi juxta expressam, ut patet *ex* 1. *part. nostrarum Constitutionum, cap.* 7. *num.* 7. ergo si ejus voluntas est invita rationabiliter, non solùm quoad modum, sed etiam quoad substantiam, peccat mortaliter, secùs, si tantùm quoad modum fuerit invita, eò quòd ex lege non semper requiratur expressa, ut est apud nos, nam tunc tantùm erit veniale.

Dico V. Si Petrus, verbi gratia, dedisset alicui Religioso pecuniam ad ejus usum liberum, & prout voluerit dispensandum, reservando sibi
dominium talis pecuniæ, probabile est talem 271
Religiosum posse eam absque violatione voti paupertatis donare, quibus voluerit, & consumere in his, quæ sibi placuerint: nam in hoc casu talis Religiosus est merus tantùm illius domini sæcularis minister, & cùm non consumat res Conventus, non videtur Prælatus quoad illum usum graviter invitus, quoad substantiam; Ita Sosa, quem refert Diana 1. *part. tract.* 6. *resol.* 10. &
Caramuel *in Theologia fundamentali, fundamento* 272
31. *num.* 10. ubi etiam latè, & benè probat hanc habuisse Dianam sententiam *loco citato*, postea sibi contrarium *part.* 7. *tract.* 11. *resol.* 18.

M 3 SECT. V.

SECTIO V.

Quomodo possint Religiosi commodare, mutuare, emere, commutare, & ludere, absque violatione voti paupertatis.

273 Religiosi sine licentia tacita, vel expressa, non possunt commodatò, aut mutuò aliquid dare.

274 Et hoc etiam ex iis, quæ sibi ad usum conceduntur.

275 Religiosi sunt mendicantes usuarii.

276 Usuarius non potest alteri concedere usum rei sibi permissæ.

277 In rebus parvis, & crebriùs occurrentibus, censetur esse licentia tacita Prælati.

278 Quando mutuum datur personæ, de qua certum est, quòd restituet, censetur dari licentia tacita?

279 Et hoc, sive mutuum sit in rebus, quæ usu consumuntur, uti sunt libri, verbi gratia, sive quæ usu non consumuntur: & sive intra, sive extra Conventum fiat.

280 Per commodatum non transfertur dominium.

281 Religiosi non possunt accipere aliquid in materia gravi mutuum absque licentia saltem tacita.

282 Per mutuum transfertur dominium.

283 Religiosi in particulari sunt incapaces dominii.

284 Quantitas gravis in mutuo ad peccatum mortale debet excedere decem aureos.

285 De licentia tacita Prælati possunt Religiosi mutuò accipere.

286 Hæc licentia præsumitur, quando res est modica, vel necessaria.

287 Quomodo teneatur Religio ad solutionem mutui?

288 Religiosi recipientes etiam sine licentia res magni valoris commodatas, non peccant mortaliter, si inde monasterium nullum sit passurum damnum.

289 Per commodatum non transfertur dominium, sed tantùm usus conceditur.

290 Accipere usum alicujus rei ad breve tempus, etiam sine licentia, non importat gravitatem materiæ.

291 Quid si quis talem rem recipiat cum conditione, ut solus tali re utatur?

292 Religiosus, qui res, quas habet ad usum, renuit aliis Religiosis postulantibus de licentia Prælati mutuare, cùm illis non utatur, nec indigeat, peccat mortaliter, si materia sit gravis.

293 Quid, si non adsit jussio Prælati?

294 Religiosus nolendo commodare sua manuscripta concionum, &c. non peccat, etiam Prælato præcipiente.

295 Quid, si manuscripta ab aliis sint confecta, ille tamen ea habet ad usum?

296 Quid de libris impressis, qui in aliquibus Religionibus ad usum conceduntur?

297 Religiosi permutantes res aliquas, & si sint magni valoris, cum Religiosis ejusdem monasterii, non peccant contra votum paupertatis.

298 Peccabunt contra obedientiam, si detur lex, aut præceptum in contrarium.

299 Peccatum erit in hoc casu mortale, vel veniale, juxta obligationem legis.

300 Quando lex prohibet, ne aliquid detur, recipiatur, vel permutetur absque licentia expressa ad liberandum à violatione voti paupertatis, sufficit licentia tacita.

301 Non tamen ad liberandum à violatione voti obedientiæ, & cur?

302 Nostri Religiosi nihil possunt dare, recipere, vel permutare, absque expressa licentia, & non sufficit iis tacita.

303 Religiosi absque expressa licentia possunt commutare res, etiam magnas, & etiam cum extraneis.

304 Quomodo hoc sit intelligendum?

305 Religiosus sine expressa licentia Prælati potest emere res etiam magni valoris, si aliàs inde Conventus non recipiat aliquod damnum.

306 Religiosus non potest emere aliquid sine licentia tacita, vel expressa Prælati.

307 Hæc licentia semper præsumitur, quando Religiosus tales res emendo non habet intentionem eas sibi applicandi, sed tantùm sibi usum appropiandi dependenter à Prælato.

308 Idem dicendum est, quando Religiosus habens licentiam emendi rem determinatam, emit æqualem, vel meliorem.

309 Quid si Prælatus nolit dare licentiam, nisi ad talem rem determinatam?

310 Quando Prælatus præcipit emere aliquam rem determinatam, non potest Religiosus pecuniam ad emptionem destinatam expendere in eleemosynas.

311 Qui

311 *Qui habet generalem licentiam dandi & accipiendi, potest ex vi talis licentiæ emere & vendere.*

312 *Qui habet facultatem generalem dandi tantùm, non potest vendere.*

313 *E contra verò, qui habet generalem facultatem tantùm accipiendi, non potest emere.*

314 *Religiosi sine licentia non possunt res monasterii immutare de uno ad alium usum.*

315 *Quid si Prælatus deneget Religiosis necessaria?*

316 *Religiosi non possunt ludere pecunia absque licentia tacita, vel expressa Prælati.*

317 *De licentia tacita possunt ludere pro modica quantitate, recreationis gratia.*

318 *Si ludus sit prohibitus, vel à jure, vel à Regula, vel Constitutionibus, nec pro magna, nec parva licèt ludere quantitate.*

319 *Si ludi non sint prohibiti, possunt ludere pro modica quantitate.*

320 *Quæ in hac re censeatur modica quantitas?*

321 *Qui sint ludi prohibiti?*

322 *Possunt Religiosi etiam absque culpa veniali ob honestam causam ludere cartis lusoriis pro aliqua honesta pecuniæ quantitate, in Religionibus, in quibus hi ludi usu recepti & permissi sunt.*

323 *Quomodo hoc sit intelligendum?*

324 *In Religionibus reformatis erit peccatum mortale ludus alearum, taxillorum, & chartarum pro pecunia exposita.*

325 *Et hoc in sententia Dicastilli, etiamsi fiat titulo recreationis.*

326 *Hi ludi in prædictis Religionibus nunquam visi, nec auditi sunt.*

327 *Prælati quacumque ex causa permittentes tales ludos, peccant mortaliter.*

328 *Usus ludendi pro precibus, aut rebus piis, qui datur in aliquibus Religionibus, licitus est, si fiat ludis non prohibitis in jure, vel in legibus.*

329 *Religiosi possunt tales res lusui exponere, modò ludi non sint ex prohibitis.*

330 *Publicus aleator, seu consuetudinarius, si eligatur ad Prælaturas, electio est ipso jure nulla.*

331 *Publici aleatores reputantur infames.*

273 DIco I. Religiosi non possunt absque violatione voti paupertatis commodato, aut
274 mutuo aliquid dare, etiam ex his, quæ sibi ad usum concessa sunt absque licentia tacita, vel expressa Prælati; sunt namque meri usuarii, & usua- 275
rius non potest concedere alteri usum rei permissæ, 276
ut habetur *Institut. de usu & habitu*, §. 1. In rebus 277
tamen parvis, & crebriùs occurrentibus, censetur
esse licentia tacita: sicut etiam censetur, quando 278
mutuum, vel commodatum datur personæ, de qua
certum, quod restituet, & hoc, sive sint res, quæ 279
usu non consumuntur, uti sunt v. g. libri, imagines,
&c. sive, quæ usu consumuntur: idque, sive commodatum fiat intra, sive extra monasterium; Ita
Peyrinis, Ledesma, Diana, quos refert, & sequitur 280
Pellizzarius *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 281. & nostri Thomas à JESU *Tract.* de voto paupert. 3. *Part. cap.* 6. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 6. & Philippus à SS. Trinitate *Tom.* 3. *Curs. sui Theolog. Tract.* 3. *disp.* 4. *dub.* 5. Ratio in utroque casu est; quia commodato non transfertur dominium, sed tantùm usus, usus autem temporalis videtur res parva, unde non censetur in illo Prælatus rationabiliter invitus.

De mutuo verò etiam liquet, quia cùm ex parte recipientis detur obligatio restituendi, & certitudo, quòd restituet idem quod mutuò accepit, nullum hinc exsurgit damnum monasterio: ergo non est cur Prælatus censeatur invitus quoad substantiam.

DICO II. Religiosi non possunt accipere ali- 281
quid gravis materiæ mutuum absque licentia saltem tacita Prælati; Ita Suarez *Tom.* 3. *de Relig.* 282
libr. 8. *capite* 11. *num.* 44. per mutuum namque 283
transfertur dominium, quò Religiosi in particulari sunt incapaces. Dixi, *aliquid materiæ gravis*, 284
quia, si res sit parva, non violatur graviter votum paupertatis. Quæ autem quantitas censeatur gravis in mutuo? dico, debere excedere decem aureos; nam licèt in furto minor quantitas requiratur, in mutuo tamen, cùm tantùm usus recipiatur ad breve tempus, tota illa quantitas videtur levis; Ita
Suarez *ubi suprà*. Dixi, *absque licentia saltem ta-* 285
cita; nam de licentia tacita Prælati possunt Religiosi mutuò accipere. Hæc autem semper præ- 286
sumitur, quando res est modica, vel necessaria, ut
quia Religiosus, verbi gratia, est iter faciens de 287
licentia Superioris, vel alia de causa indiget ad usus sibi necessarios, quibus Religio solet, & debet providere, in quo casu Religio tenebitur ad solutionem mutui; Suarez *ubi suprà*.

DICO III. Religiosi recipientes etiam sine li- 288
centia Prælati res magni valoris commodatas, non peccant mortaliter, si ex tali commodato

mona-

monasterium nullum sit passurum damnum; Ita
289 Pellizzarius *Tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 284. Ratio est,
290 quia per commodatum non transfertur domi-
291 nium, sed tantùm conceditur usus; accipere autem usum alicujus rei, quamvis pretiosæ, ad breve tempus, non importat gravitatem materiæ, ut suprà diximus: ergo.

Et idem dicendum est, etiamsi Religiosus talem rem commodatam reciperet cum conditione, ut ipse solus illa uteretur, si aliàs Religiosus paratus est illam à se abdicare, si Prælatus vellet. Ratio est, quia in hoc casu adhuc liberum est Prælato talem usum à subdito abdicare; Ita Pellizzarius *ubi suprà, num.* 285.

292 Dico IV. Religiosus habens libros, aut alias res ad usum, quibus non indiget, nec utitur, si nollet eas aliis Religiosis ejusdem monasterii indigentibus, & postulantibus de mandato Prælati commodare, peccat mortaliter, si materia sit gravis:
293 in negatione namque talis rei gerit se ut dominus. Secùs dicendum est, si absit jussio Prælati, tunc namque Religiosus renuens commodare, tantùm peccaret contra charitatem, non tamen mortaliter, regulariter loquendo; Ita N. Thomas sæpè cit. *Part.* 3. *cap.* 6. Alphonsus de Leone, quem refert, & sequitur Pellizzar. *ubi suprà, num.* 306.

294 An autem peccet etiam Religiosus saltem contra charitatem, negans aliis commodare sua manuscripta concionum, vel aliarum rerum, in casu, quo Superior suum interponeret præceptum? Respondeo negativè; Ita Alphonsus à Leone, quem refert, & sequitur Pellizzarius *ubi suprà*, & ratio est, quia Prælatus non potest præcipere subdito, nisi licita, & honesta, sed non videtur honestum, nec licitum, quòd lector, aut concionator se privet suis manuscriptis: ergo.

295 Et idem dicendum est de manuscriptis alienis alicui Religioso concessis; quippe, quæ eodem jure censentur, & à quocumque Religioso liberè solent
296 deferri, videntibus, & non renuentibus Prælatis, quod non evenit in libris impressis, ad quos deferendos in Religionibus observantioribus requiri solet licentia Superioris, etsi ab ipso deferente fuerint empti, aut ei ab amicis donati.

297 Dico V. Religiosi permutantes aliquas res,
298 etiamsi sint magni valoris, cum aliis Religiosis
299 ejusdem monasterii, non peccant contra votum paupertatis: peccabunt tamen contra obedientiam, si aliàs detur lex, vel præceptum, ne commutent sine expressa licentia; peccatum tamen erit grave, vel leve juxta obligationem, quam lex, aut Constitutio imponit; ita quoad primam partem Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 43. *num.* 75. Caramuel, quem refert, & sequitur Dian. 7. *part. tract.* 11. *resol.* 20. Vidal, *inquisitione unica, de paupertate, num.* 79. censetur namque in hoc casu dari licentia tacita Prælati, cùm dominium maneat in eadem Religione, & aliàs solus usus concedatur. Quoad 300
secundam verò partem Suarez *Tom.* 4. *lib.* 8 *cap.* 11. *num.* 10. Ratio autem est, quia quando lex prohibet, ne aliquid detur, recipiatur, vel permutetur, sine expressa licentia, licèt ad liberandum à viola- 301
tione voti paupertatis sufficiat tacita licentia, non tamen sufficit ad deobligandum à violatione voti obedientiæ.

Et ratio est, quia ex titulo paupertatis nihil aliud requiritur, nisi quòd Religiosus proprium non habeat, ad tollendum autem respectum proprietatis, sufficit voluntas præsumpta Prælati, quæ tamen non sufficit ad tollendum respectum inobedientiæ: nam ex titulo obedientiæ tenemur legi conformari; unde si lex postulat licentiam expressam ad satisfaciendum legi, non sufficit licentiæ tacitæ præsumptio in Prælato, sed requiritur expressa, quæ omnia memoria retinenda sunt 302
nostris Religiosis, quibus in 1. *Part. nostrarum Constitutionum cap.* 7. *num.* 5. datur hujusmodi lex nihil dandi, recipiendi, commutandi, sine expressa licentia; nam in casibus, in quibus diximus, & dicemus dari licentiam tacitam vel præsumptam Prælati, operando sine tali licentia expressa, delinquent contra hanc Constitutionem, non tamen contra votum paupertatis.

An autem Religiosi possint sine peccato morta- 303
li commutare res etiam magni valoris absque expressa licentia Prælati, etiam cum extraneis, secluso præcepto obligante sub mortali in contrarium? De rebus ejusdem speciei, & cedentibus in utilitatem saltem æqualem Conventus affirmat Lugo *de justitia, disp.* 3. *num.* 157. Rodrig. Lopez, quos refert, & sequitur Peyrinis *de R. S. quæst.* 2. *cap.* 2. §. 5. Negant tamen de rebus diversæ speciei, 304
etiamsi talis commutatio cederet in commodum monasterii. Sed sententia in utroque casu affirmans probabilior est, hanc tenet Vidal. *ubi suprà, num.* 76. Caramuel, quem refert, & sequitur Diana 7. *part. tract.* 11. *resol.* 21. & ut probabilem admittunt Ledesma, & alii relati ab ipso Diana 1. *Part. tract.* 6. *resol* 31. Ratio est, quia cùm nullum detrimentum fiat in bonis monasterii, & illa commutatio non habeat rationem distractionis, aut consumptionis, non censetur Superior rationabiliter

liter quoad substantiam invitus, sed præsumitur
ejus licentia tacita.
305 Dices, hinc sequi posse Religiosum absque ex-
pressa licentia Prælati etiam emere res magni va-
loris, si aliàs inde Conventus non recipiat ali-
quod detrimentum. Respondeo, optimam esse se-
quelam; nam licèt Religiosus non possit aliquid
306 emere absque Superioris licentia, ut tenent com-
muniter DD. apud Peyrinis *de R. S. quæst.2. cap.2.*
§.5. potest tamen de licentia tacita; hæc autem
307 præsumitur, quando Religiosus tales res emendo
non habet intentionem eas res sibi applicandi, &
acquirendi, sed monasterio, & solùm appropriat
sibi simplicem, & purum usum, dependentem à
Superioris voluntate, cùm enim per hæc Conven-
tus non patiatur damnum, non censetur Prælatus
invitus quoad substantiam; Ita Vidal. *ubi suprà,*
num. 78. Peyrinis *ubi suprà.*
308 Idem dicendum est, quando Religiosus habens
licentiam Prælati ad emendum aliquam rem de-
terminatam, verbi gratia, libros, emit rem aliquam
æqualem, vel meliorem; quia præsumitur adesse
licentiam Prælati, esset tamen peccatum proprie-
tatis, si omnino constaret de mente Prælati, qui
nollet dare licentiam, nisi ad emendum talem rem
309 præcisam; unde non potest Religiosus talem pecu-
niam expendere in eleemosynas, licèt sit melior
310 usus, quia illa Regula, quòd potest eam expendere
in usus æquales, vel meliores, intelligitur in ordi-
ne ad voluntatem Prælati bono communi pro-
spicientis, quæ voluntas hîc non præsumitur, cùm
bonum commune non respiciat; Ledesma, quem
refert, & sequitur Peyrinis *de R. S. quæst.2. cap.2.*
§.1. in fine.
311 An autem ille, qui habet generalem licentiam
dandi & accipiendi, possit ex vi talis licentiæ eme-
re, vel vendere? Respondeo affirmativè; Ita Lugo
disp.3. de justit. num.159. Nam cui absolutè ali-
quid facere permittitur, à fortiori illud conceditur,
ut possit illud facere cum limitatione, nisi obstet
aliqua specialis ratio, sed vendere nihil aliud est,
quam dare rem cum conditione solvendi: ergo.
312 Advertit tamen Lugo, illum, qui habet faculta-
tem tantùm dandi, non posse vendere, cùm vendi-
tio contineat etiam acceptationem, & acquisitio-
313 nem pretii, quæ non est datio, & è contra, qui
solùm habet facultatem accipiendi, non posse e-
mere, cùm emptio contineat solutionem pretii,
quæ nullo modo est acceptio.
314 Dico VI. Religiosi non possunt absque viola-
tione voti paupertatis immutare absque licentia

Superioris rem monasterii ad communem usum
deputatam, in aliam proprio usui applicatam, ex
syndone, verbi gratia, faciendo linteola; Ita N.
Thomas à Jesu *loc.cit. Part.3. cap.2. dub.3.* Al-
phonsus de Leone, quem refert, & sequitur Pel-
lizzarius *Tract.4. cap.2. num.287.* Ratio est, quia
hoc est uti re tanquam propria, & importat a-
ctum, qui non potest exerceri nisi à domino; sed
hæc adversantur voto paupertatis: ergo.
Sed hæc doctrina debet intelligi, quando aliàs 315
Religiosis de necessariis providetur; nam si Præ-
latus linteola, & alia Religiosis necessaria denega-
verit, tunc sine peccato, ut *suprà* diximus, poterunt
Religiosi res ad usus communes deputatas sibi au-
ferre; censetur namque tunc voluntas superioris
Prælati, ut *suprà* diximus.
Dico VII. Certum est apud omnes Religiosos 316
non posse ludere pecunia, absque licentia Prælati
tacita, vel expressa; Ita Sanch. *lib. 7. in Decal.*
cap. 10. num. 67. Dixi, *absque Superioris licentia,* 317
nam de licentia saltem tacita Prælati, possunt Re-
ligiosi aliquam modicam quantitatem ludo ex-
ponere, gratia honestæ recreationis; nam sicut
filiusfamilias habet auctoritatem ludendi in mo-
dica quantitate juxta facultates patris; ita Reli-
giosi, quando inveniuntur in domo parentum, vel
manent extra monasteria de licentia Prælati; est
enim tunc ludus actus honestus; Ita Ledesma,
Navarr. Sigismund. Valent. Sanch. quos refert,
& sequitur Peyrinis *de R S. quæst.2. cap.2. §.7.* Vide
de hoc N. Franciscum *loco infra citando, num.23.*
Dico VIII. Si ludus sit prohibitus, vel à jure, 318
vel à Regula, vel à Constitutionibus, vel à Supe-
riore, vel sit scandalosus, nec pro magna, nec
parva licet ludere quantitate; Salon. Molin.
Lezana, quos refert, & sequitur Belasius *verbo*
Ludus, *num.2.* cùm enim ille actus sit illicitus,
utpote contra legem, non potest Superior dare
illam licentiam: si tamen ludi non fuerint pro- 319
hibiti, tunc possunt ludere pro modica quantitate.
Quæ autem sit hæc modica quantitas. Caramuel
in Theologia morali, lib. 2. disput. 18. num. 809.
existimat posse ludo exponere omnia illa, quæ 320
possunt liberaliter dare. Alii assignant quinque
ducatos quotannis; Ita Navarrus, Valent. Lede-
sma, quos refert Belasius *verbo* Ludus, *num. 6.* Sed
hoc meliùs relinquitur arbitrio prudentis viri,
considerantis Religionem ludentis, quantitatem
peculii concessi, personam, & ejus dignitatem;
Ita Peyrinis, quem refert, & sequitur Belasius *ubi*
suprà, num. 6.

321 Si tamen quæras, qui sint ludi prohibiti? Respondeo, esse prohibitum ludum alearum, & taxillorum, ut patet *ex capit. Episcopus, disp.* 35. *&* *ex Trident. sess* 22. *de Reformat. cap.* 1. per ludum autem alearum, intelliguntur omnes ludi fortuiti, id est, ut nost. Lezana *Tom.* 2. *V.* Ludus, *num.* 3. qui magìs fortuna, quàm arte reguntur, seu, in quibus magìs prævalet fortuna, quàm ars; Ita
322 Navarrus, Valent. quos refert, & sequitur Peyrinis *de R. S. quæst.* 2. *cap.* 2. §. 7. possunt tamen Religiosi etiam absque culpa veniali ob honestam causam, verbi gratia, ad recreandum socium, &
323 se ipsos, ludere cartis lusoriis pro aliqua honesta pecuniæ quantitate, in illis Religionibus, ubi jam hujusmodi ludi usu recepti, & permissi sunt, nisi adsit scandalum, vel detur præceptum in contrarium; ita Rodriguez, Peyrinis, quos refert, & sequitur Belasius *verbo* Ludus, *num.* 4. Dicastillus *de justit. lib.* 2. *tract.* 18. *disp.* 2. *dub.* 2. *num.* 22.

324 Dixi, *ubi jam hujusmodi ludi usu recepti sunt, & nisi detur scandalum, vel præceptum in contrarium*; nam in Religionibus reformatis, ut sunt nostra, & Societatis, Capucinorum, & aliarum similium, absque dubio erit peccatum mortale ludus alearum, taxillorum, & chartarum, & similium pecuniâ exposita; Ita Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 33. *num.* 5. quod adeò verum esse existimat Dicastillus *de justit. lib.* 2. *tract.* 18. *disp.* 2. *dub.* 2. *num.* 21. Ut dicat, quòd aperire viam hujusmodi ludis in præ-
325 dictis Religionibus reformatis, etiam titulo recreationis, esse peccatum mortale, non solùm, quia hoc ipsis lege prohibitum est, ut patet, quoad nostros *ex* 4. *Part. nostrarum Constitutionum,*
326 *cap.* 4. §. 1. *num.* 1. Sed propter scandalum, quod præberetur aliis Religiosis, aperiendo viam similibus ludis, hucusque nunquam non solùm visis, sed neque etiam auditis in talibus Religionibus, ut de sua Religione testatur Dicastillus, & similiter de suæ Religione Diana, & ego de mea testari
327 possum. Unde Prælati absque dubio mortaliter peccarent, si tales ludos quacumque ex causa permitterent; Ita Bannez, quem refert, & sequitur Lugo *de justit. disputatione* 31. *sect.* 1. *num.* 12. Dicastillus *ubi suprà*, & Diana 7. *part. tract.* 9. *resol.* 4.

328 An autem mos ludendi, qui est apud aliquos Religiosos pro piis quibusdam precibus, pro sacrificiis dicendis, pro animabus purgatorii, vel similibus, &c. ad nutum victoris, sit illaudabilis? Respondeo negativè; Ita Navarrus, Rebellus, Salas, quos refert, & sequitur Belasius *verbo* Ludus, *num.* 9. & nostri Lezana *Tom.* 3. *qq. Reg. verb.* ludus quoad Regulares, *num.* 13. Franciscus Bonæ-Spei *Tom.* 5. *Tract.* 1. *disp.* 15. *num.* 33. Stephanus à S. Paulo *Tract.* 4. *disp.* 9. *num.* 53. Caramuel *ubi suprà*, licèt contrarium teneant Lopez, Vega, quos refert, & sequitur Peyrinis *de Prælato, quæst.* 3. *cap.* 2. Unde si tales res non exponantur ludis prohibitis, ut sunt ludi alearum, taxillorum, 329
& chartarum, & similium, licitum etiam erit nostris Religiosis, & aliis ob animi recreationem tales res ludo exponere, ut mos est apud illos.

Dico IX. Publicus aleator, seu consuetudi- 330
narius, si eligatur ad Prælaturas, electio est ipso jure nulla. Patet tum *ex cap. inter dilectos*, de excessu Prælatorum, *& ex Trid. sess.* 22. *de Reformat.*
cap. 1. *& sess.* 24. *cap.* 12. Tum, quia tales publici 331
aleatores reputantur infames; Ita communiter DD. apud Peyrinis *de R. S. cap.* 1. *quæst.* 1. §. 5. *num.* 56. & N. Lezanam *loco cit. num.* 5.

Pœnas infligendas violatoribus voti paupertatis, ac proprietariis à jure decretas refert noster Petrus ab Angelis in suo *Judice Regulari part.* 1. *cap.* 25. §. 2.

SECTIO VI.

Quomodo tollatur obligatio voti paupertatis per licentiam legitimè concessam, aut consuetudinem, vel epicheiam?

332 *Licentia Prælati excusat Religiosum à violatione paupertatis.*
333 *Licentia potest esse expressa, vel tacita, generalis, vel specialis.*
334 *Quæ dicatur licentia expressa, quæ tacita?*
335 *Quæ præsumpta, vel interpretativa?*
336 *Quæ generalis, vel specialis?*
337 *Licentia expressa non est omnino necessaria, sed ut quis licitè operetur.*
338 *Sufficit tacita, etiam quando expressa peti potest, sed ob verecundiam, vel aliam difficultatem non postulatur.*
339 *Eadem est virtus taciti, & expressi.*
340 *Quomodo hoc debeat intelligi?*
341 *Non sufficit licentia tacita ad excusandum à viola-*

violatione voti obedientiæ, si detur lex, ut nihil detur absque expressa licentia.

342 *Sufficit tamen licentia tacita ad excusandum Religiosum à violatione paupertatis, etsi detur præceptum nihil dandi sine expressa licentia, & cur?*

343 *Obligatio voti commensuratur cum intentione voventis.*

344 *Quomodo Religiosi intendant se obligare per votum obedientiæ, & paupertatis in professione?*

345 *Quando præsumatur licentia tacita?*

346 *Licentia, ut sit valida, non debet esse coacta, vel dolo, aut fraude, quoad substantiam, vel gravi metu extorta.*

347 *Non requiritur tamen, ut sit justa, sufficit etiamsi sit injusta, hoc est, sine rationabili causa concessa.*

348 *Quomodo Religiosus possit obtinere diversas licentias à diversis Prælatis, non manifestando uni licentiam obtentam ab alio.*

349 *Religiosus potest uti licentia sibi concessa à Prælato inferiori, etsi sit negata à Prælato superiori.*

350 *Quid, si detur lex, quòd negata licentia ab uno Prælato, subditus non adeat alium Superiorem.*

351 *Religiosus habens licentiam ad expendendam certam summam in usus determinatos, non facit contra paupertatem, si illam expendat in alios usus honestos.*

352 *In hoc casu præsumitur licentia tacita Prælati.*

353 *Ad quem Prælatum pertineat concedere licentiam accipiendi, retinendi, expendendi, aut alienandi rem aliquam Religiosis?*

354 *Religiosus potest rem aliquam retinere, cum conditione, si aliquis Prælatus superior eam concedat, etsi sciat inferiorem Prælatum esse sibi illam denegandam.*

355 *Potest retinere rem aliquam animo petendi licentiam à Prælato successore, qui ad breve tempus expectatur, dummodo interim tali re non utatur.*

356 *Præsidens, qui Conventui per tridui spatium præsidet, potest sibi concedere licentiam dandi, vel accipiendi res pretio æstimabiles pro eo tempore, quo in eo monasterio erit subditus.*

357 *Quantum extendatur facultas Prælatorum ad dandam licentiam suis subditis ad expendendam pecuniam?*

358 *Referuntur plures sententiæ.*

359 *Sententia auctoris proponitur.*

360 *Licentia concessa à Prælato, non expirat morte vel amotione Prælati, qui eam concessit, nisi à successore revocetur.*

361 *Quid si Religiosus post licentiam habitam à suo Prælato locali, mutetur ad alium Conventum, poteritne illa licentia uti in altero Conventu?*

362 *Licentia data ad aliquid in particulari finitur primo actu.*

363 *Consuetudo dandi, vel accipiendi absque licentia Superioris, sufficit ad excusandum à violatione voti paupertatis.*

364 *Hæc consuetudo non potest extendi ad usus illicitos.*

365 *Quod tempus requiratur ad introducendam consuetudinem?*

366 *Quando præsumatur dari talem consuetudinem?*

367 *Cessat obligatio voti paupertatis per epicheiam.*

368 *Quid requiratur, ut detur epicheia?*

369 *Religiosi possunt uti epicheia, si Superior injustè, ac sine ratione denegaverit licentiam.*

370 *Quomodo Religiosus, qui per epicheiam aliquid accepit, teneatur illud postea Prælato ostendere?*

Doctrina valde notanda pro Praxi, maximè Carmelitis Discalceatis.

PRo explicatione doctrinæ hujus sectionis suppono, ut certum, licentiam Prælati excusare 332 Religiosum à violatione voti paupertatis. Hæc autem licentia est quadruplex, *expressa*, *tacita*, 333 *generalis*, & *specialis*; licentia *expressa* est illa, quæ verbo, vel scripto expressè conceditur; *tacita* est 334 illa, quæ non habetur quidem expressè, præsumitur tamen, quòd si peteretur à Superiore, concederetur; unde etiam vocatur *præsumpta*, seu *interpretativa*: 335 generalis est, quæ tribuitur omnibus in generali; specialis, quæ conceditur huic, vel illi 336 in particulari. Alias divisiones, & subdivisiones licentiæ adducit nost. Ven. Thomas à Jesu *lib. cit. Part. 3. cap. 10. dub. 1.* quæ apud ipsum videri poterunt: His suppositis.

337 Dico I. Licentia expressa non est omninò ne-
338 cessaria, sed, ut quis licitè operetur, sufficit tacita, etiam quando expressa potest peti, sed ob verecundiam, vel aliam difficultatem non postulatur;
339 ita sentiunt Suar. Sanch. Bordon. Lugo, Peyrinis, & alii communiter DD. apud Vidal. *inquisitione unica, de paupertate, num.6.* Ratio est, quia eadem
340 est virtus taciti, & expressi. Et quia hoc ipso, quòd præsumitur rationabiliter Superiorem id velle, non dicitur res fieri absque licentia. Sed hoc debet intelligi, si aliàs non detur Constitutio, aut
341 præceptum Superioris de non recipiendo, dando, vel retinendo aliquid sine expressa licentia; nam tunc non sufficit præsumpta, quantum est ex vi voti obedientiæ; nisi in aliquo necessitatis casu, quo Superior adiri non potest: quia Superior declaravit non aliter consentire; Ita Lopez, Rodriguez, quos refert, & sequitur Lezana *cap. 6. num. 55.* Bordon. *Tom.1. resol.43. num.27.*

342 Dixi, quantum est ex *vi voti obedientiæ*, nam quantum est ex vi voti paupertatis, sufficit licentia tacita ad excusandum subditum à violatione illius, etiam in casu, quo detur Constitutio, vel præceptum de non dando aliquid absque expressa licentia, ut diximus *sectione præcedenti, num. 301.*
343 & ratio in utroque casu est, tum quia obligatio tam voti paupertatis, quàm obedientiæ, debet commensurari cum intentione voventium, sed Religiosi facientes votum paupertatis, non intendunt se obligare hac extensione, ut ad dandum,
344 vel recipiendum, & ad faciendum alios actus oppositos voto paupertatis, non sufficiat licentia tacita, & præsumpta, sed tantùm se intendunt obligare ad hanc dependentiam à voluntate Superiorum hac extensione, ut licentia tacita, vel præsumpta sufficiat, ut docet Suarez *Tom. 3. de Religion. lib.8. cap.11. num.9.* Navarrus, Valent. Azor. Sanchez, quos refert, & sequitur Palaus *Tract. 16. disp. 3. part. 23. num. 8.* Tum, quia tantùm se intendunt obligare ad paupertatem, prout est, & esse potest in usu apud Religiosos; ex usu autem Religiosorum sufficit licentia tacita, ut docet idem Suarez *ubi suprà*: ergo ex vi voti paupertatis non tenentur ad habendam licentiam expressam, quando tacita rationabiliter præsumitur, quia aliàs obligarentur ultra suam intentionem, quod non est dicendum.

Secùs dicendum est de voto obedientiæ; nam facientes tale votum, intendunt se obligare ad obediendum Prælato quoties licita, & honesta præceperit secundùm Regulam, & Constitutiones, sub quibus comprehenduntur omnia necessaria ad illarum observationem, ut docet Lessius, Sanchez, Suarez, Lezana, Vasquius, & alii, quos refert, & sequitur Pellizzarius *Tract. 4. cap. 4. num. 63.* Sed Prælatus præcipiendo, ut Religiosi nihil dent, aut recipiant sine expressa licentia, licita, & honesta præcipit secundùm Regulam; siquidem hoc præceptum maximè necessarium est, ne Religiones reformatæ relaxentur, ut notavit Rodriguez *Tom.2. cap.31. num.7.* quod à fortiori dicendum est, quando præceptum est Regulæ, vel Constitutionum: ergo subditi tenentur illi obedire, ac per consequens non illis sufficiet licentia tacita, sed indigebunt expressa.

Dico II. Talis licentia tacita tunc præsumitur, quando Religiosus habet probabilitatem, 345
quòd Prælatus daret talem licentiam; Navarrus, Angel. Lopez, Lessius, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 7. Moral. cap. 19. num. 15.* Vel etiam, quando probabiliter sperat, ut ratum habeat, quod expendit Bordonus, quem refert, & sequitur Vidal. *ubi suprà, num. 26.* Hæc autem probabilitas colligitur *primò* ex benignitate, & facilitate Prælati ad concedendas tales licentias. *Secundò*, quando subditus est vir gravis, & benemeritus, vel quando Prælato est valde dilectus. *Tertiò*, quando res sunt leviores. *Quarto*, quando talis acceptio, & donatio cedit in commodum Religionis; Ita cum multis N. Thomas à Jesu *loc. cit.* Diana *1. part. tractatu 6. resolut. 31.*

Præsumitur etiam licentia tacita, quando Superior videns subditum expendentem, donantem, vel recipientem, nihilominùs non contradicit, nec reclamat; nam tacendo videtur consentire, dummodo illa taciturnitas non sit purè permissiva, ob majoris mali periculum vitandum; cùm sit ipse vir modestus, subditus autem imprudens, & colericus; Suarez, Sanchez, Peyrinis, & alii, quos refert & sequitur Vidal. *ubi suprà, num. 20.* & nostri Thomas à Jesu, Lezana *loc. cit. num. 56.* Stephanus à S. Paulo *loc. cit. num. 88.*

Dico III. Licentia à Superiore concessa, ad 346
hoc, ut sit valida, non debet esse coacta, vel dolo, aut fraude, quoad rei substantiam, aut metu gravi extorta; Ita Navarr. nost. Thomas *loc. cit. dub. 3.* Lessius, & alii communiter apud Sanchez, *ubi suprà.*

*prà, num.*18. In tali namque casu licentia non es-
set voluntaria. Et ad dolum, vel fraudem reduci-
tur, si subditus taceat ea, quibus declaratis, non
solet licentia concedi, vel si ea falso exprimeret,
quorum ratione conceditur licentia alias non con-
cedenda. nost. Thom. *loc.cit.* Suarez, Sanchez,
quos refert, & sequitur Palaus *tract.*16. *disp.*3. *p.*13.
*num.*1. Secus si ea taceat, vel falsò exprimat, qui-
bus tacitis, vel expressis solet per se licentia conce-
di, tametsi difficilius concedatur. Suarez, quem re-
fert, & sequitur Palaus *loco citato.*

347 Non tamen requiritur, ut licentia sit justa; suf-
ficit namque ad excusandum subditum à peccato
proprietatis, etiamsi sit injusta, hoc est concessa
sine necessitate, & rationabili utilitate; Ita con-
tra Palaum, & alios, Suarez, Lessius, Graffis,
apud Vidal *ubi suprà num.* 2. Lugo *disputation.*3.
numer. 131. ubi latissimè probat posse Prælatum
validè, immo & licitè concedere licentiam subdi-
to expendēdi pecuniam ad usus profanos, & illici-
tos, non determinatè, ut *suprà* diximus, sed
dando licentiam subdito ad expendendam pecu-
niam, prout voluerit; consule circa hoc nost. Tho-
mam *loc. cit. in fine.*

348 Ex quibus omnibus colliges, *primò*, Religio-
sum, qui intendens summam quandam pecuniæ
coacervare, sciensque fore, ut nullus Prælatus
concedat licentiam simul tantam summam recipi-
endi, posse petere licentiam à Prælato locali ad
certam summam, à Provinciali ad majorem aliam,
à Generali ad aliam quoque majorem; idque nulli
eorum significando, se ab alio Prælato jam ad
aliam summam obtinuisse licentiam quam revera
obtinuit; Ita Pellizzarius *ubi supra num.* 414. quia
hic non intercessit dolus: nam iste Religiosus uti-
tur jure suo, postulando licentiam ab eo, qui eam
potest concedere.

349 Colliges *secundò*, posse Religiosum uti licen-
tia concessa ab aliquo Prælato inferiori, etiamsi sit
illi negata à Prælato Superiori, etiamsi id Prælato
350 inferiori non significasset; ita Pellizzarius *ubi su-
pra n.* 416. non enim hic intervenit dolus in sub-
stantia, sed in accidentibus, quod si detur lex, quod
subditus pro licentia negata non adeat alium Su-
periorem, sine significatione jam semel sibi negatæ
licentiæ, tunc faciet subditus contra Regulam, non
tamen erit inutilis licentia, cum talis significatio
non pertineat ad substantiam licentiæ obtinendæ,
sed ad hoc, ut debitè fiat, quod pertinet ad mo-
dum.

Colliges *tertiò*, Religiosum habentem licentiam 351
ad expendendum aliquam pecuniam in usus deter-
minatos non violare paupertatis votum graviter si
illam expendat in alios usus honestos; in tali nam-
que casu, præsumitur licentia tacita Superioris,
saltem quoad substantiam alienationis; nam cum
jam concessisset licentiam ad usus determinatos,
semper censetur perseverare licentia quoad usus æ-
quales, vel meliores, & solum censetur Prælatus
invitus quoad modum; Ita Vidal. *ubi supra n.* 37.
Fagundez, quem refert, & sequitur Pellizzarius 352
*tract.*4 *cap.*2. *n.*427.

Sed quæres, ad quem Prælatum spectet dare li- 353
centiam accipiendi, retinendi, aut alienandi rem
aliquam? Respondeo, de jure pertinere ad Præ-
latum immediatum Conventus; Ita communiter
DD. apud Vidal. *ubi supra num.* 121. per hoc ta- 354
men non tollitur, quod eamdem, imò majorem
licentiam possit etiam dare Provincialis, Genera-
lis, summus Pontifex, Nuntius aut Legatus; nam
hi omnes sunt legitimi Religiosorum Prælati. Un-
de potest Religiosus rem retinere cum conditione,
si aliquis ex supradictis ei tribuat licentiam, etiam-
si sciat ab immediato ei fore negandam; Imo po- 355
test retinere rem, animo petendi licentiam à Præ-
lato successore, qui brevi tempore expectatur,
vel animo scribendi ad Superiorem, dummodo
interim illa re non utatur absque licentia, sed ser-
vet, & retineat in deposito. Diana, Lugo San-
chez, quos refert, & sequitur Vidal. *ubi supra
num.* 128.

An autem Religiosus ad breve tempus substitu- 356
tus loco Prælati Monasterii v. g. ad triduum possit
sibi ipsi conferre licentiam dandi, accipiendi res
pretio æstimabiles pro eo tempore, quo in eo Mo-
nasterio fuerit subditus? Respondeo posse sibi eam
dare facultatem, quam potest aliis; nam ipse non
debet esse deterioris conditionis, ac alii, quod au-
tem ad breve tempus sit Superior, non tollit, quod
verè Superior sit; Ita docet Pellizzarius *ubi supra
num.* 445.

Quod si inquiras, quantum extendatur facultas 357
Prælatorum ad dandam licentiam suis subditis ad
expendendum pecuniam? Respondeo in hoc dari
magnam diversitatem inter auctores, quoad Præ-
latos immediatos; nam de Provincialibus, & Ge-
neralibus cum habeant jurisdictionem, quasi E-
piscopalem, certum est posse præbere ampliores
licentias, loquendo igitur tantùm de Prælatis im-
mediatis, aliqui apud Azor. *Tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 12. 358
*quæst.*4. existimant posse Prælatum expendere, vel

concedere licentiam ad expendendum singulis mensibus duos vel tres aureos quam sententiam probabilem putat Vidal. *ubi supra num.* 93.

Alii verò apud ipsum Azorium putant posse quotannis dare usque ad quindecim aureos, & hanc attribuit Fagundez *in* 7. *Decal. cap.* 6. *num.* 3. Azorio.

Alii putant posse dare usque ad decem aureos, sed hoc parum videtur Fagundez si pro singulis annis intelligatur.

Panormitanus verò apud ipsum Fagundez existimat posse Prælatum dare ex Generali ratione largiendi eleemosynas usque ad triginta aureos; sed hæc facultas in Religionibus divitibus adhuc limitata his temporibus videtur Fagundez, cum nunc detur major abundantia pecuniæ, & penuria rerum, quàm tempore Panormitani. Unde existimat Fagundez, quod in Monasteriis, quæ habent quindecim, aut viginti millia aureorum in annuis redditibus posse Prælatum ter in anno dare triginta aureos pauperibus, vel talem concedere subdito licentiam, & ex pauperibus posse præferre consanguineos, si sint in æquali necessitate.

359 Ego tamen existimo in hoc non posse dari absolutè certam regulam, sed deberi inspici modum, & consuetudinem Religionis, qualitatem, & necessitatem personæ, redditus, & bona Monasterii, si donatio facienda est ex bonis communibus Monasterii, ita ut moraliter non reputetur, quod illa donatio afferat Monasterio grave damnum, aliàs non liceret, maximè in gravi quantitate; At si donatio fiat de bonis concessis Religioso in particulari pro suis usibus honestis, vel de bonis nondum acquisitis, sed acquirendis ex speciali industria, vel labore ipsius Religiosi, tunc potest Prælatus dare licentiam pluries in anno ad quantitatem excedentem decem aureos, ita Vidal. *ubi supra num.* 92.

DICO IV. Licentia concessa à Prælato ad ali-
360 quid dandum, vel recipiendum non expirat, etiamsi Prælatus, qui eam concessit expiraverit, & alius loco ipsius fuerit subrogatus. Ratio est, quia omnes licentiæ concessæ à quibuscumque Prælatis non ad certum tempus, neque ad limitatum usum, sed absolutè, nisi alicui præjudicent sunt perpetuæ, donec à concedente, vel ab ejus successore, vel Superiore revocentur, siquidem sunt gratiæ factæ, ut tenent Abbas, Navar. Corduba, Graffius, & alii, quos refert, & sequitur Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 28. *num.* 85.

Hinc fit *primò*, quod si Religiosus existens Co- 361
nimbricæ v. g. de licentia Prælati, mittat pecuniam Ulyssiponem, ut ibi sibi res aliqua ematur ad suum usum, si interim mutet domicilium, non indigere nova licentia Prælati, ad quem de novo transit ad utendum tali re, nam licentia à primo Prælato habita, sufficit etiamsi res nondum sit empta, quando mutavit domicilium, cum pecunia jam sit in via; Ita Pellizzarius *ubi supra num.* 443.

Secus dicendum est, si pecunia mittatur postquam mutatum est domicilium, nam in tali casu requiritur licentia Prælati posterioris domicilii, quia licentia, de qua hic agitur obtineri debet à Superiore illius Monasterii, de cujus interesse agitur, hic autem in præsenti casu est Prælatus posterioris domicilii; Ita Pellizzarius *loco citato*.

Idem dicendum est de licentia dandi, vel recipiendi habita à Prælato prioris domicilii, propter eandem rationem, nisi aliàs idem Prælatus sit etiam Superior in Conventu posterioris domicilii, nam tunc censetur prorogari dicta licentia præterita, ut notum est.

Colliges *secundò*, licentiam datam ad aliquid in 362
particulari finiri primo actu, ut si alicui detur licentia ad hoc reliquiarum v. g. habendum; si illud alicui dederit de licentia Superioris, non potest aliud ex vi præteritæ licentiæ sibi emere. Secus dicendum est, si alicui detur generalis licentia ad habendum Reliquiarum, nam tunc si dedit primum de licentia Superioris, potest aliud emere ex vi præteritæ licentiæ; nam lex generaliter loquens, generaliter est intelligenda; Ita Pellizzarius *ubi supra num.* 441.

DICO V. Consuetudo dandi vel accipiendi ali- 383
quid sine licentia Superioris, sufficit ad excusandum à violatione voti paupertatis: ita communiter DD. hæc autem consuetudo non potest exten- 364
di ad usus illicitos: nam ad introducendam consuetudinem requiritur quod Prælatus consentiat, sed Prælatus non potest consentire in usum illicitū in particulari, cum nec ad hoc in particulari possit dare licentiam, licet aliàs possit dare licentiam expēdendi ad libitum Religioso in communi: ergo. Si tamen quæras quod tempus requiratur ad introducendam consuetudinem? Respondeo, sufficere 365
decennium, Ita Suarez, Sanchez, Mascard. Bonacina, quos refert & sequitur Pellizz. *Tract.* 4. *cap.* 2. 366
n. 383. non enim plus jura requirunt; tunc autem præsumitur dari talem consuetudinem legitimè introductam, quando constat eam passim practicari à

cari à Religiosis, etiam timoratis, idque non contradicentibus Prælatis.

367 Dico VI. Cessat etiam obligatio voti paupertatis per epicheiam, per quam interpretamur, Superiorem, vel legem in hoc casu noluisse obligare:
368 ad epichejam autem requiritur ut res urgeat, & Superior non sit præsens, vel adiri, aut inveniri nequeat: tunc quidem adest illius assensus præsumptus, & subditus potest agere ac si licentiam expressam illius haberet, cum mens Superioris non sit, quod subditus eo casu non agat, quod ratio dictat; ita communiter DD.

369 An autem Religiosi possint uti Epicheja in dando aut recipiendo, si Superior licentiam petitam deneget injustè, ac sine ratione? Respondeo posse; si subdito constet de injustitia negationis; ita Fagund. Suar. quos refert, & sequitur Pellizzarius *Tract.4.cap.2.num.39.* Ratio est, quia hic Epicheja respicit non voluntatem Superioris, qui negavit licentiam, sed alterius Prælati Superioris, aut totius Religionis, vel Papæ; Peyrinis *de R.S.quæst.1.cap.8.§.5.* versu *sed quid.*

370 Si tandem quæras, an quando Religiosus accepit aliquid de licentia præsumpta Superioris, vel per Epichejam teneatur ex vi voti paupertatis id ipsum postea referre Superiori, significando se tale quid accepisse, vel certe illud retinere posse absque alia licentia? Respondeo, quod vel iste Religiosus quando talem rem accepit poterat adire Prælatum pro licentia expressa, vel non: si non poterat adire, ut accidit, quando res per Epichejam accipitur, ac præsumitur id in tali casu Prælato non displicere, si tunc res adhuc extat in manu Religiosi tenetur manifestare Prælato; cum ratio manifestandi fuerit impotentia accedendi Prælatum, qua sublata, si subditus non manifestat, retinet usum talis rei absque volntate Prælati, quod est contra paupertatem; si tamen jam res non extat apud Religiosum, quia vel data, vel consumpta fuit, non est cur manifestetur Prælato, cum jam subditus eam non retineat, nec habeat illius usum, nec sit jam in potestate Superioris. Secus dicendum est, quando accepit rem, non quia non posset adire Superiorem, cum ipse præsens esset, sed quia ex aliis capitibus, à nobis supra recensitis, tacita præsumebatur ejus licentia; nam in hoc casu non tenetur eam postea manifestare Prælato, etiamsi eam adhuc retineat. Et ratio est, quia si à principio licitum illi fuit accipere talem rem absque mortali, sine expressa licentia Prælati, cum ad illum posset pro licentia facile accedere, licitum eodem modo ei erit talem rem postea retinere; Ita Navar. Graffius, quos refert & sequitur Sanchez *lib.7.in Decal. cap.19.num.8.*

Pro securiori praxi & usu opinionum, sententiarumque in hac sect. adductarum, lubet hic subjungere doctrinam quandam pluries citati ven. P. Thomæ à Jesu, ex sæpius cit. *cap.3. tract. de Paupert. part.3* animadversione dignissimam, maximè pro Religiosis reformatis ac Carm. Disc. *Ex supradictis, inquit, colligitur secundum varias Religionum consuetudines, & varios Prælatorum mores, majora vel minora esse in subditis motiva, ut hujusmodi tacita licentia, eâque magis vel minus, extensa ab eis præsumi possit. Ex quo etiam fit, ut in una Religione sit proprietatis peccatum, quod in alia licitum est: imo inter Conventus ejusdem Ordinis, aut Provinciæ, quod in uno licet, in alio est contra paupertatis votum: Non alia ratione, quam ob diversas consuetudines, Prælatorumque conditiones, majorem vel minorem suis subditis concedentes facultatem, ob cujus rei ignorantiam factum est, ut multi in hac materia longius aberraverint, eò quod ex consuetudinibus aliarum Religionum, vel Conventuum Regulam universalem assumerent, putantes id sibi in sua Religione esse licitum, quod in aliis Religionibus, aut Conventibus tacita licentia concedebatur: Non animadvertentes quod quamvis idem sit apud omnes paupertatis votum, ratione tamen tacitæ licentiæ, hic & nunc illic præsumptæ, vel magis aut minus extensæ in una quam in alia parte, extendi etiam in subditis magis aut minus hanc dispensandi facultatem.*

In nostra vero Religione, si Religiosus in Monasterio sit, vel eo in loco, ex quo facile Prælatum adire possit, illiusque licentiam petere, regulariter loquendo, nihil potest sine illa dispensare: Quia in hoc casu nulla præsumitur licentia tacita, etiam quoad minimarum rerum dispensationes, eò quod apud nos notum sit, expressè Prælatorum voluntatem esse, quod ad quamcunque etiam minimam dispensationem, ipsorum licentia postuletur: Quod patet Primò *ex Regula N.* in cap. de Cellula Prioris, *ubi sic habetur:* de arbitrio & dispositione ipsius (*nempe Prioris*) postmodum quæ agenda sunt cuncta procedant. Secundò *colligitur ex nostris Constitutionibus, in quibus non solum rerum dispensationes, sed etiam bibere sine licentia prohibetur.* Tertiò *idem ostendi potest ex laudabili invariabilique Prælatorum & subditorum consuetudine: Prælati enim hujusmodi dispensationes, etiam minimas, sine licentia factas, vehementer reprehendunt: & subditi in capitulo se accusant, si quando contigerit, tales dispensationes ab illis sine li-*

centia

centia fieri. Dixi (regulariter loquendo) *quia contingere potest casus, in quo aliquis ex nostris posset hac tacita licētia uti, quando illi de Prælati consensu constaret, &c.* Hactenus ille. Nec dissonā doctrinam circa hoc tradit noster Franciscus Bonæ Spei *loc. cit. n.* 34. his verbis: *Advertendum tamen rarò in similibus furtivis receptionibus, dispositionibus, &c. de venia tacita aut præsumpta Superioris, abesse peccatum, si commodè pro venia expressa adiri possit: quia cum, aliquousque saltem, adversentur Paupertatis ac Religiosæ Observantiæ puritati, Superior eas ægrè ferre solet, ut rectè notat Palao hic.* Nec dissentit ab his noster quoque Lezana *Tom.* 1. *cap.* 6. *num.* 56. Non *excusat ait Religiosum credere, quod Prælatus concedat licentiam, si ab ipso petatur, quando scit ipsum velle, ut petatur, quia tunc non censetur habere licentiam aut consensum Prælati.* Citatque pro hac sententia Navarrum ac Mendozam.

SECTIO VII.

De obligatione restituendi, quæ provenit ex violatione voti paupertatis.

DIco I. Religiosus non tenetur ad restitutio- 371
nem quoties rem aliquam, sive pecuniam, 372
sive

sive aliud quodlibet dedit de licentia saltem taci-
ta, & præsumpta Superioris, etiamsi fuerit per E-
picheiam; neque etiam ad prædictam restitutio-
373 nem tenentur illi, qui talem rem acceperunt; Ita
374 cum pluribus Sanchez *lib. 7. moral. cap. 16. nume-
ro* 13. Nam cum in tali casu Superior tantum sit in-
375 vitus quoad modum, censetur Religiosus ille dare
ex voluntate Prælati saltem virtuali, quod proce-
dit etiamsi detur lex, Constitutio, aut præceptum
formale nihil dandi absque expressa licentia Supe-
rioris; nam, ut sectione præcedenti diximus,
etiam in hoc casu Religiosus non tenetur ex vi vo-
ti paupertatis postulare licentiam expressam, si ali-
às tacita rationabiliter præsumatur, sed tantùm ad
hoc tenetur ex vi voti obedientiæ, quæ pro praxi
sunt valde notanda, & à nullo quem viderim, in-
veni notata. Et ratio est, quia cum Religiosus rem
376 illam dederit de licentia saltem tacita Prælati, re-
cipiens non tenetur ad restitutionem, licet Reli-
giosus peccasset mortaliter non obediendo præce-
pto Superioris, vel fecerit contra legem, aut con-
stitutionem.

377 Idem dicendum est, quando Religiosus alienat
bona Conventus credens fore, ut Prælatus licenti-
am daret, sic alienandi, esto displiceret ei modus;
Ita cum pluribus Sanchez *loco citato*. Idem quoque
378 dicendum est de illis, quæ subditus bona fide con-
sumpsit sine licentia Superioris, falsò putans id si-
bi licere. Pellizzarius *tract. 4. cap. 2. num.* 325. cum
379 enim hic non interveniat culpa mortalis, non da-
tur obligatio restituendi, etiam sub veniali; nam
obligatio de materia gravi non potest esse, nisi sub
culpa gravi, præterquam quod illa damna censen-
tur illata quasi fortuito: Lessius, & alii, quos re-
fert, & sequitur Pelliz. *ubi suprà*.

380 An autem ille, qui talem rem sic bona fide da-
tam bona fide accepit teneatur restituere? Respon-
deo teneri, si res extet, quod si jam fuerit consum-
pta, tenebitur ad id, in quo factus est ditior. Lu-
go *de justit. disput. 3. sect. 8. num.* 168. licet aliqui
apud Fagundez *in 7. Decal. cap. 5. num* 36. abso-
lutè doceant illum, qui à Religioso res datas bona
fide accepit, non teneri ad restitutionem, si res
jam non extat, quamdiu bona fides extat. Undè
advertant confessarii ne injiciant scrupulos pœni-
tentibus, qui bona fide acceperunt, & possident:
quamdiu enim bona fide possident, possunt dissi-
mulare. Fagundez *in 2. præcepto Ecclesiæ lib. 8. cap.
6. num.* 16.

381 Dico II. Religiosus, qui res aliquas in materia
gravi dedit absque ulla licentia, non tenetur eas in
defectu acceptantis restituere, nisi habeat res, vel
redditus, aut peculium de quo ille possit ad alios 382
usus disponere. Fagundez. Alphons. à Leone, quos
refert, & sequitur Pellizzarius *tractatu 4. cap. 2. nu-
mero* 321. nemo enim tenetur ad impossibile. Un- 383
dè non tenetur de cibo, potuque aut aliis necessa-
riis sibi subtrahere, cum hoc non possit præsumi, de
benignitate Prælatorum. Ita DD. citati.

Dixi, *nisi habeant redditus, & peculium, aut a-
lias res*; nam in casu, quo quis accepit, nolit resti- 384
tuere, tenebitur Religiosus ex talibus rebus resti-
tuere; Lugo *ubi suprà*. quod si talem restitutionem
ex proprio peculio non possint facere absque no-
ta, & infamia, tunc poterit emere res Conventui
necessarias non manifestato titulo, imò etiam aliàs
non præcisè necessarias, sed utiles ad ornatum Ec-
clesiæ, vel bibliothecæ, non enim aliud præsumi
potest de voluntate Prælatorum: liberabitur etiam
ab onere restitutionis, si is, qui res ab illo accepit,
tantumdem illi donet, sive in remunerationem, si-
ve liberaliter, cum Monasterium tantundem reci-
piens nihil inde damni recipiat; Ita Pellizzar. *ubi
suprà num.* 336. 385

Liberabitur præterea à prædicto onere, si id 386
quod donavit erat ex illis, quæ ille in alios usus
convertere poterat, cum indè nullum Monasteri-
um acceperit damnum: vel etiam per condonatio-
nem Prælati; Lugo *disput. 3. de just. num.* 168. Vel 387
tandem, si curet, ut amicus, qui tantumdem de- 388
creverat dare in eleemosynas prædicto Conventui,
det illud eo fine, ut eum ab ista obligatione libe-
ret. Pellizzarius *ubi suprà numero* 330. Ratio est,
quia Religiosus potest bona sibi oblata in bonum 389
commune Monasterii sibi ex justa causa procurare
in privatum commodum suum, ut tenet Fagun-
dez *in 2. præcepto Ecclesiæ lib. 8. cap. 6. num.* 19. sed
hic datur justissima causa hoc faciendi, ergò opti-
mè potest procurare, ut amicus eleemosynam,
quam daturus erat Conventui, in restitutionem
pro eo tribuat.

Sed quæres, an recipientes aliquid à Religioso 390
ad usus illicitos, & turpes, teneantur ad restitutio-
nem? Respondeo, quod vel Religiosus habebat li-
centiam ad distribuendum peculium, sive res sibi
concessas pro suo libito, vel tantum limitatè ad u-
sus licitos; si tantum habebat ad usus licitos, cer-
tum est teneri tales res accipientes ob turpia ad re-
stitutionem; Ita communiter DD. Poterunt ta-
men excusari à restitutione, si Religiosus, qui rem
ob turpia dedit, mutet intentionem, & illam det
titulo paupertatis, vel ob alium titulum honestum;

cùm aliàs habeat licentiam ad usus licitos; Ita
Lugo, quem refert, & sequitur Pellizzar. *ubi supra num.* 347.

392 Si tamen Religiosus habebat licentiam absolu-
tam ad distribuendum tales res ad libitum suum,
tunc probabile est recipientes non teneri ad resti-
tutionem; Ita Bannes, Lopez, Rebel. Salas,
Diana quos refert, & sequitur Lugo *de justitia di-*
sputatione 3. *numero* 142. Ratio autem est, quia
Religiosus est sicut filius familias respectu Præla-
ti, at si filius familias habeat facultatem à Patre a-
liquid expendendi liberè, & in usus illicitos ex-
pendat, factum tenet; ut docet Molina *Tomo* 1. *di-*
sputat. 242. *de justitia*: ergò idem dicendum erit
de Religiosis.

Et hinc colliges, ludentem cum Religioso,
393 qui tantum habebat licentiam ad expendendum
ludo certam summam & lucrantem ultrà illam
quantitatem, pro qua Religiosus poterat ludere,
teneri ad restitutionem illius excessus; Ledesma,
Alcozer, quos refert, & sequitur Lezana *Tomo* 1.
394 *capite* 6. *numero* 52. Et idem dicendum est de Re-
ligioso ludente ultrà quantitatem, pro qua pote-
rat ludere, si contingat ipsum lucrari; Salon, Va-
lentia, quos refert, & sequitur Belasius *verbo* lu-
395 dus *numero* 5. siquidem qui non potest perdere,
non potest lucrari, licet satis probabile sit Reli-
giosum non teneri ad restitutionem illius, quod
lucratus fuit ultrà illam quantitatem, quam per-
dere poterat, nam contractus à Religioso sine li-
centia initus potest postea sustineri à Prælato,
396 quatenus cedit in ejus utilitatem; Ita Sanchez,
Lugo, quos refert, & sequitur Pellizzarius *tracta-*
tu 4. *capite* 2. *numero* 225. quod verius est,
quando, qui ludebat cum Religioso sciebat illum
non posse perdere ultrà illam quantitatem, nam eo
ipso censetur cedere juri suo, ut possit perdere, &
non lucrari, cum scienti, & volenti nulla fiat in-
juria; Ita Angel. Sairus, quos refert & sequitur Le-
zana *ubi suprà num* 52.

Secus dicendum est, de ludente cum Religio-
397 so, qui habet licentiam generalem à Prælato ex-
pendendi certam pecuniam pro suo libito; nam si
eam lucratus fuerit non tenetur ad restitutionem;
Ita ut probabile admittunt Salas, Alcozer, Angel.
Lopez, Medina, Rebel. Lessius, Fagundez, Lugo,
quos refert, & sequitur Pellizzarius *Tractatu* 4. *ca-*
pite 2. *sectione* 4. *numero* 347. propter rationem su-
prà positam.

Nec obstat, quod Prælatus non possit dare li-
centiam ad usus illicitos, qualis est perdere illam
summam.

Respondetur namque Prælatum, & validè, &
licitè posse dare talem licentiam; Ita Lugo *disput.*
3. *de justitia numero* 143. potest validè, quia nulli-
bi sublata illi est talis facultas, ut latè probat Lugo 398
loco citato, quod autem licitè possit etiam dare ta-
lem licentiam, etiam liquet: quia Prælatus non dat
licentiam, ut illam pecuniam expendat in usus
turpes, hoc enim esset cooperari peccato illius; sed
in genere, ad quemlibet usum; unde quantum est
ex parte sua aufert impedimentum, ut usus ille illi-
citus voto paupertatis non adversetur ex defectu
licentiæ; Ita Lugo *ubi suprà*.

Et hæc de religiosæ paupertatis voto dicta suf-
ficiant: circa quod si quis fusiorem adhuc ple-
nioremque notitiam desideret, haurire illam pote-
rit è sæpius laudato nostri Venerabilis P. Thomæ
à Jesu opere integro de *voto paupertatis*, seu *Com-*
mentariis in Cap. Non dicatis. ubi etiam reperietur
in 4. parte, duobus postremis capitibus, quod nos tan-
gere supersedimus; scilicet: qua ratione se gerere
debeant Religiosi, in usu illorum, quæ iis conce-
duntur, ne paupertatis votum transgrediantur: &
qualis esse debeat cura Officialium monasterii cir-
ca res sibi commissas, *&c.*

Unum quoque à nostris studiosè animadverti
optarem, pro tota hac materia de paupertate reli-
giosa, cunctisque supradictis in hac disputatione:
videlicet, complura apud alias Religiones licita
esse ac permissa, quæ apud nos, ob strictissimum
quem profitemur, paupertatis cultum, propriasque
nostras leges ac decreta Comitiorum generalium,
minimè licita sunt ac permissa. Undè non omnes
opiniones probabiles in hac materia, mox à no-
stris amplectendæ sunt ac practicandæ, sed pro-
priæ nostræ Leges circa hæc attendendæ,
ne quis erret, aut deci-
piatur.

***

DISPU-

DISPUTATIO V.

De voto religiosæ castitatis.

Quid sit castitas religiosa, & quam obligationem inducat?

1 *In quo consistat virtus religiosæ castitatis?*

2 *In quo conveniant, & differant votum simplex, & solemne castitatis?*

3 *In quo consistat votum castitatis, quod emittunt Equites militares?*

4 *Omnis actus venereus prohibitus extra conjugium, sæcularibus sive sub mortali, sive sub veniali, Religiosis etiam est prohibitus ex vi voti.*

5 *Illud quod aliquando in sæcularibus est veniale, in Religiosis est mortale, ratione scandali.*

6 *Votum solemne castitatis dirimit matrimonium ratum non consummatum.*

7 *Quando censeatur matrimonium consummatum?*

8 *Quid si vir, vel mulier non seminet?*

9 *Votum solemne castitatis non dirimit matrimonium consummatum.*

10 *Votum simplex castitatis non dirimit matrimonium ratum antecedens.*

11 *Dirimit tamen jure novo in Patribus Societatis, primæ professionis matrimonium subsequens.*

12 *Votum simplex, & solemne castitatis, non differunt specie inter se.*

13 *Solemnitas voti, non est necessariò explicanda in confessione.*

14 *Qui habens votum castitatis, emittit votum non se polluendi, non committendi alia peccata contra naturã, non tenetur hanc circumstantiam secundi voti in confessione explicare.*

15 *Religiosus sacerdos non tenetur in peccatis carnis circumstantiam sacerdotii explicare.*

16 *Satis est, si dicat se violasse votum castitatis.*

17 *Generalis Religionis, secluso scandalo non tenetur in peccatis carnis circumstantiam Generalatus explicare.*

18 *Idem dicendum est de Episcopo, sed satis est, si dicant se habere votum castitatis.*

19 *Religiosus non tenetur dicere in confessione, se esse Religiosum, vel professum, vel Sacerdotem, sed satis est, si dicat se habere votum castitatis.*

20 *Quid si dentur peccata reservata in Religione?*

21 *Fœmina soluta peccans cum sacerdote, vel subdiacono, vel professo, satis est si dicat, se peccasse cum habente votum castitatis.*

22 *Si Religiosus peccavit cum Religiosa, tenetur, & suum, & complicis votum explicare.*

23 *Idem dicendum est, si se polluit tactibus Religiosi, aut clerici, vel ipse causa fuit, ut alter pollueretur.*

24 *Qui est causa inducens alios ad turpiter peccandum, non tenetur circumstantiam sui voti explicare.*

25 *Votum solum obligat voventem, ne in sua persona venereas delectationes admittat.*

26 *In violatione voti castitatis, non datur parvitas materiæ.*

27 *Complacentia de quocumque objecto mortali semper est mortalis.*

28 *Implicat, quod detur pollutio leviter inchoata.*

29 *Amplexus, oscula, & tactus ob delectationem veneream indè consurgentem, sunt peccata lethalia.*

30 *Levis manuum fœminæ contactus, vel levis pressio pedis ob delectationem veneream est lethale.*

31 *Amplexus, oscula, & tactus ob delectationem veneream, inter personas ejusdem sexus sunt graviora peccata mortalia, quàm inter personas diversi sexus.*

32 *Oscula, amplexus, & tactus inter sponsos de futuro ob delectationem veneream sunt lethalia.*

33 *Oscula, & tactus, si non fiant juxta pudenda, tam inter personas ejusdem, quam diversi sexus, non sunt mortalia si fiant solum ob vanitatem, vel levitatem, sed tantum venialia.*

34 *Aspectus, & tactus, si fiant in pudendis inter personas diversi sexus semper sunt mortalia, etiamsi fiat tantùm ob vanitatem.*

35 *Si fiant inter personas ejusdem sexus, aliquando excusari poterunt à mortali, sed raro.*

36 *Oscula, & amplexus secundum morem patriæ sunt licita.*

37 *Quid si à juvene libidinosè fiant?*

38 *Delectatio naturalis, quæ provenit ex tactu, & visu corporis proprii, vel alieni, non est mala per se loquendo.*

39 *Tactus rei blandæ, & visus rei pulchræ naturaliter delectant.*

40 *Aspectus deliberatus pulchræ mulieris, vel elegantis juvenis, ob delectationem veneream, est peccatum mortale.*

41 *Non tamen si fiat ex curiositate, vel levitate.*

42 *Aspicere verenda mulieris ex sufficienti deliberatione, etiam si fiat ob vanitatem est mortale.*

43 *Secùs dicendum est de aspiciente nuda pectora, crura, vel brachia fœminarum, si tantùm fiat ob vanitatem.*

44 *Secùs si fiat ad captandum delectationem veneream.*

45 *Aspiciens personam ejusdem sexus nudam ob curiositatem, vel levitatem tantum, est veniale.*

46 *Erit tamen mortale, si fiat ob delectationem veneream.*

47 *Videre concubitum viri cum fœmina, etiamsi fiat ob vanitatem, semper est mortale.*

48 *Videre coitum brutorum, ob solam curiositatem, vel levitatem tantùm, est veniale.*

49 *Videre talem coitum ob veneream delectationem, est mortale.*

50 *Fricare seipsum deliberatò, ob delectationem veneream, est mortale.*

51 *Si fiat ad sedandum pruritum, non est peccatum, etiamsi prævideatur pollutio, absque tamen consensu.*

52 *Tangere aliorum pudenda ex necessitate, ut faciunt chirurgi, vel medici, non est peccatum.*

53 *Infirmus non tenetur pati hujusmodi curationem, maximè si fuerit mulier, seu Virgo.*

54 *Audire, canere, vel dicere verba turpia ob veneream delectationem, est mortale.*

55 *Idem dicendum est, de verbis amatoriis, propter eandem delectationem.*

56 *Audire comœdias, vel cantilenas lascivas ob delectationem veneream, est mortale.*

57 *Prædictas comœdias, vel cantilenas componere, est peccatum mortale.*

58 *Legere libros, vel res inhonestas ob delectationem veneream indè consurgentem, est peccatum mortale.*

59 *Facere hæc omnia ex curiositate, vel ob levitatem, vel vanitatem tantùm, est veniale.*

60 *Hoc peccatum non est veniale in genere luxuriæ, sed quia sunt actiones inordinatæ, contra rectam rationem.*

61 *In Religiosis prædicta efficere, semper est mortale, si detur scandalum.*

62 *Non tamen, secluso scandalo, etsi tantùm fiant ob vanitatem.*

63 *Religiosus delectando se morosè de actibus venereis, peccat mortaliter, contra votum castitatis.*

64 *Religiosus delectando se de copula conjugali, quam habuit antequam esset Religiosus, peccat mortaliter, contra votum castitatis.*

65 *Religiosus potest gaudere de copula habita cum esset uxoratus, & illam approbare, seclusa tamen omni delectatione venerea.*

66 *Peccatum Religiosi contra castitatem, seu lapsus carnis voluntarius opere consummatus, reservari potest à superioribus regularibus.*

67 *Quid intelligatur per lapsum carnis opere consummatum?*

68 *Per lapsum carnis opere consummatum non intelliguntur oscula, tactus impudici, literæ, munuscula.*

69 *Quas pœnas incurrant Regulares crimen nefandum committentes?*

70 *Quid per nefandum crimen intelligatur?*

71 *Probabile non est omnia peccata contra naturam non differre inter se specie, sed tantùm modaliter.*

72 *Ut Regulares incidant in prædictas pœnas requiritur, quod pluries hoc crimen committant.*

73 *An ad hoc, ut Inquisitores de illo cognoscant in hoc regno, sufficiat, semel tantùm fuisse commissum?*

74 *In Lusitaniæ regno Inquisitores non cognoscunt de Sodomia privative, quoad Regulares, & Ecclesiasticos, sed tantùm cumulativè, sicut respectu judicum sæcularium.*

75 *Ut prædictæ pœnæ, & aliæ incurrantur, requiritur, quod actus Sodomiticus sit consummatus intra vas præposterum.*

76 *Qui postquam incepit actum Sodomiticum extrahit membrum, & extra vas ex malitia seminat, prædictas pœnas non incurrit.*

77 *Qui habuit tantùm pollutionem voluntariè causatam cum alio, sive inter crura, sive in alio cor-*

corporis loco extra anum , non incurrit prædictas pœnas.

78 *De isto crimine mollitiei non possunt cognoscere domini Inquisitores in hoc regno.*

79 *Nec de crimine bestialitatis.*

80 *Committens crimen bestialitatis, non incurrit pœnas Bullæ Pii V.*

81 *Peccantes cum fœmina per vas præposterum committunt verum crimen Sodomiæ, & afficiuntur pœnis Sodomitarum.*

82 *Uxori asserenti, se per hoc crimen fuisse à suo marito violatam, non est credendum.*

83 *Idem dicendum est de puero , affirmante se fuisse corruptum.*

84 *Dictum minoris asserentis , se fuisse tentatum de hoc crimine contra naturam, non facit fidem, nec indicium contra attentatorem, nisi concurrant aliæ circumstantiæ , & præsumptiones.*

85 *Attentantes hoc nefandum crimen Sodomiæ, non incurrunt prædictas pœnas, quantumcumque affectus sit manifestatus, & valde actui huic proximus, si effectus non fuit secutus.*

86 *Prædicti attentatores puniendi sunt mitiori pœna, quàm perfecti Sodomitæ.*

87 *Leges pœnales non debent ampliari ultrà id quod sonant.*

88 *In his legibus solùm est sermo de his, qui Sodomiam committunt.*

DIco I. Castitatem religiosam esse virtutem
1 qua Religiosus promittit Deo, sese cohibiturum ab omni delectatione venerea , tàm licita , quam illicita; Ita communiter DD. Dixi, *quia Religiosus promittit* Deo, ut innuerem in hac definitione comprehendi non solum votum solemne castitatis, sed etiam simplex; sicut enim votum solemne privat Religiosum ab omni actu venereo
2 tam licito, quam illicito; ita etiam votum simplex hac solùm differentia, quod votum solemne privat ab omni actu venereo etiam licito, inhabilitando in perpetuum ad matrimonium, non verò simplex , sed solùm dum Religiosus detinetur in Religione, siquidem votum simplex castitatis licet ex parte promittentis sit perpetuum, & de jure novo inhabilitans ad matrimonium, ut patet ex Bulla Gregorii XIII. *Ascendente Domino*, pro Patribus Societatis , non tamen ex parte Prælati, qui adhuc potest liberum ab illo dimittere Religiosum; Suarez *Tomo 3. de Religione, libro 2. capite 11. numero 2.*

Dixi, *ab omni actu venereo, tam licito, quàm illicito* , ut innuerem in hac definitione non com- 3
prehendi votum castitatis, quod emittunt Equites militares, cum ipsi tantùm voveant abstinere ab omni actu venereo illicito , non tamen licito, siquidem possunt ducere uxores. Dixi tandem, *ab omni actu venereo illicito*, ut innuerem omnem actum, qui extrà conjugium est prohibitus sæcu-
laribus, sive sub mortali, sive sub veniali, in Reli- 4
giosis esse etiam prohibitum ex vi voti, hac solùm differentia, quod illud quod aliquando in sæcularibus est tantùm veniale, verbi gratia, verbum inhonestum, & quid simile, in Religiosis est mortale, ratione scandali, ac per consequens est sacrilegium; Lessius *lib. 2. de justit. cap. 41. dubio 9. nu-*
mero 18. qui autem actus sint prohibiti jure natu- 5
rali in hac materia , non est hujus loci explicare, cum hoc ad materiam de sexto præcepto pertineat, quæ ideò ad eum locum reservo.

Dico II. Votum solemne castitatis dirimit ma-
trimonium ratum non consummatum. Est de fide 6
definita *in Trident. sess. 24. can. 6.* consummatur autem matrimonium per utriusque conjugis semi-
nationem in proprio vase; quod si vir, vel mulier 7
non seminet, probabile est non dari matrimonium
consummatum, etsi unus seminasset, & sic posset 8
quilibet ex illis profiteri in Religione; Ita Sanchez, & alii plures, quos refert & sequitur Diana,
5. p. tra. 13. resol. 54. non tamen dirimit matrimo- 9
nium consummatum.

An autem votum simplex castitatis habeat eam- 10
dem vim? Respondeo negativè; dirimit tamen matrimonium subsequens non de jure antiquo, ut suprà diximus, sed de jure novo, in citata Bulla, *Ascendente Domino*, pro patribus Societatis; dirimit tamen sponsalia, quod à fortiori dicendum est
de voto solemni; Ita Suar. *Tom. 3. de Relig. libro 9.* 11
cap. 7. & noster Gabriel à S. Vincentio in suo opere de Sacramentis *4. part. de Matrim. disp. 5. quæst. 1. & 2. & disp. 6. quæst. 6.* ubi etiam fusius disputat, an solo jure Ecclesiastico, an verò jure divino naturali votum solemne matrimonium dirimat; & hanc secundam partem validissimè ex S. Thoma & ejus discipulis, rationibusque confirmat.

Dico III. Votum solemne, & simplex casti-
tatis , non differunt specie; undè solemnitas 12
voti non est necessario in confessione declaranda; Ita Sanchez, *libro 7. de matrimonio. disputatione 27.*
& libro 5. Decal. cap. 6. numero 14. Ratio autem 13
est, quia utrumque votum eamdem virtutem Religionis respicit.

Hinc fit, quod si quis habens votum solemne
castitatis emittat etiam simplex non polluendi,
non fornicandi, non peccandi contra naturam *&c.*
14 non teneri explicare hanc circumstantiam in con-
fessione; nam cum illa vota sint ejusdem speciei,
solùm diversificantur accidentaliter; Sanch. *lib.* 7.
de matrim. disp 27. Lezana *Tomo* 1. *cap.* 5. *num.* 9.
quidquid alii dicant.

Item religiosus Sacerdos non obligatur in pec-
15 catis contra castitatem explicare in confessione Sa-
cerdotium, sed satis est, si dicat se violasse votum
16 castitatis; Sanchez *ubi suprà* Thomas Tamburin.
in methodo confessionis libro 2. *cap.* 7. § 5. *numero* 2.
Diana quem refert, & sequitur Bordon. *in decisio-
nibus decis.* 479. versu *sacrilegium.* Hinc Generalis
17 Religionis ex hoc capite, nam si adsit aliorum
scandalum aperiendum esset, in fornicatione, ver-
bi gratia, non obligatur manifestare se esse Gene-
18 ralem, vel Episcopum, sed satis est, si votum tan-
tummodo manifestet; Sanch. *disp.* 27. *de matrim.
lib.* 7. *num.* 33. quidquid dicat Fagund. 4. *in* 2.
19 *præcepto Ecclesiæ cap.* 3. *nu.* 8. Hinc Religiosus non
est obligatus explicare in confessione se vel Reli-
giosum esse, vel professum, vel Sacerdotem, nisi a-
liàs ratione reservationis, si fortè detur, sed satis est
20 si explicet votum. Hinc femina soluta, v. g. pec
cans cum Sacerdote, vel sub-diacono, vel tantum
21 professo, vel habente votum biennii Societatis, vel
etiam vota simplicia nostrorum Donatorum, suf-
ficit, si diceret, in confessione se cum eo, qui vo-
to castitatis obstrictus erat, peccasse propter eam-
dem rationem.

Dico IV. Si Religiosus peccavit cum Religiosa,
22 non solùm tenetur explicare ex parte sua votum,
sed etiam se peccasse cum habente votum castita-
tis; Ita Lugo *disp.* 16. *de pœn. sect.* 5. *n.* 258. Thomas
23 Tambur. *ubi sup n.* 45. Ratio hujus est, quia tunc
duo sunt commissa peccata: alterum quo quis pec-
cat in sua persona, alterum quo cooperatur cum a-
lia, ut illa in propria persona peccet.

Idem dicendum est, si se pollui permisit tactibus
Religiosi, vel clerici, vel ipse suis tactibus alicui
causavit pollutionem; nam etiam in hoc casu te-
netur explicare circumstantiam voti sui, & com-
plicis, quidquid dicant aliqui apud Dianam 7. *p.
tract.* 11. *resol.* 27. *& p.* 9. *tract.* 9. *resolut.* 95; Ita
Trullenc. *in Decal. Tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 1. *dubio* 8. §.
1. *num.* 2. Diana *ubi suprà*, Caramuel *in Theologia
fundamen. fundam.* 51. *num.* 7. Homo enim cum a-
lium tangit, tangitur, & cum ad pollutionem ali-
um excitat, ad pollutionem excitatur: ergò sicut
una, ita & altera persona sacra violatur; Tancred.
Tomo 4. *tract.* 2. *q.* 115.

An autem, si quis habens votum castitatis sit
causa inducens alios ad turpiter peccandum debeat 24
explicare se habere votum castitatis v. g. Petrus
Religiosus dedit consilium, vel inducit Petrum &
Antonium nullo voto obstrictos ad illicitum con-
gressum, debetne Religiosus ille cum eam indu-
ctionem fatetur, explicare se esse Religiosum? Re-
spondeo non debere; Ita Sanch. *in Decal. lib.* 5. *cap.*
6. *n.* 10. Thomas Tambur. *lib.* 2. *cap.* 7. §. 5. *n.* 33.
Ratio est, quia votum non videtur se extendere, 25
nisi ad obligandum voventem, ne ipse in sua per-
sona delectationes admittat, non verò ne alios ad
easdem inducat, propriam enim, suamque casti-
tatem promisit, non alienam.

An autem in aliquo casu excusari possit à mor-
tali violatio castitatis ratione parvitatis materiæ.
Affirmat Caramuel *multis in locis*, præcipuè *in
Theologia fundamentali fundam.* 58. *numero* 1. ubi
citat pro hac sententia Sanchez, Sales, Sanar-
dum, Villalob. Maldeum, Freitam, Sancti-
um *in Selectis*, Mirand. Bassæum, Navar. Vas-
quez, Marchantium, & alios multos, ubi etiam
conatur ostendere, hanc fuisse sententiam Dianæ
multis in locis; qua autem ratione ipsi viderint;
assignant verò aliqui ex suprà dictis pro materia
parva, levem manuum feminæ contactum, pe-
dis impulsum, osculum, & similia, sublato ulte-
riori periculo: ita tradit Caramuel *ubi suprà nu.* 3.
ubi assignat pro materia gravi illam delectatio-
nem, qua octies major, sufficeret semen decidere, &
pro materia levi, illam delectationem, quæ sit mi-
nor octava parte delectationis completæ, ni aliud
periculum subsit.

Verùm à contraria sententia nequaquam rece- 26
dendum esse existimo. Hanc tenent Sanch. prio-
rem mutans sententiam, Rebellus, Lessius, quos re-
fert & sequitur Belasius, *verbo* castitas *n.* 11. Ma-
chadus, Texeda, & alii, quos refert, & sequitur
Diana 7. *p. tra.* 11. *resol.* 28, *&* 5. *p. tra.* 5. *resolut.* 55.
Candidus *Tomo* 1. *disquisit.* 11. *art.* 1. *dub.* 9. & no-
stri Salmanticenses *Tom.* 4. cursus sui Theol. qui
est 2. *in l.* 2. *S. Thom. tract.* 13. *disp.* 10. *in Append.
num.* 267. quos ibidem non sine fructu consulere
poteris, & alii communiter, estque hæc senten-
tia conformis motui proprio summorum Pontifi-
cum CLEMENTIS VIII. & PAULI V. qui Inquisi-
toribus fidei denuntiare jusserunt, asserentes non
committi crimen lethale contra castitatem in os-
culis, amplexibus, tactibus, & aspectibus li-
bidino-

bidinosis, ut testatur Candidus *ubi suprà* cum Sanchez *in* 5. *Decalogi. capite* 6. *numero* 12. Imò Baldellus, & Texeda apud Dianam 5. *par. tract.* 5. *resol.* 5. testantur CLEMENTEM VIII. definiisse in officio sanctæ Inquisitionis in rebus venereis, non dari parvitatem materiæ, qua definitione existente, nescio quomodo auctores possint contrariam sententiam defendere.

27 Ratio autem nostræ sententiæ est, quia complacentia de quocumque objecto mortali, ut de homicidio, furto, & similibus, quantumvis modica, si sit deliberata, semper est lethalis, sed quæcumque delectatio venerea, quantumvis modica, si sit deliberata, semper est complacentia de fornicatione, sive naturali, sive contra naturam, ad quam per se ordinatur, & à qua totam malitiæ rationem habet, ut colligitur ex D. Thoma 1. 2. *quæst.* 11. *artic.* 1. *ad* 3. & 2. 2. *quæst.* 154. *artic.* 4. ergò quantumcumque minima semper est lethalis.

Confirmatur, quia delectatio venerea, teste Galeno *li.* 4. *de usu partium ca.* 9. & 10. fit ex motu substantiæ seminis descendentis ad partes obscœnas, ex commotione spirituum vitalium generationi deservientium, quod est, quasi pollutio inchoata, atqui omnis actus inchoatus pollutionis est mortalis: ergò quæcumque delectatio venerea deliberata erit etiam mortalis.

Nec vim hujus rationis enervat solutio, quam tradit Caramuel in *Theologia fundamentali fundam.* 58. *numer.* 2. ubi respondet, quod solus actus pollutionis, qui graviter est inchoatus, est peccatum mortale, non verò, qui tantum leviter est inchoatus. Nam contra hoc est, quod sicut implicat, quod detur actus fornicationis leviter inchoatus, ita & actus pollutionis, non enim minus prohibitus est
28 jure naturæ actus pollutionis, quàm fornicationis, sed implicat, quod detur actus fornicationis leviter inchoatus: ergò & actus pollutionis, non enim apparet major ratio; nam sicut fornicatio inchoata est vera fornicatio, & ideò peccatum lethale, ita & pollutio inchoata.

Et ex hac resolutione sequitur decisio plurimo-
29 rum casuum, quos breviter decurram. *Primùm* amplexus, tactus, & oscula habita inter virum, & fœminam solutos propter delectationem veneream consurgentem ex ipsis in appetitu sensitivo, quamvis nec de fornicatione, nec de illius delectatione cogitetur, esse peccata mortalia; hæc namque per se ordinantur ad copulam; Ita cum Cajetano, & Tabiena Candidus *disquisit.* 11. *art.* 1. *dub.* 1. *dicto* 2.

Idem dicendum est de tactu levi, ut manum fœminæ, pedem, vel brachium premere, vel digi-
tos vellicare, &c. nam si hi actus fiant ob dele- 30
ctationem veneream, quæ indè consurgit sunt peccata mortalia; quia delectatio illa venerea modica sufficiens materia est ad constituendam cul-
pam mortalem; Ita cum Sanc. Candid. *sup. dub* 9. 31

Et idem à fortiori dicendum est de osculis, amplexibus, & tactibus etiam levibus, propter eamdem delectationem habitis inter personas ejusdem sexus, ut inter duos viros, vel duas fœminas; sunt namque graviora peccata lethalia, quàm inter personas solutas diversi sexus, illa namque suapte natura tendunt ad peccatum mollitiei; Dicastillus *de justit. lib.* 1. *disputat.* 3. *dub.* 15. *numer.* 221. Candidus *ubi suprà dub.* 3.

Idem dicendum est de osculis, amplexibus, &
tactibus habitis inter sponsos de futuro, si causa de- 32
lectationis venereæ fiant, etiam citra periculum pollutionis, est enim adhuc illa fœmina simpliciter aliena, & incapax copulæ, ergò incapax eorum, quæ prævia sunt, aut initium illius; Dicastillus *ubi suprà num.* 217. Sotus, Paludanus, quos refert, & sequitur Candidus *ubi suprà dub.* 5. *dicto* 8. quidquid aliqui in contrarium probabiliter dicant, quos ipsi citant.

Adverte tamen dicta non procedere de ample- 33
xibus, tactibus, & osculis habitis joco, causa vanitatis, vel levitatis, vel alia simili absque delectatione venerea; nam hæc si non fiant circa partes impudicas tantum sunt peccata venialia; Cajetan. Graffius, Navar. quos refert, & sequitur Cand. *ubi suprà dub.* 2. & 3. estque communis sententia, ut videre est apud Rebellum 2. *part. lib.* 3. *quæst.* 19. *sectione* 3.

Hinc fit levem manuum contactum, vellicatio- 34
nem digiti, pedis impulsum frequenter non esse mortale, quia non ob delectationem veneream, sed ex levitate fiunt; Cajet. 2. 2. *quæst.* 54. *artic.* 4.

Si verò tactus, vel aspectus fiat circa, vel in ipsis partibus impudicis, quas natura ordinavit ad generationem, excusari non possunt à mortali, si fiant inter personas diversi sexus, etiam si ob solam
levitatem fiant, propter periculum; Sanch. & alii, 35
quos refert, & sequitur Dicastillus *de justit. lib.* 1. *disp.* 3. *dub.* 15. *num.* 213.

Si autem fiant inter personas ejusdem sexus aliquando possunt excusari à mortali, si tantum ob vanitatem, vel levitatem fiant, hoc tamen rarum est, frequentius namque, at ferè semper erunt mortale saltem propter periculum adjunctum; Sanch. quem refert, & sequitur Dicastil. *ubi suprà n.* 214.

Oscula

Oscula, verò, & amplexus habiti ob urbanita-
36 tem in signum amicitiæ, & benevolentiæ, si non
sint circa partes pudendas, sed secundum morem
patriæ, sunt licita; Dicastillus *de justit. lib.* 1, *dispu-
tatione* 3. *dubio* 15. *numero* 213. quod si habeantur
37 ab aliquo juvene libidinosè, & mala intentione,
tunc si sunt in publico coram aliis, mulier non te-
netur resistere, quoniam hoc esset peccatum alteri-
us prodere, & scandalum præbere aliis malum a-
38 liquod suspicandi; Armilla, quem refert, & sequi-
tur Candidus *ubi suprà num.* 4.

Item si placeat tactus, aut visus corporis pro-
prii, vel alieni solum ob proportionem, vel conna-
turalitatem cum organo tactus, aut visus non erit
peccatum per se loquendo; nam ut ait Sanch. *libro*
5. *Decalogi capite* 6. *numero* 13. tactus rei blandæ,
39 & visus rei pulchræ, organa visus, & tactus natu-
raliter delectant; ita cum aliis Dicastillus *ubi sup.
numero* 213.

40 Sequitur *secundò*, aspectus pulchræ mulieris,
vel elegantis juvenis, si adsit in tali aspectu dele-
ctatio deliberata sensitiva excitans motus carnis,
41 & concupiscentiæ, esse culpam lethalem, licet ali-
às actus venereus non intendatur; nam talis dele-
ctatio sensitiva excitans motus carnis, & concu-
piscentiæ suapte natura ordinantur ad actum ve-
nereum; Armilla, quem refert & sequitur Candi-
dus *disquisit.* 11. *art.* 2. Dicastillus *de justit. libro* 1.
42 *disput.* 3. *numero* 262. quidquid in contrarium
dicant Azor. Cajetan. Sanch. Medin quos refert,
& sequitur Candidus *ubi suprà.* Adverte tamen
quod aspicere verenda mulieris ex sufficienti deli-
beratione, etiamsi fiat ob solam curiositatem, &
pro brevi tempore semper esse mortale, quia talis
aspectus multum incitat ad libidinem, unde ratio-
ne periculi semper erit peccatum mortale.

43 Secùs dicendum existimo, de aspiciendo nuda
pectora, crura, vel brachia fœminarum, si fiat ob
solam vanitatem, vel curiositatem; nam tunc tan-
44 tum erit peccatum veniale: secùs si fiat ob delecta-
tionem veneream inde consurgentem, nam tunc e-
rit peccatum mortale, cum in hac materia non de-
tur parvitas; Rebellus, quem refert, & sequitur
Candidus *ubi suprà dub.* 2.

Et idem dicendum est, de aspiciente personam
45 ejusdem sexus nudam; nam si fiat ob solam vani-
tatem, vel curiositatem non erit mortale. Navar.
46 quem refert & sequitur Candidus *ubi suprà dubio*
2. secus verò si fiat ob delectationem veneream;
Candidus *ibidem.*

47 Secus dicendum est de vidente concubitum viri
cum femina; nam cum hic aspectus maximè ad li-
bidinem incitet, etiamsi fiat ob curiositatem, vel
levitatem saltem ratione periculi, semper erit pec-
catum mortale; Navar. *in summa cap.* 23. *num.* 28.
Candidus & Dicastillus *ubi suprà.* Coitum verò
brutorum aspicere non est communiter lethale, si 48
ex tali aspectu deliberatè non suboriatur delecta-
tio venerea; nam si illa sequatur, esset peccatum
mortale: cum in hac materia non possit dari dele-
ctatio, quæ sit deliberata, & sit venialis; ita Can- 49
didus *ubi suprà dub.* 2.

Sequitur *tertiò*, quod etiam sit peccatum mor-
tale seipsum deliberatè fricare ob delectationem 50
veneream indè consurgentem; ita cum communi
sententia Dicastillus *de justit. disp.* 3. *lib.* 1. *dub.* 17.
n. 254. Dixi, *si fiat ob delectationem veneream*; nam 51
si fiat ad sedandum pruritum, etiam circa verenda,
non erit mortale, etiamsi fieret cum periculo pol-
lutionis, non tamen consensus; ita cum mul-
tis Sanch. quem refert & sequitur Dicastillus *ubi
suprà num,* 254.

Idem dicendum est de aspiciente, vel tangente
aliorum verenda ex aliqua necessitate, ut fit à me- 52
dicis, & chirurgis; nam talis actus, & aspectus, si
fiat secluso consensu turpi, non erit mortalis, licet
aliàs suboriatur aliqua delectatio, & commotio
venerea, quia id est plenè involuntarium; ita
communiter DD. apud Dicastillum *suprà numero*
264. non tamen tenetur infirmus pati hujusmodi
tactus, præsertim si fuerit mulier, & maximè vir-
go à viris in locis secretioribus; Ita Navar. & alii, 53
quos refert & sequitur Dicastillus *suprà num.* 264:
nemo enim tenetur admittere curationem, à qua
non minus abhorret, quàm ab ipso morbo; vel
morte, ut ait Lessius.

Sequitur *quartò.* quod audire, canere, vel dicere 54
verba turpia, ob delectationem libidinosam ex eis
sic dictis, vel auditis consurgentem, esse peccatum
mortale; Ita cum D. Antonin. Armilla, & aliis
Candidus *ubi supra dubio* 2. quidquid in contrari-
um dicat Bonacina *de matrim. q.* 4. *p.* 9. & idem
dicendum est de verbis amatoriis propter eandem 55
veneream delectationem; Candidus *ubi supra
dubio* 3.

Idem dicendum est de auditione & aspectu co-
mœdiarum, si res turpes, lascivas, vel amatorias 56
contineant, propter eamdem delectationem; Na-
var. quem refert, & sequitur Candidus *ubi supra
dub.* 5. qui verò repræsentant, ac componunt simi-
les comœdias, versus & cantilenas, semper pec-
cant mortaliter, quia sunt multis causa ruinæ, Sil- 57
vester,

vester, quem refert, & sequitur Candidus *ubi supra dub.* 6. Dicastillus *ubi supra*.

58 Tandem legentes libros, res inhonestas, & lascivas continentes, ad captandam delectationem libidinosam inde consurgentem peccant mortaliter; siquidem in hac materia non datur par- 59 vitas; ita cum Tabiena Candidus *ubi supra dubio* 7.

Adverte tamen, quod si hæc omnia fiant non 60 ad captandam lascivam delectationem, sed ob curiositatem, levitatem, vel vanitatem non esse mortalia, sed tantum peccata venialia, non in genere luxuriæ, sed quia sunt verba, & actiones 61 inordinatæ, & imprudentes, & periculosæ; Ita Candidus *ubi supra*. Dicastillus *loco citato*. Hoc tamen limitandum est in Religiosis in quibus præ- 62 dicta, vel similia efficere, saltem coram aliis, erit peccatum mortale propter scandalum, quod inde accipiunt sæculares.

Et idem à fortiori dicendum est de amplexibus, osculis, tactibus manuum, & mamillarum fœmineatum, & etiam de aspectibus feminarum modo dicto, etiam si fiat ob vanitatem, vel curiositatem propter scandalum; secluso tamen scandalo, si Religiosus prædicta efficiat ob solam vanitatem, vel levitatem, aut joco, non erit mortale, sed tantùm veniale modo dicto. Pellizzarius, quem refert, & sequitur Belasius *verbo* castitas *num.* 12.

63 An autem peccet mortaliter contra votum castitatis Religiosus delectando se de actibus venereis? Respondeo affirmativè, ita Reginald. Trullenc. Filiucius, & alii, quos refert, & sequitur Dia- 64 na 7. *part. tract.* 11. *resol.* 34. quidquid dicat Herrera apud ipsum Dianam. Et ratio est, quia votum absolutum castitatis, ut supra diximus, comprehendit non solum opus externum, sed etiam omnem delectationem veneream cum fuerit emissum absolutè. Hinc fit Religiosum se delectantem de copula conjugali, quam habuit antequam esset Religiosus, peccare mortaliter contra votum castitatis. Vasquez, Sanchez, quos refert, & sequitur Belasius *ubi supra num* 13. nam 65 licet objectum sit bonum, delectatio tamen præsens non est bona, utpotè adversans voto castitatis prohibentis omnem delectationem sensibilem veneream, potest tamen talis Religiosus gaudere de copula aliàs habita, tanquam de re præterita, & illam approbare. Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *numer.* 109.

Dico V. Peccatum Religiosi contra castita- 66 tem, seu lapsus carnis voluntarius opere consummatus reservari potest à Superioribus regularibus; Ita Clemens VIII. in decreto *de reservatione casuum*, ubi inter eos, quos permittit posse reserva- 67 ri, ponitur iste nono loco; per lapsum autem voluntarium opere consummatum intelligitur, non solum fornicatio, adulterium, incestus, &c. sed etiam quæcumque voluntaria pollutio, aut mollities, eo quod etiam est lapsus carnis in sua specie opere consummatus, licet aliàs in ordine ad alium actum videlicet copulam consummatus non fit; Suar. *Tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 18. *nu-* 68 *mer.* 12. An autem comprehendantur etiam tactus impudici, oscula, literæ munuscula, &c. Credo, quod non: quia ista, etiamsi sint contra castitatem, non tamen sunt lapsus carnis opere consummati, quia hoc denotat actus consummatos in sua specie. Diana *tract.* 2. *de dubiis Regularibus resol.* 118. & alii.

Dico VI. Regulares, qui, quod absit, ne- 69 fandum crimen exercent omni privilegio clericali, omnique officio & dignitate Ecclesiastica privantur, & per judicem Ecclesiasticum degradati potestati sæculari traduntur; ita statuit Pius V. in Bulla quæ incipit, *Horrendum*. Per nefandum autem crimen solum intelligitur concubitus maris cum masculo per vas præposterum, non verò mollities, vel pollutio cum altero habita; nam licet probabile videatur aliquibus omnia peccata contra naturam non differre specie, sive fiant cum masculo, sive cum fœmina, sive cum bestia, sive etiam cum dæmone; ut cum Marchantio, & aliis docet Caramuel *in Theolog. fundam. fundam.* 70 57. *numer.* 8. *in quæstione indicente per totam*, & ut probabilem defendit Filiucius *Tom.* 2. *tractat.* 30. *cap.* 7. *num.* 131. Escobar *Tract.* 1. *exam.* 8. *cap.* 2. 71 *num.* 77. & alii, quos refert Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 159. Sed hæc opinio admittenda non est. In hoc tamen decreto per nefandum crimen solùm intelligitur vitium Sodomiæ propriæ, quod nomen ex arbitrio hominum solùm convenit commixtioni masculorum in vase præpostero, ut notavit Carmuel. *ubi supra dicto* 3. cum enim hoc decretum sit pœnale, restringendum est ad Sodomiam propriam, & non tantùm latè sumptam, ut ibi cum aliis advertit etiam Caramuel.

An autem requiratur, ut pluries hoc scelus com- 72 mittant, ut incidant in has pœnas? Negat Valle

de incantationibus sect. 3. *cap.* 1. *numer.* 21. nam verbum, *exercere*, de jure non semper importat exercitium delicti per repetitos actus, sed tantùm ejus patrationem. Verùm contraria sententia probabilior, & communior est. Hanc tenent Lezana *Tom.* 1. *cap.* 10. *numer.* 8. Navarr. & alii, quos refert & sequitur Dicastillus *de justit. lib.* 1. *disp.* 3. *dub.* 18. *numer.* 313. Barbosa, Diana Marchinus, Avila, Ledesma, Suarez, Bonacina, quos refert, & sequitur Thomas Hurtado *tractat.* 1. *de absolutione Sacramentali tom.* 1. *cap.* 8. *numer.* 348. Sayrus, Genuensis, Farinacius, Riccius, Henriquez, Garcia, quos refert, & sequitur Fragosus 1. *part. lib.* 2. *disput.* 4. §. 18. *numer.* 253. loquitur namque textus contra exercentes hoc vitium; non censentur autem exercentes in jure, qui bis, ter, aut quater, sive rarò tale crimen commiserunt, sed solum illi, qui ex quodam usu hoc delictum frequentant.

73 Sufficit tamen, quod semel hoc delictum committatur ad hoc, ut in hoc Lusitaniæ regno Inquisitores hæreticæ pravitatis de illo cognoscant, propter Bullam GREGORII XIII. quam refert idem Valle *ubi supra numer.* 16. in qua concedit Inquisitoribus hujus regni ad instantiam castissimi, & numquam satis laudati, sed infelicissimi Regis Sebastiani, ut cognoscant de hoc horrendo crimine contra, omnes & singulas personas, etiam exemptas cujuscumque Ordinis, & status, & conditionis existant eodem modo, & forma, ac in causis hæresis, in qua Bulla non ponitur verbum, *exercere*, sed tantum postulat perpetrationem hujus delicti, ut notavit Valle *ubi supra numer.* 21. An autem perpetratio debeat esse consummata per seminationem intra vas, vel non? Vide quæ diximus *disp.* 2. *hujus Tract. sect.* 1. *n.* 49.

74 An vero hæc jurisdictio competat Inquisitoribus privativè quoad Regulares, & Ecclesiasticos? Affirmat Valle *de incantationibus sect.* 3. *capit.* 1. *à numer.* 14. quem sequitur Barbos. *de potest Episcopi alleg.* 4. *&* 47. Fragos. 1. *part. lib.* 2. *disp.* 4. §. 18. *numer.* 232. Negat tamen probabilius Portel. *Tom.* 2. *respons moral. pag.* 3. *casu* 51. Antonius de Sousa *Tractat.* 2. *de solicitat. cap.* 2. *numer.* 23. Acugna *lib. de solicitat. quæst.* 2. *numer.* 19. Thomas Hurtado *tract. de absolut. cap.* 9. *resolut.* 43. *numer.* 414. Ratio autem est, quia hæc jurisdictio tantùm est concessa Inquisitoribus cumulativè, quoad judices sæculares; ergo etiam quoad Ecclesiasticos, & Regulares; patet consequentia, quia non datur major ratio, cur hæc potestas sit privativa contra Ecclesiasticos, & Regulares, quàm contra judices sæculares; non enim Ecclesiastici sunt in sua potestate directiva, & coërcitiva pejoris conditionis, ac judices sæculares.

Nec obstant illa verba Bullæ: *aut si carcerati reperiantur*, quibus nititur Valle, nam hæc verba æque comprehendunt sæculares, ac Ecclesiasticos. Vide Hurtadum, ubi omnia argumenta contraria resolvit.

An autem hujusmodi pœnas, & alias à Concilio Lateranensi assignatas incurrant illi, qui Sodomiticam copulam non consummarunt intra vas præposterum semen effundendo? Affirmat Lezana *Tom.* 1. *capit.* 5. *numer.* 11. & alii. Probabilius tamen est oppositum; Ita Navarr. & alii apud ipsum: Philibertus, Barbosa, & Diana, quos refert, & sequitur Thomas Hurtad. *tractat.* 1. *de absolut. cap.* 8. *resolut.* 31. *numer.* 351. qui id affirmant, etiamsi quis malitiosè non seminet intra vas, ne pœnas incurrat: & probabile etiam putat Trullenc. *in Decal. capit.* 1. *dub.* 8. *lib* 6. §. 2. *num.* 1. Escobar *tractat.* 1. *exam.* 8. *cap.* 2. *num.* 45. Advertit tamen Trullenc. cum Sousa, etiam in contraria opinione non debere infligi pœnam ordinariam pro uno actu hujusmodi, in quo semen extra vas præposterum post inceptam Sodomiam fuit emissum, sed pro hujusmodi actibus repetitis, ita ut quod defuit ad actus Sodomitici complementum, suppleatur ex repetitione actuum in fraudem legis, quæ limitatio mihi etiam placet. 75 76

Hoc tamen certum est, non sufficere ad incurrendas prædictas pœnas, habere cum alio pollutionem, vel alios actus contra naturam, sive effundendo semen inter femora, sive in ejus manibus, vel alio quocunque modo, dummodo intra anum membrum non immittat; Ita Julius Clarus, Farinacius, Sousa, quos refert, & sequitur Trullenc. *in Decal. capit.* 1. *lib.* 8. §. 2. *numer.* 1. Dicastillus *de justit. lib.* 1. *disput.* 3 *dub.* 19. *n.* 316. Molfesius, Diana, Barbosa, quos refert, & sequitur Thomas Hurtado *tractat.* 1. *cap.* 8. *resol.* 31. *numer.* 351. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 5. *num.* 11. Escobar. *in exam. confessor. tractat.* 1. *exam.* 8. *cap.* 2. *n.* 45. Nec de isto crimine mollitiei possunt cognoscere Domini Inquisitores ex vi Bullarum prædictarum 77 78

ctarum, cùm in illis tantum detur potestas ad cognoscendum de crimine nefando; Ita Valle *ex praxi Inquisitorum hujus regni sect. 3. de exalmis cap. 3.*
79 *numer.* 27. Sousa *tractat.* 1. *in opusculo de solicitat. fœminarum in actu confessionis cap.* 12. *num.* 2. sicut etiam non possunt se intromittere ad cognoscendum de bestialitate propter eamdem rationem, ut
80 optimè notavit Valle suprà; nec committens crimen bestialitatis incurrit pœnas Bullæ Pii V. ut notavit cum aliis Novarius *in lucerna regular. Verbo.* Sodomia, *numer.* 7. contra Lezanum *ubi supra num.* 8.

81 An autem cognoscentes fœminas in vase præpostero incurrant prædictas pœnas? Negat cum aliis Thomas Hurtado *ubi supra numer.* 350. Dicastillus *ubi supra numer.* 315. Azor. Filiutius, Bonacina, quos refert Trullenc. *ubi supra numer.* 1. Hoc enim peccatum non est propriè, & verè peccatum Sodomiæ, sed peccatum illa minus grave, & alterius speciei peccati contra naturam. Probabilius tamen est esse Sodomiam, ut communiter à Doctoribus existimatur, & dignum pœnis Sodomitarum; Ita Covar. Julius Clarus, Farinac. Sousa, quos refert, & sequitur Trullenc. *in Decal. capit.* 1. *dub.* 8. *lib.* 6. §. 2. *num.* 1.

82 Advertendum tamen est, non esse credendum uxori dicenti se per hoc crimen fuisse à suo marito violatam; Ita cum Julio Claro Fragos. 1. *part.*
83 *lib.* 2. *disp.* 4. §. 18. *numer.* 239. Idem dicendum est de puero aliquo affirmante se fuisse corruptum; Ita cum aliis Fragosus, *ibidem*: imo nec dictum minoris asserentis se fuisse tentatum de hoc crimine contra naturam, facit fidem, nec indicium contra attentatorem, nisi concurrant aliæ circumstantiæ, sive præsumptio-
84 nes, ita cum aliis Fragos. *ubi supra.* & multo minus credendum est meretrici dicenti se hoc crimen fuisse passam. Navarr. Armen. Dacian. Barbos. & alii, quos refert, & sequitur Fragos. *ubi supra.*

An autem solum attentantes hoc scelus perpatrare, si de facto non perpetrent ob resistentiam, vel impedimentum incurrant prædictas pœnas? pro foro externo affirmat Lezana *Tom.* 1. *cap.* 1. *numer.* 13. Quaranta & alii, quos refert Fragos. *ubi supra*
numer. 241. Verùm contraria sententia tam pro 85
foro interno, quam externo probabilior est, & in praxi recepta; secundùm quam pœnâ mitiori puniendus est affectus, quantumcumque ma- 86
nifestus sit, & valde actui huic proximus, si effectus non fuit sequutus, etiamsi talis polluatur extra vas præposterum; Ita Julius Clarus, Menochius, Antonius Gomez, quos refert, & sequi-
tur Fragosius *ubi supra num.* 241. Escobar *ubi su-* 87
pra, & alii, quos refert Lezana *ubi supra.* Ratio autem est; quia cum hæ leges sint pœnales,
& graves maximè pœnas infligant, non debent 88
ampliari ultra id quod sonant, in his autem legibus solum est sermo de his, qui actum Sodomiticum commiserunt, non verò de illis, qui solum Sodomiam committere tentarunt: & hæc de hoc turpissimo crimine sufficiant.

Plura quidem dicenda forent de obligatione & violatione voti castitatis, quæ, brevitati consulentes, intermittimus, & videri poterunt apud Præfatos Authores, maximè Pellizzarium *Tract.* 4. *cap.* 3. & ex parte apud nostros Salmanticenses *Tom.* 4. de vitiis & peccatis *Tract.* 13. *disp.* 10. *dub.* 6 *& in Append. ejusdem. & disp.* 1. *per totam.* Lezanam *Tom.* 1. *cap.* 5. & aliis in locis. Nost. Urbanum ab Ascensione in sua Theolog. mor. ac Canon. *Tract.* 1. *cap.* 18. *&* 46. Francisc. Bonæ Spei *Tom.* 4. *sua Theolog. Tract.* 2. *de actibus human. disp.* 10; & in *Noctua Belgica dub.* 6. & Stephan. à S. Paulo in sua *Theol. mor. Tract.* 1. *disp.* 5. *dub.* 3. Pœnas vero, quas violatores voti castitatis incurrunt, refert nost. Petrus ab Angelis in suo Judice Regulari 1. *part. cap.* 25. §. 3.

***

DISPVTATIO VI.

De voto Religiosæ obedientiæ.

CVm Religiosi ex voto obedientiæ, non solùm teneantur obedire Prælatis præcipientibus, sed etiam Regulæ, & Constitutionibus, & præceptis Pontificiis, respicientibus specialiter eosdem Religiosos, ideo eodem ordine hanc disputationem dividemus in quatuor sectiones. In *prima* agemus de obligatione voti obedientiæ respectu Superiorum regularium: In *secunda* de obedientia in ordine ad Regulam: In *tertia* de obedientia, respectu Constitutionum: & tandem in *quarta* de obedientia in ordine ad præcepta Pontificia.

SECTIO I.

De obligatione, quam habent Religiosi ex vi voti obedientiæ respectu Superiorum regularium.

§. I.

Quid sit obedientia, & quam obligationem inducat?

1 *Quotuplex detur obedientia?*

2 *De qua obedientia sit sermo in præsenti?*

3 *Quid sit obedientia?*

4 *In quo differat votum simplex, & solemne obedientiæ?*

5 *Quod sit objectum remotum obedientiæ?*

6 *Vt detur actus formalis obedientiæ, quid requiratur?*

7 *Non sufficit, ut Prælatus manifestet suam voluntatem, modo inefficaci, sed debet illam efficaciter manifestare.*

8 *Quando regula vel lex, aut mandatum non obligant ad mortale, vel veniale, non tenetur subditus ex vi voti obedire.*

9 *Erit tamen talis Religiosus imperfectus intra virtutem obedientiæ.*

10 *Imò regulariter peccabit venialiter ex alio titulo.*

11 *Votum obedientiæ ex communi usu non obligat etiam in materia gravi sub mortali.*

12 *In nostra Religione, ut detur peccatum grave in obedientia, debet dari præceptum formale sub certa forma scriptum.*

13 *Votum obedientiæ non obligat ad obedientiam formalem.*

14 *Prælati non possunt præcipere subditis, ut impleant præceptum, quatenus præceptum est.*

15 *Actus internus non potest præcipi ab homine.*

16 *In voti obedientiæ violatione duplex reperitur malitia, sacrilegii & injustitiæ.*

17 *Tunc datur talis malitia, quando Superior utitur jurisdictione Ecclesiastica.*

18 *Quando censeatur uti tali jurisdictione?*

19 *Quando committat duplicem malitiam, diversam specie, qui operatur contra aliquam legem obligantem sub mortali?*

20 *Religiosus violans jejunium Regulæ, vel præcepti incidentis in die jejunii Ecclesiæ, unam tantum malitiam committit.*

21 *Opposita sententia etiam est probabilis.*

22 *Religiosus violando duplex præceptum duorum Superiorum de eadem re, & propter eamdem rationem formalem, unam tantum malitiam committit.*

23 *Quid si actio sit prohibita ab uno Prælato, quia est nociva Petro, & ab alio, quia est nociva Paulo?*

Pro

1 PRo explicatione hujus paragraphi præmittendum est obedientiam dupliciter usurpari posse; pro obedientia materiali, seu generali, vel pro obedientia formali: de obedientia primo modo sumpta, non est nobis hic sermo, cum, ut sic sit virtus generalis respiciens omne opus virtutis,
2 quo impletur præceptum Superioris; solùm igitur nobis in præsenti erit sermo de obedientia formali, seu speciali, quæ est virtus specialis, quæ facit aliquid, quia præceptum est.

3 Dico I. Votum obedientiæ est permissio, qua Religiosus propriam subjiciens voluntatem Prælato regulari se obligat ad parendum ei in omnibus, quæ cadere possunt sub objecto virtutis obedientiæ; ita colligitur ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 2. *ad* 3. includitur autem sub hac definitione non solùm votum solemne obedientiæ, sed etiam simplex: quòd si velis definire votum obedientiæ solemnis, tunc prædictæ definitioni debes addere per traditionem perpetuam cum obligatione irrevocabili, tam ex parte subditi, quam Prælati, ut sine consensu Prælati voluntas
4 subditi sit inefficax ad omnem civilem, aut naturalem irrevocabilem obligationem per contractum, aut quemcumque alium modum contrahendam. Dixi, *per traditionem perpetuam*, nam per hoc distinguitur votum solemne obedientiæ à simplici, quod simplex tantùm reddit voluntatem subditi inefficacem ad illos effectus, dum Religiosus retinetur in Religione: At verò votum solemne in perpetuum, & irrevocabiliter, etiam ex parte Prælati. Dixi, *ad omnem civilem, aut naturalem obligationem irrevocabilem*; nam licèt aliquando Religiosus possit naturaliter obligari absque consensu Prælati, ut patet in votis, non tamen irrevocabiliter; siquidem talis obligatio potest irritari à Prælatis, ut tradunt communiter DD.

5 Dico II. Objectum remotum, seu materiale obedientiæ, est omnis res, vel actus, quem potest Superior præcipere; proximum verò, seu formale est præceptum Superioris; unde, ut detur actus formalis obedientiæ, debet intervenire præceptum
6 Superioris, Regulæ, vel Constitutionis, obligans sub mortali, vel veniali; ita communiter DD. cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 2. *dist.* 1. In omni enim virtute ad eliciendum formalem actum necesse est operari ex proprio motivo illius; unde non sufficit, quòd Prælatus significet suam voluntatem subdito, ut subditus ex obedientia teneatur obedire, sed debet illam manifestare præceptivis verbis, sive signis; nam subditus per obedientiam non tenetur implere omne de- 7
siderium Superioris, nec sequi ejus voluntatem secundùm quid, qualis esset; quæ sub his terminis exprimeretur, *vellem, ut id facias*, sed debet explicare absolutè suam voluntatem, *volo, ut id facias*, vel modo alio simili; Ita Suar. *Tom.* 3. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 4. *num.* 8. & alii communiter.

Imò, quando Regula, vel Constitutio, aut etiam mandatum Prælati non obligant ad aliquam culpam mortalem, vel venialem, non tenetur subditus ex vi voti obedire; nam quando Regula, vel Constitutio, aut etiam mandatum Prælati, non obligant ad aliquam culpam, non absolutè præcipiunt, sed per modum consilii; erit tamen talis Religiosus imperfectus intra virtutem obedientiæ, quatenùs nolendo obedire voluntati Prælati, vel legis, disponitur ad transgrediendum præceptum, saltem sub veniali obligans; Ita Suar. *Tom.* 3. *de Relig. cap.* 7. *tract.* 10. *num.* 3. & 7. Imò regulariter peccabit venialiter, tum quia à recto fine deviatur, vel quia non recto fine utitur ex otiositate, torpore, vel libidine, &c. tum, quia occasionem præbet religiosam disciplinam labefactandi; Ita cum D. Thom. Suarez, Vasquez, Sanch. & alii, quos refert, & sequitur Palaus *tract.* 6. *disp.* 4. *part.* 3. *num.* 3. 8 9 10

Dico III. Votum obedientiæ, quamvis ex genere suo obliget sub mortali, usu tamen omnium Religionum receptum est, ut non obliget, etiam in materia gravi sub mortali, quando Prælatus non imperat in virtute obedientiæ, licèt aliàs, quantum est ex vi sua, simpliciter posset obligare, si materia præcepta fuisset gravis; & in nostra Religione debet hoc præceptum ferri in scriptis sub certa verborum forma, aliàs non obligabit ad culpam, saltem gravem, ut patet *ex* 1. *parte nostrarum Constitutionum, cap.* 5. *num.* 5. 11 12

Dico IV. Votum obedientiæ non obligat ad obedientiam formalem, hoc est, ut Religiosus obediat præcepto, quatenùs præceptum est: Ratio est, quia Religiosus non vovet obedientiam sub motivo obedientiæ, sed solùm obedientiam materialem, hoc est, executionem rei præceptæ; Ita Lessius *lib.* 2. *cap.* 46. *num.* 42. Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 1. *num.* 7. Suarez *Tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 3. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 4. *num.* 6. Unde Prælati non possunt præcipere subditis, ut impleant præceptum, quatenùs præceptum est, tum ob prædictam rationem: tum 13 14

 quia

quia actus internus non potest præcipi ab homine, nisi quatenùs est necessarius ad constituendum actum externum in aliqua specie virtutis; Ita Lezana *ubi suprà, num.* 5.

15 Si tamen quæras, quotuplex malitia reperiatur
in violatione voti obedientiæ? Respondeo duplicem; aliam sacrilegii contra Deum, ratione voti
violati, & aliam injustitiæ contra hominem,
ratione traditionis, & promissionis; non tamen
semper in tali actu datur malitia adversus illam
virtutem, circa quam actus imperatur, sed tunc
16 solùm datur talis malitia, quando Superior præ-
cipiendo utitur jurisdictione Ecclesiastica, quam
habet super subditos, hanc tamen regulariter non
17 utitur, nisi exprimat, vel legem statuat, vel imperet
sub excommunicatione, aut alia censura; nemo
enim ferre potest censuras, vel legem statuere, nisi
utendo jurisdictione Ecclesiastica; Ita Suarez,
Sanchez, Layman, quos refert, & sequitur Castro-
palaus *ubi suprà, num.* 3.

18 Dices: Ergo quoties Religiosus violat legem,
vel Constitutionem obligantem sub mortali, committit duplicem malitiam, specie diversam, necessariam in confessione confitendam? aliam contra
obedientiam, & aliam contra virtutem, circa
quam talis lex versatur? Respondeo, quòd vel illud, quod Regula præcipit, sub mortali est jam
19 præceptum, & tunc talis Regula, vel Constitutio
non est propria lex, sed quædam admonitio obligationis impositæ: si verò Regula præcipiat, quæ aliàs sub peccato non sunt præcepta, adhuc distinguendum est; vel præcipit absolutè, vel in virtute obedientiæ, si absolutè præcipiat, nulla facta mentione de obedientia, tunc erit lex rigorosè sumpta, & constituet transgressionem in duplici illa specie, si tamen præcipiat in virtute obedientiæ, tunc Constitutio, vel Regula non est lex obligans ex jurisdictione Ecclesiastica, sed tantùm potestate dominativa; Ita Palaus *ubi suprà, num.* 4. & alii contra Sanch.

20 Et hinc colliges, Religiosum violantem jeju-
nium Regulæ, vel præcepti incidentis in die jejunii Ecclesiæ, verbi gratia, in aliqua vigilia non
committere duplicem malitiam specie diversam,
sed unam tantùm; ita expressè Bordon. *Tom.* 1.
resol. 18. *num.* 13. & colligitur ex Palao *ubi suprà*,
& ex Pellizzario *Tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 150. licèt
21 oppositum teneat Fagundez, Bonacina, & Vas-
quez, quos refert, & sequitur Pasqualigo *de jejunio, decis.* 319. *num.* 7. Ratio autem est, quia supposito præcepto Ecclesiæ, intentio legislatoris solùm est reducere ad memoriam obligationem impositam, ut *suprà* diximus.

An autem subditus violando duplex præce- 22
ptum duorum Prælatorum de eadem re committat
duplicem malitiam inobedientiæ? Respondeo
negativè, si res præcepta fuit sub eâdem ratione
formali obedientiæ; ita cum aliis Fagundez *in* 2.
præcepto Ecclesiæ, lib. 3. *cap* 5. *num.* 7. nam cùm in
dicto casu præcepta sint sub eadem ratione forma-
li, non faciunt diversa numero peccata; quod 23
verum est, etiamsi actio sit prohibita ab uno Prælato, quia est nociva Petro, & ab alio, quia est nociva Paulo; nam cùm sit eadem actio, & eadem ratio formalis objectiva, illæ malitiæ uniuntur formaliter; Ita Lugo *Tract. de Pœnitentia*, licèt oppositum cum Sanchez teneat Pellizzarius *Tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 158.

§. 2.

Quibus Prælatis teneantur Religiosi ex voto obedientiæ obedire?

24 *Quibus Prælatis teneantur Religiosi obedire?*

25 *Non tenentur ex vi voti obedientiæ obedire Deo.*

26 *Tenentur ex vi voti obedire Papæ in præceptis de observantiis regularibus.*

27 *Non tamen in præceptis generalibus quoad omnem Ecclesiam.*

28 *Religiosus violans aliquod præceptum Ecclesiæ, non est reus duplicis malitiæ.*

29 *Probabile est Regulares non teneri ex vi voti obedire Congregationi Cardinalium super Regulares.*

30 *Decretum sacræ Congregationis pro Regularibus, in quo datur forma celebrandi Capitulum, & electiones, si sit secundùm Constitutiones particulares Religionum, ut sit validum, non est necesse, ut Breve Papæ etiam accedat.*

31 *Oppositum etiam est probabile.*

32 *Religiosi probabiliter non tenentur obedire Prælatis, de quorum electione legitima tantùm datur opinio probabilis.*

33 *Regulares ex vi voti obedientiæ non tenentur obedire decretis Congregationis Cardinalium super Trident. ad ipsos spectantibus.*

34 *Regulares non tenentur ex vi voti obedire Legatis à latere, seu Nuntiis Apostolicis, aut Collegio Cardinalium Sede vacante.*

35 *Religiosi*

35 *Religiosi tenentur obedire suo Prælato præcipienti etiam cum censuris, etiamsi ipsi Religiosi sint existentes extra sua monasteria & provincias.*

36 *Quid si talis Prælatus sit ab ipsis Religiosis accusatus lite pendente?*

37 *Quid, si ab ipso appelletur?*

38 *Dum lis pendet, Prælatus non est privatus sua jurisdictione, nec posita appellatione in aliquo casu particulari, privatur in aliis sua jurisdictione.*

39 *Quid, si sciant certò talem Prælatum fuisse nulliter electum ex impedimento occulto?*

40 *Quid, si sciant Prælatum fuisse per epistolam à Superiore ab officio depositum?*

41 *Quid, si Prælatus sit excommunicatus, dum toleratur?*

42 *Quid, si constet publicè Prælatum incurrisse aliquam officii privationem, dum non declaratur?*

43 *Quid, si talis pœna incurratur ante Judicis sententiam?*

44 *Posito præcepto Prælati superioris, non tenetur subditus obedire præcepto Prælati inferioris contrario.*

45 *Quid, si detur lex, quòd Superior non possit se in tali re intromittere?*

46 *Superior etiam sine causa potest coarctare jurisdictionem inferioris.*

47 *Inferior aliquando potest interpretari, & dispensare in præcepto Superioris.*

48 *Cui Prælato debeat Religiosus hospes obedire?*

49 *Quid, quando Religiosus itineratur de uno ad alium Conventum migrans?*

24 DIco I. Ex voto obedientiæ tenentur Religiosi obedire Prælatis suæ Religionis, ac etiam Vicariis, & præsidentibus in absentia Prælatorum, saltem ultra diem unam naturalem, & legatis à Prælatis ordinariis; hoc tamen debet fieri
25 servato ordine inter ipsos. Non tamen ex vi voti tenentur obedire DEO sive per se, sive per Angelum præcipiat; ita Suarez *Tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 11. num. 2.* quia finis hujus voti est, ut homo per hominem dirigatur in his, quæ spectant ad perfectionem. Nec obstat, quòd in forma emittendi votum obedientiæ religiosæ dicatur: *Promitto* DEO *& R. P. N. Generali*, siquidem illi duo dativi casus sub diverso respectu ponuntur. DEUS enim est persona, cui fit votum: Prælatus verò ponitur ut persona, cui vice DEI obediendum est ex voto, talis quippe est intentio voventium.

Tenentur tamen Religiosi ex vi voti obedire 26
Papæ, non quatenus est Superior omnium fidelium, sed ut est Generalis omnium Religionum. Unde ex vi voti obedientiæ non tenentur illi obe- 27
dire in præceptis generalibus obligantibus omnes fideles, sed solùm in præceptis quoad observantias regulares, juxta Regulam, & Constitutiones voventium: nam cùm potestas illius oriatur ex voto obedientiæ, non debet extendi ultra intentionem voventis; unde Religiosus violans aliquod præceptum Ecclesiæ, non est reus duplicis mali- 28
tiæ specificæ, sed tantùm unius; Ita Sanchez *lib. 6. moral. cap. 1. num. 8.* Peyrinis *de R. S. quæst. 1. cap. 8. §. 1.* Lezana *Tom. 1. cap. 4. num. 31.* & alii.

An autem Regulares teneantur ex vi voti obe- 29
dientiæ obedire Congregationi Cardinalium à SIXTO V. institutæ, pro Regularibus? Affirmant nostri Lezana *Tom. 1. cap. 4. num. 3.* & ante illum Ven. P. Thomas à JESU, *Tract. 3. de Visitatione Regularium, cap. 17. num. 7.* sed contrariam sententiam non improbabiliter sequitur Pellizzarius *Tract. 4. cap. 4. num. 107.* nam licèt SIXTUS V. in sua Constitutione *Æterni Dei*, aliique Pontifices instituerint hanc Congregationem Cardinalium pro bono communi Regularium, non constat tamen illis delegasse non solùm potestatem spiritualem, quam habet super omnes fideles, ac per consequens super ipsos Regulares, sed etiam potestatem dominativam, quam Pontifex habet ex vi voti obedientiæ super ipsos Regulares, quin potiùs præsumendum est, solùm Priorem delegâsse, cùm ea ad finem intentum sufficere posset; nam cùm potestas dominativa sit specialissima, non debet venire in generali commissione, nisi in specie exprimatur juxta communem Regulam *in generali concessione, &c.*

Et hinc colliges, solutionem difficultatis à nostris agitatæ in Capitulo provinciali, anno 1654. Conimbricæ celebrato. An decretum sacræ Con- 30
gregationis Regularium, in quo concedebatur facultas ad eligendos & confirmandos Prælatos in hac Provincia, durante belli impedimento, quod de consensu nostri Procuratoris generalis procurator hujus Provinciæ P. Emmanuel à Conceptione impetravit anno 1654. sufficiens fuisset ad prædictas electiones validè celebrandas absque Brevi Papæ? & respondi satis probabiliter sustineri posse partem affirmantem, eo duobus principio,

principio, quia in sententia Lezanæ, & aliorum probabiliori suprà citata, hujusmodi Congregatio Cardinalium habet superioritatem, non solum spiritualem, sed etiam dominativam, & specialem ex vi voti super omnes Regulares, etiam in Capitulo generali congregatos, ad disponendum, quidquid illi videbitur expedire ad rectum regimen Regularium juxta eorum leges, & Constitutiones: ergo ejus decreta debent haberi à Regularibus, tanquam leges, & Statuta proprii Prælati regularis; atqui si tale decretum tum emanasset à nostro Capitulo generali, possent Prælati hujus Provinciæ ex vi talis decreti sine alio Brevi Papæ facere validè, & licitè tales electiones, cùm tale Capitulum habeat potestatem dispensandi in Constitutionibus pertinentibus ad regimen, ut constat *ex 3. Part. nostrarum Constitutionum, cap. 3. num.* 8. ergo idem dicendum est de tali decreto sacræ Congregationis, quod sine alio Brevi Papæ sufficiens esset ad tales electiones validè faciendas, cùm sit juxta nostras Constitutiones, supposita dispensatione, quam si Capitulum generale ex vi ipsarum Constitutionum potest efficere, non est cur sacræ Congregationi, illi Superiori eam denegemus.

31 Sed quia dicta doctrina tantùm est probabilis, & probabilis est etiam sententia, quam tenent Vasquez, Salas, Sayrus, Lessius, & alii, quos refert, & sequitur Palaus *Tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 2.
32 *punct.* 6. *num.* 8. Religiosos non teneri obedire Prælatis, de quorum electione legitima tantùm datur probabilis opinio, ideo rectè fecerunt sapientissimi Patres illius Capituli non insistendo tali decreto, sed postulando à Papa novum Breve ad electiones aliter faciendas.

Et ex his colliges *primò*, Regulares non teneri ex vi voti obedire decretis Congregationis Cardi-
33 nalium super Concilium ad ipsos spectantibus; tum, quia talis Congregatio non habet delegationem specialem à Papa super Regulares, sed tantùm jurisdictionem spiritualem, quam habet super alios fideles: tum, quia tales declarationes tantùm sunt doctrinales, ut tenet probabilior opinio apud Dianam *Part.* 1. *tract.* 10. *resol.* 29. tum, quia non solent publicari, nec de illis constat authenticè, quod necessarium erat juxta decretum ipsiusmet sacræ Congregationis, quod refert Lezana *Tom.* 3. *verbo* Sacra Congreg. *num.* 10.

Secundò colliges, non teneri Regulares ex vi voti obedire Legatis à latere, seu Nuntiis Apostolicis,
34 vel Protectori, aut Collegio Cardinalium Sede vacante; tum, quia non habent specialem potestatem communicatam à Papa super Regulares, sed tantùm jurisdictionem spiritualem, sicut super alios fideles; nam ad rectum regimen Regularium, quod illis commissum est, sufficit potestas jurisdictionis, quam habent super Regulares. Tum, quia Regulares voventes, tantùm se intendunt obligare Prælatis regularibus, & Papæ, non verò aliis: ergo obligatio voti non debet ampliari ultra intentionem voventium; ita Pellizzarius *Tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 109. & sequentibus, quod à fortiori dicendum est de Episcopis: nam Regulares exempti sunt; Quomodo autem Regulares exempti subjiciantur jurisdictioni Legati à latere, Nuntii, seu Episcoporum, diximus *in Tractatu de privilegiis*.

Dico II. Religiosi tenentur obedire suo proprio
Prælato præcipienti, etiam cum censuris, etiamsi 35
ipsi Religiosi sint existentes extra sua monasteria, & provincias; nam ratione voti acquirunt Prælati potestatem super personas, secundùm se, & ubicumque sint: ita cum aliis nost. Sapientiss. Per. Cornejo *Tom.* 2 *in* 3. *Part.* S. Thom. *Tract.* 5. *de censur. disp.* 6. *dub.* 2. & Lezana *Tom.* 1. *cap.* 4. *num.* 37. quod procedit, etiamsi talis Prælatus sit ab ipsis Religiosis accusatus, pendente lite, vel contra ipsum appellaverint, excepto tamen casu appellationis; nam dum lis pendet, non est Prælatus privatus sua jurisdictione, nec posita appellatione ob aliquam causam, privatur in aliis
sua jurisdictione, sed tantùm in illa, de qua est 36
appellatio; ita cum aliis Sanchez *lib.* 6. *moral.*
cap. 12. *num.* 31. *&* *lib.* 3. *Consilior. cap. unico,* 37
disp. 32. *num.* 24. Imò si Religiosi non solùm probabiliter, sed certò sciant talem Prælatum
fuisse nulliter electum, ex impedimento occulto 38
irritante, si aliàs electio facta fuit à potente e-
ligere, & concurrat titulus coloratus cum com- 39
muni errore, & publicè non constet de nullitate electionis, tenentur illi obedire; nam quando ista concurrunt, Ecclesia supplet jurisdictionem; ita Sanch. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 22. licèt oppositum teneant Salas, Vasq. Lorca, & alii, quos refert, & sequitur Palaus *Tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 2. *part.* 6. *num.* 8.

Quæ doctrina procedit etiam in casu, quo Prælatus fuisset legitimè depositus, monitus à Supe-
riore per litteras, ut alium præficeret monasterio, 40
& ipse dissimularet per aliquod tempus; nam in quantum non constat de ejus depositione, tenentur Religiosi illi obedire.

41 Idem dicendum est, quando Prælatus est excommunicatus, dum est toleratus, licèt tunc Prælatus utendo tali jurisdictione peccet; Ita cum præfato N. Cornejo Lezana, Ugolinus, &c. quos refert, & sequitur Belasius *verbo* Obedientia, *num.* 12.

42 Imò, etiamsi publicè constet Prælatum incurrisse privationem officii, eò quòd, verbi gratia, non fecit publicè legi decretum de celebratione Missarum, vel ob alium titulum, donec Superior declaret illum incurrisse talem pœnam, tenentur illi obedire, etiamsi illa pœna incurratur ante Judicis sententiam; Ita Diana 2. *part. tract.* 17. *resol.* 67. Ratio autem est, quia lex pœnalis, quæ non potest executioni mandari absque actione
43 hominis, cujusmod est privatio officiorum, etiamsi ipso jure, & ipso facto feratur ex communi usu, & consuetudine ante Judicis sententiam non obligat; Ita Avila, Sanch. Suar. & alii relati à Diana *ubi suprà*, licèt alii non ignobiles DD. quos refert Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 3. *num.* 3. oppositum teneant.

Dico III. Posito præcepto Prælati superioris,
44 non tenetur Religiosus obedire præcepto verè contrario Prælati inferioris, nisi aliàs detur lex, aut Constitutio, quòd Superior non possit in tali re
45 se intromittere, sed quòd maneat ad dispositionem inferioris Prælati; ita Suar. *Tom.* 3. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 11. *num.* 7. nam inferior non potest prævalere contra Superiorem, imò Superior, etiam sine causâ validè potest coarctare jurisdictionem inferioris.
46 Dixi, *præcepto verè contrario Superioris*; nam aliquando potest inferior dispensare, & interpretari
47 præceptum Superioris, ut in aliquo casu non obliget, & in tali casu parendum est inferiori.

Sed quæres, cui Prælato debeat Religiosus obedire, quando est hospes in aliquo Conventu? Prælato hospitii, an Prælato sui domicilii? Respondeo, secluso speciali statuto, debere obedire Prælato domicilii, cùm tantùm iste sit suus Prælatus; at nostri ex vi nostrarum *Constitutionum* 2.
48 *part. cap.* 11. *num.* 6. tenentur etiam obedire Prælato illius Conventus, in quo hospitantur, in quo casu habet Religiosus duos Superiores cumulativè, sed si Prælatus domicilii imperet aliquid, & Prælatus Conventus, in quo hospitatur, imperet contrarium, cui parendum erit? Existimo Prælato domus, in qua hospitatur; nam cùm uterque sit verus Prælatus talis Religiosi, lege ita disponente, iste ratione actualis subjectionis videtur prævalere alio tali subjectione spoliato. Sed quid si uterque Prælatus sit in illo Conventu, ut si fortè accidat, etiam hospitis Prælatum ibi hospitari? Respondeo, tunc debere obedire illi, qui præcipit in ordine ad nobiliorem finem; quòd si finis utriusque sit æqualis, tunc tenebitur obedire ei, qui primò præcipit; Peyrinis, quem refert, & sequitur Lezana *Tom.* 1. *cap.* 4. *num.* 21. quòd si accidat ambo simultaneè imperare, tunc obediat Prælato domicilii, vel cui voluerit.

Sed quid dicendum, quando Religiosus itineratur, & de uno Conventu ad alium mutatur: cui 49
Superiori teneatur obedire ad quem tendit, vel à quo recedit? Respondeo, neutro teneri obedire: non illi, ad quem tendit, cùm subjectio non acquiratur, nisi per actualem constitutionem domicilii, quæ non potest fieri, nisi postquam Religiosus pervenit ad monasterium: non illi, à quo recessit, nam eo ipso, quo recessit animo non revertendi, desiit esse subditus illius, cùm verè mutaverit domicilium. Unde respectu illius omnia præcepta talis Superioris cessaverunt; unde in tali itinere nullo Prælato locali subjacet; Ita Pellizzarius *tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 336.

§. 3.

In quibus rebus teneantur Religiosi suis Prælatis obedire?

50 *Religiosi non tenentur obedire Prælato contra Regulam præcipienti.*
51 *Quomodo hoc sit intelligendum?*
52 *Religiosi non tenentur obedire Prælato præcipienti aliquid sine justa causa infra, vel præter Regulam.*
53 *Quomodo hoc sit intelligendum, & limitandum?*
54 *Religiosi non tenentur obedire Prælatis præcipientibus supra Regulam.*
55 *Quomodo hoc sit intelligendum, & limitandum?*
56 *Religiosus tenetur obedire Prælato præcipienti supra Regulam, non solùm directè, & explicitè, sed implicitè, & indirectè.*
57 *Quid si Regula sit relaxata per consuetudinem, vel dispensationem?*
58 *Religiosus tenetur acceptare Prælaturam intra Ordinem.*
59 *Quid, si habeat aliquod impedimentum?*

60 *Religiosus, si imperetur, tenetur servire infirmis peste laborantibus, si sint ejusdem Ordinis.*
61 *Quomodo hoc sit intelligendum?*
62 *Quid, si infirmi exteri sint?*
63 *An teneantur eis ministrare Sacramenta in defectu Parochorum?*
64 *Tenentur ire ad inhabitandum cœnobia aëris intemperiei obnoxia.*
65 *Quomodo hoc sit intelligendum?*
66 *Tenentur ire ad Indos, & alias hæreticorum, & infidelium remotissimas terras, si ibi fuerint Ordinis Conventus.*
67 *Non possunt cogi ire ad Indos, vel terras infidelium & hæreticorum ad prædicandum cum periculo vitæ.*
68 *Limitatur hæc doctrina in aliquibus Religionibus, quæ hoc habent ex suo fine, vel voto, &c.*
69 *Non possunt obligari à Prælato Papa inferiore acceptare Episcopatum, vel aliam dignitatem extra Ordinem.*
70 *Nec tenentur obedire, si jubeantur transire ad statum sæcularem, etsi detur justa causa.*
71 *Nec tenentur transire ad alium Ordinem, etiam æqualem, vel austeriorem, vel minùs austerum.*
72 *Nec Papa hæc omnia illis potest imperare per potestatem dominativam; benè tamen per supremam potestatem jurisdictionis.*
73 *Si Religiosi obediant suis Prælatis, sive præcipiant supra, vel infra, vel præter legem, optimè faciunt.*
74 *Religiosi non tenentur obedire Prælatis manifestè illicita præcipientibus, etiam cum censuris.*
75 *Idem dicendum est, si Prælatus cogeret subditum ad manifestandum delinquentem occultum.*
76 *In hoc casu nec ipse delinquens tenetur respondere.*
77 *Quando persona est occulta, licèt crimen sit publicum, Prælatus non interrogat juridicè.*
78 *Secùs dicendum, quando præcedit infamia.*
79 *Idem dicendum est, si Prælatus præcipiat vana, & inutilia.*
80 *Quomodo hoc sit intelligendum?*
81 *Subditus non tenetur obedire, si Prælatus præcipit actus merè internos.*
82 *Quomodo hoc sit intelligendum?*
83 *Quando tantùm est dubium, an res sit illicita, tenetur subditus obedire.*
84 *Idem dicendum est, quando subditus dubitat rem præceptam excedere legem, vel esse contra illam, aut Prælatum non esse legitimè electum, aut confirmatum.*
85 *Quomodo hoc sit intelligendum?*
86 *Quid, si timeat grave damnum in obediendo?*
87 *Quid, si præceptum cedat in damnum alterius?*

DIco I. Religiosus non tenetur obedire Præ- 50
lato præcipienti aliquid contra Regulam,
sic enim excedit Prælatus vires suæ potestatis; ita 51
communiter DD. Limita tamen, nisi aliàs Prælatus habeat legitimam causam dispensandi in Regula; nam tunc præsumendum est, dispensasse in Regula, ac per consequens tenetur subditus obedire: siquidem jam præceptum Superioris non est contra Regulam; Ita communiter DD. apud Vidal. *titulo* de subdito, *inquisit.* 1. *num.* 11.

Dico II. Religiosus non tenetur obedire Præ- 52
lato præcipienti aliquid sine justa causa, infra, vel præter Regulam, vel Constitutiones, quæ scilicet non sunt, neque secundùm Regulam, neque contra ipsam; ita communiter DD. apud Vidal. *ubi suprà*. Limita tamen, nisi tales res possint ordinari 53
ad observantiam regularem; Miranda *Tom.* 1. *manual. quæst.* 26. *art.* 9. ex Corduba, & Sylv. & post illos Layman. *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 9. *num.* 15 Nam cùm hæc omnia sint indifferentia, si præcipiuntur ex aliquo bono fine, jam erunt bona, & honesta, ac per consequens poterunt præcipi, utpote inclusa in Regula: ut si subdito præcipiat Prælatus deambulare, comedere, ire ad aliquam recreationem, ut quiescendo paulisper à rigore observantiæ, vegetior resurgat ad studium, vel observantiam regularem, &c.

Dico III. Religiosus non tenetur obedire Præ- 54
lato præcipienti super Regulam: est etiam communis. Limita tamen, nisi Communitati im- 55
ponantur aliquæ austeritates ad certum tempus, ob aliquam publicam necessitatem; nam tunc tenebitur quilibet obedire, non tamen tenebitur Religiosus in particulari obedire, si solùm illi tales austeritates sine causa, etiam ob aliquam necessitatem imponantur; quia hoc non est secundùm Regulam, sicut esset, si omnibus imponeretur: Lessius & Sanchez statim allegandi; tenebitur tamen, si illi imponantur in pœnam delicti, aut in cautelam, ne in aliud relabatur; nam hoc

hoc implicitè continetur in Regula; Vasquez,
quem refert, & sequitur Lezana *ubi suprà, num.* 11.
& nostri Philippus à SS. Trinitate *Tom.* 3. *in* 2. 2.
S. Thom. *Tract.* 3. *de Religion. disp.* 4. *dub.* 5. Ga-
briel à S. Vincentio *loco mox citando, num.* 247.
circa fin. Sanchez *lib. moral. cap.* 2. *num.* 45.
Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 77. & alii, nisi alias
subditus verosimiliter putet posse aliter vitare
peccatum; Lessius *ubi suprà*, cum Corduba, &
aliis; quod tamen non admittit Sanchez *ubi
suprà.*

56 Dico IV. Religiosus tenetur obedire Prælato
in omnibus illis, quæ sunt secundùm Regulam,
& Constitutiones, non solùm directè, & explici-
tè, sed etiam indirectè, & implicitè; qualia sunt,
quæ sunt necessaria ad Regulæ observantiam; ad
hæc enim omnia se obligavit per votum obedien-
tiæ; Vasquez, Lessius, quos refert, & sequitur
Lezana *ubi suprà, num.* 10. Sanchez, & alii com-
muniter.

57 An autem, si Regula fuerit relaxata per consue-
tudinem legitimè introductam, vel per dispensa-
tionem, quando Religiosus illam professus est,
possit Religiosus obligari ad observantiam Regulæ
primitivæ facta reformatione, vel à Religione,
vel à Papa?

Respondeo negativè, dummodo Regula non
sit relaxata in essentialibus. Et ratio est, quia
talis Religiosus non est professus illam Regulam
in primitivo rigore, sed secundùm quod dispen-
satione, vel legitima consuetudine præscripta,
mitigata erat: ergo tantùm poterit prædictus Re-
ligiosus obligari etiam à Capitulo generali ad re-
formationem necessariam, ad conservationem
Religionis assumptæ in statu mitigationis, quam
habebat, quando professus est; unde rejicienda est
distinctio Suarii de mitigatione per consuetudi-
nem, vel per dispensationem; eamdem enim vim
habet consuetudo legitimè introducta, ac dispen-
satio; Ita cum multis colligit Palaus *Tract.* 16.
disp. 4. *part.* 5. *num.* 11. Moronius *responso* 3.
num. 135. ubi etiam plures refert, licèt oppositum
teneat Suarez, quando Regula est per consuetu-
dinem relaxata, *Tom.* 3. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 8.
num. 17. *& seqq.*

58 Hinc colliges *primò*, teneri Religiosum acce-
59 ptare Prælaturam intra Ordinem, nisi aliàs habeat
aliquod impedimentum, quòd ipse amoveri non
possit; si tamen à Prælato possit amoveri, tenetur
illud ei aperire; secùs, si non possit ab illo tolli;
nam tunc non tenetur obedire, cùm impossibilium
non sit obligatio; docet tamen N. Gabriel à S.
Vincentio in suo *de Censur. opere, disp.* 3. *quæst.* 13.
num. 237. Non posse Prælatum regularem, sine
necessitate, vel magna utilitate cogere subditum
ad acceptandam Prælaturam, &c. quod è pluribus
authoritatibus juris, Doctorumque variis ratio-
nibus confirmat.

Colliges *secundò*, teneri Religiosum, si à Prælato 60
imperetur, servire infirmis ejusdem Religionis
peste laborantibus, etiam cum periculo vitæ, hoc
enim spectat ad Religionis conservationem; sed 61
hoc debet fieri considerata qualitate personarum;
præcipere enim viris delicatis, & speciali scientia,
& virtute pollentibus, & Religioni proficuis,
ut infirmis carentibus supradictis dotibus in-
serviant, cùm sint alii, quid id officium exercere
possint, rationi dissonum est, & bono communi
Religionis adversum; ac proinde non potest ob-
ligare id mandatum; Sanch. & Rodrig. quos re-
fert, & sequitur Palaus *ubi suprà, num.* 7. Moro-
nius *ubi suprà, num.* 77. & ex nostris Franciscus
Bonæ-Spei *Tom.* 5. *Tract.* 2. de Religion. *disp.* 9.
dub. 1. *num.* 7. & Gabriel *loc. cit. num.* 247.

Si tamen infirmi exteri fuerint, tunc non pos- 62
sunt regulariter Religiosi etiam Mendicantes ob-
ligari eis corporalia ministrare: nam ex præcepto
charitatis non sunt magìs obligati, quàm alii
sæculares: ex voto autem, seu professione non
obligantur, præsertim, si fuerint Monachales;
Tamburin. *Tom.* 2. *disp.* 21. *quæsito* 8. *num.* 3. Si 63
verò fuerint Mendicantes, solùm tenebuntur eis
ministrare Sacramenta, si fortè desint Parochi,
vel alii Clerici, etiam mercede conducti, priùs
enim tunc illi quærendi sunt; non tamen tene-
buntur eis cibaria ministrare, quia finis Religionis
Mendicantium non est proximorum temporali
saluti, sed spirituali incumbere; Ita Armilla,
Tabiena, & alii, quos refert, & sequitur
Palaus *ubi suprà, num.* 7. Moronius *ubi suprà.
num.* 78. *&* 79.

Imò probabile est, nec ob necessitatem spiri-
tualem posse cogi Religiosos Mendicantes assistere
extraneis peste laborantibus cum vitæ periculo;
nam licèt censeantur esse coadjutores parocho-
rum, intelligitur servato ordine charitatis, ex
cujus obligatione non tenentur Religiosi proxi-
morum saluti consulere, stante suæ vitæ peri-
culo; ita Navar. Cajet. quos refert, & sequitur
Palaus *ubi suprà*, Moronius *ubi suprà, num.* 79.
Sed hæc debent intelligi, nisi hujusmodi servi-
tium, tam spirituale, quàm temporale exhi-

bendum extraneis maximè expediret ad bonum nomen Religionis; nam si maximè expediat, tenentur Religiosi obedire, cùm tam Prælati, quàm subditi teneantur bono communi Religionis consulere; ita ex Suar. Palaus *ubi suprà*, & Moronius *loc. cit.* Advertit tamen noster Gabriel *loco mox citato*, in defectu Parochorum teneri Regulares Mendicantes peste infectis inservire, & assistere, cùm sint coadjutores Episcoporum ac Parochorum, atque sustententur Fidelium eleemosynis: qui etiam sanctè monet, suadendum esse Regularibus, ut se ultrò offerant ad assistendum externis peste laborantibus, cùm sit eximiæ perfectionis opus, etsi adsint Parochi, & tunc id illis præcipi nequeat.

64 Colliges *tertiò*, teneri Religiosos ire ad habitandum in cœnobiis aëris intemperie laborantibus, cùm hoc expediat ad conservationem Religionis; limita tamen, nisi subditus sciat certò Prælatum hoc illi præcipere solùm ex odio, & mala voluntate erga illum, quia tunc Prælatus abutitur sua potestate, Peyrinis, quem refert, & sequitur Lezana *Tom.* 1. *cap.* 4. *num.* 16. & N. Franciscus *loc. cit.*

65 Tenentur etiam ire ad Indos, vel alias remotissimas terras, etiam hæreticorum, & infidelium, si
66 ibi fuerint Ordinis Conventus, cùm hoc necessarium sit ad Religionis conservationem; Suar. & Navar. quos refert, & sequitur Palaus *ubi suprà*,
67 *num.* 6. & Moronius *ubi suprà, num.* 75. Non tamen cogi possunt ire ad Indos, vel ad terras infidelium, vel hæreticorum ad prædicandum cum periculo vitæ: imò, etiamsi cogi possint ire ad Indos, vel ad terras hæreticorum, casu quo ibi sit Ordinis Conventus, non tamen possunt cogi ibi ad prædicandum hæreticis, seu infidelibus cum periculo vitæ; nam, cùm hoc sit difficillimum, multisque periculis animæ & corporis obnoxium, nemo præsumendus est obligatus ex generali obligatione procurandi proximorum salutem, sed necessariò requiritur specialis, & expressa obliga-
68 tio per votum, vel ex fine peculiari Religionis, ut est in Societate, & in nostra Congregatione Carmelitana Discalceatorum Italiæ: ita cum Suarez, Lessio, Sanchez, & aliis Palaus *ubi suprà, num* 6. & Moronius *ubi suprà, num.* 71. & nostri Franciscus *loc cit.* Gabriel *loc. cit. num.* 236. & Philippus à SS. Trinitate *ubi suprà.*

69 An autem possit Religiosus obligari à Prælato regulari Papæ inferiore ad acceptandum Episcopatum, vel aliud officium, vel beneficium extra Ordinem? Respondeo negativè, etsi laudabiliter faciat obediendo. Et idem dicendum est, si ju- 70
beatur transire ad statum sæcularem, etiamsi 71
justa causa intercedat, vel, si jubeatur transire ad alium Ordinem, etiam æqualem, vel austeriorem, vel minus austerum; nam hæc non pertinent ad observantiam Regulæ, quam professus est; ita Suarez *Tom.* 3. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 10. *num.* 1. & sequentibus. N. Gabriel *loc. cit.* & alii communiter. Dixi, *Papa inferiore*, nam licèt hæc 72
omnia, nec etiam Pontifex per potestatem dominativam possit præcipere Religiosis, benè tamen per potestatem supremæ jurisdictionis.

Adverte tamen, quòd licèt Religiosi non te- 73
neantur suis Prælatis obedire, quando aliquid præcipiunt infra, vel extra, vel supra Regulam, modo explicato, optimè tamen facient, si in omnibus obediant, quæ statui assumpto non repugnant, & tunc non solùm obedientes, sed plusquam obedientes, seu perfecti obedientes dicentur, & hanc obedientiam consulit nostris Religiosis nostra Constitutio 1. *part. cap.* 5. *num.* 8.

Dico V. Religiosi non tenentur obedire Præ- 74
lato manifestè illicita præcipienti contra legem Dei, & Ecclesiæ, etsi etiam jubeantur cum censuris; ita communiter DD. nam Religiosi solùm tenentur obedire in his, quæ sunt materia voti, materia autem voti nec est, nec potest esse res illicita. Hinc, si Prælatus præciperet, res solùm concernentes utilitatem temporalem sui, aut suorum, & non utilitatem spiritualem, ut si præciperet subdito, ut ageret aliqua negotia alicujus sui consanguinei, vel amici, non tenetur subditus obedire, cùm hæc non sint secundùm Regulam; ita N. Ven. Hieronymus à Matre Dei, seu Gratianus *in Disciplina Regul. Part.* 2. *cap.* 1. §. 4. Lezana *Tom.* 1. *qq. Reg. cap.* 4. *num.* 3. & Stephanus à S. Paulo in *Theolog. mor. Tract.* 4. *disp.* 12. *dub.* 4. *num.* 85. qui benè notat Gratianum ac Lezanam dicere, *utilitatem temporalem sui aut suorum*, scil. amicorum, & non *utilitatem temporalem monasterii, aut Communitatis*, de qua aliter philosophandum foret.

Idem dicendum est, si Prælatus cogeret etiam 75
cum juramento subditum ad manifestandum de- 76
linquentem occultum, & nulla infamia laborantem, in quo casu, nec ipse delinquens potest obligari præceptis, se prodere, quia quando persona est occulta, licèt crimen sit publicũ, non interrogat Prælatus juridicè; ita Cajetan. Suar. quos refert, & se-

77 & sequitur Lezana *ubi supra num.* 23. nost. Petrus
78 ab Angelis in *Judice Regul.* 1. *part. cap.* 12. & 15. & alii communiter. Secus dicendum est quando præcedit aliqua infamia, nam tunc juridicè interrogat Prælatus. Sotus, Azor. quos refert, & sequitur Lezana *ubi supra*.

79 Idem dicendum est, si Prælatus præcipiat vana, & inutilia, & impertinentia, nam hæc non cadunt sub materia voti, nisi, ut *supra* diximus, aliquo bono fine honestentur.

80 Item si præcipiat actus merè internos, nisi aliàs
81 sint necessarii ad constituendos actus externos in
82 aliqua specie virtutis, ut si Prælatus præciperet recitare divinum officium, vel Missam pro Petro celebrare; nam tunc tenetur subditus habere simul actus internos attentionis & intentionis: qui sunt modi necessarii illorum actuum externorum; Ita Portel. *in dub. Regularibus verbo* obedientia *num.* 1. & cum aliis Lezana *ubi supra num.* 5. licet aliqui existiment posse Prælatum præcipere actus merè internos; Ita Miranda, Lessius, Granad. Præpositus, quos refert, & ut probabile admittit Diana 9. *part. tract.* 8. *resol.* 67. sed oppositum commune est, ut *ibidem* testatur ipse Diana.

83 Dico VI. Quando tantum est dubium, an res
84 sit illicita tenetur subditus obedire: & idem dicendum est, quando subditus dubitat, rem præceptam excedere legem, vel esse contra illam, aut Prælatum non esse legitimè electum, aut confirmatum, dummodo sit in pacifica possessione, & aliàs sibi, vel alteri non timeat grave damnum: ita commu-
85 niter DD. apud Palaum *Tom.* 1. *tractat.* 1. *disput.* 3. *part.* 15. *num.* 2. licet oppositum teneant Adrian. Vasq. Rodrig. & ex parte Salas apud eundem Palaum.

86 Ratio nostræ resolutionis est, quia cum Prælatus in omnibus his sit in possessione, melior est conditio possidentis; quod verò non teneatur, quando timetur grave damnum, patet, tum, quia obedientia debita Superiori non tollit jus & possessionem Religiosi, vel alterius in bonis fortunæ, honoris & corporis, ut infra dicemus; Tum, quia etiam præcepta Ecclesiæ certa cum gravi damno, & detrimento proprio, vel alieno non solent obligare: ergo à fortiori non obligabunt dubia. Im-
87 mo addo cum Palao *ubi supra*, quod si præceptum Prælati cedat in damnum grave alterius, non posse Religiosum obedire, secus est si solum in damnum Religiosi, nam tunc etsi Religiosus non sit obligatus obedire, poterit tamen cedere juri suo, ut de aliis, quæ sunt infra, vel supra, vel præter legem *supra* diximus; Ita Lessius, Sayrus, Sanch. Villalobos, & alii, quos refert, & sequitur Palaus *loc. cit.* & è nostris Petrus Cornejo *Tom.* 1. *tract.* 8. *disput.* 4. *dub.* 2. Stephanus à S. Paulo *Tract.* 1. *disput.* 2. *dub.* 3. *num.* 12. & *tract.* 4. *disp.* 12. *dub.* 4. *num.* 86. Urbanus ab Ascensione in *Theolog. mor. tract.* 1. *cap.* 7. Philipp. à SS. Trin. & Francisc. Bonæ Spei *locis cit.* Gabriel à S. Vincent. *lib. cit. disp.* 3. *q.* 13. *num.* 224. & 228. & Lezana *loc. supracit. num.* 24. & 25.

§. 4.

Quando obligent præcepta formalia Prælatorum suos subditos ad peccatum mortale?

88 *In quibus conveniant, & differant lex & præceptum, tam generale, quam particulare?*

89 *Præceptum de materia levi secundum se, non potest subditos obligare ad mortale, etiamsi Prælatus explicet se habere intentionem obligandi sub mortali.*

90 *Ratione circumstantiarum, quæ rem levem reddunt gravem, potest Prælatus præcipere rem secundum se levem sub mortali.*

91 *Quæ sint hæ circumstantiæ, declarantur exemplis?*

92 *Quando Regula, vel Constitutio tantùm obligat ad pœnam, Prælatus etiam generalis non potest res ipsas præceptas in Regula ex zelo præcipere sub mortali.*

93 *Generalis non est auctor, sed custos Regulæ.*

94 *Nemo trahitur ad culpam, nisi ductus propria voluntate.*

95 *Statutum consiliare immediatè non potest esse objectum formale obedientiæ sub culpa.*

96 *Prælatus non potest aliquid præcipere supra Regulam.*

97 *Prælatus non potest restringere immunitates, & libertates Regulæ.*

98 *Superior habet jus præcipiendi ea, quæ sunt expressa in Regula eo modo, quo ipsa subditum obligat, & non amplius.*

99 *Si regula tantum obligat ad pœnam solam, pœnis potest cogere subditos, ut illam observent.*

100 *Licet Regula, vel lex tantum obliget ad pœnam, si detur nimia ingressio, & relaxatio, potest Prælatus præceptum imponere sub mortali.*

101 *Propter unius vel duorum culpam non potest Prælatus ponere præceptum, quod obliget totum Conventum sub mortali.*

DIximus in generali, in quibus rebus subditi teneantur suis Prælatis obedire, sed quia illas generales regulas in facti contingentia ad praxim reducere difficillimum est, ideo opportunum judicavi declarare quando, & quomodo præcepta formalia Prælatorum ad mortale obligant subditos.

Pro quo sciendum est, præceptum multum differre à lege, nam lex est perpetua, præceptum verò tantùm obligat, dum perseverat, qui illud imposuit; lex imponitur toti Communitati, præceptum vero singularibus personis; licet præceptum etiam imponi possit toti Communitati, propter aliquam circumstantiam occurrentem bono communi conducentem ac necessariam, lex verò semper respicit materiam magis communem, & universalem. Item præceptum non obligat nisi personas, quibus imponitur, etiamsi in aliis detur eadem ratio, lex verò obligat omnes in quibus eadem causa obligationis existit. Item lex si cesset quoad majorem partem Communitatis, cui imponitur, etiam cessat quoad minorem cum debeat pars conformari toto: è contra verò præceptum certis personis impositum, etiamsi ob peculiares causas non obliget aliquos ex illis, non propterea cessat obligare reliquos; quia de ratione præcepti non est obligare omnes, sed singulos, quos semper obligat, quamdiu vivit præcipiens, & perseverat eadem causa, dummodo etiam præcipiens, perseveret in eodem officio. 88

Limita tamen, quando præceptum ponitur toti Communitati, nam tunc præceptum participat vim legis, unde si cesset in majori parte Communitatis, cessat in totum. Item lex non obligat subditos extra suum territorium, è cõtra verò præceptum etiam extra territorium obligat: nam præceptum dirigitur ad personas, lex ad territorium; limita tamen in Religiosis, nam hi ratione professionis tenentur ubique Regulas, & leges Religionis observare. Item quando præceptum est generale, imponiturque toti Communitati, non solum obligat subditos præsentes, sed etiam futuros, quia tunc, ut supra diximus, participat rationem legis; Ita Amicus *disp.1.de legib.sect.2.n.37.* & *sect.4.n.52.* & *sequentibus*, quibus suppositis.

DICO I. Præceptum formale de materia levi secundum se, non potest subditos obligare ad mortale, etiamsi Prælatus præcipiens explicet, se habere intentionem obligandi sub mortali; non enim potest Prælatus id quod suapte natura lethalis culpæ inca- 89

pæ inca-

pæ incapax est, præcepto suo reddere capax; Ita Salas, Sanchez, Azor. Suar. Reginald. quos refert, & sequitur Tamburinus *de jure Abbatum Tom. 2. disp. 21. quæsito 12. n. 9*, Clavis regia, & alii communiter DD. apud Peyrinis *de subdito q. 1. cap. 5. §. 4. dicto. 4.* Unde maximè reprehendendi sunt Prælati, qui obligare volunt subditos sub mortali propter solam violationem silentii v. g. tali, aut tali tempore, aut propter solam, exempli causa, lactucæ sine licentia manducationem, aut propter aliam similem causam, ut meritò notavit Clavis regia *lib. 3. cap. 7. n. 24.* & talibus Prælatis potest applicari illud Salvatoris *Matth. 21. Imponunt onera gravia, & importabilia.*

90 Adverte tamen posse his parvis rebus tales circumstantias & tam graves conjungi, ut puta, ratione vitandi scandali, etsi illud non esset ex se mortale, aut ratione jacturæ boni communis Religionis, aut proximæ transgressionis votorum, vel Regulæ suæ professionis, ut meritò Prælatus tales res sub culpa mortali prohibere possit, non quidem propter se ipsas, quæ re vera tanti momenti non sunt, sed propter graves circumstantias illis ex accidenti

91 adjunctas v. g. si Prælatus jubeat per præceptum in communi, ne quis ex tali viridario, vel arbore aliquid decerpat; qui sumpserit quid parvum excusabitur parvitate materiæ; si verò ratione mediante præcepto præcipiat, ne quis surripiat talem fructum specialem, ob causas particulares, cum sit fructus rarissimus, & particulari domino destinatus, vel quid simile, ex cujus furto Prælatus notabilem sumet molestiam, licet res in se sit parva, ratione tamen molestiæ gravis datæ, erit mortale; Ita ex Navarro, Portel. *in dubiis regularibus verbo, obedientia num. 5.*

Idem dicendum existimo, si è cellis res, quas Religiosi ad usum habent illis surriperentur; nam tunc ratione damni illis Religiosis illati, si forte grave fuit, vel si leve fuit ratione molestiæ gravis, & perturbationis, & periculi, quod aliis imminet, ne etiam illis res aliæ cum eisdem inconvenientibus surripiantur, potest Prælatus præceptum imponere, ne aliquid è cellis auferatur absque licẽtia, in quo casu, si aliquis rem aliquam absque licentia surriperet, etiam si fuisset levis, mortaliter peccaret, non propter materiam, cum in se sit levis, sed ratione molestiæ, & inquietudinis, & perturbationis pacis, quam illo facto causat: ita à fortiori debet admittere Portel. *ubi suprà*, cum Navarr. & aliis.

Idem dicendum est, si Prælatus præcipiat medio præcepto, ne aliquis Religiosus accedat ad hortum communem Conventus, aut ne accedat ad talem, vel talem sæcularis domum, aut ne transeat per talem vicum, etsi cum licentia sua extiterit extra Conventum, aut ne cum tali, vel tali persona loquatur: hæc enim, & similia, licet in se considerata videantur parvi momenti; comparata tamen ad honestatem, & bonum nomen Religionis, aut ratione scandali, periculi, vel alterius circumstantiæ, efficiuntur res magni momenti, ac per consequens obligant ad mortale; Ita cum Clavi regia, & Suarez, Peyrinis *ubi supra*, Bordon. *Tom. 2. resol. 18. num. 45.* Sanch. Salas, Montesinus, Medina, Baldellus, Molphesius, quos refert, & sequitur Diana *5. part. tract. 5. resol. 18.*

Idem dicendum erit, si omnes ingrederentur hortum, & unusquisque certum quempiam fructum decerperet quacumque vice, ita ut damnum notabile inde sequeretur Communitati, nam tunc ratione damni, quod pateretur Communitas ex singulis illis decerptionibus posset Prælatus talem ingressum sub mortali vetare. Ita cum Salas, Valent. & aliis Peyrinis *ubi suprà.*

Dico II. Quando Regula, vel Constitutiones 92
tantùm obligant ad pœnam, nullus Prælatus etiam Generalis, vel Capitulum generale potest res præceptas in ipsa Regula, vel Constitutione ex solo zelo regularis observantiæ præcipere sub mortali; Ita Sanch. *lib. 6. cap. 2. numer. 46.* Ledesma, Salas, Bonacina, Peyrinis, quos refert, & sequitur Bordon. *Tom. 2. resol. 58. num. 2. & sequentibus*, Lessius *lib. 2. cap. 41. num. 74.* Vasquez *in 1. 2. disp. 154. cap. 3. num. 21.* Quidquid in contrarium 93
dicat Joannes Sanctius *in selectis disput. 33 num. 50.* 94
Ratio hujus est, quia Superior, etiam Generalis, non est Auctor Regulæ, sed tantum custos, & procurare debet, ut illa observetur eo modo, quo jacet: Tum, quia nemo trahitur ad culpam, nisi ductus propria voluntate, sed nemo hujus ordinis ad id propria voluntate in professione ductus fuit, neque ab alio, ergo. Tum, quia 95
statutum consiliare immediatè non potest esse objectum formale obedientiæ sub culpa; cum objectum præcepti exequendi sub culpa immediatè sit ratio debiti, & necessitatis, sed talis lex obligans tantùm ad pœnam non est decretum præcepti, & debiti sub culpa, sed consilium tantum: ergo Superior illud non potest immutare in præceptum; etsi enim Superior præsit Religiosis sibi subdi-

subditis, non tamen Regulæ, sed Regula illi præest. Tum denique, quia hoc est præcipere aliquid supra Regulam, quod tamen Superior ex communi Doctorum sententia facere non potest, quia hoc est restringere immunitates, & libertates Regulæ, quod Superior facere non potest, nisi ad hoc expressam habeat facultatem.

98 Dices, Superior habet jus præcipiendi ea, quæ sunt expressa in Regula, ut observentur, quod nullus negat; sed in Regula præcipitur talis observantia silentii, v. g. vel jejunii, vel litteras non aperiendi, absque eo, quod Prælatis ostendantur, *&c.* ergò Prælatus idipsum sub peccato mortali præcipere poterit. Confirmatur, quia Superiori incumbit procurare, ut in suo Conventu observetur Regula, & ad hoc imponere potest præcepta: ergò poterit sub culpa obligare.

Respondetur ad argumentum, distinguendo majorem; habet jus præcipiendi, quæ sunt in Re-
99 gula eo modo quo ipsa subditum professum obligat, concedo, strictiori modo, nego: undè si tantum Regula obliget ad pœnam, solùm pœnis temporalibus restringere potest subditum: per quod patet quoque resp. ad confirmationem: concedimus namque Superiorem posse imponere præcepta, ut Regula observetur, sed hoc non ratione culpæ, sed pœnæ, & consequenter pœnalia, per hæc enim efficacius etiam subditi compelli possunt ad observationem Regulæ.

100 Dico III. Licet Regula, vel Constitutio non obliget ad culpam, sed tantùm ad pœnam, si tamen detur in aliquo Religioso nimia, frequensque transgressio, aut contumacia, vel alia causa, quæ pessundet Regulam, poterit tunc Superior huic, vel illi præcipere immediatè sub mortali, *&c*; Ita Bordon. *suprà num.* 4. Sanch. Vasquez, Ledesma, Salas, quos refert, & sequitur Peyrinis *de subdito q.* 1. *cap.* 5. §. 3. *dicto* 2. Lessius *suprà num.* 74. versu *Hinc sequitur*. Ratio hujus est, quia in hoc casu nimia crebraque transgressio, & contumacia id exigit in pœnam delinquentis: Tum, quia tunc pœna subeunda est sub obligatione culpæ: Tum, quia cum Prælatus custos sit observantiæ regularis ad eam conservandam potest relaxatum subditum præceptis, & excommunicationibus cogere, ut unius pœna aliorum transeat in exemplum.

Dico IV. Propter unius, vel duorum culpam,
101 non potest Prælatus ponere præceptum, quod obliget totam Communitatem sub peccato mortali: Ita Vasq. *in* 1. 2. *disp.* 154. *cap* 2. *n.* 21. Sanch. *lib.* 6. *in Decal. cap.* 2. *n,* 46 Ledesma, Salas, quos refert, & sequitur Peyrin. *de subdito q.* 1. *cap.* 5. §. 3. *dicto* 2. Vidal. *titulo* de subdito *inquisit.* 1. *num.* 30. Ratio ejus est; quia vita aliorum relaxata aliis observantibus, non debet injicere conscientiæ laqueos, & istis observantioribus esset id manifestè supra Regulam, & ideò obedire non tenentur.

Dico V. Si totum Collegium alicujus esset re-
laxatum: v. g. præcipit Regula, ne Religiosi se- 102
cum deferant pecunias, ne lineis utantur indumentis, vel ne scribant, aut recipiant epistolas absque eo, quod prius à Prælato legantur, vel ne intrent in cellas aliorum absque licentia Prælati; Regulares verò illius Communitatis sunt ita relaxati, ut ista non curent nec æstiment ampliùs, quam si in Regula non continerentur, & publicè deferunt pecunias, lineis induuntur, epistolas scribunt, intrant in cellas, potest in hoc casu Prælatus totam illam Communitatem compellere sub mortali ad observanda ea, quæ alioquin sub nullo peccato tenebantur. ita DD. citati in dicto præcedenti, tenentur concedere; & expressè docet Ledesma, quem refert, & sequitur Peyrinis *ubi supra dicto* 3. & communiter DD. apud Vidal. *ubi supra nu.* 31. Ratio est, quia ad Prælatum pertinet curare totis viribus observantiam Regulæ, *&c.* ergò. Non debet tamen esse nimis facilis in his resolutionibus, quia sunt maximæ consequentiæ, & hoc est augere votum, saltem quoad modum; undè prius debet experiri, an aliis viis possit id obtinere, cum autem censuerit casum desperatum, sua utatur auctoritate, & debito fungatur officio; Ita Peyrinis *ubi supra*.

Dico VI. Materia præcepti, an sit gravis, vel 103
levis, & intentio præcipientis ex nullo alio ita efficaciter colligi possunt, quam ex proœmio, & initio præcepti; sæpè enim ibi imponitur finis, & causa ob quam fertur præceptum: & idem de Lege dicendum est; Ita Tiraquell. Molin. Salas, Guttier. Sanch. Rodrig. & alii quos refert, & sequitur Palaus *Tomo* 1. *tractat.* 3. *disputat.* 5. *punct.* 5. §. 3. *num.* 10.

An autem Prælatus, quando imponit præce- 104
ptum in materia levi, vel quæ tantùm obligat ad pœnam, secundùm Regulam vel Constitutiones debeat exprimere in ipso præcepto causam sufficientem, cur illam rem præcipiat sub mortali, cùm aliàs ex se non esset capax talis obligationis, ad hoc ut subditi teneantur illi sub mortali obedire? videntur affirmare cum Navarro, Moron. *responsione* 21. *n.* 19. Peyrinis *de subdito q.* 1. *cap.* 26. §. 2. *dicto* 5, *& cap.* 12. *ejusdem quæstionis d. ct.* 2. Palau-

ligus *de jejunio decis.* 197. *n.* 4. Ratio hujus est, quia,
105 ut suprà diximus, nullus Prælatus regularis potest ponere præceptum obligans sub mortali in materia levi, vel tantùm ex lege prohibita sub pœna absque justa, & rationabili causa: ergò non potest aliquid in prædictis materiis præcipere suis subditis absque eo, quod in ipso præcepto explicet causas, quæ eum moverunt ad ponendum tale præceptum; aliàs subditi non tenebuntur sub peccato obedire prædictis præceptis. Antecedens jam *suprà* probatum est, consequentia verò probatur; Tum quia, ut optimè notavit Navar. *de spoliis clericorum* §. 2. *nu.* 7. quando aliquis non potest facere rem, nisi ex justa causa, justam causam non est præsumendum
106 intervenisse, nisi de illa constet: pro quo facit fundamentum irrefragabile communiter receptum Bartholi *per illum textum in l. si fortè. l. & quod* quando aliquid non potest fieri sine justa causa, illa debet probari. Tum, quia, ut notavit Moronius *respons.* 21. *num.* 21. onera, non sunt imponenda sine causa, neque sunt subeunda, nisi cognoscantur justa, sed non possunt cognosci justa, nisi dentur eorum causæ, cum illorum justitia ab eorum causa dependeat: ergò causa semper in præcepto debet explicari.

107 Nec sufficit, quod Superior etiam Generalis dicat in ipso præcepto, se id facere ex justis causis, sed illas debet explicare; nam Superiori etiam Generali dicenti se tale præceptum ponere ex justa causa, non est credendum, nisi constet de illa, si id non potest facere sine causa; Ita expresè cum Navarro Peyrinis *de subdito q.* 1. *c.* 12. *& c.* 26. *ejusdem quæstionis* §. 2. versu *dixi ex justa causa.* Moron. *resp.* 21. *n.* 18. *& seq.* Et ratio horum esse potest, quia subditus, quando dubitat de potestate Superioris, non tenetur obedire, ita tenent Vasquez, Salas, quos citat, & sequitur Diana *p.* 4. *Tract.* 3. *resol.* 8. Sayrus
108 *in Clavi regia lib.* 1. *cap.* 13. Ledesma, quem refert, & sequitur Vidal. in *arca vitali titulo* de subdito *inquisit.* 1. *n.* 46. Atqui in hoc casu si Superior non explicet causam præcepti datur dubium de legitima Superioris potestate: ergò subditus cum tali dubio non tenetur ei obedire: minor patet, quia si Prælatus non explicat causam, quæ illi confert talem potestatem, quam antea non habebat, obscurum manet an id quod præcipit sit justum vel non, sed subditus non tenetur obedire Prælato, nisi quando clarè cognoscit esse justum id quod præcipit Superior, ut notavit Vidal. *ubi suprà num.* 30. ergò Superior tenetur causam declarare, quæ reddit præceptum justum.

Nec obstat, si dicas Prælatum esse in possessione suæ Superioritatis, cum in omnibus licitis, jam ex voto obedientiæ subditus propriam voluntatem subjecerit: ergò ad hoc ut subditus illum deturbet à sua possessione præcipiendi supra Regulam non sufficit dubium, sed debet esse certus, quod Superior limites suæ potestatis excedat. Respondetur namque negando Superiorem esse in possessione jurisdictionis, quando dubitatur de legitima ejus potestate circa id, quod præcipit: imò possessio stat pro parte subditi, qui est in possessione suæ libertatis: ergò quando certò non constiterit subdito, Prælatum legitimam habere causam ita præcipiendi, non tenebitur ei obedire, sed nunquam hoc ei certò constare potest, nisi Prælatus causam aperiat: ergò hanc Prælatus tenetur aperire, aliàs semper subditus erit in dubio: antecedens probatur, quia Prælatis regularibus præscripti sunt à subditis per obedientiæ votum certi limites, veluti in contractu, quo subditi obligant se limitatè obedire Superioribus sub tali vel tali Regula: ergò per obedientiam se habent ut debitores ex vi contractus, qui inter illos, & Superiores intercessit: ergò sicuti debitor, quando in dubio post factam sufficientem diligentiam ad indagandam rei veritatem, adhuc dubius manet an sit obligatus solvere hoc vel illud, non tenetur solvere, juxta probabilem opinionem, quia melior est conditio possidentis Cap. *in pari.* Cap. *cum sint jura de regul. jur. in* 6. ita subditus cum sit debitor in dubio, an Superior possit præcipere hoc vel illud, non tenetur obedire, cum stet possessio pro subditi libertate. 109 110 111 112 113

Confirmatur: quia antequam actor probet rem ad alium pertinere, reus qui possidet ex sola possessione probat dominium: ergò antequam Prælatus, qui habet vices actoris, non probet se habere potestatem per exhibitionem causæ, quæ illi confert hanc potestatem, subditus, qui vicem habet rei, ex sola possessione probat dominium suæ libertatis: ergò non tenetur obedire. 114

Nec obstat, si dicas dicta procedere, quando est dubium de prudentia Prælati, si tamen Prælatus fuerit probus, & prudens, non est præsumendum talia præcipere absque potestate. Nam contra hoc est: quia nemo tenetur credere testi etiam fide digno, licet sit Episcopus, vel parochus, præsertim in damnum proprium, vel tertii, ut docet cum Navarr. noster sapientissimus Cornejo *Tom.* 2. *in* 3. *par. tractat.* 5. *de excommunic.* §. 10. *dub.* 2. *num.* 2. Bonacina *Tom.* 1. *de censur. excommunic. disputat.* 2. *quæstione.* 115 116

stione 2. part. 6. num. 46. & habetur in cap. *cum à nobis de testibus & attestationib.* Præterea, quia onus nemini præsumitur injunctum, nisi probetur, ut cum Decio, Cephalo, & aliis probat Moronius *respons.* 61. *num.* 71. Sed hoc præceptum est maximum onus respectu subditorum: ergò non debet præsumi, nisi probetur: non potest autem probari, nisi per exhibitionem causæ; nam, ut docet Pas-
117 qualigus *decis.* 197. *de jejunio,* lex & statutum, sive præceptum, non obligant, secundum mensuram intentionis, quæ manet in legislatore, quia hæc est intentio secreta, & privata, quæ nihil operari potest erga subditos, sed secundùm mensuram intentionis, quæ manifestatur in lege, quia hæc solùm potest causare obligationem in subditis, cum ad extra manifestetur, & det vigorem legi: ergò dum Prælatus causam præcepti non manifestat, subditus non tenetur ei obedire.

118 Contrariam tamen sententiam tenet Bordonus *Tomò 2. resol.* 58. *n.* 46. per hæc formalia verba: *Neque subditus excogitare debet causas hujusmodi præceptorum stante bonitate, & prudentia superioris, qui quandoque occultam habet rationem, & causam ita præcipiendi, licet ignotam subdito, cui illam non tenetur revelare cum in omnibus licitis jam ex voto obedientiæ propriam voluntatem illi subjecerit,* hucusque Bordon. idem docet Tambur. *de jure Abbatum, Tomo 2. disp.* 21. *quæsito* 12. *nu.* 5. quia Abbas non tenetur suis subditis, ait Tamburinus, de omnibus rationem reddere, præcipuè quando pater licitum es-
119 se id quod præcipitur: Tum, quia sic Prælatorum conditio durissima, subditorumque status pessimus foret: Tum, quia probabile est subditum in dubio de potestate superioris teneri ei obedire: ergò licet subditus ignoret causam præcepti, & dubitet de illa adhuc tenebitur obedire.

120 Nec obstat fundamentum allatum à Peyrinis; nam etiam Prælatus non potest ferre censuram sine causa, ut notavit Suarez *Tom.* 5. *in* 3. *p. disp* 4. *sect.* 6. *n.* 1. & tamen, si de facto non declaret, nec inserat in ipsa censura causam illius, censura non est nulla, sed valida, ut docet idem Suarez *de censuris disp.* 4. *sect.* 7. *num* 34. & alii, sufficit enim ad valorem censuræ, ut detur causa: ergò idem dicendum erit de præcepto absque censura.

121 Imò addo, quod si Prælatus aliquid injustè præcipiat, quod non est per se peccatum mortale, nec veniale, sed indifferens, vel dubium, nec in præjudicium rerum animæ, corporis, vitæ, honoris, & famæ subditi, neque alterius, & hoc non solum sine expressione causæ, sed etiam sine causa rationabili, adhuc tenebitur subditus obedire ad vi-
tandum scandalum, quousque admoneat Prælatum superiorem; nam ad vitandum scandalum tenetur quilibet subditus cedere juri suo, juxta illud *ad Corint.* 8. *si esca scandalizo fratrem meum, non manducabo carnes in æternum:* ita cum aliis Peyrinis *de subdito q.* 1. *cap.* 7. *dicto* 4. & *c.* 14. *dicto* 2. *in fine,* Corduba *in regula S. Francisci c.* 10. *q.* 6. *dict.* 4. 122
poterit tamen subditus rem injustè præceptam differre, si præceptum non urgeat; ita Rodrig. Lopez, Sayrus, & alii, quos refert, & sequitur Peyrin. *ubi sup. cap.* 7. *sect.* 4. *versu nec item.* 123

Imò si præceptum in secreto illi imponatur poterit suam vexationem redimendo humiliter replicare, & dicere præceptum esse injustum, & idem poterit facere amicus; ita cum Alvar. Rodri. & aliis Peyrin. *de subdito q.* 1. *cap.* 14. *dicto* 1. non tamen si præceptum imponatur in Communitate, in quo casu, si de facto subditus replicaret, & Prælatus præciperet, quod taceret in virtute sanctæ obedientiæ & sub præcepto, si subditus non taceat, peccat mortaliter; nam ad disciplinam, & observantiam regularem pertinet, ut res Communitatis sine strepitu, & rumore, imò cum pace, & quiete tractentur; Ita Rodrig. Fagund. quos refert, & sequitur Peyrinis *ubi suprà cap.* 7. *dicto* 4. *in fine.* 124

Dixi, *quando id quod præcipitur non est per se peccatum mortale, vel veniale, sed indifferens, vel dubium:* sin minus, tunc magis obediendum est Deo, quam hominibus, Peyrinis *de subdito q.* 1. *cap.* 14. *dicto* 3. *in fine,* & alii communiter. 125

In dubio tamen, an res sit licita nec ne, tenetur
subditus obedire, & deponere dubium practicum, 126
modo res præcepta non sit ex iis, in quibus ignorantia non excusat, ut sunt articuli fidei, præcepta Decalogi, vota solemnia; ita Sanchez *lib.* 6. *in De-
calog. cap.* 3. *num.* 3. & alii, quos refert, & sequitur 127
Peyrinis *de subdito q.* 1. *num.* 51. vel non sit in præjudicium rerum, honoris, vel famæ, aut corporis ipsius subditi vel alterius, ut si Prælatus interroget subditum de delicto alterius, & esset dubium; si juridicè interroget; nam tunc subditus non tenetur ei obedire; Ita cum Vazquio, Aragonio, Henriquez, Lessio, & aliis penes ipsos Diana 4. *p. tra.*
3. *resolut.* 9. Idem dicendum est, si subditus dubi- 128
tans, an obedire Prælati præcepto sit peccatum nec ne, certus sit, quod non obediendo non peccat; nam tunc tenetur non obedire, quia obediendo absque rationabili causa se exponeret evidenti periculo peccandi, nisi haberet aliquam justam causam deponendi dubium; Ita Rodrig.

Sanch. Salas, Peyrinis, quos refert, & sequitur
129 Tamburinus *de jure Abbatum Tom. 2. disp.* 21 *quæsito* 12. *num.* 4.

Dixi, *quando non est in præjudicium vitæ*: nam
130 ratione hujus circumstantiæ non tenetur subditus
obedire Prælato præcipienti, cum periculo vitæ,
imò nec cum maximò detrimento proprio: nemo
enim obedientiæ votum emittens, habet intentionem
se obligandi cum hujusmodi periculo; Ita
Sanchez, Suar. Azor. Bonacina, & alii, quos refert,
& sequitur Tamburin. *Tomo 2. de jure Abbatum
disp.* 21. *quæsito* 8. *num.* 1. hæc tamen doctri-
131 na debet intelligi, quando præceptum Prælati
non dirigitur ad conservationem boni communis
Religionis. hinc Prælatus potest tempore pestis
132 præcipere subditis, ut aliis Religiosis peste laborantibus,
tum in corporalibus, tum in spiritualibus
cum vitæ periculo ministrent, ut *supra* diximus.

Dixi, *in præjudicium animæ*, nam subditus non
133 tenetur obedire Superiori præcipienti aliquid contra
præceptum alterius Superioris illum in dignitate,
& potestate excedentis; puta Dei, Ecclesiæ,
vel altioris dignitatis Prælati: ita omnes Doctores,
ut testatur Peyrinis *de subdito quæst.* 1. *capite* 6.
dicto 1.

Dixi, *in præjudicium corporis*; nam subditus
134 non tenetur obedire Superiori in his, quæ pertinent
ad naturam corporis v. g. in his, quæ pertinent
ad sustentationem, undè non potest Prælatus
præcipere, ut non comedat absolutè, poterit
tamen, ut tale, vel tale obsonium prohibitum per
Regulam, ad quam se per votum obligavit, ne
comedat, prohibere; ita cum Cajetano, & aliis
Peyrinis *de subdito q.* 1. *cap.* 6. *dicto* 6.

Item non tenetur subditus obedire Prælato
præcipienti, ut se denudet coram aliis, vel quod
non deferat vestimenta illi per suam Regulam
concessa; nam hoc est contra religiosam honestatem:
ita cum Armilla, Cajetano, & aliis Peyrin.
135 *ubi supra*; poterit tamen Prælatus præcipere, ut
auferat partem habitus in pœnam alicujus delicti,
dummodò remaneat habitus decens, ut moris est
apud omnes.

Dixi, *in præjudicium honoris*, *& famæ*; nam ra-
136 tione hujus circumstantiæ, non tenetur subditus
obedire, si præcipiatur ire in carcerem, non assignata
causa talis incarcerationis; Ita Peyrinis *de
subdito quæst.* 1 *cap.* 3. *dicto* 1. nam carcer irrogat
gravem infamiam Religioso, qui honorem suum
de jure naturali, cui non renunciavit, tenetur, seu
saltem potest defendere: ergò non tenetur sic captis
oculis se carceri mancipare. Imo etiamsi
Prælatus assignaret causam, si tamen non esset 137
sufficiens, non tenebitur ei subditus obedire; Ita
cum aliis Peyrinis *ubi supra dicto* 2. nam, vel carcer
ponitur in pœnam criminis, & tunc non potest
poni, nisi per sententiam definitivam præviis probationibus,
& defensionibus: vel ad custodiam,
& tunc etiam non potest imponi, nisi reus sit val- 138
de de crimine suspectus, & fugere solitus: vel imponitur
ad afflictionem, & est quædam torturæ
species, & adhiberi non debet, nisi pro gravi crimine:
ergò cum in omnibus his incarcerationibus
grave nocumentum inferatur subdito, semper
debet assignari causa incarcerationis: nisi carcer
adhibeatur in custodiam, & persona sit valde de
crimine suspecta, & fugere solita, vel sit persona
admodum vilis, & de delicti veritate apud Prælatum
satis constet, vel per manifestissima indicia,
vel per testem omni exceptione majorem; Ita Peyrin.
loc. cit.

Sed quæres, an subditus teneatur obedire suo 139
Generali, eum à Provincia, in qua natus aut professus
est, emittenti, absque eo quod ei assignat
causam rationabilem? Pro explicatione hujus dubii
suppono Provincialem posse transferre suum
subditum de una in aliam domum, & Generalem
de una ad aliam Provinciam; Ita cum Navar. Peyrin.
de subdito quæst 1. *cap.* 12. *dicto* 1. & N. Franciscus
loco supracit. num. 7. & habetur in nostris
Constitutionibus 3. *part. cap.* 5. *numero* 3. Hoc sup-
posito Respondeo Generalem non posse trans- 140
ferre Fratres de una ad aliam provinciam contra
voluntatem transferendorum, & illis inauditis
absque rationabili causa; Ita Navarr. Rodiguez,
Vega, quos refert, & sequitur Peyrin. *ubi supra dicto*
2. Et ratio est, quia judex Superiorem agnoscens,
non potest in damnum tertii quidquam facere,
vel ordinare absque rationabili causa, ut cum
Panormitan. Navarr. & aliis notavit Peyrinis *ubi
supra*, & patet ex *Capite* Erit autem lex, *distinctione*
4. ubi dicitur, quod lex debet esse rationabilis,
& honesta: ergò ut subditus teneatur obedire debet
Generalis habere rationabilem causam ad eum
sic transferendum.

Confirmatur, quia etiam Superiori non cognos- 141
centi alterum Prælatum superiorem, & injustum
aliquid mandanti, etiamsi tale injustum mandatum,
peccatum non contineat, non tenetur subditus
obedire, ut docet Panormitan. Tabiena, quos
refert, & sequitur Peyrin. *de subdito quæst.* 1. *ca.* 12.

dicto

dicto 4. & exemplificant, ut si Prælatus mandaret
142 mihi, ut darem alicui meos libros, non teneor obe-
dire, sed deteriores sunt, qui famæ nostræ detra-
hunt, quàm qui substantiam nostram diripiunt, ut
dicitur *Cap.* debitores 6. *q.* 1. & habet Panormit.
in *Cap.* magnæ, *numero* 13. *de voto*: ergò si non
teneor obedire dando meos libros, multò minus
143 dando aut prodigendo meam existimationem, &
famam. Confirmatur, quia in omni obedientia
sunt intelligendæ hæ conditiones, id est, si potero,
vel si rationabile fuerit quod præcipitur, ut cum
Tabiena, Angelo, Rosella, Silvestro docet Peyrin.
ubi suprà: ergò si Prælatus præcipiat aliquid sine
ratione; subditus non tenetur ei obedire.

144 Neque credendum est Generali dicenti se talem
Fratrem transferre ex justa, & rationabili causa,
nam ut benè cum Navarro ait Peyrinis *ubi suprà*,
Superiori etiam non recognoscenti alium Supe-
riorem, dicenti se facere aliquid ex justa causa
non creditur, nisi constet de illa, si id non potest
facere sine causa: ergò multò magis illi non est
credendum, si Superiorem agnoscit, nec quid-
quam sine rationabili causa potest facere. Undè
si Generalis absque rationabili causa subditum
transferat de sua naturali in externam Provinci-
145 am, habet hic justam appellandi causam, seu de
gravamine conquerendi apud Definitorium ge-
nerale, quod eum audire teneatur, & gravamine
sublevare: potest namque hæc translatio redun-
dare in maximam infamiam Religiosi, non solùm
apud Religiosos, sed etiam sæculares; Peyrinis
ubi suprà dicto 3. Et ad Definitorium generale per-
tinet justitiam tueri, & nihil quod iniquitatem sa-
piat admittere, & verè gravatos à gravamine libe-
rare; Ita cum aliis Peyrinis *loco suprà citato*.

146 Dixi, *in præjudicium subditi, neque alterius*; nam
ratione hujus circumstantiæ non tenetur subditus
non solùm non revelare proprium crimen occul-
tum, ut cum Cajetano, Reginaldo, & aliis tenet
Peyrinis *de subdito quæstione* 1. *cap.* 26. §. 1. *dicto* 2.
Sed neque alienum, si est occultum, ut cum aliis
advertit ibidem idem Author *not.* 2. nisi aliàs sit
in damnum Communitatis, vel tertii, & alio
modo non possit occurri tali damno; ut cum D.
Th. Navarro, Reginaldo, & aliis notavit Peyrinis
eodem notabili 2. & noster Petrus ab Angelis in suo
Indice Regul. 1. *part. variis in locis*.

147 Pro cujus explicatione notandum est triplici-
ter posse crimen aliquod dici occultum. *Primò* sim-
pliciter, quando scilicet nullo modo ad multorum
notitiam pervenit; & hoc peccatum, quando so-
lum facienti nocet, nullo modo potest Prælato,
etiam præcipienti cum præcepto, revelari, sed ad
ejus emendationem sola correctio fraterna est ad-
hibenda.

Secundo modo potest dici occultum, quando 148
non scitur factum ipsum malum sed per aliquas
suspiciones in notitiam multitudinis devenit;
undè multorum scandalum erit, & in tali casu, si
Prælatus formali præcepto præcipiat revelari, ut
potest, ad tollendum multitudinis scandalum te- 149
netur ei subditus obedire, nam cum jam sint indi-
cia sufficientia, Prælatus juridicè interrogat.

Tertio modo possunt esse peccata occulta, quæ
tamen vergunt in nocumentum Communitatis,
vel proximorum, & tunc si sufficiat generalis ad-
monitio, quando aliqua mala Communitati, vel 150
Tertio parantur absque revelatione personarum, 151
vel delictorum, hæc sola adhibenda est, vel si suf- 152
ficiat generalis admonitio delictorum, non sunt
etiam personæ manifestandæ, ita cum Navarro,
Rodrig. & aliis Peyrinis *de subdito quæstione* 1. *capi-
te* 16. *notabili* 2. Si tamen hæc non sufficiant te-
netur subditus etiam personam revelare, etiamsi
tale delictum sciret sub decreto naturali, dummo-
do esset extra confessionem.

Et idem dicendum est, si delictum sit in dam- 153
num alicujus personæ, præsertim si sit Prælatus,
ut si sit in nocumentum vitæ, famæ, honoris, *&c.*
Prælati; ita cum D. Thom. Navarr. Reginaldo,
Azorio, Silvestro, & aliis Peyrinis *de subdito quæ-
stione* 1. *cap.* 15. *dicto* 1. Secus dicendum est si de-
lictum tantum vergat in damnum manifestantis,
nam tunc non potest alius, qui sub secreto natura- 154
li novit ullo modo revelare, etiamsi Prælatus for-
mali præcepto præcipiat revelari; Ita cum D.
Thom. Navarr. Cajetano, Silvestro, & aliis Pey-
rinis *de subdito quæst.* 1. *cap.* 15. *dicto* 2.

Idem dicendum est si crimen est occultum, &
tantùm vergit in damnum peccantis, est tamen
jam crimen emendatum, vel est probabilis spes e-
mendationis; nam tunc etiamsi Prælatus præcipi- 155
at, ut saltem paternè illi denuntietur, non est illi o-
bediendum; ita cum Rodrig. Angelo, Vega, Navar.
& aliis Peyrin. *de subdito quæst.* 1. *cap* 16. *dicto* 3. Pe-
trus Navarra, Palaus, & alii, quos refert, & sequi-
tur Giragus *de regimine Prælatorum p.* 3. *dub.* 47. *n.*
279. Secus dicendum est, si delictum non sit emen-
datum, nec sit probabilis spes emendationis; nam
tunc si accedat præceptum Prælati, tenetur subdi-
tus illud paternè denuntiare; Reginaldus *in praxi
lib.* 24. *num.* 61.

156 Idipsum dicendum est si delicta sint in damnum Communitatis, nam hæc etiamsi sint emendata, denuntiare tenentur subditi iis, quibus ex officio incumbit, nisi aliàs peccatum commissum fuisset à persona alioquin gravi, & non solita talia patrare, quia tunc censetur commisisse ea ex urgentissima passione, & aliàs sit jam correctum, & emendatum; vel si denuntians aliquid mali sibi obventurum non judicet; in hoc tamen advertendum est, an sit majus nocumentum, quod ex occultatione provenit bono communi, nam si hoc præponderet, anteponendum est bonum commune privato; Ita cum aliis Peyrinis *ubi suprà*.

157 Si tamen quæras, quæ sint peccata, quæ vergunt in damnum commune, quæ in damnum tertii, quæ tantum in damnum peccantis? Respondeo peccata, quæ vergunt tantùm in damnum peccantis esse fornicationem, sodomiam, ebrietatem, & similia; peccata verò quæ sunt in damnum tertii, esse homicidium, adulterium, furtum, detractionem, *&c.* peccata verò, quæ sunt in damnum commune esse proditionem, institutionem falsæ monetæ, subordinationem ad officia, falsam doctrinam, qua fides, & mores corrumpuntur, occisionem Superioris, hæresim, schisma, expilationem ærarii publici, crimen læsæ majestatis, occisio Principis, & hominis toti Communitati utilissimi, latrocinia publica, *&c*; Ita ferè omnes Doctores, ut cum Palao notavit Girargus *de regimine regularium p. 3. dub. 47. nu. 279. & dub. 37. ejusdem partis n. 228.*

Dixi tandem, *ad vitandum scandalum*; nam si non sit scandalum, non tenetur subditus obedire, cum tale præceptum, cum sit absque causa, sit injustum; subditus autem non tenetur obedire præcepto injusto Prælati, si tale injustum mandatum peccatum non contineat, ut cum Panormit. & Tabiena docet Peyrin. *de subdito q. 1. cap. 12. dicto 4.*

Et idem dicendum est, si ex observatione illius præcepti sequantur absurda, scandalum, seu inconvenientia, nam tunc nullo modo est parendum; ita cum Perez, Barbosa, Pinello, Graffio, & aliis Tamburinus *Tomo 2. disput. 21. quæsito 12 numero 5.* quod est intelligendum, etsi tale præceptum sit justum; Ita cum Abbate, Angelo, Reginaldo, Graffio, & aliis Peyrin. *de subdito q. 1. ca. 7. dicto 4.* videatur circa prædicta N. Petrus ab Angelis in *judice Regulari 1 part. cap. 5. & seqq.*

158 Sed quæres, an præceptum fundatum in præsumptione obliget in conscientia, si præsumptio in aliquo casu particulari deficiat? Castro Palaus *Tom. 1. tra. 3. disp. 1. part. 14. nu. 13.* cum Suarez, Pontio, Salas, Bonacina, & aliis, quos etiam sequitur Carena *de officio sanctæ Inquisit. part. 2. tit. 10. §. 5. num. 30.* distinguunt in præsumptionem facti, & præsumptionem periculi, & de prima dicit cessare, si præsumptio veritati non conveniat: v. g. imponit Prælatus præceptum subdito, ut restituat librum, quem furatus fuit, quia existimat illum furatum fuisse, si subditus talem librum non est furatus non tenetur obedire; fundatur namque hoc præceptum in præsumptione facti, vel delicti falsi, ut tenent communiter DD. quos larga manu refert Palaus *ubi sup. n. 12.*

Si tamen præceptum fundetur non in præsumptione facti, vel delicti, sed in præsumptione periculi, *&c.* v. g. imponit Prælatus præceptum, ne cellas ingrediatur ad evitanda aliqua incommoda, quæ oriri possunt: ne scribantur epistolæ absque licentia, ad evitanda aliqua gravia inconvenientia, quæ non rarò expertus fuit ex furtiva scriptione oriri, & similia, in tali casu, ait Palaus cum prædictis Doctoribus, obligare præceptum etiam in casu, in quo aliquis certo sciat non adesse ibi periculum, ratione cujus præceptum impositum fuit, tum, quia esto non adsit periculum in illo casu, adest tamen generaliter, & ut plurimum, & hoc sufficit, quia fuit causa imponendi præceptum; tum, quia semper ille ingressus, & scriptio sunt de se periculosi, quam sententiam sic explicatam amplectitur etiam Rodriguez *Tom. 1. quæst. 67. art. 3.* Portel *in dubiis regularibus* verbo *lex nu. 1.* 159

Verùm licet hæc sententia probabilis sit, contrariam, quæ absolutè docet legem, vel præceptum 160
fundatum in præsumptione sive facti, sive periculi, si præsumptio in aliquo casu particulari deficiat, cessare ipsum præceptum, vel legem reputo probabiliorem; hanc docet Homobonus, Valerus, Layman. Megala, & alii, quos refert, & sequitur Diana *1. p. tract. 10. resolut. 27.* Delbene *Tom. 1. capite 31. numero 2.* Petrus Hurtad. *22. disp. 76. sectione 37. numero 81.* noster Urbanus ab Ascensione *Tra. 1. cap. 7. fol. mihi 11.* Escobar *in examine Theolog. exam. 1. tract. 1 numer. 81 cap. 12.* & probabilem putant plures ex Doctoribus contrariæ sententiæ, ut advertit Diana *ubi suprà.* Ratio autem est, quia 161
cessante fine legis in aliquo casu particulari, cessat lex, ut docent Navarr. Henriquez, Comitolus, Abbas, Angelus, Sosa, Sa, Megala, Granad. quos refert, & sequitur Diana *1. p tract. 10. resol. 28.* Escobar *ubi suprà n 84.* Delbene *ubi suprà nu. 9.* Giragus *de regimine regularium part. 3. dub. 10. num. 92.* & alii,

alii, licet contrariam sententiam multi teneant, quos refert Diana *ubi suprà*, sed in prædicto casu, ut suppono defecit periculum ob quod lex lata fuit, ergò defecit ipsa lex.

Confirmatur, quia si periculum in communi cessaret, absque dubio lex in totum cessaret; nam cessante fine legis in communi, cessat lex in communi, ut omnes admittunt, ergò si ratio adæquata legis cesset in aliquo casu speciali, seu comparatione alicujus personæ, & temporis, cessabit lex in particulari, patet consequentia, quia valet argumentum à toto ad partem.

162 Hinc fit, quod si Prælatus ponat præceptum ne Religiosi vadant ad viridaria Conventus ob dubium, vel periculum, quod ibi est loquendi turpiter cum muliere, quæ ex adverso moratur, vel ne intrent cellas horis quibusdam silentio deputatis, quia talis ingressus est suspectus, seu periculosus, non obligare in conscientia, si veritas sit in contrarium; nam cum finis præcepti tantùm sit periculum peccati, hoc sublato in aliquo casu particulari, tollitur lex: quod in casu pietatis, necessitatis, & charitatis etiam affirmat Rodriguez *Tom.* 1. *quæst.* 67. *art.* 3. v. g. si intrent in cellas ad curandum infirmum, licet in aliis casibus, hoc neget.

163 Si tamen Religiosus in externo foro deprehendatur fecisse contra præceptum puniri poterit à legislatore, quia non tenetur credere bonæ illius fidei, alioquin posset identidem ab iniquis decipi, qui semper allegarent se bona fide processisse, atque hic casus est unus ex illis, in quibus datur bellum justum pro utraque parte, nimirum propter ignorantiam rerum occultarum, & secretorum cordis, qua præpeditur Superior, ne videre queat bonam illorum fidem, qui agunt contra legem præsumptivam; ita noster *supracit.* Urbanus *Tractat.* 1. *capite* 7. *suæ Theolog. moral. canonicæ ac practicæ.*

§. 5.

An quando varietas opinionum versatur inter Superiorem, & Subditum teneatur Subditus Superiori præcipienti juxta propriam opinionem obedire?

164 *Data opinione probabili pro subdito non tenetur obedire præcepto Superioris.*

165 *Unicuique licitum est sequi opinionem probabilem.*

166 *Adhibita sufficienti diligentia, an sit positum præceptum, si nihilominus maneat opinio probabilis non dari præceptum, subditus non tenetur obedire.*

167 *Nemo obligatur præcepto, nisi illi fuerit sufficienter propositum.*

168 *Præcepta oretenus prolata non obligant ad mortale ex communi omnium Religionum usu.*

169 *Quomodo hoc sit intelligendum?*

170 *Si detur opinio probabilis, rem præceptam esse illicitam, vel excedentem Prælati potestatem, subditus non tenetur obedire.*

171 *Quid si Prælatus præcipiens sit prudens, mansuetus, & discretus?*

172 *Nemo tenetur aliorum opinionem sequi, suam probabilem deserendo.*

173 *Subditus vir doctus per seipsum inducens probabilem opinionem, non tenetur præcepto Prælati obedire.*

174 *Quando datur probabilis opinio Prælatum non fuisse legitimè electum vel confirmatum, non tenetur subditus ejus præceptis obedire.*

175 *Prælatus regularis non potest punire subditum, sequentem probabilem opinionem, ei non obediendo.*

176 *Qui operatur probabiliter, prudenter operatur.*

PRo hujus dubii resolutione notandum est, opinionem posse oriri ex triplici capite. *Primò* ex parte solius præcepti, quando nimirùm certum est de auctoritate præcipientis, & de honestate rei præceptæ, sed ambigitur an res sit præcepta necne. *Secundò*, ex parte rei præceptæ, quando nimirum constat de præcepto, & de auctoritate præcipientis, sed disquiritur, an res sit illicita, id est, contra Deum, suam regulam, vel Ecclesiam, &c. *Tertiò*, ex parte Prælati, quia scilicet est varietas opinionum, an Superior possit hoc vel illud præcipere, & vocatur in dubium ejus potestas; ut si opineris Superiorem non esse legitimè allectum, eo quod sit malè electus, seu confirmatus, vel præceptum excedere ejus potestatem. Tandem advertere hic non esse sermonem de dubio; nam de hoc jam *suprà* dictum §. 3. *hujus sectionis num.* 83. sed de opinione. His suppositis,

DICO I. Data opinione probabili pro subdito, 164
non tenetur subditus obedire Prælato, & ei licet utramque partem sequi; etiamsi adversum se habeat magis probabilem opinionem. Ita Sanc. Palaus, Joan. Sanctius, Petrus Navarra, & alii, quos refert, & se-

& sequitur Giragus *de regimine regularium part.* 3.
dubio 3. *numero* 193. Vidal. *in arca vitali titulo* de
pœnitentia, *inquisit.* 7. *numero* 74. Licet Diana
parte 2. *tractatu* 13. *resolutione* 10. contrariam
165 sententiam communiorem & probabiliorem esse
asserat, quam permulti alii Doctores validè pro-
pugnant. Et idem Diana iterum 9. *part. tract.* 9.
resolut. 19. ubi etiam pro nostra sententia adducit
Rocafull in *prax. Theolog. moral. p.* 3. *lib.* 3. *du.* 14.
& *libro* 7. *de legibus Ecclesiasticis. capite* 5. *numero*
39. referens hæc ejus verba: *Quod si opinio proba-
bilis excusaret subditum, id esset in foro consci-
entiæ, non tamen in in foro exteriori tribueret infe-
riori potestatem, qua se eximeret ab obligatione legis
probabili judicio innixæ*: sed ego puto, subjungit
ibid. Diana, nostram sententiam tenendam esse in
utroque foro. Ratio verò nostræ assertionis est,
quia unicuique licitum est, sequi opinionem pro-
babilem: nec obstat, si dicas Superiorem justè
præcipere, siquidem præcipit juxta probabilem
sententiam. Respondetur namque Superiorem non
omninò justè præcipere, eo quòd simul adest opi-
nio favens subdito in contrarium, sed tantùm præ-
cipere justè probabiliter. Undè subditus tantum te-
netur obedire probabiliter: & in hoc casu ob igno-
rantiam datur bellum justum ex utraque parte.
166 Dico II. Adhibita sufficienti diligentia, an sit
positum præceptum, seu lex in aliquo casu obli-
gans ad mortale, si veritas erui nequeat, sed adhuc
lateat sub opinione, subditus non tenetur ad ob-
167 servantiam legis seu præcepti; Ita Suar. Henriq.
Sanchez, & alii, quos refert, & sequitur Giragus
ubi sup. n. 194. contra Armillam, Vasq. Peyrin. &
alios. Ratio ejus est, quia nemo obligatur legi, nisi
sit illi sufficienter proposita, opinanti verò legem,
seu præceptum non esse impositum, nondum est
sufficienter propositum: ergò is servare talem le-
gem, seu præceptum non tenetur. Hinc fit ex
168 communi more Religionum, ut advertit Suarez
Tom. 4. *de relig. tr.* 8. *lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 25. præcepta
Prælatorum, quæ oretenus feruntur non censeri
169 obligare sub mortali, quamtumvis materia sit gra-
vis, & verba sint præceptiva, nisi fortè in eorum
transgressione interveniat contemptus; & ratio
est, quia ex usu illa verba non satis ostendunt in
Prælato sufficientem voluntatem obligandi sub
mortali, ut colligitur ex D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.*
9. & Cajetan. *ibidem*: ergò subditus non tenetur e:
sub mortali obedire, siquidem præceptum illi suf-
ficienter adhuc intimatum non est; Ita Pelliz. *tr.*
9. *cap.* 3. *sect.* 2. *num.* 37.

Dico III. Subditus habens probabilem opinio-
nem, rem à Prælato præceptam esse illicitam, pos- 170
sidet libertatem ei non parendi; Ita Joan. Sancti-
us, Palaus, Lessius, Ledesma, quos refert, & se-
quitur Giragus 3. *p. dub.* 30. *n.* 196. Vidal. *ubi su-
prà n.* 74. Et ratio est, quia licet Superior habeat
jus præcipiendi, ut subditus operetur, id quod cer-
to & indubitanter est bonum, & licitum, & secun-
dum suam Regulam: attamen non idem evenit,
quando subditus habet probabilem opinionem,
vel non esse bonum, ac licitum, & secundùm suam
Regulam, id quod præcipitur à Superiore, vel
esse quid excedens suam jurisdictionem: ergò in
tali casu solum etiam probabiliter obligatur sub-
ditus, & cum opposita opinio sit affirmans non
manere obligatum, poterit subditus licitè hanc in
praxi sequi.

Nec admittendam esse existimo limitationem, 171
quam affert Giragus *ubi sup. n.* 198. scilicet prædi-
ctam doctrinam procedere, quando Prælatus est
imprudens, & indiscretus, & ad imponenda sæpè
præcepta inclinatus, non verò quando est pru-
dens, pius, & discretus in his præceptis imponen-
dis; nam alii Doctores de tali limitatione hucus-
que mentionem non fecerunt. Deindè, vel discre-
tio, & pietas, seu prudentia Prælati reddit falsam,
& improbabilem opinionem subditi, vel non, si
illam reddit improbabilem tollitur quæstio, sed
hoc non probat Giragus. Si tamen data ex parte 172
Prælati prædicta mansuetudine, prudentia, &
discretione, adhuc ex parte subditi datur probabi-
lis opinio rem præceptam esse illicitam, vel exce-
dentem ejus potestatem, quod sæpè evenire potest,
non est cur subditus talem opinionem non possit
amplecti; nemo enim tenetur aliorum opinionem 173
sequi, & propriam probabilem deserere, ut cum
communi Doctorum sententia notavit Vidal. *ubi
sup. n.* 77. Imò addito Sanctio *in selectis disp.* 33. *n.*
30. Vidal. ait *ibid. n.* 76. quod subditus doctus, qui
per se ipsum introducere potest opinionem proba-
bilem, si in aliquo casu judicet probabiliter, non
teneri obedire Superiori, maneat tutus in consci-
entia, tum non obediendo.

Dico IV. Quando subditus habet opinionem 174
probabilem Superiorem non fuisse legitimè ele-
ctum, vel confirmatum parere ei non tenetur; Ita
Joannes Sanctius, Palaus, Lessius, Salas, quos re-
fert, & sequitur Giragus *p.* 3. *de regimine regul. dub.*
30. *n.* 197. adversus Sanchez. Ratio hujus est, quia
data opinione probabili, jam jus imperandi in
Superiore tantùm est probabile. ergò sicut Superior
potest

potest probabiliter uti jure suo, ita subditus illi probabiliter non obtemperare, hic enim est unus ex casibus, in quibus potest dari bellum justum pro utraque parte, ut advertunt doctores communiter, & notavit Vidal. *num.* 78. *loc. cit.*

175 Dico V. Prælatus Regularis non potest justè, & licitè punire suum subditum, qui sequens opinionem probabilem suo præcepto non obtemperavit; Ita Diana 3. *part. tract.* 2. *resol.* 93. Sanctius *in Selectis disp.* 44. *num.* 52. ubi alios citant. Vidal. *titulo* de
176 pœnit. *inquisit.* 6. *num.* 72. Ratio autem est, quia qui operatur cum probabili opinione prudenter, & licitè operatur, cum se conformet regulis rectæ rationis: ergo justè, & licitè non potest puniri: antecedens est certum; consequentia probatur; tum, quia res, quæ culpa carent in damnum vocari non debent *cap.* 2. *de constitutione:* tum, quia punire sui facti justam & rationabilem causam habentem, aut excusationem, intrinsecè est malum, sed qui operatur cum opinione probabili, justam habet sui facti excusationem: ergo punire illum erit malum intrinsecè.

Non desunt tamen complures, gravesque Authores, qui contrarias prorsus sententias cunctis ferè iis, quæ in *hoc* §. *quinto* asseruimus teneant, defendantque maximè pro foro exteriori, ut supra quoque *n.* 165. insinuavimus. Animadvertendum est hic quoque documentum illud observatione dignissimum, quod in simili argumento tradit Gabriel à S. Vinc. in suo de censur. opere *disp.* 3. *q.* 13. *num.* 288. dum docet in dubio, &c. standum esse Prælati judicio, nec repugnandum, sed cæco modo obediendum, quod proprium est Religiosorum ad perfectionem obligatorum: nec facile sibi blandiri, aut persuadere debent, &c. *quæ enim diximus*, inquit, *procedunt secundum rigorem juris, non secundum perfectionem virtutis, quam Religiosi æmulari debent.*

Agunt nonnulli hoc in loco, seu tractatu de voti obedientiæ excellentia, perfectione, gradibus, effectibus, &c. Verum cum hæc ad Ascetarum potius quam Theologorum Scholam pertineant, nos his prætermissis ad alia festinamus: consuli interim poterunt circa hæc Pellizzarius *Tom.* 1. *Man. Reg. Tract* 4. *cap.* 4. & è nostris Ven. P. Joan. à Jesu-Maria in variis tractatibus operum suorum, maximè 2. *part. Instruct. Novit. c.* 6. Alphonsus à Jesu-Maria in suo nunquam satis laudato opere de periculis remediisque perfectionis Religiosæ *Tom.* 1 *part.* 2. *discurs.* 3. Franciscus à S. Elia in *Comment. supra Regul. Carmelit. cap.* 1. ubi fusius ex SS. PP. hæc pertractat. Joan. à S. Samsone, cæcus ab incunabulis, in suis opusc. maximè *Theoremat. de obedientia*, Michaël à S. Augustino *Tract.* 1. *Introductionis in terram Carmeli.* aliique.

SECTIO II.

De obligatione, quam habent Religiosi ex vi voti obedientiæ in ordine ad Regulam.

§. I.

Quid sit Regula, & quam obligationem inducat respectu omnium Religionum?

177 *Quid significet hoc nomen Regula?*
178 *Proponitur Regulæ definitio.*
179 *Unde Religiosi dicantur Regulares?*
180 *Quot Regulæ dentur in Ecclesia?*
181 *In quo differant Constitutiones à Regula?*
182 *Obligatio Regulæ est diversa pro diversitate Regularum.*
183 *De essentia Regulæ non est, ut semper obliget ad culpam.*
184 *Regulæ sunt leges coactivæ.*
185 *Regula si tantum obliget ad pœnam est lex pœnalis.*
186 *Quando legislator declaravit se habere intentionem obligandi sub mortali, non omnia contenta in Regula obligant sub mortali.*
187 *Unde colligatur quæ Regula obliget sub mortali, quæ sub veniali?*
188 *Quando legislator declaravit se tantum velle sub veniali obligare; Regula in nullo casu obligat sub mortali, etsi sit materia gravis.*
189 *Quid si præcipiat aliquid jure divino, vel Ecclesiastico jam præceptum?*
190 *Quid si legislator dicat se non habere intentionem obligandi sub mortali?*
191 *Quid si dicat se habere intentionem obligandi ad pœnam?*
192 *Subditus in hoc casu non subeundo pœnam, non peccat.*
193 *Quid si accedat speciale Superioris præceptum?*
194 *Quando legislator non explicat, an Regula obliget sub mortali, vel veniali, vel tantum ad pœnam, attendenda est consuetudo Religionis.*
195 *Quid si non detur consuetudo, sed Religio de novo incipiat?*

196 *Quid, si materia fuerit gravis; & verba sint præceptiva?*
197 *Quæ verba contineant præceptum?*
198 *Quæ non contineant præceptum?*
199 *Verba in imperativo prolata continent præceptum, si materia fuerit gravis.*
200 *Idem dicendum est, quando verbis indifferentibus additur* in virtute Spiritus Sancti *seu* obedientiæ, *& similia.*
201 *Quid si lex imponat pœnam degradationis, vel aliarum censurarum ipso facto?*
202 *Quid si censura non imponatur ipso facto, sed tantum sit inferenda?*
203 *Ad observantiam Regulæ tenentur omnes Religiosi sive subditi sint, sive Prælati?*
204 *Idem dicendum est de Constitutionibus.*
205 *Quomodo Prælati teneantur servare præcepta, quæ ipsi aliis imponunt?*
206 *Religiosi, qui habent animum observandi solum ea, quæ obligant ad mortale, non sunt in statu mortalis peccati.*
207 *Idem dicendum est de eo, qui habet consuetudinem violandi leges non obligantes ad mortale.*
208 *Quid si detur scandalum in materia gravi, periculum, vel contemptus, &c.*
209 *Ab observantia Regulæ excusat ignorantia invincibilis, impotentia vel dispensatio.*
210 *Idem dicendum est de Epicheja, & consuetudine.*
211 *Quomodo hoc sit intelligendum?*
212 *Cessante fine adæquato legis in aliquo casu particulari, cessat lex.*
213 *Cessante fine legis in communi cessat lex in communi.*

177 DIco I. Regula dicitur ex eo quod regat, præbens normam rectè vivendi, corrigatque quod
178 est distortum, ut ait Isidorus 6. *Ethymolog. cap.* 16. Unde definiri potest, quod sit, *Exemplar seu mensura eorum, quæ ex vi votorum tenentur exequi Religiosi*: dicitur *mensura*, quia sicut res mensurata non debet excedere, nec esse minor mensura, sic obligatio Religiosorum, nec potest esse major, vel minor, his, quæ continentur in Regula sive
179 explicitè, sive implicitè. Et hinc Religiosi dicuntur *Regulares* eò, quod eorum vita Regula mensurari debeat. Hinc fit omnes Religiosos habere suas Regulas; nam licet non dentur in Ecclesia,
180 nisi quinque Regulæ approbatæ, scilicet sancto-
181 rum BASILII, AUGUSTINI, BENEDICTI, FRANCISCI, & S. ALBERTI seu Carmelitarum, ut inter alios docent nostri Thomas à JESU in *Exposit. Regul. part.* 2. *dub.* 3. & Joannes Pinus de Victoria in *Hierarchia Carmelit. tract.* 2. *cap.* 13. Cæteræ nihilominus Religiones, quæ nullam ex prædictis Regulis profitentur, ut sunt Societatis JESU, & Carthusiensium, habent suas Constitutiones à Sede Apostolica approbatas pro Regula; deficiunt tamen hujusmodi Constitutiones à perfectione Regulæ, nam tales Constitutiones, cum sint factæ à Religione, etiamsi sint à Papa confirmatæ, possunt alterari, mutari, cassari, & de novo condi ab eadem Religione, ut patet ex Bulla Pauli III. pro Jesuitis relata *in Bullario Societatis pag.* 11. Regula verò cum sit jure communi & à Papa specialiter confirmata, à solo Papa alterari, vel mutari potest, & nullo modo à Religione, ita Suarez *Tom.* 4. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 3.

DICO II. Sicut dantur multiplices Regulæ & 182
Constitutiones, ita earum obligatio, licet quoad
tria vota substantialia sit eadem, quoad alias verò
observantias Regulares est diversa; aliæ namque
ad illas obligant sub mortali, quædam sub veniali, 183
aliæ verò ad nullam culpam, sed solùm ad pœnam; non enim est de essentia Regulæ, ut semper obliget ad culpam: nam cum Regulæ non sint de rebus alias obligantibus, non habent vim obligandi nisi ex voluntate legislatoris, qui si explicet tantum velle obligare ad veniale, vel ad pœnam, non est cur earum obligationem augeamus. Castro, Corduba, Valentia, & alii quos refert: & sequitur Fragosus 2. *p. lib.* 11. *disp.* 24. §. 10. *n.* 3.

Nec obstat, si dicas Regulas Religionum esse le-
ges, & non tantum mera consilia, sed de essentia 184
legis est obligare transgressores ad culpam: ergo vel
dicendum est Regulas obligare semper ad culpam,
vel solum esse consilia, & non leges. Respondetur 185
namq; concedendo Regulas non esse tantùm consilia, licet multa talia contineant, sed etiam leges coactivas; de essentia tamen legis tantum est obligare subditos, vel ad culpam, vel saltem ad pœnam, non tamen semper ad culpam, sufficit namque, ut salvetur essentia legis pœnalis, qualis est Regula obligans tantùm ad pœnam, ut obliget in conscientia ad pœnam sustinendam pro quacunq; transgressione: cum ergo Regula obliget ad sustinendam pœnam, sive à se taxatam, sive à Prælatis imponendam pro quacuncque illius transgressione, hoc sufficit, ut non tantùm merum consilium, sed lex, & Statutum. Suar. *Tom.* 4 *de Relig. tract.* 8. *cap.* 2. *n.* 5. & 6. & cum aliis Fragosus *ubi supra num.* 5.

DICO III.

186 Dico III. Quando legislator declaravit, se habere intentionem obligandi sub mortali, non omnia, quæ in Regula continentur obligant sub mortali, quædam namque ponuntur, ut mera consilia, quædam verò sunt incapacia tantæ obligationis ratione parvitatis materiæ. Unde etiam si præcipiantur verbis præceptivis tantùm obligant ad culpam venialem. Ita communiter Doctores
187 apud Bonacin. *disp.* 1. *de legibus quæst.* 1. *part.* 7. §. 4. *num.* 18. & nos jam *supra* tetigimus; Tunc igitur talis Regula obligabit ad mortale, quando materia fuerit capax tantæ obligationis, & Regula utatur verbis præceptivis. Quæ verba autem contineant
188 præceptum statim dicemus. Quando verò legislator declaravit se tantum velle obligare sub veniali, tunc talis Regula in nullo casu obligabit sub mortali, etiamsi materia sit gravis, nisi quando imperat aliquid continens materiam voti, ut si prohibeat habere proprium, aut quid simile, tunc tamen non obligat ex vi Regulæ, sed ex vi voti.
189 Idem dicendum est, quando præcipit aliquid quod jure divino, vel Ecclesiastico est debitum, ut si præcipiat diebus festis audire Sacrum; nam tunc si legislator aliud non explicet, non imponit novum præceptum, sed tantum ad memoriam reducit antiquum; Ita ex Valentia, Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 4. *num.* 6. Cajetan. quos refert, & sequitur Lezana *Tom.* 1. *cap.* 7. *num.* 9. In dubiis namque debe-
190 mus amplecti id quod minimum est, & novas imponere obligationes vitare. Dixi, *nisi legislator aliud explicet*: tunc enim violatio talis præcepti continebit duplicem malitiam, aliam contra preceptum Ecclesiæ, quæ est mortalis juxta ipsius materiam, & aliam venialem vel mortalem juxta Regulæ obligationem; Sanctius, Valentia & Lezana *loco citato*, apud quem videre poteris unde oriatur hæc altera malitia. Quando verò legislator dicit se non habere intentionem obligandi ad mortale, nihil amplius explicando, tunc talis Regula non solum obligabit ad culpam venialem, sed etiam ad pœnam; nam cum solum culpam mortalem excludat, totam aliam obligationem, quæ ex vi legis inferri potest admittit; Ita Pellizzarius *Tractat.* 5. *cap.* 1. *num.* 13
191 Quod si legislator declaret Regulam tantùm obligare ad pœnam, tunc solum tenebitur subditus ad illam. An autem teneatur subditus saltem sub veniali in prædicto casu pœnam subire? affirmant
192 S. Antonin. Azor. quos refert Fragos. *ubi supra n.* 4.
193 Verùm probabilius est nullam esse culpam nō subire pœnam à lege, vel à Superiore impositam, nisi accedat speciale præceptum Superioris; nam declaratio Regulæ excludens obligationem in conscientia est universalis: ergo excludit illam etiam quoad subeundam pœnam: ita Armilla Valentia, Cajetan. Suar. & alii, quos refert, & sequitur Fragosus *ubi supra n.* 5. Dixi *nisi accedat speciale præceptum Superioris*, nam tunc tenetur subditus non proximè ex vi Regulæ, sed ex vi præcepti, & tantùm radicaliter ex vi Regulæ, quatenus obligat subditum ad subeundam pœnam, quam si noluerit subire, potest eum Prælatus cogere mediante præcepto; Ita cum Cajetano Suarez *Tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 8.

Quod si legislator non explicet an Regula obli- 194
get sub culpa mortali, vel veniali, vel solum ad pœnam, tunc inspicienda est communis Regulæ acceptatio, atque existimatio, & sensus Religionis, cui Regula fuit tradita; est enim communis acceptatio optima legum interpres, *cap. cum dilectus de consuetud. leg. si de interpret. ff. de legibus*, nec lex aliter obligat, quam prout ab omnibus recipitur, Navar. *in summa cap.* 23. Valentia 2. 2. *quæst.* 4 *disp.*
10. *part.* 5. Quod si detur casus, quod nec legisla- 195
tor, nec consuetudo Religionis declaravit modum obligationis Regulæ, ut contingere potest in Religionibus noviter institutis, tunc si materia præcepti non est gravis, sed levis, non poterit obligare ad culpam mortalem, etsi legislator verbis hoc intendere videatur præceptivis. Castro *lib.* 1. *de lege pœnali cap.* 5. *docum.* 2. Medina 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 3. Lezana *ubi supra num.* 12. Aragonius, Clavis regia & alii, quos refert & sequitur Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 4. *num.* 31. licet alii apud Sanch. contrarium teneant: cum enim verba præceptiva sint indifferentia ad culpam mortalem, vel venialem, non est, unde obligationem sub mortali, vel veniali colligamus, nisi ex gravitate, vel levitate materiæ.

Si tamen materia fuerit gravis, & exprimatur per 196
verba præcepti, sive affirmantis, ut sunt *præcipio*, 197
jubeo, impero, mando &c. sive prohibentis, ut sunt *prohibeo, veto, interdico, &c.* obligat sub mortali; Ita Vasq. Suar. Sanch. quos refert, & sequitur Palaus *Tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 1. *part.* 1. *num.* 2. Fragosus *ubi supra num.* 12. Nec audiendus est Sà *in summa verbo* lex *numer* 6. Azor. *Tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 5. dicentes verbum *jubeo*, vel *mando* præceptum grave non importare; nam, ut optimè probat Sanch. *lib.* 6. *in Decal. cap.* 4. *numer.* 33. Vasq. 1. 2. *disp.* 158. *cap.* 3. *num.* 12. idem prorsus significant, ac *præcipio*.

An autem idem dicendum sit de verbis: *Horta-* 198
mur,

mur, ordinamus, innovamus, volumus, sancimus, & decernimus? affirmat Bonacin. *de legibus disp*.1.*q*.1. *part*.7.§.4.*n*.1. Sed contrarium tenendum est, sunt enim verba communia, & non præcepti, nec æquipollentia præcepto; Ita Castro Gabriel Vasquez Sanch. quos refert, & sequitur Fragosus *ubi supra num*.22. Azor. Suar. quos refert, & sequitur Palaus *ubi supra num*. 2.

De verbis *debeant, & oportet*, majus est dubium; aliqui namque dicunt verbum *debeo*, solum importare debitum honestatis, & non necessitatis: communis tamen sententia apud Palaum *ubi supra* affirmat importare debitum necessitatis.

Idem dicendum est de verbis *teneantur necessario, necesse est, non liceat, non potest*; Ita Sayrus, quem refert, & sequitur Fragos. *ubi supra num*.22. non tamen hoc affirmandum est de verbo, *oportet*, hoc enim honestatem, & convenientiam declarat. Sanch. quem refert, & sequitur Palaus *ubi supra*: licet contrarium teneant Navarrus, Toletus, Sà relati à Sanch. *lib. 6. Decalogi cap*. 4. *numer*. 36.

199 An autem verba in imperativo modo prolata *facite, cavete, abstineant omnes, nemo audeat*, contineant præceptum? negant Castro, Cajetan. & alii quos refert Palaus *ubi supra num*. 3. Navar. vero *ubi supra*, & Sayrus, quos refert idem Palaus, dicunt importare obligationem sub veniali.

Dicendum tamen est obligare sub mortali, si materia fuerit gravis. Ita Panormitan. Bonacin. quos refert, & sequitur Fragosus *ubi supra*; hæc enim verba in imperativo prolata, sunt æquipollentia præcepto. Vasquez, quem refert, & sequitur Palaus *ubi supra n*. 5.

200 Idem dicendum est, quando verbis indifferentibus additur *in virtute obedientiæ, in virtute Spiritus Sancti*, vel *in nomine* Jesu, *sub interminatione gehennæ, sub pœna indignationis Dei, sub attestatione Divini judicii*; *strictè, arctè*, & similia, intentio præcipientis est obligare sub mortali; Ita Sanch. *ubi supra num*. 43.

201 Et idem dicendum est, quando lex imponit pœnam degradationis, & privationis Ecclesiasticæ sepulturæ, vel pœnam excommunicationis, suspensionis, vel interdicti ipso facto incurrenda; Sanch.
202 *ubi supra n*. 4. Palaus *ubi supra n*. 4. & 5. Secus dicendum est, quando censura non ponitur ipso facto, sed tantum est ferenda, & solum imponitur ad terrorem. Ita multi apud Dianam 3.*p.tract*.6.*resol*. 76. Palaus *ubi supra n*.13.

Dico IV. Ad Regulæ observantiam tenentur omnes Religiosi utriusque sexus, sive sint subjecti Episcopo, sive non, etiamsi sint Prælati supremi quoad vim directivam, cùm Regula sit Superior etiam Generali, utpote jure communi, vel à Papa specialiter confirmata. 203

Idem dicendum est de Constitutionibus Ordinum, siquidem factæ sunt à Capitulis generalibus, quæ sunt superiora generalibus; Ita D. Thom. Sotus, quos refert, & sequitur Lezana *Tom*. 1. *cap*. 8. *num*.21. Imo etiam obligat ipsos Generales aliquo modo quoad vim coactivam, quatenus finito suo officio, vel tempore Capitulorum, possunt ob earum transgressionem puniri. Miranda, Rodriguez, quos refert, & sequitur Lezana *loc.cit*. qui alibi addit, teneri Prælatos regulares servare præcepta, quæ aliis imponunt; quia subditos debent præcedere exemplo, quæ autem, ex quanta sit hujusmodi obligatio suo loco dicemus, agentes de obligationibus Prælatorum. 204 205

Dico V. Religiosi, qui habent animum, & propositum solum observandi Regulas, vota, & præcepta obligantia sub mortali, non vero obligantia ad veniale, vel solùm ad pœnam, non sunt per se loquendo in statu peccati mortalis, etsi perseverent per multum tempus in hoc statu. 206

Idem dicendum est de eo, qui habet inveteratam consuetudinem violandi Regulas obligantes tantùm sub veniali, vel ad pœnam; Ita cum aliis Giragus *de regimine regular. p*.3.*dub*.43.*n*.57. & 58. & *sequentibus*, & nos jam *supra* diximus *disp*. 1. *hujus Tractatus sect*.2.*n*.39. & *sequentibus*. Dixi *per se loquendo*; nam aliquando ratione periculi labendi mortaliter, vel contemptus, vel scandali in materia gravi, peccabunt mortaliter, quando autem detur tale periculum contemptus, vel scandalum, *ibidem* diximus *num*.43. 207 208

Dico VI. A Regulæ observantia excusantur Religiosi ex ignorantia invincibili, non tamen vincibili, ex impotentia physica, vel per dispensationem à potente eam concedere: ita communiter DD. apud Bonacin. *disp*. 1. *de legibus q*. 8. *p*. 1. *n*. 1. & 4. 209

Idem dicendum est in casibus, in quibus dari potest Epicheja: non potest tamen dari Epicheja, quando Prælatus potest adiri, etiamsi præsumatur, quod si licentia peteretur ab illo concederetur. Lugo *de Eucharistia disp*.8.*n*.19. 210

Idipsum dicendum est de consuetudine legitimè introducta contra Regulam circa observantias 211

regulares;

regulares, non tamen contra vota substantialia; Ita Sanchez *lib. 6. moral. cap. 2. num. 26.* & nos jam *suprà* tetigimus.

212 Idem dicendum est, si cesset finis adæquatus Regulæ in aliquo casu particulari, ut cum Navarro, Mexia, Henriq. Sosa, Angel. Megala, Granad. docet Diana 1. *part. tract.* 10. *resol.* 28. & cum Machado & Caramuel. 7. *part. tract.* 10. *resol.* 33.
213 contra Amicum, & alios, quos ibi refert, & ratio est, quia cessante fine legis in communi, cessat lex in communi: ergo cessante in particulari, cessabit lex in particulari: patet consequentia, quia lex non solùm obligat omnes in generali, sed etiam in particulari: ergo sicut deficiente fine respectu omnium, manent omnes deobligati: ita cessante adæquato fine legis apud unum, ille unus manebit deobligatus.

§. 2.

De origine, continuatione, perfectione, & obligatione Regulæ primitivæ Carmelitarum.

214 *Quam Regulam habuerint Carmelitæ ante Christi adventum?*
215 *Quam Regulam habuerint post passionem Christi?*
216 *Quam Regulam habuerint usque ad tempora sancti Alberti?*
217 *Quo anno condiderit Regulam pro Carmelitis sanctus Albertus?*
218 *Quomodo hæc primitiva Regula fuerit confirmata à sancto Alberto Patriarcha Hierosolym.*
219 *Quis Pontifex prior hanc Regulam confirmaverit?*
220 *Hæc Regula fuit inter omnes usque ad illud tempus præstantior & perfectior.*
221 *Ideo nomen primitivæ obtinuit.*
222 *Adhuc hodie habet excellentiam primitivæ apud Carmelitas Excalceatos.*
223 *Carmelitæ Excalceati non solùm Regulam in suo primitivo vigore, sed plura alia hodie duriora observant.*
224 *Impugnantur contrarium falsò asserentes.*
225 *Eorum fundamentum diluitur.*
226 *In quibus fuerit Regula primitiva ab Innocentio IV. moderata?*
227 *Moderatio Innocentii IV. fuit adeo modica, ut nulla censeretur.*
228 *Fuit omninò necessaria secundùm Regulam.*
229 *Non fuit propriè mitigatio.*
230 *Nom ne alienationis non venit necessaria.*
231 *Nostra Religio Carmelitana est una ex principalioribus Mendicantium.*
232 *Cum obligatione Mendicantium non potest stare totalis abstractio vitæ Eremiticæ.*
233 *Carmelitæ ad satisfaciendum statui Mendicantium necessariò debent juxta populos habitare.*
234 *Tenentur habitare in cœnobiis.*
235 *Quomodo fuerit necessarium, ut herbas cum carnibus manducarent.*
236 *In multis fuit Regula ab Innocentio IV. ad majorem perfectionem elevata.*
237 *Carmelitæ ex vi Regulæ primitivæ, ut ab Honorio confirmata, poterant habere proprium in communi.*
238 *Prout confirmata ab Innocentio IV. non possunt habere proprium in communi.*
239 *Nostrum Capitulum generale multa asperiora in Constitutionibus addidit Regulæ primitivæ.*
240 *In nostris Eremis observatur Regula primitivæ in toto suo vigore, & ultrà.*
241 *Religio, quam nunc Carmelitæ Excalceati profitentur, est eadem essentialiter & substantialiter, cum ea, quam primi Carmelitæ tenuerunt.*
242 *Non est eadem numero cum Religione observantium Carmelitarum.*
243 *Et eadem cum ea in specie.*
244 *Idem dicendum est de Congregatione Carmelitarum Excalceatorum Italiæ.*
245 *Hæ tres Familiæ sunt una essentialiter Religio.*
246 *Hæc diversitas numerica maximè eam extollit.*
247 *Quid sit finis nostræ Regulæ.*
248 *Nostra Religio ex suo instituto est mendicans.*
249 *Nostra Regula tantùm obligat ad veniale, exceptis votis substantialibus.*
250 *Communis Religionis consuetudo ita Regulam interpretatur.*
251 *Intra limites tamen peccati venialis transgressio Regulæ est majus peccatum veniale.*

POstquam in communi de Regularum obligationibus aliqua breviter pertractavimus pro nostrorum Religiosorum commodo, aliqua specialiter de Regula primitiva sancti ALBERTI, quam profitemur, adnotabimus; quia tamen non possumus exactè declarare, quam obligationem

inducat hujusmodi Regula, & illius particularia præcepta, sine cognitione originis ipsius, perfectionis, & status, in quo nunc invenitur; ideo hæc breviter, & relicto rigidiori examine, quod magis ad historiam, quàm ad moralem doctrinam spectat, decurremus.

214 Dico igitur PRIMÒ: Patres, qui in monte CARMELO juxta fontem ELIÆ, ante CHRISTI nativitatem habitârunt, Regulam scriptam habuisse non legimus, sed ipsi Regula sibi erant, qui exemplo

215 ELIÆ concorditer vivebant: deinde post passionem Domini multiplicata per Judæam fide Christiana, hi, qui in monte Carmelo vitam imitatione ELIÆ ducebant eremiticam, secundùm Christi Evangelium vivere cœperunt, æmulantes Apostolos, de quibus *in Actibus Apostolorum* scriptum est: *Erant unanimiter in oratione perseverantes, & erat illis cor unum, & anima una, nec quisquam inter eos aliquid habebat proprium, sed erant eis omnia communia.* Hæc est vita Apostolica, quam Carmelitæ in primitiva Ecclesia studiosissimè observabant, Regulam super his Evangelicam in cordibus suis habentes conscriptam.

216 Postea verò decursu temporis per traditiones à sancto Patriarcha nostro ELIA emanatas fuêre directi & instructi; sed quia traditiones, etsi satis firmæ sint pro viris pia ductis affectione, ab aliis tamen faciliùs negari possunt, quàm scriptura, quæ demonstratur exhibitione librorum; Cùm jam plurimùm diffusus, & multiplicatus per orbem Ordo propheticus esset, & cùm jam speciales Congregationes ab ipso, tanquam rami à trunco distinctæ, & tanquam rivuli à fonte dimanantes, tam in Oriente sub Basilio, quàm in Occidente sub Augustino cœpissent institui, Prior Carmeli, Generalis totius Ordinis prophetici, perseverantis in suis alumnis, qui monasticam, & regularem vitam ab ELIA institutam, invariabilem, & illæsam omnino servabant, bonum, imò necessarium esse credidit, ad primitivi Ordinis distinctionem ab aliis, ad discipulorum consolationem, & ad regularis observantiæ firmitatem si conscriberetur Historia institutionis Ordinis, & non interruptæ continuationis ab ELIA fundatore usque ad sua tempora, &c.

Recurrit igitur Prior generalis, qui tunc erat Caprasius, vir sanctitate illustris, discipulus, & successor in officio Generalis, JOANNIS Patriarchæ XLIV. Jerosolymitani ad ipsum Joannem, & ab eo postulavit, ut compendiosè totam Ordinis prophetici historiam describeret, ut sic ELIÆ & ejus successorum vita historicè scripta, mysticè ejus alumnis esset vitæ Regula, & exemplar, quod effecit in libro *de institutione primorum Monachorum*, factumque est, ut ex tunc hujusmodi liber, Ordinis Regula censeretur: tradidit autem hanc Regulam circa annum 400. sub cujus directione Carmelitæ usque ad Aymerici Patriarchæ Antiocheni tempora permanserunt: & quia fuerat à prædicto JOANNE Patriarcha idiomate græco conscripta, sancti BERTOLDI primi latinorum Carmelitarum Generalis solicitudine, & Aymerici Patriarchæ Antiocheni, legati Apostolici, diligentia & authoritate, de græco fuit in latinum translata anno 1141. Qui uberiorem de his omnibus notitiam desiderant, consulere poterunt S. CYRILLUM Constantinopolit. Doctorem, & Generalem Ord. Carm. *lib. de Processu, & variis Regulis Ord. sui*, qui extat in *Vinea Carmeli* Danielis a Virg. MARIA 1. *Parte*. Joan. à JESU MARIA in vita S. TERESIÆ *lib.* 1. *cap.* 2. Ferdinandum à S. MARIA in *Prologo ad privilegia Apostol.* Carm. concessa, Romæ edit. Thomam à JESU in *Exposit. Regul. Carm.* 1. *Part.* Philippum à SS. Trinitate, & Ludovicum à S. Teresia in suis *Historiis Ord. Carm.* cæterosque Ordinis Historiographos, maximè Lezanam in suis 4. Tomis Annalium: & ex exteris Joan. Trithemium, Aubertum Miræum, & Joannem de Carthagena de *Ortu & Progressu Ord. Carmel.* qui unà cum aliis Authoribus de his agentibus Coloniæ simul editi sunt anno 1643.

Duravit autem hæc Regula in latinum sermonem translata usque ad tempora S. BROCARDI Montis Carmeli Prioris generalis, qui videns, quòd natura humana pro innata sua fragilitate semper ad laxiora tendat, nisi fræno aliquo contineatur, ideo quamvis videretur tunc sæculi illius Religiosis sufficere, ex prædicto libro scire, quid prædecessores observassent, ut ad eadem servanda, & ipsos imitandos animarentur; sanctus tamen hic Prælatus futura prævidens, & ex adducta radice conjiciens, fieri posse, ut refrigiscente charitate sensim surgerent aliqui dicentes, quòd nunc debilitata natura, modus ille vivendi majorum nostrorum in dicto libro descriptus, esset minùs tolerabilis, & quòd illi fortiori natura præditi, potiùs mirandi, quàm imitandi essent: maximè, quia in prædicto libro Joannis XLIV. nil expressè præcipiebatur, ideo petiit ad regularis observantiæ firmitatem, authoritate beati ALBERTI, Patriarchæ pariter Hierosolymitani, (quæ tunc sufficiebat, annuente summo Pontifice,) condi Regulam cum

cum præceptis suis, tam affirmativis, quàm negativis, &c.

217 Quam Regulam ex prædicto JOANNIS libro & Ordinis traditionibus exceptam, condidit beatus ALBERTUS Patriarcha, ac confirmavit, tum potestate ordinaria patriarchali, qua fungebatur, quæ
218 ad id sufficiebat ante Concilium Lateranense;
219 tum potestate extraordinaria Legati Apostolici.

Postquam verò Carmelitæ in Europam venerunt expulsi à Saracenis de Palæstina, multi summi Pontifices Regulam ipsam denuò confirmârunt, de quibus unus extitit INNOCENTIUS III. idem fecit HONORIUS III. & GREGORIUS IX. & tandem INNOCENTIUS IV. anno Domini 1245. eam iterùm confirmavit, & postea anno 1247. declaravit, auxit, & ad statum Mendicantium, quem ex vi ipsius Regulæ profitemur, accommodavit; & hoc etiam alii posteriores Pontifices fecêre; Ita Philippus à SS. Trinitate *in Historia Carmeli, lib.5. cap.6.* & plures ex præfatis Authoribus.

220 Fuit autem hæc Regula inter omnes usque ad
221 illud tempus Carmelitis datas perfectior, ut no-
222 men primitivæ meritò sibi vindicaverit, quam
223 excellentiam, & nomen adhuc hodie cum magno totius Ordinis decore retinet apud Discalceatos Carmelitas, qui eandem non solùm in suo primævo rigore observant, verùm etiam plura asperiora ei addiderunt, exemplo sanctissimæ Matris suæ
224 TERESIÆ, totius Ordinis Reformatricis celeberrimæ, non obstante, quòd aliqui Neoterici hac gloria, nescio, quo fundamento, eos velint privare, cùm summus Pontifex GREGORIUS XIII. in sua Bulla separationis, quam concessit die 22. Junii, anni 1580. hac prærogativa eos decoraverit, verba Pontificis sunt: *Institutum hujusmodi, quòd juxta* PRIMITIVAM REGULAM *prædicti Fratres* DISCALCEATI *profitentur laudantes, & approbantes, dictos Fratres* PRIMITIVAM REGULAM *hujusmodi, in regnis Hispaniarum observantes* DISCALCEATOS *nuncupatos*

Idem planè senserunt, & asseruerunt subsequentes Pontifices, ut SIXTUS V. qui in Bulla incipiente, *Cùm de statu:* data an. 1587. die 10. Julii, loquens de Discalceatorum monasteriis, sic ait: *In quibus vigebat observantia* PRIMITIVÆ *ejusdem Ordinis* REGULÆ, *cum omni rigore juxta primæva instituta*, & idem non semel repetit in aliis Bullis. Idipsum pluries affirmat CLEMENS VIII. in suis Apostolicis diplomatibus, qui etiam Discalceatos in Bulla incipiente *Pastoralis officii:* data 20. Decemb. an. 1593. *Primitivos* nuncupat, quia videlicet, *primitivam Regulam Ordinis B.* MARIÆ *de monte Carmelo observant.* Verba sunt Pontificis. Et, ut brevitati consulens, alios omittam, PAULUS V. qui repetitis vicibus, maximè in Bulla *Decet Romanum Pontific.* idem asseverat. Quid clariùs aut solidiùs ad hanc veritatem confirmandam? &c.

His non obstantibus, objiciunt nonnulli Carmelitæ Excalceatos Regulam observare, non ut ab INNOCENTIO III. in suo primitivo vigore fuit confirmata, sed ut fuit mitigata & moderata ab INNOCENTIO IV. in tribus capitibus; scilicet comestione in cellulis separatis, esu carnium, & silentio. Sed ad hæc facilè respondetur, quòd licèt in duobus posterioribus punctis aliquam concesserit INNOCENTIUS moderationem, fuit tamen in rei 225
veritate adeo modica, ut non inde debeat talis 226
Regula dici mitigata, sed verè, & realiter primiti- 227
va; nam minima non sunt in consideratione, *leg. quatenus, ff. de condit. & demonst.* cap. *Coram de dilect.* 34. *de officio delegati*: ergo cùm prædicta moderatio fuerit in rebus minimis, & paucissimis, fuit, ac si non esset, ac per consequens non propter illam amittit Regula suum antiquum decorem.

Tum, quia talis moderatio fuit omnino neces- 228
saria: ergo propriè non potest dici mitigatio: con- 229
sequentia constat, quia sicut nomine alienationis 230
non venit omninò necessaria, sed solùm voluntaria, ut communiter docent Doctores; ita nomine mitigationis non debet venire qualiscumque legis moderatio, sed voluntaria: antecedens verò probatur, quia cùm nostra Religio ex vi sui primævi instituti sit una ex principalioribus Mendicantium, ut docet Lezana *Tom. 5. in Mari magno Carmelitarum, circa §.7. num. 55.* debebat ex vi sui in- 231
stituti attendere non solùm ad vitam contemplativam, sed etiam activam, quæ ad proximorum salutem, & conversionem ipsorum attendit: sed cum hac obligatione non poterat stare totalis abstractio eremitica, & vita purè contemplativa, ut optimè notavit Suarez *Tom. 4. de Relig. tract. 9. lib.1. cap.8. num.6.* ergo necessarium fuit ad satis- 232
faciendum huic obligationi juxta civitates, & op- 233
pida monasteria, non cum cellulis separatis, sed 234
in dormitoriis conjunctis, ædificare: & quòd tempore, quo sæculares ad remedium animarum suarum ad nos confugiunt, non essemus silentio impediti ad eos consolationibus spiritualibus, & excipiendis confessionibus adjuvandos. Item cùm 235
per omnes partes mundi ad exercendam charitatem erga proximos terra marique excurrendum esset, omnino necessarium fuit aliquando herbas

coctas

coctas cum carnibus, ne simus hospitibus onerosi, ut ipsa Regula ait, & in mari ad lassatas vires reficiendas ipsammet carnem manducare, ut commodiùs officia charitatis exerceremus; non ergo hæc modificatio in commodum, & levamen Religiosorum, in quo consistit mitigatio, ab INNOCENTIO IV. fuit introducta, sed ad perfectius nostri instituti scopum secundarium consequendum.

236 Tum etiam, quia licèt in prædictis Regula ab INNOCENTIO IV. aliquantulùm fuerit modificata, in multis aliis fuit ad majorem perfectionem, & rigorem elevata, ergo optimo sanè jure obtinet nomen primitivæ; siquidem in perfectione nunc se ipsam excedit: antecedens probatur; nam in Regula, prout fuit confirmata ab INNOCENTIO III. solùm promittebatur obedientia, & licèt in obedientia comprehendantur alia duo vota, castitatis, & paupertatis, cùm tamen illis temporibus esset multorum opinio, quòd monachus non erat incapax dominii, sed tantùm usus rerum independenter à voluntate Superiorum, ut hodie cernitur apud Patres Societatis primæ professionis, ideo additum fuit in Regula *cum castitate, & abdicatione proprietatis*: occludendo ostium hac ratione omnibus opinionibus, quæ in hac parte potuissent excitari. Tum, quia ex vi Regulæ non tenebantur Carmelitæ observare paupertatem in communi,

237 ut constat ex illis verbis: *Nullus Fratrum sibi ali-*

238 *quid proprium esse dicat, sed sint vobis omnia communia*: postea verò declarando INNOCENTIUS IV. quòd solùm possent habere in communi, evidenter addidit prædictæ Regulæ paupertatem in communi, quæ perfectio est una ex excellentioribus totius Regulæ, vitæque Religiosæ. Tum denique, quia Fratres ex vi primæ Regulæ poterant in cellis suis quolibet cibo, exceptis carnibus, non certa, & determinata hora, sed qua vellent, & eo modo, quo vellent manducare; postea verò præcipiendo INNOCENTIUS IV. ut omnes in communi refectorio ea, quæ eis apposita fuissent, manducarent, rigidiori eos pœnitentia adstrinxit; siquidem tenentur omnes eodem cibo quocumque etiam modo conditus sit, vesci, quod quàm arduum, & difficile sit, experientia constat.

239 Tandem, quis poterit enumerare rigores, quos nostrum Capitulum generale ad imitationem sanctissimæ Matris nostræ TERESIÆ, prædictæ Regulæ adjunxit in suis Constitutionibus factis auctoritate CLEMENTIS VIII. anno Domini 1604. Præcipiebatne prima illa Regula à lineis vestibus interioribus abstinere, habitu adeo stricto, & aspero uti, discalceatis pedibus incedere, tribus diebus in qualibet totius anni hebdomada flagellari, in nuda tabula cum duabus tantùm laneis operimentis cubare, omnibus sextis feriis per totum annum, & vigiliis beatæ Virginis, & aliquorum Sanctorum nostri Ordinis jejunare? in jejuniis Ecclesiæ tantummodo frustum panis ad collationem adhibere, calicem aquæ absque licentia non bibere? minimè. Cur ergo prædictam Regulam, prout cum prædictis rigoribus observatur, non PRIMITIVAM vocabimus? non ego eam voco tantùm *primitivam*, sed *plusquam primitivam*; siquidem plura duriora, & perfectiora continet, quàm erant illa, in quibus eam prædictus INNOCENTIUS Papa IV. moderavit.

Et si hæc omnia adhuc adversariis non satisfaciant, tendant ad nostras Eremos, quæ in unaquaque provincia sunt constitutæ, & ibi invenient non solùm silentium à Vesperis usque ad Tertiam, sed toto diei tempore inviolabile inspicient; perpetuam non tantùm à carnibus abstinentiam, sed etiam à piscibus recentibus, & ex salsis & aridis solùm vilioribus posse Religiosos vesci, invenient. Omni alia vitæ commoditate destitutos, ac ab omni conversatione humana, etiam per litteras abstractos, in ædiculis singulariter viventes solo pane, & fructibus contentos passim reperient, noctu, diuque in orationibus vigilantes; quid ergo imperat *primitiva Regula*, quid disponit, quòd in his Apostolicis, & eremiticis viris non inveniatur? nihil sanè cum veritate afferre poteris, quod ab his Apostolicis viris multò rigidiore observatione non impleatur. Utinam ita semper, & perseverent. 240

Et hinc colliges, Religionem, quam nunc nostri Carmelitæ Excalceati profitentur, esse eamdem essentialiter, & substantialiter cum ea, quam professi sunt primi illi Eremitæ montis Carmeli, qui à D. Alberto Regulam receperunt; Ita namque decidit sacra Rota *in quadam decisione*, quam refert Lezana *Tom. 5. in Mari magno Carmelitarum, circa* §. 7. *num.* 30. ubi ait: quòd licet in aliquibus Regula prædicta fuerit tam per HONORIUM III. quàm per INNOCENTIUM IV. reformata, ac moderata; non tamen apparet alterata circa substantialia ipsius Regulæ, nec priores, & originales Constitutiones illius fuêre mutatæ: ergo est una, & eadem essentialiter cum illa; Ita Lezana *loco citato*. 241

An autem nostra Congregatio Excalceata sit eadem numero moraliter cum Congregatione PP. Observantium, qui observant Regulam, secundùm 242
quod

quod fuit mitigata ab EUGENIO IV? Respondeo
243 negativè; sed tantùm esse eandem, ut ita dicam, specie: ita expressè colligitur ex Suario *Tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 2. cap. 7. num. 7.* Ratio est, quia habent diversa capita, & Generales supremos: ergo saltem in hac ratione non conveniunt numericè, & moraliter. Nec obstat, quòd utraque Familia profiteatur eamdem Regulam. Nam etiam Ordo D. Bernardi profitetur eamdem Regulam ac Ordo D. Benedicti; & tamen Ordo D. Bernardi numeratur ut distinctus ab Ordine D. Benedicti, ut testatur Suarez *eodem Tom. & tract. lib. 1. cap. 3. num. 4.* Præterea habent diversam habitus figuram, & colorem, & quia differunt in multis Constitutionibus: ergo cùm nostra Congregatio discalceata habeat diversam figuram habitus, & diversissimas Constitutiones, & alio modo, seu primitivam observet Regulam, & habeat diversum Generalem, efficaciter infertur, non esse eamdem numero moraliter Religionem cum Congregatione Patrum N. Observantium.

244 Et idem dicendum est de nostra Congregatione Italica; nam cùm habeat diversum Generalem, & diversas Constitutiones, & plura vota, quam habet nostra Congregatio Hispana, licèt aliàs profiteantur eamdem Regulam, prout fuit confirmata ab INNOCENTIO IV. & deferant eumdem habitum, non censetur eadem numero moraliter Religio, sed cum hac diversitate numerica stat, quòd o-
245 mnes hæ tres Familiæ conveniant essentialiter, & sint unica Religio in specie, & solùm inter se differant numero. Unde sunt veluti diversi exercitus, habentes diversos Duces, insignia diversa, & interdum etiam diversa arma, quamvis alioquin conveniant in fine, & aliis; ita in simili casu Pellizzarius *Tract. 1. cap. 3. num. 5.* Suarez *loco citato.*

246 Nec hæc diversitas, ut notavit Suarez suprà, arguit imperfectionem in eadem Religione, sed potiùs maximè eam extollit; nam sicut non est imperfectio, sed maxima perfectio, quòd eadem virtus Religionis, prout abstrahit ab omnibus Religionibus, sit una in essentia, prout verò contracta, multiplicetur numero per tot Familias, quæ iterùm per diversos tendendi modos ex parte modi, quasi modali specie distinguuntur, sic non est imperfectio, quòd eadem numero Religio, quoad essentiam diversa ab aliis Religionibus, quasi specie modali, prout est una in hac specie modali, per diversa numero individua, seu Familias moraliter multiplicetur.

247 DICO II. Proprius, & peculiaris Religionis, & Regulæ nostræ finis, & scopus, ad quem actiones nostræ sunt dirigendæ, est jugis oratio, & divinorum assidua contemplatio, simul cum actione, qua profectionibus animarum vacare profitemur, non tamen ex æquo, sed actionem minùs principaliter amplectendo; ita declaratur à nostris Constitutionibus *1. part. cap. 1. num. 4.* & docent nostri Thomas Waldensis *de Sacramentis, tit. 9. cap. 74. num. 7.* Thomas à JESU in *Exposit. Regul. Part. 2. dub. 4. & 5.* Joannes à JESU MARIA in Schola Orationis *Tract. 1. de Religion. N. instituto Notab. 5. & seqq.* Lezana *Tom. 1. qq. R. cap. 7. num. 3.* Michaël à S. Augustino *Tract. 2. Introductionis in terram Carmeli,* seu, *de duplici spiritu Carmelitarum.* Daniel à Virg. MARIA *Part. 8. cap. 13.* & quotquot de Religionis nostræ fine seu scopo scripsêre.
Ratio autem hujus doctrinæ est, quia nostra Reli- 248
gio ex vi sui instituti est mendicans; sed Religio mendicans, saltem ex universali Ecclesiæ consuetudine profitetur vitam mixtam, ut latè probat Suar. *Tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 8. num. 6.* ergo.

DICO III. Regula nostra primitiva, exceptis votis & officio divino in illa contentis, ad culpam tantùm venialem obligat, licèt plura alia in eadem imperentur verbis præceptivis, tum ab ipso legis- 249
latore, ut patet ex ipsis Regulæ verbis: *Hæc breviter scripsimus vobis, conversationis vestræ formulam statuentes, secundùm quam vivere debeatis*: quàm ab INNOCENTIO IV. qui eam confirmavit, ut patet ex verbis Bullæ: *Religioni vestræ, qua fungimur auctoritate, mandamus, ut Regulam à nobis declaratam, &c. firmiter observetis.*

Et ratio est, quia, ut suprà diximus, ex com- 250
muni sententia, quando legislator non explicat quantitatem obligationis Regulæ, quantitas illius obligationis desumenda est ex communi acceptatione & sensu, quo Religio, cui tradita fuit talis Regula, eam recepit, & intellexit, sed communis totius Religionis sensus hanc solùm obligationem venialem agnovit in Regula, ut testantur nostræ Constitut. *1 Part. cap. 1. num. 6.* ergo. Idem tradunt nostri Alphonsus à JESU MARIA in suo Opere inscripto *Doctrina Religiosorum*, &c. Franciscus à S. ELIA in suis doctiss. *Comment. in Regul.* supra illa verba: *Fratrum B. Mariæ*, &c. Joannes à JESU MARIA *lib. cit. Notab. 8.* Thom. à JESU *loc. cit. dub. 8.* Hieron. Gratianus *in Disciplina Regul. cap. 1.* Joan. Pintus de Victoria in *Hierarchia Carmelitana Tract. 2. cap. 23.* Lezana *loc. cit. num. 6. & seqq.* & alii.

Adverte tamen, quòd licèt transgressio præceptorum Regulæ ad lethale crimen non pertingat, intra limites tamen venialis culpæ, gravius peccatum esse; quia talis offensa est circa illa, quæ maximè pertinent ad Religiosum, & quæ sunt illi maximè propria; Ita N. Venerab. Joannes Soreth in Expositione nostræ Regulæ *Text.* 19. *cap.* 2. & Daniel suprà cit. *Part.* 1. *num.* 33. Lezana *Tom.* 5. in Mari magno Carmelit. *circa* §. 7. *num.* 36. & plures ex mox citatis Authoribus.

SUBSECTIO UNICA.

De obligatione, quam Carmelitæ habent ad singula præcepta suæ Regulæ primitivæ, & illorum explicatione.

§. 1.

Prologus Regulæ Divi ALBERTI.

TEXTUS.

ALBERTUS DEI gratia Jerosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha, dilectis filiis BROCARDO, & cæteris Fratribus Eremitis, qui sub ejus obedientia juxta fontem ELIÆ in monte CARMELI morantur, in Domino salutem, & sancti Spiritus benedictionem.

Multifariè, multisque modis sancti Patres instituerunt, qualiter quisque in quocumque Ordine fuerit, vel quemcumque modum religiosæ vitæ elegerit in obsequio IESU Christi vivere debeat, & eidem fideliter de corde puro, & conscientia bona deservire. Verùm, quia requiritis à nobis, ut juxta propositum vestrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis.

Adnotatio Auctoris ad Textum.

252 *Religio Carmelitana non cœpit à tempore hujus Regulæ.*

253 *Carmelitæ ante tempora hujus Regulæ montem Carmeli inhabitabant.*

254 *Regula in principio non solùm fuit tradita ad vitam eremiticam, sed etiam mendicantem, &c.*

255 *Et ideo postea ad vitam mendicantem fuit accommodata.*

256 *Scopus & finis hujus primitivæ Regulæ declaratur.*

257 *Ad quid obliget hujusmodi Regula suos professores, declaratur?*

Circa hunc prologum aliqui ex nostris Scriptoribus non pauca dicunt de sanctitate, munere, & potestate Auctoris hujus Regulæ, sed quia nostræ intentionis est tantùm illa, quæ ad doctrinam moralem spectant, adferre, ac elucidare, ideo his prætermissis, tria solummodò nobis hìc breviter advertenda occurrunt: illa autem videri poterunt apud Lezanam in suis *Annalibus Tom.* 4. Petrum Thomam Saracenum in *Menologio Carmelitarum*, 1. *Part.* Philippum Metium de *viris illustribus N. Ordin. cap.* 3. Ludovicum à S. TERESIA *cap.* 215. *Successïon. Elianæ.* Aubert. Miræum *cap.* 6. *de orig. Ord. Carm.* Thom. à JESU *lib. cit. dub.* 3. cæterosque Ordin. Carm. Historiographos.

Primùm ex hoc prologo clarè constare Religionem Carmelitanam, non à tempore, quo hæc Regula tradita fuit, sed ab alio longè antiquiori duxisse principium; siquidem ante ipsam Regulam eumdem modum vivendi ducebant jam Carmelitæ in monte Carmelo, ut patet ex illis verbis: *Juxta propositum vestrum.* 252 253

Et hinc colliges, quàm insipienter aliqui Neoterici locuti sint, qui ausi sunt asserere Carmelitas nunquam montem Carmelum inhabitasse; sed hi non alio argumento, sed quam prologo Regulæ convincendi sunt.

Secundum est, hanc Regulam in suo principio non solùm fuisse traditam ad vitam regularem mendicantem, sed etiam eremiticam ducendam; ut patet ex verbis hujus prologi; & ideo INNOCENTIUS IV, qui Regulam confirmavit, in aliquibus eam auxit, & magìs ad Mendicantium vitam accommodavit, aliqua ad vitam purè eremiticam pertinentia omittendo. 254 255

Tandem notandum est hujus Regulæ finem esse tendere ad perfectionem religiosam; idem enim est vivere in obsequio Jesu Christi, & eidem fideliter de corde puro, & conscientia bona deservire, ac tendere ad perfectionem religiosam, quæ principaliter consistit in charitate erga DEUM, & proximos; & minùs principaliter in actibus aliarum 256

rum virtutum; ad hunc igitur finem dirigit legislator noster omnia alia contenta in Regula eligens jugem orationem, ut medium præcipuum ad hunc finem consequendum, actionem verò, & cætera virtutum opera, ut media minùs principalia, ut optimè advertunt nostræ Constitutiones 1. *part.*
257 *cap.* 1. *num.* 1. *& sequentibus.* quanta autem sit hujusmodi obligatio tendendi ad perfectionem, quam nobis hîc regula injungit, & quando Religiosi contra illam peccent, etiam mortaliter, jam *suprà disp.* 1. *sect.* 2. *num.* 3. *& sequentibus* explicuimus.

§. 2.

CAPUT PRIMUM.

De Priore habendo, & tribus sibi promittendis.

TEXTUS.

ILlud in primis statuimus, ut unum ex vobis habeatis Priorem, qui ex unanimi, omniumque assensu, vel majoris, & sanioris partis ad hoc officium eligatur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate servare cum castitate, & abdicatione proprietatis:

Adnotatio.

258 *Cur legislator ab electione Prioris Regulam incipiat?*

259 *In una Religione, provincia, vel domo, unus tantùm debet dari Prælatus.*

260 *Non debet ex aliena, sed ex eadem Familia eligi ex omnium, vel majoris partis consensu.*

261 *Huic debent omnes tria vota promittere.*

262 *Ex privileg. potest assumi Prælatus ex alieno Ordine.*

263 *Quomodo hoc sit intelligendum?*

264 *In nostra Congregatione Provinciales, Definitores, & Priores, regulariter debent esse ex eadem provincia.*

265 *Quomodo sint intelligenda illa verba.* Unum ex vobis habeatis Priorem?

266 *Aliqui Novatores contendunt electiones Priorum ex vi Regulæ debere fieri per capitulares Conventus.*

267 *Regula solùm loquitur de electione Prioris generalis.*

268 *Fratres in professione non promittunt obedientiam Priori locali, sed generali.*

269 *Verba Regulæ sunt intelligenda secundùm universalem Religionis consuetudinem.*

270 *Hic fuit semper usus, & sensus Religionis.*

271 *De jure communi electio Priorum Conventualium debet fieri per Conventuales Conventus.*

272 *Depositio generalis juxta jus commune debet intelligi, nisi peculiari ratione restringatur.*

273 *Omnis dispositio universalis restringitur ex ratione particulari.*

274 *Verba antecedentia per sequentia declarantur.*

275 *Prior generalis debet eligi ex communi omnium consensu, secundùm consuetudinem Ordinis.*

276 *Omnis dispositio universalis respicit restrictionem ex habilitate.*

277 *Jus commune non disponit, qui debeant esse Electores in Capitulo generali, vel provinciali.*

278 *Electores in Capitulo generali, vel provinciali sunt illi, qui secundùm specialia Statuta, vel consuetudinem solent convocari.*

279 *Qui sint Electores in nostro Capitulo generali?*

280 *Nostræ Constitutiones agentes de regimine sunt sæpiùs à Papa confirmatæ.*

281 *Omnes Electiones, tam Generalis, quàm Provincialis, quàm Priorum Conventualium pertinent ad Capitulum generale, etsi Regula de electione Priorum Conventualium loqueretur.*

282 *Consuetudo non solum juri communi, sed etiam Regulæ derogat.*

283 *Forma celebrandi apud nos Capitulum generale, & quomodo in illo omnes debeant fieri electiones, multis diplomatibus Pontificiis ostenditur.*

284 *Prædictæ Bullæ non adversantur Regulæ primitivæ.*

285 *Nec decretis Tridentini.*

286 *Nec sunt contrariæ Constitutionibus Apostolicis.*

287 *Quæ sint Constitutiones Apostolicæ, de quibus hîc loquitur Pontifex?*

288 *Privilegia, quibus in jure communi seu Conciliis non derogatur, non sunt illis contraria.*

289 *Privilegia, licèt non confirmentur à novo Pontifice, non proinde manent abrogata.*

290 *Privilegium Principis est immobile.*

291 *Refertur privilegium Innocentii VIII. ex cujus*

vi electiones omnes debent fieri in Capitulo generali.

DIco I. Cùm Prælatus sit veluti caput in hoc
258 corpore mystico Religionis, ideo legislator
noster ab illius electione exordium sumit, sta-
tuendo, ut sicut in uno corpore non datur nisi
259 unicum tantùm caput, ita in eadem Religione,
provincia, vel domo, non plures, sed unus tantùm
Prælatus constituatur, qui non ex diversâ Fami-
260 lia, sed ex eadem, & ex communi, omniumque
consensu ad hoc officium eligatur, cui cæteri
Fratres obedientiam cum castitate, & abdicatione
proprietatis promittere teneantur: quæ omnia
261 maximè sunt conformia juri communi. Nam
quòd in unaquaque Religione, provincia, vel
domo non possit esse nisi unicus tantùm Prælatus,
colligitur *ex cap. in apibus, 7. quæst.* 1. & decidit
sacra Rota, ut cum Barbosa, & aliis notavit Leza-
na *Tom. 5. qq. Regul.* in Mari magno Carm. *num.*
45. ubi quoque adducit aurea quædam verba N.
Ven. Joan. Soreth. *ex Exposit.* in hunc locum Re-
gulæ.

Quòd autem hic Prælatus debeat assumi ex ea-
dem Congregatione, patet *ex Cap. nullus de elect. in
6. Clement. 1. de elect. & ex* Cap. *causam de elect.*
& habetur *in Trid. sect. 25. cap. 21. de regularibus*, &
cum multis tenet Tamburinus *de jure Abbatum,
Tom. 1. disp. 1. quæsito* 10. & nost. Thom. à JESU
lib. sæpè cit. Part. 3. cap. 1. Unde solùm ex privilegio
262 Apostolico potest assumi Prælatus ex alio Ordine,
ut docent Zerolla, Suar. Azor. & alii, quos refert,
& sequitur Lezana *ubi suprà, num.* 44.

An autem hoc etiam fieri possit ex consuetudi-
ne? Affirmat Rodriguez *Tom. 2. quæst. 52. art.* 8. in
casu, quo Religio non habeat personas idoneas ad
Prælaturas, non tamen si illas habeat, ut colligi-
tur *ex Cap. cùm causam.* Rodrig. & Lezana *loco*
263 *citato.* imò in hac nostra Congregatione non so-
lùm Prælati debent esse ex eadem Familia, sed
264 Provinciales, & Definitores, & Priores regulariter
debent esse Conventuales ejusdem provinciæ, in
qua exercent prædicta officia, ut constat *ex 3. Part.
nostrarum Constitutionum, cap. 4. num.* 6. Vide,
quæ circa hanc difficultatem eruditè more solito
differit nost. Joan. à SS. Sacramento, in suo *Priore
Claustrali 4. Part. num. 16. & num. 239. & seqq.*
& applica præsenti materiæ. Quòd autem hæc
electio debeat fieri ex communi, omniumque
consensu, vel majoris, & sanioris partis Capituli
habetur in *Cap. quia propter de elect.* Quòd autem
dicto Prælato debeat fieri promissio obedientiæ
cum castitate, & abdicatione proprietatis, con-
stat, quia in his consistit status Religiosus, quo-
modo autem hæc vota debeant intelligi, jam
suprà dictum est, & cætera *in sequentibus* dicemus.

Solùm igitur aliqualis remanet difficultas in
hoc capite, circa illa verba: *Unum ex vobis habeatis* 265
Priorem, qui ex unanimi, omniumque consensu;
nam cùm legislator non explicet de quo Priore
loquatur, an de Generali, Provinciali, vel etiam
de Conventuali, orta est non levis contentio inter
Carmelitas, de qua meminit Lezana *Tom. 6. Con-
siliorum, consil. 13. per totum,* præcipuè *num.* 13. ubi 266
refert aliquos novitatum amatores, pacis per-
turbatores, ambulantes inquietè, & nihil ope-
rantes, contendisse omnes electiones, etiam
Priorum Conventualium debere fieri ex vi Regu-
læ, ex communi consensu omnium Patrum, vel
majoris, & sanioris partis Capituli respectivè, hoc
est, Generalis à Capitulo generali, Provincialis
à Capitulo provinciali, & Prioris à Capitulis
conventualibus, & non à Definitorio, vel Capi-
tulo generali, *juxta* Cap. *primum de electione, &*
Cap. *Congregatio 15. quæst. ultima. &* Cap. *quia
propter*, & juxta alia jura & DD. quorum plures
refert Barbosa *in collectanea Doctorum, in dicto* Cap.
2. *de electione.*

Verùm relictâ hujusmodi novitate, nobis firmi- 267
ter tenendum est Regulam solùm loqui de Priore
generali, non verò de Prioribus provincialibus,
vel conventualibus; ita nostri Paleonydorus *lib. 3.
cap. 2.* Didacus Coria Maldonadus *in Chronicis
Carmelitarum, lib. 10. cap. 2.* Michaël Munuzius
in propugnaculo Eliæ lib. 2. titulo 3. cap. 1. art. 2.
Lezana *in Consiliis, consil. 13. num.* 73. Franciscus
à sancto ELIA *in Commentariis super Regulam, ad
cap. 1. Regulæ, num.* 3. estque communis sententia
omnium Regulæ N. Expositorum, & Doctorum
totius Religionis, ut testatur Lezana *ubi suprà:*
colligiturque ex verbis ipsius Regulæ; nam
post illa verba: *ad hoc officium eligatur*, sub-
jungitur, *cui obedientiam promittat quilibet a-
liorum:* sed nostri Religiosi in professione non
promittunt obedientiam Priori locali, vel Pro- 268
vinciali, sed solùm Generali: ergo, &c. Con-
firmatur, quando verba Regulæ sunt obscura,
debent intelligi secundùm consuetudinem uni- 269
versalem Religionis, ut suprà diximus, sed com-
munis usus praxis, stylus, & acceptatio, & con-
suetudo

270 ſuetudo totius Religionis in omnibus Familiis
tam Diſcalceatis, quàm Obſervantibus , ſemper in
hoc ſenſu illa verba intellexit, ergo.

Dices, de jure communi electio Priorum Con-
271 ventualium debet fieri per Conventuales Conven-
tus, ut patet *ex Cap. quia propter* ſed quando datur
aliqua legis diſpoſitio univerſalis debet intelligi
juxta jus commune , ut tenent Valaſcus, Tuſcus,
Tiraquel. & alii , quos refert & ſequitur Barboſa
de locis lit. D. num. 36. ergo iſta Regulæ diſpoſitio
non ſolum debet intelligi de Priore generali , ſed
etiam de Provinciali, & Prioribus localibus. Re-
ſpondetur minorem eſſe veram, quando diſpoſitio
univerſalis non reſtringitur aliqua particulari ra-
272 tione : illa autem diſpoſitio Regulæ, *unum ex vo-
bis habeatis Priorem* limitatur , & reſtringitur per
ſequens verbum , *cui obedientiam promittat quilibet*
273 *aliorum* , omnis namque diſpoſitio univerſalis re-
ſtringitur ex ratione particulari *L. cum pater §. dul-
274 ciſſimis ff. de legat. 3. L. ſi certa re. C. de tranſact.* &
verba antecedentia per ſequentia declarantur. *L ſi
ſervus plurium ſo. §. fina. de legat. 1.* cum ergo ver-
ba ſequentia tantum loquantur de Priori generali,
de illo loquentur etiam verba antecedentia.

275 Dices, ergo ſaltem Prior generalis debet eligi ex
communi omnium conſenſu ? Reſpondeo ita eſ-
ſe; ſed tunc fit ex omnium conſenſu, quando eli-
guntur ex communi omnium conſenſu, qui juxta
jus commune , vel univerſalem conſuetudinem
habent ſuffragium in electione Generalis: nam illa
276 particula , *Omnium* , cum generaliter loquatur,
debet intelligi de habilibus ; omnis namque di-
ſpoſitio generalis recipit reſtrictionem ex habili-
tate. *L. ut gradatim §. & ſi ff. de mun. & honor.* Un-
de cum jus commune nihil diſponat quinam de-
277 beant eſſe Electores Capituli generalis, vel Provin-
cialis , ſed ſolum dicat *in Cap. quia propter* deberi
fieri Capitulum præſentibus omnibus, qui debent,
278 & volunt, & *in Cap. 1. de elect. & Cap. 2. 3. & 4. &
ſequentibus 18. quæſt. 2.* ſolum decernat Abbatem
de eadem Congregatione , & ab eadem Congre-
gatione deberi eligi : in aliis ſtandum eſt commu-
ni conſuetudini Religionis vel particularibus Sta-
tutis, & Bullis Pontificiis, Suar. *Tom. 4. de Relig.
tract. 8. cap. 4. lib. 2. n. 1.* Lezana *Tom. 2. cap. 12 n. 16.*
Pellizzarius *Tom. 2. tract. 4. cap. 8. numer. 13 & 92.*
noſter Alphonſus à JESU MARIA , *in Tractatu* de
modo Capitulum celebrandi *2. part. §. 1. in fine.* Sa-
279 muelius *de electione canonica tractat. 1. controverſia
3. concluſ. 10 num. 20.* Sed in noſtra Congregatione
ex ſpecialibus Statutis , & antiqua conſuetudine,
de qua teſtatur idem N. P. Generalis Alphonſus à
JESU MARIA *ubi ſupra* §. 1. ſolum habent votum
in Capitulo generali Provinciales, & Socii Provin-
ciarum, & Definitores generales, & uterque Gene-
ralis tam noviter electus, quam ille , qui in eodem
Capitulo ſuo officio functus fuit, ut patet *ex noſtris
Conſtitutionibus 3. part. cap. 1. num. 6. & 9.* quæ
Conſtitutiones quantum ad electiones, ſunt con-
firmatę decretis Pontificiis per Bullam IV. SIXTI V. 280
quam refert noſtrum Compendium *filio mihi 155.*
quam poſtea confirmarunt CLEMENS VIII. Bulla 1. 281
PAULUS V. Bulla 1. juxta idem compendium , &
diſertis verbis confeſſus eſt ipſemet Clemens VIII.
Bulla 5. num. 4. juxta idem *Compendium folio mihi*
193. ubi ait : *Quia verò nonnulla prædicta Religio-
nis Carmelitarum Statuta per Sedem Apoſtolicam, ut
præfertur , confirmata , præcipuè quæ gubernii mo-* 282
dum reſpiciunt , &c. Ergo juxta hanc formam ,
& non aliter debet fieri electio Patris noſtri Gene-
ralis.

Tum, quia dato, & non conceſſo, quod Regula 283
loqueretur de electione cujuſcumque Prioris ,
etiam localis, adhuc ſuſtinendum eſſet omnes ele-
ctiones tam Generalis, quàm Provincialis , quam
etiam Priorum localium noſtræ Congregationis
ad ſolum Capitulum generale, in quo tantùm de-
bent ſuffragari, quos *ſupra num. præcedenti* retuli-
mus, pertinere ; Ita expreſſe tenet Lezana *Tom. 5. in
Mari magno Carmelitarum circa §. 7. num. 47.* R.
P. N. Alphonſus à JESU MARIA *loco cit.* Franciſcus
a ſancto ELIA *in Commentariis ſuper Regulam cap. 1.
num. 3.* Tum, quia per communem, & antiquam
Ordinis conſuetudinem , diplomatibus Pontifi-
ciis, quæ ſtatim referemus, ſtabilitam, non ſolum
juri communi , ſed etiam Regulæ ſufficienter de-
rogatum eſt , ut cum multis latius probat Lezana
in Conſiliis conſil 13. num. 74 & 86. Tom. 6. qq. R.

Tum, & præcipuè, quia ita pro noſtris Excal-
ceatis ſtatuit SIXTUS V. Bulla 1. *juxta noſtrum Com-
pendium fol. 155. num. 8.* ubi ait. *In eodem Capi-
tulo generali ſingulis triennis novi Priores tam Pro-
vinciales, quam ſingulorum domorum, & Monaſterio-
rum eligantur, non obſtantibus ſpecialibus, vel gene-
ralibus Conſtitutionibus, ordinationibus Apoſtolicis in
Provincialibus, ac Generalibus Conciliis editis , nec-
non Ordinis Beatæ* MARIÆ *de Monte* CARMELO , *&
quorumvis Ordinum, ac Religionum, etiam juramen-
to, confirmatione Apoſtolica , vel quavis firmitate
alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus , privile-*

Eiisque indultis, & literis Apostolicis, etiam ex motu proprio, & de plenitudine potestatis sub quibuscumque formis concessis. Quibus omnibus derogat, ut latius in ipsa Bulla videri potest, quam Bullam postea eodem tenore confirmavit CLEMENS VIII. Bulla 1. apud idem *Compendium fol.* 178. *num.* 10. ubi ait. *Cæteri verò Superiores sicuti per* SIXTUM V. *&* GREGORIUM XIV. *prædecessores prædictos, & Ordinis Constitutiones est dispositum, à quibus tempora celebrandi Capitula generalia, & provincialia, & ea, quæ ibi debent fieri, sunt definita, quæ omnia observanda præcipimus.* Quod postea iterum confirmavit idem CLEMENS VIII. Bulla 9. apud idem *compendium n.* 5. ubi ait: *Ac successivè electiones, cæteraque omnia in eodem Capitulo, & postea juxta prædictas Constitutiones noviter correctas fiant.* Et tandem idem confirmavit PAULUS V. Bulla 4. *juxta idem Compendium fol.* 249. *n.* 13.

Nec obstat, quod PAULUS V. tantùm confirma-
284 vit prædictas Bullas suorum prædecessorum, in omnibus quæ primitivæ Regulæ dicti Ordinis Fratrum Carmelitarum, & ejus institutis aç Concilii Tridentini decretis non adversentur, & dum-
285 modo Constitutionibus Apostolicis non sint contraria. Non obstat, inquam, nam prædictæ Bullæ, non adversantur Regulæ primitivæ, ut probatum manet, cum illa tantum loquatur de electione Prioris Generalis, modo dicto. Nec decretis Tridentini, cum nullum detur illius decretum, cui prædictæ Bullæ sint contrariæ, nam Tridentinum
286 *sess.* 25. *cap.* 6. solùm determinat modum, quo debet fieri electio per vota secreta, non vero ad quos pertineat eligere: nec etiam sunt contrariæ aliquibus Constitutionibus Apostolicis; nam Constitutio-
287 nes, de quibus hîc loquitur Pontifex, non sunt illæ, quæ sunt insertæ juri communi, & illud constituunt; nam cum omnia ferè privilegia sint contra jus commune, parum proficeret dicta confirmatio, sed sunt Constitutiones insertæ Concilio Tridentino, unde illa dictio, & est conjunctiva, & conjungit Constitutiones Concilii cum ipsius decretis: ita in simili casu Sorbus, Rodrig. quos re-
288 fert, & sequitur Peyrinis *de privilegiis ad const.* 1. GREGOR. XIII. *num.* 2. Tum, quia dato quod per illas Constitutiones intelligatur jus commune, ut vult Bordonus *Tom.* 2. *resol.* 130. *in fine juxta* Cap. *quoniam* 13. *de const.* adhuc tales Bullæ & privilegia non sunt illi contraria, nam privilegia, quibus in jure communi, seu in Conciliis non derogatur, non sunt illis contraria. Aldrete, quem refert, & sequitur Moronius *respons.* 76. *num.* 88. Portel. *verbo* privilegii confirmatio *num.* 3 *in dubiis Regularibus*, & cum aliis Peyrinis *supra n.* 3. & alii.

Tum etiam, quia dato, & non concesso, quod prædictæ Bullæ essent contrariæ Regulæ primiti- 289
væ, Tridentini decretis, & juri communi quoad electiones Prælatorum, hinc tantum fit ex vi hujus Bullæ, PAULI V. non esse confirmatas, non tamen arguitur ipsas Bullas SIXTI V. GREGORII XIV. & CLEMENTIS VIII. esse revocatas, nullas, aut cassatas, cum dictus PAULUS V. eas non revocaverit, sed tantum cum prædicta conditione confirmaverit, quia conditione non subsistente tantùm arguitur in hac parte non esse confirmatas, non tamen esse revocatas, nam licet privilegia non confirmentur à novo Papa electo, non propterea dicta privilegia maneant abrogata, quia, ut ajunt Juristæ, privilegia, seu beneficium Principis debet esse immobile: ita Portel. *in dubiis regularibus loc. cit. n.* 26. 290

Tum denique quia dato, & non concesso, quod omnes prædictæ Bullæ essent revocatæ à PAULO V. adhuc electiones Priorum Conventualium possent fieri in Capitulo generali, vel provinciali ex privilegio INNOCENTII VIII. *in Mari magno Servi-* 291
tarum quod refert Lezana *Tom.* 5. *circa* §. 41. *dicti Mari magni*, ubi Pontifex ait: *Attendentes insuper, quod Provincialium, & Conventualium Priorum electiones eo firmius erunt, quò solemnius celebrabuntur, volumus ac motu, scientia, & auctoritate sæpe dictis, statuimus quod Provincialium, & Conventualium quorumlibet Priorum dicti Ordinis electiones in Generali, vel Provinciali Capitulis per Fratres dicti Ordinis fieri consuetis, perpetuis futuris temporibus fieri debeant, & Fratres prædictos ad electiones hujusmodi sic, & non aliter faciendas teneri, & obligatos esse declarantes, ac quidquid secus attentari contingeret, seu fieret irritum, & inane decernentes.* Et derogat omnibus Constitutionibus Apostolicis, etiam in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus, quo privilegio non solum nostra Religio sed aliæ, quæ habent privilegium communicationis uti possunt, ut notavit Lezana *ibidem num.* 134. cum aliis, quos citat Doctoribus.

§. 3.

§. 3.

CAPUT II.

De receptione locorum.

TEXTUS.

Loca autem habere poteritis in eremis, vel ubi donata vobis fuerint, ad vestræ Religionis observantiam apta, & commoda, secundum quod Priori, & Fratribus videbitur expedire.

Adnotatio.

292 *Nostri Religiosi non solum in eremis, sed ubi illis videbitur expedire, possunt monasteria ædificare.*

293 *Quæ loca sint magis convenientia secundum Regulam ad monasteriorum constructionem?*

294 *Electio locorum ad constructionem monasterii pertinet ad Generalem.*

295 *Fratres de quorum consilio Regula præcipit, ut monasteria ædificentur, sunt Definitores generales.*

296 *Regimen nostræ Religionis ex vi Regulæ est mixtum ex Monarchico, & democratico.*

297 *Ex consuetudine regimen nostræ Religionis, etiam participat ex Aristocratico.*

298 *Ad monasteriorum ædificationem requiritur etiam licentia Ordinarii.*

299 *Non requiritur consensus Apostolicus, non obstante Bulla* Clementis VIII. *& aliis Constitutionibus Apostolicis.*

292 Dico I. Ex vi hujus capitis Regulæ, possunt Religiosi nostri ædificare monasteria non solum in eremis, sed etiam in aliis locis, ubi donata eis fuerint dummodo sint apta, & commoda ad nostræ Religionis observantiam. Unde cum Religio nostra principaliter tendat ad contemplationem,
293 & minus principaliter ad actionem, illa loca magis nobis apta atque accommodata erunt, quæ aliquantulum à sæcularium strepitu fuerint separata. Unde licet hoc remaneat ad arbitrium Prioris, & Fratrum, semper tamen debent attendere ad nostrum principalem finem & institutum. Unde optimè nostræ constitutiones decreverunt 2. *part. cap.* 1. *num.* 5. ut monasteria non procul ab urbibus, sed vel extra, vel in suburbanis, si aliter fieri non possit, ædificentur, ut sic nostræ quieti, & proximorum saluti consulamus.

Pertinet autem electio locorum ad construendos Conventus, non ad quoscumque Priores, sed tantum ad Generalem, nam ut supra diximus, Regula tantùm loquitur de Generali: ita nostri Thom. à Jesu *loc. cit. part.* 3. *cap.* 2. Franciscus à sancto Elia *in Commentariis super Regulam cap.* 2. *num.* 4. Fratres autem de quorum consensu Generalis debet admittere hujusmodi fundationes, sunt Definitores generales, ita habetur *in nostris Constitutionibus* 3. *part. cap.* 8. *num.* 1. 294 295

Ex quibus colliges, regimen nostræ Religionis ex vi Regulæ non esse monarchicum, sed mixtum ex Monarchico, & democratico, hoc est, ex regimine unius Prioris, quod denotat Monarchiam, & subditorum Communitate, quod est democratia, siquidem ad receptionem locorum, & ad distributionem cellularum, ut statim dicemus, tam Prioris, quam Fratrum consensus requiritur; Tamburinus *de jure Abbatum Tom.* 3. *disp.* 1 *quæsit.* 2. *n.* 10. Lezana *ubi supra n.* 56. Ex consuetudine tamen etiam aliquid participat regimen nostræ Religionis ex Aristocratico, hoc est, ex regimine unius Prioris, ac aliquorum principalium. Unde regimen nostræ Religionis est mixtum ex Monarchico, Democratico, & Aristocratico; siquidem in aliquibus tantùm disponit Generalis, vel Provincialis, aut Prior: in aliis verò Generalis, & Provincialis requirunt assensum Definitorum, & Prior consensum Clavariorum, aut discretorum ut apud alios nuncupantur, & in aliis rebus, ultra hæc requiritur etiam consensus Communitatis, quem modum gubernandi esse optimum, & convenientissimum (esto Monarchicus optimus communiter cum D. Thom. censeatur) tenent Navarr. Bellarm. Thom. de Jesu Tamburinus, quos refert & sequitur Lezana *loco supracitato num.* 56. 296 297

Dico II. Ad ædificationem novorum monasteriorum, his temporibus non solum requiritur prædicta licentia, sed etiam Ordinarii, non tamen requiritur consensus Apostolicus, non obstante Clementis VIII. Bulla, aliisque Constitutionibus Apostolicis; ita concessit Paulus V. Gregorius XV. nostris Discalceatis, ut diximus *in Tract. de privilegiis disp.* 1. *sect.* 4. §. 2. ubi etiam, an hujusmodi Bullæ ab Urbano VIII. sint revocatæ, & quomodo possint Conventus mutari, & relinqui & cætera, quæ hic desiderare poteras, habes *ibidem*, ne ea iterum repetamus. 298 299

§. 4.

§. 4.

CAPUT III.

De cellulis Fratrum.

TEXTUS.

Præterea juxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrûm, singulas habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de consensu aliorum Fratrum, vel sanioris partis eadem cellulæ cuique fuerint aßignatæ.

Adnotatio.

300 *Cellæ Carmelitarum debent esse non amplæ, sed arctæ secundùm Regulam.*

301 *Idem dicendum est de officinis, aliisque ædificiis monasterii.*

302 *Quid super hoc statuerint nostræ constitutiones?*

303 *Duo Religiosi non possunt ex vi nostræ Regulæ in eadem cella commorari.*

304 *Cellæ Religiosorum debent esse conjunctæ in dormitorio, & non separatæ.*

305 *In distributione cellularum hodie non tenetur Prior expectare assensum aliorum Fratrum.*

300 Circa hoc caput nihil advertendum est, nisi
quod cellæ non debent esse amplæ, sed arctæ,
& strictæ, id enim denotat illud nomen *cellulæ*; &
idem dicendum est de aliis officinis, aliisve ædifi-
ciis monasterii, ut sancta Mater nostra THERESIA
301 in *itinere perfectionis* docuit *cap.* 2. Unde ne tempo-
rum decursu in hoc aliqua relaxatio subintraret
nostræ Constitut. 2. *part cap.* 1. *num.* 6. decrevêre
302 modum ac mensuram observandam in constru-
ctione cellularum, templi, claustri, aliarumque
partium monasterii.
303 Circa illam verò particulam, *separatas*, notan-
dum est, ex vi hujus capitis, non posse duos Reli-
giosos in eadem cellula, commorari, sed singuli in
singulis cellulis debent vivere separati. Hæ autem
cellulæ antiquitùs separatæ ædificabantur, ut hoc
tempore adhuc cernimus in nostris eremis; hodie
304 tamen ex decreto CLEMENTIS VIII. confirmato ab
URBANO VIII. pro reformatione Regularium de-
bent esse conjunctæ, in eodem dormitorio, &c.

Circa verò illa verba, *Sicut per dispositionem Prio-* 305
ris ipsius, & de assensu aliorum Fratrum. Notandum
est illa verba referri debere ad tempus vitæ Eremi-
ticæ, quando cellulæ erant separatæ. Unde hodie
cum jam vita nostra non sit eremitica, non tene-
tur Prior in distributione cellularum expectare as-
sensum aliorum Fratrum, ut praxis observat; ita
nostri Thomas à JESU in *Gloss. cap.* 3. *Reg.* & Fran-
ciscus à S. ELIA *ibidem* in suis *Comment.* licet con-
trarium sentire videatur Lezana *loc. supra cit. n.* 61.
Plura observatione lectioneque dignissima repe-
riet Lector in Expositione hujus & præcedentis ca-
pitis, apud hos duos Authores, qui etiam subtiliter
advertunt, quare legislator noster vocet *cellulas* &
non *cellas*.

§. 5.

CAPUT IV.

De communi refectione.

TEXTUS.

Ita tamen ut in communi refectorio ea, quæ vobis erogata fuerint communiter sumatis, aliquam lectionem Sacræ Scripturæ audiendo, ubi commodè poterit observari: nec liceat alicui fratrum, nisi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit, deputatum sibi mutare locum, vel cum alio permutare.

Adnotatio.

306 *Regula non fuit mitigata circa modum refectionis Fratrum, sed potius strictior effecta.*

307 *Religiosi tam subditi, quam Prælati non possunt comedere, aut bibere extra communem mensam.*

308 *Omnes debent eâdem hora, & eodem cibo vesci.*

309 *Sacra lectio toto tempore refectionis debet haberi.*

310 *Referuntur de his rebus plura decreta.*

311 *In refectorio non potest dari aliquid speciale alicui, nisi ex justa causa, & de licentia Prælati.*

312 *Transgreßio hujus capitis Regulæ tantum est peccatum veniale.*

313 *Fratres non possunt cellas sibi deputatas cum aliis permutare.*

Circa

306 Circa hoc caput notandum est in illo non fuisse Regulam mitigatam, ut putavit Lezana *loco citato, numero 63.* sed potius perfectiorem effectam; nam ex vi illius, ut notavit hic ven. P. Joannes Soret, & Franciscus à sancto Elia prohi-
307 bentur omnes Religiosi tàm subditi, quàm Prælati, nihil extra communem mensam manducare,
308 aut bibere, sed omnes eâdem horâ, eodem potu, & cibo æqualiter condito, & æqualiter distributo,
309 lectionem sacræ Scripturæ audiendo, vesci, ut non solùm exterior, sed interior homo pascatur, ut inquiunt, nostræ constitutiones, 1. *part. cap.* 12. à quibus omnibus liberi erant nostri antiqui Eremitæ; in suis namque cellulis separatis non erat illis prohibitum ex vi Regulæ, nisi tantum carnes manducare, cæteris omnibus in sua dispositione manentibus.

310 Fuit tamen hæc Regulæ additio, & mutatio maximè necessaria, tum propter decreta Conciliorum, quæ latè congerit cum N. Thoma à Jesu Lezana *ubi suprà numero* 65. tum propter decreta Clementis VIII. & Urbani VIII. pro reformatione Regularium, quæ præcipiunt, ut omnes Fratres simul in refectorio, eodem pane, eodem
311 vino, eodemque obsonio, sive pitancia, nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur, nec singulare aliquid, quo privatim quisque in cibum utatur, ullo modo afferri possit; hoc tamen decretum tam Regulæ, quàm Urbani VIII. intelligi debet, nisi aliud necessitas, vel justa causa persuadeat; nam tunc de consensu Prioris aliquid singulare potest alicui Religioso concedi, ut infrà dice-
312 mus; ita Franciscus à sancto Elia *ubi suprà*, & constat ex communi Ordinis consuetudine. Transgressio hujus puncti Regulæ tantùm est peccatum veniale, non obstante Urbani VIII. decreto, nisi adsit scandalum, contemptus, vel alia prava circumstantia, cùm, ut dictum est, Regula nostra tantùm obliget ad veniale; decretum verò Urbani, vel non fuit receptum, quod certius est, vel in hoc tantùm fuit receptum; Ita colligitur ex Lezana *ubi suprà num.* 68.

313 Tandem in fine hujus capitis additur, ut Fratres non possint cellulas sibi deputatas sine licentia Prioris permutare, sic enim postulat obedientiæ observantia, ut nihil Fratres possint dare, vel commutare absque licentia Superioris, ut statim in *sequenti* §. dicemus.

§. 6.

CAPUT V.

De situ cellulæ Prioris, & de gubernatione circa res Monasterii.

TEXTUS.

Cellula Prioris sit juxta introitum loci, ut venientibus ad eundem locum primus occurrat, & de arbitrio, & de dispositione ipsius, postmodum, quæ agenda sunt, cuncta procedant.

Adnotatio.

314 *His temporibus non tenentur Priores habere cellam juxta introitum loci.*
315 *Quomodo hoc sit intelligendum?*
316 *Prior per se solum tantùm potest disponere de rebus minoris momenti.*
317 *Verba legis sequentia aliquando determinantur per antecedentia.*
318 *Prior de solo suo arbitrio non potest alienare res pretiosas.*
319 *In nostra Congregatione non potest Prior in rebus gravioribus monasterii quidquam expendere, vel alienare, aut contrahere sine consensu claviariorum.*
320 *Si res majoris momenti sint, debet accedere consensus Capituli Conventualis.*

Circa prima verba hujus capitis, in quibus præcipit, ut cellula Prioris sit juxta introitum lo- 314
ci, adverte hoc præceptum referri ad tempus vitæ eremiticæ, hodie tamen hoc præceptum cessavit, cùm monasteria cœnobitico atque claustrali mo- 315
do constructa sint, debet tamen, quantum fieri possit, cellula Prioris juxta introitum loci, præsertim in eremis, ædificari, ut sic commodius venientibus primus occurrat; ita N. Thomas in *Gloss. hujus Cap.*

Circa secundum, quod Regula præcipit, ut de arbitrio, & dispositione Prioris, ea, quæ agenda sunt, cuncta procedant, non levis insurgit difficultas, an omnia negotia Monasterii debeant fieri de solo assensu Prioris? Et videtur affirmativè respondendum; nam ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: & quia videtur hoc conforme juri communi in *Cap. nullum* 18. *qu.* 2.

 de

de quo Navarrus *ibidem num.* 4. *& consil.* 76. *de Regular.*

316 Dicendum tamen est hujusmodi dispositionem nostræ Regulæ debere intelligi de rebus minoris momenti, nam hoc caput Regulæ limitatur per præcedens, ubi disponit, quod distributio cellularum, & receptio locorum fiat non solùm de assensu Prioris, sed etiam Fratrum, sequentia namque sunt determinata per antecedentia. *L. actio in fin.*
317 *ff. de condit. & demonst. L. filium ff. commun. de leg.* & tradit Barthol. *d. L. avia.* & clausula præcedens est majoris efficaciæ ad restringenda sequentia, quam sequens ad præcedentia; Bartol. *L. si quis ff. de leg.* 3. & ita tenent hanc sententiam nostri Thomas & Sorethus, *in hoc cap.* Lezana *ubi suprà numero* 73. Franciscus à sancto ELIA *super cap.* 5. *Reg. numero* 4.

318 Hinc fit Priorem de solo suo arbitrio non solùm non posse alienare res pretiosas, ut patet ex Clementina *Ambitiosæ*, sed etiam neque alias res gra-
319 vioris momenti. Nec obstat illud, quod ex capite *Nullum* afferebatur. Respondetur namque hoc jus commune jam limitatum esse, & illi derogatum in hac parte per communem Religionum consuetudinem, & leges particulares Regularium, accedentibus aliquot etiam Bullis Pontificiis. Undè in hoc standum est Constitutionibus particularibus Religion. ita mox citati Authores.

320 In nostra autem Congregatione non potest Prior quidquam absque consensu Clavariorum, expendere, recipere, alienare, sive alio modo contrahere in rebus gravibus Monasterii, etsi res majoris momenti sint, debet etiam adhiberi consensus Capituli, ut patet ex 3. *p. nostrarum Constitutionum capite* 15. *numero* 1.

§. 7.

CAPUT VI.

De mansione in cellulis, & de jugi ac continua oratione.

TEXTUS.

Maneant singuli in cellulis suis, vel juxta eas, die ac nocte in lege Domini meditantes & in orationibus Vigilantes, nisi aliis justis occasionibus occupentur.

Adnotatio.

321 *Quomodo teneantur Religiosi nostri in cellis commorari?*
322 *Clausula posita in una parte dispositionis refertur ad omnia contenta in illa, quando omnium est eadem ratio.*
323 *Clausula respiciens plura determinabilia, debet pariformiter determinare.*
324 *Religiosi nostri non possunt secundùm Regulam juxta cellas per dormitoria, vel claustra deambulare.*
325 *In hoc puncto mitigavit Regulam Eugenius IV.*
326 *Carmelitæ satisfaciunt obligationi commorandi semper in cella in orationibus per moralem continuationem.*
327 *Continua cellæ habitatio, meditatio, & oratio metaphysicè sumpta, est moraliter impossibilis.*
328 *Explicatur hæc doctrina pluribus scripturæ locis.*
329 *Hoc præceptum obligat præcipuè ad orationem mentalem.*
330 *In quo consistat præcipuè Oratio mentalis?*
331 *Quomodo possit aliquando lex præcipere actus merè internos?*
332 *Religiosi huic præcepto satisfaciunt per orationem vocalem.*
333 *Per orationes jaculatorias, & examen conscientiæ.*
334 *Per peccatorum considerationem, & præsentiam Dei.*
335 *Per qualecumque studium Theologiæ, sive speculativæ, sive moralis.*
336 *Imò etiam per studium philosophiæ, si ad hunc finem addiscendi Theologiam assumatur.*
337 *Religiosi, qui occupati sunt in exercitiis corporalibus per obedientiam, non transgrediuntur hoc præceptum.*
338 *Religiosi, qui non curant de oratione, sunt in maximo periculo.*

EX vi hujus capitis, quod absque dubio præcipuum est in nostra Regula, tenentur nostri Re-
ligiosi continuè in suis cellulis commorari *in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes.* 321
quidquid in contrarium dicat Lezana *ubi sup. nu-*
mero 76. Ratio est, quia illa clausula, *die ac nocte,* 322
refertur ad verba tàm antecedentia, quàm subsequentia; nam clausula apposita in una parte dispositionis sive in principio, sive in medio, sive in fine, refertur ad omnia contenta in illa, quando o-
mnium eadem est ratio, ut ex vulgaribus juribus 323
pro-

probat Motonius *resp. 99. numer. 66.* Tum quia clausula respiciens plura determinabilia debet pariformiter determinare L. *jam hoc jure ff. vulgar. & pupil. l. quamvis de legat. 3.* sed illa clausula *die ac nocte*, respicit non solum orationem, sed etiam habitationē in cellulis, ergò ad utrumq; debet referri.

Nec obstat illa clausula, *vel juxta eas*, per quam videntur Carmelitæ, non teneri semper esse in cellulis, sed satis facere huic præcepto, si per claustra,
324 vel dormitoria juxta cellulas commorentur, ut existimat Lezana *ubi suprà num. 77.* Respondetur namque illam clausulam referri ad tempus, in quo Fratres absque necessitate in cellulis separatis vivebant modo eremitico, non tamen ad tempus, in
325 quo in cœnobiis vivunt; ita respondent, & censent nostri Thomas à Jesu, & Franciscus à S. Elia *in comment. super hoc VI. cap. Regul.* Hujus quoque sententiæ fuit celeberrimus ille P. Ferdinandus à S. Maria, primus nostræ Congregationis Italicæ Præpositus Generalis, Sedisque Apostolicæ in gravissimis non semel negotiis eximia cum laude Legatus, seu Commissarius, in quodam Tractatu, per modum Epistolæ pastoralis ad universam suam Congregationem directo, ubi id probat ex Bulla Eugenii IV. in qua hoc caput Regulæ nostræ mitigavit, concedendo, *ut possint licitè horis congruis in eorum Ecclesiis, & claustris, ac per eorum ambitus manere & deambulare* &c. *Igitur*, infert ille ex his verbis Pontificis, *cum observantia Regulæ stare non posse existimarunt, exire è eellis, & ambulare intra claustra*, sic ille. Consonant utriusque nostræ Discalceat. Congregationis Constitutiones: Hispanicæ quidem his verbis *1. part. cap. 9. Nullo tempore liceat è cella absque necessitate egredi, nisi de Prioris licentia.* Italicæ verò multò clarius *1. parte, cap. 12. num. 3. Ne quis autem Regulæ verba ad otiosum egressum detorqueat, declaramus ea verba* (juxta eas) *ubi præcipit singulis, in cellulis suis, vel juxta eas manere, de illis cellulis apertè intelligi, quæ olim, & nunc alicubi separatæ construuntur, juxta descriptionem habitationis Eremiticæ postmodum tradendam; non verò de claustri cellis, inter quas nihil est intervalli. Quamobrem nullo tempore liceat ulli in nostris Conventibus degenti, extra cellam ex professo manere, vel deambulare, nisi de Prioris expressa venia.* quid manifestius pro hac sententia confirmanda dici queat non video?

Quomodo autem possint satisfacere huic obligationi Carmelitæ, majus est dubium? Respondeo tamen breviter toti huic obligationi satisfacere
326 per continuationem moralem commorationis in cella, & orationis, & non requiri continuationem mathematicam, vel metaphysicam, hoc est, quantum per alia negotia humanæ vitæ necessaria licet: ita nostri Venerab. Thom. Waldensis de *Sacramentalib. titulo 9. cap. 76. numero 3.* Thomas à Jesu, & Franciscus supracitati in hunc locum Regul. Lezana *in Mari magno Carmelit. numer. 79.* & alii, & in hoc sensu fuit semper hoc præceptum in Religione intellectum, ut testantur prædicti 327
DD. Ratio est, quia continua cellæ habitatio, meditatio, & oratio metaphysicè sumpta est moraliter impossibilis; Tum, quia id colligitur ex verbis ipsius Regulæ, ubi statim addit, *nisi aliis justis occasionibus occupentur*, quo clarè denotatur, hujusmodi in cellula reclusionem, & continuationem orationis non physicam, sed moralem esse debere.

Tum, quia hujusmodi præceptum non est tam 328
urgens, ut sunt plures scripturæ locutiones, in quibus commendatur continua oratio: nam in nostra Regula exigitur solùm oratio alternatim cum meditatione, in illis verò continua oratio, ut patet ex illo Josue Cap. 1. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus*, & Ecclesiastici 18. *Ne impediaris orare semper*, & maximè Lucæ 18. *Oportet semper orare, & non deficere*; & ad Thessalonicenses 1. *sine intermissione orate*; & tamen has locutiones intelligunt communiter Patres de continuatione mortali: ergò idem dicendum erit de continuatione postulata in hoc capite Regulæ.

Ad quam autem orationem obliget hoc præceptum, majus dubium est? Aliqui dicunt sufficienter satisfacere huic præcepto benè semper operantes juxta illud Ecclesiastici 35. *qui conservat legem multiplicat orationem*, super quem locum ait Petrus Damianus; *justitiam ergò facere quid est aliud, quàm orare*, hanc sententiam sustinet glossa, & Cajetanus in hunc locum. Alii verò dicunt continuam orationem nihil aliud esse, quàm continuum desiderium, & amorem Dei; Ita D. Augustinus *epist. 12. ad Probam cap. 9.* D. Basilius *orat. ad Iulitam.* D. Thom. *2. 2. q. 83. art. 14.* & hæc sententia videtur mihi conformior nostræ Regulæ, & communi sensui Religionis, quæ verba illa intelligit non tantum de oratione vocali, sed etiam mentali, quæ est elevatio mentis in Deum per affe-
ctum, & amorem, Ita etiam videtur tenere Leza- 329
na *loco citato, num. 82.*

Nec obstat, quod lex humana non possit præci- 330
pere actus merè internos, qualis est oratio mentalis. Respondetur namque, quod licet ex vi jurisdi-

ctionis humanæ, præcisè non possint præcipi a-
331 ctus merè interni, benè tamen ex vi voti, nam Re-
ligiosi vovendo obedientiam secundùm Regulam
vovent exercitium orationis mentalis.

Cæterùm licet hæc ita sint, hoc præceptum suf-
ficienter impletur, sive per orationem mentalem,
332 quæ denotatur illis verbis, *in Lege Domini medi-
tantes*, cum meditatio sit actus intellectus, sive per
orationem vocalem, quæ denotatur illis verbis, &
333 *in orationibus vigilantes*, sive per orationes jacula-
torias, per examen conscientiæ, peccatorum dete-
stationem, divinorum judiciorum, operum, bene-
ficiorum, ac perfectionum humilem consideratio-
334 nem, contemplationem atque admirationem, per
actualem Dei præsentiam, qualem Parens noster
335 ELIAS habebat, dum dixit 3. Reg. *Vivit Dominus
in cujus conspectu sto*: imò per qualecumque studi-
336 um Theologiæ, tàm speculativæ, quàm moralis,
& per studium Scripturæ; imò etiam per studium
logicæ, & philosophiæ, si fiat ad Theologiæ, &
sacræ scripturæ intelligentiam assequendam; Ita
Thomas de JESU, quem refert, & sequitur Lezana
loc. cit. num. 82. Franciscus à sancto ELIA, *loc. cit.
num.* 3. Ratio autem est; quia hæc omnia sunt
quædam divinorum consideratio, & tendunt ad
Dei amorem, & exercitium charitatis.

Additur autem in fine hujus capitis, *nisi aliis ju-
stis occasionibus occupentur*: ut denotetur, non defi-
cere ab hac obligatione Religiosos, qui occupa-
ti ex obedientia in aliis exercitiis charitatis, puta,
excipiendarum confessionum, prædicationis, pro-
337 curationis, vel aliorum officiorum, è cella egredi-
untur. Semper tamen Religiosi ad hunc orationis
scopum totis viribus tenentur tendere, aliàs defi-
cient à proprio, & principaliori fine; & licet hoc
præceptum non obliget, nisi tantùm sub peccato
338 veniali, ut communiter tradunt Expositores no-
stri, ut testatur Lezana *hic num.* 83. in maximo ta-
men periculo erit Religiosus, qui non curat profi-
cere in oratione, de oratione, quia contemnit præ-
cipuum medium, quo in sua Religione ad perfe-
ctionem pervenitur, ut diximus *disp* 1. *sect.* 2. *n* 41;
ita D. Thom. Cajetan. Banez & alii, quos re-
fert, & sequitur Franciscus à sancto
ELIA *ubi sup. n.* 6.

* * *

§. 8.

CAPUT VII.

De Horis canonicis.

TEXTUS.

HI, *qui horas Canonicas cum Clericis dicere noverunt, eas dicant secundùm Constitutionem sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbatam consuetudinem; qui eas non noverint, viginti quinque vicibus* Pater noster *dicant in nocturnis vigiliis, exceptis Dominicis, & solemnibus diebus, in quorum vigiliis prædictum numerum statuimus duplicari, ut dicatur* Pater noster *vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur oratio in laudibus matutinis; in aliis quoque horis, septies similiter eadem dicatur oratio singillatim, præter officia vespertina, in quibus ipsam quindecies dicere debeatis.*

Adnotatio.

339 *Religiosi sacerdotes ex vi Regulæ tenentur divinum officium recitare.*

340 *Laici etiamsi sciant legere divinum officium, non tenentur horas Canonicas cum clericis recitare ex communi consuetudine, licet aliàs tenerentur ex Regula.*

341 *Laici tenentur sub veniali ad præscriptas preces recitandas.*

342 *Non satisfaciunt huic obligationi dicendo officium parvum B. Virginis.*

343 *Choristæ non sacerdotes tenentur ex communi consuetudine sub mortali divinum Officium recitare.*

344 *Ex vi hujus capitis tenentur Carmelitæ Horas Canonicas in Choro recitare.*

345 *Communis Ecclesiæ consuetudo est, ut Clerici dicant Horas Canonicas in Choro.*

346 *In hoc capite, per Horas Canonicas intelligitur Officium divinum Romanæ Ecclesiæ, non verò Ecclesiæ Hierosolymitanæ.*

347 *Quando verba sunt dubia debent accipi in potiori significato.*

348 *Quo anno Patres nostri Romanum Breviarium receperint?*

DICO

339 DIco I. Ex vi hujus Capitis omnes Religiosi non solùm sacerdotes, sed etiam Choristæ quicunque tenentur septem Horas Canonicas recitare; imò stando in vi Regulæ etiam laici tenentur
340 illas recitare, si eas cum Clericis dicere nôrunt. Verùm ex communi consuetudine Religionis, jam hæc obligatio ad solos Choro destinatos limitata
341 est, juxta usum aliarum Religionum; Ita Sorethius, Thomas à Jesu, Hieron. Gratianus, quos refert, & sequitur Lezana *ubi supra numero* 49. Franciscus à sancto Elia, *loc. cit. cap.* 7. *num.* 3. Tenentur tamen laici sub veniali ad dicendum *Pater noster* vicibus illis in Regula assignatis; Ita Aucto
342 res *citati*, nec satisfaciunt huic obligationi, si officium parvum B. Mariæ recitent; Lezana *num.* 96. & idem dicendum est de Choristis, nam hi ratione Regulæ saltem tenentur sub veniali recitare Horas Canonicas, sicut alii Sacerdotes, nec satisfaciunt recitando officium laicorum.

An autem ex alio capite, scilicet, ex communi
334 consuetudine teneantur prædicti Choristæ, qui non sunt sacris Ordinibus initiati (& idem procedit de monialibus) prædictas Horas Canonicas sub peccato mortali recitare, majus est dubium, de quo egimus 1. *part. Tract.* 2. *disp.* 2. *sect.* 4. §. 3. Negant nonnulli, quos refert Diana 10. *part. Tractatu* 11. *resolut.* 45. Verùm licet hæc sententia aliquibus probabilis videatur, contraria tamen multò probabilior est, ne dicam omninò certa; ita cum multis existimat Diana *loco citato*, & ex nostris Thomas de Jesu, quem refert, & sequitur Lezana *loco citato, num.* 95. Stephanus à S. Paulo, in *Theolog. mor. Tract.* 4. *disp.* 12. *de Relig. dub.* 3. *n.* 14. & Franciscus bonæ Spei, *in Noctua Belgica dub.* 24. *resol.* 1. & *Tom.* 5. *suæ Theolog. Tract.* 2. *de Religione, disp.* 2. *num.* 78 qui eam latè confirmat, volens hanc obligationem esse non vi consuetudinis, sed vi professi status Religiosi non laici, &c. Ratio autem nostræ sententiæ est, quia talis consuetudo est receptissima, & habet vim legis obligantis ad mortale; Excusabuntur tamen prædicti Religiosi à mortali, si ob aliquam gravem causam aliquando, puta semel, vel bis Officium divinum non recitaverint; non enim videtur hæc consuetudo cum majori obligatione introducta; Lezana *ibid.*

An autem ex vi hujus capitis teneantur Carme-
344 litæ Horas Canonicas in Choro recitare? Respondeo affirmativè: ita nostri Thomas Waldensis *Tomo* 3. de Sacramentalibus *tit.* 2. *cap.* 17. & 18. & *tit.* 9. *cap.* 75. B. Joan. Soreth, & Thom à Jesu, quos refert, & sequitur Lezana *ubi suprà num.* 113. & 114. Et ratio est, Tum quia Regula præcipit, ut 345
prædictæ Horæ dicantur secundùm Ecclesiæ approbatam consuetudinem, sed consuetudo communis Ecclesiæ est, ut Clerici in Choro Officium divinum recitent, ut tenent communiter DD. apud Lezanam *loco citato*: ergò. Tum, quia Regula præcipit, ut dicto Completorio silentium teneatur usque ad Primam dictam sequentis diei, sed hoc non potest intelligi de Completorio, & Prima singulariter dictis, aliàs non esset determinatum tempus pro silentio, cum has Horas possit quis ob aliquam saltem causam rationabilem protrahere, vel anticipare: supponit ergò Regula eas, & alias Horas Canonicas communiter certo loco, & tempore solitas esse recitari.

Si verò quæras, quid in hoc capite per Horas 346
Canonicas intelligatur? Respondeo intelligi septem Horas Canonicas, quæ secundùm consuetudinem Romanæ Ecclesiæ recitantur; nam cum Regula absolutè postulet, quod tales Horæ dicantur secundùm Constitutionem sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbatam consuetudinem, per nomen, *Ecclesiæ*, non debemus intelligere Ecclesiam Hierosolymitanam, ut vult Lezana, sed
Romanam. Nam quando verba sunt dubia, de- 347
bent sumi in potiori significato *leg.* 1. §. *qui in perpetuum ff. si ager vectig. leg.* 1. §. *is qui nave ff. de exterior. act. inst. de jure naturali gent. & civil.* §. *quod jus quidem civile in fine*, ubi appellatione juris indefinitè, intelligitur de jure civili Romanorum propter excellentiam; ergò etiam appellatione Ecclesiæ indefinitè debet intelligi Romana, propter excellentiam secundùm prædicta jura. Et hic sensus videtur conformior sensui Innocentii IV. & aliorum Pontificum, qui Regulam confirmarunt, ut etiam fatetur Lezana; sensus igitur legitimus Regulæ, saltem post illius confirmationem à Romano Pontifice est, quod Horæ Canonicæ recitentur secundùm consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, & ideò nostri Discalceati anno 1586. relicto
Breviario Carmelitano Romanum receperunt, ap- 348
probante Sixto V. ut magis genuino Regulæ sensui conformarentur. Vide B. Joan. Soreth. Thom. à Jesu, & Joannem à Matre Dei *in Annotat. ad privileg. PP. Discalceat. in Bullam* 1. *Sixti V.* relatos à P. Lezana *in Mari magno Carm. n.* 93.

Plura non inutilia circa hoc Regulæ N. caput dubia movet, doctissimèque resolvit Ven. P. Thomas à Jesu, inter alia quærit, *An de festis Sanctorum, aliisque Solemnitatibus, de quibus olim juxta Breviarium Carmelitanum recitabatur Officium possit, aut*

aut debeat, nunc etiam à Carmelitis Discalceatis juxta Romanum Breviarium, quo illi utuntur, idem fieri? Et post varias suppositiones per diversas conclusiones affirmativè respondet: quod efficaciter satis meo judicio, probat ex Bulla SIXTI V. Rubricis ipsius Breviarii, ac rationibus. Tradit etiam huic suæ sententiæ communi Doctorum celeberrimæ Universitatis Complutensis calculo subscripsisse an. 1592. & adhæsisse Doct. Francisc. Martinez primarium S. T. professorem, ac tandem Episcopum Canariensem: P. Gabrielem Vasq. Soc. JESU illustriss. Doct. aliosque Professores ac Doctores eximios, quos ipse refert.

Inter festa, de quibus olim fiebat officium duplex enumerat, Festum *decem millium Martyrum*, quod celebratur 22. Jun. festum S. *Ursulæ*, & alia quædam, inter semiduplicia. *S. Barbaræ. V & M.* & *S. Apolloniæ* &c. Agit de his etiam Petrus Thomas Saracenus in *Menologio Carmelit. par.* 2. ubi inter cætera refert solitum fuisse apud antiquiores Carmelitas fieri officium semel singulis septimanis *feria* 6. extra Adventum, quadragesimam, & 4. anni tempora de *V. plagis*, seu *passione Domini*: & prima feria 6. post Dominicam in albis recitabant Officium *de Lancea & clavis Domini*. quod idem Officium recitatur in multis Germaniæ Provinciis, Extat in Breviario Carmelit. excuso anno 1575.

Advertit etiam Lezana *loc. cit.* quod Constitut. Carmel. 1. *p. c.* 16. *n.* 3. præcipiant Fratribus laicis ut singulis *Pater noster* modo supradicto juxta Regulam dicendis, in honorem SS. MARIÆ Virg. Ord. Patronæ subjungatur *Ave* MARIA *&c.* Hæc verò obligatio, cùm non sit ex Regula, non obligat ad culpam ullam, sicut nec ipsæ Constitutiones, *&c.*

De modo piè, devotè, fructuosèque recitandi Horas Canonicas legi poterunt inter alios è nostris Hieron. Gratianus in disciplina Monastica *p.* 2. *c.* 15. *&* 16. & disciplina claustrali 1. *p. c.* 3. Extant *To.* 2. *oper ejus.* & Franc. supracit. in *Comment. hujus cap. Regul.*

§. 9.

CAPUT VIII.

De non habendo proprium.

TEXTUS.

NVllus Fratrum sibi aliquid proprium esse dicat, sed sint vobis omnia communia, & distribuatur unicuique per manum Prioris, vel per Fratrem ab eodem ad id officium deputatum, prout unicuique opus erit, inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum: Asinos autem, sive mulos prout vestra expostulaverit necessitas, vobis habere liceat, & aliquot animalium, sive volatilium ad nutrimentum.

Adnotatio.

349 *Nostri Religiosi non possunt dicere aliquid sibi esse proprium.*
350 *Religiosi dicendo aliquid sibi esse proprium, quomodo peccent contra paupertatem?*
351 *Quomodo peccent contra hoc præceptum Regulæ?*
352 *Religiosis omnia debent esse communia secundùm Regulam.*
353 *Omnibus Superior debet æqualiter providere.*
354 *Quomodo hoc sit intelligendum?*
355 *Carmelitæ ex vi Regulæ non possunt habere peculium, vel annuos redditus.*
356 *Nostri calceati possunt habere peculium de licentia Prælati justa interveniente causa.*
357 *Religiosi non possunt sibi usurpare res Monasterii propria auctoritate.*
358 *Quid, si Prælatus eis non provideat de necessariis?*
359 *Quomodo distributio rerum Religiosis necessariarum debeat fieri secundùm Regulam?*
360 *Senes si sint in æquali necessitate, semper sunt præferendi.*
361 *Regulariter senes semper habent majorem necessitatem quàm juvenes.*
362 *Quid nostri Religiosi possint habere in communi?*
363 *Nostri non possunt habere in communi res immobiles.*
364 *Nostri Religiosi ex Regula habent paupertatem in communi, & non tantum ex Constitutionibus.*
365 *Carmelitæ post Tridentinum possunt habere annuos redditus.*
366 *Nostri Discalceati Congr. Hisp. huic privilegio Tridentini denuntiarunt.*

IN explicatione hujus capitis parum immorabimur, siquidem, quæ hic desiderari poterant jam 349
suprà agentes de voto paupertatis explicuimus. Sex igitur res præcipiuntur in hoc capite nostris Religiosis. *Prima* ut nullus Religiosus aliquid dicat sibi esse proprium; circa quod advertendum hic non solum prohiberi dominium in particulari, sed etiam, quod Fratres dicant sibi aliquid esse proprium: circa quod regularis oritur difficultas: An Religiosus

giosus dicendo aliquid sibi esse proprium peccet
mortaliter? & videtur affirmativè respondendum;
nam licet Regula obliget tantùm ad veniale, hoc
tamen prohibitum est Religiosis de jure commu-
ni *in Cap.* non dicatis 12. *quæst.* 1.

350 Respondeo tamen, quod vel Religiosus dicen-
do *aliquid sibi esse proprium* intendit dicere se habe-
re illius dominium, vel solum usum: si intendat
primum peccat mortaliter, si materia est gra-
vis, & est proprietarius ratione talis intentionis:
& idem dicendum est, si dicat *aliquid esse suum*,
cum eadem intentione; Graffius, Hieronymus
Gratianus, & Thomas à Jesu, quos refert, & se-
351 quitur Lezana *ubi suprà numero* 150. Si tamen
dicat *aliquid esse suum*, intendens dicere esse suum
quoad usum, tunc non peccat, nec etiam venia-
liter contra Regulam, nec peccato mendacii;
nam talis locutio ex circumstantiis potest acci-
pi in bono sensu, scilicet, quod sit suum quoad
usum; sicut, si quis in diversorio vel Xenodochio
degens diceret *mea mensa*, vel *meus lectulus*, audi-
entes tantùm intelligunt esse suum quoad usum,
non verò quoad proprietatem; secùs dicendum
est, si Religiosus dicat sibi aliquid esse propri-
um, etiamsi intendat esse proprium, quoad usum;
nam talis locutio est contra Regulam, & peccami-
nosa; Ita Lezana *ubi suprà num.* 105.

352 SECUNDO præcipitur, ut *omnia sint omnibus* Re-
353 ligiosis *communia*, hoc est, ut nullus Religiosus
354 aliquid proprium sive peculiare retineat, sed omnia
quæ adquirit Superiori tradat, ut ex illis tam ipsi,
quàm aliis æqualiter provideatur, tàm in victu,
quam vestitu, ac aliis rebus, ut declararunt nostræ
Constitut. 1. *part. capit.* 8. *numero* 2. *inspectis tamen*
355 *ætatibus, & necessitatibus singulorum.* Undè ex vi
Regulæ non possunt Carmelitæ habere peculium,
vel annuos redditus: quod quoad Excalceatos
nostræ Congregationis patet *ex nostris Constitutio-
nibus ubi suprà numero* 1. An autem nostris PP. de
356 observantibus, justa intercedente causa, possint eo-
rum Prælati concedere usum peculii, non obstante
prædicto Regulæ præcepto? Respondeo affirma-
tivè; nam hic usus peculii de licentia Prælati est
distributio rerum per manus Prælati inspecta sub-
diti necessitate, ut probavimus *disp.* 4. *hujus Tracta-
tus sect.* 2. *n.* 74. quod non est contra Regulam, nec
obstant Constitutiones Pontificiæ, aut decreta
Conciliorum, quæ dantur in contrarium. Nam his
jam *suprà loco citato* responsum est.

357 TERTIO præcipitur, ut Fratres res communes
monasterii non sibi propria auctoritate assumant,
sed hoc per manum Prioris, vel deputati Officia-
lis fiat: circa quod solum occurrit quærendum, an
contraveniat huic præcepto Religiosus, qui de li- 358
centia tacita Prælati aliquid sibi usurpat, vel quan-
do illi necessaria ad vitam non suppeditantur? sed
de hoc egimus alibi.

QUARTO præcipitur, quod hujusmodi distri-
butio fiat *inspectis ætatibus, & necessitatibus singulo-* 359
rum; circa quod advertendum est, in dispensatione
rerum necessariarum Religionis, Prælatum primo
loco debere attendere ad necessitatem naturæ, quæ
omnibus communis est; deinde ad necessitatem
personæ, quæ est particularis in singulis, ut si est
senex, vel juvenis, vel infirmus, vel delicatæ & de-
bilis complexionis; & tandem ad circumstantias
temporis, loci, vel officii: ita Corduba *in Regula S.
Francisci cap.* 6. *q.* 1. Thomas à Jesu *in cap. non di-
catis p.* 4. *cap.* 2. *& dub.* 4. *& seq. in hoc cap. Reg.* Un- 360
dè non ex eo, quod aliquis senior sit debent illi con-
cedi ampliores facultates, quàm aliis, sed quando
illius gravior fuerit necessitas; illa enim dictio, &
est conjunctiva, & annectit ætates cum necessitati-
bus; potest enim evenire, ut junior majorem habeat
necessitatem, quàm senior, & tunc magis juveni,
quàm seniori est subveniendum; æqualiter tamen
ægrotantibus semper senior est præferendus; undè 361
cum senes ratione suæ ætatis ut plurimum majores
soleant habere necessitates, quam juvenes, inde est,
quod illis multa soleant concedi, quæ tamen ju-
nioribus absq; violatione æqualitatis prohibentur.

QUINTO conceditur, ut possint in communi ha-
bere asinos sive mulos, vel aliqua animalia, sive vo-
latilia ad Fratrum sustentationem: circa quæ verba
advertendum est, per *asinos*, sive *mulos* intelligi a-
nimalia apta ad vecturam, seu laborem, prout sunt
non solùm asini, & muli, sed etiam equi commu-
nes, non tamen generosi, & phalerati ad vanitatem,
sed tantum apti ad vecturam; Ita nostri B. Joan.
Soreth *hic cap.* 6. Lezana *ubi suprà num.* 106.

Per illud verò *aliquot animalium, sive volatilium* 362
ad nutrimentum intelliguntur, non greges ovium,
& armenta boum; nam hæc inter res immobiles
computantur, sed paucæ oves, capræ seu gallinæ
pro infirmis, vel etiam pro lacte, caseo, & ovis pro
nutrimento Religiosorum; nam cum ex Regula
à carnibus teneamur abstinere, necesse fuit ut alio
remedio provideretur, cum semper pisces habere
non possint; Ita nostri Sibertus de Beke, Sorethi-
us, Gratianus, Thomas à Jesu, quos refert, & se-
quitur Lezana *loc. cit.* & Franciscus à sancto ELIA,
super cap. 8. *Regulæ num.* 8.

SEXTO

363 Sexto præcipitur, ut præter prædictas res nullas alias res immobiles possint Carmelitæ habere in communi; nam licet Regula expresse hoc non præcipiat, hac tamen exceptione animalium manifestum est cætera omnia prohibere: & ita declaravit Gregor. IX. in Bulla *Ex officii nostri*, ut habetur *in speculo Ordinis, fol.* 61. Idem supponit Innocentius IV. in Bulla, quæ incipit, *Quoniam, ut ait*, quæ etiam habetur *in speculo Ordinis*, & *in alia*, quæ incipit: *Sacrosancta* in eodem speculo Ordinis *fol.* 61. & tandem Gregorius XIII. in Bulla *Pia consideratione*. Undè ex vi Regulæ, prout de-
364 claratæ ab his Pontificibus, Carmelitæ tenentur ad paupertatem non solùm in particulari, sed etiam in communi; ita Lezana *ubi suprà num.* 102. & Thomas à Jesu, quem refert & sequitur Franciscus à sancto Elia, *hoc loco num.* 4. Undè non ex privilegio, aut Constitutionibus Pontificiis, ut contendit Azor, sed ex Regula sunt Mendicantes, ut jam *suprà* notavimus, & clarius colligitur ex illis verbis Regulæ; *quia vos oportet frequentius mendicare*, verbum enim *oportet* sive sumatur præceptivè, sive secundùm honestatem, & decentiam, de quo Barbos. *de dictionibus, dictione* 242. denotat modum vivendi sine ulla proprietate, etiam in
365 communi; Lezana *ubi suprà num.* 103. Quomodo
366 autem ex vi Tridentini etiam Carmelitæ possint habere annuos redditus, & bona stabilia in communi, & quomodo huic privilegio nostri Excalceati Congregat. Hispanicæ renuntiaverint *ubi suprà disp.* 4. *sectione* 1. explicuimus.

§. 10.

CAPUT IX.

De oratorio, & Cultu divino.

TEXTUS.

Oratorium, prout commodius fieri poterit, construatur in medio cellularum, ubi manè per singulos dies ad audienda Missarum solemnia convenire debeatis, ubi hoc commodè fieri potest.

Adnotatio.

367 *Quo loco debeat in nostris Conventibus Ecclesia ædificari?*

368 *Ecclesia nostra non ampla, sed stricta esse debent secundùm Regulam.*

369 *Nostri Religiosi tenentur quotidie audire Missam.*

370 *Religiosi non audientes Missam in die festo peccant mortaliter contra Ecclesiæ præceptum, & venialiter contra Regulam.*

371 *Sacerdotes dicendo Missam utrique præcepto satisfaciunt.*

372 *Nostri Religiosi ex Regula tenentur quotidie assistere Missæ Conventuali in Choro.*

373 *Non tamen tenentur eam quotidie cantare.*

In hoc paragrapho duo præcipiuntur: *primum*, 367
ut Ecclesia, sive Oratorium in medio cellularum construatur: *secundum*, ut quotidie Religiosi ad illud conveniant ad audienda Missarum solemnia.

Primum præceptum de construenda Ecclesia in medio cellularum, cum respiceret vitam purè Ereміticam, quoad hanc circumstantiam cessavit respectu Conventuum, ubi claustrali modo vivitur; nam ratio illius præcepti erat, ut distantia ab Ecclesia omnibus esset æqualis, si fieri posset, quod tamen hodie non est necessarium ob continuationem Conventus cum Ecclesia; observatur tamen hodie adhuc hoc præceptum in nostris Eremis, ubi etiamsi modo Conventuali vivant, Ecclesia tamen in medio cellularum construitur; dicitur autem
Oratorium, & non Ecclesia, ut denotet templa 368
nostrorum Conventuum non magnifica, sed moderata esse debere: ita Expositores nostri; undè nostri Religiosi Ecclesias sumptuosas amplioresque ædificantes non huic Regulæ præcepto conformantur; Vide circa hæc supracitatos nostros DD.

Circa *secundum* præceptum notandum est, ex vi 369
illius teneri Religiosos sub veniali quotidie audire Missam, nisi legitimè moraliter fuerint impediti, & hic fuit semper sensus hujus præcepti in Religione, ut ex Sorethio, & ex Thoma à Jesu docet
Lezana *ubi suprà num.* 111. Undè Religiosi non au- 370
dientes Missam in die festo non solùm peccant 371
mortaliter contra præceptum Ecclesiæ, sed etiam venialiter contra Regulam. Sacerdotes tamen dicendo Missam utrique præcepto satisfaciunt Suar. *Tomo* 3. *in* 3. *p. disp.* 88. *sectione* 4. Azor *Tomo* 1. *q.* 4. *capite* 3. Fagund. *in* 1. *præcepto Ecclesiæ lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 5.

Advertunt tamen hic communiter nostri Expo- 372
sitores hoc præceptum præcipuè esse de Missa Conventuali in Choro ab omnibus audienda; cùm enim Regula eos ad Oratorium præcipit convenire,

nire, non de accessu confuso inter laicos, sed in Choro à sæcularibus separato, ut decet Religiosos, intelligendum est, ut optimè notavit Lezana *ubi*
373 *supra n.* 113. Unde licet ex illis verbis; *ad audienda Missarum solemnia*, præcisè non colligatur ipsos teneri quotidie Missam Conventualem cantare; colligitur tamen ex prædictis verbis teneri illam in Choro in Communitate audire, ut adhuc hodie observatur in nostris Eremis, ut patet ex 2. *part. nostrarum Constitutionum cap.* 8. §. 1. *n.* 7. Hinc fit Religiosos nostros ex vi Regulæ, teneri præcipuè Missam Conventualem audire, si tamen fuerint impediti, particulari Missa huic præcepto satisfaciunt; ita Franciscus à sancto Elia *super hunc Regulæ locum num.* 4. An autem ex alio capite teneantur Carmelitæ quotidie Missam cantare Conventualem, vel saltem diebus Festis *infra* dicemus.

§. II.

CAPUT X.

De Capitulo, & correctione Fratrum.

TEXTUS.

Dominicis quoque diebus, vel aliis, ubi opus fuerit, de custodia Ordinis, & animarum salute tractetis: ubi etiam excessus, & culpæ Fratrum, si quæ in aliquo deprehensæ fuerint, charitate media corrigantur.

Adnotatio.

374 *Actus Capituli Conventualis utilissimus est, & à Patribus maximè commendatus.*

375 *Capitulum Conventuale debet semel in hebdomada celebrari.*

376 *Prælatus non celebrans Capitulum singulis hebdomadibus peccat venialiter.*

377 *Qua hora debeat fieri Capitulum apud nostrates?*

378 *De quibus agendum sit in hoc Capitulo?*

379 *Quomodo in illo debeat fieri correctio Fratrum?*

380 *Quomodo Religiosi de suis propriis defectibus debeant semetipsos accusare, antequam ab aliis accusentur?*

381 *Quæ culpæ pertineant ad hoc Capitulum?*

382 *De culpis levibus, vel gravioribus publicis, de quibus Fratres se non accusarunt, tenentur Prior, & Zelator, & alii Fratres eos accusare.*

383 *Prælatus, & Zelator omittentes advertere & corripere culpas, etiam leves, quibus multoties repetitis introducuntur relaxationes contra Regulam, peccant mortaliter.*

384 *Cæteri Fratres tenentur sub mortali ex charitate prædictas culpas leves denuntiare quando sunt occasio peccati mortalis.*

385 *Vel quando sunt occasio proxima relaxationis proprii instituti, ut si ab omnibus patrarentur.*

386 *In hoc tamen casu non in particulari, sed in communi tenentur tales defectus denuntiare & corrigere.*

387 *Quid de aliis defectibus dicendum sit?*

388 *Quando fuerint publici?*

389 *Quid si occulti fuerint, & detrahant famæ?*

390 *Quid si fuerint defectus leves, communes, & occulti?*

391 *Quid si fuerint defectus leves sed occulti?*

392 *Ad hoc Capitulum non pertinet correctio peccatorum gravium occultorum.*

Pro explicatione hujus paragraphi suppono hujusmodi actum Capituli utilissimum esse, & 374
maximè à sanctis Patribus commendatum, & à Fundatoribus in suis Regulis præceptum, ut latè probat Lezana *Tom.* 5. *in Mari magno Carm. n.* 117. & nost. Franciſc. à S. Elia *in hoc cap. Regul.*

Secundò suppono hujusmodi Capitulum omnibus hebdomadibus semel ad minus, die Dominica, 375
vel alia, omni excusatione missâ celebrari debere; nam Regula cùm præcipit semel in hebdomada celebrari Capitulum non addit, si commodè fieri possit, ut facit in aliis Capitulis, sed absolutè præcipit. Unde Prælatus non celebrans Capitulum 376
omnibus hebdomadibus peccat venialiter. Thomas à Jesu, quem refert & sequitur Lezana *supra cit. loc. n.* 118.

Horam autem celebrandi Capitulum non assignat Regula, debet tamen apud nostros semper fieri primo mane, nisi aliqua occurrat gravis necessitas: ita statuit nostra Constitutio 2. *part. cap.* 10. 377
n 1. ubi nota tantum posuisse limitationem quoad horam celebrandi Capitulum, non verò quoad illius celebrationem, nam quoad hoc nulla potest legitima dari excusatio, cum non possit assignari casus, quo omnes dies hebdomadæ sint legitimè occupati, unde si dominica dies fuerit impedita, in alteram diem transfertur, quod tamen apud nostrates rarò fit, nam apud illos semper dominica die manè, ut Regula præcipit celebratur. His positis.

378 Dico: In hoc Capitulo primo loco agendum est de custodia Ordinis, & animarum salute, deinde de correctione Fratrum, ut ait Regula: finito verò Capitulo culparum, tunc possunt tractare de exterioribus temporalibus negotiis, aut monasterii; Ita noster Ven. P. Thomas de Jesu, quem refert, & sequitur Lezana *ubi supra n.*120. & habetur in nostro *Caremoniali cap.*15.*n.*6.

379 Circa autem Fratrum correctionem advertendum est, dupliciter fieri deberi, stando *nostris Constitutionibus* 2.*p.cap.*10.*n.*2. PRIMÒ, per accusatio-
380 nem ipsorum Fratrum: SECUNDÒ per accusatio-
381 nem seu corruptionem Prælati vel aliorum. Antequam igitur Fratres de aliquo accusentur, ipsi se debent de propriis culpis levibus, & quæ notabilem famæ jacturam non inferunt accusare, nisi forsan graviora quædam jam publica vel notoria sint majori parti Communitatis; nam tunc etiam de his se tenentur humiliter accusare: ita Franciscus à sancto Elia *super hunc locum Reg.n.*3. Thomas à Jesu, quem refert & sequitur Lezana *ubi supra n.* 121. & constat ex usu totius nostræ Congregationis. Vide etiam nost. Joan. Soreth & Gratianum ab eodem Lezana citatos.

382 Deinde si de aliquibus levibus culpis modo dicto, vel etiam de gravibus jam publicis, & notoriis non se accusaverint, tunc Prior, vel Zelator, imò & cæteri Fratres tenentur eos de illis accusare, & Prior media charitate, hoc est, non ex odio, vel passione, sed ex zelo observantiæ moderatè corrigere: cum hac tamen differentia, quod Prælatus, & Zelator ad hoc tenentur ex officio: cæteri vero
383 minimè. Unde si Prior, vel Zelator omittat advertere & corrigere culpas etiam leves, quæ multoties, & frequenter ab aliquibus committuntur, quibus introducantur relaxationes, & consuetudines pravæ contra Regulam, & Constitutiones, peccant mortaliter: ita Miranda, Thomas à Jesu, Tannerus, & alii, quos refert, & sequitur Diana *Tom.*3.*tract.*2.*resol.*38. Joannes Eusebius, noster Joan. Pintus de Victoria in *Hierarchia Carmelitana tract.*2.*cap.*23. quos refert, & sequitur Lezana *ubi supra num.* 118. Franciscus à sancto Elia *super hunc locum n* 5. Sotus, Bernardus, & alii, quos refert, & sequitur Emanuel à monte Oliveti *in practica regulari* 2.*p.art.*5.*num.*284. tenentur namque impedire legum transgressionem non solum ex charitate, sed ex officio, quod saltem videtur indubitatum, si talia venialia sint, vel possint esse occasio peccati mortalis, Rodriguez *de ordine judiciario c.*9.*n.*7. Lezana *ubi supra n.*118.

Cæteri verò Fratres solum tenentur ex charitate 384
sub peccato mortali prædicta venialia advertere, PRIMO, quando talia venialia sunt, vel possunt esse occasio peccati mortalis; ut si aliquis videret Religiosum habere sermones vanos, & ociosos cum persona suspecta valde, tunc tenetur eum, si res est secreta corrigere, & si prædictos sermones non omiserit Prælato denuntiare, vel si res est notoria in Capitulo denuntiare; Ita Soto, Miranda, quos refert & sequitur Emanuel de monte Oliveti 2.*part. art.*5.*num.*282.

SECUNDÒ tenetur etiam sub mortali prædicta 385
venialia advertere, quando sunt occasio proxima relaxationis proprii instituti; ut si ab omnibus, vel à majori parte Communitatis aliqua fierent contra Regulam, vel Constitutiones; tunc enim cuilibet ex Communitate incumbit in Capitulo, aut Visitatione illa denuntiare; Ita noster Franc. à S. Elia 386
*loc.cit.num.*6. de aliis verò imperfectionibus, vel
Regulæ transgressionibus, quæ ad mortale non 387
sunt occasio proxima, non tenentur Religiosi cæteros denuntiare sub mortali, imo neque sub veniali, ut multi volunt, quos refert, & sequitur Ema- 388
nuel de Monte Oliveti *ubi supra n.* 183. Vel si quæ obligatio est illos corripiendi, & in Capitulo admonendi tantùm est sub veniali, quando defectus sunt publici, & notorii: ita Franciscus à sancto Elia *ubi supra num.*6. Emanuel de Monte Oliveti *n.* 183. ubi alios refert.

Quod si prædicti defectus fuerint occulti, tunc
non tenetur etiam sub veniali de eis eos admonere 389
in Capitulo, sed tantùm in secreto, præcipuè si sint defectus, qui aliquo modo derogant famæ. Si ta- 390
men fuerint defectus communes, & ordinarii, tunc etiamsi sint occulti potest eos dicere in Capitulo, etiam non præcedente correctione fraterna, licet ad hoc non teneatur, nam hujusmodi proclamationes, ut ait D.Thom. 2.2.*q.*33.*art.*7.*ad* 4. sunt 391
de aliquibus levibus, quæ famæ non derogant. Unde sunt quasi quædam commemorationes potius oblitarum culparum, quam accusationes, vel denuntiationes, si tamen essent talia de quibus Frater infamaretur, contra præceptum Domini ageret, quia per hunc modum peccatum Fratris publicaret; Ita D.Thom. *ubi supra*, & idem docet D. 392
Basilius, quem & alios refert, & sequitur Lezana *ubi supra n.*121. Quomodo autem Fratres debeant alios de peccatis gravibus corrigere, vel in Capitulis provincialibus, vel Prælatis denuntiare, *infra suo loco*, Deo dante, dicemus, hæc enim non spectant ad Capitula Conventualia, ut habetur *in nostris*

stris constitution. 2.part. cap.10. num. 2. Videantur prætereà circa prædicta è nostris B Joan. Soreth, & Hier. Gratianus in *hoc cap. Regulæ*, & Petrus ab Angelis in *Judice Regulari 1.part.cap.6.& seqq.*

§. 12.

CAPUT XI.

De jejunio Fratrum.

TEXTUS.

Jejunium singulis diebus, exceptis Dominicis, observatis à festo exaltationis sanctæ Crucis usque ad diem Dominicæ resurrectionis, nisi infirmitas, vel debilitas corporis, aut alia justa causa jejunium solvi suadeat, quia necessitas non habeat legem.

Adnotatio.

393 *Quo tempore debeant Carmelitæ jejunare.*
394 *In die natalis Domini non tenentur Carmelitæ jejunare, etsi à Regula non excludatur.*
395 *Hæc jejunia Regulæ sunt verè Ecclesiastica.*
396 *In illis debent observari omnes conditiones jejunii Ecclesiastici.*
397 *Possunt Religiosi in illis ex speciali privilegio uti lacticiniis.*
398 *Quæ in illis possint sumi pro collatione vespertina?*
399 *Non possunt adhiberi legumina sicca pro collatione, benè tamen viridia.*
400 *Non possunt sumi pisciculi parvi pro collatione vespertina secundùm usum Religionis.*
401 *Ad hoc jejunium tenentur omnes Religiosi, etiam ante vigesimum primum ætatis annum, sive intra sive extra Conventum existant.*
402 *Religiosi, qui vigesimum primum ætatis annum non attigerunt, non tenentur ad jejunia Ecclesiæ, nisi Regula illa etiam præcipiat.*
403 *Talia jejunia præcipiuntur à nostris Constitutionibus.*
404 *Senes sexagenarii, & minores vigintiquinque annis tenentur ea observare, sed non sub peccato, etiam veniali.*
405 *Religiosi non servantes jejunia Regulæ peccant venialiter.*
406 *Causæ excusantes Religiosos à jejunio Regulæ reducuntur ad impotentiam, necessitatem, & pietatem.*
407 *Qui excusentur ratione impotentiæ?*
408 *Qui excusentur ratione necessitatis?*
409 *Qui excusentur ratione pietatis?*
410 *Hoc punctum Regulæ pro PP. Observantibus est mitigatum.*

Dico I. Ex vi hujus Capitis tenentur Carmelitæ jejunare à die exaltationis sanctæ Crucis inclu- 393
sivè usque ad diem Paschæ exclusivè, exceptis Dominicis diebus; Dixi *à festo Exaltationis sanctæ Crucis inclusivè*, nam quando propositio à, adjicitur à lege alicui diei determinato, tunc includit illum, si aliàs talis inclusio non sit contra jus commune *l.3.§.minorem ff.de minoribus, l. pater, vel legem Juliam de adulteriis*: ita Franciscus de sancto Elia *hîc n.2.* Thomas de Jesu, Navarrus, quos refert, & sequitur Lezana *n.127.loc.supracit.*

Excluduntur autem dies Paschæ, & dies Dominici ob honorem resurrectionis Domini, & propter Ecclesiæ consuetudinem ab Apostolis derivatam, propter quam consuetudinem, etiam dies na- 394
talis Domini, si extra Dominicam venerit censetur exclusus ex communi Religionis consuetudine, licet aliàs ex vi Regulæ non excludatur. Bellarminus, Thomas de Jesu, Peyrinis, quos refert, & sequitur Lezana *supra cit. loco n.126.*

Dico II. Hujusmodi jejunia sunt verè Ecclesia- 395
stica, utpote à Prælato Ecclesiastico indicta, & à Papa confirmata, & idem suo modo dicendum est de aliis, ad quæ tenemur ratione Constitutionum; ita habetur *in nostris Constitutionibus 1.p cap.12.n.4.* & tenent communiter nostri Expositores. Lezana *hîc n.29.* Thom. à Jesu *dub.3.in cap.9.Reg.* Franciscus à sancto Elia *super hunc locum n.5.* estque communis sensus totius Religionis.

Unde in illis debent observari omnes conditio- 396
nes jejunii Ecclesiastici, scilicet abstinentia à carnibus non tamen à lacticiniis, ex speciali privile- 397
gio, ut notavit nostra Constitutio *loco citato n. 4.* ut etiam de aliis Regularibus in jejuniis quadragesimæ docent Sanchez, Bossius, Bordon. & alii quos refert, & sequitur Pasqualig. *de jejunio decis.70.* Secunda conditio est, ut tantùm detur unica comestio tempore competenti, cum hoc tamen stat, ut possit sumi refectiuncula vespertina, ut in jejuniis Ecclesiæ, in fructibus, &c. ut tenet communis sen- 398
tentia, sive ex herbis coctis & conditis aceto & oleo, ut etiam in jejuniis Ecclesiæ admittunt Layman, Bossius, & alii, quos refert, & sequitur Pasqualig. *de jejunio decis.108.n.1.* Imo etiam ex herbis elixis jusculo, ut etiam in jejuniis quadragesimæ

admittunt Azor. Fagund. Bossius, & alii, quos refert, & sequitur Pasqualig. *decis.* 109. *num.* 4. & patet ex nostris Constitutionibus 1. *part. cap.* 12. *n.* 4.

399 An autem possint etiam adhiberi legumina cum jusculo? Respondeo de leguminibus viridibus nullum esse dubium, ut constat ex praxi nostræ Religionis, & etiam in jejuniis quadragesimæ illa admittunt multi, quos refert, & sequitur Pasqualigus *loc. cit. decis.* 110. *n.* 1. De leguminibus vero siccis, majus est dubium, siquidem etiam illa admittunt ad collationem in jejuniis Ecclesiæ Fagund. Bonacina, Bossius, Gilius Bizozer, quos refert, & sequitur Pasqualig. *decis.* 110. *n.* 2. Dico tamen hoc non esse in usu in hac nostra Provincia Lusitaniæ,
400 sicut etiam nullo modò pisculi parvi ministrantur, licet aliàs illos etiam in jejuniis Ecclesiæ posse sumi in debita quantitate ad collationem, admittant Azor. Lavorius, Cajetanus, Bonacina, Bizozer, Bossius, quos refert, & sequitur Pasqualigus *ubi supra decis.* 113.

401 Dico III. Ad hujusmodi Ordinis jejunia tenentur omnes Professi, sive intra, sive extra Conventum existant, sive laici sive Choristæ, etiam ante vigesimum primum ætatis annum. Prima pars conclusionis constat; nam hæc obligatio non est localis, sed personalis, orta ex voto: ergo comitatur Religiosos ubicumque sint. Bordon. Pasqualig. & alii, quos refert, & sequitur Lezana *loc. cit. n.* 129. Quoad secundam verò partem etiam patet; & in primis quoad illos, qui vigesimum primum annum attigerunt nullum est dubium; quoad illos verò qui talem annum non attigerunt, tenent hanc sententiam Gabriel, Tabiena, Rosella, Corduba, Silvius, Homobonus, Trulenc. Bordonus, Filiucius. Llamas, Villalobos, Portel, Diana, quos refert Pasqualig. *de jejunio decis.* 254. *n.* 2. licet ipse cum Graffio, & Tamburino oppositum teneat *ibidem num.* 4.

402 Ratio autem est, quia licet Religiosi, qui vigesimum primum ætatis annum non attigerunt non teneantur ad jejunia universalis Ecclesiæ, ut cum communi sententia docet Pasqualigus *decis.* 253. siquidem hæc tantùm obligant vigesimum primum annum completum habentes, inde tamen inferri
403 non potest, non teneri ad jejunia Regulæ; siquidem ad illius observantiā se ex propria voluntate astrinxerunt. Unde si in tali Regula vel Constitutionibus præcipiatur, ut omnes Professi etiam teneantur ad jejunia Ecclesię, ad illa etiam juxta modum quo
404 Regula obligat vel Constitutiones tenebuntur. Unde cùm in *nostris Constitutionibus loco citato n.* 4. statuatur, quod nostri Fratres jejunent omnibus diebus Statutis ab Ecclesia, ad illa etiam ex vi Constitutionis tenebuntur prædicti juvenes, etiamsi vigesimum primum ætatis annum non attigerint. Et idem dicendum est de senibus sexagenariis, si aliàs habeant vires ad jejunandum, ut cum Navarro docet Franciscus à sancto Elia *hic n.* 6.

Quia tamen nostræ constitutiones non obligant 405
ad culpam, sed tantùm ad pœnam, prædicta jejunia Ecclesiæ omittentes nullam committent culpam, sed tantum tenebuntur ad pœnam. Et idem dicendum est de aliis jejuniis indictis à Constitutione. Secus dicendum est de jejuniis Regulæ; nam illa transgredientes peccabunt venialiter, non tamen peccabunt mortaliter, secluso scandalo, contemptu, vel alia simili circumstantia mortali, quia ut *suprà* dictum est Regula tantùm obligat ad veniale.

Dico IV. Licet hujusmodi præceptum Regulæ omnibus Religiosis sit commune, debet tamen intelligi, ut ait ipsa Regula, *nisi infirmitas, vel debilitas* 406
corporis, aut alia justa causa jejunium solvi suadeat, quia necessitas non habet legem. Quæ verba cùm sint amplissima, amplissimam quoque habent explicationem; ita ut plures sint causæ excusantes Religiosos à jejunio, reducuntur autem hæ ad tria capita, scilicet, *impotentiæ, necessitatis,* & *pietatis.* Ra- 407
tione *impotentiæ* excipiuntur infirmi, & debiles, sed hoc debet fieri secundùm judicium medici, & Prælati, & de his expresse loquitur Regula; ratione *ne-* 408
cessitatis excluduntur laborantes corporaliter, sive 409
extra sive intra Conventum; ratione verò *pietatis* excusantur omnes illi, qui cum habeant aliquod officium pietatis, & charitatis erga proximos sive spirituale sit, sive corporale, non possunt illi satisfacere jejunando; ut sunt lectores utriusque Theologiæ, & philosophiæ, Prædicatores, &c. ita cum multis à se relatis Doctoribus docet Pasqualigus *de jejunio decis.* 326. 327 *&* 331.

Tandem advertendum est, hoc punctum Regulæ ab Eugenio IV. & Pio II. mitigatum fuisse, ita ut Patres Carmelitæ calceati solum feria quarta, sexta & Sabbato, excepta quadragesima & Adventu jejunent: Discalceati vero in toto suo rigore in hoc Regulam observant.

Plura dubia circa hoc Regulæ caput movet & solvit nost. Thom, à Jesu, quæ apud ipsum videri poterunt. De jejunii commodis & fructibus luculenter eleganterque disserit nost. Sæpius citatus Franciscus à S. Elia in *Comment. hujus cap*

§. 13.

§. 13.

CAPUT XII.

De abstinentia carnium.

TEXTUS.

Ab esu carnium abstineatis, nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur; & quia vos oportet frequentiùs mendicare itinerantes, ne sitis hospitibus onerosi, extra domos vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus; & carnibus supra mare vesci licebit.

Adnotatio.

411 *Abstinentia carnium utilissima est, & licita, honestaque.*
412 *Quid per carnem hîc intelligatur?*
413 *Quid agendum sit, si dubitetur de aliquo animali, an sit piscis, vel caro?*
414 *Nomine carnis non veniunt lacticinia.*
415 *Nomine carnis venit sanguis, vel laridum.*
416 *Sagimen in aliquibus regionibus non venit nomine carnis; unde standum est provinciæ usui, & praxi.*
417 *Jusculum, & herbæ coctæ cum carnibus veniunt nomine carnis.*
418 *In nullo casu possunt Carmelitæ edere carnes, excepto casu maximæ necessitatis.*
419 *Assignatur casus maximæ necessitatis.*
420 *Possunt comedere carnes pro infirmitatis, vel debilitatis remedio, vel quando navigant per mare.*
421 *Infirmitas, vel debilitas, pro causa ad edendas carnes requisita, non debet esse nimia, sed sufficiens judicio Medici, & Prælati.*
422 *Religiosi itinerantes possunt vesci pulmentis, hoc est, herbis & leguminibus coctis cum carnibus.*
423 *Quid, si in domibus, ubi hospitantur, dentur pisces?*
424 *Quid, si non sint itinerantes, sed tantùm sint extra domum?*
425 *In navigationibus per mare possunt edere carnes.*
426 *Quid, si ascendant mare propter recreationem?*
427 *Quid, si navigent per flumina?*
428 *Quid, si ab aliquo Principe invitentur ad mensam?*
429 *Quid, si talis Princeps habeat ad hoc privilegium Pontificis, vel ægrè ferat, ipsos edere pisces?*
430 *Carmelitæ edentes carnes tam intra, quàm extra domum, nisi in casibus præmissis, peccant venialiter ex vi Regulæ.*
431 *Ex Constitutione extra domum illas comedentes, peccant mortaliter: & quinam?*
432 *Hoc præceptum Regulæ pro PP. Calceatis est mitigatum.*

Suppono, abstinentiam carnium licitam, hone- 411
stam, atque utilissimam esse contra hæreticos hujus temporis, ut constat ex Cap. *carnem de consecrat. dist.* 5. & benè ex sanctis Patribus probant efficaciter nostri Thom. à Jesu *loco infra citando, dub.* 1. Lezana *Tom.* 5. *in Mari magno Carmelitarum, num.* 134. & Franciscus à sancto Elia *hîc num.* 2.

Suppono secundò, nomine carnium hîc intel- 412
ligi ea omnia, quæ fidelibus feria sexta ab Ecclesia prohibentur, ut declarant nostræ Constitutiones
1. *part. cap.* 12. *num.* 1. Unde si dubitetur de aliquo 413
animali, an sit caro, vel piscis, sequendus est usus
communis Fidelium; hinc fit nomine carnium, 414
non venire lacticinia, ut rectè cum aliis notavit
Lezana *num.* 137. benè tamen sanguis vel lari- 415
dum; nam sanguis, licèt non sit caro, est tamen in proximo statu, ut convertatur in carnem, & laridum est caro admixta pinguedine. Unde in communi usu censetur prohibitum Fidelibus feria sexta: Fagund. *in* 4. *præcepto Ecclesiæ, lib.* 1. *cap.* 2. *in fine.* Pasqualigus *de jejunio, decis.* 74. *num.* 5. Et ex nostris Thom. à Jesu *Exposit. in Regul.* 3. *part. dub.* 2. Stephanus à S. Paulo in Theolog. mor. *Tract.* 1. *disp.* 5. *num.* 95.

De sagimine majus est dubium: nam Layman. 416
Ludovicus à Cruce, Diana, & alii, quos refert, & sequitur Pasqualigus, existimant non venire nomine carnis, sed lacticiniorum, ac per consequens
non esse prohibitum feria sexta. Ego tamen exi- 417
stimo, in hoc standum esse provinciæ consuetudini; Lezana cum aliis, quos citat *num.* 137. De aliis verò, quæ non sunt caro, sunt tamen cocta cum carne, ut jusculum, herbæ coctæ cum carnibus, certum est prohiberi in hoc Capite; nam hæc omnia prohibita sunt Fidelibus feria sexta, ut patet

ex usu totius Ecclesiæ; Ita Thomas de Jesu *loc. cit.* & Lezana *num.* 138. His suppositis.

418 Dico: In nullo casu licitum est Carmelitis, qui
419 Regulam non mitigatam servant, carnibus vesci:
420 excipe casum maximæ necessitatis; ut si alii cibi
421 non reperirentur, ut accidere potest tempore famis, nam tunc etiam toti Communitati eis vesci licitum erit; ita cum aliis Peyrin. *de R. S. quæst.* 4. *cap.* 5. Vel pro infirmitatis, vel debilitatis remedio, vel quando per mare navigant, hoc est certum apud nostros Expositores, & patet ex eadem Regula; infirmitas autem, vel debilitas non requiritur, ut sit nimia, sed sufficiens judicio Medici, & Prælati: ita Franciscus à sancto ELIA *hic num.* 3.
422 Thomas à Jesu, quem refert, & sequitur Lezana *num.* 140. Possunt tamen Religiosi itinerantes vesci pulmentis coctis cum carnibus, imo & ipso carnium jure: hoc enim significat hoc nomen *pulmentum* in communi acceptione; ita communiter Expositores nostri Lezana, Thomas à Jesu, & Franciscus à sancto ELIA *locis cit.*

423 Circa autem illa verba: *Ne sitis hospitibus onerosi*, adverte, non requiri semper, ut simus hospitibus onerosi, ut pulmenta cocta cum carnibus comedere possimus in domibus sæcularium, sed etiamsi ipsi opulenti sint, adhuc Religiosi possunt vesci his pulmentis, cùm ratio prohibitionis tantùm
424 cesset in casu particulari, non verò in communi; Franciscus à sancto ELIA *hic num.* 6. & Thomas à Jesu, quem refert, & sequitur Lezana *num.* 141.
425 Imò, licèt Patres non possint uti ex vi Regulæ hoc
426 privilegio nisi itinerantes, consuetudine tamen receptum est, quòd etiam non itinerantes extra Conventus Ordinis manducantes, pulmentis uti possint. Thomas à Jesu, quem refert, & sequitur Lezana *loc. cit.* Advertit circa hoc caput Regulæ N. Hieron. Gratianus in *Disciplina Regulari part.* 3. *cap.* 7. §. 3. in illa verba: *Ne sitis hospitibus onerosi*: quòd si illi non sumant fastidium ex Fratrum abstinentia, quia habent pisces, tunc piscibus, & non dictis pulmentis utendum sit. Monent etiam, & benè ac sanctè Constitut. Congreg. N. Italicæ 1. *part. cap.* 9. *num.* 9. ad non facilè utendum hac Regulæ indulgentia, his verbis: *Hortamur Fratres nostros extra claustra justa de causa vescentes, ne facilè utantur indulgentia Regulæ, quæ pulmenta cum carnibus cocta permittit, ne sint hospitibus onerosi, quod efficient, si levi de causa non credant, se fore hospitibus onerosos.*

427 In mari tamen uti possunt Carmelitæ carnibus; hoc verò debet intelligi in navigationibus; non verò, quando recreationis causa mare ingrediuntur; ita Franciscus à S. ELIA *hic*: Soretius, Gratianus, Thomas à Jesu, apud Lezanam *ubi suprà, num.* 142. Et idem propter eandem rationem dicendum est de illis, qui navigant flumina; nam hi etiam non possunt uti carnibus, cùm Regula solùm dicat *supra mare*. Idem Franciscus à sancto ELIA *loc. suprà cit.*

An autem in domo alicujus Principis invitati 428
ab illo possint Carmelitæ carnibus vesci, quando tales Principes ægrè ferent hujusmodi abstinentiam? Affirmat Lezana *num.* 142. Verùm contra- 429
rium omnino tenendum est cum nostris Thom. à Jesu, & Francisco à S. ELIA *hic*; Est enim hoc directè contra Regulam; imò etiamsi Princeps ipse habeat aliquod privilegium Pontificium, adhuc illo non est utendum; non enim est credendum Pontificem voluisse concedere privilegium contra observantiam Regulæ Religiosorum; Ita nostri Thomas & Franciscus *loc. cit.*

Tandem adverte, quòd licèt ex vi Regulæ Car- 430
melitæ tam intra, quàm extra domum, solùm sub veniali teneantur à carnibus abstinere, secluso scandalo, & contemptu; in hac tamen nostra Con- 431
gregatione Hispanica datur præceptum formale non comedendi carnes extra domum, obligans sub mortali, ut patet *ex 1. part. nostrarum Constitutionum, cap.* 12. *num.* 2. de quo infra plura dicemus.

Secundò adverte, hujusmodi præceptum Re- 432
gulæ fuisse mitigatum pro nostris Fratribus Calceatis ab EUGENIO IV. ut possent carnibus ter vel quater in hebdomada vesci; unde solùm servatur in rigore apud Carmelitas, qui Regulam in suo primitivo rigore observant, ut etiam notavit Lezana *ubi suprà, num.* 143. cum N. Joanne Soreth, Gratiano, & Thom. à Jesu.

Posset quis hic fortè objicere ad impugnandum id, quod in *principio hujus* §. diximus: Per abstinentiam à carnibus abbreviari vitam, proindeque illicitam esse. Sed ad hoc respondetur negando antecedens: constat enim generaliter loquendo, id falsum esse; quod patet experientia quotidiana, innumerisque exemplis, cùm antiquiorum Sanctorum ac PP. Antonii, Pauli, Hilarionis, Pachomii, aliorumque: tum Religiosorum, qui semper à carnibus, imò quamplurimi quoque à lacticiniis abstinentes, ad decrepitam usque vixêre ætatem. Deinde carnes, cùm sint solidioris substantiæ, difficilius concoquuntur, ac digeruntur, ac per consequens minùs congruunt Religio-

Religiosis, qui meditationibus, orationibus, studiis & functionibus mentis, plusquam corporis attendere debent. Pro quibus videndus Lessius in *Opusc. de ver. rat. valetud. conserv.* Peyrinus *Tom. 1. de subdito R. quæst. 4. cap. 4.* probans vitam quadragesimalem non abbreviare vitam. Et Joan. Sancius in *select. disp. 3. num. 7.* & illis antiquior noster Joannes Beetzius in *Præcept. Decalog. præcept. 3. Expos. 4. cap. 2.* Joan. Gerson in *Tract. de non esu carnium.* Petrus Sutor *libro primo de vita Carthusiana, cap. 8. & 9.* ubi luculenter, efficaciterque ex SS. PP. aliisque Doctoribus & Medicis intentum probat, & præstantiss. Medicus Arnoldus de Villa nova in quodam opere hæc habet: *Quis audeat asserere, quòd nemo vitæ longitudinem consequatur sine usu carnium? cùm in monasteriis Carthusiensium octogenarii & centenarii crebrò inveniantur? Constat etiam, quòd in prima mundi ætate vixerunt homines diutiùs, quàm in aliqua aliarum: in qua tamen nulli communiter vescebantur carnibus, sed terræ nascentibus.* Docet etiam hic idem eximius Medicus, languentibus ob defectum cibi, magìs convenire vinum mediocre, & vitella ovorum mediocriter mollia, quæ velocissima digestione convertuntur in sanguinem, quàm carnem, &c. Consuli etiam poterit celeberrimus ac Reverendiss. Joan. Caramuel in suo DOMINICO, seu *Vita Ven.* P. N. DOMINICI à JESU-MARIA *lib. 6. cap. 2. num. 802.* ubi more suo egregiè hoc confirmat ex optimis, tum antiquioribus, tum junioribus Medicinæ Doctoribus. *Qui carnes*, ait, *esse necessarias statuunt, delirare videntur: & qui pisces vitæ esse conservandæ utiliores negârunt, non legerunt nostri ævi expertissimos Medicos, qui contra sentiunt.* Adducit etiam pro se Galenum, qui *lib. 3. de alim. fac. cap. 27.* hæc habet: *Alimentum, quod ex piscibus sumitur, non modò ad coquendum est facile, sed hominum etiam corporibus est saluberrimum, &c.* Plura alia *ibidem* reperies lectione dignissima.

* * *

§. 14.

CAPUT XIII.

De armis spiritualibus.

TEXTUS.

QUia verò tentatio est vita hominis super terram, & omnes, qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur. Adversarius quoque vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret, omni solicitudine studeatis indui armatura Dei, ut poßitis stare adversus insidias inimici. Accingendi sunt lumbi vestri cingulo castitatis: muniendum est pectus cogitationibus sanctis, scriptum est enim: Cogitatio sancta servabit te. Induenda est lorica justitiæ, ut Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro, & ex tota anima, & tota virtute diligatis, & proximum vestrum, tanquam vos ipsos: Sumendum est in omnibus scutum fidei, in quo poßitis omnia tela nequißimi ignea extinguere; sine fide enim impoßibile est placere Deo. Galea quoque salutis capiti imponenda est, ut de solo Salvatore speretis salutem, qui salvum facit populum suum à peccatis eorum. Gladius autem spiritus, quod est verbum Dei, abundanter habitet in ore, & in cordibus vestris: & quæcumque vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant.

Adnotatio.

433 *Quibus armis spiritualibus possimus vincere inimicum?*

434 *Quid per justitiam hic intelligatur, & quas virtutes comprehendat?*

435 *Quæ ex his virtutibus proponantur sub præcepto, quæ sub consilio tantùm?*

436 *Nostri Religiosi ex vi Regulæ tenentur ad munus prædicationis sub præcepto, & non tantùm sub consilio.*

433 IN hoc Capite nobis assignat noster Legislator arma spiritualia, quibus inimicum possimus devincere, vitam nostram militiæ comparando, ut fecit D. PAULUS *ad Ephesios* 6. de qua armatura plura miraque S. Antonius apud S. Athanasium in *vita ipsius*, SS. PP. Basilius, Chrysostom. Cassianus, Bernardus, aliique citati à nostris Regulæ Expositoribus, B. Joan. Soreth, Thom. a JESU, Hieronymo a Matre Dei, alias Gratiano, & Francisco à S. ELIA, aliisque in hoc caput textumque Regulæ:
434 Ego tamen breviter solùm illa, quæ ad rem moralem spectant, dicam.

Arma igitur, quæ ad hanc spiritualem pugnam nobis assignat, sunt justitia, hoc est, omnium mandatorum, & præceptorum Dei, & Ecclesiæ
435 observatio, fides, spes, charitas, castitas, cogitationes sanctæ, verbum Dei, & tandem exacta obedientia, concludens, *omnia, quæ vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant*; quædam ex his tenemur sub peccato observare, ut sunt fides, spes, charitas, & castitas; cætera verò solùm sunt quædam exhortationes, & consilia, quæ ad nullam culpam obligant, secluso contemptu; & idem dicendum est de illis verbis: *Et quæcumque vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant*; Lezana *suprà, cit. loc. num.* 147.

436 An autem idem dicendum sit de illis verbis: *Verbum Dei abundanter habitet in ore, & in cordibus vestris?* Existimo respondendum negativè; nam in illis præcipit Regula munus prædicationis, & attenta conditione Mendicantium, & quòd cooperatores sumus Episcoporum, ex officio veluti obligari videmur ad prædicationis, & disseminationis verbi Dei munus exercendum; Ita nostri sapientissimus Joan. Bacconius, Soreth, & Gratianus, quos refert, & sequitur Lezana *loc. cit. num.* 148. licèt alii, ut N. supracitatus Franciscus, & Joannes à JESU-MARIA *Tom.* 2. *Oper. suorum in Disciplina Monastica, cap.* 31. hunc locum exponant de communibus seu privatis colloquiis Religiosorum, ita ut Regula velit illa debere semper esse de Deo, rebusque divinis, &c. Videatur circa hoc idem Lezana *loc. cit.*

§. 15.

CAPUT XIV.

De Labore manuum.

TEXTUS.

FAciendum est vobis aliquid operis, ut semper diabolus inveniat vos occupatos, ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat invenire. Habetis in hoc beati PAULI Apostoli magisterium pariter, & exemplum, in cujus ore Christus loquebatur, qui positus est à DEO prædicator, & Doctor gentium in fide, & veritate, quem si secuti fueritis, non poteritis aberrare: in labore, inquit, & fatigatione fuimus inter vos, die, & nocte operantes, ne quem vestrûm gravaremus: non quasi nos haberemus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam, cùm essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, non manducet. Audivimus enim quosdam inter vos ambulantes inquietè, & nihil operantes. His autem, qui hujusmodi sunt, denuntiamus in Domino JESU CHRISTO, ut cum silentio operantes, panem suum manducent: Hæc via sancta & bona, ambulate in ea.

Adnotatio.

437 *Labor manuum ad evitandam otiositatem semper fuit laudabilis.*

438 *Ab omnibus Religionum Fundatoribus in suis Regulis præcipitur.*

439 *Talem laborem non solùm consulit, sed præcipit noster legislator.*

440 *Si aliquis Religiosus ab omni labore se eximeret, peccaret mortaliter, præcipuè, si præciperetur.*

441 *Quis sit iste manuum labor, cui se tradere tenetur Religiosus?*

442 *Sufficienter adimpletur hoc præceptum per exercitia spiritualia audiendi confessiones, prædicandi, &c.*

443 Quomodo hic labor à Religiosis sit adhibendus?

437 Circa hunc §. advertendum est laborem ma-
nuum ad evitandam otiositatem semper fuisse
laudabilem inter Religiosos; ut ex prædicto loco
D. PAULI, & ex sanctis Patribus,& Fundatoribus
Religionum, qui talem laborem in suis Regulis
præceperunt, refert N. Thom. & Franciscus à S.
ELIA *hîc num. 3.* & ideo talem laborem noster
Legislator non solùm consulit, sed præcipit: unde
438 Religiosus omittendo aliquem manuum laborem
ad evitandam otiositatem, absque dubio faciet
contra hoc præceptum; Thomas à JESU *super hunc*
439 *locum, glossa 2.* & ex nostro Waldensi Lezana *hic*
num.150. Imò, si aliquis Religiosus ab omni la-
bore se eximeret, peccaret mortaliter; nam tunc
non solùm esset transgressor Regulæ, sed pacti,
440 & contractus initi in professione, qua se Religioni
obligavit adimplere occupationes tam spirituales,
quam corporales illius, & Religio illi se obligavit
ei omnia necessaria ad vitam subministrare; Ita D.
Antoninus, Navarrus, Sylvest. Corduba, Soto,
& alii, quos refert, & sequitur Franciscus à S.
ELIA *hîc num.7.* quod saltem, quando à Prælatis
præcipitur, erit certum; Suar. *Tom. 4. de Relig.*
tract.8. lib.1. cap.ultimo, num.ult. Lezana *Tom.1.*
cap.1.num.16.

441 Si tamen quæras, quis sit iste manuum labor,
cui Religiosi se tradere tenentur? Respondeo,com-
prehendere omnia officia humana, ex quibus ho-
mines licitè victum quærunt, sive manibus, sive
pedibus,sive lingua fiat; D. Thom. *2.2.quæst.187.*
art. 3. in corpore; imò omnia officia monasterii, in
quibus corporis labor requiritur, ut sunt officium
Procuratoris, Ianitoris, Sacristæ, Expenditoris,
Infirmarii, Lectoris Theologiæ, sive Philosophiæ,
sive Grammaticæ; nam lingua in hoc casu juxta
doctrinam D.Thom. nomine manus comprehen-
442 ditur; Thom. de IESU *hîc*; Lezana *suprà num. 152.*
& Franciscus à S. ELIA *hîc num. 5.*

Item sufficienter impletur hoc præceptum laboribus, & exercitiis spiritualibus, ut sunt audire Confessiones, prædicare, legere, scribere, docere; Ita B. Thom. Waldensis, Tom. à IESU, & Miranda, quos refert, & sequitur Lezana *Tom.1. cap.7. num. 23.* Gratianus *in disciplina regulari part. 3. cap 9. §. 3.*

443 Advertendum tamen est in fine hujus capitis, hunc manuum laborem taliter à Religiosis sumi debere, ut fervorem spiritus non extinguat, nec à Psalmodia, neque ab oratione, neque à reliquo bono disciplinæ ordine abstrahat; Ita D. Basilius *in reg. 37. & 38.* D Bernard. *in Epist. ad Fratres de monte Dei*, D. Isidor. *lib.2. de officiis,cap.5.* D. August. *de operibus Monachor. cap.17.* Cassian. *in collatione Abbatis* Isaac, & alii, quos refert, & sequitur Franciscus à S. ELIA *hîc num. 6.* Vide Thom. à IESU, quæ plura circa hoc cap. dubia proponit, doctissimèque resolvit.

§. 16.

CAPUT XV.

De silentio.

TEXTUS.

Commendat autem Apostolus silentium, cùm in eo præcipit operandum: & quemadmodum Propheta testatur, cultus justitiæ silentium est: & rursus: In silentio & spe, erit fortitudo vestra. Ideoque statuimus, ut dicto Completorio silentium teneatis usque ad primam dictam sequentis diei: alio verò tempore, licèt silentii non habeatur observantia tanta, diligentiùs tamen à multiloquio caveatur: quoniam sicut scriptum est, & non minùs experientia docet, in multiloquio peccatum non deerit: & qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Item, qui multis utitur verbis, lædit animam suam; & Dominus dixit in Evangelio: De omni verbo otioso, quod loquuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii. Faciat ergo unusquisque stateram verbis suis, & frænos rectos ori suo, ne fortè labatur, & cadat in lingua sua, & insanabilis sit casus ejus ad mortem, custodiens cum Propheta vias suas, ut non delinquat in lingua sua: & silentium, in quo cultus justitiæ est, diligenter, & cautè studeat observare.

Adnotatio.

444 *Carmelitæ tenentur silentium certo tempore observare ex præcepto Regulæ.*

445 *Hoc præceptum est conforme juri communi.*

446 *Comprehendit non solùm subditos, sed etiam Prælatos.*
447 *Violatur hoc præceptum non solùm per loquutionem, sed etiam per quemlibet strepitum.*
448 *Non impedit, quin loquantur res omnino necessarias.*
449 *Virtutes morales consistunt in medio.*
450 *Defectus locutionis aliquando poterit esse superstitiosus.*
451 *Qui necessaria loquitur, silentium retinet.*
452 *Viros contemplativos non decet multùm loqui, sed silentium.*

444 DUo in hoc §. nobis præcipiuntur; primum, ut à dicto Completorio usque ad Primam dictam sequentis diei silentium teneatur; continent autem hæc verba non consilium, sed præceptum;
445 ita Expositores nostri Franciscus à S. ELIA *hîc num.* 2. Gratianus, Thomas à JESU, quos refert, & sequitur Lezana *hîc num.* 157. estque conforme juri communi, *cap. cum ad monasterium.* Comprehendit autem hoc præceptum non solùm subditos, sed etiam Prælatos.

Unde, quamvis nostræ Constitutiones concedant, quòd in cella Prioris aliqua possint tractari tempore silentii, illa debent esse talia, quæ aliàs non possunt differri, ut patet *ex* 1. *part. nostrarum Constitutionum, cap.* 15. ubi ait: *Silentii verò tempore, ea tantùm, quæ minimè differri possunt, in cella Prioris breviter tractentur.*

446 Comprehendit autem hoc præceptum non solùm abstinentiam à locutione, sed etiam quem-
447 libet strepitum, ut advertit nostra Constitutio *loco citato*, ubi ait: *Dicto Completorio, festinanter omnes tendant ad cellas suas, nisi quis in Ecclesia orationi vacare velit, neque strepitum in illis ullo modo faciat:* & infra, *quilibet strepitus evitetur.*

448 Adverte autem, quòd licèt hoc præceptum adeo rigidum sit, per hoc tamen non tolli, quin res omnino necessarias possint Religiosi secretè tractare, quando aliàs non possunt differri, nec signis manifestari; nam cùm silentium sit virtus moralis, debet ejus perfectio consistere in medio, hoc est,
449 ut quis non loquatur, nisi cum debitis circumstantiis, secundùm illud Psalmistæ: *Impone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ*
450 *labiis meis.* Ubi D. Gregorius ait: *Non obstaculum, sed ostium petiit;* talis enim occasio sese potest offerre, ut observantia silentii non virtus, sed super-
451 stitio foret; qui enim ea, quæ omnino sunt necessaria, loquitur, silentium retinet, juxta illud *Joannis* 11. ubi dicitur, quòd Marta *vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te:* ubi pro eodem habetur silentium, & loqui secretè; benè ergo potest esse silentii observatio cum locutione, quando omnino necessaria est: ita Gratianus *capite* 10. §. 3. Lezana *hîc n.* 159. Franciscus à S. ELIA *hîc n.* 6.

Addit tandem Regula, quòd in alio tempore, 452
licèt silentii, non habeatur observantia tanta, diligentiùs tamen à multiloquio caveatur; nam viros religiosos non decet multùm loqui, præcipuè contemplativos, quales sunt nostri Carmelitæ. Vide Franciscum à S. ELIA *hîc num.* 5. Thom. à JESU, Joan. à JESU-MARIA *loc. cit. cap.* 33. *& seqq.* Ioan. Soreth, Gratianum, & Michaëlem à S. Augustino *Tract.* 3. *introductionis in terram Carmeli, cap.* 3. *& seqq.*

§. 17.

CAPUT XVI.

Exhortatio Prioris ad humilitatem.

TEXTUS.

TU autem, Frater Brocarde, & quicumque post te institutus fuerit Prior, illud semper habeatis in mente, & observetis in opere, quod Dominus ait in Evangelio: Quicumque voluerit inter vos major fieri, erit minister vester, & quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.

Adnotatio.

453 *Prælati non cum superbia, sed cum humilitate debent subditis imperare.*
454 *Non debent ambire dignitates.*
455 *Prælatos ambitiosos & elatos, tenentur Superiores corrigere & humiliare.*
456 *Qui prætendunt officia in nostro Ordine mediis sæcularibus, fiunt ad illa, vel ad alia inhabiles, &c.*

IN hoc §. Priorem Generalem, & cæteros Prælatos exhortatur noster Legislator, ne imperii dignitate evanescant subditis, ut Principes dominantes, sed ut veri pastores; juxta illud 1. Petri 5. *Pascite, qui in vobis est, gregem, &c.* Neque ut do-*minantes*

minantes in Clericis, sed forma facti gregis ex animo: condemnat etiam in hoc loco omnem ambitionem dignitatum, quæ à viris religiosis longè debet
454 abesse, & eos, qui tali ulcere fuerint infecti, jubet
455 humiliare, & deprimere. Unde nostræ Constitu-
456 tiones inhabiles reddunt ad officia Ordinis eos, qui illa favoribus sæcularium mediantibus procuraverint, ut patet *ex 2. part. cap. 4. num. 16.* non enim officio dignus censetur, qui illud favoribus intendit adipisci, juxta illud Lucæ 22. *Qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator.* Ita communiter Expositores nostri supracitati in hunc locum Regulæ.

§. 18.

CAPUT XVII.

Exhortatio Fratrum, ut Priorem suum honorent.

TEXTUS.

Vos quoque cæteri Fratres, Priorem vestrum honorate humiliter, Christum potiùs cogitantes, quàm ipsum, qui posuit ipsum super capita vestra; & Ecclesiarum Præpositis ait: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit; ut non veniatis in judicium de contemptu, sed de obedientia mereamini vitæ æternæ mercedem.

Hæc breviter scripsimus vobis, conversationis vestræ formulam statuentes, secundùm quam vivere debeatis. Si quis autem supererogaverit, ipse Dominus, cùm redierit, reddet ei; utatur tamen discretione, quæ virtutum est moderatrix.

Adnotatio Auctoris.

457 *Quomodo subditi debeant suum Prælatum Christum existimare?*
458 *Tenentur ex præcepto suum Prælatum honorare?*
459 *Subditus, qui Prælato præcipienti non vult subjici, illum formaliter contemnit.*
460 *Hic contemptus in materia gravi est mortalis.*
461 *Carmelitæ possunt facere supererogationis opera secundùm Regulam.*
462 *Quæ prudentia in his operibus supererogationis habenda sit.*

In hoc capite duo nobis insinuantur: *Primum,* ut 457
Prælatum Christum potiùs cogitemus, quàm ipsum. *Secundum,* ut ei debitam reverentiam præstemus: Primum tantùm est exhortatio, continens merum consilium, ad nullam culpam obligans; 458
Lezana *loc. cit. num.* 166. Secundum verò continet rigorosum præceptum; nam de jure naturali Religiosi tenentur suum Prælatum honorare, ut patet ex illo ad Roman. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*; & ex 1. ad Timoth. 5. *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni sunt.* Pro quo etiam alia loca congerit Lezana *loco citato.*

Hic autem honor multis modis præstari potest: *primò*, præstando diligenter auditum loquentibus: *secundò*, reverenter alloquendo: *tertiò*, venientibus assurgendo: *quartò*, coram eis sedentibus decenter stando: *quintò*, incedentes comitando: *sextò*, transeuntibus iis, caput vel corpus inclinando: *septimò*, propriam operam in servitiis exhibendo: *octavò*, honorabiliora fercula, & vestes, &c. conferendo: *nonò*, propriam magnificentiam ad illorum præsentiam deponendo, ut caputium, pileum, &c. *decimò*, ipsos præferendo in o- 459
mnibus in eundo, loquendo, sedendo; ita Alvarez, Peyrinis, & alii, quos refert, & sequitur
Lezana *ubi suprà, num* 165. Tunc autem dabitur 460
contemptus formalis Superioris, de quo hîc loquitur Regula, quando Religiosus illi noluerit subjicere præcipienti, Cajetan. & alii, quos refert, & sequitur Lezana *Tom. 1. qq. Reg. cap. 8. num. 17.* & hic contemptus absque dubio erit peccatum mortale; Valentia, Sanchez, quos refert, & sequitur Lezana *ibidem.*

Circa illa verò verba: *Si quis autem supereroga-* 461
verit, ipse Dominus, cùm redierit, reddet ei. Adverte, nostris Religiosis ex Regula permissum esse facere supererogationis opera, ut patet ex hoc ca-
pite, & tenent nostri B. Ioan. Soreth, in *hunc Reg.* 462
textum, cap. 3. Hieron. Gratianus *loc. cit. cap. 12.* Lezana in *Mari magno Carm. num. 168.* & *Tom. 1. qq Reg. cap. 7. num. 22.* Thom. à Iesu, & Francisc. a S. Elia in *Comment. super hoc Reg. N. cap.* Semper tamen hoc prudentia est regulandum. Unde consultiùs erit, si hæc opera de Prælati consensu fiant; ita idem Thomas de Iesu, & omnes jam citati Authores.

Supererogationis verò opera complura & eximia, quæ Carmelitæ Discalceati utriusque Congregation. Hispanicæ & Italicæ, juxta Constitutionum suarum præscriptum, indies supra Regulam exercent, compendio recensent præfati Thomas & Franciscus *loc. cit.* ille *dub. ultimo.* hic verò *pag.* 384. *& seqq.* qui etiam *pag.* 387. *& seqq.* alias quamplurimas planè voluntarias, spontaneasque refert ab iis passim fieri cõsuetas supererogationes, admiratione multis visas dignissimas, &c. Præter sex illos supra pluries citatos Authores scripsêre in Regulam nostram è nostris *Ioannes de Bachone*, cognomento *Doctor Resolutus*, S. ALBERTUS *Drepanita* Siculus, *Guilielmus Samucus*, *Angelus de Salazar* Hispanus, *Didacus Coria* Hisp. *Heliodorus de Cremona*, *Ioannes Tuaut* Aquitanus, *Philippus Ribottus* Hisp. *Simon Cœlus* Lusitanus, *Valerius Ximenez* Episcopus Algarensis: & è Discalceatis Ven. P. *Ioannes à* JESU-MARIA Calaguritanus, *Franciscus à SS. Sacramento* Hisp. *Nicolaus* à JESU-MARIA Polonus, ille, qui etiam Author est *Apologiæ perfectionis*, *&c.* *Iacobus à Purificatione* Polonus: & ex Carm. Observantiæ Turonens. illuminatissimus ille ab incunabulis cæcus *Joannes à S. Samsone.*

Extat quoque apud Lezanam *Tom.* 5. *in Maris magni Carm. comment. num.* 171. & Danielem à Virg. MARIA in *Vinea Carmeli*, seu *Historia Eliani Ordinis* FRATRUM B. MARIÆ *de monte* CARMELO 1. *part.* Tractatus de *Analogia seu Conformitate Regulæ Carmelitarum*, *cum vita SS. Virginis* MARIÆ compendio scriptus à præfato *Joan. de Bachone*, dignissimus, qui jugiter ab hujus Ordinis alumnis perlegatur, & in praxin deducatur.

SECTIO III.

De obligatione, quam habent Religiosi ratione voti obedientiæ, respectu sui Ordinis Constitutionum.

463 *Constitutiones comparantur ad Regulam, ut perfectiones accidentales ad formam substantialem.*

464 *Dari potest Religio sine Constitutionibus, non tamen sine Regula.*

465 *Religiones, quæ Regulam non habent, Constitutiones habent pro Regula.*

466 *Possunt dari plures Regulæ in Ecclesia.*

467 *Definitio Constitutionum proponitur.*

468 *In quo differant Constitutiones à decretis, & actis?*

469 *In quo differant à Regula.*

470 *Constitutiones aliquando obligant ad mortale, aliquando ad veniale, aliquando ad solam pœnam.*

471 *Quando Legislator declarat se tantùm velle suis Constitutionibus obligare ad pœnam, certum est non obligare ad culpam.*

472 *Quid si in eisdem Constitutionibus contineatur præceptum, vel censura?*

473 *Quid si detur contemptus, vel alia gravis circumstantia?*

474 *Quid requiratur, ut Constitutio contineat præceptum?*

475 *Quid si materia fuerit gravis, & præcipiatur verbis præceptivis?*

476 *Quid si materia fuerit levis, & verbis etiam præceptivis præcipiatur?*

477 *Quid si materia fuerit gravis, & verba sint communia ad præcepta, & consilia?*

478 *Quando censeatur Constitutio continere censuram?*

479 *Quid si censura tantùm sit ferenda?*

480 *Quid si contineat irregularitatem?*

481 *Quid si suspensio, & interdictum levia sint, ut alicujus actus specialis ad breve tempus?*

482 *Quid si ponat pœnam degradationis, depositionis, & privationis Ecclesiasticæ sepulturæ?*

483 *De qua materia debeant esse Constitutiones, ut obligent Religiosos, qui ante illas Regulam professi sunt?*

484 *Religiosi qui Regulam tantùm professi sunt, non possunt etiam à Papa ad nova opera obligari, nisi ob aliquam specialem causam.*

485 *Possunt Prælati condere Constitutiones supra Regulam pro noviter profitentibus.*

486 *Quoties Constitutio, vel præceptum ex aliquo accidenti est contra charitatem, pietatem, vel secretum naturale, non obligat.*

487 *Præcepta humana non obligant contra præcepta Dei, vel Ecclesiæ.*

488 *Quid si Constitutio, vel præceptum repugnet bono communi?*

489 *Quando Constitutio, vel præceptum non potest observari sine periculo vitæ, non obligat.*

490 *Omnes Prælati tenentur observare Constitutiones, non solùm quoad vim directivam, sed etiam coactivam.*

491 Præ-

491 *Prælati solùm tenentur observare præcepta à se lata quoad vim directivam.*

492 *Quid dicendum de assumptis ad Episcopatum, ac de ejectis?*

463 DIco I. Constitutiones in illis Religionibus,
quæ habent Regulam, comparantur ad illam,
ut perfectiones accidentales ad suam formam sub-
464 stantialem. Unde licet possit dari Religio absque
Constitutionibus, non tamen potest dari Religio
absque Regula; in Religionibus autem, quæ non
465 habent Regulam specialem ipsæmet Constitutio-
nes habentur pro Regula, ut est Religio Societa-
tis, Minimorum, & Carthusiensium: nullum
enim inconveniens est, ut dentur plures Regulæ.
466 Suarez *Tom. 4. de Relig. tractat. 8. lib. 1. cap. 1. n. 7.*
467 Dicuntur autem Constitutiones eæ, quæ fiunt à
468 Principe cum suis consiliariis. Panormitan. *in ru-*
brica de Const. Silvest. *verbo* Constitutio. Lezana
in Consiliis consil. 36. numer. 5. Differunt autem
à decretis, sive actis in eo, quod Constitutiones
sunt perpetuæ, decreta verò solum durent per tri-
469 ennium. Silvester *ubi suprà*, Corduba *in reg.*
S. Francisci cap. 10. quæst. 3. conclus. 3. in fine; à
Regula verò differunt in eo, quod Regula ut plu-
rimum constituta est ab aliquo antiquo Religionis
Patriarcha, & a Summis Pontificibus specialiter
confirmata, & in Religione perpetua, & immuta-
bilis; Constitutiones verò non ita, sed à Capitu-
lis generalibus ordinatæ, & multæ sine Pontificis
approbatione, & pro temporis varietate mutari
possunt, ut *supra* tetigimus.

470 Dico II. Hæ Constitutiones aliquando possunt
obligare ad culpam mortalem, aliquando ad ve-
nialem, aliquando ad solam pœnam, secundùm
quod in ipsis pro varietate Religionum disponi-
471 tur. Unde quando ipsis Constitutionibus decla-
ratur non esse intentionem legislatoris obligare ad
culpam, sed tantùm ad pœnam taxatam in ipsis
472 Constitutionibus, ut fit in nostris *1. part. cap. 1.*
473 *numer. 7.* tunc nullum est dubium tales Consti-
tutiones solum obligare ad pœnam taxatam, nisi
in eisdem contineatur præceptum, aut censura,
aut alias id, quod Constitutionibus ipsis præ-
cipitur, seu prohibetur, ex se, aut ratione con-
temptus, vel alterius circumstantiæ fuerit culpa-
bile, ut etiam declaratur in nostris Constitutioni-
bus *ubi suprà*.

474 Adverte tamen, quod, ut Constitutio conti-
neat præceptum non sufficit, ut dicatur *strictè*
mandamus, & *sub præcepto*, cum hæc verba sint
indifferentia ad mortale, & veniale, ut optimè
notavit Lezana *Tom. 1. cap. 8. numer. 11.* Sed re-
quiritur, ut præcipiatur *in virtute obedientiæ*, vel
in virtute Spiritus Sancti, vel *in virtute voti*, vel
juramenti, vel *sub interminatione gehennæ*, vel *sub*
pœna maledictionis æternæ, aut *indignationis Dei*, vel 475
sub attestatione Divini judicii, hæ enim commina-
tiones solum correspondent culpæ gravi, ut dixi-
mus *disputat. 6. hujus Tractatus sect. 2. §. 1. n. 200.*
Si tamen in prædictis Constitutionibus nec conti- 476
neatur prædictum præceptum, nec declaretur in-
tentio legislatoris, tunc inspicienda est materia,
an sit levis, vel gravis, & verba quibus præcipi- 477
tur, & si materia fuerit gravis, & præcipiatur
verbis præceptivis, ut sunt, *mandamus*, *præci-*
pimus, *statuimus*, obligabunt sub mortali; si
tamen materia fuerit levis, etiamsi prædictis ver-
bis præcipiatur, transgressio non erit mortalis, sed
tantum venialis; ita Castro, Sanchez, quos re-
fert, & sequitur Lezana *Tom. 1. cap. 8. numer. 12.*
Debet tamen de levitate materiæ certo constare;
nam in dubio semper credendum est Legislato-
rem rectè præcipere. Suarez *Tom. 5. in 3. part. disp. 4.*
sect. 6. num. 11. Aragonius *2. 2. quæst. 62. art. 3.*
Lezana *loc. cit.* Si tamen materia fuerit gravis, &
verba tantùm fuerint communia ad præcepta, &
consilia, ut sunt, *volumus*, *monemus*, tunc pro-
babilissimum est non obligare ad culpam præser-
tim mortalem, ut *suprà* diximus *hac eadem dispu-*
tatione sect. 2. §. 1. per totum. nam omnia, quæ ibi
dicta sunt hic accommodari debent; eodem enim
modo de Constitutionibus philosophandum est
ac de Regula.

Secundò adverte, quod, ut Constitutio ali- 478
qua contineat censuram debet esse latæ sententiæ,
& non sufficit, quod aliquid præcipiat sub pœna
excommunicationis ferendæ, nisi aliàs Legisla-
tor, cum ex consuetudine requiratur trina moni-
tio, declaret nullam aliam monitionem requiri; 479
Ita Sotus, Valentia, Suarez, & alii, quos refert,
& sequitur Palaus *Tom. 1. tract. 3. disput. 1. part. 15.*
num. 3. Pellizzarius *Tom. 1. tract. 5. cap. 2. num. 32.*
Licet alii Doctores apud Dianam *3. part. tract. 6.*
resolut. 76. contrarium teneant.

Idem dicendum est, quando excommunicatio 480
ponitur ad terrorem, ut passim fieri a judicibus
Ecclesiasticis existimat Sanchez *libr. 4. Decalog.*
cap. 18. num. 18.

Et idem, quod diximus de excommunicatio- 481
ne, di-

ne, dicendum est etiam de suspensione, interdi-
cto, & irregularitate, nisi forte, ait Sanchez
482 *ubi suprà num.* 54. suspensio, & interdictum le-
via sint, ut alicujus actus specialis ad breve tem-
pus.

Idipsum dicendum est de pœna degradationis,
depositionis, expulsionis, & privationis Eccle-
siasticæ sepulturæ, sunt namque pœnæ gravissi-
mæ, quæ etsi absolutè, & ipso facto ferantur,
nunquam ponuntur, nisi ob gravem culpam; ita
Vasquez, Sanchez, & alii quos refert, & sequi-
tur Palaus *ubi suprà num.* 4. *&* 5. contra Navar-
rum *cap.* 23. *num.* 53. asserentem suspensionem,
interdictum, ac irregularitatem, non esse signum
gravis obligationis, cùm interdictum ponatur
absque gravi culpa, quod non rejecit Diana *ubi
suprà.* Consulantur circa prædicta nostri Petrus
Cornejo, & Gabriel à S. Vincentio in suis *Tract. de
censuris disp.* 1. *& seqq.*

483 Dico III. Hujusmodi Constitutiones, ut obli-
gent in conscientia Religiosos, qui ante earum
constructionem Regulam professi sunt, debent
esse de rebus concernentibus explicitè, vel implici-
tè Regulam: unde si fuerint omnino supra Re-
gulam non obligant prædictos Religiosos. D.
Thom. *quodlib.* 10. *art.* 10. Corduba *in expositione
regulæ S. Francisci cap.* 19. *quæst.* 2. *concl.* 6. & hoc
etiamsi tales Constitutiones fuerint factæ à Capi-
tulo generali. Vasquez 1. 2. *disput.* 154. *cap.* 4.
numer. 25. Sanch. *lib.* 6. *in Decal. cap.* 2. *num.* 18.
484 Belasius *verbo* constitutio *num.* 7. Nam cum Re-
ligiosi tantum voverint obedire secundum Regu-
lam non possunt ad majora obligari, etiam à sum-
mo Pontifice. Corduba *loc. cit.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 41.
dub. 9. *num.* 77. nisi in aliquo casu particulari ob
publicam necessitatem, verbi gratia, ob bellum,
famem, hæresim, &c. Nam tunc hæc non sunt
supra Regulam, sed secundùm Regulam; utpote
concernentia utilitatem publicam. Corduba, &
485 Lessius *ubi suprà*; poterunt tamen non solùm
Pontifex, sed etiam alii Prælati condere tales Con-
stitutiones obligantes inposterum professuros;
Sanchez *loc. cit. n.* 22. *&* 23. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 8.
num. 6. Belasius *ubi suprà cit n.* 8.

486 Dico IV. Constitutiones, seu Statuta non
obligant quoties ex aliquo accidenti eas observare,
esset contra charitatem; ut si sit præceptum, non
ingrediendi alterius cellam, & contingat aliquem
Religiosum infirmari, & ingressus sit necessarius
sine mora, nam tunc potest Religiosus intrare ad
Fratri infirmo succurrendum Rodrig. *Tom.* 1. *quæst.*
67. *art.* 3. Lezana *loc. cit. num.* 19.

Idem dicendum existimo, si esset præceptum
non scribendi, vel recipiendi epistolas absque eo,
quod à Prælato legerentur; nam si præceptum
pietatis, vel charitatis, vel secreti naturalis aliud
postularet in aliquo casu particulari aperire, vel
scribere tales epistolas absque eo, quod Prælato
ostenderentur nullum peccatum existimarem pro-
pter eamdem rationem; præcepta namque huma-
na non possunt obligare contra præcepta Dei, vel 487
contra jus canonicum, vel summorum Pontifi-
cum decreta, ut rectè cum aliis notavit Tambur.
de jure Abbatum disp. 21. *quæsito* 9. *num.* 1. Navarr.
in Comment. 2. *de Regular. q.* 4. *numer.* 13. versu.
Advertendum est, & alii.

Idem dicendum est, si observantia legis, vel 488
constitutionis repugnet bono communi; Ita Ca- 489
jetan. 2. 2. *quæst.* 12. *art.* 1. Rodrig. *Tom.* 1. *quæst.*
67. *art.* 4. Idipsum dicendum est, quando non
potest observari sine periculo vitæ. Lezana *Tom.* 1.
cap. 8. *num.* 19.

Dico V. Omnes Prælati Religionum, etiam 490
ipse Generalis tenentur observare Constitutiones
suorum Ordinum, non solum quoad vim directi-
vam, sed etiam coactivam. Ita Suarez *Tom.* 4. *de
Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 18. Et ratio est, 491
quia hujusmodi Constitutiones factæ sunt à Capi-
tulo generali, sed Capitulum generale est superius
ipsi Generali; ergo illum obligat etiam quoad vim 492
coactivam suis legibus; unde post finitum offi-
cium Generalatus, solent omnes Religiones de
præterito Generali syndicare, & de defectibus,
quos contra Constitutiones commisit, punire.
Leges tamen, vel præcepta, quæ ipse condit Ge-
neralis, vel Provincialis tantùm quoad vim dire-
ctivam tenetur observare. Suarez *ubi supra n.* 19.
Vasquez, & alii, quos refert, & sequitur Bela-
sius *verbo* lex *num.* 2. Quomodo autem Reli-
giosi assumpti ad dignitates, & ejecti ab
Ordine teneantur ad Ordinis insti-
tuta *infrà* dicemus.

***

SECTIO

SECTIO IV.

De aliquibus præceptis obligantibus ad mortale, quæ continentur in Constitutionibus Carmelitarum Excalceatorum Congregationis Hispaniæ.

§ I.

De primo præcepto non vescendi carnibus extra Conventus Ordinis absque licentia in scriptis.

493 *Carmelitæ ex Regula tenentur abstinere à carnibus tam intra, quam extra Conventum.*

494 *Quid per esum carnium hic intelligatur?*

495 *Hæc obligatio ex Regula tantum est sub veniali.*

496 *Extra domum tenentur ex Constitutione abstinere ab esu carnium sub mortali.*

497 *Carmelitæ Discalceati comedentes carnes extra Conventum sine licentia in scriptis, peccant mortaliter.*

498 *Cessante fine legis in aliquo casu particulari, cessat lex.*

499 *Etiamsi cesset scandalum in aliquo casu particulari, non cessat finis hujus præcepti.*

500 *Finis intrinsecus hujus præcepti est virtus abstinentiæ.*

501 *Carmelita, qui exiens è Conventu præ verecundia licentiam comedendi carnes, non postulavit, vel oblitus fuit illam postulare, vel verbotenus tantùm licentiam à Prælato obtinuit, comedens illas sine licentia in scriptis peccat lethaliter.*

502 *Actus à lege, vel consensu contrahentium scripturam postulans, est nullus, si scriptura careat.*

503 *Quid si tunc illi alii cibi noxii forent, & esset difficilis recursus ad Prælatum?*

504 *Quid intelligatur per nomen Conventus, extra quem Religiosus carnes vescendo, peccat mortaliter?*

505 *Nomine Monasterii ad hunc finem venit Ecclesia, in quam mulieres ingrediuntur.*

506 *Venit etiam hospitium, in quo semper aliqui Religiosi cum suo Oratorio, & Præsidente degunt.*

507 *Carmelita non habens extra Conventum alium cibum, nisi carnes, potest illis vesci.*

508 *Quid si per multum tempus non haberet, nisi panem, & vinum?*

509 *Quid si simul haberet jus carnium?*

510 *Quid, si illi etiam jus carnium deficeret?*

511 *Quid si abstinentia panis, & vini nimis debilitaretur?*

512 *Qui in die jejunii non habet nisi panem, & vinum, potest in aliquorum opinione edere carnes, etsi cibi permissi per solam unam diem deficiant.*

513 *Carmelitæ si per multum tempus non habeant, nisi tantùm panem, & vinum, tunc possunt etiam edere carnes, secus si hic defectus sit per unam vel alteram solum diem.*

514 *Si illis per industriam subtraherentur omnes cibi, & solum illis darentur carnes, possunt licitè comedere illas.*

515 *Quid si detur contemptus Fidei, vel Religionis?*

516 *Quid si sint apud infideles &, si abstineant à carnibus, timent grave damnum?*

517 *In prædictis casibus non solum possunt, sed tenentur comedere carnes.*

518 *Carmelita promotus ad Episcopatum non tenetur à carnibus abstinere.*

519 *Ejectus legitimè à Religione non tenetur à carnibus abstinere.*

520 *Carmelitæ edentes jus carnium, in quo caro fuit per nimiam decoctionem, transmutata, &c. peccat mortaliter.*

521 *Tale jus non habet rationem potus, sed rationem cibi.*

522 *Carmelitæ non possunt sumere distillatam gallinam absque peccato mortali.*

523 *Qui callidè Carmelitis præbet ferculum, fingens esse ex piscibus, cum sit ex carne, non peccat mortaliter, si aliàs Religiosus fraudem non agnovit, antequam vesceretur.*

524 *Idem dicendum est de Carmelita, qui alteri Carmelitæ simile ferculum dedit eodem modo.*

525 *Carmelita toties peccat mortaliter, quoties in die extra domum comedit carnes.*

526 *Carmelita edens carnes extra domum in die jejunii Ecclesiæ, unum tantùm peccatum committit qualibet comestione.*

527 *Comedens carnes in die jejunii non facit duo peccata, unum contra præceptum jejunii, & aliud contra præceptum non edendi carnes, sed unum tantùm.*

528 *Sæcularis dans extra domum carnem Carmelitæ*

non

non paratis comedere illam, peccat mortaliter.

529 *Si jam ſit paratus illas comedere non peccat mortaliter, qui illas præbet ipſis.*

530 *Carmelita conſultò extra domum dans cauſam alicui infirmitati, ut edat carnes, peccat contra hoc præceptum illas non comedendi.*

531 *Lex, cum prohibet aliquem actum, prohibet etiam omnem modum per quem pervenitur ad talem actum.*

532 *Quid ſi ex guloſitate aliquid comedat nocivum, unde contingat, infirmari?*

533 *Carmelita optans extra domum infirmari, ut comedat carnes ſatis probabile eſt non peccare mortaliter.*

534 *Contraria ſententia quæ eſt Auctoris probabilior eſt.*

535 *Carmelita poteſt deſiderare comedere carnes etiam extra domum ſine mortali.*

536 *Poteſt delectari in eſu carnium imaginario.*

537 *Carmelita extra domum poſtulans carnes à ſæcularibus, ut eas intra domum comedat, peccat mortaliter.*

493 PRo hujus dubii explicatione notandum eſt Re-
ligioſos noſtros teneri ex vi noſtræ Regulæ ab
eſu carnium abſtinere, tam intra, quàm extra Con-
ventum, niſi infirmitatis, vel debilitatis remedio
494 ſumantur, ut *ſupra* explicuimus. Quid autem hìc
495 per eſum carnium intelligatur, jam *ibidem* quo-
que explicuimus, quia tamen hæc obligatio tan-
tum erat ſub veniali, ut Fratres itinerantes, &
extra Conventum exiſtentes majori cautela in eſu
carnium procederent, & ut ſcandali occaſio peni-
tus abſcinderetur, ſtatuunt noſtræ Conſtitutiones
496 1. *part. cap.* 12. *num.* 2. ſub formali præcepto, ne
Fratres extra Conventum carnes comedant, niſi li-
centiam à ſuis Prælatis habeant in ſcriptis, vel in
ipſo itinere in ægritudinem incidere fortè contin-
gat. His ſuppoſitis.

497 DICO I. Carmelitæ Excalceati comedentes car-
nem extra ſuos Conventus abſque licentia in ſcri-
ptis, vel niſi in itinere infirmari eos fortè contin-
gat, peccant mortaliter. Hæc concluſio eſt certa,
& indubitata, colligiturque ex verbis legis. Inde
tamen plures exurgunt difficultates.

498 *Prima* eſt, an ceſſante ſcandalo poſſint Carme-
litæ ſine fractione hujus præcepti carnibus veſci
extra ſuos Conventus? Et ratio dubitandi eſt,
quia ceſſante adæquato fine legis in aliquo caſu
particulari, ceſſat lex, ut tenent Cajetanus. Na-
var. Henriq. Ledeſma, Lopez, & alii multi,
quos refert Palaus *Tom.* 1. *tractat.* 3. *diſput.* 3. *part.*
1. *num.* 9. & nos jam *ubi ſupra* tetigimus, ſed finis
hujus præcepti tantùm eſt, ut ſcandali occaſio pe-
nitus abſcindatur, ut patet ex verbis ipſius legis:
ergo ceſſante hoc ſcandalo, in aliquo caſu, quia,
vel Carmelita ſolus extra domum comedit carnes,
vel quia perſuaſit videntibus, ſe habere licentiam,
vel infirmitatem, non peccabit mortaliter contra
hoc præceptum, ſed tantum venialiter contra Re-
gulam.

Verum contrarium omnino nobis tenendum eſt; 499
& prædicta doctrina falſiſſima eſt; falsò namque
nititur fundamento, ſcilicet ceſſante ſcandalo,
ceſſare adæquatum finem hujus legis: nam finis
hujus legis non eſt tantùm ſcandalum, ſed hone-
ſtas abſtinentiæ à carnibus. Et ratio eſt, quia,
quando lex præter finem extrinſecum, & remotum
habet finem intrinſecum, & per ſe, & indepen-
denter ab illo honeſtum, & qui ſit actus virtutis,
tunc non ceſſat lex, ceſſante ſolùm fine extrinſe-
co; ſecus vero ubi nullus eſt finis intrinſecus, &
lex non præcipit actum per ſe honeſtum v. g. lex
jejunii, quæ condita eſt ad ſedandos in homine
motus turpes, non ceſſat in eo, qui libidinis mor-
bo non ſubjacet, quia jejunium independenter
ab eo fine habet pro fine intrinſeco bonum tempe-
rantiæ, ut rectè advertit Suar. *de legibus lib.* 6. *cap.* 9.
num. 8. & 9. Petrus Hurtado 2. 2. *Tom.* 1. *diſput.*
74. *ſect.* 3. §. 26. Eſcobar. *in examine Theologiæ mo-*
ralis tractat. 1. *examine* 1. *num.* 84. Atqui quando 500
noſtra Conſtitutio præcipit abſtinentiam à carni-
bus ad vitandum ſcandalum, præter illum finem
extrinſecum vitandi ſcandali, habet finem intrin-
ſecum, & honeſtum independenter ab illo, qui
eſt actus virtutis abſtinentiæ à carnibus: ergo
etiam ſi ceſſet ſcandalum, non ceſſat adæquatus
finis hujus præcepti.

Secunda difficultas eſt, an deficiente licentia in ſcriptis, quia vel Religioſus quando exivit illam præ verecundia non poſtulavit, vel quia oblitus fuit illam poſtulare, poſſit Religioſus abſque violatione hujus præcepti carnibus veſci ex præſumpta licentia Prælati? vel etiam, quia Prælatus illam verbotenus tantùm conceſſit, ſi aliàs Religioſus habeat neceſſitatem? Et videtur affirmativè reſpondendum; nam licet lex poſtulet licentiam in ſcriptis, hoc tamen quoad forum exterius eſt intelligendum, non tamen quoad forum conſcientiæ, in quo cùm ſolùm veritas attendatur, ſufficere videtur, ut neceſſitas re ipſa

exiſtat,

existat, vel consensus Prælati, solùm jure requisitus, interveniat, & hanc sententiam debent à fortiori tenere Miranda *de monialibus quæst. 3. artic. 2. ad finem*, Homobonus *de casibus reservatis parte 2. casu 5.* Belochius *in praxi Theolog. moral. p. 2. quæstione 9. num. 162.* Sola *in declaratione Motus* CLEMENTIS *VIII. de largitione munerum n. 78.* Valerus *in differentiis utriusque juris, verbo* munera *num. 83.* Faustus *in Thes. Religionis lib. 8. q. 219. nu. 5.* Diana *1. p. tract. 6. resol. 20.* qui in casibus urgentioribus dicunt sufficere licentiam præsumptam, vel oretenus concessam.

501 Contrariam tamen sententiam reputo veriorem: nam lex non solum requirit scripturam, ut illa sit licentiæ concessæ testimonium, quo de licentia constet, sed ut maturius, & sic raro concedatur, ob quam rationem in *Cap. 1. de sententia excommunicationis in 6.* jubetur Prælatis excommunicationem in scriptis proferre, & apud nostros jubentur Prælati ponere præcepta formalia, & censuras in scriptis, ut constat *ex 1. part. nostrarum Constitutionum capite 5. numero 3.* ergò non est hæc solemnitas levis, & ad substantiam præcepti parum conducens, ut volunt Auctores oppositæ sententiæ; sed quid grave, & ad substantiam præcepti pertinens, atque adeò sub culpa mortali adstringens.

502 Confirmatur, quia actus à lege, vel consensu contrahentium scripturam exigens est nullus, si scriptura careat *l. contractus C. de fide instrum.* juncta glossa *ibidem* communiter recepta: & ratio est, quia scriptura tunc videtur de forma actus; actus autem sine forma celebratus non subsistit: ergò licentia hæc ex lege prædictam scripturam exigens, si non sit in scriptis, nulla erit, atque adeò per idem fieret, ac si quis sine licentia carnibus vesceretur, quod in omnium sententia culpa mortalis esset (suppono namque, necessitatem non esse eximiam, & notariam, sed indigere licentia Prælati, ut licitè carnibus vesci posset) Ita in simili casu tenet Suarez *de Relig. Tom. 4. lib. 1. cap. 10. num. 15.* Llamas *in appendice §. 6.* Bonacin. *de clausura, quæstione 4. p. 3. num. 2.* Lezana *verbo* clausura *num. 25.* Confectius *titulo 20. cap. 6.* & alii quos refert, & sequitur Delbene *Tom. 2. cap. 19. dub. 37. numer. 6.*

503 qui *num. 10.* cum Bonacina, & aliis addit, hoc procedere etiam si necessitas fuisset clara; nam lex præter necessitatem postulat etiam licentiam in scriptis; limita tamen, nisi alii cibi noxii essent, & difficilis esset recursus ad Prælatum, nam tunc licentia in scriptis necessaria non esset ex Epicheja, quæ in tali casu optimo jure datur; ita in simili casu Azor. Rodrig. Bonacina, Lezana, & alii, quos refert, & sequitur Delbene *loc. cit. n. 13.* Tambur. *de jure Abbatum disp. 23. quæsito 9.*

TERTIA difficultas est, quid per nomen Conventus intelligatur, extra quem Religiosus carnibus vescendo peccat mortaliter? Respondeo intelligi Monasterium Fratrum; in hoc enim differunt Monasterium, & Conventus, quod illud est Monachorum, iste verò Fratrum. Graffis *lib. 3. c. 216.* Bordon. *Tomo 2. resolut. 52. numero 360.* per Monasterium verò sive Monachorum, sive Fratrum, intelligitur totus circuitus Monasterii, includendo etiam in illo viridaria, hortos, & alia loca illi annexa, quæ muris Monasterii, seu septis cinguntur; ita ut mulieres in illa ingredi nequeant, quin excommunicationem incurrant. Sacra Congregatio 13. Septembris 1583. Peyrinis *de Prælato q. 3. cap. 2. §. 1. numero 31.* Navar. & alii, quos refert, & sequitur Belasius *verbo* clausura *n. 13.* Bordon. *Tom. 2. resol. 76. n. 8. & 9.* 504

An autem nomine Monasterii ad hunc finem intelligatur Ecclesia, in quam ingrediuntur mulieres? respondeo affirmativè; nam cum Ecclesia sit eidem Monasterio incorporata, censetur ejusdem pars integralis, ut decidit Rota apud Lezanam *in consiliis Tomo 6. consil. 41. in decisione num. 2.* Vidal. *inquisit. 1. de monialibus n. 31.* Bordon. *Tomo 1. resol. 41. num. 4.* 505

An verò, qui in aliquo hospitio Ordinis carnibus vesceretur, censeretur eis vesci extra Conventum? Si in tali hospitio non asservetur Eucharistia in Ecclesia, multi videntur affirmare, quatenus dicunt tale hospitium, non posse dici Conventum cum Religiosi in illo non vivant in forma Collegii, neque habeant Eucharistiam, ac per consequens introducentes in illud mulieres non frangere clausuram; ita cum Sanchez Pellizzarius *Tract. 5. cap. 6. numero 35.* Delbene *cap. 19. Tom. 2. numero 15.* Giragus *de regimine regular. part. 3. dubio 10. num. 89.* & alii: verùm prædictam sententiam existimo tantùm procedere de hospitio, quod ad hospitandum tantùm ad tempus construitur, non verò de hospitio, in quo semper degunt aliqui Religiosi, habentes suum Præsidentem, qui suo tempore in Oratorio divinum officium in communi persolvunt; etiamsi in prædicto Oratorio Eucharistia non existat, ut est apud nostros in civitate Ulyssiponensi. Et ratio est, quia in rigore tale hospitium est Monasterium, & Conventus, si quidem in illo reperiuntur essentialia Monasterii; datur 506

datur enim Prælatus, & Communitas, quæ solùm in tribus potest conservari: datur præterea Ecclesia, in qua divinum officium, & Missa celebratur: ergò habet essentialia monasterii; Ita Portel *in additionibus ad dubia regularia verbo* monasterium *n.* 1. Moronius *resp.* 86. *num.* 21. ergò Religiosus vescens carnibus in illo, non dicitur vesci illis extrà Conventum, ac per consequens in illo debet dari clausura; ut *infrà* dicemus.

507 QUARTA difficultas est: An si contingat Carmelitam extra suum Conventum non habere nisi carnes, teneatur sub mortali ab illis abstinere? respondeo negativè; Ita Zanardus 1. *p. sum. c.* 51. Peyrinis quem refert, & sequitur Pelliz. *tract.* 4. *cap.* 5. *n.* 79. Patetque tum ex regula juris, *quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum*: Tum ex *Cap. Consilium de observat. jejunii.* Tum, quia etiam David 1. *Reg.* 12. in necessitate constitutus comedit panes propositionis, quos alioquin non potuisset comedere; Tum, quia Judæi in extrema necessitate poterant vesci carne immunda v.g. suilla, ipsis alias prohibita, ut notavit Lessius *l.* 4. *c.* 3. *n.* 10. ex Victoria. Tum, quia Cajetan. Navar. Toletus, & alii apud Lessium *loc. cit.* sustinent non esse illicitum vesci carne humana in extrema necessitate.

508 Quod si quæras, An ista doctrina habeat locum
509 in casu, quo Excalceatus Carmelita per multum tempus non esset habiturus alium cibum, quàm simplicem panem, & vinum? Respondeo hunc casum difficillimè dari posse; nam cum Regula concedat posse vesci pulmentis coctis cum carnibus, utendo istis carnium pulmentis simul cum pane & vino per multum tempus posset Carmelita sustentari.

510 Quòd si detur casus, quo nec dentur talia pulmenta, sed tantùm carnes assæ, tunc haberet locum prædicta doctrina, si habita ratione complexionis, qua frater est præditus judicio prudentum, abstinentia à carnibus in tali casu censeretur nimia, ut si exponeretur periculo gravis morbi, aut redderetur ineptus ad exequendum proprium munus; Ita in simili casu notavit Sanchez *in Decal. lib.* 4. *cap.* 6. *n.* 4. Pellizzarius *ubi suprà n.* 80.

511 Quibus ego addo, quòd si Frater tali abstinentia panis, & vini plurium dierum nimis debilitaretur, etiamsi non esset periculum infirmitatis, adhuc carnibus vesci posset; nam præceptum non vescendi carnibus extra domum debet intelligi secundùm Regulam, Regula autem non solùm concedit carnes pro infirmitatis remedio, sed etiam debilitatis: sic enim habetur in Regula *ab esu carnium abstineatis, nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio suman-*
tur: ergò si Frater ex esu solius panis remansit de- 512
bilitatus, pro debilitatis remedio carnibus uti poterit. Imò addit Pasqual. *de jejunio decis.* 49. non habentem nisi panem, & vinum in die jejunii, etiamsi per unicum tantum diem careret aliis cibis concessis, posset loco ipsorum carnibus vesci; nam lex Ecclesiastica in tantùm prohibet carnes, in quantum relinquit alios cibos, quibus commodè cibari pos-
simus; ita etiam Vidal. *de jejunio n.* 73. Sed ego pro 513
nostris Discalceatis Carmelitis, qui assueti sunt sæpè sæpius pane & aqua contenti esse, hanc sententiam non admitto, nisi quando per plures dies alii cibi deficerent, vel nisi ratione debilis complexionis, vel laboris nimia causaretur debilitas corporis; nam tunc procedit ratio suprapposita.

Sed quid si detineretur Carmelita à latronibus, 514
vel in domo alicujus sæcularis, & ei nollent dare 515
alios cibos, nisi carnem per aliquot dies, nec eum permittere in alium locum ire, eo fine, ut eum cogerent carnibus vesci, possetne tunc Carmelita carnibus vesci? Respondeo posse ad salvandam vitam, si aliàs prudenter timet mortem secuturam; modo talis carnium esus illi non juberetur in contemptum Catholicæ Fidei, vel Religionis; ita cum Panormitano, Graffio, Medina, Suar. & aliis Pey-
rinis *de subdito q.* 4. *cap.* 5. Pellizzarius *Tract.* 4. *c.* 5. 516
num. 81. Et idem dicendum est, si Religiosus existens in terris infidelium ex observantia hujus statuti sibi timeat grave aliquod damnum ab ipsis infidelibus illum indè cognoscentibus esse Christianum, ac Religiosum, Ita Pellizzarius *Tract.* 4. *c.* 5. *num.* 551.

An verò in prædictis casibus non solum possit, 517
sed etiam teneatur carnibus vesci? Respondeo affirmativè, cum Regula carnibus vesci permittat ad tuendam vitam, & salutem: Ita cum prædictis doctoribus Peyrinis *loc. cit.*

QUINTA difficultas est: An Carmelita promo- 518
tus ad Episcopatum, aut ad aliam dignitatem sæcularem eximatur ab hoc præcepto? Respondeo affirmativè; Ita cum aliis Sanchez *lib.* 6. *Decal. cap.* 6. *num.* 19. & 20. Navar. Valent. & alii quos refert, & sequitur Belasius *verbo* Episcopus translatus *numero* 4. Et ratio est, quia licet Regularis factus Episcopus teneatur ad eas observantias regulares, quæ non impediunt munus quod gerit, ut ex D. Thom. & aliis latè probat Sanchez *ubi suprà*; talis tamen obligatio non est ad culpam, etiam venialem, vel pœnam, sed tantùm secundùm decentiam, & honestatem, ut latè probant prædicti DD: ergò Car-

Carmelita Discalc. factus Episcopus non tenetur observare hoc præceptum sub peccato, sed tantùm ex honestate. Confirmatur, fortiùs obligat votum vitæ quadragesimalis Minimos, quam hoc præceptum nostros Discalc. Carmelitas, & tamen Minimus electus ad Episcopatum liberatur a tali voto, ut cum Sanch. Fagund. Cajet. Rodri. Diana, & aliis docet Pellizzar *Tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 3. ergò idem dicendum erit de Carmelita.

519 Et idem dicendum est de Fratribus Carmelitis legitimè ejectis in perpetuum; Ita Sanc. *l.6. in Decal. c.* 9. *n.* 52. cum Arag. Sayro, Sorbo, & aliis, quos refert, & sequitur Pellizz. *Tra* 7. *c.* 8. *nu.* 32. contra Silvestrum, Armill. Cordub. & alios relatos à Sanch. *ubi sup. n.* 51. Et ratio est, quia illi non tenentur ad Regulam, nisi ex vi professionis, & quasi sub pacto, & conditione, ut permittantur vivere in tali statu, ac Communitate.

520 SEXTA difficultas est: An si Carmelitæ Discalceato jus carnis apponatur ita decoctum cum illa, ut tota caro v.g. gallinæ per nimiam decoctionem conversa sit in jusculum peccet mortaliter tale jusculum comedendo? Respondeo affirmativè.
521 Et ratio est, quia Carmelitæ tenentur sub præcepto à carnibus abstinere extra domos, sed illud jusculum continet veram carnem, licet transmutatam: ergò illam comedendo verè comedunt carnem: ergò peccant mortaliter.

Confirmatur, quia Carmelitis tantùm licet extra domum sumere pulmenta cocta cum carnibus, ut ait Regula, per pulmenta autem secundùm usum, & consuetudinem Religionis, de quo testatur Lezana *in mari magno Carmelitarum, Tom.* 5. *numer.* 141. solum intelliguntur legumina, herbæ, offæ, & si quid aliud cum carnibus coquitur, imò ipsum jus, dummodò non sit ipsa caro; sed prædictum jus habet carnem admixtam: ergò est prohibitum Carmelitis.

Nec obstat, quod lex tantùm prohibeat carnibus vesci,
522 tale verò ferculum datur per modum potus. Respondetur namque, tale jusculum ex natura sua esse verum cibum continentem totam substantiam, & carnem gallinæ, licet rarefactam: ergò licet potabili modo sumatur, est verus cibus carnium, ut in simili casu notavit cum aliis Pasqual. *de jejunio decisione* 141. *num.* 2. alioquin posset Carmelita distillatam gallinam sumere pro potu, quod absque dubio nemo admittet.

Sed quæres, an peccet mortaliter fœmina, quæ compassione, vel malitia ducta, callidè Carmelitæ præbet prædictum jusculum confectum ex carnibus, aut etiam carnes artificiosè conditas, ita ut ille id non cognoscat, alioquin talia constantissimè recusaturus, eò quòd certissimè credat similia sibi extra Conventum prohibita esse sub peccato mortali? Respondeo negativè; Ita in simili casu Pellizzarius *Tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 555. Hurtado 22. *disp.* 173. *sect.* 16. §. 199. Diana 5. *p. tra.* 7. *resol.* 14.
Ratio est, quia hic non intervenit scandulum activum, influens in ruinam spiritualem proximi, neque formaliter, cum inducens id nullo modo velit (ut suppono) neque materialiter cum non illi apponatur materia hic, & nunc mala, sed potius hic, & nunc bona ratione, scilicet bonæ fidei procedentis ex illo errore, undè nec in tali inductione intercedit scandalum passivum. 523

Et idem dicendum est, si unus Carmelita alteri Carmelitæ præbeat prædictum ferculum persuadens illi esse ex piscibus, & nullo modo ex carnibus confectum; Ita Pellizzarius *loc. cit.* propter eandem rationem. Nec obstat, quod inducens scit ferculum illud esse ex carnibus. Respondetur namque hoc nihil obstare; nam Carmelita inducens non comedit ex illo, ut suppono, & aliàs non intendit, quod alter vescatur eo, quod scit esse carnem; sed quod credit esse pisces, ergò nullo modo eum inducit ad peccatum, ac per consequens non peccat mortaliter. 524

Sed quæres, an Carmelita toties peccet, quoties in una die comedit carnes extra suum Conventum? Respondeo affirmativè: dummodò una comestio ab alia distincta, & diversa moraliter sit; Ita Pellizz. *Tra.* 4. *c.* 5. *n* 105. idem debent tenere communiter DD. apud Pasqualig. *de jejunio decis.* 64. *nu.* 1. Ratio est, quia hoc præceptum non comededendi carnes extra Conventum est negativum, obligatque semper, & pro semper: ergò tot sunt actus transgressionis præcepti, quot sunt comestiones inter se moraliter distinctæ. 525

An autem Carmelita vescens carnibus extra suum Conventum in die jejunii Ecclesiæ duplici peccet peccato, an faciat unicum tantum? Respondeo unicum peccatum mortale committere; ita colligo ex Sanc. *l.* 6. *moral. c.* 4. *n* 6. Layman. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 7. *n.* 6 Palao *tr.* 16 *disp.* 4. *p* 1. *n.* 4. Ratio est, tum, quia quando id quod Regula, vel statuto imperatur, aliàs lege Ecclesiastica, vel divina præcipitur, credendum est Regulam in eo casu legem propriè non esse, sed admonitionem obligationis impositæ. Tum, quia, ut docet Bordonus *resol.* 18. *n.* 13. Regularis, qui frangit jejunium ad quod tenetur ex Regula sub mortali incidens in die jejunii 526

Ecclesiæ non committit duplex peccatum, cum utrumq; jejunium ex motivo abstinentiæ præcipiatur, sed etiam abstinentia à carne tam à nostra lege, quàm ab Ecclesia sub motivo abstinentiæ præcipitur. ergò Carmelita vescens carnibus in die jejunii Ecclesiæ unicum tantùm peccatum committit.

527 Sed quæres, An committat duo peccata, unum quia transgressus fuit præceptum jejunii, & aliud, quia carnes comedit? Respondeo negativè; ita Ledesma, Henriquez, Filliucius, Azor. Fagundez, Vazquez & alii, quos citat, & sequitur Diana 1. *p. tractatu* 9. *resol.* 16. Pasqualig. *de jejunio decis.* 359. *n.* 2, Vidal. *tit.* de jejunio, *inquisit.* 1. *num.* 41. Ratio autem est, tùm quia idem finis unica physica, & morali tantùm actione violatur, nam sicut jejunium ob temperantiæ virtutem præcipitur, ita & carnium abstinentia propter eandem virtutem præcipitur. Tùm quia immediatè, & directè transgreditur solum præceptum negativum non comedendi carnes, qua transgressione posita, præceptum positivum jejunandi non amplius habet esse, sed omninò solvitur, & destruitur.

528 Septima difficultas est: An sæculares scientes Carmelitas extra suos Conventus non posse absque peccato mortali carnibus vesci, si illas eis administrent, peccent mortaliter? Respondeo, quod vel Religiosus est paratus illas comedere, vel non? si non est determinatus, absque dubio peccant peccato scandali inducentes eum ad actum, quem sciunt esse peccatum; ita in simili casu communiter Doctores apud Pasqualig. *de jejunio decis.* 368. *numero* 1.

529 Si verò Religiosus jam sit determinatus, carnibus vesci, tunc possunt sæculares eas illi administrare absque peccato; Ita in simili casu Ledesma *p.* 2. *sum. tract* 27. *cap.* 2 *dub.* 4. *post* 6. *conclus.* Pasqualig. *ubi suprà num.* 3. ubi ex Ledesma dicit esse communem opinionem. Ratio est, quia quando talis Religiosus decrevit comedere carnes, sæcularis non concurrit ad violationem præcepti; quia jam decrevit violare. Nec obstat, quod concurrat ad executionem violationis, tùm quia executio fit in virtute prioris determinationis, non autem in virtute administrationis carnium: tùm, quia ut docent multi Doctores, invitare ad cœnam amicum, quem scio decrevisse non jejunare in die jejunii, non est peccatum mortale, ut admittunt Azor. Salas, Sà, Cajetan. & alii, quos refert, & sequitur Diana 1. *p. tra.* 9. *resol.* 38. ergò idem dicendum est in nostro casu.

Octava difficultas est: An Carmelita peccet mortaliter si consulto extra domum det causam alicui infirmitati, ut sic ei remaneat facultas vescendi carnibus? negat Joannes Sanct. *in selectis disp.* 54. *n.* 14 *&* 20. Diana 1. *p. tra.* 9. *resol.* 52. Pasqualig. *de jejunio, decis.* 30. *n.* 3.

Verùm affirmativa sententia probabilior est, hanc tenet Suarez, Sanchez, quos refert, & sequitur Peyrinis *Tom.* 3. *privileg. cap.* 9. *n.* 59. Stephanus 530
de Federicis quem refert, & sequitur Pellizz. *tract.* 531
4. *cap.* 5. *num.* 101 Ratio est, quia quando lex prohibet aliquem actum, prohibet etiam modum, per quem pervenitur ad talem actum; tum, quia non effugit pœnam legis, qui in fraudem legis committit *l. non dubium C. de leg.* Id autem evenit in casu nostro; tùm quia alioquin facilè eludi posset obligatio multarum legum Ecclesiasticarum, quod 532
non videtur admittendum: ergò.

Adverte tamen, quod si Carmelita non ex desiderio incurrendi infirmitatem, sed ex gulositate in cibo, potuque nimis excedat, ita ut infirmetur, & cogatur comedere carnes non peccare mortaliter contra hoc præceptum, licèt alias peccet mortaliter contra temperantiam; nam lex non obligat ad cavenda speciali cura omnia impedimenta contraria; Ita cum aliis Peyrinis *loc. cit.*

Sed quæres, An peccet mortaliter Carmelita optans extra Conventum infirmari ad effectum 533
ibi comedendi carnes? respondeo satis probabile esse Religiosum ex vi hujus præcepti non peccare mortaliter; Ita Pellizzarius *tract.* 4. *cap.* 5. *n.* 102. Ratio est, quia iste Religiosus non desiderat violare præceptum, nec ex parte sua ponit aliquid per quod deveniatur ad actum prohibitum, sed tantùm, quod detur casus, in quo præceptum non obligaret, sed hoc non est peccatum; nam ut ait Soto *lib.* 5. *de just. quæst.* 13. Petrus Navarra *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 207. & cum aliis Naldus *verbo* mors *numero* 6. Nos possumus optare mortem inimicorum fidei ob utilitatem in Christianos indè resultantem: ergò etiam Religiosus posset optare infirmitatem ob commoditatem comedendi carnes, indè sibi resultantem.

Sed licet hæc doctrina probabilis sit contrarium 534
reputo probabilius cum Peyrinis *de subdito q.* 4. *cap.* 6. *num.* 12. hoc enim maximam dicit gulositatem: quia sicut Carmelita non potest procurare ipsam infirmitatem, ut *suprà* diximus, ita neque illam desiderare. Poterit tamen desiderare carnes, 535
si sibi foret licitum; Ita Layman. Sanch. Azor. & alii, quos refert, & sequitur Diana 3. *p. tractatu* 6. *resolut.* 47.

Imò

536 Imò potest etiam extra domum delectari sensibiliter de esu carnium mente concepto, perindè ac si eas comederet; Ita Tannerus, Layman. Lessius, Vazquez, Malderus, & alii, quos refert, & sequitur Diana *3. p. tract. 5. resol. 5* Nam præceptum positivum humanum per se non prohibet actus internos, sed solum externos.

537 Sed hic insurgit non levis difficultas: An si Carmelita extra domum postulet à sæcularibus carnes ut eas intra Conventum comedat, quando scilicet non obligat hoc præceptum, peccet mortaliter? Respondeo hoc non posse tuta conscientia fieri, etiamsi animum habeat eas non comedendi, nisi tempore quo non obligat præceptum; Ita in terminis Peyrinis *de subdito, quæstione 4. capite 8. numero 12.* hoc enim maximam gulositatem indicat, estque se ponere in periculo proximo peccandi, retinendo in itinere apud se carnes illi vetitas. Deinde hoc vix potest carere scandalo, prudens enim sæcularis facilè suspicabitur eum illas postulare, non ut eas domi, sed ut in itinere, vel alibi eas comedat.

§. 2.

De secundo præcepto non extrahendi libros ex communi Bibliotheca.

538 *Datur præceptum apud Carmelitas non extrahendi libros à communi bibliotheca.*

539 *Hoc præceptum est conforme Bullæ, quæ dicitur* Ambitiosa.

540 *In hoc precepto datur parvitas materiæ, & qualis sit, assignatur.*

541 *Prælatus unius Conventus potest dari alteri Conventui ejusdem Ordinis libros superfluos de Consensu Conventus, & Provincialis.*

542 *Facultas quæ competit de jure Prælatis, non censetur illis ablata, nisi eis positivè auferatur.*

543 *Nostra Constitutio non aufert hanc facultatem Prælatis.*

544 *Constitutio tantum loquitur de extractione privata sine Prælati licentia.*

545 *Dispositio generalis jus alterius non lædit.*

546 *In clausula generali*, ne quis, *non comprehenduntur Prælati.*

547 *Prior de consensu Provincialis, & Communitatis, potest dare aliquos libros etiam alicui sæculari, quin faciat contra hoc præceptum.*

548 *Faciet tamen contra aliam Constitutionem, & incurret in pœnas* Ambitiosæ.

549 *Qui extrahit libros è monasterio nondum bibliothecæ incorporatos, non facit contra hoc præceptum.*

550 *In quo consistat hujusmodi incorporatio?*

551 *Extrahens e Conventu libros deputatos ad usum particularium Religiosorum, non facit contra hoc præceptum.*

552 *Idem dicendum est de extrahente, vel commodante missalia etiam sæcularibus.*

553 *Quomodo hæc sint intelligenda?*

554 *Religiosus non potest secum deferre librum à Prælato ei concessum, si antea jam bibliothecæ erat applicatus.*

555 *Religiosus prædicaturus extra domum Ordinis, potest secum deferre librum, quo indiget ad prædicandum.*

556 *Non potest tamen eum sic extractum alicui commodare, etiam pro tempore quo extra domum extiterit.*

557 *Poterit secum deferre librum ad aliquam difficultatem in eo, alicui ostendendam.*

558 *Idem dicendum est, si dum in tali domo degit amicus, vel alius talem librum legit.*

559 *Non excusatur ex parvitate materiæ qui per unum tantum diem librum commodat.*

560 *Possunt Prælati libros bibliothecæ incorporatos cum aliis utilioribus commutare.*

561 *Religiosi permittentes, ut sæculares tales libros extrahant, si sint Prælati, vel bibliothecarii, peccant contra hoc præceptum.*

562 *Idem dicendum est de aliis Religiosis, si positivè invitent ad tales libros extrahendos.*

563 *Secus si merè negativè, & tantum permissivè se habeant, peccabunt tamen in hoc casu contra justitiam.*

564 *Prælati mutuantes libros bibliothecæ aliis Religiosis, non faciunt contra hoc præceptum, incurrunt tamen excommunicationem Papæ reservatam.*

565 *Tenor Bullæ* URBANI VIII. *proponitur.*

566 *In hac excommunicatione comprehenduntur omnes tàm Regulares, quàm sæculares, sive nostri, sive alterius Ordinis.*

567 *Imò etiam Prælati, quavis auctoritate fungentes.*

568 *Non prohibetur Prælatis libros vendere, vel cum aliis utilioribus commutare.*

569 *Nec illos Religiosis nostri Ordinis mutare.*

570 *Non obstante hac* Bulla *potest unus Conventus*

alteri de novo incipienti aliquos libros dare, de consensu Provincialis, & Capituli Convent.

571 *Non incurrit hanc censuram, qui extraxit ex Conventu libros nondum incorporatos bibliothecæ.*

572 *Qui librum sibi applicatum vel sua manu scripta sæculari dat, vel mutuat, non incurrit hanc censuram.*

573 *Ad incurrendam hanc censuram, requiritur magna temeritas.*

574 *Excusat bona fides, sive ignorantia, etiam crassa, non tamen affectata.*

575 *Prælatus, qui codices manuscriptos morientium alicui sæculari dat, incurrit hanc censuram.*

576 *In quo consistat hæc incorporatio bibliothecæ?*

577 *Talia manuscripta per legem ipso facto sunt bibliothecæ incorporata.*

578 *Prælatus, qui talia manuscripta sibi usurpat, ut secum alio deferat, non incurrit hanc censuram.*

579 *Faciet tamen contra præceptum supra positum.*

580 *Provincialis, qui librum incorporatum bibliothecæ alicui Religioso accommodat, ut postea det illum alicui sæculari, si de facto det, incurrit hanc censuram.*

581 *Sæcularis vel Regularis, qui librum ab alio è bibliotheca extractum, defert extra Conventum incurrit hanc censuram.*

582 *Religiosus, qui extra Conventum concionaturus, defert librum ad eum alicui pro tempore prædicationis mutuandum incurrit hanc censurã.*

583 *Non tamen, qui illum defert ad aliquem casum in illo alteri ostendendum.*

584 *In libris, qui extrahuntur datur parvitas materiæ excusans ab hac censura*

585 *Qui successivè extrahit alios, & alios libros in parva materia perveniendo ad materiam gravem, incurrit hanc censuram.*

586 *Secus dicendum est, si non extrahat librum posteriorem, quin primum restituat, ubi etiam, quæ hic sit materia parva?*

538 AD conservationem, & augmentum nostrarum Bibliothecarum prudentissimè disposuerunt nostræ Constitutiones 2.*p.c.*4.*n.*21.præcipiens *sub præcepto formali, ne quis accipiat, det, commodet, à Conventu extrahat, neque in alium transferat, vel quoquomodo librum aliquem, sive codicem manu scriptum ex iis, qui Conventui, aut ejus communi librariæ deputati sunt, alienet, nisi servatis certis conditionibus*, scilicet, ut possint inutiles vendere, & pretium illorum in alios utiliores convertere, & quod possint eos commodare Religiosis, aut aliis gravibus personis, dummodò libri, & ii, 539
quibus commodati fuerint, in aliquo libro, qui in ipsa bibliotheca observetur, scribantur, ut sic omni tempore de illis constet, quod præceptum est conforme Bullæ, quæ dicitur *Ambitiosa*, in qua rerum Ecclesiasticarum alienatio prohibetur; nam Bibliotheca, maximè copiosa computatur inter res immobiles & pretiosas, siquidem semper & perpetuò durat, ut optimè notavit Bordonus *Tom. 2. resol.* 61. *num.* 19. vel saltem est res pretiosa, & multum utilis. Undè neque in totum, neque in parte potest alienari sub pœnis latis contra alienantes bona Ecclesiastica, cum sæpè sæpiùs tam necessarius sit unus liber, quàm plurimi alii, ut rectè advertit Bordonus *ubi suprà*. Indè tamen aliquæ exurgunt difficultates.

PRIMA est, An in hoc præcepto detur parvitas 540
materiæ? & respondeo affirmativè; Ita in simili casu Bordonus *loc. cit.* Cherubinus in Compendio Bullarum, *Bulla* 100. CLEMENTIS VIII. *in primo scholio*, Pelliz. *tr.* 7. *c.*2.*n.*231. versu. *Noto nono*. Ratio autem est, tùm, quia cùm in aliis omnibus ferè materiis detur parvitas materiæ, non est cur in hoc præcepto non assignetur: tum, quia quando datur excommunicatio ad non alienandos libros ex aliqua Bibliotheca, datur parvitas materiæ, quæ erit, si liber tantùm valeat tres, aut quatuor florenos, ut ait Pellizz. *ubi sup.* vel unum argenteum, ut ait Bordon. *ubi suprà*: ergò idem dici poterit in hoc præcepto, cùm dispar ratio assignari non possit.

SECUNDA difficultas est: An Prælatus alicujus Conventus de consensu sui Capituli, & Provincialis possit dare aliquos libros superfluos ejusdem Conventus alteri Conventui ejusdem Ordinis, de novo incipienti, non obstante hujusmodi præcepto? Cui difficultati jam semel respondi affirmativè *in Tract. de privileg. disputat.* 1. *sect.* 4. § 1. *nu-* 541
mero 173. Sed quia non defuêre, qui nostram re- 542
sponsionem impugnarent, ideò iterum moveo præsentem quæstionem, sust nendo eamdem sententiam. Et ratio est, quia facultas, quæ competit Prælatis ad alienandum res pretiosas suorum Conventuum, servatis conditionibus in tali alienatione postulatis, non censetur illis sublata, nisi positivè 543
illis auferatur, ut cum Navar. & Bord. tenet Pellizzar. *tract.* 3. *cap.* 3. *num.* 14. statuta namque specialia debent quantum fieri potest conformari juri communi, sed nostra Constitutio, nec in dicto loco, nec in alio aufert prædictam potestatem à Præ- 544
latis,

latis, tam localibus, quàm Provincialibus: ergò non est cur eam illis restringamus.

545 Dices, auferre illis prædictam facultatem in illis verbis, *ne quis accipiat, det, commodet, à Conventu extrahat, neque in alium transferat*. Respondeo ibi non loqui de commodato, donatione, & extractione, vel translatione, quæ legitimè fit de licentia Prælatorum, & assensu Communitatis, sed de extractione, & translatione privata, quam quis facere occultè posset propria auctoritate; dispositio namque generalis legis jus alterius non lædit *l.* 2. §. *merito*, & §. *si quis à Principe ff. ne quid in loco publico*. Regin. §. 6. *glossa* 2. *cap.* 5. *num.* 20. & verba generalia statutorum restringuntur se-
546 cundùm jus commune, ut ex aliis probat Simon Vaz. Barb. *de locis, littera V. num.* 72. Tum, quia, cum in prædicto loco hæc potestas Prælatis positivè non auferatur, non est cur censeatur ablata ut *suprà* diximus. Tùm, quia in illa clausula generali, *ne quis*, non includuntur Prælati; hi namque ratione dignitatis speciali nota digni sunt, ac per consequens nullo modo sub generali prohibitione comprehenduntur, ut benè notavit Vidal. *in casu si-*
547 *mili tit.* de accessu ad monialium monasteria *inquisit.* 2. *num.* 16.

Dices ergò, absque violatione hujus præcepti poterit Prælatus unius Conventus cum consensu Communitatis, ac Provincialis dare aliquos libros Bibliothecæ etiam sæcularibus? respondeo concedendo sequelam; faciet tamen talis Prælatus contra aliam legem 2. *parte nostrarum Constitutionum cap.* 4. *numero* 19. in qua præcipitur, *ne*
589 *Prælatus etiam de sui Capituli, & Provincialis consensu, possit librum aliquem donare, vel alienare sub gravi culpa*, quæ prohibitio tantùm est respectu extraneorum, ut probavimus *in Tractatu de privilegiis disputatione* 1. *sectione* 4. §. 1. *numero* 173. Incurret etiam in pœnas Extravagantis *Ambitio-*
549 *sæ*, de rebus Ecclesiasticis non alienandis, nisi aliàs ratione parvitatis materiæ excusetur, ut *suprà* diximus.

Tertia difficultas est: An faciat contra hoc præceptum, qui extrahunt libros ex monasterio
550 communi bibliothecæ nondum incorporatos? respondeo negativè; Ita Pellizz. *Tra.* 7. *cap.* 2. *n.* 231. Et ratio est, quia illa verba, *ne è Conventu extrahat*, debent intelligi non de Conventu prout continet bibliothecam, adeòque de ipsa bibliotheca formaliter loquendo, ad quod utique requiritur li-
551 brorum incorporatio, quæ in hoc consistit, quod libri auctoritate Superioris deputentur ad usum non hujus aut illius particularis Religiosi, sed ad usum communem monasterii.

Hinc fit extrahentem è monasterio libros deputatos ad usum alicujus Religiosi, ut sunt inter nos Biblia, vel aliqui libri spirituales, prout concedunt de licentia Provincialis nostræ Constitutiones 2. *p. cap.* 4. *num.* 22. non facere contra hoc præceptum, etsi aliàs videantur verificari verba illa legis, *è Conventu extrahat*, nam, ut modo diximus, per Conventum intelligitur Conventus, prout continet bibliothecam, & ut hoc præceptum violetur, requiritur ut liber sit bibliothecæ incorporatus; Ita Pellizz. *ubi suprà notabili* 4. Peyrinis *ad constit.* 4. 552
Urbani VIII. num. 2. Et idem dicendum existimo de eo, qui missale aliquod extrahit è Conventu, vel mutuat alicui extraneo, nam missale non bi- 553
bliothecæ, sed sacristiæ est incorporatum. Sed hæc 554
doctrina debet intelligi, dummodò talis liber, vel missale nunquam fuissent Bibliothecæ incorporati; nam si semel fuêre incorporati, etiamsi postea à Provinciali alicui Religioso concedantur, non potest eos è prædicto Conventu extrahere, & secum ad alium Conventum deferre: Ita Pellizzar. *notabili* 5.

Nec obstat, quod lex disponat, quod ipse Reli- 555
giosus cui talis liber est concessus, possit eum secum deferre ad alium Conventum; nam lex debet intelligi de libris, qui nunquam communi bibliothecæ fuêre incorporati, aliàs si omnibus Religiosis in singulari unus liber spiritualis assignaretur, parvo tempore bibliotheca saltē in his spiritualibus libris notabiliter damnificaretur, & ita video in praxi observari. Poterit tamen secum deferre Religiosus Ordinis, qui extra monasterium est prædicaturus libros, quibus ad prædicandum indiguerit; nam in eadem constitutione *n.* 20. conceditur omnibus Religiosis, ut liberum sit unicuique cum facultate Superioris, sciente id librario, libros è bibliotheca extrahere, quod ad proprium usum debet intelligi, si autem rediens ad monasterium non referat, fa- 556
ciet contra hoc præceptum; Ita in simili casu Pellizz. *ubi suprà notabili* 12.

Sed quæres: An contraveniat huic præcepto Religiosus, qui extra Conventum concionaturus secum defert aliquos libros, statuens illis uti ad breve tempus, principaliter intendens eos commodare amico ad totum illud tempus, quo ipse concionabitur? Respondeo affirmativè; nam talis Religiosus licet non prohibeatur extrahere libros è communi bibliotheca ad proprium usum, prohibetur 557
tamen illos mutuare, vel commodare. Undè cum

verè

verè illos mutuet, vel commodet, sic extractos extra Conventum facit contra hoc præceptum.

558 Secùs dicendum existimo, si secum deferat aliquem librum ad aliquam difficultatem alicui ostendendam, ut ei fides major adhibeatur; nam cum usus hujus libri etiam sit necessarius pro dicto Religioso censetur in hoc casu uti jure suo, licet aliàs etiam intendat commodum amici. Et idem dicendum est, si dum in tali domo ad prædicandum commoratur, amicus, vel alius talem librum legit; nam hoc non est verè mutuare, vel commodare, cum nunquam à se mortaliter talem librum dimittat, sed secum semper retineat, ut patet.

Sed quæres: An qui libros sine conditionibus
559 à lege assignatis alicui sæculari commodat ad duos vel tantum unum diem, excusetur à violatione hujus præcepti ratione parvitatis materiæ? respondeo negativè; nam cum præceptum prohibeat omne commodatum, & omnem extractionem è conventu, & extractio sit res, quæ consistit in indivisibili (non secus, ac ingressus in monasterium, ac egressus ex illo) impossibile est dari extractionem veram, vel commodatum, & non violari præceptum; Ita Pellizzarius *ubi suprà notabili* 8.

An autem si extrahantur à bibliotheca libri
560 jam incorporati ad illos commutandos cum aliis libris, transgrediatur hoc præceptum? respondeo negativè, si libri, quibus permutantur utiliores sint; Ita cum Diana, & aliis Pellizzarius *notabili* 7. Et ratio est, quia subrogatum sapit naturam ejus cui subrogatur, & fictione juris censetur non facta extractio hoc ipso, quòd loco librorum extractorum è Bibliotheca incorporantur totidem alii libri longè utiliores, ut supponimus.

Sed quæres: An Religiosi permittentes quod
561 sæculares libros è bibliotheca extrahant, contraveniant huic præcepto? respondeo contravenire, si sint Superiores, vel librarii, quibus cura dictæ bibliothecæ incumbit, nam his competit ex officio tueri libros bibliothecæ. Undè permittentes eos auferri etiamsi negativè se habeant, peccant contra hoc præceptum; illa namque permissio est tacita approbatio, & licentia extrahendi; ita cum aliis Peyrinis *de privilegiis ad constitut.* 4. Urbani *VIII. numero* 3. & in simili casu *Vidal. titul. de decreto inquisitione* 1. *numero* 48. Pasqualig. *de jejunio decisione* 369. *numero* 6. Rodriguez, Miranda, quos refert, & sequitur Delbene *Tomo* 1. *capite* 19. *numero* 62.

Et idem dicendum est de aliis Religiosis, si positivè incitarent ad extrahendos libros, tunc nam- 562
que tanquam principales extrahentes judicandi sunt, & valet illa regula, *qui per alium facit, per seipsum facere videtur.*

Secus dicendum existimo de permittentibus
tantum negativè; nam hi, licet aliàs peccent pec- 563
cato mortali contra justitiam, qua tenentur res, & bona monasterii defendere pro posse *arg. c. nullum dubium* 5. *quæst.* 1. non tamen peccant contra hoc præceptum, siquidem nullo modo positivè cooperantur ad extractionem; Peyrinis *ubi suprà num.* 3.

An autem Prælati nostri sive alii Religiosi de 564
licentia ipsorum possint libros communis bibliothecæ absque violatione hujus præcepti commodare Religiosis, aut aliis gravibus personis, dummodò tales libri, & hi, quibus commodati fuerint scribantur in aliquo libro ad hoc deputato? Respondeo hodie minimè posse non ex vi hujus præcepti, siquidem hoc illis concessum erat in eodem præcepto, sed propter excommunicationem, quam ad instantiam nostri Procuratoris generalis posuit Urbanus VIII. anno 1642. die 25. Martii Pontificatus sui anno 19. quæ est hujus tenoris.

URBANUS *Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Conservationi, & manutentioni librorum bibliothecarum domorum regularium Fratrum Ordinis B.* MARIÆ *de monte* CARMELO DISCALCEATORUM *nuncupatorum Congregationis Hispaniæ, quantum in Domino possumus consulere, ipsiusque Procuratorem generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, ac pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, ne de cætero quivis ejusdem Congregationis Religiosus, quavis auctoritate fungens libros, quinterna, folia impressa, sive manuscripta bibliothecis domorum regularium hujusmodi*

modi hactenus quomodolibet donata, comparata, sive aßignata seu in posterum donanda, comparanda, vel aßignanda ex dictis bibliothecis vel sæcularibus, vel regularibus aliorum Ordinum mutuo dentur, extrahere, vel sic extracta quoquomodo personis præfatis commodare, vel mutuare, donare, vel dare sub quovis quæsito colore, prætextu, aut ingenio audeat, seu præsumat sub excommunicationis majoris pœna, etiam à quovis sæculari, vel alterius Religionis regulari, qua prædicta, libros, quinterna, folia impressa, sive manuscripta ex eisdem bibliothecis, vel illarum aliqua extraxerit utenda acceperit, vel sibi retinuerit eo ipso absque alia declaratione incurrenda Apostolica auctoritate, tenore præsentium interdicimus, & prohibemus, non obstantibus consuetudinibus &c.

Circa quam excommunicationem aliqua pla-
566 cet adnotare.

Noto ergò PRIMO hanc excommunicationem comprehendere quoscumque tam sæculares, quàm Regulares, sive nostri, sive alterius Ordinis, qui extrahunt libros, aut extrahi permittunt è Biblio-
567 theca, ut colligitur ex tenore ipsius Bullæ.

Noto SECUNDO, in hac excommunicatione prohiberi nostris Religiosis, etiam Prælatis quavis auctoritate fungentibus, prædictos libros extraneis mutuare, vel commodare, dare, vel donare, sub quovis quæsito colore, prætextu, ingenio, non tamen illis prohiberi eos vendere in casibus, in quibus licitum est per leges, nec commutare, quando commutatio cedit in commodum prædictæ Bibliothecæ, ut *suprà* diximus.

568 Nec etiam eis prohibetur prædictos libros Reli-
369 giosis ejusdem Ordinis mutuare, ut patet ex illis verbis Bullæ, *ut sæcularibus, vel regularibus aliorum Ordinum mutuo dentur*; nam cùm tantum includat Religiosos aliorum Ordinum, nostri videntur exclusi juxta *legem cum prætor ff. de judiciis*, & ex aliis juribus, & Doctoribus, quos refert, & sequitur
570 Simon Vaz. Barbosa *de locis* verbo *inclusio n.* 43.

Imò non obstante hujusmodi Bulla propter eandem rationem potest unus Conventus alteri de novo incipienti aliquos libros superfluos dare, ut *suprà* diximus; nam prohibitio donationis mutui vel commodati solùm est pro sæcularibus, & Religiosis aliorum Ordinum, non verò pro nostris, ut patet ex ipsa Bulla.

TERTIO noto, non affici prædicta excommunicatione illum, qui extraxit è monasterio libros 571
communi bibliothecæ nondum incorporatos; nam prædicti libri in quantum non sunt incorporati non pertinent ad bibliothecam, Pellizz. *Tract.* 7. *cap.* 7. *notab.* 3. Quomodo autem libri incorporen- 572
tur bibliothecæ jam *suprà* diximus. Hinc fit non incurrere hanc excommunicationem Religiosos, qui Biblia vel librum spiritualem, quem habent ad usum ex licentia Provincialis juxta Constitutionem *supra* citatam, alicui sæculari, vel Regulari alterius Ordinis mutuant, dant, vel vendunt, dummodo tales libri nunquam fuerint prædictæ librariæ incorporati: & idem à fortiori dicendum est de suis manuscriptis, utpote nondum bibliothecæ incorporatis.

Noto QUARTO, ad incurrendam hanc excommunicationem requiri magnam temeritatem, hoc 573
enim dicunt illa verba, *audeat, & præsumat*. Undè 574
bona fides, & ignorantia etiam crassa, & supina excusat ab incursione illius, non tamen ignorantia affectata, aut si ita illa crassa foret, ut esset ingens temeritas; Ita Suar. Rodri. Sanc. quos refert, & sequitur Peyrin. *ad Constitutionem* GREGORII XV. *n.* 63. *& ad Constitutionem* URBANI VIII *n.* 1.

Sed quæres: An Prælatus, qui Religiosorum decedentium codices, antequam actu incorporentur 575
bibliothecæ, donat Sæcularibus, vel Regularibus alterius Ordinis, incurrat hanc censuram? Respondeo affirmativè; nam hujusmodi codices mortuo Religioso cujus erant, applicantur per legem 2. *p. nostrarum Const. c.* 4. *n.* 23. communi bibliothecæ, ac proindè non indigent alia applicatione; nam, ut ait Pelliz. *tr.* 7. *c.* 2 *n.* 231. *notab.* 3. incorporatio in 576
hoc consistit, quod libri auctoritate Superioris de- 577
putentur ad usum, non hujus, aut illius particularis Religiosi, sed ad usum communem monasterii, sed hæc omnia faciunt prædicti Prælati Superiores in prædicta Constitutione: ergò tales libri eo ipso communi bibliothecæ censentur applicati.

An autem incurrat hanc censuram Prælatus, vel subditus, qui tales decendentium codices sibi u- 578
surpat, & ad alios Conventus defert, antequam actu scribantur in manuali bibliothecæ? Respondeo negativè; nam talis excommunicatio solùm lata est contra extrahentes libros, sive manuscripta ad ea donanda, vel mutuanda sæcularibus: vel Regularibus aliorum Ordinum, ut *suprà* notavi- 579
mus. Faciet tamen talis Prælatus, vel subditus contra præceptum de non extrahendis libris, vel manuscriptis à communi bibliotheca secum ad alios

alios Conventus deferendos, ut patet *ex 2. parte nostrarum Constitutionum cap. 4. num.* 21; nam cum per mortem prædictorum Religiosorum talia manuscripta eo ipso censeantur applicata à lege communi bibliothecæ, ut suprà diximus, non requirunt aliam Prælati applicationem, ac per consequens Prælati ea sibi applicantes ad ea secum deferenda, si de facto deferant, peccant mortaliter contra hoc præceptum.

580 Sed quæres: An incurrat hanc censuram Provincialis, vel Generalis, si monasterii libros bibliothecæ incorporatos postea deputet ad usum alicujus Religiosi particularis, ut eos possit dare amico sæculari, vel Regulari alterius Ordinis, ut accidere potest inter nos in biblis, vel libris spiritualibus, quos Provincialis potest aliquibus Religiosis concedere juxta *prædictam legem n.* 22. Respondeo affirmativè, si de facto talem librum dent; Ita Pellizzarius *ubi suprà notabili* 5. Alioquin frustraneum esset Breve, cùm occurrente casu posset Superior facere dictam deputationem, & postea libros dare extra monasterium.

581 Noto QUINTO: Incurrere hanc censuram sæcularem, vel regularem, qui librum ab alio extractum è Bibliotheca defert extra Conventum: ut patet ex illis verbis Bullæ *utenda acceperit, vel sibi retinuerit*; Ita in simili casu Pellizz. *notabili* 6.

Et idem dicendum est de Religioso nostri Ordinis, qui librum ab aliquo sæculari, vel Regulari è communi bibliotheca extractum mutuo dat sæcularibus, vel Regularibus aliorum Ordinum, ut patet ex illis verbis Bullæ, *ut illa sic extracta quoquo modo præfatis personis commodare, vel mutuare, donare, vel dare.*

582 Noto SEXTO: incurrere hanc censuram Religiosum, qui cùm per aliquot dies sit concionaturus extra Conventum, secum defert aliquos libros, non solùm ad eis utendum, sed etiam ad illos mutuandum amico toto illo tempore, quo fuerit extra Conventum, ut patet ex illis verbis Bullæ, *& illa sic extracta quoquomodo præfatis personis mutuare*; nam illa particula, *quoquomodo*, non solum se extendit ad libros extractos cum intentione eos mutuandi, vel dandi, sed omnes libros quacunque causa, vel
583 modo è bibliotheca extractos. Non incurret tamen prædictam censuram, qui secum defert libros ad ostendendum aliquos casus, vel aliquam doctrinam amico, sive sæculari, sive Regulari, dummodo illi talem librum, nec commodet, nec mutuet; nam tunc, cùm non detur mutuum, vel commodatum cessat ratio prohibitionis.

Noto TANDEM in libris, qui extrahuntur è Bibliotheca dari parvitatem materiæ excusantem à 584
censura, ut *suprà* diximus de præcepto; Ita cum Cherubino, Lessio, & aliis docet Pellizzar. *ubi suprà*
notabili 9. Adverte tamen cum eodem Pellizzario 585
ibid. subesse huic excommunicationi, illum, qui successivè extrahit alios & alios libros, salva tamen singulis vicibus parvitate materiæ, si perveniat ad materiam notabilem, idque, etsi singulis vicibus non habeat intentionem continuandi illas extractiones. Ratio est, quia ad incurrendam hanc censuram, non requiritur talis intentio, sed sufficit prævisio notabilis damni, cùm sic objectum ex continuatione materiæ evadat mortale, & de tali objecto constet Ecclesiæ, dabitur sufficiens materia ad incurrendam hanc censuram.

Secùs dicendum est, si successivè extrahat libros 586
salva singulis vicibus parvitate materiæ, sed pluries id faciat; ita tamen, ut non extrahat librum posteriorem, nisi priorem antea extractum bibliothecæ restituat, idque, etsi intentionem habeat continuandi talem extractionem, siquidem sic adest semper materiæ parvitas excusans à censura, & alioquin intentio continuandi modo dicto extractionem impertinenter se habet ad illam censuram incurrendam, ut jam ostensum est; Ita Pellizzarius *notabili* 10. *loc. cit.* Parvitas autem materiæ erit, si liber non excedat valorem 3. aut 4. Florenorum; Ita Pellizzarius *ibidem.* vel unius argentei, ut ait Bordon. *Tomo* 2. *resol* 62. *num.* 19.

§. 3.

De tertio præcepto non procurandi per se, vel per alium, directè, vel indirectè, aliquam mutationem contra nostras Constitutiones in materia gubernii, sive in generali, sive in particulari: & contra id scientes, & non denuntiantes Definitorio.

587 *Hæc Constitutio, duplex continet præceptum; unum non procurandi contra nostras Constitutiones mutationem in materia gubernii: aliud manifestandi delinquentes.*

588 *Quæ sit materia primi præcepti?*

589 *Hoc præceptum est de materia justissima, necessaria ad bonum commune.*

590 *Quæ actiones per hoc præceptum prohibeantur?*

591 *Quid*

591 *Quid intelligatur per illas clausulas* per se, *vel* per alium, directè, *vel* indirectè?

592 *Religiosus, qui scit alium nomine ipsius procurare, & non impedit, non facit contra præceptum.*

593 *Præceptum non est extendendum ad casus non expressos.*

594 *Religiosus non potest procurare mutationem contra prædictas Constitutiones, etsi sit dubium, an aliud gubernium sit melius.*

595 *Poterit tamen cogitare, imò scribere quid sibi videatur, si tantùm intendat scripturam apud se retinere.*

596 *Poterit etiam eam aliis ostendere secluso periculo inductionis.*

597 *Quid si sit dubium, an mutatio gubernii sit omnino necessaria?*

598 *Ut Religiosus teneatur Definitorio denuntiare hoc delictum, debet de illo habere moralem certitudinem*

599 *In quo consistat hæc certitudo moralis?*

600 *Quid si delictum sit adeò occultum, ut probari non possit.*

601 *Quid si tale delictum sciat sub secreto naturali?*

602 *Quid si illud sciat ex consultatione secreta ordinata ad confessionem sacramentalem sed extra illam?*

603 *Quid si aliquis superior deprehendat hoc crimen ex litteris alicujus Religiosi, missis vel acceptis?*

604 *Quid si talis Religiosus sit plenè emendatus de delicto, & delictum sit occultum?*

605 *Quid si sit publicum, sed jam emendatum?*

606 *Quid si sit occultum, & jam emendatum, sed ejus effectus adhuc pendeat in futurum?*

607 *Quid si in hoc casu possit obviari damno futuro sine manifestatione personæ cum sola manifestatione delicti?*

608 *Quid si non possit occurri damno sine manifestatione personæ?*

609 *Religiosus non tenetur ex vi hujus præcepti manifestare illum, quem scit velle procurare, sed adhuc non procuravit.*

610 *Tenebitur tamen ex charitate.*

611 *Quid si Religiosus sciat alios jam denuntiasse?*

612 *Quid si constet Definitorium nullum remedium allaturum esse?*

613 *Quid si sit dubium, an Definitorium de remedio providebit?*

614 *Religiosus tenetur denuntiare eum, quem scit bona fide, vel ignorantia procurasse contra prædictas Constitutioaes alterationem, &c.*

615 *Non tenetur præmittere correctionem fraternam.*

616 *Poterit illam præmittere, si speretur emendatio.*

617 *Quid per clausulam,* statim *intelligatur?*

NOstræ Constitutiones 3. *p. cap.* 3. *num.* 3. ad majorem nostrarum legum firmitatem statuunt & *mandant, sub præcepto formali, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ipso facto incurrenda, & privationis officii, vocis, & loci in perpetuum, quod nullus Religiosus sive subditus, sive Prælatus, per se nec per alium, directè, vel indirectè aliquid procuret contra ea, quæ in nostris Constitutionibus in materia gubernii sunt decreta, tam in generali,
quàm in particulari; nec non & Religiosi ad quo- 587
rum notitiam pervenerit aliquem esse hujus Constitutionis transgressorem, sub dicta censura teneantur illum Definitorio statim manifestare.* Circa quam Constitutionem plura nobis occurrunt adnotanda.

Primum est, hanc Constitutionem duplex continere præceptum cum censura; *primum* est, non procurare directè, vel indirectè, per se, vel per alium, quidpiam contra nostras Constitutiones in materia gubernii: *secundum* est denuntiare Definitorio illos, quos hujus reos criminis nocuerint: circa primum ergò præceptum.

Dico I. Materiam illius esse, ut nemo per se,
vel per alium, directè, vel indirectè procuret, ut ele- 588
ctiones Prælatorum, & modus gubernii, qui est in nostra Congregatione, vel in totum, vel in parte aliter fiat, ac à nostris Constitutionibus est dispositum; cùm enim hic modus gubernii à tot Pontificibus sit approbatus, & confirmatus, ut diximus *disp.* 6. *hujus Tract. subsect. unica* §. 2. *n* 280. mate-
ria hujus præcepti est justissima, & necessaria ad 589
bonum commune Religionis, cujus conservatio nimis dependet ex immobilitate legum, præcipuè in materia gubernii.

Actiones autem, quæ in hoc præcepto prohi-
bentur, sunt quæcumque actiones externæ, quibus 590
Religiosus noster procuraret mutari aliquid ex prædictis Constitutionibus, ita ut dictæ actiones importent aliquem influxum circa effectum mutandi prædictas Constitutiones; Ita in simili casu Pellizz. *Tract.* 4. *c.* 5. *n.* 233. Hinc fit Religiosum desiderantem aliquid contra prædictas Constitutiones non peccare contra hoc præceptum, cum desiderare, ut sic, non sit procurare, aut agere aliquid contra prædictas Constitutiones; Ita in simili casu Vasq. Sanchez, Suarez, quos refert, & sequitur Palaus *Tract.* 5. *disp.* 5 *p.* 5. *nu.* 2.

Quid autem intelligatur per illas particulas per
591 se, vel per alium, directè, vel indirectè? Respondeo procurationem tunc censeri factam directè, quando fit expressis signis, aut verbis, sive per se, sive per alium: indirectam verò, quando fit non ita expressè, sed alio prætextu, alioque simulato colore; Ita cum Sosa, Sorbo, & Sanchez, in casu simili Pellizzarius *Tract. 4. c. 5. n. 148.*

Tunc autem fit per se, quando ipse Religiosus per seipsum aliquid influit, vel directè procurando, ut tales Constitutiones mutentur, vel indirectè rationes in contrarium efficaces proponendo illi, qui tales Constitutiones potest mutare.

Tunc autem fit per alium, quando utitur aliquo alio ad hunc effectum, sive directè ab eo postulando, ut procuret talem modum gubernii invertere, sive indirectè illi rationes proponendo, ut eum ad hunc effectum alliciat.

An autem Religiosus faciat contra hoc præce-
592 ptum, si sciat aliquem nomine ipsius procurare aliquid contra prædictas Constitutiones, & nihilominus non impediat cùm facile posset impedire? Respondeo negativè; Ita in simili casu Pellizzarius *Tract. 4. cap. 5. n. 149.* Nam hoc non est procurare aliquid contra prædictas Constitutiones; nam procurare, ut *suprà* diximus, importat causalitatem, seu influxum circa effectum obtinendum, sed iste Religiosus tantùm se habet merè negativè, & permissivè in prædicto casu: ergò nihil influit in talem procurationem: ergò non facit contra
593 hoc præceptum; nam præceptum tantum comprehendit procurantes mutationem contra prædictas Constitutiones, & quando agitur de prohibitione, illa non est extendenda ad casus non expressos proportionaliter, ut dicunt non pauci Doctores apud Bonacin. *disp. de censuris in genere qu. 4. p. 3. num. 5.*

594 Sed quæres, an in casu quo dubitetur, an expediat prædictum modum gubernii mutare, possit Religiosus sine violatione hujus præcepti, rem hanc cogitare, & rationes dubitandi pro utraque parte aliis proponere, nec non proferre quid vero-
595 similius, aut probabilius sibi appareat? Respondeo quod, vel dubium est, an mutatio talis gubernii sit quid melius, vel an sit omnino necessarium,
596 quia prædictus modus gubernii ex aliquo accidenti redditus fuit noxius bono communi Religionis. Si tantùm dubium exortum fuit, an mutatio gubernii melior sit, tunc poterit Religiosus de hoc secum cogitare, imò poterit aliquam scripturam efficere, si tantùm intendat eam apud se retinere: imò poterit eam aliis tradere, non tamen animo eos inducendi ad procurandum aliquid contra prædictas Constitutiones, & dummodo non prævideat, eos tali scriptura inducendos fore ad procurandum contra prædictas Constitutiones aliquam mutationem.

Et ratio est, quia in prædicto casu tantùm diceretur talis Religiosus agere speculativè, ut ità dicam contra prædictas Constitutiones, non tamen practicè; in hoc autem præcepto solùm prohibetur procuratio practica contra prædictas Constitutiones, ut patet ex illis verbis, *non procuret aliquid contra ea, quæ in materia gubernii in nostris Constitutionibus sunt decreta*: ergò talis Religiosus nihil efficit contrarium huic præcepto; ita in simili casu Pellizzarius *Tract. 4. cap. 5. numer. 215.* Dixi, *nisi prævideat aliquem ex tali scriptura permovendum esse ad procurandum contra prædictas Constitutiones, &c*; nam si hoc prævideat, & scripturam tradat, peccat contra hoc præceptum, cum revera influat moraliter in procurationem factam ab aliis, quod à fortiori dicendum est, si talem scripturam ostendat animo illos inducendi ad procurandum aliquid contra prædictas Constitutiones; ita in simili casu Pellizz. *ubi suprà.*

Quod si dubium exortum fuerit, an mutatio gu- 597
bernii sit omnino necessaria bono communi Religionis, quia prædictus modus ex aliquo accidenti redditus fuit nocivus bono communi Religionis, tunc existimo posse talem Religiosum rationes dubitandi pro utraque parte proponere, sive Capitulo generali, sive etiam Papæ, vel Cardinali Protectori: imò potest procurare, ut modus gubernii mutetur. Et ratio est, quia quando dubitatur, an observantia præcepti sit contra bonum tertii, subditus non tenetur ei obedire, ut cum Lessio, Sayro, Salas, Sanctio, Villalobos, Rodrig. & aliis docet Palaus *Tom. 1. tract. 1. disputatione 3. part. 13. numero 16.* ergò à fortiori hoc dicendum est, quando observatio præcepti est contra bonum commune Religionis, sed observare tale præceptum est contra commune bonum, ut supponimus in hoc casu, siquidem omnes Religiosi tenentur procurare bonum commune Religionis, cui ut supponimus, opponitur modus ille gubernii: ergò Religiosi in hoc casu possunt talem mutationem gubernii procurare.

An autem Religiosus, nullo præcedente dubio de convenientia hujus præcepti circa bonum commune Religionis possit in Capitulo generali, aut provinciali proponere rationes dubitandi pro utra-

utraque parte, & disputare, utrum expediat bono Religionis, ut tales Constitutiones mutentur? Respondeo negativè ex Pellizz. *Tract.* 4. *cap.* 5. *n.* 437. & patet ex eadem Constitutione *ubi suprà num.* 3. ubi additur: *Etsi quis in generali Capitulo aliquid proponere ausus fuerit circa mutationem nostrarum legum, non servata forma quoad dictam mutationem in eis præscripta, statim omnino ejiciatur à Capitulo, nec in eo amplius activa, vel passiva voce gaudeat, & insuper ei irremissibiliter pœnæ in his Constitutionibus taxatæ applicentur.* Ratio autem est; quia hoc est saltem indirectè agere contra prædictas Constitutiones, quatenus saltem indirectè intendit inducere Capitulum ad earum mutationem, sed in hoc præcepto non solum prohibetur procuratio directa, sed etiam indirecta: ergò nullo modo possunt prædictas rationes contra tales Constitutiones proponere, nisi priùs hoc præceptum à Capitulo generali suspendatur; non existimo tamen fore peccatum, si tales Religiosi dicant convenire ad bonum commune Religionis, ut tale præceptum suspendatur, etiamsi fieret animo proponendi aliquid contra prædictum modum gubernii; nam cum per hoc præceptum non prohibeatur actus internus, & quando actu ponitur externus, jam non sit præceptum, non videtur aliquid fieri contra illud. 597

An autem peccent Religiosi contra hoc præceptum, si Papæ, vel Cardinali Protectori proponant incommoda, quæ ex tali regimine proveniunt ad effectum, ut ipsi tale regimen propria auctoritate mutent; quantumvis aliàs talem animum exterius non manifestent? Existimo affirmativè esse respondendum, hoc enim, meo videri est, quod specialiter prætenditur hoc præcepto, ut Religiosi nec per se, nec per alium directè; vel indirectè procurent apud Papam, vel Protectorem, quod talis modus gubernii mutetur. Ratio autem resolutionis est, quia non potest negari tales Religiosos talia Papæ, & Protectori proponentes indirectè saltem agere contra prædictas Constitutiones: ergò faciunt contra hoc præceptum. Sed hæc doctrina debet intelligi, quando non datur dubium, an talis modus gubernii sit contra bonum commune Religionis; nam si detur tale dubium, licitum unicuique erit prædictas rationes Papæ, vel Protectori proponere; nam cùm dubitetur an res præcepta sit contra bonum commune Religionis, potest, imò tenetur subditus non obedire, ut *suprà* diximus, & latè probat Palaus *Tom.* 1. *tract.* 1. *d.* 3. *part.* 13. *numero* 16. & *sequentibus.*

Secundum, quod in hoc præcepto nobis præcipitur est; quod in casu, quo quis sciat aliquem Religiosum contra prædictas Constitutiones procurare mutationem, eum statim Definitorio generali denuntiet, quod est secundùm præceptum, quod datur in hac Constitutione, circa quod non paucæ exurgunt difficultates. Prima est, quæ sit materia hujus præcepti? Pro quo sciendum est, in hoc præcepto duplicem posse assignari materiam, aliam remotam, aliam verò proximam. His suppositis.

Dico II. Materiam remotam hujus præcepti esse dictam procurationem directam, vel indirectam, per se, vel per alium, quæ cum sit prohibita sub præcepto, & excommunicatione, grave peccatum est, ut *sup.* diximus, materiam verò proximam esse manifestationem justam procurantium aliquid contra prædictas Constitutiones in materia regiminis, non solùm eam, quæ aliàs est obligatoria, ex charitate, vel justitia, sed etiam illam cujus nulla est obligatio, honestè tamen, & utiliter fieri potest: tum, quia præceptum est generale absque ulla restrictione, ac proindè quamlibet denunciationem honestè faciendam comprehendere debet: tum, quia parum utile esset præceptum cujus materia aliundè præcepta esset; ita in simili casu sustinet cum Suarez, & Sanch. Palaus *Tr.* 16. *disp.* 5 *p.* 7. *n.* 2. Et ob easdem rationes non limitatur denuntiatio, ut solùm judicialem, vel paternam comprehendat, sed utramque respicit sub disjunctione, secundùm quod honestè, & licitè fieri possunt. Unde si denuncians commodè probare potest delictum, tenetur judicialiter illud manifestare; hoc enim est, quod præcipuè intenditur, quando tamen illud probare non potest, satisfacit præcepto, si tantùm illud paternè denunciet; ita colligo ex Suarez *Tom.* 4. *de relig. tractat.* 10. *cap.* 10. *libro* 6. *numero* 9. & ex Pellizzario *Tractatu* 4. *cap.* 5. *numero* 464.

Quæ autem & quanta notitia de hoc delicto requiratur ad hoc, ut Religiosus vi ipsius præcepti teneatur illud denuntiare Definitorio? Respondeo requiri moralem certitudinem delicti, adeoque non sufficere quamcumque probabilitatem, sed oportere talem esse, ut absque temeritate aliqua possit procuratio contra prædictas Constitutiones judicari; hæc quippe est moralis certitudo, qualis in hujusmodi rebus exigitur; ita Sanch. quem refert, & sequitur Pellizarius *Tract.* 4. *cap.* 5. *n.* 286. Lezana *Tom.* 2. *cap.* 4. *n.* 14. Non tamen requiritur ut Religiosus ipsum delictum videat, sed sufficit, si id à viro timoratæ conscientiæ, omnique 598 599

exceptione majori acceperit, quia ejus dictum certam illi moraliter præstat notitiam, ut cum Felino, Suarez, Sanchez, Navarr. tradit Palaus *Tract.* 16. *disput.* 5. *part.* 7. *num.* 8. Colligiturque ex eadem Constitutione, in qua solum postulatur ad obligationem hujus præcepti, quod ad aliquem deveniat hujus criminis notitia, sic enim ait: *Nec non Religiosi ad quorum notitiam pervenerit aliquem esse hujus Constitutionis transgressorem, sub dicta censura teneatur illum statim Definitorio manifestare*: ergò non requiritur, quod Religiosus videat delictum, sed sufficit quod ad ejus notitiam per personas fide dignas deveniat.

600 Sed quæres, quid dicendum, quando crimen fuerit adeò occultum, ut probari non possit? Respondeo teneri illud Definitorio manifestare non juridicè ut puniatur, cùm hoc sine probatione fieri non possit, sed paternè, ut damnum indè toti Religioni proveniens impediatur, ut videre est in impedimentis matrimonii, quæ debent ex præcepto denuntiari, etiamsi probari non possint, ut indè damnum proveniens impediatur; ita Sanch. Suarez, Lezana, & alii, quos refert, & sequitur Pellizz. *Tra.* 4. *cap.* 5. *n.* 287. Palaus *loc. cit. num.* 9.

601 Sed quid si sciat delictum sub secreto naturali? Respondeo teneri illud Definitorio paternè denuntiare; nam licet de jure naturæ teneamur secretum naturale servare, hoc intelligitur quando delicta sub eo secreto commissa non vergunt in damnum Communitatis, & adhuc pendent in futurum, si enim talia sint, iniquum esset tale secretum observare. Undè semper subintelligitur in promissione secreti naturalis hæc conditio, nisi delictum vergat in damnum commune, Ita Sanc. Suar. Palaus, quos refert, & sequitur Pellizz. *Tra.* 4. *cap.* 5. *num.* 288.

602 Secùs dicendum existimo, si quis tale delictum tantum sciat ex consultatione secreta ordinata ad confessionem Sacramentalem, quamvis ab ea sit distincta, si tamen talis consultatio vera sit & non ficta. Ratio est quia licet secretum non sit debitum in omni casu huic consultationi, cùm possit dari majus damnum commune, in hoc tamen casu minus est damnum, quod provenit ex hac occultatione, & secreto, quàm ex prædicta procuratione, quatenus data facilitate revelandi dictum secretum vix ullus auderet propriæ conscientiæ per talem consultationem consulere, sicque impediretur via consulendi malo procurationis contra prædictas leges, illudque excludendi à Religione; ita Suarez, quem refert, & sequitur Palaus *tra.* 16. *disputatione* 5. *parte* 7. *n.* 11. Pellizzar. *nu.* 289. Dixi, *si dicta consultatio vera sit, & non ficta*, quia si delinquens specie solum consultationis utatur, sive animo alium inducendi, sive ad explorandam ejus intentionem, sive alio malo fine, tunc talis consultatio non est digna secreto; sed statim debet Definitorio manifestari modo dicto, ut de remedio provideatur; ita cùm Suarez, & Palao, Pellizzarius *num.* 291.

Sed quæres, quid dicendum sit, si aliquis Superior alicujus domus ex litteris alicujus Religiosi subditi missis, vel acceptis agnoscat illum procurare mutationem, *&c.* contra prædictas Constitutiones? Respondeo teneri statim eum paternè Definitorio denuntiare; nam licet Prælatus teneatur sub secreto naturali occultare ea, quæ in litteris suorum subditorum agnoverit, non secùs, ac teneretur quilibet privatus, ut colligitur ex Layman. *lib.* 3. *tractat.* 3. *part.* 1. *sectione* 5. *cap.* 4. *numero* 4. Hoc tamen intelligitur quando secretum non vergit in damnum Communitatis, & non pendet in futurum; ut in hoc casu tenet expresè Pellizzarius *loc. cit. num.* 292. quia, qui litteras alterius aperit, & legit, si ex eis sibi, vel alteri grave damnum timet, non peccat mortaliter, & tali notitia uti potest ad evitandum sui, vel alterius grave damnum, ut cum Molin Peyrinis, Navar. Sa; & Diana docet Pellizzarius *ubi suprà*: ergò etiam Prælatus prædicta notitia uti poterit ad evitandum grave damnum Religionis. 603

Sed quæres, quid dicendum sit, si talis Religiosus sit plenè emendatus de tali delicto, & de hoc certissimè constet, & nullum subsit periculum recidivi, & delictum sit occultum, neque adsit aliqua in futurum impendentia, an in hoc etiam casu teneatur Religiosus ex vi hujus præcepti illum denuntiare? Respondeo negativè; nam obligatio præcepti ultrà propriam verborum significationem non est extendenda, sed in præcepto tantùm est sermo de præsenti, & non de præterito? sic enim lex ait: *Et Religiosi ad quorum notitiam pervenerit aliquem esse hujus Constitutionis transgressorem*, &c. Ubi nota non dicere aliquem fuisse hujus Constitutionis transgressorem, sed esse, ergò obligatio præcepti non debet extendi ad crimen præteritum, jam plenè emendatum; Ita Sanch. Suar. Lezana, Palaus, quos refert, & sequitur Pellizzarius *n.* 193. *loc. cit.* 604

Dixi, *dummodò delictum sit occultum*; nam si sit publicum debet denuntiari, etiamsi sit plenè emendatum, ad punitionem, & ad auferendum alio- 605

aliorum scandalum. Dixi etiam, *dummodò nulla sit*
606 *in futurum dependentia*; nam cum possit evenire, quod ex procuratione alicujus, jam facta, & per pœnitentiam retractata reipsa Religionis timeatur damnum in futurum, in casu quo adhuc tale damnum independeat, debent Prælati de delicto certiores fieri, ut illi occurrant; Ita cum Sanchez, Palao, & aliis Pellizzarius *ubi suprà n.* 294.

607 Existimo tamen, satisfacere in hoc casu huic præcepto Religiosum, si Definitorium certificet de delicto, non declarando personam, si hoc
608 sufficiat ad impediendum damnum, & delictum sit occultum, secùs si non sufficiat, vel delictum sit publicum; nam tunc etiam persona manifestanda est, ut diximus *disp.* 6. *sect.* 1. §. 4. *num.* 146. *& sequentibus hujus Tractatus*, quæ omninò videnda sunt.

609 An autem ex vi hujus præcepti teneantur Religiosi manifestare illum, quem sciunt velle procurare contra prædictas Constitutiones, *&c.* Sed de facto adhuc non procurat, nec procuravit? Respondeo negativè; nam velle procurare non est procurare; sicut velle facere votum, non est votum facere, lex autem solùm præcipit manifestare eos, qui actu procurant, cùm ergò à diversis non fiat illatio, & obligatio præcepti strictè sit interpretanda, indè sequitur tales non teneri prædictum Religio-
610 sum manifestare; Ita Pellizzarius *numer.* 298. cum hoc tamen stat, quod ex charitate tenebuntur tales Religiosi huic malo, aliquo remedio obviare, etsi non sit alius modus, nisi manifestatio, hanc etiam tenebuntur ex charitate efficere, non tamen ex vi hujus præcepti; Ita Pellizzarius *ubi suprà.*

611 Sed quæres, an Religiosus teneatur denuntiare eum, quem scit alios denuntiasse, vel esse denuntiandos? Respondeo, quod vel denuntiatio paternè facienda est, vel judicialiter; si paternè non tenetur ille denuntiare, quando probabiliter existimat alios denuntiare; ita cum Sayro, Graffio, & Bonacina Pellizzar. *Tract.* 9. *cap.* 4. *num.* 30. talis namque denuntiatio esset inutilis, & nemo ad rem inutilem obligari potest, si tamen denuntiatio judicialiter esset facienda, nunc teneretur Religiosus talis etiam denuntiare, cum multiplex denuntiatio judicialis requiratur, & conferat ad formam judicialem, atque adeò intendatur à Superiore talem denuntiationem præcipiente; Ita Pellizz. *ibid.* vide N. Petrum ab Angelis in *judice regular.* 1. *part. variis in locis.*

612 An autem talis denuntiatio sit facienda, si constet Definitorium cui fit, nullum remedium allaturum esse? Respondeo non debere fieri, si id morali certitudine constet; Ita Pellizzarius *Tract.* 9. *c.* 4. *n.* 26. talis namque denuntiatio foret inuti- 613
lis, si tamen tantum daretur dubium, quod Definitorium de remedio providebit, tenebitur subditus denuntiare, cum præceptum denuntiandi sit in possessione, & in dubio melior est conditio possidentis: Tum, quia in dubio nemo debet præsumi malus, & multò minus Superior, præsumeretur verò in præsenti, cùm præsumatur non esse satisfacturum suæ obligationi in re gravissima, quod de Fratribus adeò gravibus, & in Definitorio congregatis minimè est præsumendum; ita in simili Pellizzar. *Tract.* 4. *cap.* 5. *n.* 303.

Sed quæres, an Religiosus teneatur denuntiare 614
illum, quem scit procurasse bona fide contra prædictas Constitutiones mutationem non advertendo, vel ignorando id esse prohibitum. Respondeo teneri, quia talis denuntiatio non solùm præcipitur ad punitionem delicti, quo casu posset cessare obligatio denuntiandi, saltem pro foro conscientiæ, cum pœna propriè dicta supponat culpam, quæ hic non intervenit, sed ad impediendum damnum ex tali procuratione subortum, aut suboriturum, quæ utique militant etiam in casu, quo procuratio fiat bona fide; ita ex Suar. colligit in simili casu Pellizzar. *ubi suprà num.* 34.

Sed quæres: An occurrente casu denuntiandi
aliquem, qui prædictam Constitutionem est trans- 615
gressus, possit, vel etiam teneatur Religiosus ex charitate antè denuntiationem præmittere correctionem fraternam? Respondeo regulariter nunquam teneri, poterit tamen, si velit prædictam correctionem præmittere, præcipuè si probabiliter sperat profuturam: Prima pars probatur, tum, quia est delictum cadens in damnum Communitatis;
tum, quia raró per secretam monitionem im- 616
peditur, benè tamen per manifestationem Superiori; ita in simili casu Suar. quem refert, & sequitur Palaus *Tractat.* 16. *disput.* 5. *part.* 7. *numero* 13. Pellizzarius *ubi suprà num.* 307. Secunda verò pars etiam ostenditur, quia præceptum non præcipit, ut delictum sine correctione fraterna Definitorio manifestetur; si enim ita præciperet, esset præceptum indiscretum, cum casus occurrere posset, quo eam expediret præmitti. Neque ex eo, quod aliquis præmittat correctionem, impeditur ab implendo præcepto, cum facta correctione, si pœnitens non se emendaverit, & damnum non impedierit, poterit eum Definitorio

denuntiare, quod si se emendaverit, & damnum fuerit omninò impeditum, cessat obligatio præcepti, quia cessat ejus materia, quæ solùm erat delictum præsens, saltem quoad effectum non præteritum, exspectare verò hanc materiæ mutationem ex correctione, & charitate proximi consentaneum est, nec præcepto contrarium; Ita in simili casu Suarez, quem refert, & sequitur Palaus *ubi suprà n.* 13.

Nec obstat, quod in prædicto præcepto præcipitur, quod sub excommunicatione teneatur ille ad cujus notitiam pervenit aliquem esse hujus Constitutionis transgressorem, statim Definitorio
617 denuntiare; nam illa dictio, *statim*, debet cum aliquo temporis intervallo intelligi, secundùm arbitrium prudentis viri, juxta materiæ varietatem, ut notavit cum Naldo Lezana *verbo* dictio *num.* 39. Undè si non sit periculum in mora, existimo posse exspectare quindecim diebus; hoc enim tempus, nec videtur maximum, nec minimum; ita in simili casu Pellizz. *Tract.* 4. *cap* 5. *n.* 467.

In fine hujus §. advertendum est, quod hic etiam mox nobis erat agendum de quarto præcepto, & excommunicatione latæ sententiæ, & ipso facto incurrenda nostrarum Constitutionum 1. *p. cap.* 9. *n.* 7. contra admittentes mulieres intra clausuram, sed quia de hac materia dantur etiam motus Pii V. & Gregorii XIII. de quibus *infra hac eadem disp. sect.* 5. §. 4. nobis agendum erit, ideò ne eadem sæpè repetamus, ea, quæ hic à lectore desiderari possent ad hunc locum reservo.

Secundò adverte, quòd licet ex nostris Constitutionibus non dentur alia præcepta præter prædicta, aliquando tamen solere Prælatos imponere præcepta circa cellularum ingressum, circa receptionem litterarum absque eo, quod Prælato ostendantur, circa asportationem pecuniæ absque licentia; sed quia de his præceptis, jam satis in præcedentibus tactum est, quod satis sit ad illorum sufficientem intelligentiam, & quia non sunt perpetua, sed finiuntur cum Prælato illa imponente, ideò specialem de quolibet non instituo quæstionem; pro primo tamen potest lector videre, quæ diximus *disp.* 6 *hujus Tractatus sect.* 1. §. 4. *per totum.* Pro secundo verò, quæ diximus *eadem disputatione* 6. *sect.* 3. *n.* 486. Pro tertio verò, quæ diximus *disp.* 4. *hujus Tractatus sectione* 2. *numero* 118. & 119.

**
*

SECTIO V.

De obligationibus Regularium provenientibus, tam à jure, & Conciliis, quàm à specialibus Pontificum decretis sub excommunicatione Papæ reservata.

PRo hujus quæstionis intelligentia notandum est, intentionem nostram tantùm esse explicare in hac sectione obligationes, quas Religiosi contrahunt ex Bullis, quæ vel specialiter sunt latæ contra ipsos Regulares, vel quæ principaliùs illas attingunt, non verò ex Bullis, vel decretis, vel canonibus latis indifferenter contra omnes fideles; nam has ad materiam de censuris, ubi hæ, ut in propria sede disputantur reservamus, sit igitur

§. 1.

De obligatione non absolvendi à casibus Sedi Apostolicæ, vel Ordinariis reservatis ex præsumptione, vel prætextu privilegiorum.

DIco I. Regulares absolventes à casibus Sedi Apostolicæ, aut Ordinariis locorum reservatis incurrunt excommunicationem Papæ reservatam ex decreto derogatorio Clementis VIII. lato 26. Novembris anno Domini 1602. 618
Hæc tamen obligatio solum afficit Religiosos, qui præsumunt, à prædictis casibus absolvere prætextu privilegiorum, quæ verè non extant. Undè cum nostri Religiosi, & alii Mendicantes, & cum eis communicantes habeant plura privilegia, quæ adhuc 619

adhuc modò vigent, non obstante prædicto decreto CLEMENTIS VIII. confirmato, & extenso
620 à PAULO V. & URBANO VIII. ad absolvendum ab omnibus casibus Pontifici reservatis, exceptis, qui continentur in Bulla Cœnæ Domini, & à casibus, tam jure communi, quàm ex consuetudine, vel specialiter Ordinario reservatis, ut latè probavimus *in Tractatu de privilegiis, disp. 3. sect. 1. §. 2.*
621 *per totum*; inde est, posse hodie à prædictis casibus omnes sæculares undequaque venientes absolvere, non obstante prædicta excommunicatione, quam solùm incurrunt illi Religiosi, si qui sunt, qui cùm non habeant privilegium, prætextu illius à prædictis casibus absolvunt. Requiritur tamen etiam in his, qui non habent privilegium, quòd detur præsumptio, & quod colore privilegiorum absolvant, ut notavit Diana *3. part. tract. 4. resol. 73.* ex Gambarupta; cætera quæ hîc desiderare poteras, habes in nostro *Tractatu de privilegiis loco citato.*

§. 2.

De obligatione non interpretandi indebitè sacram Scripturam in Concionibus, & non prædicandi sine licentia proprii Prælati.

622 *Regulares indebitè interpretantes sacram Scripturam, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam.*

623 *Prædicantes sine licentia proprii Prælati, eamdem censuram incurrunt.*

624 *Hujusmodi Bullæ LEONIS X. quoad pœnas, non fuere usu receptæ.*

625 *Peccabunt tamen mortaliter Religiosi illas transgredientes.*

622 DIco, Regulares interpretando indebitè sacram Scripturam in sermonibus, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam ex Con-
623 stitutione 21. LEONIS X. Eamdem censuram incurrunt prædicantes sine licentia proprii Prælati,
624 ex Bulla ejusdem LEONIS X. In explicatione tamen harum censurarum parùm immorabimur, cùm de eis aliquid dixerimus in Tractatu *de privilegiis, disp. 3. sect. 4.* ubi suprà *n. 154.* diximus ex Navarro,
625 Suarez, & Portel. hujusmodi Bullam LEONIS X. sicut & Clementinam 1. *de privilegiis*, non fuisse usu receptas quoad pœnas; peccabunt tamen mortaliter Religiosi illis contravenientes; quomodo autem illis contraveniant, & quam obligationem habeant prædicatores Regulares, & quibus fruantur privilegiis *ibidem* diximus. Consuli etiam poterunt circa jam dicta nostri Gabriel à S. Vincentio in suo Opere de censur. *disp. 4. de Excom. quæst. 10. num.* 410. & Urbanus ab Ascensione in sua Theolog. morali ac canonica *2. part. distinct. 1. cap. 3.*

§. 3.

De obligatione non furandi Reliquias Sanctorum.

626 *Regulares furantes Reliquias Sanctorum ex sanctuariis, vel armariis, quibus includuntur, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam.*

627 *Qui sine fractione illas furatur, non incurrit ipso facto illam excommunicationem, Roma excepta, venit tamen excommunicandus.*

628 *Qui Romæ furatur, vel recipit, aut auxilium præstat ad furandas Reliquias ex aliquo cæmeterio, vel loco sacro, incurrit excommunicationem.*

629 *Furantes Reliquias Sanctorum, etiam sine fractione scriniorum, &c. peccant mortaliter.*

630 *Quid si eas ab infidelibus furentur?*

631 *Sacrista non potest dare, vel permittere, ut Reliquiæ è suis locis auferantur.*

632 *Idem de Prælato Conventus dicendum est.*

633 *Hoc ad solum Capitulum spectat.*

634 *Aliquando in hac materia excusat parvitas materiæ.*

635 U*nde colligenda sit hujusmodi materiæ parvitas?*

636 *Dantes scienter Reliquias falsas, peccant peccato falsarii.*

637 *In hoc peccato falsarii respectu Reliquiarum, non datur parvitas materiæ.*

DIco I. Regulares furantes Reliquias Sancto- 626
rum, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam *ex Cap. Conquesti*: hanc autem excommunicationem tunc solùm incurrunt, quando ad hunc effectum frangunt armaria, scrinia, & sanctuaria, quibus sunt inclusæ; Ita Panormitan. Silvest. Longus, & alii, quos refert, & sequitur

Peyrinis *de Prælato, Tom. 2. quæst. 3. cap. 2. §. 1.*
627 *num.* 54. qui autem illas furatur absque fractione,
&c. non incurrit ipso facto ullam excommunica-
tionem, excepta urbe Roma, &c; Ita Sanch. Suar.
quos refert, & sequitur Bonacin. *Tom. 2. disp. 3. de*
adoratione, quæst. 2. part. 4. num. 9. Bord. *Tomo 2.*
resol. 62. num. 14. Sed veniunt excommunicandi
ex Cap. Conquesti. de foro competenti: Peyrinis
628 *ubi suprà.* Dixi, *exceptâ urbe Româ*, nam contra
auferentes Reliquias ex cœmeteriis Romæ, aliis-
ve ibi sacris locis absque licentia summi Pontificis,
vel illas recipientes, aut aliquo modo concurren-
tes ad earum extractionem, lata est excommuni-
catio à Vicario urbis Romæ, jussu PAULI V.
24. August. 1613; Ita Bonacin. *de Censuris, disp. 2.*
quæst. 3. part. 13. §. insid. Pellizzarius *tract. 7. cap. 2.*
num. 164. Tamburinus *de jure Abbatum, Tom. 2.*
disp. 13. quæst. 1. num. 49.
629 Dico II. Licèt in jure nulla sit excommunica-
tio lata contra furantes, donantes, vel recipientes
Reliquias Sanctorum, illas tamen furantes pec-
630 cant mortaliter peccato sacrilegii, nisi eas furentur
ab infidelibus; Ita Sanch. Silvest. Azor. & alii,
quos refert, & sequitur Palaus *Tom. 2. tract. 8.*
disp. 1. part. 6. num. 19. Bordon. *Tom. 2. resol. 62.*
num. 14. Tamburinus *Tomo 2. disp. 13. quæsito 2.*
631 *num.* 49. Nec excusantur à peccato sacrilegii, qui
632 prædictas Reliquias de licentia sacristæ recipe-
633 rent; nam sacrista ad id non habet auctoritatem;
imò, nec Prælatus Conventualis ad id per se solus
habet facultatem; sed requiritur totum Capi-
tulum, quia Prælatus non est dominus rerum
monasterii, sed curator seu administrator; Ita
Peyrinis *de Prælato, Tom. 2. quæst. 3. cap. 2. §. 1.*
num. 53. Tamburinus *ubi suprà, num. 49.*
634 An autem hîc detur parvitas materiæ excusans
à peccato? Respondeo affirmativè; Ita Diana 5.
part. tract. 5. resol. 35. Portel. *in additionibus ad du-*
bia regularia, verbo Reliquiæ, *num.* 5 Advertit
tamen Diana *ubi suprà* cum Palao *loc. suprà citato*,
quòd parvitas materiæ ad excusandum à peccato
mortali furtum Reliquiarum spectanda est, non
635 solùm penès solam rei absolutam materiam, sed
earum dignitas, aut æstimatio pensanda est, ac
earum raritas. Unde, qui particulam minimam
ligni Crucis furatus fuerit, absque dubio peccabit
mortaliter; Diana *loc. cit.*
636 Adverte tandem, dantem Reliquias falsas sci-
enter, peccare peccato mortali falsarii; Ita Portel.
637 *ubi suprà, num. 1.* Nec existimo excusare parvi-
tatem materiæ, cùm falsitas sit in re gravissima, &
tantus idemque cultus detur parvæ, quàm magnæ
Reliquiæ: vide supracitatum Urbanum *Tract. 1.*
cap. 25. in fine.

§. 4.

De obligatione non admittendi fœminas intra clausuram monasterii.

638 *Ingressus mulierum in Conventus Religioso-rum, non est prohibitus jure divino sub mortali.*

639 *Nec datur de jure communi talis prohibitio.*

640 *Ex motu Pii V. prohibetur omnibus Prælatis regularibus, ne prætextu alicujus licentiæ mulieres intra clausuram admittant.*

641 *Quas pœnas incurrant tam Prælati admittentes, quàm mulieres ingredientes ex motu Pii V.*

642 GREGORIUS XIII. *ultra pœnas impositas à* PIO V. *admittentibus mulieres intra clausuram virorum, addidit excommunicationem Papæ reservatam.*

643 *Tam subditi, quàm Prælati, admittentes fœminas intra clausuram, incurrunt pœnas à* PIO V. *&* GREGORIO XIII. *statutas.*

644 *Sæculares introducentes fœminas intra monasteria virorum, etiam ob malum finem, non incurrunt prædictas pœnas.*

645 *Idem dicendum est de Regularibus introducentibus fœminas in alienum Conventum.*

646 *Mulieres ingredientes absque prætextu alicujus licentiæ, probabile est non incurrere prædictas pœnas.*

647 *Probabilius est oppositum.*

648 *Religiosi admittentes fœminas, absque prætextu alicujus licentiæ intra clausuram, non incurrunt excommunicationem* GREGORII XIII. *sed tantùm peccant mortaliter, & incurrunt pœnas Motus* PII V.

649 *Etiam ipsæ fœminæ excusantur ab excommunicatione, si bona fide, vel ex ignorantia, etiam supina, & forsan affectata ingrediantur.*

650 *Ex privilegio Pontificis possunt mulieres introduci intra clausuram virorum.*

651 *Mulier ingrediens cum privilegio clausuram virorum, potest secum ducere alias fœminas, quæ eam solent comitari.*

652 *Loco ipsarum potest ducere alias extraneas.*

653 *Quid si in privilegio dicatur, ut non ducat, nisi personas de familia?*

654 *Si in privilegio dicatur, quòd ducat secum tres fœminas, quas semel electas non possit variare, vel mutare, nisi alicujus earum obitu eveniente, si aliqua ex electis est absens, vel ægrota, vel nolit ire, potest aliam loco illius ducere.*

655 *Quid si mulier electa nolit ire persuasa ab alia, ut illi talis locus detur?*

656 *Fœminæ ante usum rationis possunt ingredi virorum monasteria.*

657 *Imperatrices, Reginæ, & illarum filiæ possunt ingredi virorum monasteria.*

658 *Fundatrices possunt ingredi Religiosorum monasteria, si hoc illis in Regula talium Religiosorum permittatur.*

659 *Probabile est hoc etiam illis competere de jure communi.*

660 *Tali privilegio possunt uti Fundatrices in omnibus Religionibus, si non detur lex, vel Constitutio, aut consuetudo in contrarium.*

661 *Mulieres possunt ingredi virorum monasteria casu medendi, vel lactandi infirmum.*

662 *Quomodo hoc sit intelligendum?*

663 *Mulier potest ingredi virorum monasteria tempore pestis ad inserviendum infirmis, si non sit vir, qui eis inserviat.*

664 *Mulier potest ingredi virorum monasteria ad vitandum mortis periculum.*

665 *Item ad evadendas manus satellitum illam insequentium.*

666 *Possunt mulieres admitti intra clausuram ad assistendum divinis officiis cum reliquo populo.*

667 *Quæ veniant nomine* officiorum divinorum?

668 *Prælatus non potest consultò instituere aliquam processionem eo fine, ut fœminæ ingredi possint.*

669 *Prælatus si de facto talem processionem instituat, & mulieres tunc ingredientes non peccant contra has Constitutiones Pontificum, nec earum pœnas incurrunt.*

670 *Tantùm peccat venialiter Prælatus propter aliqualem abusum potestatis.*

671 *Mulieres tunc ingredientes etiam ob malum finem, nullum peccatum committunt præter peccatum mali finis.*

672 *Mulieres ingredientes in casibus sibi permissis ob solam intentionem mali finis, non frangunt præceptum clausuræ, nec ejus pœnis afficiuntur, etiamsi ibi fornicentur.*

673 *Si finitis officiis divinis fœminæ non statim exeant, sed diutiùs immorentur, peccant mortaliter, secùs si parum.*

674 *Etiamsi multùm se detineant, non incurrunt pœnas harum Constitutionum.*

675 *Idem dicendum est de Religiosis, si eas invitent, vel detineant.*

676 *Idem dicendum est, si fœminæ, postquam licitè ingressæ sunt, ingrediantur interiora loca monasterii, & ibi immorentur, etiam ob malum finem.*

677 *Idem dicendum est, si fœmina per ignorantiam ingrediatur clausuram, & postea ablata ignorantia se ibi detineat.*

678 *Idipsum dicendum est de Religiosis, qui sic ingressas comitantur, vel ad cibum, vel potum invitant, si eas excludere ad illos non pertineat, vel eas ad ingressum non invitârunt.*

679 *Prælati, & Janitores tenentur fœminas impedire, ne clausuram ingrediantur.*

680 *Religiosi invitantes fœminas ad ingressum, incurrunt prædictas pœnas.*

681 *Religiosus occultans bono fine fœminas licitè vel illicitè ingressas, non incurrit prædictas pœnas.*

682 *Mulieres ingredientes virorum monasteria in casu, quo ibi nullus Religiosus existat, non incurrunt prædictas pœnas.*

683 *In nostra Religione datur præceptum adjuncta excommunicatione, & aliis pœnis contra admittentes per se, vel per alios fœminas intra clausuram, vel ad hoc auxilium præbentes, & eas comitantes.*

684 *Has pœnas non incurrunt Religiosi introducentes fœminas intra claustra, quando per illa fiunt processiones, benè tamen, si illas introducant quando in claustris alia divina officia celebrantur.*

685 *Religiosi introducentes fœminas intra nostra monasteria, in casu, quo habeant Pontificis privilegium, non incurrunt pœnas nostrarum Constitutionum, dummodo in tali privilegio illis derogetur in hac parte.*

686 *In hoc casu potest mulier secum ducere mulieres, quæ illam ad decentiam solent comitari.*

687 *Idem dicendum est de Imperatricibus, Reginis, & earum filiabus.*

688 *Nostri Religiosi non possunt admittere fundatrices intra clausuram absque incursu prædictarum pœnarum.*
689 *Possunt admittere fœminas cujuscumque status in casibus urgentis necessitatis, ut si mulier ingrediatur causa medendi, vel lactandi infirmum, vel ad mortem, vel manus satellitum evadendam.*
690 *Introducentes fœminas, cujuscumque status & conditionis existant, intra situm pro clausura nostrarum eremorum assignatum, vel qualitercumque ad hoc auxilium præbentes, incurrunt excommunicationem.*
691 *Hanc excommunicationem etiam ipsæ mulieres ingredientes incurrunt.*
692 *Hæc excommunicatio non est reservata.*
693 *Non incurritur, nisi detur præsumptio.*
694 *Ignorantia, etiam crassa, & supina, excusat ab illius incursu.*
695 *Hanc censuram incurrunt etiam sæculares, mulieres intra situm eremorum pro clausura assignatum introducentes.*
696 *In hac prohibitione non includuntur Imperatrices, & illarum filiæ, vel Reginæ.*
697 *Nec mulieres eas comitantes secundùm decentiam sui status.*
698 *Hæc prohibitio non comprehendit fœminas, quæ ob urgentissimam causam eremum ingrediuntur, ut ad evadendam mortem, &c.*
699 *Quid nomine monasterii virorum, in quod ingressus fœminarum interdicitur, intelligatur?*
700 *Prædia, domus rusticæ, & horti à Conventu separati, non veniunt nomine monasterii.*
701 *Idem dicendum est de monasteriis nondum fabricatis, sed fabricari inceptis, ubi non est Communitas Religiosorum, sed aliqui pro fabrica.*
702 *Idem dicendum est de infirmariis in civitate positis.*
703 *Idem dicendum est de atriis scholarum Societatis, contiguis Collegiis illorum, & de domibus, quæ vulgò dicuntur residentiæ, si residentia ibi sit ad tempus, secùs, si sit perpetua, habens Ecclesiam cum Eucharistia.*
704 *Hospitia, si in eis semper sint Religiosi, & divinum officium recitent in Choro, etiam si in eis Eucharistia non sit, veniunt nomine monasterii quoad hunc effectum.*
705 *Qui possint designare terminos clausuræ?*
706 *Designata semel clausura, adhuc Prælati regulares possunt auferre clausuram ab aliquo loco.*
707 *De qua clausura hoc sit intelligendum?*
708 *Pœnæ excommunicationis, & suspensionis à divinis, in his Constitutionibus latæ, incurruntur ipso facto ante sententiam Iudicis.*
709 *Non tamen privationis officiorum, & inhabilitatis ad illa, sed post sententiam Iudicis.*

PRo explicatione hujus paragraphi notandum 638
est, ingressum mulierum in Conventus virorum de jure divino non esse prohibitum sub mortali, seclusis circumstantiis periculi, vel mali finis; ut cum aliis docet Delbene *Tom.* 1. *cap.* 19. *dub.* 76. *num.* 1. Nec etiam datur de jure communi talis 639
prohibitio, sed tantùm per Motum Pii V. in quo prohibet omnibus Prælatis regularibus, & Religiosis, ne prætextu alicujus licentiæ, mulieres 640
intra clausuram admittant sub pœnis privationis officiorum, & inhabilitatis ad illa, & suspensionis à divinis ipso facto incurrendis, & ipsis mulieri- 641
bus sic ingredientibus imponit pœnam excommunicationis latæ sententiæ sibi reservatam, quam prohibitionem confirmavit GREGORIUS 642
XIII. & pœnis à PIO V. latis contra Prælatos monasteriorum, & Religiosos admittentes fœminas intra monasteria, addidit pœnam excommunicationis Papæ reservatam. His suppositis:

Dico I. Religiosi, tam subditi, quàm Prælati, 643
admittentes mulieres, etiamsi sint Ducissæ, vel Comitissæ sub prætextu alicujus licentiæ intra clausuram suorum monasteriorum, peccant mortaliter, & incurrunt pœnas prædictas. Hoc est certum, & constat ex suprà dictis Motibus.

Dixi, *Religiosi, tam subditi, quàm Prælati*; nam 644
si viri sæculares introducant fœminas intra Religiosorum monasteria, etiam ob malum finem non subjacent pœnis contentis in dictis Motibus; nam in pœnis non fit extensio ob rationis identitatem, & eæ quàm maximè restringi debent; Pellizzarius *Tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 61.

Dixi, *suorum monasteriorum*; nam si introducant mulieres in aliena monasteria, licèt aliàs 645
peccent mortaliter, peccato mulierum cooperando, tamen non incurrent prædictas pœnas; Bordonus *Tom.* 2. *resol.* 76. *num.* 43. Pellizzarius *Tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 26.

Dico II.

646 Dico II. Licet satis probabile sit mulieres in-
gredientes absque prætextu licentiarum non in-
currere prædictas pœnas, tam Motus Pii V. quam
Gregorii XIII. nec eas introducentes, ut docent
Rodrig. Suarez, Philiarchus, quos refert & sequi-
647 tur Delbene *ubi supra dubio* 76.*num*.1. Probabilius
tamen est Motum Pii V. comprehendere omnes
mulieres, etiam licentias non prætendentes, ita
namque postea Pius V. declaravit suam mentem;
Ita communiter Doctores apud Delbene *loc.cit.nu-
mer*.10. quam declarationem cùm solus Pius V. &
648 non Gregorius XIII. expresserit, sequitur Reli-
giosos admittentes tales mulieres intra clausuram,
non incurrere excommunicationem Gregorii
XIII. sed tantùm peccare mortaliter, & incurrere
pœnas Motus Pii V. Imo etiam ipsæ mulieres ex-
649 cusantur ab excommunicatione, si bona fide, vel
ignorantia etiam crassa, & supina, quin & for-
san affectata ingrediantur; quia in tali Motu
Pii V. ad hanc excommunicationem incurrendam
requiritur præsumptio, & audacia, & sic scien-
tia legis, atque saltem virtualis contemptus; ita
cum Bonacina Delbene *Tom*.1.*cap*.19.*n*.10.

Dico III. In aliquibus casibus non obstantibus
prædictis prohibitionibus, possunt mulieres ad-
mitti intra Conventus Religiosorum.

650 Primus, si sit privilegium summi Pontificis post
prædictum Motum Pii V. & Gregorii XIII. Del-
651 bene *Tom*.1. *cap*.19.*dubio* 78. *num*.12. In quo casu
potest etiam talis fœmina secum ducere alias fœ-
minas, quæ eam solent comitari, dummodo paucæ
sint, & seniores, & bonæ famæ; non enim creden-
dum est Pontificem tale privilegium concedentem
velle nobilem illam fœminam ingredi aliter ac de-
cet statum, & conditionem ipsius; Ita Sanchez,
652 quem refert, & sequitur Pellizzarius *loc.cit. num*.
53. qui addit & bene, posse etiam loco illarum fœ-
minarum, quæ sunt de familia ducere alias extra-
neas, nisi aliàs in privilegio exprimatur, ut non du-
653 cat secum, nisi personas de familia, nam cum illi
licitum sit ducere secum aliquas fœminas, non ap-
paret cur magis has, quam illas possit secum du-
cere.

654 Idem dicendum est, si in privilegio conceda-
tur, quod ducat secum tres fœminas, quas semel
electas non possit variare, nec mutare, nisi alicu-
jus earum obitu interveniente, nam si aliqua ex
electis absens est, vel ægrota, aut nolit ire, fieri
potest mutatio: nam cum hoc privilegium sit fa-
vorabile latè interpretandum est, ac proinde so-
lum excludit mutationem voluntariam non neces-
sariam: Ita Peyrinis *in formulario littera M.cap*.3. 655
num.4. Pellizzarius *Tract*.10. *cap*.5.*num*.137. qui
addit hoc esse verum, etiamsi fœmina electa nolit
ingredi instigata, & persuasa ab alia, ut illi talis
locus detur, quod est valde notandum, quidquid
in contrarium dicat Bordonus *in decisionibus de-
cis*. 85.

Secundus. Possunt ingredi fœminæ in virorum 656
monasteria, si nondum habuerint usum rationis,
cùm harum ingressus nullibi prohibeatur. Lezana
Tom.1.*cap*.10.*num*.10. Delbene *ubi supra*, & alii
communiter.

Tertius, si sint Imperatrices, Reginæ, vel illa- 657
rum filiæ, nam istæ propter excellentiam sui nomi-
nis nunquam censentur comprehensæ sub disposi-
tionibus odiosis, nisi in illis exprimantur. Bordon.
Tom.2.*resol*.76.*num*.35. Suar. Layman. Bonacin.
quos refert, & sequitur Pellizzarius *ubi supra num*.
42. Delbene *Tom*. 1. *cap*. 19. *dubio* 74. *num*. 1.

Quartus, si sint Fundatrices, & in Regula ta- 658
lium Religiosorum talis licentia Fundatricibus
concedatur; nam cùm Gregorius XIII. decla-
raverit Motum Pii V. non derogare Regulæ Mini-
morum, in qua hujusmodi licentia Fundatricibus
conceditur; idem de aliis Religionibus necessariò
dicendum est; ita cum Rodrig. Delbene *loco citat.
dub*. 75. *num*. 2. Imo Pellizzarius *ubi supra num*.
44. cum Suar. existimat hoc privilegium compe- 659
tere omnibus fundatricibus de jure communi, ac
per consequens omnes Religiones illo uti posse, ni- 660
si detur consuetudo in contrarium.

Quintus, si mulier ingrediatur causa medendi
Religioso infirmo, ut si in oppido præter fœminam 661
non sit, qui certo morbo mederi noverit; verbi gra-
tia, qui confracta ossa aut crura, vel brachia ac-
commodare sciat; item si judicio medicorum in- 662
firmus indigeat lacte fœminæ, & hic in dictis casi-
bus non possit è claustro tuto amoveri; non enim
obligat præceptum clausuræ in tanta necessita-
te. Rodrig. Lezana, Bonacina, Sorbus, quos 663
refert, & sequitur Delbene *ubi supra n*. 13.

Idem dicendum est, si tempore pestis non ades-
set vir pro servitio infirmorum. Bordon. *Tom*.2. *re-
sol*.76.*num*.27.

Sextus, si mulier ingrediatur, ut mortem præ- 664
sentem fugiat, quam aliter evadere non potest, nisi
clausuram ingrediendo; iste namque ingressus non
est temerarius sed necessarius. Coriolanus, quem
refert, & sequitur Bordon. *Tom*.1.*resol* 76.*num*.33.

vel si ingrediatur clausuram ad evadendas manus
665 satellitum, illam insequentium. Sanchez, quem refert & sequitur Pellizzarius *ubi supra n.* 56.

Septimus, si admittantur mulieres cum reliquo
666 populo intra claustra monasterii, ut divinis officiis intersint; ita concessit Prus V. in Bulla, quæ incipit *Decet Romanum Pontificem.* Nomine autem *divinorum officiorum* veniunt non solum missa, & ad-
667 ministratio Sacramentorum, sed etiam recitatio publica horarum canonicarum, Psalmorum gradualium, & pœnitentialum juxta ordinem Breviarii. Item si concio aliqua in claustro habeatur, vel ibi aliquis sepeliatur, vel aliqua sacramentalia solemniter in illo celebrentur, ut benedictio templi, sacrorum vasorum, corporalium, vestium sacerdotalium, candelarum in die Purificationis, & ramorum in Dominica Palmarum, solemnis benedictio aquæ in Sabbato sancto, asperges solemne in die Dominico, benedictio episcopi, processio solemnis, recitatio litaniarum crucis, &c. Ita cum aliis Bordon. *ubi supra n.* 29.

Item si ibi fiat solemnis adoratio crucis cum adorationibus ab Ecclesia institutis in die Parasceva, vel solemniter cantetur epistola, vel evangelium, vel fiat lotio pedum in die cœnæ Domini, vel fiat aliqua Professio Religiosa; Ita Sorbus, Peyrinis, Rodrig. Lezana, Bonacina, quos refert, & sequitur Delbene *ubi supra num.* 22. & idem dicendum est, si quis in claustro admittatur ad suscipiendum habitum; Ita Delbene *ibidem num.* 20. Pellizzarius *Tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 46. quidquid dicat in hoc casu Lezana; nam tunc ibi fieri solet pia exhortatio, & recitantur preces, quæ veniunt nomine *divinorum.* Imo addit Rodriguez *in expositione cruciatæ num.* 16 quod si femina nobilis petat dici missam in capella posita in claustro, hujus missæ audiendæ causa posse ingredi prædictam fœminam cum aliis feminis illam comitantibus, quam sententiam admittit Portel. *in additionibus ad dubia regularia*, *verbo* clausura monachorum *n.* 5. Delbene *loc. cit. n.* 22. licet dicat se nunquam hoc vidisse.

Sed quæres an consultò possit Prælatus regularis instituere aliquam processionem eo fine, ut mulieres ingredi possint ratione illius? Respondeo ne-
668 gativè; quia hic finis curiositatis malus est, Prælatus tamen ita faciens, nec ipsæ mulieres ingredi-
669 entes non peccabunt contra Constitutiones Pontificias hunc ingressum prohibentes, ita ut earum pœnis afficiantur; nam cum Pius V. concedat feminis, ut ingredi possint claustra, dum processiones fiunt, nec limitet ad has, vel illas processiones, non est cur tale indultum magis ad processiones ordinarias, quam extraordinarias extendatur; Ita Coriolan. Bonacina, Sanch. Rodrig. Sorbus, Portel quos refert, & sequitur Bordon. *Tom.* 2. *resol.* 76. *num.* 25. Delbene *loc. cit. num.* 19. Pellizzarius *num.* 47.

An autem Prælatus talem processionem insti- 670
tuens peccet mortaliter propter abusum potestatis? existimo respondendum negativè, si absit prava intentio mali finis, sed vel nullo modo peccare, ut existimat Portel, & Pellizzarius *n.* 47. vel tantùm peccare venialiter ratione cujus peccati dignus pœna est, Coriolanus 2. *part. casu.* 3. *num.* 34. Delbene *loc. cit.*

Mulieres tamen ingredientes nullo modo pec- 671
cant, seclusa intentione pravi finis, quia utuntur jure suo Delbene *loc. cit. numer.* 16. imo si intrent tam in hoc, quàm in aliis casibus sibi jure permissis, intentione mali finis; verbi gratia, forni- 672
candi, & non interessendi divinis officiis, adhuc etiamsi ibi fornicentur, non violabunt præceptum clausuræ, nec pœnas illas incurrent, quia tunc temporis non est eis ingressus interdictus, sed concessus, quamvis aliunde malus: Ita Sorbus Rodrig. & alii quos refert, & sequitur Pellizzarius *ubi supra num.* 50.

An autem finitis officiis, si fœminæ non statim exeant, vel si Religiosi in causa sint, ut detineantur, 673
peccent mortaliter, & incurrant pœnas supradictorum Motuum? Respondeo peccare quidem mortaliter, si diutius immorentur; si tamen per breve tempus detineantur, neque venialiter peccare, si namque diutius immorentur violant mentem 674
Papæ in præfata concessione in re gravi. Sanchez, Bonacina, quos refert, & sequitur Pellizzarius 675
loc. cit. numer. 48. non incurrunt tamen censuras, & pœnas impositas illicitè ingredientibus: Ita Sanctius, quem refert, & sequitur Pellizzarius *ibidem,* Delbene *num.* 26. licet contrarium teneant Rodrig. & alii.

Idem dicendum est, si fœminæ postquam legi- 676
timè ingressæ sunt, ingrediantur interiora loca Conventus, & ibi immorentur, etiam ob malum finem, nam licet peccent, & quidem mortaliter, non tamen incurrunt prædictas pœnas. Pellizzarius *ibidem* Delbene *num.* 27. nam excommunicatio fertur contra fœminas ingredientes, non verò in immorantes, vel ulterius progredientes. Et idem 677
dicendum est, si bona fide fœmina ingrediens locum

cum subjectum clausuræ, ignorans illum contineri sub clausura, si deposita bona fide ibi diutius ob malum finem immoretur; nam censuræ tantum sunt impositæ ingredientibus illicitè, non verò immorantibus, hæc autem mulier non illicitè, sed licitè ingressa est, ratione bonæ fidei: ita cum aliis Pellizzarius *num.* 52.

678 Et idem dicendum est de Religiosis, qui sic ingressas comitantur, seu ad cibum, & potum invitant, si eas excludere ad illos non pertineat ex officio, ut sunt Prælati, & Janitores, nec eas ad ingressum invitârunt. Portel. *in additionibus verbo* clausura monachorum *numer.* 3. & ut probabile docet Delbene *ubi supra numer.* 27. licet oppositum teneat cum Sorbo Rodrig. Sanch. Bordon. *Tom.* 2. *resolut.* 76. *numer.* 36. Dixi *si eas excludere ad illos non pertineat ex officio*: nam si fuerint Prælati, vel Janitores tenentur eas impedire, si possunt, alias indirectè cooperantur ad earum ingressum. Portel. *ubi supra numer.* 62. Sanch. Suar. quos refert, & sequitur Pellizzarius

679 *loc. cit. num.* 62. Dixi *nec eas ad ingressum invitârunt*, nam si eas ad ingressum invitârunt, vel aliquo positivo modo fecerunt ingredi, incurrunt prædictas pœnas, quia jam tunc directè admitterent; Portel, Sanch. Suar. Pellizzarius *loc. cit.*

680 non tamen incurret prædictas pœnas Religiosus occultans fœminam licitè, vel illicitè ingressam, si eam occultet bono fine, postquam ingressa est, ut propter honorem fœminæ, vel fratris. Rodrig. quem refert, & sequitur Portel. *loc. citat. num.* 4.

681 An autem mulieres ingredientes virorum monasteria in casu, quo nullus Religiosus ibi existat,

782 incurrant prædictas pœnas? Respondeo satis probabile esse non incurrere, cum cesset per accidens in hoc casu finis legis prohibentis, & cessante fine legis prohibentis in aliquo casu per accidens, probabile est cessare legem; Ita Pellizzarius *ubi supra num.* 64.

Adverte tamen hæc omnia dicta procedere stan-

683 do tantum in jure communi, & in prohibitionibus prædictorum Motuum PII V. & GREGORII XIII. nam si de jure speciali loquamur, debet unusquisque consulere sua Statuta, in nostra namque Religione Carmelitana Excalceata datur præceptum adjuncta excommunicatione latæ sententiæ, contra Religiosos, sive Prælatos, sive subditos, tam laicos, quam donatos primæ, & secundæ Professionis, qui advertenter per se, vel per alios introducunt mulieres intra clausuram, vel ad hoc auxilium præstant, vel eas comitantur, & si Prælati fuerint, ultra prædictam censuram incurrunt suspensionem ab officiis per sex menses, & si subditi, privationem vocis, & loci per idem tempus, si vero laici & donati, ultra prædictam censuram arbitrio Prælati remittuntur pro qualitate delicti puniendi, ut patet *ex secunda parte nostrarum Constitutionum cap.* 9. *num.* 7.

Nota tamen circa hanc Constitutionem prædictas pœnas, & censuras non incurri à nostris Religiosis, si quando fiunt processiones, per claustra 684 introducant, vel aliquo modo concurrant ad introductionem mulierum intra claustrum monasterii; sed in hoc casu tantum incurrere prædictos Religiosos suspensionem ab officiis per duos menses, ut declaravit eademmet nostra Constitutio *ibidem num.* 6. qua pœna cùm solùm sint capaces Prælati, & illi, qui officio aliquo funguntur honorabili, ut sunt Definitores, Consiliiari, Lectores, & Superiores, & non Religiosi privati, cum officiis similibus careant: Inde est solos prædictos incurrere prędictam pœnam suspensionis ab officiis; Ita Bordonus *Tom.* 2. *resol.* 76. *n.* 63.

SECUNDO nota prædictam limitationem pœnarum solum esse pro Religiosis introducentes mulieres in casu, quo fiat processio. Unde si illas introducant quando in Claustris celebrantur alia officia Divina supra enumerata, absque dubio incurrent excommunicationem, & alias pœnas supradictas. Et ratio est, tum, quia verba legis casum processionum tantum exprimunt: ergo alii excluduntur. Tum, quia casus processionis non fuit expressus per modum exempli, sed præcisè, limitativè: ergo excludit consortium aliorum casuum; Ita in simili casu Bordon. *in decisionibus, decisione* 85.

TERTIO nota non incurrere prædictas pœnas Religiosos introducentes fœminas intra clausu- 685 ram in casu, quo habeant speciale Pontificis privilegium, dummodo in tali privilegio derogetur specialiter huic nostro instituto; alias prædictas pœnas incurrunt; Bonacina, Sanchez, Suarez, Reginald. quos refert, & sequitur Pellizzarius *loc. cit. num.* 57. non enim præsumitur velle Principem statutis inferiorum derogare, nisi id exprimat *cap.* 1. *de const. in* 6.

An autem in hoc casu possit talis mulier privilegiata secum ducere aliquas fœminas ad suum 686

decen-

decentem comitatum necessarias, ut supra diximus? existimo respondendum affirmativè propter rationem *ubi supra* assignatam. Et idem dicendum
687 existimo de Imperatricibus, & Reginis, & earum filiabus; nam hæ propter excellentiam sui nominis, semper videntur exclusæ à legibus pœnalibus, nisi exprimantur.
688 Non possunt tamen admittere Fundatrices, cum nec in Regula, nec in nostris Constitutionibus talis facultas eis concedatur, imo datur in omni
689 Religione fermè consuetudo in contrarium. Possunt tamen admittere fœminas casibus urgentis necessitatis, ut si mulier ingrediatur causa medendi infirmo, quia non est vir, qui tali morbo sciat mederi.

Item si judicio medicorum infirmus indigeat lacte fœminæ, & aliàs infirmus non possit deferri ad locum extra clausuram; vel si tempore pestis non adsit vir pro servitio infirmorum, non enim obligat præceptum clausuræ in tanta necessitate, ut *supra* diximus.

Idem dicendum est, si mulier ingrediatur ad evadendam mortem, vel manus satellitum; sed hoc in gravissimo casu, & absque scandalo.
690 QUARTO nota, dicta procedere de nostris Conventibus, non verò de nostris eremis, qui in unaquaque provincia construuntur: nam introducentes mulieres, cujuscumque status, & conditionis existant in prædictarum eremorum situm pro clausura assignatum, seu qualitercumque auxilium, & favorem ad introeundum eis dederint, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, quam censuram, tam ipsæ mulieres, quàm omnes,
691 qui illas introducere præsumunt, incurrunt, ita concessit GREGORIUS XV. Bulla 3. apud nostrum *Compendium folio* 306. Circa quam Bullam adverte, prædictam excommunicationem non esse reser-
692 vatam, nemini enim reservatur. Deinde non incurritur, nisi detur præsumptio; unde ignorantia
693 etiam crassa, & supina excusat ab illius incursu, cum in illa requiratur præsumptio, & audacia, ut
694 in simili casu *ubi supra* diximus cum Delbene *Tom.* 1.*cap.*19.*num.*10.
695 An autem incurratur etiam à sæcularibus, qui tales mulieres introducunt? Respondeo affirmativè, nam illa clausula, *omnis*, neminem excludit. An autem in hac prohibitione includantur Impe-
696 ratrices, Reginæ, & illarum filiæ? Respondeo negativè; Nec obstat quod excludat mulieres cujuscumque status, & conditionis, nam istæ propter excellentiam sui nominis, nunquam censentur comprehensæ in dispositionibus odiosis, nisi in illis exprimantur. Rodrig. Sanchez, quos refert, & sequitur Bordon. *Tom.* 2.*resol.*76.*num.*35. quod etiam ad mulieres eas comitantes, quantum sufficit ad earum decentem comitatum extende, ut supra diximus.

Tandem adverte hanc prohibitionem GREGORII XV. non comprehendere fœminas, quæ ra- 697
tione alicujus necessitatis urgentissimæ ingrediun- 698
tur, ut ad medendum infirmo, quando aliter illi subveniri non potest, ad fugiendam mortem, ut suprà diximus, loquendo de Motibus PII V. & GREGORII XIII.

DICO IV. Nomine monasterii in quo fœmi- 699
narum ingressus prohibetur, veniunt solùm, quæ sunt intra monasterii ambitum, seu septa, quæ una clausura clauduntur, ut sunt Claustra, Officinæ, Culina, Refectorium, Dormitorium, Cameræ inferiores, & superiores, Granaria, horti & viridaria & similia, quovis nomine appellentur: Chorus, quando ad eum non patet aditus per Ecclesiam, sed per monasterium, certum est contineri sub clausura, maximè, quando situs est in loco superiori, si verò ad eum sit aditus per Ecclesiam non continetur sub clausura. Idem dicendum est de Sacristia, si ad eam similiter sit accessus per Ecclesiam sine transitu per claustra, nec ad claustrum habeat januam; Ita cum aliis communiter Delbene *Tom.* 1. *cap.* 19. *dubio* 77. & cum aliis Bordon. *Tom.*2.*resol.*76.*n.*6. *&* 36. ubi addit Sacristiam non contineri sub clausura, si ad eam sit aditus per Ecclesiam, etiam si habeat ostium ad claustra, contra Bonacinam. *q*, 5. *de clausura part.*1.*num.*2.*&* 4.

An autem veniant nomine monasterii Religio- 700
sorum prædia, domus rusticæ, & horti à monasterio separati? Respondeo negativè; Ita cum aliis Delbene *ubi supra num.* 4. licet aliàs ad hæc loca, non deceat mulieres introducere.

Idem dicendum est de monasteriis nondum fabricatis, sed fabricari inceptis, ubi non est Com- 701
munitas religiosorum, sed tantùm aliquis, vel aliqui pro fabrica, quia illa verè non sunt monasteria.

Idem dicendum est de domibus, seu infirma 702
riis in civitate positis, cum nec Ecclesiam, nec Conventum habeant, ita cum aliis Lezana *loc.cit. num.* 11. Delbene *num.* 8. *&* 9. *&* 10. Idem dicendum est de atriis scholarum Societatis contiguis collegio Societatis, & de domibus, quæ 703
vulgo

vulgo dicuntur, *Residentiæ*, si tantum ibi sit residentia ad tempus, secus si sit residentia perpetua habens Ecclesiam cum Eucharistia; Ita cum aliis Delbene *num.* 15. Secus dicendum est de Prioratibus, quos habent aliquæ Religiones monachales, quia sunt vera monasteria. Delbene *num.* 10. Lezana *loc. cit. num.* 11.

704 Et idem existimo de hospitiis, quæ aliquæ Religiones habent in magnis civitatibus, si in eis sit Ecclesia, etiamsi non habeat Eucharistiam, dummodo in ea quotidie divinum officium recitetur in Communitate, saltem à tribus Religiosis, qui perpetuo ibi assistant; nam tale hospitium est verus Conventus, ut supra diximus cum Portel. *in additionibus ad dubia regularia* verbo *monasterium num.* 1. Moronius *resp.* 86. *num.* 21.

705 Tandem designare terminos extra quos Religiosi non possint sine licentia exire, spectat ad Prælatos ipsorum, quia hi sunt Ordinarii judices, & pastores ipsorum. Delbene *loc. cit. numer.* 17.

706 An autem semel designata clausura, possint Prælati regulares eam variare, auferendo obliga-
707 tionem clausuræ ab aliquo loco? Respondeo affirmativè, si sermo sit de clausura arbitraria, ut si coarctet viridaria: Secus dicendum est de clausura necessaria, qualis est, quæ competit Refectorio, Claustro, Dormitorio, &c. Pellizzarius *loc. cit. num.* 28.

708 Adverte tandem, quod licet prædictæ excommunicationes, & suspensiones à Divinis, incurrantur ipso facto ante sententiam judicis, non tamen pœnæ privationis officiorum, & inhabi-
709 litatis ad illa; Ita Suar. Sanchez, & alii, quos refert, & sequitur Pellizzarius *ubi supra num.* 63. Delbene *ubi supra dub.* 8. *num.* 1. Videantur circa dicta in hoc § nostri Gabriel in supracit. Opere *disp.* 6. *quæst.* 6. *num.* 261. *& seqq.* & Urbanus *Tract.* 2. *part.* 2. *distinct.* 1. *cap.* 5.

* * *

§. 5.

De obligatione non transeundi ab Ordine Mendicante in non Mendicantem.

710 *Mendicantes prætextu privilegii non possunt transire ad non Mendicantes, Carthusiâ excepta, sine licentia Sedis Apostolicæ sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ, tam in intrantes, quàm in recipientes latæ.*

711 *Quas Religiones hæc prohibitio comprehendat?*

712 *Hæc prohibitio non solum comprehendit, qui ad professionem, sed etiam qui ad novitiatum recepti sunt.*

713 *Non comprehendit Religiosos ejectos in perpetuum.*

714 *Qui transeunt sine prætextu privilegii, non incurrunt hanc excommunicationem.*

715 *Hæc licentia debet esse specialis non tamen requiritur, ut in illa nomen personæ exprimatur.*

716 *Papa potest concedere licentiam, ut totus unus Ordo Mendicans transeat ad non Mendicantem.*

717 *Patres Societatis ex privilegio possunt transire ad alium Ordinem non Mendicantem de licentia sui Generalis.*

718 *Hoc privilegio gaudent alii Religiosi Mendicantes, cum eis in privilegiis communicantes.*

719 *Hæc Extravagans quoad licentiam Sedis Apostolicæ non est usu recepta*

720 *Quibus actibus priventur Mendicantes, qui auctoritate Sedis Apostolicæ transeunt ad non Mendicantes, excepta Carthusia?*

721 *Mendicantes translati ad Carthusiam possunt ibi habere omnes prælaturas, & præeminentias, ac alii Carthusienses.*

722 *Idem dicendum est de Episcopo Ordinis Mendicantis translato, deposito Episcopatu, ad non Mendicantes.*

723 *Mendicantes etiam de licentia suorum Prælatorum, stando in jure communi, non possunt transire ad non Mendicantes, etsi strictiores videantur, sine licentia Papæ.*

724 *Mendicantes de licentia suorum Prælatorum possunt transire ad alium Ordinem Mendicantem strictiorem, dummodo serventur juris communis conditiones.*

scripta etiam sine licentia Prælati Religionis à qua transit.

767 *Religionis incapacis bonorum Religiosus transiens ad Religionem capacem potest adire omnes hæreditates sive ab intestato, sive testamento facto, post talem transitum.*

768 *Potest etiam adire hæreditatem delatam tempore, quo erat incapax, si tempore, quo factus est capax talis hæreditatis, non sit adita per successores ab intestato.*

769 *Idem dicendum est de Religioso, qui ante professionem in Religione incapaci reservavit aliqua bona, casu, quo transiret ad aliam Religionem capacem.*

770 *Idem dicendum est de hæreditate ex testamento, si testamentum fuit factum tempore, quo Religiosus erat sæcularis, & tempore mortis testatoris jam sit translatus ad Ordinem capacem, si talis hæreditas adhuc non sit adita ab hæredibus ab intestato.*

771 *Quid si testamentum fuit factum tempore quo ille erat incapax?*

772 *Quid si testator fuerit mortuus antequam ipse hæreditatis fuerit capax?*

773 *Quid si transeat ab Ordine capaci ad incapacem hæreditatis?*

710 DICO I. Mendicantes prætextu privilegii alicujus non possunt transire ad non Mendicantes, excepta Carthusia, sine expressa licentia summi Pontificis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Papæ reservata, tam in ingredientes, quam recipientes, ita habetur *in Extravaganti* viam ambitiosæ *de regularibus*: quæ prohibitio comprehendit etiam Mendicantes Religiones postea erectas, ut est Societas JESU, etiam quoad illos, qui votis tantum simplicibus sunt astricti.

711 An autem comprehendat etiam illos, qui tantùm ad novitiatum, non verò professionem recepti
712 sunt? Respondeo affirmativè, ut patet ex verbis textus ubi dicit, *quod sive professionem emiserint, sive non, sub dicta pœna teneantur*: ita Pellizzarius
713 *Tract.* 7. *cap.* 1. *n.* 132. non tamen comprehendit Religiosos ejectos in perpetuum, ita cum Bonacina, & aliis Pellizzarius *ubi supra num.* 129. nam cum talis Ordo non sit amplius recepturus talem Religiosum, nullum patitur damnum de tali receptione, ac per consequens salvatur finis præsentis Extravagantis: secus dicendum est, si ad tempus ejiciatur.
714 Dixi *prætextu alicujus privilegii*, nam si transeant absque tali prætextu non incurrunt prædictam excommunicationem, nisi fortè in illo Ordine extet privilegium prohibens talem transitum, quale de facto habent nonnulli Ordines: ita Sanchez, quem refert, & sequitur Bonacina *de clausura q.* 2. *p.* 9. §. 5. *dif.* 2 *num.* 12. & nost. Gabriel a S. Vincent. *disp.* 4. *q.* 8. *num.* 182. nam cum in tali Extravaganti solùm hic transitus prætextu alicujus licentiæ prohibeatur, non est cur eam ampliemus, cum sit in materia pœnali.

DICO II. Hæc licentia debet esse specialis, non 715
tamen, ut talis dicatur, requiritur, quod exprimatur persona, & Religio à qua faciendus est transitus, sed sufficit, quod nominetur sub ratione communi Mendicantium, & similiter Religio ad quam fit transitus nominetur sub ratione non Mendicantis, sic namque subsistit specialitas licentiæ requisita in prædicta Extravaganti; Ita Bonacina *de clausura q.* 2. *p.* 9. *dif.* 2. *n.* 15. Pellizzarius *ubi supra* 716
n. 125. Hinc fit posse Papam concedere licentiam toti alicui Ordini Mendicanti ad transeundum ad alium Ordinem non mendicantem nullo Religioso illius in particulari expresso, & tamen illa concessio esset valida, cum aliud sit licentia specialis, & aliud expressio personæ particularis.

DICO III. licet hæc ita sint de jure communi, ex privilegio tamen possunt Patres Societatis transire ad alium Ordinem etiam non mendicantem de licentia sui Generalis, Ita concessit PAULUS III. 717
PIUS IV. & PIUS V. & GREGORIUS XIII. ut testatur Suarez, Sanctius, quos refert, & sequitur Palaus *Tract.* 16. *disp.* 4. *part.* 26 §. 6. *num* 8. Pellizzarius *n.* 126. Bonacina *Tom.* 3. *disp.* 3. *de censuris quæst.* 9. *part.* 1. *num.* 6. Quæ concessio non solùm suffragatur illis, qui ob sua demerita ejiciuntur à Religione, sed ad omnes illos, quibus Generalis judicaverit convenire, ut notavit Palaus *ubi supra*; qua concessione existimo gaudere etiam omnes Religiones communicantes cum Patribus 718
Societatis in privilegiis; nam licet in prædictis Bullis detur clausula negativa communicationis, probabile tamen est, non obstante tali clausula prædicta privilegia communicari aliis Religionibus, quia sequentes Pontifices confirmârunt Communicationes privilegiorum inter Mendicantes sine tali restrictione, ut docet Rodrig. *Tom.* 1. *quæst.* 55. *art.* 17. Cruz *lib.* 2. *cap.* 4. Diana 3. *part. tractat.* 2. *resolut.* 81. & noster Urbanus *Tract.* 2. *part.* 1. *cap.* 3. Deinde quia dicta Ex- 719
travagans non est usu recepta quoad licentiam sedis Apostolicæ, ut ex Lessio, & Sanctarello adver-

tit Bonacina *ubi supra n.* 10. Pellizzarius *ubi supra num.* 133.

Dico IV. Mendicantes, qui auctoritate etiam Apostolica transeunt ad non Mendicantes, excepta
720 Carthusia, privantur primò voce activa, & passiva, & loco in Capitulo *ex Clementina* 1. *de Regularibus*, etiamsi hoc illis ab aliis concedatur; ita Bonacina *de clausura q.* 2. *part.* 9. §. 5. *num.* 2. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 22. *num.* 21. Portel. *in dubiis regularibus verbo* transitus ad alium Ordinem *num.* 16. Sanchez 6. *in Decal. cap.* 7. *num.* 123. Belasius *verbo* transitus *num.* 32. Non tamen privantur loco in Choro, & Refectorio, Lezana *Tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 67. Belasius *ubi supra num.* 12.

Præterea non possunt assumi ad Prioratus, administrationes, aut quæcumque alia officia, etiam tanquam vicarii, seu ministri, vel locum aliorum Tenentes, nec animarum curam possunt per se, vel per alios exercere, & quidquid in contrarium gestum fuerit, irritum, & nullum est; ita decernitur in prædicta *Clementina* 1. *de Regularibus*, & tenent Sanch. *ubi supra numer.* 109. Azor, quem refert, & sequitur Lezana *Tom.* 1 *cap.* 22. *num.* 21.

Dixi *excepta Carthusia*, nam ad illam legitimè translati possunt esse Priores, & procuratores, & omnia alia habere; Ita cum Suar. Lezana, & aliis Belasius *ubi supra num.* 12.

721 Et idem dicendum est de Episcopo Ordinis Mendicantis, qui dimisso de licentia Papæ Epis-
722 copatu transit ad non Mendicantes; nam præfata *Clementina* tantum loquitur de Religiosis professis regulari observantia adstrictis: ita cum aliis Bonacina *de clausura q.* 2. *part.* 9. §. 1. *dif.* 1. *n.* 5.

Dico V. Licet Mendicantes de jure communi
723 non possint transire etiam de licentia suorum Prælatorum ad ullum ordinem non Mendicantem, etiamsi strictior videatur, excepta Carthusia, juxta præfatam *Extravagantem* (ut benè notavit Suar. *Tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 38. Portel. *in dubiis regularibus verbo* Religio quoad transitum *num.* 5. ex Azorio, & Rodrig.) possunt tamen
724 transire ad alium Ordinem Mendicantem strictiorem, dummodo serventur conditiones ipsius juris communis, ita conceditur *in Cap.* licet *de Regularibus*, qua concessione possunt uti omnes Regulares, tam Mendicantes, quàm non Mendicantes respe-
725 ctu Ordinis strictioris, hac sola cum distinctione, quod Mendicantes tantum possunt transire ad alium Ordinem Mendicantem strictiorem, non Mendicantes verò ad alium Ordinem strictiorem sive Mendicantem, sive non Mendicantem; ita communiter doctores apud Peyrinis *de subdito q.* 1. *c.* 24. *tom.* 1. Quam concessionem ad laicos, & Donatos,
extendunt Bonacin. Suar. Lopez, Felinus, & alii, 726
quos refert, & sequitur Tamburinus *Tom.* 1. *disp.* 7. *quæsito* 1. *n.* 12. Imo etiam ad moniales eam extendit Sançhez *lib.* 6. *Decal. cap.* 7. *n.* 8. ex Tapia, Zerola, Mandosio, & aliis, idem tenet Bonacina *de clausura q.* 2. *p.* 9. §. 2. *n.* 4.

Conditiones autem juris communis sunt qua-
tuor. Prima, ut transitus fiat ex desiderio vitę per- 727
fectioris, & sine detrimento, & jactura Religionis, à qua fit transitus; tunc autem fit ex desiderio vitæ perfectioris, quando non fit ex temeritate, odio, ira, levitate, contemptu, vel alia animi perturbatione.
Lezana *Tom.* 1. *c.* 22. *n.* 3. & tunc fit cum detrimen- 728
to, vel jactura Religionis à qua transit, quando Religio ex tali transitu passura foret aliquod grave
damnum, ut si forte esset aliquis Doctor, vel in ali- 729
qua arte peritissimus, aut persona valde utilis; Ita Portel. *ubi supra n.* 6. aut etiam passura foret aliquam gravem infamiam: ita Sanctius *lib.* 6. *moral.*
cap. 7. *n.* 1. Defectus tamen hujus conditionis non 730
irritat actum, sed tantùm reddit illum illicitum, Suar. *Tom.* 4. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 10. & Lezana *Tom.* 1. *cap.* 22. *num.* 7.

Secunda conditio est, ut prius postuletur licen-
tia à Superiore: hæc autem licentia non est de sub- 731
stantia hujus transitus; sed requiritur, ut actus rectè
fiat; unde si Religiosus absque prædicta licentia 732
transeat ad arctiorem Religionem, & in ea profiteatur, professio erit valida, nec Religiosus amplius revocari poterit; Ita Suar. Lessius, Richard. & alii, quos refert & sequitur Tamburinus *Tom.* 3. *disp.* 7. *quæsito* 1. *n.* 6.

Deinde non requiritur, ut licentia sit obtenta, sed 733
sufficit, quod sit petita, non tamen statim ac peti-
tur licentia, fas est transire ad Religionem strictio- 734
rem, sed debet expectari responsio Superioris debito tempore; ita Tamburin. *ubi supra n.* 11. ex Azo-
rio, Fausto. Barbosa, & aliis. Quod si Prælatus eam 735
neget injustè, peccabit mortaliter, injuriam namque subdito facit illi jus suum denegando; Ita Suar. *de Relig Tom.* 4. *tract.* 8. *cap.* 10. *num.* 17.

Adverte tamen, quod non statim ac Superior negat licentiam, fas est subdito transire ad strictiorem Religionem, quia potest ex causa justa denegare, sed debere prius subditum petere causam licentiæ denegatæ, quæ si non detur à Superiore, vel proferat causam evidenter injustam, vel nihil respondeat, tunc licebit subdito

transire

transire ad aliam Religionem; ita Barbosa *de jure Ecclesiastico, lib.* 1. *cap.* 42. *num.* 67. Tamburinus *ubi suprà, num.* 12.

Debet tamen priùs constare talem Religionem velle eum recipere, ut constat ex decreto sacræ Congregationis jussu URBANI VIII. quod refert Vechius *disp.* 15. *dub.* 2. *num.* 9.

736 Debet etiam ipse Religiosus transiens deferre dimissorias sui Prælati, nec sine illis eum possunt Religionis Prælati, ad quam transit, sine peccato mortali recipere, quamvis illis constet, licentiam
737 fuisse petitam, & non obtentam, sed debent priùs
738 perquirere causam denegationis, & illum non recipere, nisi ejus Superior nullam, vel injustam causam negationis assignet; ita cum Vechio, Zabarella, Innocentio, Hostiensi, & aliis Tamburin. *num.* 15. *loc. cit.*

739 An autem hæc licentia petenda sit à Prælato immediato, vel à Provinciali, vel Generali? Respondeo, deberi postulari à Prælato locali, loquendo de jure communi; iste namque verè, & simpliciter dicitur Prælatus; ita ex Azorio Portel. *in dubiis regularibus, verbo* Religio, quoad transitum,
740 *num.* 4. Navarr. quem refert, & sequitur Lezana *Tom.* 1. *cap.* 22. *num.* 10. contra Belasium, verbo *Transitus*, qui cum Sanchez, Henriquez, & aliis existimat tantùm esse Generales.

741 Quando tamen dubium fuerit, an Prælatus immediatus malè se gesserit in negatione talis licentiæ, tunc recurrendum est ad Provincialem; vel Generalem; Ita Vechius *disp.* 15. *dub.* 2. *n.* 16. Azor. quem refert, & sequitur Tambur. *loc. cit. num.* 16.

Et idem dicendum est in dubio, an Religio, ad quam transit sit perfectior, vel an Religiosus ex charitate transitum procuret; nam in his omnibus non est standum judicio Religiosi transeuntis, vel Prælati licentiam denegantis, sed Provincialis, vel Generalis; ita ex Silvestro, Rosella, Azorio, Tabiena, Curtio, & aliis Tamburinus *ibidem*. Et idem dicendum est in dubio, an Monasterium ex tali transitu passurum sit aliquod grave detrimentum, vel infamiam gravem.

742 TERTIA conditio est, ut transitus fiat ad perfectiorem Religionem: circa quam conditionem adverte, quòd ad hoc, ut iste transitus sit licitus, non requiri, quòd Religio, ad quam fit transitus, sit
743 perfectior ex fine; sed tantùm requiri, ut sit arctior, & strictior; ut sumitur ex dicto Cap. *Licèt* ibi. *Arctioris vitæ prætextu*; Ita Angelus, Passarellus, Azor. Barbosa, Sanctarellus, Rodrig. Sanchez, Portel. Navar. Vechius, & alii, quos refert, & sequitur Tambur. *disp.* 7. *Tom.* 3. *quæsito* 4. *num.* 3. contra Sylvestr. Tabienam, Suar. & alios. Ad judicandum autem, quæ Religio sit arctior, non solùm spectanda est Regula, sed & Constitutiones, non quoad antiquam, sed quoad præsentem observantiam; Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 18. *art.* 8. Lessius, Rodrig. Sanchez, & alii, quos refert, & sequitur Tamburin. *ubi suprà, num.* 4. & è nostris Gabriel *loco cit. num.* 185 *& seq.* Philippus à SS. Trinitate *Tom.* 3. *in* 2. 2. *S. Thom. Tract.* 3. *de Religion. disp.* 5. *dub.* 4. & Lezana *Tom.* 1. *cap.* 22. *num.* 5. *in fine.*

An autem Prælatus regularis possit etiam concedere licentiam ad æqualem vel laxiorem Religionem? Respondeo, posse, si detur causa legitima transeundi; ita communiter DD. apud Sanchez 7. *in Decalog. cap.* 7. *num.* 44. *&* 45. Tambur. *Tom.* 3. *disp.* 7. *quæsit.* 5 *num.* 2. *&* 7. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 22. *num.* 8. *&* 9. Et ratio est, quia Prælatus religiosus habet potestatem dispensandi de rebus suæ Religionis, causa rationabili subsistente, sine læsione voti emissi, & nisi illi sit ab Ecclsia prohibitum; sed hîc non læditur votum emissum, nec datur aliqua prohibitio: ergo poterit dispensare. Nec obstat decretum Tridentin. *sess.* 25. *de Regular.* 19. *Nemo Regularis cujuscumq; facultatis vigore, transferatur ad laxiorem Religionem*; nam ibi solùm prohibetur, ut id non fiat sine justa causa, & sine licentia Conventus, ut notavit Lessius *lib.* 2. *cap.* 47. *num.* 103. afferens ad id quamdam declarationem sacræ Congregationis, Lezana *Tom.* 1. *cap.* 25. *num.* 41. Suarez *de Relig. Tom.* 4. *tract.* 8. *cap.* 10. *num.* 1. contra Azor. Portel. & alios. Ratio est, quia cùm prædictum caput generaliter loquatur, generaliter intelligendum est.

744 745 746

Causæ autem legitimi transitus ab una ad aliam Religionem, sunt infirma, aut incommoda valetudo, fragilis corporis natura, quæ Religionis austeritates ferre nequeat: esse utilem in una Religione, & in alia onerosum, magna necessitas parentum, quibus in una Religione subveniri non potest, benè verò in alia: si Religiosus injustè odio habeatur, & malè tractetur à Religiosis unius Religionis: si sit infamatus ob aliquod crimen commissum, ut propterea necesse sit, ut semper pudore confusus, & tristitia magna affectus incedat: difficultas magna sustinendi austeritates; si inconsultâ prudentiâ professus est, non credens esse tam asperam Religionem, ex 747

quadam simplicitate sua, quando propter noxiam aëris intemperiem non potest Religiosus permanere in priori Religione, nisi sit aliud Ordinis monasterium, in quo non sit talis aëris intemperies; Ita Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap* 7. *num.* 92. Rodrig. Azor. & alii, quibus adde Dianam *Tract.* 3. *de dub. regul. resol.* 43. Tamburinum *Tom.*3 *disp.*7. *quaestio* 5. *à num.* 8. Belasium *verbo* Transitus, *num.*9. & nostros supracitatos Philippum *disp.* 5. *dub.* 4. Gabrielem *loc. cit. num.* 188. *&* 189. & Lezanam *Tom.*1. *quaest. Reg. cap.*22. *num.*12. Tandem, quando una Religio, etsi in se perfectior, & strictior, sit deformata, & relaxata, erit etiam causa sufficiens ad transeundum ab illa ad minus strictam, ac magis reformatam; ita cum D. Thom. & Miranda, Lezana *num.*14. Faustus, quem refert, & sequitur Tamburinus *ubi suprà. num.* 16. Belasius *verbo* Transitus, *num.*10.

748 Quòd si nulla detur causa talis transitus, tunc solus Papa poterit in tali transitu dispensare, tam ad Religionem aequalem; ut cum Sanchez, Azor. & Tabiena, Rosella, Miranda, & aliis tenet Pey-

749 rin. *Tom.*1. *de subdito, quaest.*1. *cap.*24. *dicto* 3. tum ad Religionem laxiorem; cum hac tamen distinctione, quòd si dispensatio sine causa fuerit ad aequalem Religionem, dispensatio non solùm valida, sed etiam licita erit; ut cum Angel. Sylvest. & aliis tenet Peyrin. *ubi suprà*; si verò fuerit ad laxio-

750 rem, tum peccabit quidem tam Papa concedens, quàm Religiosus illam procurans, ipsa tamen dispensatio valida erit, ob supremam potestatem, quam Papa habet in Ecclesia; Ita Pellizzar. *Tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 5 *num.* 65. contra Cajetan. Co: dub. Lessium, Azorium, Faustum, & alios, quos refert, & sequitur Tamburin. *ubi suprà, num.* 19.

751 An autem Religiosus in perpetuum ejectus possit sine licentia Praelatorum, ac Pontificis, propriaque auctoritate transire ad Religionem laxiorem, vel etiam aequalem? Respondeo affirmativè; Ita Sanch. *in Decal. lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 36. ex D. Antonino, Navarr. Armilla, Passarello, Sa, Sorbo, & aliis, quibus adde Pellizzarium *Tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 111. Ratio est, quia cùm praedictus Religiosus possit in saeculo liberè manere, à fortiori poterit transire ad laxiorem Religionem.

752 Idem dicendum erit de Religioso apostata, & fugitivo, qui reperitur in remotissimis regionibus, ubi non extant monasteria sui Ordinis, si non potest transire ad propriam provinciam, aut petere licentiam transeundi ad aliam Religionem; nam tunc non videtur adesse alius modus consulendi suo statui ac saluti; Ita cum Suar. Rodrig. Belasius *verbo* Transitus, *num.* 2.

QUARTA conditio est, ut transitus non sit in aliqua Religione à Sede Apostolica interdictus; datur namque in pluribus Religionibus talis prohibitio, ut patet ex Bulla PAULI III. qui concessit Societati, ut nullus in Societate professus, vel per tria vota admissus, posset, nisi de licentia expressa Generalis, aut Sedis Apostolicae, ad ullam Religionem, excepta Carthusia, transire, sub poena excommunicationis latae sententiae, tam in transeuntes, quàm recipientes. E. GREGORIUS XIII. Carthusiae limitationem, ita restrixit, ut transitus ad illam semel fieri possit. 753

Praeterea nostris Excalceatis Carmelitis concessit PAULUS V. ut ad nullam Religionem, etiam quarti voti, transire possint absque speciali licentia Sedis Apostolicae, & ex urgenti causa, excepta Carthusia, ad quam solùm de licentia suorum Praelatorum petita, & obtenta transire possint sub poena excommunicationis latae sententiae, & apostasiae, sub qua prohibitione comprehenditur quoque Ordo B. MARIAE de Mercede, ut declaravit idem PAULUS V. *Bulla* 3. & Ordo Camaldulensium, ut declaravit idem PAULUS V. *Bulla* 6. juxta nostrum *Compendium.* Et Clericis ministrantibus infirmis concessit similiter per Bullam PAULUS V. ut neque ad Carthusiam transire possint sine licentia Sedis Apostolicae. Has & plures ejusmodi Bullas hunc transitum concernentes refert noster Augustinus à Virgine MARIA in suo Opere *de Privilegiis omnium Religionum Mendicantium, & non Mendicantium, &c.* Verb. *Mutatio Ordinis.* 754

Hinc fit, hodie non posse Religiosos, sive Mendicantes, sive non Mendicantes, saltem per viam communicationis privilegiorum ipsis factam à PIO V. *in Constitutione ejus,* quae est in ordine 41. ejusque extensione, transire à propria Religione ad aliam, quantumvis strictiorem; imò neque ad Carthusiam absque licentia suorum Praelatorum petita, & obtenta; imò nec sine licentia Sedis Apostolicae, juxta praedicta privilegia, praecipuè si talia privilegia sint in usu apud hanc, vel illam Religionem; nam cùm quilibet possit cedere juri suo, posset & aliqua Religio nolle uti his privilegiis, aliàs sibi directè, vel per communicationem competentibus; ita Pellizzar. *Tract* 3. *cap.* 5. *num.* 75. qui etiam addit *num.* 97. cum Suar. adhuc 755 756

huc

757 huc istis privilegiis non obstantibus, posse Prælatos regulares dare licentiam suis subditis transeundi ad strictiorem Religionem, servata tamen *Extravaganti* Viam ambitiosæ; nam hoc illis in dictis privilegiis non prohibetur, nec finis illorum est tollere, sed potius augere jus, & potestatem Regularium, & quia præfati Superiores possunt renuntiare suis privilegiis.

758 Dico VI. Religiosus juxta prædicta transiens de una ad aliam Religionem, debet ibi novitiatus annum facere, & de novo profiteri; Ita ex Navar. & aliis communiter Belasius *verbo* Transitus, *num.* 19. quod verum est, etiamsi transeat, ut ibi sit
759 Abbas, vel Prior; Ita cum Miranda, Sanchez, Rodrig. Navar. & aliis Tamburinus *de jure Abbatum*, *Tom.*3. *disp.*7. *quæsito* 8. *num.*4. vel etiamsi transi-
760 tus fiat ab una Familia in aliam, ut à nostris Calceatis ad nostros Excalceatos, vel è contra; Ita Lezana *Tom.*1. *cap.*22. *num.*16. Belasius *verbo* Transitus, *num.*16.

Et idem dicendum existimo, si Carmelita Ex-
761 calceatus Congregationis Hispaniæ transeat ad Congregationem Italicam, cùm talis transitus etiam sit illis prohibitus per CLEMENTEM VIII. *Bulla* 5. nam licèt isti Ordines sint una Religio ratione Regulæ, & Fundatoris, simpliciter tamen sunt diversæ, & habent diversas austeritates, & modum vivendi; imò, & aliquando plura vota, ac proinde necessarius est novus novitiatus ad illa experienda, juxta Trident. *sess.*25. *de Regul.* 15.

Quòd si aliquis legitimè translatus ad aliam Religionem, ibi non profiteatur, iterùm admittendus est in antiqua Religione, cùm adhuc maneat
762 cum vinculo prioris Professionis: & idem dicendum est de illegitimè translato; Ita Sanch. *lib.* 6.
763 *in Decalog. cap.*7. *num.*105. facta tamen professio-
764 ne à legitimè translato, liber manet ab omnibus observantiis, & votis prioris Religionis; Suarez *Tom.*2. *de Relig. tract. de voto, lib.*6. *cap.*3. *num.*7. *cap.*3. *num.*7. Sanch. *lib.*6. *in Decal. cap.*7. *num.*87. Lezana *ubi suprà, num.* 19.

765 Adverte tamen, quòd transeuntes ad aliam Religionem non possunt secum deferre bona acquisita usque ad tempus professionis in secunda Religione, sed omnia pertinere ad priorem Religionem, sive sint legata, sive aliæ res acquisitæ, sive quoquo modo ad illam pertinentia; Navar. Azor. quos refert, & sequitur Belasius *ubi suprà, num.* 18.
766 quod multò magis verum est de transeunte illegitimè.

An autem absque licentia Prælati Religionis prioris possint secum deferre sua manuscripta, vel libros a se conscriptos? Respondeo affirmativè; Ita Valerus, Diana, quos refert, & sequitur Tamburin. *Tom.* 3. *disp.* 7. *quæsito* 8. *num.* 8. Pellizzar. *Tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 156. & nos jam *suprà* tetigimus, licèt contrarium teneant multi apud Tamburin. *loc. cit.*

Sed quæres, quid circa hæreditates dicendum 767
sit? Respondeo, quòd si Religiosus Religionis incapacis bonorum, trãseat ad Religionem capacem, posse adire omnes hæreditates, sive ab intestato, sive ex testamento facto post talem transitum, in
quo omnes conveniunt; imò potest etiam adire 768
hæreditatem delatam tempore, quo erat incapax, si tempore quo factus est capax, talis hæreditas non fuisset adita per successores ab intestato; Molina, Sylvest. Rodriguez, quos refert, & sequitur Pellizzarius *ubi suprà, num.*160. contra alios nonnullos; nam jus succedendi per priorem Professionem non erat extinctum, sed consopitum; unde per transitum ad aliam Religionem capacem reviviscit.

Idem dicendum est de Religioso, qui ante Pro-
fessionem in Religione incapaci reservavit aliqua 769
bona, casu, quo transiret ad aliam Religionem capacem; nam tunc transeundo ad Religionem capacem, talia bona recuperat propter eandem rationem, ut notavit Bonacina *quæst.*2. *de clausura, part.* 9. §.4. *diff.*2. *num.*21.

Idem dicendum est de hæreditate ex testamen-
to, si testamentum fuit factum tempore, quo talis 770
Religiosus erat sæcularis, & tempore mortis testatoris jam sit translatus ad Religionem capacem, si talis hæreditas adhuc non sit adita ab hæredibus ab intestato. Secùs dicendum est, si testamentum
factum fuit tempore, quo ille erat incapax hæredi- 771
tatis, vel testator mortuus sit, antequam factus fuerit capax; vel hæreditas sit jam adita ab hæredibus ab intestato; quia ad hæredis extranei succes-
sionem sunt tria tempora inspicienda, nimirùm 772
quòd ille sit capax tempore testamenti confecti, 773
& mortis testatoris, quo defertur hæreditas, & ejus aditionis, ut dicitur *l. hæredes autem*, §. *in extraneis instituta de hæred. quali. & differ.* & tradunt omnes Scribentes *ibidem*. Idem dicendum est, si transeat de Religione capaci ad incapacem; nam tunc omnes hæreditates delatæ post Professionem in Religione incapaci, non ad priorem Religionem capacem, sed ad hæredes ab intestato pertinent, ut ad-

ut advertit Pellizzarius *ubi suprà, num.* 168. Professio namque in Religione incapaci morti æquiparatur.

Circa materiam hujus §. advertit nonnulla pro Carmelitis Urbanus ab Ascensione in sua Theologia canonica & pract. *Tract. 2. part. 2. distinct. 2. cap. 7. Reg. 9.*

§. 6.

De obligatione, quam habent Regulares non appellandi ab ordinariis correctionibus, aut punitionibus Superiorum, etiam ad Papam.

774 *Regulares, etiam gravati, non possunt ad sæcularia tribunalia appellare, vel coram illis aliquem suorum Fratrum convenire.*

775 *Quas pœnas Regulares ad sæcularia tribunalia appellantes incurrant?*

776 *Possunt Regulares vexati recurrere ad tribunalia sæcularia, non appellando, sed postulando, ut auferatur vis sibi illata.*

777 *Hic modus defensionis, qui Tuitiva appellatur, licitus est, & his temporibus etiam inter Regulares usitatus.*

778 *Regulares non possunt appellare ad tribunalia Ecclesiastica, quibus non subduntur.*

779 *Quibus pœnis plectantur Regulares ad hæc Ecclesiastica tribunalia appellantes?*

780 *Regulares non possunt appellare etiam ad Iudices competentes, scilicet Legatos, vel Nuntios, imò neque ad Papam à correctionibus, & punitionibus justè inflictis ab Ordinis Prælatis.*

781 *Quas pœnas incurrant sic appellantes?*

782 *Hæc prohibitio facta Regularibus, est juxta jus commune.*

783 *Ubi non datur gravamen, non potest dari justa appellatio.*

784 *Possunt Regulares supplicare Superiori, quando pœna est justa, ut illam mitiget.*

785 *Si Prælatus in pœnis imponendis terminos justitiæ excedat, licitum est Regularibus appellare.*

986 *Hoc etiam competit nostris Religiosis.*

787 *Quomodo nostra Constitutio in hoc casu debeat intelligi?*

788 *Quomodo in hoc casu debeat fieri appellatio?*

789 *Priùs in omni casu debet ad Generalem, & Capitulum generale fieri appellatio, quàm ad Papam.*

790 *Appellatio debet tantùm fieri in casibus gravibus & certis, & non in dubiis.*

791 *Quæ differentia quoad hoc detur inter Clericos, & Regulares?*

792 *In casibus, in quibus licita est Regularibus appellatio, si occasio non detur appellandi, possunt Regulares ad Superiores recurrere, non petita licentia ab inferiori, si timeant sibi esse denegandam.*

793 *Si timeant sibi iter impediri, possunt habitum sine scrupulo dimittere.*

794 *Appellatio inter Regulares potest fieri qualibet die in scriptis, vel viva voce, sive Iudex sedeat pro Tribunali, sive non: imò sufficit, quòd fiat solùm coram Notario, sive fiat appellatio à Definitiva, sive ab interlocutoria sententia.*

795 *In casu, quo viva voce appellatur, debet appellatio per Notarium auctorari.*

796 *Hæc appellatio debet fieri coram Iudice, à quo intra decem dies, aliàs transit sententia in rem judicatam.*

797 *Quando incipiant numerari hi dies?*

798 *Quid si Iudex prolata sententia recesserit, & non sit spes quòd tempore habili ad appellationem revertatur.*

799 *Quid si adeò crudelis sit, ut causet justum timorem appellanti?*

800 *Quod tempus appellanti concedatur ad prosequendam appellationem?*

801 *Judex à quo potest hoc tempus moderare.*

802 *In appellatione à definitiva, non est necesse, quòd exprimantur causæ gravaminis.*

803 *Quid in illa debeat exprimi?*

804 *In interlocutoria requiritur causæ expressio, sive appellatio sit extrajudicialis, sive judicialis.*

805 *In omni appellatione debet exprimi, quis appellat, à quo, contra quem, extra quem, & testes, si coram illis fiat appellatio.*

806 *In omni appellatione debent peti Apostoli.*

807 *Apostoli, alii sunt dimissorii, alii refutatorii, & alii reverentiales.*

808 *Reverentiales sunt, quos Regulares debent postulare.*

809 *Quid si Prælatus nec appellationem, nec Apostolos refutatorios concedere velit?*

810 Quid

810 *Quid si Secretarius noluerit fidem dare de appellatione, & Apostolis denegatis?*
811 *Apostoli debent peti intra triginta dies.*
812 *Quid si Judex requisitus, semel & iterum tempore congruo nolit concedere Apostolos?*
813 *Posita appellatione devolvitur causa ad Judicem, ad quem, & sententia lata suspenditur.*
814 *Appellatione pendente, suspenditur jurisdictio Judicis à quo, & quomodo?*
815 *Appellatio posita ante excommunicationem, suspendit illam.*
816 *Appellatio post excommunicationem absolutè latam à Judice à quo, non suspendit illam.*

774 DIco I. Regulares, etiam gravati, non possunt
appellare ad Tribunalia sæcularia, vel coram
illis aliquem suorum Confratrum convenire sub
775 pœna excommunicationis Papæ reservata; ita decrevit BONIFACIUS VIII. LEO X. JULIUS II. & SIXTUS IV. & GREGORIUS XIII. prout refert Peyrin. *de subdito, quæst.* 1. *cap.* 20. versu *Dico quartò.* Lezana *Tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 4. Imò tales Regulares sic appellantes incurrunt in censuram Bullæ Cœnæ, ut cum Miranda, Rodrig. & aliis notavit Bordon. *Tom.* 2. *resol.* 94. *num.* 27.

Adverte tamen, quòd licèt Regulares non possint ad Tribunalia sæcularia recurrere per appellationem, quando se sentiunt gravatos; si tamen
776 per appellationem, vel alia via, intra Ordinem non possunt vitare vim sibi illatam injustè, quia vel non recipitur appellatio, vel Superior, ad quem possent recurrere, longè distat, ita, ut non possint illum adire, instante gravamine, tunc posse Regulares recurrere ad Judicem sæcularem, non quasi appellent ad Judicem competentem, sed solùm, ut sibi succurrat in illo gravamine injusto, tollendo vim factam, modo, quo licitè potest, suadendo, scilicet Prælato, ut vel abstineat à vi injusta, vel det locum appellationi, vel Judices novos assignet, Ita Portel. *in additionibus ad dubia regularia,* verbo *Appellare, num.* 3. Sosa *in Bullam Cœnæ, cap.* 15. *disp.* 78. *num.* 2. Delbene *Tom.* 2. *cap.* 9. *dub.* 6. *sect.* 1. *num.* 23.

777 Et hic modus defensionis, quem Tuitivam vocant, videmus, quòd his nostris temporibus in Romana Curia sit approbatus in judicio contradictorio in causa cujusdam Tuitivæ, quam Fratres provinciæ Matris Dei, in Indiis Orientalibus impetrârunt adversus suum Commissarium pro defensione creationis novæ Provinciæ, in quo casu Romæ fuit judicatum Tuitivam licitè fuisse impetratam à Judice sæculari Regiæ coronæ, & validam fuisse; ut testatur Emanuel à Monte Oliveti *in practica regulari, part.* 2. *art.* 7. *num.* 495. Quod maximè notandum est contra Suarium, Azorium, & alios, quos refert, & sequitur Delbene *ubi suprà, num.* 27. qui existimârunt, prædictas Tuitivas esse contra libertatem Ecclesiasticam.

Dico II. Non solùm ad Tribunalia sæcularia 778
non possunt Regulares gravati appellare, sed neque etiam ad Ecclesiastica, quibus non subduntur,
sub pœna excommunicationis, ipso facto incur-
renda, tam ab appellantibus, quàm à Judicibus ap- 779
pellatis, quicumque demùm hi sint, etiam conservatores ex Constitutionibus BONIFACII IX. LEONIS X. quas refert Confectius *fol. mihi* 120. & 194.

Dico III. Regulares non possunt appellare et- 780
iam ad Judices competentes, scilicet Nuntios, & Legatos; imò neque ad Papam, à correctionibus, & punitionibus sibi justè inflictis, hoc est, secun-
dùm Regulam, & Statuta sui Ordinis, quæ sunt 781
in usu, non solùm a Generali, & Visitatoribus, prout sub pœna excommunicationis Papæ reservata, fuit prohibitum Cisterciensibus; sed absolutè ab omnibus Prælatis sub pœna excommunicationis Papæ reservata, & privationis officiorum, & inhabilitatis ad illa, & privationis vocis activæ, & passivæ ipso facto absque alia declaratione incurrenda, & ita concessit CLEMENS VIII. nostris Carmelitis Excalceatis, prout refert Pellizzar. *Tract.* 6. *cap.* 7. *num.* 45 & nostri Thomas à JESU *de Visit. Regulur. Tract.* 3. *cap.* 17. Petrus ab Angelis in *Judice Regul.* 1. *Part. cap.* 27. *n.* 21. & Augustin. à V. MARIA *de privilegiis Relig. omnium* verb. *Appellatio.* & V. *Correctio Fratrum.* ubi complura ejusmodi reperies Privilegia.

Idem prohibuit Prædicatoribus, Canonicis Regularibus, & Minoribus JULIUS II. Jesuitis PAULUS III. Franciscanis BONIFACIUS VIII. prout refert Suarez *Tom.* 4. *de Relig. Tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 2. 13. & 16. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 8. *num.* 108. quibus, & aliis privilegiis nititur nostra Constitutio 4. *part. cap* 6. *num.* 9. cùm prohibet nostris Religiosis appellationem à sententia, vel pœna imposita secundùm nostras Constitutio-
nes, sive à Definitorio, sive ab alio Prælato, est- 782
que illa Constitutio conformis juri communi, quod prohibet à justa correctione Prælatorum Fratribus appellare; ut patet *ex Cap.* Ad nostram. *& Cap.* Reprehensibilis, *de appellat. & Cap* Cum 783
speciali; & tenent communiter DD. ut testatur

Palaus *Tract.* 16. *Tom.* 3. *disp.* 4. *part.* 15. *num.* 3. estque conforme rectæ rationi; nam si sententia est secundùm Regulam, & Constitutiones, nullum fit Religioso gravamen: ergo non potest licitè dari appellatio; nam appellatio fundatur super gravamen, *Cap.* Ut debitus, *de appellatione.*

Adverte tamen, quòd licèt in hoc casu non pos-
784 sint Regulares à justa correctione suorum Prælatorum appellare, posse tamen supplicare, & quærelam interponere apud Superiorem majorem, ut ipse ex officio rigorem mitiget, quia per hanc quærelam, & supplicationem ad Superiorem, jus inferioris rigide judicantis non læditur, cùm illum non impediat ab executione sententiæ, neque causam ad Superiorem majorem devolvat; ita Navarr. Rodrig. Sayrus, Suarez, Sanchez, quos refert, & sequitur Palaus *suprà cit. num.* 3.

785 Dico IV. Si Prælatus in gravibus pœnis imponendis terminos justitiæ excedat, licitum est Religiosis appellare; ita colligitur ex *Cap.* de Priore, *de appellationibus*, 31. *Cap.* Ad Romanum, 2. *q.* 6. Idem constat *ex Cap.* Licet, *de officio ordinandorum.* & *Cap.* Super quæstionum, *de officio delegati*; & Franciscanis concessa est hæc appellatio ad Generalem, ad Protectorem Ordinis, & Pontificem per Gregor. XIII. Idem concessit Bonifacius IX. Leo X. Clemens VIII. ut testatur Peyrinis *de subdito, quæst.* 1. *cap.* 10. *dicto* 1. Idemque declaravit sacra Congregatio anno 1585. & Sixtus V. anno 1588. in Bulla incipiente: *Ad Romanum spectat Pontificem*: prout refert Sorbus *in Compendio Privilegiorum Mendicant. verbo* Appellare, *in suis annotationibus*, §. 1. atque ita sustinent Navarr. Azor. Sayrus, Suarez, Sanchez, quos refert, & sequitur Palaus *loc. cit. num.* 4. Rodriguez, Vega, Passarellus, & alii, quos refert, & sequitur Peyrinis *ubi suprà.* Fragosus *Tom.* 2. *disp.* 25. *lib.* 12. §. 6. *num.* 18. Novarius *in lucerna Regularium, verbo* Appellatio, *num.* 6.

Ratio autem est, quia in hoc casu appellatio est remedium necessarium ad propulsandam Superioris injuriam, nec credendum est Religiosos velle
786 in Professione huic remedio renuntiare, nec nostræ Constitutiones videntur illud prohibere; nam licèt prohibeant Religiosis appellationem à Definitorio, & aliis Superioribus, statim cautè adjunxerunt: *A sententiis, & pœnis impositis secundùm nostras Constitutiones*: ergo, si pœnæ non fuerint impositæ secundùm nostras Constitutiones, optimè poterunt appellare; nam talis Constitutio prohibens nostris Religiosis appellationem, debet intelligi eo modo, quo intelligitur jus commune 787
denegans Religiosis appellationem; ut cum Sanchez in simili casu notavit Diana 3. *part. Tract. de dubiis Regular. resolut.* 54. *versu* Notandum est.

Idem dicendum est, quando causa committitur cum clausula *omni appellatione remota*; nam semper debet intelligi, nisi detur gravamen injustum; Belasius *verbo* Appellatio, *num.* 10. Armilla, & alii, quos refert, & sequitur Peyrinis *de subdito, quæst.* 1. *cap.* 19. *versu* Sed quid.

Adverte tamen, quòd appellatio in hoc casu de- 788
beat fieri gradatim à Priore ad Provincialem, & ab hoc ad Generalem: deinde ad Protectorem, & tandem ad sacram Congregationem: Ita declaravit sacra Congregatio, prout testatur Novarius *ubi suprà, num* 4. & ita in hoc casu appellationem permisisse Sixtum V. in Bulla, quæ incipit: *Ad Romanum*; testatur Vulpes *in praxi fori Ecclesiastici, cap.* 22. & ante illum Lezana *Tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 4.

An autem in casu nostræ appellationis, possit omisso medio, non appellare ad Provincialem, vel Generalem, sed ad Romanum Pontificem, vel Nuntium, affirmat, non obstantibus prædictis decretis sacræ Congregationis, Scopa, Portel. Diana, quos refert, & sequitur Novarius *loc. cit. num.* 4. Sed contrarium omnino tenendum est; ita Duard. Spatarius, Peyrinis, quos refert, & sequitur Diana *ubi suprà*; constatque ex Bulla Urbani VIII. pro Benedictinis Hispaniarum, anno 1624. quam refert Emanuel à Monte Oliveti *part.* 2. *art.* 7. *in Practica regulari, num.* 391. Ubi præcipit in virtute obedientiæ, ut appellatio non fiat à Superioribus ordinariis, nisi ad Generalem, & ab hoc, & si ad Capitulum generale, & ab illo pro 789
notoria, ac manifesta injuria in eventu denegatæ justitiæ, ad Romanum Pontificem, immediatè tantùm, non verò ad Nuntios, vel Legatos, aut alias personas Ecclesiasticas, prout latiùs *in prædicta Bulla* continetur, qua Bulla stante non remanet ampliùs locus dubitationi, ut optimè probat idem Emmanuel à Monte Oliveti *loc. cit. num.* 397. ubi etiam addit, quòd si fortè Nuntius, vel Legatus à latere contendat hanc sibi competere facultatem, non debere illis credi, nisi ostendant; quod utinam apud omnes Regulares inviolabiliter observaretur. Nec obstat praxis in contrarium, de qua testatur Portel. *suprà cit.* nam ut optimè ait Olivet. *suprà citatus*, illa potiùs est corruptela, quàm consuetudo.

Secundò

790 Secundò adverte, ad hoc, ut Regulares possint interponere appellationem, debere esse in casibus gravibus; nam à levi præcepto, ordinariàque correctione nullatenus appellatio admittenda est, esset enim hoc omnem disciplinam regularem destruere, cùm sic rarò ulla correctio executioni
791 mandari posset. Imò, in his casibus gravibus, in quibus permittitur appellatio, excessus debet esse manifestus; nam dubium non potest excusare ab executione legis certæ prohibentis appellationem; Ita Glossa, Suarez, Sanchez, quos refert, & sequitur Palaus *ubi suprà, num. 6. & 7.* Et hæc est differentia, quæ datur inter Clericos, & Regulares; nam Clericis appellatio absolutè conceditur à gravamine. Unde sufficit gravamen dubium juxta textum in *Capite* Cum speciali. §. *Porrò, de appellation.* At verò Regularibus absolutè appellatio interdicta est; ac proinde requiritur gravamen manifestum. Unde necesse est in appellatione excessum exprimere, ut inde Judici constet, appellationem legitimam esse; Ita Sanchez *Tom. 2. in Decalog. lib. 6. cap. 8. num. 105.* N. Thomas à Jesu, Alderete, quos refert, & sequitur Belasius *verbo* Appellatio, *num. 9.* Palaus *ubi suprà, num. 8.* N. Petrus ab Angelis *loc. cit.*

792 Dico V. In casibus, in quibus est licitum Religiosis appellare ob gravamen manifestum, si occasio non suppetat appellandi, possunt Regulares ad Superiorem majorem, nulla petita licentia ab inferiore iter arripere, si aliàs præsumant Superiorem gravantem talem licentiam sibi non esse concessurum; ita Navar. Azor. Sa, Rodrig. Sayrus, Barbos. Sanch. Suarez, quos refert, & sequitur Palaus *loc. cit. num. 10.* Peyrinis *de subdito, quæst.*
793 *1. cap. 20. versu* Addunt. Navarrus. Imò talis Religiosus, qui gravatus recurrit ad suum Prælatum, si timet sibi impediendum iter, potest absque ullo scrupulo habitum dimitterre, & sic incognitus directè suum iter prosequi; nam portare habitum est præceptum humanum, quod non obligat cum tanto periculo carceris, infamiæ, gravaminis injusti, &c; Ita cum Portel. & Diana, Peyrinis *ubi suprà.* Nec obstat Trident. *sess. 25. de Regular. cap. 4.* ubi videtur hic progressus interdici; nam Concilium debet intelligi de accessu ad propulsandam levem injuriam, non verò gravem, & manifestam, vel de progressu cum scandalo, & notabili detrimento Religionis, quod detrimento Religiosi præponderet: ita Palaus *ibidem.*

Dico VI. Appellatio inter Regulares potest fieri 794
qualibet die, etiam feriata; ita cum multis Maranta *de ordine judiciali, part. 6. tit. de appellat. num. 217.* Et hoc in scriptis, aut etiam viva voce, sive Judex sedeat adhuc pro Tribunali, sive postea in alio die; ita cum Baldo Tuscus *lib. 7. litt. A. conclus. 357. num. 17.* Imò sufficit, quòd fiat coram solo Notario; ita cum Baldo, Alexandro, & aliis Maranta *ubi suprà, num. 134.* & hoc, sive appellatio fiat à sententia definitiva, sive interlocutoria tantùm; nam licèt de jure ordinario appellatio interlocutoria non valeat nisi in scriptis, & cum expressione gravaminis, & causarum illius, ut videre est apud eundem Marantam *num. 153.* quando tamen proceditur summariè, & de plano sine strepitu, & figura judicii, non interest, quòd appellatio hoc, vel illo modo fiat, ut cum Tusco, Franco, Angelo, & aliis benè notavit Emanuel à Monte Oliveti *in Practica regulari, part. 2. art. 7. num. 403.* In casu tamen, quo viva voce 795
appelletur, debet appellatio actuari per Notarium, ut postea de illa constet; Olivet. *ubi suprà, num. 406.*

Dico VII. Hæc appellatio debet fieri coram 796
Judice à quo intra decem dies, alias sententia trans- 797
sit in rem judicatam, & ampliùs non datur locus appellationi; incipiunt autem hi dies non à die sententiæ latæ, ut plures volunt, sed à die notificationis, & cessante impedimento; ut ostendit Sanch. *lib. 1. de matrim. disp. 53. num. 7.* Quamquam in hoc casu impeditus debet præmittere suam protestationem coram honestis personis, ut notavit Sanch. *lib. 3. Consiliorum, cap. unico, disp. 32. num. 40.* Imò, si Judex prolata sententia 798
sit absens, nec sit spes, ut tempore congruo re- 799
vertatur, aut, si fuerit adeò crudelis, ut causet justum timorem, sufficit, ut appellet coram honesto viro, Notario, & testibus, ut notavit Maranta *tit. de appellat. num. 133.*

Conceditur autem appellanti à jure unus annus 800
ad prosequendam appellationem, qui annus, justa 801
causa interveniente, prorogatur usque ad biennium, quod tempus non currit data impossibilitate prosequendi: potest tamen Judex à quo dictum tempus moderari, juxta negotiorum qualitatem, & locorum distantiam, Judex verò ad quem, non potest prorogare, vel breviare tempus datum à Judice à quo, nisi sit periculum animæ; ita Sanch. *lib. 3. Consiliorum, cap. unico, num. 86.*

802 Dico VIII. In appellatione à definitiva non est
803 necesse, ut exprimantur causæ gravaminis in spe-
cie; sed sat est, quòd appellans dicat se gravatum
esse in genere, vel sententiam injustam esse sine
alia causa, *l. 2. ff. de appellat.* ita cum Franco &
aliis Sanch. *ubi suprà, num.* 180. requiritur tamen
causæ expressio in interlocutoria, sive sit judicialis
appellatio, sive extrajudicialis, ut cum Maranta
804 & aliis probat Sanchez *num.* 186. Item in omni
805 appellatione debet exprimi quis appellat, à quo,
contra quem, & quem, & testes, si coram illis fiat
appellatio, licèt hæc ultima conditio non sit essen-
tialis; Maranta *ubi suprà, num.* 153.

806 Dico IX. In omni appellatione debent peti
Apostoli, hoc est, litteræ testimoniales testifican-
807 tes, scilicet, de facta appellatione, ex quibus alii
sunt demissorii, alii refutatorii, alii reverentiales;
808 & hi reverentiales sunt, quos Regularis debet po-
stulare, quia minùs Judicem, à quo appellat, of-
809 fendunt. Si tamen Judex nolit deferre appellatio-
810 ni, nec etiam Apostolos refutatorios velit con-
cedere, Secretarius tenetur sub peccato mortali de
hoc integram facere fidem, ut appellans recurrat
ad superiorem Prælatum, ut jubeat Judici, à quo
appellatum fuit, exhibere sententiam, & acta;
quòd si Secretarius talem etiam fidem dare nolue-
rit, tunc appellans eam potest postulare à testibus,
coram quibus illam postulavit. Emanuel a Monte
811 Oliveti *ubi suprà, num.* 412. *& sequentibus.* Hujus-
modi autem Apostoli debent postulari intra 30.
dies, qui incipiunt numerari à die pronuntiatio-
nis sententiæ, si reus præsens est, vel à die ejus
notitiæ, si sit absens; Maranta *ubi suprà, num.* 220.
812 Quòd si Judex requisitus tempore congruo semel,
& iterùm nolit prædictos Apostolos concedere,
protestetur appellans hoc non stare ex parte sua, &
tunc prosequatur suam appellationem, ac si præ-
dictos Apostolos ei erogaret modo dicto. Tuscus
litt. A. concl. 429.

813 Dico X. Posita appellatione duo producuntur
effectus, unus devolutivus, quo devolvitur causæ
cognitio ad Judicem, ad quem appellatur. *Cap.
Delictis*; alter suspensivus, quo sententia suspendi-
tur, non tamen extinguitur. *Cap.* Venientes, *de
jurejurando*; ex vi prioris effectus eximitur litigans
à jurisdictione Judicis à quo, quoad illam causam,
de qua est appellatio; ratione secundi ligantur
814 manus ipsius Judicis, à quo, ejusque jurisdictio
suspenditur absque alia inhibitione; adeo, ut nihil
possit facere appellatione pendente, sed hoc debet
intelligi cum aliquibus limitationibus, quæ vi-
deri possunt penes Sanch. *ubi suprà, num.* 27. *&
sequentibus.*

An verò appellatio suspendat sententiam ex- 815
communicationis? Respondeo, quòd vel appel-
latio præcedit has sententias, vel interponitur post
dictas sententias: si præcedit, suspendit eas, ita ut
si post eam ferantur, sint nullæ; idque, licèt appel-
latio non admittatur à Judice a quo, aut appellans
non prosequatur appellationem: ad ferendas nam-
que sententias requiritur jurisdictio, quæ per ap-
pellationem manet suspensa: Et idem dicendum
est, si censura feratur sub conditione, & appellatio
interponatur ante conditionis eventum, ut ha-
betur expressè *Cap. Præterea, 2. de appellat.* si verò 816
appellatio interponitur post dictas sententias ab-
solutas, non suspendit, nec tollit effectum illarum;
nam Ecclesia mavult, quòd Fideles deposita con-
tumacia illis perfectè subjaceant; poterunt tamen
in hoc casu appellare à declaratione, seu denuncia-
tione excommunicationis, aliarumve censurarum:
de qua re plura Sanch. *ubi suprà, num.* 246. Con-
suli etiam poterunt è nostris Thomas à Jesu 3.
Tract. de Visitatione Regularium, cap. 17. Petrus ab
Angelis *cap.* 27. *Part.* 1. *Judicis Regular.* Philippus
à SS. Trinit. *Tom.* 3. *in* 2. 2. *Tract.* 2. *disp.* 8. *quæst.* 69.
ad art. 3. Franciscus Bonæ-Spei *Tom.* 5. *Tract.* 1.
de jure & justit. disp. 4. *dub.* 2. *& Tract.* 2. *disp.* 9.
num. 8. *& seqq.* & Gabriel a S. Vincentio in suo
Opere *de Censuris, disp.* 1. *quæst.* 20. *à num.* 226.
usque ad 236. apud quos fusiorem de materia Ap-
pellationis notitiam, pluresque alias quæstiones
solidè discussas depræhendes.

§. 7.

De obligatione non inducendi aliquem ad promittendum de sepultura.

817 *Omnes Regulares, etiam Laici, & Moniales, in-
ducentes aliquem ad eligendum sepulturam
in propria Ecclesia, cum obligatione irrevoca-
bili, quæ sit mediante voto, vel juramento,
incurrunt excommunicationem Papæ reser-
vatam.*

818 *Novitii inducentes, sunt immunes ab hac excom-
municatione.*

819 *Regulares hortantes infirmos, ut eligant sepultu-
ram*

ram in propria Ecclesia, non incurrunt prædictam censuram.

820 *Inducentes ad eligendum in aliena Ecclesia, non incurrunt hanc censuram.*

821 *Quid si inducant ad eligendum in aliena Ecclesia ad instantiam Rectoris illius?*

822 *Ad incurrendam hanc censuram non sufficit inductio, si non sequatur effectus.*

823 *Religiosus inducens infirmum ad eligendum sepulturam in loco, in quo de jure communi sepeliendus erat, incurrit hanc censuram.*

824 *Ab incursu hujus censuræ excusat ignorantia, & bona fides, imo ignorantia etiam affectata.*

825 *Ad incurrendam hanc censuram requiritur ausus temerarius.*

826 *Si unus Religiosus tantum inducat, probabile est non incurrere hanc censuram.*

827 *Ad illam incurrendam requiritur quod major pars Communitatis inducat, licet contrarium sit probabilius.*

817 DIco I. Quicunque Regulares, etiam laici, & Moniales inducentes infirmum, ad eligendam sepulturam in propria Ecclesia, cum obligatione irrevocabili, quæ fiat mediante voto, aut quocunque alio modo promissionis, qua infirmus maneat obligatus, ut salva fide, non possit mutare promissionem, incurrunt excommunicationem Papæ re-
818 servatam *in Clement.* Cupientes *de pœnis*, quæ cùm expresse loquatur de omnibus, ad omnes Religiosos est extendenda, non tamen ad novitios, cum adhuc non sint Religiosi; Ita Suarez *disp. 22. de censuris sect. 4. n. 25. & 26.*
819 Hinc fit non esse prohibitum sub prædicta excommunicatione hortari infirmum, & illi persuadere, etiam precibus, ut apud propriam Ecclesiam sepeliatur, ut cum Rodrig. Suar. Navar. & aliis docet Pasqualigus *Tom. 2. decisione 373. num. 4.* & N.
820 Gabriel à S. Vinc. *lib. cit. disp. 4. q. 8. num. 157.* Nec etiam esse prohibitum inducere ad eligendam sepulturam, etiam cum voto, & juramento in Eccle-
821 sia alterius; Ita Rodrig. *Tom. 3. quæst. 58. art. 7. dub. 4.* Toletus *lib. 1. cap. 36. n. 3.* Sed hoc debet intelligi dummodo non fiat ad instantiam illius, cujus Ecclesia eligitur, nam si fiat ad ejus instantiam, inducentes prædictas pœnas incurrunt, & electio est nulla; Ita Portel. *in additionibus ad dubia regularia verbo* sepultura *num. 5.* Villalobos, quem refert, & sequitur Pasqualigus *ubi supra n. 8.*

DIco II. Ad incurrendam hujusmodi censuram 822
requiritur, ut de facto sequatur sepulturæ electio, modo dicto, unde non sufficit inductio, si non detur effectus; Ita cum Avila, Suarez, Sanch. Navarr. Pasqualig. *Tom. 2. decis. 374. num. 3.* in hac enim excommunicatione non prohibetur conatus ad inducendum, sed inductio ad eligendum cum voto, inductio autem non est in inducente, sed in inducto, quia dicit non persuasionem, sed quod inducatur; ergo si non sequatur electio, non datur inductio.

An autem incurrat hanc censuram Religiosus 823
inducens ad eligendam sepulturam in loco, ubi eligens sepeliendus erat de jure? Respondeo affirmativè; Ita Portel. *loc. cit. num. 4.* Pasqualigus *loc. cit. decisione 375. num. 3.* nam talis actus est prohibitus, non tantum ob commodum Ecclesiæ, in qua de jure debet defunctus sepeliri, sed ob favorem libertatis electionis sepulturæ.

DIco III. Ab incursu prædictæ censuræ liberat 824
ignorantia, & bona fides, etiam si ignorantia à culpa non excuset: nam Pontifex in dicta *Clementina* fert excommunicationem contra temerarios violatores suæ Constitutionis; Ita Suarez *Tom. 5. de cen-* 825
suris disp. 22. sect. 4. numer. 26. Pasqualigus *decisione* 826
376. n. 3. qui *n. 4.* addit ab illa etiam excusare ignorantiam affectatam; nam hæc sufficit ad excludendum ausum temerarium, qui requiritur pro contrahenda tali excommunicatione.

An autem, si unus tantum Religiosus inducat modo dicto ad electionem sepulturæ sufficiat ad incurrendam hanc censuram? negat Pellizzarius *Tractat. 7. cap. 2. numer. 109.* Rodrig. *in summa 4. Tom. cap. 130. numer. 3. & Tom. 3. quæst. 58. art. 7. dub. 3.* Ubaldus, Portel, quos refert Pasqualig. *decisione 380. numer. 2.* sed dicunt talem 827
inductionem deberi fieri à majori parte Communitatis, licet oppositum probabilius teneat Pasqualigus *ibidem num. 2.*

* * *

§. 8.

De obligatione non administrandi extremam Unctionem, Eucharistiam, aut solemnizandi matrimonium absque licentia Parochi.

828 *Regulares, qui sacramentum Extremæ unctionis, vel Eucharistiæ, sine licentia parochi vel privilegio Apostolico sæcularibus administrant, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam.*

829 *Eandem censuram incurrunt, qui à pœna, & culpa, vel excommunicatos à canone, vel à sententiis per statuta synodalia, vel Provincialia statutis absolvunt.*

830 *Quos Religiosos comprehendat hæc censura?*

831 *Ab incursu hujus censuræ excluduntur novitii.*

732 *Excluduntur Religiosi, qui habent officium parochi respectu suorum subditorum, non vero extraneorum.*

833 *Excluduntur Religiosi, qui prædicta sacramenta ministrant Religiosis alterius Ordinis.*

834 *Excluduntur qui de licentia parochi speciali, vel generali ea administrant*

835 *Idem dicendum est, si administrent ex licentia tacita, si urgeat necessitas suscipiendi ea.*

836 *Idem dicendum est, quando datur consuetudo recepta, & approbata.*

837 *Vel datur extrema necessitas recipiendi Eucharistiam, vel Extremam unctionem, & parochus nolit ea ministrare.*

838 *Non incurrunt hanc censuram, qui fictè hæc sacramenta administrant.*

839 *Quæ privilegia habeant Regulares circa hoc?*

840 *Quæ absolutio à censura in hac prohibitione comprehendatur?*

841 *Quid per absolutionem à culpa, & pœna in hac* Clementina *intelligatur?*

842 *Quid per parochum, à quo debet peti licentia, intelligatur?*

843 *Religiosi solemnizantes matrimonium jure antiquo, incurrebant excommunicationem Papæ reservatam.*

844 *Quid sit matrimonium solemnizare?*

845 *Religiosi assistentes matrimonio non incurrunt hanc censuram, incurrunt tamen suspensionem.*

846 *Religiosi solemnizantes matrimonium de jure novo tantùm incurrunt suspensionem.*

DIco I. Religiosi, qui Clericis, vel Laicis Sacramento Extremæ unctionis, vel Eucharistiæ ministrare, non habita super his Parochi licentia speciali, aut qui excommunicatos à Canone, præterquam in casibus jure expressis, vel per privilegia Sedis Apostolicæ concessis eisdem, vel à sententiis per Statuta synodalia, aut Provincialia promulgatis, seu à pœna, & culpa absolvere præsumpserint, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, in *Clementina* Religiosi *de privileg. & excessibus privilegiorum.* 828 829

Dico II. Hæc censura solum comprehendit Religiosos sacerdotes, qui non habentes officium parochi Clericis, vel Laicis prædicta Sacramenta verè absque licentia, vel privilegio ministrare præsumunt. Unde excluduntur PRIMÒ novitii, nam hi in odiosis non veniunt nomine Religiosi; Ita Suarez *disp.* 22. *de censuris sect.* 4. *num.* 2. Filiucius *Tract.* 15. *cap.* 8. *quæst.* 1. *num.* 185. Bonacina *Tom.* 3. *de censuris disp.* 2. *quæst.* 9. *part.* 5. *num.* 428. contra Sairum, & alios. 830 831

SECUNDÒ excluduntur Religiosi non sacerdotes, & Moniales; Ita cum Ancharrano Bonacina *ubi supra n.* 27. contra Suar. Filiucium, & alios. 832

TERTIÒ excluduntur Religiosi, qui habent officium parochi, si suis ovibus ministrent prædicta Sacramenta, secus si extraneis ovibus ea administrent; Ita Silvest. Suar. quos refert, & sequitur Bonacina *loc. cit. num.* 29. Alterius *lib.* 5. *disp.* 22. *cap.* 3. contra Navarrum, & alios. 833

QUARTÒ excluduntur Religiosi, qui prædicta Sacramenta ministrant, Religiosis alterius Ordinis, nam in materia odiosa nomine Clericorum non veniunt Religiosi; ita ex communi sententia tradit Barbosa *à leg.* 50, *num.* 99. & alii apud ipsum.

QUINTÒ excluduntur qui de licentia Parochi speciali, vel saltem generali ea administrant; ut si alicui Religioso concedatur licentia administrandi omnia Sacramenta, quæ ad curam animarum pertinent, vel alicui sæculari, ut ea ab aliquo Religioso possit recipere, ut benè Sanch. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 35. *n.* 7. *& sequentibus.* 834

Idem dicendum est, quando datur licentia tacita, ut si Parochus sit absens, & urgeat necessitas suscipiendi Eucharistiam, vel Extremam unctionem; 835

Ita

Ita cum aliis Bonac. *ubi supra part.* 5. *num.* 5. adversus Barbosam, & alios.

836 Idem dicendum est, quando datur consuetudo
837 recepta, & approbata, vel datur extrema necessitas, & Prælatus nolit viaticum, vel Extremam unctionem ministrare, nam in hoc casu non requiritur ratihabitio Parochi, dummodo tollatur scandalum; Ita cum Suar. Toleto, Tamburinus *de jure Abbatum Tom.* 2. *disp.* 7. *quæsito* 2. *n.* 2.

838 Sextò excluduntur, qui ficte hæc sacramenta administrant, licet, aliàs gravissimè peccant: nam cum hæc prohibitio sit pœnalis, debet restringi ad administrantes vera sacramenta; Ita Suar. *disp.* 22. *de censuris sect.* 4. *num.* 23 Pellizzarius *Tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 109. contra Bonacinam *ubi supra num.* 25.

839 Septimo excluduntur, qui ex privilegiis prædicta Sacramenta ministrant. Quæ autem privilegia circa hæc Sacramenta habeant regulares late diximus *in Tract. de privilegiis disp.* 3. *sect.* 3. §. 1. *&* 3.

Tandem excluduntur, qui bona fide, vel ignorantia crassa, vel supina talia Sacramenta ministrant cum talis excommunicatio lata sit in præsumentes; Ita Suarez *ubi supra num.* 20. Bonacina *loc. cit. num.* 3.

840 Dico III. Absolutio, quæ in hoc capite prohibetur, est absolutio omnium excommunicationum, lege Pontificia, sive alicujus Synodi Provincialis reservatarum, à quibus absque speciali privilegio Sedis Apostolicæ absolvere non possunt Regulares, sed hoc privilegio omnes Regulares præcipuè Mendicantes hodie fruuntur, us diximus *in*
841 *Tractatu de privilegiis loco citato.* Unde excluduntur excommunicationes ab homine, etiam si sint reservatæ, & excommunicationes à jure non reservatæ, nam hæ sunt in jure expressæ.

Adverte tamen per absolutionem à culpa, & pœna in dicta *Clementina* intelligi administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, cum concessione indulgentiæ plenariæ: unde si Religiosus absolvat non à tota pœna, sed à parte illius per modum indulgentiæ, unius anni v. g. non incurret hanc censu-
842 ram, Suar. *loc. cit. n.* 20. Tandem per Parochum, à quo debet peti licentia, intelligi Rectorem immediatum Ecclesiæ, Episcopum, vel ejus Vicarium generalem, sive sint, vel non Sacerdotes; Ita Sanch. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 29. *num.* 4. Saytus apud Bonacinam *loc. cit n.* 10.

843 Dico IV. Religiosi solemnizantes matrimonium absque licentia Parochi eandem excommunicationem Papæ reservatam incurrebant ex vi hu- 844
jus *Clementinæ*; circa quam prohibitionem nota solemnizare esse idem, ac solemniter nuptias benedicere; unde Religiosi tantum illi assistentes, non incurrunt hanc censuram, etiam stando in terminis hujus *Clementinæ*; sed tantum incurrunt su- 845
spensionem latam in Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. *de reformat.* Ita ex communi sententia Bonacina *ubi supra num.* 13.

Secundo adverte, Religiosos hodie non solum assistentes, sed etiam solemnizantes matrimonium absque licentia Parochi non incurrere prædictam excommunicationem latam in hac *Clementina*, sed tantum prædictam suspensionem latam *in Trident.* Tum, quia sic declaravit sacra Congregatio. Tum, 846
quia aliàs duplex pœna pro uno delicto imponeretur. Tum etiam, quia quando fertur nova pœna pro eodem delicto, quod acrius puniebatur in lege antiqua, hoc ipso cessat pœna gravior antiquior; Ita Sairus, Rebellus, Suar. & alii, quos refert, & sequitur Bonacin. *disp.* 2. *q.* 9. *p.* 5. *n.* 4. & Gabriel à S. Vinc. *opere cit. disp* 6 *de Suspens. q.* 4. *n.* 112.

§. 9.

De obligatione non eundi ultra mare sine licentia Superioris.

847 *Religiosi euntes ad partes ultramarinas, ubi pauci fideles reperiuntur, sine licentia suorum Prælatorum, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam.*

848 *Eandem censuram incurrunt Prælati, qui talem licentiam concedunt, nisi Fratribus prudentia, & experientiâ, & scientiâ præditis.*

849 *Non incurrunt hanc censuram Religiosi accedentes ad loca ultramarina, ubi major est numerus fidelium quam infidelium.*

850 *Non incurrunt hanc censuram generales Ordinum, si ipsi accedunt ad prædicta loca; ubi sunt pauci Fideles.*

851 *Nec Religiosus, qui de sui Prælati licentia accedit.*

852 *Cujus Prælati debeat esse prædicta licentia.*

853 *Prælati concedentes prædictam licentiam Religiosis illiteratis, incurrunt hanc excommunicationem.*

854 *Idem dicendum est de concedentibus eam litteratis, si non fuerint providi, & prudentes.*

855 *Quid si Prælati concedant illiteratis, vel non providis hanc licentiam ex ignorantia?*

856 *Prælati non incurrunt hanc excommunicationem,*

nem; si licentiam prædictam concedant Religiosis alterius Ordinis.

857 *Ipsi Religiosi illa utentes incurrunt hanc excommunicationem.*

847 DIco I. Universi, & singuli Religiosi, etiam Laici cujuscumque Conditionis, Religionis, Ordinis, vel status existant, euntes ad partes ultramarinas, ubi pauci Fideles inveniuntur, sine licentia suorum Superiorum, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam in Extravaganti *Ad nostrum de Regularibus.* Eandem censuram incurrunt

848 Prælati, qui talem licentiam concedere audent quibusvis Fratribus sui Ordinis, exceptis Fratribus scientia, experientia, & prudentia præditis; ita habetur in dicta *Extravaganti.*

849 Hinc fit PRIMÒ non incurrere hanc censuram Religiosos accedentes sine licentia ad loca ultramarina, ubi est major pars Fidelium, quam infidelium, cum in dicta Extravaganti solum excommunicentur, qui transeunt ad loca, ubi sunt pauci fideles; Ita Bonacina *de censuris in particulari Tom. 3. disp. 2. quæst 9. n. 4.*

850 SECUNDO non incurrere hanc censuram Generalem Ordinis, si adeat ad prædicta loca, nam textus tantum loquitur de Religiosis subditis, benè tamen alii Prælati inferiores, cùm licet Prælati sint, sunt etiam subditi; Bonacina *ubi supra n.* 8. Lezana *Tom. 1. cap.* 18 *num.* 99.

851 TERTIÒ non incurrere hanc censuram, qui de sui Generalis, non tamen Prioris, aut Provincialis licentia expressa in scriptis habita, adeunt prædicta

852 loca; Ita Bonacina *loco citato.* Dixi *Generalis,* non vero Prioris, vel Provincialis; nam cum textus dicat *absque licentia Superioris Ordinis sui,* per talem Superiorem non Prior intelligi debet, sed per antonomasiam, Generalis? ita cum Bonacina, Lezana *ubi supra.*

853 DICO II. Superiores Ordinum concedentes li-

854 centiam ad transeundum ad prædicta loca Religiosis illiteratis, incurrunt hanc censuram, imo concedentes illam Religiosis literatis, non tamen providis, & expertis; textus namque hanc triplicem conditionem requirit; ita Bonacina *ubi supra*

855 *n.* 5. non tamen incurrunt hanc censuram, si prædictam licentiam Religiosis illitteratis, aut litteratis non providis, aut inexpertis bona fide, vel ex ignorantia concedant, textus namque utitur verbo *præsumunt.*

856 Idem dicendum est, si dictam licentiam Religiosis alterius Ordinis concedant, cùm textus dicat *Religiosis sui Ordinis;* ipsi tamen Religiosi tali licentia utentes incurrunt dictam censuram, etiamsi prædicta loca petant absque animo introducendi errores; ita Bonacina *ubi supra n.* 4. *& sequentibus.* 857

§. 10.

De obligatione non recipiendi aliquid simoniacè pro ingressu Religionis.

858 *Omnes Religiosi, sive fœminæ, sive viri, qui ex pacto, vel conventione tacita, vel expressa directe, vel indirecte dant vel recipiunt aliquid temporale ob ingressum Religionis, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam.*

859 *Non incurritur hæc censura, si detur, vel recipiatur aliquid pro ingressu ad novitiatum.*

860 *Si quid liberaliter detur sine pacto, vel conventione.*

861 *Vel si detur aliquid pro sustentatione, sive Conventus pauper, sive dives sit.*

862 *Quomodo excusentur moniales, quæ pacta, & conventiones faciunt super dotes monialium?*

863 *Quomodo excusentur prandia, & alia similia, quæ solent tribui in die susceptionis habitus, & professionis?*

864 *Hæc Extravagans quoad hanc partem est abrogata.*

865 *Quomodo sit intelligendum Tridentinum de hac materia?*

866 *Non incurritur hæc censura, si ingrediens det aliquid animo ingrediendi, si illum non manifestet superiori, aut recipienti, &c.*

867 *Non incurritur hæc sententia, si ingrediens aliquid à monasterio recipiat, committit tamen simoniam.*

868 *Incurrit hanc censuram, qui dat aliquid pro suffragio ad professionem obtinendam.*

869 *Idem dicendum est, si admittentes quempiam ad professionem aliquid ex pacto ab aliquo tertio v. g. à consanguineis recipiant.*

870 *Non potest deduci in pactum ut detur certum mutuum, vel aliquod commodatum, vel depositum pro ingressu alicujus, absque incursu hujus censuræ.*

871 *Potest Abbatissa pacisci de certa pecunia quotannis solvenda, donec dos solvatur.*

872 *Si personæ delinquentes contra hanc Constitutionem, singulares fuerint, incurrunt prædictam excommunicationem.*

873 *Si fuerit totum Collegium, non excommunicationem,*

nem, sed suspensionem reservatam, ab omni actu jurisdictionem Ecclesiasticam exigente incurrit.

858 DICO I. Omnes Religiosi sive viri, sive fœminæ, qui ob professionem Religionis ex pacto aliquo, vel conventione, tacita vel expressa directè vel indirectè aliquid temporale dant, vel recipiunt, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam in Extravaganti *Sane*, de simonia. Ex hac tamen communi resolutione plures deducuntur casus in quibus non incurritur prædicta censura nec à dantibus nec à recipientibus.

859 PRIMUS est, ut si detur, vel recipiatur aliquid non pro professione, sed pro receptione ad novitiatum, nam illic ingressus sumitur pro professione, unde si ante professionem factam retractetur, vel pecunia non recipiatur, vel iterum tradatur, censura non incurritur, licet aliàs committatur Simonia: ita Bonacina *de censuris disp.2.quæst.3.p.29.n.11. & 12.* Suar. *Tom.1.de Relig.lib.4.cap.56.n.7.* Filiucius *Tract.45.cap.13.q.4.n.11.* Reginaldus *lib.23.n.137.*

860 SECUNDUS est, si detur vel recipiatur aliquid liberaliter sine pacto, vel conventione; ita Bonacina *ubi supra n.2.* Suar. *de censuris disp.22.sect.5 n.7.* & nostri Gabriel *op. cit. disp.4. q.8. n.165.* & Lezana *Tom 1.qq.Regul.cap.9.n.37.*

861 TERTIUS est, si detur aliquid etiam ex pacto pro sustentatione Religiosi, sive Conventus pauper sit, ut tenent communiter DD. sive dives, ut tenent Silvester *verbo* Simonia *n. 15.* Sotus *de justitia lib.9. quæst.6.art.2. ad 4.* Miranda *in Tract. de monialibus quæst.8. art.7. concl. 2.* & probabile putat cum Valentia, Aragonio & Sanchez, supracit. Gabriel *n. 166.* & Tancredo *de Religione tract 2.lib.4.de simonia disp.12.n.8.* contra Suar. Filiutium, Navarr. & alios. Ratio est, nam pecunia in hunc titulum exhibita, non commutatur pro re spirituali, sed pro

862 temporali, qualis est sustentatio. Et hinc excusantur Moniales, quæ conventiones & pacta faciunt de dote solvenda pro congrua & sufficiente sustentatione; nam licet Conventus aliquando sit dives, omnibus his indiget, vel ad divinum cultum, vel ad aliarum sustentationem. Unde, ut omnis scrupulus in hac materia à Monialibus tolleretur, illis concessit CLEMENS VII. ut prædicta pacta de dote solvenda possent efficere pro congrua sustentatione, ut referunt Suarez, & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *n.6.* & nost. Gabriel *loc.cit.n.167.*

863 Et idem dicendum est de Monialibus, quæ exigunt ab ingredientibus pastus, prandia, & similia tradi solita, utpote quæ traduntur non pro professione, sed pro sustentatione aliarum, & pro solemnitate, præterquam quod dici potest istam Extravagantem quoad hanc partem esse abolitam, ut de facto ait Lessius *lib.2.cap.35.num.131.* & cum aliis Toletus *lib.1.cap.36.n.5.*

Nec obstat quod *in Tridentino sect.25.cap.3.* præcipitur sub anathemate, ne ante professionem excepto victu, & vestitu novitii vel novitiæ aliquid ex bonis ejus recipiatur. Respondetur namque Concilium *ibidem* non loqui de his, quæ ad sustentationem novitii, vel novitiæ, vel pro solemnitate professionis juxta receptam Monialium, & Religiosorum praxim dantur, sed de illis rebus, quæ à novitiis dantur, ut ea Conventus possideat, ne postea ob difficultatem illas recuperandi cogantur persistere in Religione. 864 865

QUARTUS casus in quo non incurritur hæc censura est, si ingrediens aliquid det animo ingrediendi, non tamen illud superiori manifestet: ita cum Suario, Alterio Bonacina *num. 3.* Vel si ingrediens Religionem aliquid etiam ex pacto à monasterio recipiat, licet aliàs committat simoniam, nam excommunicatio solum fertur contra dantes vel recipientes pecuniam à volentibus ingredi: ita Filiutius *Tract.45.cap.13.n.11.* 866 867

Incurrunt tamen prædictam censuram, qui dant aliquid non pro professione, sed ut obtineant, vel ferant suffragium pro professione, nam hîc non solum prohibetur datio directa, sed etiam indirecta pro professione, qualis est ista. 868

Et idem dicendum est in casu, quo admittentes ad professionem aliquid ex pacto, recipiant ab aliquo tertio v.g. consanguineis, cùm hoc etiam sit recipere indirectè. 869

An verò possit deduci in pactum pro ingressu Religionis, ut detur monasterio certum mutuum, vel aliquod commodatum, vel depositum absque incursu hujus censuræ? Respondeo negativè; nam cum lex intendat, ne fideles ratione expensarum retrahantur à Religione, multi, eo quod non habuissent mutandi, &c. copiam, à Religione retraherentur, ita Pellizzarius *Tract. 7. cap. 2. n.119.* Poterit tamen Abbatissa pacisci de certa quantitate pecuniæ quotannis solvenda, donec dos integrè tradatur, tam propter damnum emergens, quam propter lucrum cessans, ut si censum redimere non posset propter dotem non solutam: ita Rodyig. Miranda, quos refert, & sequitur Bonacina *ubi supra n. 8.* 870 871

Adverte tamen, quod si personæ delinquentes adversus hanc Constitutionem singulares sint, 872 873 hanc

hanc excommunicationem incurrunt; at si Capitulum, vel Conventus fuerit, eo ipso incurrit reservatam suspensionem ab omni actu & officio Capitulari, & communi, jurisdictionem Ecclesiasticam exigente, quia Capitulum alterius suspensionis capax non est: ita Suar. *lib. 4. de simonia cap. 36. n. 9.*

§. II.

De obligatione, quam habent Superiores regulares denuntiandi proprios subditos suspectos de hæresi, vel etiam hæreticos.

874 *Prælati non denuntiantes Religiosos professos, cujuscumque Religionis hæreticos, vel de hæresi suspectos Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam.*

875 *Idem dicendum est, si Prælati impediant, ne Religiosi alios denuntient.*

876 *Hanc censuram non incurrunt Prælati non denuntiantes novitios, aut sæculares*

877 *Hanc censuram non incurrunt Religiosi, qui non sunt Prælati non denuntiantes.*

878 *Prælati possunt per alios denuntiare.*

879 *Si aliquis scienter erret in fide, statim sine correctione fraterna est denuntiandus, etsi crimen sit occultum.*

880 *Si erret ex ignorantia, præmittenda correctio fraterna.*

881 *Quid si audiens hæresim nesciat, an peccet ex ignorantia?*

882 *In aliis delictis occultis præmittenda est correctio fraterna.*

874 DIco I. Prælati regulares non denuntiantes, vel
875 præsumentes impedire alios Religiosos, ne denuntient Inquisitoribus, aut Ordinariis locorum vicinioribus Religiosos professos, cujuscumque Religionis sint, hæreticos, aut suspectos de hæresi, quales essent, qui ad turpia sollicitant in confessionibus, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam ex Bulla PAULI V. incipiente *Romanus Pontifex.* apud Bonacinam *de censuris disp. 2. quæst.*
876 *9. part. 7. n. 2.* Circa hanc tamen censuram adverte non illam incurrere Prælatos non denuntiantes Novitios, vel laicos, nam isti non sunt professores
877 & Religiosi: ita Bonacin. *ibidem n. 3.* Nec etiam alii Religiosi subditi non denuntiantes, incurrunt dictam excommunicationem, quia hæc Constitutio lata est contra Prælatos Religionis, ergo non comprehendit alios Religiosos, etiam si rebus monasterii præsideant, si tamen jurisdictione careant; Ita Bonacina *num. 6.* Adverte tamen quod Prælati non tenentur semper per se ipsos prædictos hæreticos denuntiare, sed sufficere, ut denuntient per eum, à quo audierunt illum Religiosum esse hæreticum, aut de hæresi suspectum. 878

An autem Prælatus antequam denuntiet Religiosum hæreticum, aut de hæresi suspectum, ut exempli causa sollicitantem ad venerem in confessione, teneatur præmittere correctionem fraternam, si speretur correctio? Affirmant D. Thom, Sotus, Canus, Silvest. Lopez Ledesma, Cruz, Zanand. Castr. Tolet. Homobon. Angelus, Rosella, quos refert Diana *1. part. tract. 7. resol. 2.* Fagund. Sousa, Lezana, Portel, Palaus Rodrig. Acugna, quos refert Diana *4. part. tract. 5. resol. 24.* Fragos. quem refert Diana *9. part. tract. 8. resol. 46.* Duvalius, quem refert Diana *7. p. tract. 3. resol. 63.* quorum aliqui dicunt talem correctionem esse faciendam etiam in dubio, an talis correctio sit profutura? Negativam tamen sententiam tenent Bonacin. Villalob. Simancas, Suar. Sanctius, Sanctarel. Henriq. Turrian. Azor, Silvius, Coninch. & alii quos refert & sequitur Diana *1. part. tract. 4. resol. 2.* & alii, quos refert & sequitur *4. p. tract. 5. resol. 24. & 9. part. tract. 8. resol. 46.*

Ego tamen in hac magna difficultate distinguendum esse existimo; vel enim aliquis errat in fide ex ignorantia, etiam vincibili, crassa, & supina: vel scienter; si scienter tunc existimo, statim, nulla correctione præmissa, esse denuntiandum; quod quidem verum existimo, etsi delictum sit occultum, & jam emendatum appareat: Ita Sanctarellus, Bonacina, Azorius, & alii multi, quos refert, & sequitur Diana *1. part. tract. 4. resol. 3.* contra Sotum, Genuensem, Naldum, Victorellum, Felinum, Zanardum Rodericum, Freitas, Megalam, Portel, & alios quos ibi refert. Sunt namque hæretici valde subdoli, & fingunt se esse emendatos, ne denuntientur, unde semper remanet dubium, an sit emendatus. Si verò quis erret in fide ex ignorantia etiam vincibili, crassa, & supina: existimo non esse statim denuntiandum, sed prius esse corrigendum servato ordine correctionis fraternæ Evangelicæ: ita Alphonsus Penna, Toletus, Navarrus, Filiucius, Martinus Delrio, Salon. Sanch. quos refert, & sequitur Trulenc. *in Decal. lib. 1. cap. 2. dub. 5. n. 6.* 879 880

Ratio est, Tum, quia hic non est formaliter hæreticus; 881

reticus; Tum, quia in hoc casu non est periculum in mora, nec desperatur emendatio, quod procedit etiam quando audiens hæresim prorsus ignorat, an ex ignorantia, vel malitia erraverit, dummodo errans sit vir simplex, & pius, qui ex ignorantia errare probabiliter præsumatur, ut optimè advertit Trulenc. *loc.cit.* quod si detur dubium, an ex ignorantia, vel malitia erraverit, tunc Delrius *lib. 5. sect.* 4. existimat statim denuntiandum esse, sed ego existimo prius esse monendum; in dubio namque benignior pars est eligenda, ut ex pluribus legibus, & Doctoribus probat Valasco ex Simone Vaz Barbosa *de locis littera D.n.*221. quod si post monitionem adhuc perseveret, statim denuntiandus est, nam tunc jam non ex ignorantia, sed ex pertinacia peccat: ita cum aliis Trulencus *supra cit.loc.*

882 Et idem dicendum existimo de aliis delictis contentis in edicto Inquisitorum, quæ non sunt hæresis formalis, ut solicitatio in confessione; nam in his omnibus debet præcedere correctio fraterna, si crimen sit occultum, & speretur emendatio; ita Fragos. *Tom.2.lib.5. disp.*14. *§.1.num.*11. Fagund. Sousa, Lezana, Portel, Palaus, Hieronymus, Rodrig. Peyrinis, Cruz, Ledesma Acunna, quos refert Diana 4 *p. tract.* 5. *resol.*24. quidquid ibi cum aliis in contrarium dicat Diana, præceptum namque correctionis fraternæ, cum sit divinum, debet prævalere cuicumque humano, præcipuè, quando speratur emendatio, ut in his casibus probabiliter sperari potest; quod tamen non datur in hæretico formali, qui non ex fragilitate, sed ex malitia, & protervia peccat.

Post hæc scripta reperio *P. Gabrielem à S. Vincentio* S. Theologiæ & Controversiarum, in Seminario Missionum Congregationis nostræ Italicæ, Romæ Professorem, in *sæpe cit. opere de censur Disp. q.*10.*num.*453. Sic respondentem præfatæ difficultati; *Si quis hic & nunc præsumeretur non se emendaturus, uti præsumitur de hæretico ex malitia, qui sua falsa dogmata disseminat, statim deberet denuntiari, absque alia monitione, ut novissimè decernit SS. D. N. Alexander VII. in decreto quod incipit,* LICET ALIAS. 24. *Aug. an.*1660. *imo vult Pontifex debere denuntiari, absque prævia correctione fraterna de hæresi suspectos.*

***

§. 12.

De obligatione debitè loquendi in sermonibus ad populum de Conceptione Beatissimæ MARIÆ Virginis.

883 *Asserentes hæreticum esse, aut peccatum mortale, credere Beatam Virginem absque peccato originali fuisse conceptam, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam.*

884 *Eandem censuram incurrunt, qui dicunt incurrere alicujus peccati reatum, qui officium Conceptionis recitant, vel conciones audiunt illorum, qui eam sine peccati macula prædicant.*

885 *Quid si habeant libros prædictas assertiones continentes?*

886 *Qui ausi fuerint asserere tenentes SS. Virginem MARIAM cum originali peccato fuisse conceptam hæresis crimen, aut peccatum mortale committere, incurrunt eandem censuram.*

887 *Asserentes peccare venialiter, qui dixerit Beatam Virginem sine originali fuisse conceptam, non incurrunt hanc excommunicationem.*

888 *Incurrunt tamen illam, qui dixerit committere peccatum veniale, qui officium Conceptionis recitat, vel hujusmodi conciones audit.*

889 *Non incurrunt hanc censuram tenentes, vel legentes libros, in quibus asseritur hæreticum, vel peccatum mortale esse, credere Beatam Virginem immunem fuisse ab originali peccato, vel peccati reatum incurrere, qui officium Conceptionis recitant, vel ejusmodi conciones audiunt, ut eos impugnent.*

890 *Non incurrunt hanc censuram asserentes peccare mortaliter, qui audiunt conciones, in quibus prædicatur Virginem cum peccato fuisse conceptam.*

891 *Neque legentes, vel tenentes libros, in quibus dicatur hæreticum, aut peccatum mortale esse, asserere Virginem peccato originali fuisse maculatam.*

892 *Quas pœnas ex motu* PII V. *incurrunt disputantes de alterutra parte, affirmando unam, & refellendo aliam in concionibus, vel in locis, ubi promiscue solent esse viri, & fœminæ?*

893 *Quas pœnas incurrunt, qui vulgari sermone*

de hac re scribunt refellendo alterutram opinionem?

894 *In hac prohibitione* Pii V. *non prohibetur de alterutra parte disputare, etiam alteram refellendo in scholis, & universitatibus, & inter doctos.*

895 *Neque etiam in popularibus concionibus, si unam partem defendant non impugnando aliam.*

896 *Qui in concionibus, conclusionibus, seu aliis quibuscumque actibus publicis ausus fuerit asserere SS. Virginem cum originali fuisse conceptam, præter pœnas à* Pio V. *alias incurrit à* Paulo V. *impositas, quæ ibi referuntur.*

897 *Easdem pœnas incurrunt, qui opinionem D. Thomæ impugnaverit, seu de ea aliquo modo tractaverit ad eam impugnandam.*

898 *Qui non solùm in sermonibus publicis, sed etiam in privatis asseruerit Beatam Virginem in peccato originali fuisse conceptam, præter pœnas à* Pio V. *&* Paulo V. *statutas, alias etiam à* Gregorio XV. *incurrunt, quæ ibi referuntur.*

899 *Easdem pœnas incurrunt, qui de opinione D. Thomæ aliquo mobo agunt.*

900 *Dominicani possunt de hac opinione differere inter se tantùm.*

901 *Divinum officium, vel Missa non potest sub alio nomine, quam Conceptionis celebrari.*

902 *Qui ex inadvertentia, vel ignorantia actiones prohibitas in prædictis Bullis efficeret, non incurrunt pœnas illarum.*

903 *Qui transcribit librum, in quo pars affirmans Beatam Virginem in peccato fuisse conceptam, continetur, vel eum habet, vel alteri dat, non incurrit prædictas pœnas.*

904 *Qui asserit, vel probat nullo præsente Virginem in originali fuisse conceptam, non incurrit prædictas pœnas, modo non proferat aliquam propositionem damnatam in* Extravaganti Sixti IV.

905 *Qui dicit coram aliis defendi posse opinionem D. Thomæ, aut qui rationes adducit ad eam probandam, incurrit pœnas motus* Pii V. Pauli V. *&* Gregorii XV.

906 *Benè possunt proponi argumenta sententiæ affirmativæ à tenente negativam ad eis respondendum, ut veritas appareat.*

907 *Pars negativa potest defendi in Academiis, & poni possunt argumenta partis affirmantis, non ut prædicta pars impugnetur, sed ut veritas negativæ ostendatur.*

908 *Quomodo in hoc se debeant habere Prædicatores in concionibus?*

909 *Prædicatores non possunt argumenta contraria proponere, & solvere sine incursu prædictarum pœnarum.*

910 *Licitum est in Academiis jurare se defensuros Beatam Virginem sine labe peccati originalis fuisse conceptam.*

911 *Idem possunt facere alii populi faciendo votum, vel juramentum in communi.*

912 *Hoc juramentum in multis Orbis Universitatibus cum omnium laude factum est.*

913 *Quo anno Universitas Conimbricensis hoc juramentum emiserit?*

Dico I. Asserentes hæreticum, aut peccatum mortale esse, credere Beatissimam Virginem fu-
isse conceptam absque peccato originali, vel affir- 883
mantes alicujus peccati reatum incurrere, qui offi-
cium Conceptionis celebrant, vel conciones audi- 884
unt illorum, qui eam sine peccati macula prædi-
cant, aut qui ausu temerario libros prædictas asser- 885
tiones continentes, pro veris habent, tenent, vel legunt, vel qui ausi fuerint asserere, tenentes gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fu-
isse conceptam, hæresis crimen, aut peccatum mor- 886
tale committere, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, in Extravaganti *Grave nimis*, de reliquiis, & veneratione sanctorum, quam postea Tridentinum *sess. de peccato originali ad finem* approbavit, & confirmavit.

Pro explicatione tamen hujus censuræ adverte 887
primo, non incurrere hanc censuram asserentes peccare venialiter credentes, vel tenentes Beatissimam Virginem absque originali peccato fuisse conceptam, cum censura tantum feratur contra asserentes hoc esse peccatum mortale: incurrent tamen illam, qui dixerint esse peccatum veniale, officium Conceptionis celebrare, vel hujusmodi con-
ciones audire; ita Bonacina *Tom.* 3. *disp.* 2. *q.* 9. *p* 3. 888
n. 2. Filiucius, quem refert & sequitur Palaus *Tom.* 5. *disp.* 3 *de censuris p.* 27. *n.* 11.

Secundò adverte non incurrere prædictam cen- 889
suram tenentes, vel legentes libros, in quibus asseritur hæreticum, aut peccatum mortale esse credere Beatam Virginem fuisse immunem ab originali peccato, vel peccati reatum incurrere, qui officium Conceptionis celebrant, vel ejusmodi conciones audiunt, ut eos impugnent, vel ex curiositate, vel ex alio fine existimando falsas esse prædictas

assertiones; Ita Suar. Filiutius, Bonacina, *locis citatis.* Imò, neque incurrent prædictam excommuni-
890 cationem, asserentes, peccare mortaliter, qui audiunt conciones, in quibus prædicatur SS. Virginem fuisse conceptam cum peccato, neque tenentes libros, vel eos legentes pro veris, in quibus dicitur hæreticum, vel peccatum mortale esse asserere SS. Virginem fuisse peccato originali maculatam,
891 cùm de his nihil Constitutio disponat; Ita Palaus *ubi suprà, num.* 11.

892 DICO II. Præter prædictas actiones prohibitas in dicta *Extravaganti* sub excommunicatione, aliæ actiones prohibitæ etiam sunt à PIO V. non sub excommunicatione, sed sub pœna suspensionis à divinis, & privationis cujuscumque gradus, seu dignitatis, vel administrationis, inhabilitatisque ad ipsa ipso facto incurrenda Papæ reservata. *Prima* est disputare de alterutra prædictarum sententiarum affirmando unam, & refellendo, vel impugnando aliam in concionibus, vel in locis, ubi promiscuè solent adesse viri & fœminæ. *Secunda,*
493 de hac re vulgari sermone scribere, seu dictare prætextu pietatis, vel necessitatis, intellige refellendo, aut impugnando contrarium; nam illa verba de hac ipsa quæstione relationem habent ad primam actionem, in qua prohibetur, alterutram sententiam in prædictis locis refelli.

894 Circa hanc tamen Constitutionem Pii V. adverte, in ea non prohiberi de altera prædictarum sententiarum disputare in Academiis, vel aliis locis publicis, ubi homines docti concurrunt, sed ubi promiscua virorum, & mulierum multitudo convenit; imò neque, qui etiam in popularibus concionibus unam partem defendit & confirmat, non impugnando alteram; Ita Bonacina *loc. cit. num.* 9. Palaus *loc. cit. num.* 12. Prohibetur tamen libros non solùm vulgari sermone, sed etiam latino idio-
895 mate scribere, in quibus probetur beatam Virginem cum peccato fuisse conceptam; nam mens Pontificis est tollere scandala, quæ non minùs in libris scriptis vulgari idiomate, quàm latino oriri possent, & multò magìs ex libris impressis, quàm manuscriptis; ut rectè advertit Pellizzarius *Tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 52.

DICO III. Præter prædictas actiones prohibitas tam *in* Extravaganti *Grave nimis*, quàm à PIO V. sub prædictis pœnis, aliæ actiones prohibitæ etiam sunt à PAULO V. sub excommunicatione, pœnis, & censuris latis à PIO V. quibus addit pœnas privationis muneris concionandi, publicè legendi, seu docendi, & interpretandi facultatis, ac vocis activæ, & passivæ, in quibuscumque electionibus ipso facto incurrendis, & inhabilitatis ad ipsa; & concedit Episcopis, & Inquisitoribus, ut procedant contra oppositum facientes. *Prima* est, ne 896
quis in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, seu aliis quibuscumque actibus publicis asserere audeat beatissimam Virginem cum 897
originali peccato fuisse conceptam. *Secunda* est, ne quis in actibus publicis opinionem affirmantem beatissimam Virginem in peccato fuisse conceptam impugnet, seu de ea aliquo modo tractet, vel agat ad illam impugnandam, evertendam, vel refellendam.

DICO IV. Præter prædictas actiones prohibi- 898
tas, tam ab *Extravaganti* SIXTI IV. quàm à PIO V. & PAULO V. sub prædictis pœnis, aliàs prohibuit GREGORIUS XV. ut omnis occasio scandali tolleretur sub pœnis contentis in Bulla PII V. & PAULI V. *Prima* est in sermonibus, vel scriptis 899
etiam privatis asserere beatam Virginem in pecca- 900
to originali fuisse conceptam. *Secunda*, de opinio- 901
ne D. Thomæ aliquo modo agere, seu tractare, nisi fortè hoc quis faciat ex privilegio Apostolico, quale habent Dominicani ad inter se duntaxat de hac re disserendum. *Tertia*, Missa, vel officium divinum publicè, vel privatim recitare sub alio nomine, quàm Conceptionis. Vide nost. Gabrielem *loc. suprà cit. disp.* 4. *quæst* 8. *num.* 191.

Circa quam Constitutionem nota, non incur- 902
rere prædictas pœnas, qui inadvertenter, vel ignoranter prædictas actiones in hac Bulla prohibitas efficeret; quia in prædicta Bulla requiritur audacia; Pellizzarius *Tract.* 8. *cap.* 4. *num.* 13. Item non incurrere prædictas pœnas, qui transcriberet librum, in quo pars affirmans beatam Virginem 903
fuisse in peccato conceptam, continetur: neque, 904
qui eum habet, vel alteri dat: neque, qui nullo præsente asserit, vel rationibus probat prædictam partem affirmantem, modò non proferat aliquam propositionem damnatam *in Extravaganti* SIXTI IV. cùm nulla ex his actionibus in prædictis Bullis prohibeatur, incurret tamen prædictas pœnas, 905
qui dicit coram aliis, defendi posse sententiam D. 906
Thomæ; aut, qui rationes adducit ad eam probandam, nisi fortè negativam sustineat, & rationes affirmativæ sententiæ adducat, ut illis respondeat; nam hoc non est agere de sententia affirmativa, sed potiùs de negativa; proponuntur autem argumenta partis affirmativæ, ut veritas negativæ 907
clariùs elucescat; Ita Bonacina *loc. cit. num.* 10.

Hinc fit, posse in Academiis defendi partem ne-

908 gantem, & proponi argumenta partis contrariæ,
909 non ut prædicta pars impugnetur, sed ut veritas negativæ ostendatur; Ita Bonacina *ibidem.* Prædicatores tamen solùm possunt adducere rationes, & auctoritates, quibus probent partem negantem; & si inde argumenta partis affirmantis solvantur, non tamen possunt argumenta contraria clarè proponere, & solvere, aliàs incurrent in pœnas Bullæ Pii V. ita Portel. *in additionibus ad dubia regularia, verbo* Conceptio, *num.* 8. qui addit *ibidem num.* 1.

910 Licitum, imò laudabile, & pium esse in Acade-
911 miis, vel Confraternitatibus, vel in populò communi facere votum & juramentum, per quod talis Academia, Confraternitas, vel Communitas juret
912 se defensuram, quoad poterunt, Deiparam caruisse peccato originali, quam ego opinionem verissimam, imò maximè commendabilem existimo, & in gravioribus Orbis Academiis practicatam
913 fuisse, testatur Portel. *ibidem*: & ego illam solemniter vidi executioni mandari in Academia Conimbricensi, cum totius regni plausu anno 1646. Academiæ Rectore, Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino, D. Emmanuele à Saldania, Ecclesiæ Conimbricensis electo Episcopo meritissimo, cujus prudentiam, virtutem, & regium sanguinem, nemo est, qui ignoret, nemo, qui non videat. Circa materiam hanc hujus §. consuli non inutiliter poterunt nostri Salmanticenses *Tom.* 4. *in* 1. 2. *Tract.* 13. *disp.* 15. ubi etiam solidè probant, *Carmelitas fuisse primos Vates & cultores opinionis asserentis immacul. Concept.* & Franciscus Bonæ-Spei in libro, cui titulus: *Magni Prophetæ ELIÆ sacri Carmelit. Ord. Fundatoris, Visio de immaculata Deiparæ Virg. Conceptione à Carmelitis primùm culta & propugnata.*

§. 13.

De obligatione non imprimendi, vel in lucem edendi libros, seu Tractatus de materia auxiliorum, seu de gratia, & libero arbitrio agentes.

914 *Regulares non possunt edere libros, vel Tractatus expressè, vel incidenter tractantes de auxiliis, sine licentia Sedis Apostolicæ, sub variis pœnis privationum, quæ referuntur.*

915 *Idipsum illis prohibitum est sub excommunicatione Papæ reservata, & aliis pœnis.*

916 *In hoc decreto non prohibentur libri, tractantes de aliquo puncto, difficultate, vel quæstione de auxiliis.*

917 *Ignorantia, etiam crassa, excusat ab incursu harum pœnarum.*

918 *Non incurrit has pœnas & censuras, qui libros de auxiliis tractantes, transcribit.*

919 *Neque, qui evulgat privatim eos communicando amicis.*

920 *Quæ veniant nomine librorum?*

921 *Qui evulgant manuscripta per modum librorum, incurrunt prædictas pœnas & censuras.*

922 *Tenentes, aut legentes librum* Jansenii, *cui titulus,* Augustinus, *vel Theses Patrum Societatis* JESU, *incurrunt excommunicationem. Adverte tamen, quòd hæc excommunicatio non est reservata.*

Dico: Regulares non possunt imprimere, vel 914
edere in lucem libros, seu Tractatus ex professo, vel incidenter, etiam prætextu commentandi D. Thomam, seu in philosophicis, agendi de concursu causæ primæ cum secunda, & præsertim defendendi, aut impugnandi librum Jansenii, cui titulus: *Augustinus*, vel *Theses Patrum Societatis* JESU, aliasque scripturas prohibitas, aut alia quavis occasione, vel modo de materia auxiliorum divinorum, seu de gratia, & libero arbitrio tractantes, sine expressa, & speciali licentia à Sanctitate sua in Congregatione sancti Officii obtinenda, donec aliud in hac materia à Sede Apostolica fuerit ordinatum: ita statuit quoad primam partem conclusionis Paulus V. cujus decretum postea confirmavit Urbanus VIII. anno 1625. die 22. Maji, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, facultatis concionandi, publicè legendi, docendi, & interpretandi, ipso facto incurrenda, & etiam aliis pœnis Sanctitatis suæ arbitrio infligendis; ipsos verò libros tanquam expressè prohibitos haberi voluit, & impressores præter amissionem librorum, pecuniariis, aliisque corporalibus pœnis juxta criminis gravitatem teneri mandavit: postea verò in Congregatione generali S. Officii secundo Augusti, 1641. hoc ipsum, maxi- 915
mè id, quod dicitur suprà de Jansenio, & illis Thesibus, &c. prohibitum fuit sub excommunicatione latæ sententiæ Papæ reservata, & interdicti Ecclesiastici respectivè, aliisque pœnis, etiam

etiam corporalibus, arbitrio Sanctitatis suæ infligendis.

916 Circa hanc tamen prohibitionem adverte PRIMÒ, in ea non prohiberi libros, tractantes de aliquo puncto, seu difficultate, vel quæstione de auxiliis, aliud enim est materia de auxiliis, aliud verò punctus aliquis, seu difficultas prædictæ materiæ; hæc enim debet esse suæ Sanctitatis mens, aliàs necesse esset alias materias Theologicas, quæ cum materia de auxiliis connexionem habent, non nisi imperfectè, truncatè, & defectuosè pertractari. Hinc fit, in Thesibus publicè defendendis quotidie poni, tam Romæ, quàm alibi, *An detur prædeterminatio physica, scientia media,* & aliæ similes, quod præcipue verum est, si tales quæstiones sincerè, modestèque tractentur; ita Pellizzarius *Tract. 6. cap. 4. num. 42.* Lezana *Tom. 1. cap. 10. num. 24.*

917 SECUNDÒ adverte, ad incurrendum has pœnas requiri ausum temerarium; unde excusat ignorantia etiam crassa & supina.

918 TERTIÒ adverte, non incurrere eas pœnas, qui
919 Tractatus, libros, & scripturas tractantes de *auxiliis* transcribunt, imò & divulgant, privatim
920 scilicet eos communicando amicis, non per modum librorum, sed veluti quædam dictata ad proprium usum confecta; hæc enim non habent rationem libri, qui strictè sumptus importat opus integrum & consummatum, quale est illud, quod solet imprimi, & hæc divulgatio fiat, ut typis mandetur; ut notavit Pellizzarius *Tract. 6. cap. 4.*
921 *num. 10. & 44.* incurrent tamen prædictas pœnas, si divulgent prædictos Tractatus, etiam manuscriptos per modum librorum; nam in prædicto decreto non solùm prohibetur, ne *in lucem edantur*, quod propriè est imprimere, sed, *ne quoquo modo in lucem edantur*; illud autem verbum, *quoquo modo*, non solùm prohibet imprimere, quod est propriè edere in lucem, sed etiam divulgare illa manuscripta, per modum libri, modo dicto; Pellizzarius *ibidem.*

922 Aliam excommunicationem addit sacra Congregatio contra tenentes, aut legentes librum Jansenii, cui titulus: *Augustinus*, vel *Theses Patrum Societatis* JESU, vel scripturas ratione ipsius editas, hæc tamen excommunicatio non est reservata, ut patet ex tenore decreti apud Pellizzarium *ubi suprà.*

§. 14.

De obligatione, quam habent Regulares non legendi, nec retinendi libros hæreticorum, hæresim continentes, aut tractantes de Religione.

923 *Regulares non possunt legere, vel retinere, imprimere, vel defendere libros hæreticorum, hæresim continentes, aut tractantes de Religione, sub excommunicatione Papæ reservata.*

924 *Qui veniant nomine hæreticorum? legens librum hæretici occulti, aut infidelis, de quibus non constat tales esse, licèt contineat hæresim, non incurrit hanc censuram.*

925 *Quid veniat nomine librorum hæreticorum prohibitorum in hoc decreto?*

926 *Quid si liber non tractet de articulis fidei, vel de rebus ad Religionem pertinentibus?*

927 *Qui unam tantùm paginam legit horum librorum hæreticorum, excusatur à censura.*

928 *Quid si legat hæretici epistolam, concionem, vel aliam brevem scripturam?*

929 *Ad incurrendam hanc censuram requiritur scientia qualitatis auctoris, & libri.*

930 *Excusat ignorantia crassa, & supina, imò affectata, dummodo non contineat ingentem temeritatem.*

931 *Quid si quis ignarus linguæ latinæ legat librum hæretici idiomate latino?*

932 *Qui audit legentem, etiamsi ad legendum inducat, aut memoriter discat, quod alius legit, non incurrit prædictam censuram.*

933 *Quid si librum oculis tantùm percurrat, advertendo mente ad id, quod dicit?*

934 *Retinentes hos libros in sua, vel aliena domo, incurrit eandem censuram.*

935 *Quid si eos retineant per unum, vel alterum diem, ut eos commodius tradat Inquisitoribus?*

936 *Quid si retineat per unum diem, animo non eum præsentandi sancto Officio, si tamen postea præsentet?*

937 *Imprimentes, & defendentes hujusmodi libros, quovis prætextu, incurrunt eamdem excommunicationem.*

DICO:

923 DICO: Regulares, & idem dicendum est de omnibus Fidelibus, non possunt legere, aut retinere, imprimere, aut defendere libros hæreticorum, hæresim continentes, aut tractantes de religione sub excommunicatione Papæ reservata in Bulla Cœnæ.

924 Circa quam nota PRIMÒ, nomine hæreticorum venire omnes Christianos, qui à fide errârunt, & ut tales declarati sunt. Hinc fit, legentem librum hæretici occulti non incurrere hanc censuram, sicut nec legens libros infidelis hæresim continentes; ita cum Portel. Bordonus *Tom.* 2. *resol.* 58. *num.* 25. sed hoc debet intelligi, dummodo non constet auctorem esse hæreticum, ut cum Sanch. advertit Pellizzar. *Tract.* 6. *cap.* 5. contra Graffium, qui existimat solùm incurrere prædictam censuram, qui librum auctoris hæretici damnati legit.

925 SECUNDÒ adverte, nomine librorum venire libros hæreticorum declaratorum modo dicto, vel quælibet pars notabilis illorum, modò liber contineat hæresim; sufficit tamen, quòd unam hæresim solùm contineat, vel tractet de religione, ut, si sacram Scripturam interpretetur, Theologicas quæstiones scholasticas decidat, agat de articulis fidei, & de rebus spectantibus ad Dei, vel Sanctorum cultum; idque non incidenter, sed ex professo,
926 vel etiam de statu religioso; secùs dicendum est, si tractet de aliis, ut de Philosophicis, Historiis profanis, modò admistam hæresim non habeant; ita ex Portel. & Ugolino Bordonus *Tom.* 2. *resol.* 58. *num.* 25. Liber autem hæreticus non dicitur, in quo referuntur hæreses, & reprobantur, neque confectus à Catholico, etiamsi ex ignorantia aliquem contineat errorem, nec continens annotationes, & scholia hæreticorum, sive liber sit impressus, sive manuscriptus; ita cum Portel. Bord. *ubi suprà.*

927 Item, qui legit unam paginam, non dicitur legere librum hæretici, ac per consequens à censura excusatur, ratione parvitatis materiæ; ita Bordon. *loc. cit.* & cum Vivaldo, Sa, Rodrig. & aliis docet Sanch. *lib.* 2. *in Decal. cap.* 10. *num.* 31. Filiucius, Duard. Portel. & Layman. apud Dianam 1. *part. tract.* 11. *resol.* 30. quidquid alii in contrarium dicant apud eundem Dianam 8. *part. tract.* 5. *resol.* 42.

928 Idem satis probabiliter dicendum est, si legat hæretici epistolam, concionem, aliamque brevem scripturam, quia hæc in communi modo loquendi libri non reputantur; Ita Sanchez, Duard. Bonacina, quos refert, & sequitur Palaus *Tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 2. *part.* 10. §. 1. *num.* 5. Quicquid dicat Suar. Ugolinus, & alii, quos refert ipse Palaus *ubi suprà, num.* 4.

TERTIÒ adverte, ad incurrendam hanc censuram requiri scientiam qualitatis auctoris, & libri, aliter legens, seu retinens, ab illa excusabitur, etsi ignorantia sit crassa & supina, imò & affectata, dummodo non contineat ingentem temeritatem aut culpam latissimam; ut probat Sanchez *lib.* 9. *de matrim disp.* 32. *num.* 36. & 39. Bordonus *loc. cit.* 929 930

QUARTÒ, non incurrit legens librum latino idiomate exaratum, si penitùs ignoret latinum, sicut si legeret alio idiomate composito sibi ignoto; Sanch. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 51. Bordonus *ubi suprà.* 931
Item, qui audit legentem, etiamsi ad legendum inducat, aut memoriter discat, quod alius legit, non incurrit prædictam censuram, quia non dicitur legere; Sanch. Ugolin. Coninch. quos refert, & sequitur Palaus *ubi suprà,* §. 2. *num.* 49. quidquid cum aliis dicat Suarez apud eumdem Palaum, dicitur tamen legere non solùm, qui verba ore exprimit, sed etiam, qui oculis librum percurrit, advertendo mente ad id, quod dicit, Graffius, Megala, Naldus, quos refert, & sequitur Bordon. *ubi suprà, num.* 26. 932 933

QUINTÒ, ille dicitur retinere ad effectum hujus censuræ, qui apud se, hoc est, in domo sua, vel alibi retinet quovis fine aliquem librum, sive aliquam ejus partem, etiamsi sit ad hæresim impugnandam; ita cum aliis Palaus *loc. cit. num.* 9. Excusabitur tamen, si per diem unam, vel aliam eum retineat animo deferendi illum ad Inquisitores data opportunitate; Sanch. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 52. *usque ad* 56. Portel. *ubi suprà, num.* 12. Bordon. *loc. cit.* Imò, etiamsi talem librum retineat per unum diem, animo nunquam eum tradendi Inquisitoribus, si postea pœnitentia ductus, de facto statim tradat, non incurrit prædictam censuram; nam censura non incurritur ex voluntate retinendi, sed ex voluntate executioni mandata, quæ cùm non sit mandata executioni in materia gravi, sed levi, excusat à censura; ita Sayrus, Reginaldus, Bonacina, Sanchez, quos refert & sequitur Palaus *suprà, loc. cit. num.* 11. quidquid in contrarium dicat cum aliis Suarez *disp.* 20. *sect.* 1 *num.* 22. 934 935 936

SEXTÒ, defendentes hujusmodi libros quovis prætextu, etiam parentelæ sunt excommunicati; quia hujusmodi libri sunt incapaces defensionis. Ille autem defendit, qui impedit, ne liber perveniat ad manus Inquisitorum: qui illum laudat, qui scribit in ejus favorem, qui eum abscondit; Sanch. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 58. 937

TANDEM,

TANDEM imprimentes hujusmodi libros incurrunt prædictam censuram; nomine autem imprimentis veniunt non solùm Auctor libri, sed omnes ad impressionem proximè cooperantes, litteras, papyrum, & atramentum præparantes, non tamen, qui expensas pro librorum impressione facit, neque qui papyrum, litteras, vel atramentum ad librorum impressionem donat, vel vendit; ita cum Suario Ugolino, Sanch. & aliis Palaus *ubi suprà* §. 2. *n* 13. plura circa hanc materiam observatione digna reperies apud N. Gabrielem *disput.* 4. *de Excom. q.* 9. *n.* 199. *& seqq. & q.* 10. *n.* 430. *& seq.*

§. 15.

De obligatione non commutandi vota reservata Papæ.

938 *Religiosi, qui prætextu facultatum à* SIXTO *IV. concessarum, commutant vota Papæ reservata, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam.*
939 *Non incurrunt hanc censuram qui vi alterius vel nullius privilegii illa commutant, vel dispensant.*
940 *Nullum privilegium de hac re concessit* SIXTUS IV.
941 *Hæc excommunicatio hoc tempore incurri non potest.*

938 DIco I. Religiosi, qui prætextu facultatum à SIXTO IV. concessarum commutant vota Papæ reservata, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, ex Constitutione SIXTI IV. quæ
939 incipit, *Etsi Dominici.* Circa hanc tamen prohibitionem adverte hanc censuram non incurrere, qui
940 vi alterius, vel nullius privilegii illa commutat, vel dispensat. Undè cum nulla facultas concessa à SIX-
941 TO IV. de hac re sit, hæc excommunicatio præsenti tempore incurri non potest; ita Suarez aliis relatis *disputatione* 22. *de censuris sectione* 5. *numero* 29. Palaus *Tomo* 6. *disput.* 3. *de censuris part.* 2. *numero* 16. Imò hæc Bulla cum loquatur de commutatione non est extendenda ad dispensationem, cum pœnæ extendendæ non sint; ita Clavis regia *libro* 6. *capite* 11. *numero* 39. *&* 40.

* * *

§. 16.

De obligatione non rebellandi contra Visitatores, nec eis contradicendi.

942 *Rebellantes contra Superiores incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, & alias pœnas, quæ ibi referuntur.*
943 *Quid sit rebellare contra Superiores?*
944 *Has pœnas non incurrunt rebellantes contra Provinciales, aut Visitatores Apostolicos.*
945 *Solùm rebellantes contra visitatores destinatos à Generali has pœnas incurrunt.*
946 *Quid si ipsi Visitatores aliquid faciant, quod ipsis per generales Ordinis Constitutiones est prohibitum?*
947 *Hæc prohibitio tantùm est contra Fratres Minores.*
948 *Illa possunt uti cæteri Religiosi communicantes.*

DIco: Rebellantes contra Visitatores, aut 942
eis contradicentes incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, & privationem officiorum, quæ actu habent, & inhabilitatem ad alia, nec non privationem vocis activæ, & passivæ; ita habetur ex Bulla GREGORII XIII. quam refert
Rodriguez *Tomo* 1. *quæstione* 54. *articulo* 4. Rebel- 943
lare autem est idem ac nolle agnoscere Visitatorem eum, qui à Superiore legitimo destinatur. Contravenire verò est ejus mandatis non obedire, vel ejus facta mutare, alterare, ac pervertere. Ad- 944
verte tamen hanc censuram non incurrere rebel- 945
lantes contra Provinciales, aut Visitatores Apostolicos, aut eis contradicentes, sed tantùm rebellantes in Visitatores destinatos à Generali; Ita Pellizzarius *Tract.* 7. *c.* 2. *num.* 158.

Imò neque contradicentes Visitatoribus inci- 946
dunt in prædictas pœnas, quando prædicti Visitatores faciunt aliquid quod ipsis Commissariis per generales Ordinis Constitutiones est prohibitum; nam licet Pontifex dicat quod non contraveniant ordinationibus, & mandatis dictorum Commissariorum, hoc intelligendum est, Ordinationibus, & mandatis, quæ limites generalium Statutorum non excedunt, Rodrig. *supra cit. loc.*

Secundò adverte hanc Constitutionem non esse 947
in omnes Religiosos, sed tantùm in Fratres Mino- 948
res; poterunt tamen illa uti per Communicationem cæteri Religiosi cum illis communicantes, utpote favorabili toti Ordini, licet particularibus sit odiosa; ita Lezana noster *Tom.* 2. *c.* 13. *n.* 32.

SECTIO VI.

De obligationibus Regularium provenientibus tam à jure, & Conciliis, quàm à specialibus Pontificum decretis, sub excommunicatione nemini reservata.

SIcut sectione præcedenti egimus de obligationibus, quæ directè, & specialiter afficiebant Regulares sub excommunicatione Papæ reservata, non verò de illis, quæ latæ sunt in omnes Fideles, cùm harum excommunicationum explanatio ad materiam pertineat censurarum; ita in hac quæstione illas tantùm excommunicationes nemini reservatas latas contra Regulares, vel specialiter eos attingentes declarabimus, cæteras ad prædictam materiam reservantes, sit igitur

§. 1.

De obligatione, quam habent Regulares deferendi habitum regularem, ac religiosam tonsuram.

949 *Religiosi de jure naturæ, tenentur ubique suum habitum deferre.*

950 *Illum temerè dimittentes, ut liberius evagentur, incurrunt excommunicationem nemini reservatam.*

951 *Quos Religiosos comprehendat hæc excommunicatio?*

952 *Non comprehendit Jesuitas.*

953 *Includit Militares, si crucem propriæ Militiæ non deferant.*

954 *Ad incurrendam hanc censuram, requiritur temeraria dimissio habitus, quæ apta sit ad vagandum.*

955 *Dimittens habitum ex causa, non incurrit hanc censuram.*

956 *Referuntur causæ, ob quas potest habitus dimitti absque incursu hujus censuræ.*

757 *Ad incurrendum hanc censuram non sufficit habitus dimissio, sed requiritur etiam alterius habitus assumptio.*

958 *Quid si Religiosus temerè intra Conventum habitū dimittat, & sic se præsentet sæcularibus?*

959 *Quid si sæcularibus sic habitu dimisso non se præsentet?*

960 *Quid si tempore æstus habitum dimittat ob calorem?*

961 *Religiosus retinens proprium habitum & illum sine causa ita occultans, ut exterius nullo modo appareat, non incurrit hanc censuram.*

962 *Quid si dimittat habitum exteriorem retento interiori, illum adhuc occultet alio habitu assumpto?*

963 *Quid si partem habitus exterioris tantùm dimittat, ita ut ex parte retenta, adhuc possit cognosci?*

964 *Quid si dimittat habitum professorum, & assumat habitum Novitiorum?*

965 *Quid si dimisso proprio habitu, assumat habitum alterius Religionis?*

966 *Quid si hoc faciat, ut citius in tali Religione admittatur?*

967 *Quid si assumat habitum alterius Religionis ad eam de facto transeundo, non servatis servandis?*

968 *Quid si assumat ad tempus habitum alterius Religionis, de licentia Prælati illius, ad ei exhibendum pro eo tempore aliquod servitium, quod proprio in habitu commodè facere non potest.*

969 *Quid si in hoc casu assumeret habitum clericalem, vel laicalem, si non esset ordinatus in sacris?*

970 *Religiosus, qui commisso aliquo delicto dimittit habitum, ne capiatur, & puniatur, non incurrit hanc censuram.*

971 *Idem dicendum est de Religioso gravato, qui fugit ad Superiorem, si habitum dimittat, ne capiatur.*

972 *Idem dicendum est de Religioso, qui ne deprehendatur in delicto committendo, dimittit habitum ad breve tempus.*

973 *Quid si dimittat habitum ad breve tempus ob pravum finem?*

974 *Quid si Religiosus de nocte cogatur ire extra monasterium in aliquem locum, & dimittit habitum causa vitandi scandalum?*

975 *Religiosi assumpti ad Episcopatum, vel Cardinalatum non incurrunt hanc excommunicationem, si proprium habitum dimittant.*

976 *Quem habitum hodie debeant deferre Episcopi, & Cardinales Regulares?*

977 *Quid*

977 *Quid dicendum de Religiosis evectis ad beneficium parochiale?*

978 *In delatione habitus nullus directè præter Papam potest dispensare.*

979 *Quid si Prælatus regularis aliquid præcipiat, quod non possit fieri, nisi dimisso habitu.*

980 *Omnes Religiosi tenentur sub mortali deferre tonsuram juxta modum suæ Religionis.*

981 *Datur in hoc præcepto parvitas materiæ, & quæ talis censeatur?*

982 *Excusantur deferre tonsuram in locis infidelium.*

949 DICO I. Religiosi ubique tenentur suum Religiosum habitum deferre, secundùm jus enim naturale est, ut unusquisque in habitu suæ vocationis perseveret, undè illum temerè dimittentes, ut liberius evagentur incurrunt ipso facto ex-
950 communicationem nemini reservatam *in Capit. 2. Ne clerici, vel monachi in 6.* comprehenditque hæc excommunicatio omnes Religiosos, qui proprium habitum habent non solùm, qui tunc erant,
951 quando hæc lex lata fuit, sed etiam eos qui postea fuêre exorti; Lezana *Tom. 1. cap. 13. nu. 2.* Dixi, *qui*
952 *proprium habitum habent*, ut excluderem Jesuitas, qui illo carent, ut cum Sanchez contendit Pellizzar. *Tract. 5. cap. 7. num. 8.* contra Bonacinam *quæ-*
953 *stione 2. de clausura par. 2. numero 24.* Includuntur tamen omnes Militares, si proprium habitum dimittant; consistit autem dimissio habitus in militaribus, si crucem propriæ Militiæ non deferant; ita
954 cum Rodr. Pellizzar. *ubi suprà num. 11.* Dixi *temerè dimittentes*; nam ad hanc excommunicationem incurrendam requiritur temeraria, id est, absque justa, vel saltem apparenti causa, habitus propriæ Religionis dimissio, quæ sit apta ad periculosè vagandum; Ita nostri Ven. P. Hieron. Gratianus in *Disciplin. Regular. c. 3. §. 1.* Gabriel à S. Vincent. *disp. 4. de censur. quæst. 2. n. 45. & seq.* Lezana *Tomo 5. qq. Regul. c. 13. n. 2.* & alii.

955 Hinc fit, quod qui dimittit habitum causa mutationis, mundationis, ac reparationis, seu balneationis, natationis, vel honestæ, & recreativæ piscationis, seu causa evidentis infirmitatis, vel metu mortis, vel periculi illius: ut si transeat per loca Turcarum, Saracenorum, vel Hæreticorum, aut etiam hostium nominis Religiosi, non incurrit prædictam excommunicationem; nam tunc adest justa causa; Ita communiter Doctores.

956 Idem dicendum est, si dimittat habitum ludendi gratia, vel ut quietius dormiat, diligentiùs studeat, laboret, vel propter calorem æstivum; ita communiter Doctores: quia hæc non est propria dimissio habitus, sed spoliatio, quæ duo valdè differunt, ut benè notavit Suarez *Tom 5. in 3. part. disput. 23. sect. 4. n. 27.*

Idem dicendum est, si hoc ex levitate faciat, ut si tempore recreationum, quis habitum dimittat, ut induat ad modicum tempus in Conventu habitum histrionum, quidquid in contrarium dicat Rosella, Azor, Sanchez, quos refert Belasius *verbo* habitus *numero 7.* erit tamen semper veniale talis dimissio, Graffis, Silvester, Suarez, quos refert, & sequitur Peyrinis *de R. S. q. 1. capit. 2. §. 1.* versu *Neque etiam*, Lezana; *ubi suprà numero 5.* Belasius *numero 7.* Idem dicendum est de eo, qui habitum dimittit, ex causa turpi, ad breve tempus, seu ut aliquid liberius surripiat; ita Navarr. Silvester, & alii, quos refert, & sequitur Peyrinis *ubi suprà*; non enim tunc dimittit habitum, ut periculosè vagetur, sed ut commodiùs fornicetur, vel ut liberius furetur, licet Antoninus cum aliis, quos citat Sanchez, *in Decal cap. 8. num. 6.* putent contrarium.

DICO II. Ad incurrendam hanc censuram non 957
solùm requiritur habitus dimissio, sed necessaria est alterius habitus assumptio, unà cum dimissione proprii; Ita Silvest. Sanch. Navarr. Tolet. Rodri. Sa, Rosella, & alii, quos refert, & sequitur Pellizzarius *Tract. 5. cap. 7. num. 18.* contra Suarez, Bonacin. & alios: & ratio est, quia morali modo loquendi non datur occasio vagandi dimisso proprio habitu, vel notabili ejus parte, si alius non assumatur; non enim nudi, aut indecenter vestiti solent homines vagari, & tamen ad ea, quæ sunt rara, non solent leges aptari. *l. nam ad ea ff. de lega.*

DICO III. Religiosus temerè dimittens habitum intra monasterium, & sic habitu dimisso 958
se sæcularibus præsentans, incurrit hanc censuram; ita Rosella, Silvester, Azor, Sanch. quos refert, & sequitur Peyrines *ubi supra.* Talis namque habitus dimissio apta est ad periculosè vagandum. Et idem dicendum est propter eandem rationem, si 959
sæcularibus non se præsentet; Azor, Sanchez, quos refert, & sequitur Peyrinis *ibid* licet contrarium teneant Angelus, Tabiena, Probus, Sanctarellus, Bonacina, quos refert, & sequitur Pellizz. *ubi supra num. 19.* quam sententiam solùm admittendo cum Peyri. *ubi sup.* in casu, quo in aliquo Conven- 960
tu esset consuetudo, ut omnes Religiosi illius aliquo saltem anni tempore, puta in æstate, per Con-

ventum absque habitu incederent, vel nisi ita absque habitu incedant, ut tamen à vestitu sub habitu gestari solito possent tanquam Religiosi illius monasterii ab omnibus cognosci.

961 DICO IV. Religiosus, qui retinens proprium habitum illum sine justa causa sic occultat, ut exterius nullo modo appareat, non incurrit prædictam excommunicationem, cum lex pœnalis, qualis est hæc non debeat extendi ultrà verborum proprietatem, & occultare habitum non est in rigore idem, ac illum dimittere; ita Suar. Filliuc. Sayr. quos re-
962 fert, & ut probabile docet Fragos. 2. *p. l.* 11. *disp.* 24. §. 14. *n.* 2. Pellizz. *Tr.* 5. *c.* 7. *n.* 21. N. Gabriel *loc. cit. n.* 49. licet contrarium teneat Sanch. Navar. Valent. Bannes, Sanctarell. quos refert, & ut probabilius defendit Fragosus *ubi supra.*

Secùs dicendum est de eo, qui dimisso habitu
963 exteriori, retinet interiorem; hunc tamen occultat alio habitu assumpto: nam excommunicatio non est posita contra dimittentes habitum interiorem, sed exteriorem, per quem cognoscuntur esse Religiosi talis Ordinis; ita Bonacina, Suar. Filliucius, quos refert, & sequitur Pellizzarius *ubi suprà*
964 *n.* 22. qui benè addunt quod si sola pars habitus dimittatur, & ex parte retenta adhuc possit agnosci, Religiosus talis Ordinis non incurret hanc censurã.

Idem dicendum existimo, si loco habitus professorum assumatur habitus Novitiorum, in illis Religionibus, in quibus novitii & professi utuntur eodem habitu, superaddito solo aliquo signo in vestibus Novitiorum, illos distinguente a professis, ut apud nos est; nam tunc non dimittit habitum suæ Religionis, sed aliquem alium assumit, Bonac. quem refert, & sequitur Pellizzar. *n.* 23.

Secus dicendum est, si habitus novitiorum sit distinctus ab habitu professorum; nam tunc deponit Religiosus habitum suæ Religionis, & assumit Novitiorum, qui non sunt Religiosi; ita Sanchez, Bonacina, & alii communiter apud Pellizzarium *num.* 28.

An autem incurrat hanc censuram Religiosus,
965 qui dimisso proprio habitu assumit alium alterius Religionis? Respondeo affirmativè; ex tali namque dimissione datur maxima occasio vagandi;
966 Ita Rodriguez, Cajetan. Sanctarell. & alii, quos refert, & sequitur Pellizzarius *numero* 23. qui cum aliquibus addit hoc esse verum, etsi Religiosus in casu proposito dimittat habitum sui Ordinis, ut citius in alium admittatur, cùm sic verè detur oc-
967 casio vagandi, quamdiu non transit ad alium Ordinem; secus verò dicendum est, si assumatur habitus alterius Religionis ad eam de facto transeundo, non servatis tamen servandis; nam tunc non datur occasio vagandi, nec assumitur habitus extraneus ad vagandum, undè licet ex alio capite peccaret, imò incurreret excommunicationem Papæ reservatam per Extravagantem *Viam de Regularibus*, si ab Ordine Mendicante in non Mendicantem transiret, & in nostra Religione, si ad quamcumque etiam Mendicantem transiret incurreret excommunicationem latæ sententiæ à GREGOR. XV. & Rota, appositæ ut *sup.* diximus, non tamen incurreret hanc excommunicationem latam contra proprium habitum dimittentes; Ita Sanch. Sayr. Rodriguez, Azor, Lessius, & alii, quos refert, & sequitur Pellizzar. *ibid.* contra Suar. Navar. Silvester, & alios; & ratio nostræ sententiæ est, quia in hoc casu non datur occasio vagandi.

Idem dicendum existimo, si in aliquo casu gravis necessitatis, vel ex alia justa & honesta causa 968
Religiosus assumeret habitum alterius Religionis ad tempus de licentia Prælati illius alterius Religionis, cujus habitum de novo assumit ad effectum et pro illo tempore exhibendi aliquod ministerium v. g. prædicandi, docendi, quod proprio in habitu commodè præstare non posset, quod vix potest evenire; ita Azor, & alii, quos refert, & sequitur Pellizzar *num.* 26. Bannes, quem refert, & sequitur Lezana *Tom.* 1. *c.* 13. *n.* 6.

Imò in hoc casu posset assumere habitum Clericalem, vel etiam laicalem, si non esset Religiosus 969
ordinatus in Sacris, & obsequium quod deberet præstare, esset temporale, & aliàs non daretur scandalum; Pellizz. *n.* 127. Nullum enim extat jus, quo Religiosus loco proprii habitus, quem ex justa causa dimittit, teneatur assumere habitum alterius Ordinis, nisi tantùm ex decentia.

DICO V. Religiosus, qui commisso aliquo 970
delicto, occultat, vel dimittit habitum, ne à proprio Prælato capiatur, & debito supplicio puniatur, non incurrit hanc excommunicationem; nam in hoc casu dimissio habitus non est temeraria ea temeritate, quæ ad incurrendam hanc censuram requiritur, cùm in tali dimissione, non interveniat contemptus, qui semper requiritur in hac dimissione, ut excommunicatio incurratur, ut notavit Cajetan. 2. 2. *q.* 53. *art.* 3. Pellizzar. *ubi suprà nu* 29. iste autem Religiosus non dimisit habitum per contemptum, sed ut suæ indemnitati consuleret; ita Pellizzarius *num.* 29.

Idem dicendum est, propter eandem rationem, de Religioso, qui injustè gravatus à Prælato fugit

ad Superiorem longè distantem, dimisso habitu ne
971 cognoscatur, & à custodibus Prælati localis capiatur; Ita Portel *in dubiis regularibus*, *verbo* habitus *in additionibus nu.* 3. Diana 3 *par. tra.* 2. *resol.* 115. Pellizzar. *ubi supra num.* 30.

972 Idem dicendum est, de Religioso, qui habitum dimittit, ne comprehensus in delicto committendo agnoscatur, maximè, si dimissio habitus, & assumptio alterius sit ad breve tempus; Sanch. *lib.* 6.
973 *capite* 8. *numero* 58. Pellizzarius *numero* 32. contra Silvestr. Armill. & alios, hæc enim dimissio etiam fit ad consulendum propriæ indemnitati, ut præcedentes.

Idem dicendum est, si Religiosus dimittat habitum ad breve tempus, ut spatio unius horæ, v. g.
974 causa adeundi lupanar, ut sic incognitus adeat, datur enim hic parvitas materiæ excusans; Sanchez *loc. cit. numero* 57. Pellizzarius *numero* 17. licet contrarium cum aliis teneat Peyrinis *ubi suprà*.

Idem dicendum est, si Religiosus nocte cogatur exire extra monasterium in aliquem locum, & dimittat habitum causâ vitandi scandalum; nam hæc dimissio non ordinatur ad vagandum; Pellizzarius *ubi suprà n.* 33.

Dico VI. Religiosi promoti ad Episcopatum,
975 vel Cardinalatum non incurrunt hanc excommunicationem, si proprium habitum Religionis dimittant; nam licet jure antiquo peccassent dimittentes proprium habitum, ut patet ex *Cap. penult. de vita, & honestate clericorum*, hodie tamen post
976 reformationem Ritualis Romani factam à Clemente VIII. possunt Episcopi regulares retento colore habitus suæ Religionis, se conformare in forma, seu figura illius, cum Episcopis sæcularibus, & ita modo servatur in praxi. Imò Canonici regulares creati Episcopi, possunt in habitu clericali dimisso habitu propri Ordinis incedere, ex privilegio Leonis X. *Constitutione sua* 34; Ita cum aliis Pellizzarius *numero* 37. & N. Gabriel *loc. cit. num.* 47.

Et idem dicendum est de Religiosis evectis ad Cardinalatum, aut Abbatiam, aliamvè dignitatem
977 habentem jurisdictionem quasi Episcopalem. Gordonus *lib.* 6. *quæstione* 5. *numero* 141. Pellizzarius *numero* 38.

Secùs dicendum est, de Religiosis evectis ad beneficium parochiale pleno jure subjectum Prælato regulari, seu ex parte, sive etiam nullo modo. Sanc. *loc. cit. n.* 36. & cum aliis Pellizzarius *numero* 39. Nam licet beneficium sit plenè Episcopo subjectum, Religiosus tamen non eximitur ab observantiis regularibus, & obedientia Ordinis, nisi quatenus impediunt munus parochi, deferre autem habitum regularem non impedit munus parochi; ergò tenetur illum semper portare.

Dico VII. In delatione habitus nullus directè 978
præter Papam potest licitè dispensare, sive ad breve, sive ad multum tempus, cum hic solus possit dispensare in jure canonico, poterit tamen Prælatus regularis indirectè, seu ad breve tempus dispensare, 979
quatenus præcipit aliquid facere, quod commodè non potest exerceri sine dimissione habitus; Ita Suar. *de Relig Tom.* 4. *tr.* 8. *l.* 1. *cap.* 5. *n.* 16. Pellizzar. *loc. cit. n.* 42. & Gabriel supracit. *n.* 52. & Lezana *ubi supra n.* 9. Qui benè cum eodem Suario advertit ad dispensandum in delatione habitus non requiri tantam causam, ut per se sufficiat excusare, cùm hæc observantia non pertineat ad substantiam status religiosi, sed minorem sufficere.

Dico tandem, omnes Regulares sive Sacerdo- 980
tes, sive Choristæ sint, tenentur sub mortali, non tamen sub excommunicatione deferre tonsuram, juxta modum usitatum in sua Religione, hoc tamen non ex jure communi, cùm nullum de hac re extet, sed ex communi consuetudine Religionum; 981
Ita Pellizz. *Tr.* 5. *c.* 7. *n.* 48. & 50. Datur tamen in hoc præcepto parvitas materiæ, ut si per tres vel quatuor dies sine illa incederet, absque scandalo;
Pellizz. *ibid. n.* 53. excusantur tamen illam deferre 982
in locis infidelium, vel si per multum tempus conjiciantur in carcerem, aut infirmi sint; Vide eundem Pellizzar. *n.* 59. & *sequentibus*.

§. 6.

De obligatione, quam habent Prælati regulares, non ingrediendi in casibus non concessis, monasteria monialium, quibus præsunt.

983 *Qui Prælati huic obligationi subjaceant.*

984 *Quibus pœnis tam Prælati regulares, quàm sæculares sint subjecti ingredientes monasteria monialium sibi subjectarum in casibus non permissis.*

985 *Vicarii Episcoporum, & Abbates habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, intrantes monasterium monialium in casibus non præmissis non incurrunt has pœnas.*

986 *Prælati regulares pro prima vel secunda vice,*

non statim incurrunt excommunicationem, sed alias pœnas, quæ ibi referuntur.

987 *Prælati regulares intrantes in casu necessitatis soli, vel comitati à personis non habentibus conditiones requisitas, non incurrunt has pœnas.*

988 *Quid si secum ducat personas non Religiosas?*

989 *Quid si ducat secum mulieres?*

990 *Prælatus ingrediens in casu necessitatis, & se detinens plusquam postulet necessitas, non incurrit prædictas pœnas.*

991 *Quid si per quadrantem horæ detineat sese ad videndas officinas?*

992 *Qui per multum tempus detinetur intra Conventum, postquam cum causa semel ingressus fuit, non incurrit hanc excommunicationem.*

993 *Quæ ex his pœnis incurrantur antè judicis sententiam?*

983 DIco I. Prælati tàm sæculares, quacumque dignitate, etiam Cardinalatus fungentes, quàm Regulares, qui potestate sibi à jure concessa, Monasteria Monialium sibi subjectarum ingrediendi, utuntur, extra casus necessitatis, & à paucis, atque senioribus personis comitati, incurrunt,
984 qui dignitate Episcopali funguntur, pro prima vice interdictum ingressus Ecclesiæ, pro secunda interdicuntur à munere Pontificalium, & à Divinis suspenduntur; pro tertia, & deinceps excommunicationi nemini reservatæ subjacent. Prælati verò regulares ingredientes incurrunt excommunicationem, imò & privationem officii, ac ministerii Prælatis concessi; ita decrevit GREGORIUS XIII. in Bulla incipiente, *Dubiis, quæ emergunt*. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 25. *n.* 27. & Gabriel supracit. *disp.* 4. *q.* 10. *n.* 435.

985 DIco II. Prælati sæculares, ut sunt Vicarii Episcoporum, & Abbates jurisdictionem, quasi Episcopalem habentes, intrantes clausuram Monialium, etiam extra casus necessitatis, non incurrunt prædictas pœnas; nam ad incurrendas pœnas solum fecit Pontifex mentionem Regularium, Prælatorum Pontificali munere fungentium; Ita Delbene *Tom.* 2. *c.* 1. *dub.* 68. *n.* 13. Sanchez, Bonacina, quos refert, & sequitur Tambur. *de jure Abbatissarum. disp.* 24. *quæsito* 11. *n.* 3. Pellizz. *Tract.* 10. *c.* 1. *num.* 113. contra Cespedem, & Pasqualig. quos *ibidem* refert.

986 Difficultas tamen est: An Prælati regulares pro prima vice, qua sine necessitate ingrediuntur Monasteria Monialium sibi subjectarum, incurrunt statim excommunicationem, vel tantùm interdictum Ecclesiæ sicut Episcopi? Affirmantem sententiam tenet Palaus *de statu religioso disputatione* 4. *part.* 10. §. 4. *num.* 5. Sanchez *libro* 6. *Decalog. cap.* 16. *num.* 102. Sed satis probabilis est opinio, quæ dicit Prælatos regulares pro prima vice tantùm incurrere interdictum Ecclesiæ, pro secunda verò suspensionem à divinis, pro tertia verò, & deinceps excommunicationem, & cæteras pœnas; ita Llamas *in Appendice* §. 7. & probabile putat Bonacin. *de clausura q.* 4. *p.* 5. *n.* 11. Delbene *Tom.* 1. *c.* 19. *dub.* 68. *numer.* 8. Nam in pœnis mitior interpretatio facienda est: & quia sic servatur proportio circa pœnas Episcopo & Prælatis impositas.

DIco III. Prælati regulares intrantes in casu necessitatis soli, vel comitati à personis non habenti- 987
bus conditiones requisitas in prædicta Bulla, non incurrunt prædictas pœnas, licet aliàs faciant contra prædictum Motum; nam pœnæ solùm sunt positæ ingredientibus extra casus necessitatis; ita Delbene *ubi sup. n.* 4. Tambur. *de jure Abbatissarum disp.* 24. *quæsito* 11. *n.* 6. ubi ait, hoc procedere, etiamsi secum ducat quinque personas non religiosas, nec senes. An autem etiam possit secum fœmi- 988
nas ducere quasi comites, non docet Tambur. cum 989
Victorello *loco citato quæsito* 10. sed fatetur tantùm se ignorare, an detur talis consuetudo.

DIco IV. Prælatus ingrediens in casu necessita- 990
tis, & postea se detinens in monasterio diutius, quam postulet necessitas ob quam ingressus est, non incurrit prædictas pœnas; imò si per brevem moram immoretur curiositatis gratia ad videndas 991
officinas, claustra, & similia, nec venialiter pecca- 992
bit; Rodri. Molfesius, Miranda, Bonac. Aloysius, Bariola, quos refert, & sequitur Delbene *Tom.* 2. *c.* 19. *nu.* 5. si tamen per multum tempus immoretur, peccabit mortaliter, non tamen incurret præ- 993
dictas censuras, etiamsi ibi cum Moniali fornicetur; ità Zerola, Sanchez, quos refert, & sequitur Tambur. *de jure Abbatissarum disp.* 24. *quæsito* 12. *num.* 3. Delbene *ubi suprà n.* 8.

Tandem adverte, quod pœnæ contentæ in ista Constitutione, excepta privatione officiorum, ministeriorum, quam diximus incurrere Prælatos regulares indebitè ingredientes, incurrantur antè judicis sententiam: Ita Delbene *ubi suprà numero* 1. Sanch. *lib.* 9. *de matrimon. disputatione* 3. *numer.* 1. Plura circa hanc materiam doctè disserit N. Gabriel *loco citato*, quem *ibidem* consulere poteris.

§. 3.

§. 3.

De obligatione, quam habent Regulares non accedendi ad studia sine licentia Prælatorum.

994 *Religiosi accedentes ad quævis studia litterarum sine sui Prælati, & majoris partis Capituli licentia, incurrunt excommunicationem nemini reservatam.*

995 *Ut hæc censura incurratur requiritur, ut Religiosus vadat ad studium extra oppidum sui monasterii.*

996 *Quid si petat studium in eodem oppido, ubi est monasterium?*

997 *Quid si accedat ad alium Conventum sui Ordinis, ut ibi vadat ad studium?*

998 *Quid si accedat ad aliud oppidum, ubi est etiam monasterium sui Ordinis, & existat intra monasterium, ut frequentent scholas suo tempore?*

999 *A quibus debeat concedi hæc licentia eundi ad studia omissis specialibus statutis?*

1000 *Generalis, vel Provincialis non indiget consensu Conventus ad mittendum aliquos ad studium.*

1001 *Prælati immediati Conventus in aliquibus Religionibus, non possunt aliquem ad studium mittere.*

1002 *In nostra Religione hoc pertinet ad Capitulum Provinciale.*

1003 *Quid si Prælatus immediatus, qui secundùm leges suæ Religionis non potest mittere ad studium, de facto aliquem mittat de consensu sui Capituli?*

1004 *Quid si aliquis accedat ad studium cum licentia habita per dolum, aut metum?*

1005 *Quid si accedat cum sola licentia Prælati Conventus sine Capituli consilio.*

1005 *Prælatus accedens ad studia sine consilio Capituli, vel licentia suorum Prælatorum, non incurrit hanc censuram.*

1006 *Magistri legum, & medicinæ, qui præsumunt retinere in suis scholis, Religiosos dimisso habitu his studiis vacantes, incurrunt hanc censuram.*

1006 *Quid si sciant Religiosos de domo propinqua audire?*

1007 *Quid si Regulares eos audiant retento habitu regulari?*

1008 *Quid si tales Magistri habeant ignorantiam juris, vel facti?*

1009 *Quid si Religiosus sæpè rogatus, ut exeat nolit exire?*

1010 *Expellere talem Religiosum vi, tantùm pertinet ad Rectorem.*

DIco I. Religiosi professi accedentes ad quævis 994
studia litterarum sive Legum, sive Canonum,
sive Theologiæ, absque licentia sui Prælati, &
consilio majoris partis Conventus, incurrunt excommunicationem
nemini reservatam; Ita habetur
in Capit. ut periculosa ne clerici, vel monachi in 6. 995
Circa quam Constitutionem adverte ad incurrendum
hujusmodi censuram requiri, ut Religiosi exeant
sine prædicta licentia extra oppidum sui monasterii,
undè si eant ad studium in eodem oppido 996
existens, non incurrunt hanc excommunicationem,
etiamsi extra Conventum commorentur; nam
textus loquitur de proficiscente alio: ita Navarr.
Suarez, Sayrus, Sanchez, Sanctarell. Filliuc. quos
refert, & sequitur Palaus *Tom. 6. disp. 3. de censur.
p. 33. num,* 13.

Idem dicendum est, si Religiosus accedat ad monasterium 997
suæ Religionis in alio oppido existens,
ubi sunt studia intra claustra; nam in hoc casu
non dicitur accedere ad studia, sed mutare Conventum;
ita communiter Doctores apud Bonacinam
Tom. 3. disputatione 2. quæstione 8. part. 8. numero 5.
Imò etiamsi se ad alium Conventum transferat
animo eundi ad studia existentia in oppido,
habitando tamen in Conventu suæ Religionis, 998
& solùm ad horam studii exeundo, non incurret
prædictam censuram; nam hoc quoque potius est
mutare Conventum, quàm accedere cum intentione
eundi ad studia existentia extra Conventum
suæ Religionis: ita cum Sanctarello, & Suario, Bonacina
ubi suprà num. 6.

DIco II. Licentia, quâ Religiosus indiget ad eundum 999
ad studia, seclusis statutis specialibus,
debet esse à Prælato immediato sui Conventus,
cum consilio majoris partis sui Capituli, hoc
tamen consilio non indiget Generalis, vel Provincialis 1000
ad prædictam licentiam concedendam;
nam Pontifex hanc conditionem solùm posuit
Prælatis conventualibus, ut cum Navarro; Suarez,
& aliis notavit Palaus *ubi suprà numero* 13.
Dixi, *seclusis Statutis specialibus*; nam si in ali- 1001
quo Ordine Prælati immediati per sua statu- 1002
ta hanc facultatem non habeant, ut apud
nos est, in quibus hæc potestas competit Capitulo

Pro-

Provinciali, ut patet *ex 2. parte nostrarum Constitutionum capite 4. numero 5.* non possunt hac potestate uti.

1003 Si tamen de facto utantur, existimo Religiosos sic accedentes, cum tali licentia habita contra suas Constitutiones non incurrere prædictam censuram, eo quod servant formam istius textus, accedentes ad studia de licentia sui Prælati, & Conventus consilio: Ita Suarez *disputatione 23. sectione 4. num. 37.*

Et idem dicendum existimo de eo, qui accedit cum licentia concessa per dolum, aut metum,
1004 quidquid in contrarium cum Sanctarello, & Sanc. dicat Bonacina *ubi suprà n. 9.*

1005 Secus dicendum existimo, si accedat de sola licentia Prælati conventualis sine Capituli consilio, quia tunc non servatur forma postulata; ita cum Sanch. Bonacin. Sanctarel. Palaus *loc. cit.*

1005 An autem si ipse Prælatus sine Capituli consilio accedat ad studia, incurrat hanc censuram? respondeo negativè; nam prædicta Constitutio lata est contra subditos, non verò contra Prælatos; ita cum Navar. Sanctarello, & aliis Palaus *ibid.*

1006 DICO III. Hanc excommunicationem incurrunt etiam magistri, seu Doctores Legum, aut Medicinæ, qui præsumunt retinere in suis scholis Religiosos dimisso habitu ejusmodi studiis vacantes; ita habetur in dicta Constitutione Dantur tamen
1006 multi casus, in quibus prædicta excommunicatio non incurritur à dictis Magistris *Primò*, si sciant tales Religiosos de domo scholis propinqua audire lectiones, siquidem Doctores id non intendant, & alias non possunt impedire, ne dicti Religiosi do-
1007 mum illam inhabitent. *Secundò*, si Regulares illos audiant retento habitu regulari. *Tertiò*, si Docto-
1008 res excusentur ex ignorantia juris, vel facti, cùm hic requiratur præsumptio, ut constat ex textu.
1009 *Quartò*, si præfati Doctores publicè docentes in scholis sciant adesse Religiosum, qui dimisso habitu audit lectiones prohibitas, nolitque rogatus desistere, eumque vi non expellant; nam ad id non tenentur, nisi eis id incumbat ex officio, ut si
1010 sint Rectores; ita Sanctarellus *ubi suprà num 14.* Suarez *disputatione 23. sectione 4. num. 40.* Sanch. *libro 6. in Decal. capite 8. numero 98.* Consentit etiam cum Filliucio Palaus *loc. cit.* in casu quo Religiosus non potest expelli absque scandalo, gravique periculo, quidquid alii, quos *ibid.* citat Palaus in contrarium in utroque casu existiment.

§. 4.

De obligatione non exeundi è monasterio pro studiis Medicinæ & Legum.

1011 *Religiosi euntes extra sua monasteria ad audiendas Leges, vel Medicinam, si intra duos menses non revertantur, incurrunt excommunicationem non reservatam.*

1012 *Religiosus egrediens è Conventu ex alia intentione v. g. peragendi aliquod negotium, non incurrit hanc censuram, si has scientias fortè tunc audiat.*

1013 *Quid si exiens alia intentione, postea mutata intentione, illarum auditioni incumbat ultra spatium duorum mensium?*

1014 *Religiosus, qui exivit animo audiendi prædictas scientias, sed re ipsa non audivit, quia habuit aliquod impedimentum, vel mutavit intentionem, etiamsi intra duos menses ad Conventum non redierit, non incurrit hanc censuram.*

1015 *Duo menses, intra quos debet Religiosus redire ad Conventum, debent numerari à die auditionis scientiarum, non verò à die egressus.*

1016 *Religiosi exeuntes ad docendas prædictas scientias, non incurrunt hanc censuram.*

DICO: Religiosi exeuntes à monasterio ad audiendas Leges, & Medicinam, si intrà duos 1011
menses ad sua monasteria non redierint, incurrunt excommunicationem nemini reservatam *in Cap. non magnoperè ne Clerici, vel Monachi.*

Circa quam Constitutionem nota, ad incurrendum hanc censuram, opus esse Religiosum è suo monasterio egredi intentione audiendi prædictas scientias, & insuper, quod intra duos menses ad Conventum non revertatur, undè si egressus à Conventu alia intentione fuerit factus, verbi gratia, sua præsentia amicum honorandi, qui publicas conclusiones facit, vel ad peragendum aliquod negotium, huic excommunicationi non est locus, quia defuit egressui ea 1012
qualitas, quam Pontifex ad incurrendam censuram requirit; Ita Sayrus, Toletus, Suarez, Bonacina, quos refert, & sequitur Palaus *Tomo 6. disputatione 3. de censur. parte 32. numero 4.* quod verum est, etiamsi eo tempore, quo propter alium finem est extra Conventum, simul audiat prædi-

prædictas facultates, dummodo propter hunc finem extra Conventum principaliter non detineatur; ita Sanctarellus *ubi suprà numero* 17. contra Bonacinam *ubi suprà*. Contrarium quoque probabilius reputat noster Gabriel *de cens. disputat*. 4. *q*. 1. *num*. 23.

1013 Idem dicendum est, si egressus è monasterio alia intentione, quàm audiendi prædictas scientias fuerit, & postea mutata intentione illarum auditioni incumbit ultra spatium duorum mensium; ita Bonacina *Tom*. 3. *disputatione* 2. *quæstione* 11. *parte* 7. *numero* 5. Pellizzarius *tractat* 7. *capite* 2 *numero* 175. quidquid in contrarium dicat cum Sayro, Filliucio, & aliis Palaus *ubi suprà*.

1014 Idem dicendum est, si exeat animo audiendi prædictas scientias, sed re ipsa non audivit, quia habuit aliquod impedimentum, vel mutavit voluntatem, etiamsi intra duos menses ad Conventum non redierit; ita D. Antoninus alios referens 3. *parte, titulo* 24. *capite* 52. Cajetan. *verbo* excommunicatio *capite* 5. Filliucius *Tractat*. 13. *cap*. 8. *q*. 2. *numero* 117. & loquendo de eo, qui intentionem mutavit cum Toleto, Sayro, & aliis Palaus *loc. cit*. contra Suarium, Sanctarell. & alios, quos refert. & sequitur Bonac. *ubi suprà*. Ratio autem est, quia ad incurrendam hanc censuram, requiritur, ut Religiosus actu audiat prædictas facultates.

1015 Hinc fit illos duos menses, intra quos redire debet exiens cum tali intentione, debere numerari non à die egressus, ut cum Sayro, Suarez, Filliucio, & aliis putavit Bonacina *ubi suprà numero* 72. sed à die, quo Religiosus incepit audire Leges aut Medicinam; nam cum egressus à monasterio hic non interdicatur, nisi per ordinem ad audi-

1016 endas præfatas scientias; propterea metiendum est tempus à die, quo Religiosus incepit audire dictas facultates; ita D. Antoninus *ubi suprà*, & probabile putat Bonacina *ubi suprà n*. 52. Pelliz. *ubi suprà num*. 174.

Tandem Religiosi exeuntes ad docendas prædictas scientias non incurrunt hanc censuram, quia non est posita exeuntibus, ut doceant, sed ut audiant, docentes; ita Suarez, Toletus, Filliucius, & alii, quos refert, & sequitur Palaus *loc. cit*.

§. 5.

De obligatione servandi interdictum servatum ab Ecclesia Matrice.

1017 *Religiosi non servantes interdictum locale generale, vel cessationem à divinis à Papa, vel ab Ordinario positam, incurrunt excommunicationem nemini reservatam.*

1018 *Ad incurrendam hanc censuram requiritur, quod interdictum sit locale generale.*

1019 *Quale sit interdictum locale generale, & in quo distinguatur ab interdicto speciali?*

1020 *Ad incurrendam hanc censuram requiritur, quod interdictum generale observetur ab Ecclesia matrice, aut parochiali.*

1021 *Requiritur etiam, quod interdictum, vel cessatio à divinis sint posita auctoritate Papæ, vel ab Ordinario.*

1022 *Religiosi tempore interdicti, vel cessationis generalis possunt uti suis privilegiis, post hanc Clem. concessis.*

1023 *In Tridentino non est derogatum his privilegiis.*

DIco: Religiosi non servantes interdictum locale generale, vel cessationem à Divinis positam auctoritate Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii loci incurrunt excommunicationem nemini reservatam latam *in Clement* 1. *de sententia excommunicationis*; ad incurrendum tamen hanc censuram plura requiruntur. 1017

PRIMUM, quod interdictum sit locale generale, vocatur autem interdictum generale; quando fertur in locum plura alia loca particularia complectentem, idque cum aliqua latitudine, cum unus locus possit esse alio generalior, & universalior, ut regnum, provincia, civitas, & parochia, sumpta non pro Ecclesia parochiali; nam hoc modo sumpta tantùm est capax interdicti specialis, sed sumptâ pro districtu parochiæ, Pelliz. *Tra*. 7. *ca*. 4. *n*. 2. Pro quo adverte in hoc distingui interdictum generale ab speciali, quod in speciali tantùm interdicitur locus specialis v. g. hæc Ecclesia, sive sit una, sive multæ; imò licet sint omnes Ecclesiæ unius civitatis vel oppidi, non tamen interdicitur ipsa civitas, pagus, villa vel etiam districtus totius unius parochiæ; at verò in interdicto generali, non solùm interdicuntur Ecclesiæ, sed etiam civitas, pagus, villa vel districtus parochiæ, prout interdictum est, magis, vel minùs generale; nam ut suprà diximus, interdictum generale unum potest esse alio generalius; Ita Silvester, Covarruvias, Navar. quos refert, & sequitur Suarez *de censur. disputat*. 32. *sect*. 2. *n*. 1. Sayrus, Henriq. Bonac. Coninc. Laym. quos refert, & sequitur Palaus *Tom*. 6. *de censur. disp*. 5. *part*. 1. *num*. 4. Pellizz. *tract*. 7. *cap*. 4. *num*. 2. & 6. 1018 1019

1020 Secundo requiritur, quod interdictum generale servetur ab Ecclesia Cathedrali, vel sicubi non adest Cathedralis ab Ecclesia Matrice, seu parochiali, quæ etiam dicitur baptismalis, quæ conditio procedit, tametsi interdictum invalidè positum sit, quia non interdicti valor, sed illius à Cathedrali, vel Parochiali observantia spectatur.

Tertium, quod interdictum vel cessatio à Di-
1021 vinis latæ sint auctoritate Sedis Apostolicæ, sive ab Ordinario loci, sive à Concilio Provinciali; Ita cum Toleto, Bonacina, & aliis communiter Palaus *Tom. 6. disp. 3. de censuris part. 4. n. 34.* & N. Gabriel *loc. cit. q. 3. n. 74.*

Quæres tamen: An Religiosi tempore prædicti interdicti non obstante hac Clementina, possint uti suis privilegiis, quoad celebranda divina of-
1022 ficia in suis Ecclesiis, præcipuè in aliquibus festivitatibus, & admittere laicos ad divina officia? Respondeo affirmativè; nam textus solùm derogat privilegiis, conventionibus, statutis, & consuetudinibus quibuscumque, antecedentibus
1023 dictam Clementinam, non verò illis, quæ illam fuerint subsecuta. An autem saltem per Tridentinum *sess. 25. capit. 12.* his privilegiis sit derogatum? Respondeo negativè, ut probavi in Tractatu *de privilegiis, disputatione 2. sectione 1. §. 3 numero 116.* ubi omnia, quæ hìc desiderare poteras discussa habes.

§. 6.

De obligatione non appropriandi sibi decimas.

1024 *Religiosi præsumentes appropriare sibi decimas, si intra duos menses restitutionem non fecerint si officia vel beneficia habeant, ab eorum administratione suspenduntur, si illa non habeant, incurrunt excommunicationem nemini reservatam.*

1025 *Eandem incurrunt Regulares impedientes decimarum solutionem, si moniti intra mensem non destiterint.*

1026 *Qui decimas non solvunt, non incidunt in hanc censuram.*

1027 *A quo tempore sit computandus terminus monitionis?*

1028 *Non requiritur trina, sed una monitio sufficit.*

1029 *Hæc prohibitio extenditur ad omnes Religiosos, viros, & fœminas, imò etiam ad Religiosos Militares.*

1030 *In quo sensu hæc excommunicatio censeatur reservata?*

Dico: Religiosi non possunt sibi usurpare, aut impedire decimas, undè si novalia, hoc est, a- 1024
gros, qui ab hominum memoria antea culti non fuerant, modò autem ad culturam redacti sunt, aut aliàs decimas Ecclesiis debitas appropriare, seu sibi usurpare præsumpserint, nisi restitutionem intra duos menses fecerint, aut si decimarum solu- 1025
tionem impedierint, nisi post monitionem factam ab iis, quorum interest, impedire destiterint intra mensem, si beneficia, & officia habuerint ab illis, & eorum administratione suspenduntur: si tamen prædicta officia non habeant incurrunt excommunicationem nemini reservatam, *in Clementina 1. Religiosi de decimis.*

Circa quam prohibitionem nota primo duplicem actionem in hac Clementina Regularibus 1026
prohiberi, prima appropriare, seu usurpare sibi decimas, hoc est, eas tanquam sibi debitas accipere: Undè qui tantùm decimas non solvit, non incidit in hanc censuram, quia non solutio non est appropriatio, seu usurpatio; ita cum Sayro, & Toleto, Bonacina, & aliis Palaus *Tom. 6. disput. 3. de censur. p. 34. num. 3.*

Secunda actio, ob quam hæc excommunicatio, seu suspensio inducitur, est impedire verbis, vel factis, ne coloni, servi, vel familiares decimas Ecclesiis solvant, inter quas actiones hæc est distinctio, quod in prohibentibus, & non permittentibus decimas solvi, requiritur admonitio, ut prædictæ pœnæ incurrantur, in usurpantibus verò requiritur præsumptio.

Difficultas solùm est, à quo tempore compu- 1027
tandus sit prædictus terminus monitionum? Et inprimis omnes conveniunt in prohibitione, seu non permissione solutionis decimarum servis, familiaribus, pastoribus, vel colonis facta, computandam esse à die, quo tales Religiosi fuerint requisiti, ut à prædicto impedimento cessent, ut constat ex prædicto textu, quoad appropriationem, vel usurpationem majus est dubium; nam Sayr. & alii relati à Bonac. *To. 3. disp. 2. de censur. q. 8 p. 12.*
n. 1. existimant deberi computari à die usurpatio- 1028
nis, sed melius Glossa, Alterius, Suar. & alii, quos refert & sequitur Palaus existimant computandum esse à die requisitionis, quia illa verba post monitionem, posita in principio clausulæ ad omnia in dicta clausula contenta referuntur: non requiritur tamen trina monitio, sed una sufficit, ut cum Toleto, Suar. & aliis communiter notavit idem Palaus *supra cit. loc.*

Tandem hæc prohibitio extenditur ad omnes 1029
Reli-

Religiosos, viros, vel fœminas, imò etiam ad Militares, ut hic communiter notant DD. inter quos Suar. *disp.* 31. *de censuris sect.* 6. *n.* 9. cum Navarro & aliis advertit, quod cùm hic nomen Religiosi sumi debeat formaliter de Religiosis in suo statu viventibus, huic excommunicationi non subjacere Regulares translatos ad Ecclesiam sæcularem, ut ejus bona & fructus administrent, quod est contra Rosellam *verbo* Excommunicatio *casu* 39.

1030 Adde, quòd quamvis hæc excommunicatio de se non sit reservata Papæ, reservatur tamen in eo sensu, quatenus Religiosus delinquens contra illam, non potest ab ullo absolvi ante satisfactionem præstitam, ut constat ex textu *ante satisfactionem condignam nullatenus absolvendi*, ut notavit Bonacina *ubi suprà numero* 10. *loc. cit.* Plura circa hanc materiam vide apud nostrum Gabrielem *loc. citat. numero* 73. *&* 61.

§. 7.

De obligatione non retrahendi Fideles à solutione decimarum, & eam suadendi pœnitentibus in confessione.

1031 *Regulares retrahentes Fideles sive in Concionibus, sive in locutionibus privatis à solutione decimarum, incurrunt excommunicationem nemini reservatam.*

1032 *Hæc censura non extenditur ad Moniales, neque ad Religiosos scribentes aliquibus, ut non solvant decimas.*

1033 *Quid si alicui præciperet, ut alteri suaderet, ne solveret decimas?*

1034 *Quid si dicat aliqua verba retrahentia à solutione decimarum ex inadvertentia, vel ignorantia, vel ex alio fine?*

1035 *Retrahens à solutione decimarum alicui Ecclesiæ, vel personæ privatæ debitarum ratione privilegii, vel feudi non incurrit hanc censuram.*

1036 *Idem dicendum est de decimis debitis ex voto, non verò ex justitia.*

1037 *Ad incurrendam hanc censuram sufficit persuasio, etsi non sequatur effectus.*

1038 *Regulares non suadentes suis pœnitentibus, ut decimas solvant, si moniti à Parochis ausi fuerint prædicare, non purgata negligentia, incurrunt hanc excommunicationem.*

1039 *Quid si negligentia non fuerit culpabilis?*

1040 *Quid si non admoneantur à Parochis, vel si non prædicaverint?*

1041 *Quid si non prædicent purgata negligentia, vel non purgata ob incommoditatem illam purgandi?*

DIco I. Aliam obligationem affinem præce-
denti habent omnes Regulares non retrahen- 1031
di, sive in Concionibus, sive locutionibus priva-
tis, Fideles à solutione decimarum, sub excommu-
nicatione non reservata lata *in Clementina* 1. *Capi-
entes de pœnis.*

Circa quam nota PRIMO, hanc obligationem
non extendi ad Religiosas, cùm textus solùm vi- 1032
deatur loqui de viris, quorum proprium est præ-
dicare; ita Bonacina *loco citato*, *num.* 10. *& seqq.* 1033
cum glossa & Navarro, contra Toletum. SECUN-
DO nota, Religiosum scribentem alicui, ut non sol-
vat decimas, non incurrere hanc censuram, quia
hic non dicitur proferre aliquid in sermonibus, vel
alibi, sed scribere, verba autem in materia pœnali
in propria, & stricta significatione accipienda
sunt, quod procedit etiamsi Religiosus, dum epi-
stolam scribit, eam dictaret: & idem dicendum
est de Religioso, qui alicui mandat, ut alteri sua-
deat, ne solvat decimas, hic enim non dicitur ali-
quid proferre ipsis auditoribus, qui decimas solvere
debent, Ita Suar. Filliuc. quos refert, & sequitur
Bonac. *ubi sup. p.* 13. *n.* 3. & N. Gabriel *loc. cit.* Idem 1034
dicendum est de eo, qui prædicta verba profert ex
inadvertentia vel ignorantia, vel ex alio fine; To-
letus, Navarrus, & alii apud Bonacinam.

TERTIO nota, avertentem à solutione decima-
rum debitarum non Ecclesiis, sed aliis locis, vel 1035
personis privatis ratione privilegii, aut alia ra-
tione non incurrere hanc censuram; ita Sayrus *li-
bro* 3. *cap.* 33. *n.* 4. N. Gabriel cum aliis.

Idem dicendum est de decimis debitis ex voto,
vel quas quis ex pietate vult solvere, non tamen ex 1036
justitia; ita Suarez, Filliucius, quos refert & sequi-
tur Bonac. *ubi suprà num.* 7.

An autem ad incurrendam hanc censuram, non
solùm requiratur quod Religiosus verba profe- 1037
rat, quibus retrahat fideles à solutione decimarum,
sed ultra requiratur, quod re ipsa sequatur effe-
ctus? affirmat Filliucius *Tract.* 14. *num.* 147. ve-
rùm contraria sententia communior est; ita Suar.
de censuris disp. 23. *sect.* 5. *num.* 37. & N. Gabriel
cum aliis; nam ista censura ponitur pro persuasio-
ne, non verò pro retractione.

DIco II. Confessores regulares tenentur 1038

suis

suis pœnitentibus suadere solutionem decimarum, & qui negligentes fuerint in decimarum solutione suadenda pœnitentibus, & moniti à Superioribus ausi fuerint prædicare non purgata negligentia, incurrunt etiam eandem excommunicationem in eadem Clementina *Cupientes de pœnis circa finem.*

1039 Circa quam censuram nota *primò*, ad illam incurrendam requiri negligentiam culpabilem. *Se-*
1040 *cundò* requiri, ut admoneantur hac de re à Prælatis Ecclesiarum, & quod prædicent post hanc monitionem; undè fit, quod si præfatam negligentiam commiserint, & non prædicaverint, nullatenus istam excommunicationem incurrent.

1041 Idem dicendum est, si prædicent purgata negligentia, vel etiamsi prædicent illa non purgata, si aliàs commoditatem purgandi illam non habuêre, cùm impossibilium non sit obligatio. Bona. *ubi suprà n.* 12. cum Tabiena, Ledesma, Sayro, & aliis.

§. 8.

De obligatione non eundi ad aulas Principum malo animo adversus suos, &c.

1042 *Monachi nigri, vel Canonici regulares, non habentes ullam administrationem temporalem, vel spiritualem, eundo ad aulas Principum intentione nocendi suis Prælatis immediatis, vel mediatis, aut suis Monasteriis, incurrunt excommunicationem non reservatam.*

1043 *Hæc censura non extenditur ad alios Monachos, vel Religiosos.*

1044 *Solùm afficit illos, qui accedunt ad aulas Principum, sine licentia suorum Prælatorum.*

1045 *Qui accedit cum licentia, etiamsi accedat animo nocendi suis, non incurrit.*

1046 *Mittentes ad aulas Principum animo nocendi suis, non incurrunt hanc censuram.*

1047 *Qui iter incipit cum hoc malo animo, si illuc non pervenit ob aliquod impedimentum in itinere, vel quia mutavit intentionem, liber ab hac excommunicatione manet.*

1048 *Qui accedit animo nocendi alicui Religioso particulari sui, vel alterius Ordinis, non incurrit hanc censuram*

1049 *Qui negotiorum causa tendit ad curias, si in itinere etiam habeat intentionem nocendi suis, incurrit hanc censuram, sive sequatur effectus, sive non.*

1050 *Quid si talem animum concepit, postquam est in Principum Curiis?*

DIco: Monachi nigri, & Canonici regulares non habentes ullam administrationem temporalem, vel spiritualem, non possunt ire ad aulas 1042
Principum intentione nocendi suis Prælatis, sive immediatis, sive mediatis, aut suis Monasteriis, sub pœna excommunicationis non reservatæ *in Clementi.* 1. *de statu monachorum.*

Circa quam nota PRIMO, hanc censuram non extendi ad alios Monachos, & multò minùs ad alios Religiosos; ita Suar. *disp.* 23. *de censur. sect.* 5. *num.* 4. Filliucius *Tract.* 14. *num.* 139. quidquid in contrarium cum Bonacina, & aliis doceat Palaus *de censuris disp.* 3. *p.* 34. *num.* 4; nam verba in materia pœnali restringi, & non ampliari debent, undè cùm textus solùm loquatur de Monachis nigris, & Canonicis regularibus; non est ad alios extendendus. 1043

SECUNDO nota, hanc censuram solùm afficere illos, qui accedunt ad prædictas Curias sine licentia Prælatorum. Undè si ad alia negotia peragenda, de suorum Prælatorum licentia accedant, non incurrunt prædictam censuram, etiamsi accedant animo nocendi suis Prælatis, vel Monasteriis; nam excommunicatio non ponitur ob actionem externam bonam, & quæ solùm denominativè ab actu interiori mala est; Palaus *ubi suprà* contra Bonacinam, Suar. & alios. 1044 1045

TERTIO nota, ad incurrendam hanc censuram, duplicem simul actionem requiri, scilicet accessum ad Principum Curias, & intentionem nocendi suis Prælatis vel Monasteriis. Hinc fit mittentem alium ad Principum Curias animo suis nocendi, non incurrere prædictam censuram. 1046

Idem dicendum est de eo, qui iter incepit prædicto malo animo, sed morbo, vel alio impedimento Curiam non fuit ingressus, vel de eo, qui in itinere antequam ingrederetur mutavit voluntatem, vel de eo, qui prædictas Curias petiit animo nocendi particulari Religioso sui Conventus, vel Conventui alterius Religionis; Ita cum aliis Bonacin. *de censuris disp.* 2. *quæst.* 8 *p.* 8. *n.* 3. & 9. 1047 1048

Contra verò incurrent hanc censuram, qui causa negotiorum accedentes ad Curias principum in itinere statuunt nocere suis, sive sequatur effectus, sive non, cum verè accedant animo nocendi suis. 1049

An autem idem dicendum sit de eo, qui talem animum concepit, non in itinere, sed postquam ingressus est Curias principum? Affirmat cum Suar. 1050

Suar. Filliucio, & aliis Palaus *ubi suprà*: verùm probabilius existimo contrarium; Ita Bonacina *ubi suprà num.* 4. Pellizzar. *Tract.* 7. *cap.* 2. *n.* 197; nam in materia pœnali non est facienda extensio ultra propriam verborum significationem, & alioquin non est idem conferre se ad Curias Principum, ac in curiis Principum existere.

§. 9.

De obligatione non contrahendi de facto matrimonium.

1051 *Religiosi professi contrahentes matrimonium, incurrunt excommunicationem nemini reservatam.*

1052 *Hæc obligatio afficit omnes etiam Religiosos primæ professionis Societatis.*

1053 *Quid si matrimonium factum fuit sine animo contrahendi, sive ex una, sive ex utraque parte, vel non fuit celebratum coram Parocho, & testibus?*

1054 *Quid si factum fuit per vim, vel metum cadentem in virum constantem?*

1055 *Quid si intervenit ignorantia etiam affectata?*

1051 DIco: Religiosi professi non possunt contrahere matrimonium, & si de facto contrahant, incurrunt in excommunicationem non reservatam latam *in Clementina* 1. *de Consanguinitate, & affinit.* Circa quam nota hanc obligationem
1052 afficere omnes Religiosos, etiam Religiosos Societatis primæ professionis, & hoc, sive matrimonium sit consummatum, sive non, dummodo
1053 contractum fuerit animo contrahendi; nam si factum fuerit sine tali intentione; vel ex parte u-
1054 triusque, vel tantùm unius, vel si non fuit celebratum coram Parocho, & testibus, vel si cele-
1055 bratum fuit per vim, vel per metum cadentem in virum constantem, vel per ignorantiam, etiam crassam, supinam, imò & affectatam, non incurritur prædicta censura; nam textus loquitur de matrimonio, verè, & scienter attentato, & aliàs Pontifex non vult suis legibus tàm rigidè obligare; Ita cum aliis Bonacina *Tomo* 3. *disputatione* 2. *quæstione* 2. *parte* 7. *per totum.* & noster Gabriel *loco citato*, *numero* 66.

* * *

§. 10.

De obligatione, quam habent Mendicantes non recipiendi novas domos, vel jam receptas, non alienandi absque licentia Papæ.

1056 *Regulares non possunt novas domos recipere, vel receptas alienare, absque licentia Papæ sub excommunicatione nemini reservata.*

1057 *Hæc censura solùm afficit Mendicantes.*

1058 *In illa tantùm prohibetur recipere novos Conventus, non tamen novas domos recreationis, vel hospitii.*

1059 *Prohibitio alienandi intelligitur de omnibus receptis, usque ad tempus* Clementis V. *aut* Bonifacii VIII.

1060 *Mendicantes ex privilegiis possunt nova Monasteria recipere, & transferre.*

1061 *Hæc privilegia non sunt revocata ab* Urbano VIII.

DIco: Regulares non possunt novas domos recipere, vel jam receptas alienare absque licentia Papæ; Ita decrevit Bonifacius VIII. *in* 1056
Cap. unico de excessibus Prælatorum in 6. & posteà Clemens V. sub excommunicatione non reservata in Clementina *Cupientes de pœnis.*

Circa quam nota *primò*, hanc censuram solùm 1057
afficere Mendicantes; nam de eis solùm loquitur prædictus textus. *Secundò*, nota hic solùm prohi- 1058
beri recipere novas domos ad habitandum, non tamen domos recreationis, vel hospitii. *Tertiò*, no- 1059
ta prohibitionem alienandi, vel transferendi deberi intelligi de omnibus receptis usque ad tempus Clementis V. aut Bonifacii VIII; Ita Filliucius, & cum aliis Bonacina *disp.* 2. *Tom.* 3. *q.* 8. *p.* 2. & è nostris Thomas à Jesu, quem refert, sequiturque Lezana *Tom.* 3. verbo *Monasterium nu.* 32. & Gabriel *loc. cit. n.* 73.

Tandem nota, prædicta procedere de jure communi; nam ex privilegiis Sedis Apostolicæ, o- 1060
mnes Religiosi Mendicantes potestatem habent 1061
novas domos acquirendi, & Monasteria transferendi, ut diximus in Tractatu II. *de privilegiis disputatione* 1. *sect.* 4. §. 2. ubi etiam diximus, quomodo hæc privilegia non sint revocata per decretum Urbani VIII. anno 1604. die 28. Augusti.

§. 11.

De obligatione, quam habent Regulares non habendi arma intra monasterium.

1062 *Religiosi retinentes arma sive offensiva, sive defensiva, intra septa monasterii, incurrunt excommunicationem nemini reservatam.*
1063 *Hæc censura solum comprehendit Monachos nigros, non verò alios Religiosos.*
1064 *Quid per arma hic intelligatur?*
1065 *Ad incurrendam hanc censuram requiritur præsumptio.*
1066 *Qui ad justam defensionem retinet arma, non incurrit hanc censuram.*

1062 DIco: Regulares absque licentia suorum Prælatorum saltem tacita, non possunt habere arma, sive offensiva, sive defensiva, intra septa monasterii sub pœna excommunicationis lata *in Cap. ne in agro de statu monachorum.*

1063 Circa quam nota PRIMO, hanc censuram solùm comprehendere Monachos nigros, non verò alios Regulares, quia de illis tantùm loquitur. SECUN-
1064 DO, nota per arma non intelligi lapides, ligna *&c.* sed tantùm arma bellica, & ad pugnandum instituta, undè cultellus etiam magnus coquinæ sub
1065 hac prohibitione non comprehenditur. TERTIO
1066 nota ad incurrendam hanc censuram requiri præsumptionem, undè si prædicti Monachi arma, intra septa retineant ad justam defensionem, non incurrunt prædictam censuram: & idem dicendum est, si ea detineant bona fide, vel ignorantia, dummodò non sit affectata: ita Suar. *disp.* 23 *de censuris sect.* 5. *num.* 8. Filliucius *Tract.* 14. *num.* 142. Palaus *Tom.* 6. *disp.* 3. *de censuris p.* 34. *num.* 5. & N. Gabriel *loc. cit. n.* 63.

§. 12.

De obligatione, quam habent Regulares non interessendi agitationibus taurorum, vel ferarum.

1067 *Religiosi interessentes agitationi taurorum, vel ferarum, incurrunt excommunicationem non reservatam.*
1068 *Hæc censura non est latæ sententiæ, sed ferendæ.*
1069 *Religiosi assistentes agitationi taurorum, non statim incurrunt hanc censuram.*
1070 *Si assistant sine scandalo, probabile est non peccare mortaliter.*
1071 *Idem dicendum est, si agitatio taurorum talis sit, ut ex illa credatur non oriturum aliquod damnum corporale.*
1072 *Quid si obiter ratione itineris, aut ex loco maximè distanti videat hujusmodi ludos?*
1073 *Quid si ex aliqua fenestra taliter occultatus videat, ut à nemine cognoscatur?*
1074 *Hæc censura non afficit Novitios, nec Religiosos militares, Laicos, neque Moniales, nec Religiosos nondum sacris Ordinibus initiatos.*

DIco: Religiosi non possunt interesse agi- 1067
tationi taurorum, vel ferarum, sub excommunicatione nemini reservata, lata à PIO V. *in Bulla*, quæ incipit *De salute gregis*, quam postea pro Hispania limitavit, & declaravit pro Religiosis tantùm CLEMENS VIII. ut notavit Lezana *Tom.* 1. *cap.* 10. *n.* 7. noster Gabriel *de censf. disp.* 4. *quæst.* 10. *num.* 409. & Palaus *Tom.* 6. *disp.* 3. *de censur. p.* 37. *num.* 22.

Circa quam censuram nota PRIMO, illam non 1068
esse latæ sententiæ, sed ferendæ. Undè Religiosi agitationi taurorum sine scandalo interessentes, non
statim incurrunt prædictam censuram, peccant 1069
tamen mortaliter; nam quando lex est justa, & honesta, etiam secluso scandalo, obligat; ita cum
Rodrig. Cherubino, & aliis Lezana *loc. citat.* licet 1070
contrarium non improbabiliter teneat Pellizzar. *Tract.* 6. *c.* 14. *n.* 27.

SECUNDO nota, quod ut Religiosi peccent mor- 1071
taliter, & incurrant hanc censuram requiri, ut agitatio taurorum sit talis conditionis, ut indè mors, vulnera, & alia damna id generis oriri soleant, undè si agitatio fiat cum tali circumspectione, ut probabiliter credatur gravia damna personalia indè non secutura, Religiosi illi assistentes non incurrent prædictam censuram; Ita Avila *de censu-*
ris 2. *p. cap.* 5. *dub.* 4. Navarr. & alii apud Palaum 1072
ubi suprà licet ille oppositum tueatur. Idem dicendum est, si obiter ratione itineris, aut è loco ita distanti videat, ut moraliter loquendo non censeatur interesse; Ita Avila 2. *p. de censur. disp.* 1. *cap.* 5. *dub.* 4. contra Bonacin. & alios.

Idem dicendum existimat Avila *ubi sup. concl.* 3. 1073
& 4 si Religiosus occultè ex aliqua fenestra; ita ut non cognoscatur, tali agitationi assisteret, licet contrarium cum Bon. Rodr. & aliis doceat Pal. *ubi sup.*

TER-

TERTIO nota, hanc prohibitionem non afficere novitios, nec Religiosos Militares laicos, imò neque Moniales, neque Religiosos nullis Ordinibus sacris insignitos; ita Villalobos, quem refert, & sequitur Palaus, licet contrarium teneat Lezana *ubi suprà num.* 7.

§. 13.

De obligatione non procurandi ope Principum, honores, gradus, & dignitates.

1075 *Regulares procurantes aliquod officium, vel dignitatem, seu pœnæ remissionem, ope alicujus personæ extraneæ, incurrunt excommunicationem nemini reservatam.*

1076 *Hæc prohibitio in nulla fermè Religione est in viridi observantia, quod maximè deplorandum est.*

1077 *Hæc prohibitio comprehendit non solum Prælatos, sed etiam alios Religiosos, qui ope extraneorum, procurant, vel acceptant favores etiam sponte oblatos.*

1078 *Quid per personas extra Ordinem hic intelligatur?*

1079 *Non incurrit hanc censuram Prælatus, qui ad instantiam alicujus sæcularis, dat dignitatem alicui Moniali.*

1080 *Idem dicendum est, de Prælato concedente subdito officia extra ordinem, ad instantiam alicujus sæcularis.*

1081 *Idem dicendum est si aliquid concedat novitio, vel illum ad instantiam sæcularium recipiat.*

1082 *Quas res comprehendat hujusmodi prohibitio?*

1083 *In nostra Religione prædicta interventu sæcularium procurans, incurrunt inhabilitatem, & privationem illius rei, quam procurant.*

1084 *An in nostra Congregatione sit recepta hujusmodi Constitutio?*

1075 DICO: Regulares non possunt ad instantiam quarumcumque personarum extra suos Ordines, aliquod officium, vel dignitatem, seu pœnæ remissionem procurare, sub pœna excommunicationis nemini reservatæ; ita statuit pro Carmelitis CLEMENS VIII. *in Bulla* 23. quæ incipit. *Quoniam nemo*; & pro Cruciferis *Constitutione* 109. & PAULUS V. pro Canonicis regularibus *Constitutione* 35. pro Dominicanis *Constitutione* 39. & pro Eremitis S. Augustini *Constitutione* 48. & PAULUS V. pro Minimis, PIUS V. & GREGORIUS XIII. & PAULUS V. pro Minoribus.

Circa quas Bullas nota PRIMO, nullibi ferè videri esse in viridi observantia, & praxim in multis Ordinibus esse in contrarium; Ita Pellizz. *Tr.* 6. *c.* 14. *n.* 47. quod indeficientibus lacrymis deplorandum est; inde namque tot, tamque sacrilegæ ambitiones exortæ sunt, ut sanctissimum Pontificem URBANUM VIII. cogerent de alia strictiore edenda Constitutione cogitare, quam refert Peyrinis *ad Constit* 5. PAULI V. *n.* 2. quam tamen de facto non edidit, & utinam ederetur ad hoc vitium funditus evertendum. 1076

SECUNDO nota, hujusmodi prohibitionem comprehendere, tùm Prælatos regulares, etiam locales, ne ad instantiam personarum extra Ordinem, conferant gradus, & dignitates suis Religiosis: tùm ipsos Religiosos subditos, eadem procurantes per sæculares, aut etiam acceptantes eorum favores, licet spontè oblatos, siquidem acceptent pro seipsis, non itē, si pro aliis; Pelliz *ubi sup. n.* 48. 1077

TERTIO nota, per personas extra Ordinem intelligi etiam Cardinales, & Episcopos, dummodò non sint assumpti ex eodem Ordine; ita Peyrinis *Tom.* 3. *privilegior. cap.* 10. *num.* 4. Idem dicendum est de Religiosis alterius Ordinis; Portel *in additionibus ad dubia regularia verbo* officia Ordinis *n.* 18. Et tandem quæcumque personæ sæculares, etiam Regia vel Imperatoria dignitate fulgentes; Portel *loc. cit.* non intelliguntur tamen Moniales ejusdem Ordinis; Peyrinis *loc. cit. n.* 4. quidquid in contrarium dicat Portel *ibid.* neque Papa, vel Protector Ordinis; ita Peyrin. *ubi sup. n.* 5. 1078

QUARTO nota, non comprehendere hanc censuram Prælatum, qui daret aliquam dignitatem alicui Moniali ad instantiam sæcularium; nam in pœnis masculinum, non comprehendit fœmininum; Peyrin. *ubi sup. n.* 3. Portel *ubi suprà num.* 19. 1079

Idem dicendum est de Prælato, concedente alicui subdito officia extra Ordinem, ad instantiam alicujus; Pelliz. *ubi sup.* Idipsum dicendum est, si aliquid concedat novitio, vel si eum recipiat ad professionem ad instantiam sæcularium; Portel *ubi suprà num.* 20. 1080 1081

QUINTO adverte res, quas Papa prohibet in præsenti esse gratiam, seu remissionem alicujus pœnæ, gradus, dignitates, officia, administrationes, functiones, prælaturas; hæc enim omnia in specie exprimuntur in Bulla CLEMENTIS VIII. pro Carmelitis, ut videre est apud Lezanam *Tom.* 1. *capite* 18. *numer.* 82. pro gratia autem existimo 1082

venire

venire quemcumque favorem concessum Religioso, qualis esset dare licentiam ad Ordines suscipiendos, ad studia, ad mutandum domicilium; ita cum Portel Pellizzar. *ubi sup. loc. cit.*

TANDEM adverte, quod cùm dubium sit, an hu-
1083 jusmodi Constitutiones sint receptæ in Religionibus, videnda sunt cujuscumque Ordinis Statuta: in nostra namque, qui prædicta interventu sæcularium procurat, incurrit inhabilitatem, & privationem illius rei, quam medio sæcularium favore consecutus fuerit, ut habetur *in nostris Constitu-*
1084 *tionibus* I. *p. cap.* 4. *num.* 16. An autem in ea sint receptæ hujusmodi Constitutiones Pontificiæ quoad pœnas in eis contentas, non mihi constat; undè videant Prælati, *&c.*

§. 14.

De obligatione non impediendi alios Religiosos, accedere ad missiones Japonicas, & aliarum Indiarum Orientalium, nec etiam ibi mercaturam exercendi.

1085 *Religiosi impedientes aliis Religiosis accessum ad missiones Japonicas, & aliarum Indiarum Orientalium, incurrunt excommunicationem nemini reservatam.*

1086 *Hæc censura comprehendit Religiosos, sive impediant Religiosos alterius, sive suæ Religionis.*

1087 *Ad incurrendam hanc censuram requiritur, quod per actionem positivam impediant, sive fiat per vim, sive per metum.*

1088 *Non sufficit, quod quis mandet, vel consulat.*

1089 *Quas pœnas incurrant Religiosi in Missionibus mercaturam exercentes, sive per se, sive per alios, sive proprio, sive Communitatis, vel alterius nomine hoc faciant.*

1085 DIco I. Religiosi non possunt impedire aliis Religiosis accessum ad missiones Japonicas, & aliarum Indiarum Orientalium, sub excommunicatione non reservata, lata ab URBANO
1086 VIII. *Constitutione sua* 126. Circa quam nota PRIMO, hanc Constitutionem comprehendere omnes Regulares, sive impediant Religiosos alte-
1087 rius, sive sui Ordinis: Ita Pellizzarius *Tract.* 7. *c.* 2.
1088 *num.* 219. SECUNDO nota, Ad incurrendam hanc censuram requiri aliquam actionem positivam, per quam impediatur accessus, sive id fiat per vim, sive per metum, sive aliter injustè, non tamen sufficit, ut quis mandet, & consulat; ita Pellizzarius *loc. cit.*

DICO II. Religiosi exercentes in dictis mis-
sionibus mercaturam, incurrunt excommunica- 1089
tionem unà cum privatione vocis activæ, & passivæ, nec non officiorum, & graduum, ac dignitatum quarumcumque, & inhabilitatis ad ea: & insuper amissionem mercium ac lucrorum ex eis factorum, quamcumque mercaturam, seu negotiationem exerceant, sive per se, sive per alios, sive proprio, sive Communitatis nomine, sive directè, sive indirectè, aut alio quovis prætextu, causa vel colore; ita statuit URBANUS VIII. *in præfata Bulla,* & meritò: dedecet enim maximè Religiosos prædicta mercatura, & negotiatio. Consulatur circa hoc N. Gabriel *de cens. disp.* 1 *num.* 142. *& disputat.* 4. *numero* 459.

§. 15.

De obligatione, quam habent Regulares non vexandi Electores in electionibus regularibus.

1090 *Regulares vexantes Religiosos sui Ordinis, eo, quod nolint eligere eum, pro quo rogantur, incurrunt excommunicationem nemini reservatam.*

1091 *Hæc excommunicatio solùm comprehendit vexantes ad electionem alicujus Prælati regularis ejusdem, non verò alterius Religionis.*

1092 *Ad incurrendam hanc censuram requiritur, ut vexatio sit injusta.*

1093 *Sufficit, si per alium vexationem faciant.*

DIco: Regulares præsumentes vexare alios Re- 1090
ligiosos sui Ordinis, eò quòd rogati, aut inducti noluerunt eligere eum, pro quo rogati fuerant, incurrunt excommunicationem nemini reservatam, *in Capit. sciant cuncti, de electionibus in* 6.

Circa quam nota PRIMO hic solùm esse sermo- 1091
nem de electione Prælati regularis, sive Generalis, sive Provincialis, vel etiam localis, non tamen ex-
tenditur ad vexantes Religiosos alterius Ordinis 1092
occasione eligendi proprium Prælatum; ita Pellizz. *Tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 223. Vide etiam Palaum *disp.* 3. *de censuris p.* 31. *num.* 3.

SECUN-

SECUNDÒ nota, requiri vexationem esse injustam, non tamen requiritur, ut per se quis illam conferat, sed sufficit, ut per alium de suo mandato faciat, Palaus statim citatus *num.* 3.

§. 16.

De obligatione non recipiendi de bonis novitiorum ante professionem ipsorum, nec cogendi fœminas ad ingressum Religionis.

1094 *Regulares ante professionem non possunt recipere donationes novitiorum sub excommunicatione nemini reservata.*

1095 *Regulares cogentes fœminas ad ingressum Religionis, vel ab eo avertentes, incurrunt excommunicationem nemini reservatam.*

1094 DIco: Regulares ante professionem Novitii, non possunt recipere donationes Novitiorum sub excommunicatione lata, *in Trid. sess.* 25. *de Regularibus cap.* 16. sed de hac excommunicatione egimus *disp* 2. *sect.* 4.

1095 Idem dicendum est de Regularibus cogentes fœminas ad ingressum Religionis, vel ab eo avertentes, ut diximus *disp.* 2. *sect.* 1. ubi, quæ hîc poteras desiderare, latè explicuimus.

§. 17.

De obligatione non edendi libros absque approbatione, & licentia suorum Superiorum.

1096 *Regulares imprimentes libros, sine nomine Auctoris, & approbatione Ordinarii, & Inquisitione, incurrunt excommunicationem nemini reservatam.*

1097 *Quos libros comprehendat hæc prohibitio?*

1098 *Comprehenduntur sub hac prohibitione etiam libri jam impressi, si iterum imprimantur.*

1099 *Qui librum jam approbatum à Revisoribus imprimit, nondum acceptis litteris approbationis non incurrit hanc censuram.*

1100 *Idem dicendum est, si imprimat librum à legitimis superioribus approbatum, nulla tamen ipsorum præmissa examinatione, si aliàs constat librum à piis, & doctis fuisse approbatum.*

1101 *Secus dicendum est, si revisoribus non constet moraliter librum jam fuisse examinatum, & re visum.*

1102 *Quid si imprimat librum nondum approbatum, animo postea approbationi subjiciendi?*

1103 *In regionibus, ubi libri per Concilium regium, non vero per Ecclesiasticos examinantur, imprimentes absque tali approbatione incurrunt hanc censuram.*

1104 *Quando in aliquibus regnis, præter approbationes Ecclesiasticorum, requiritur etiam approbatio regni, illam omittentes non incurrunt hanc censuram.*

1105 *Episcopus regularis imprimens libros in suo Episcopatu, ut persona privata, indiget prædictis approbationibus.*

1106 *Secus si imprimat tanquam Episcopus aliqua monitoria ad suos diœcesanos.*

1107 *Inquisitores quando imprimunt, ut privatæ personæ, indigent prædictis approbationibus, etiam Inquisitionis.*

1108 *Si imprimant aliqua ut Inquisitores, nulla alia approbatione indigent.*

1109 *Imprimentes aliquid sine prædictis approbationibus aliquando possunt excusari ratione parvitatis materiæ.*

1110 *Quæ in hac re censeatur materia parva?*

1111 *Si auctor alicujus libri post approbationem illius adderet aliquas annotationes, & glossas insufficientes ad librum constituendum non incurrit hanc censuram, nec peccat mortaliter.*

1112 *Religiosi communicantes aliis sua manuscripta Theologica, vel sermones, etiam si sint integri libri, absque ulla approbatione, non incurrunt hanc censuram.*

1113 *Regulares imprimentes libros, etiam de rebus sacris tractantes, sine licentia suorum superiorum, non incurrunt hanc censuram, si aliàs tales libri habeant cæteras approbationes requisitas.*

1114 *Idem dicendum est, si faciant imprimi aliquem librum de licentia tantum Ordinarii, & Inquisitionis, apposito nomine alterius personæ sæcularis.*

1115 *Tale nomen debet esse verum, & veram personam, non vero fictam repræsentans.*

1116 *Religiosus apponens alterius nomen suis libris, regulariter non peccat mortaliter.*

1117 *Regulares imprimere facientes absque prædictis licentiis, præter supra dictam censuram, alias*

etiam pœnas incurrunt, quæ in prædicto Motu referuntur.

1118 *Pœnas pecuniarias appositas in prædictis decretis, non tenentur solvere Regulares.*

DIco I. Religiosi non possunt imprimere libros, sine nomine Auctoris, & approbatione Ordi-
1096 narii, ac Inquisitorum, & licentia suorum Prælatorum, & qui illos absque nomine Auctoris, vel approbatione Ordinarii, & Inquisitionis ediderint, incurrunt in excommunicationem nemini reservatam, latam in Concilio Lateranensi sub LEONE X. & in Trident. *sess.* 4. *& in indice librorum prohibitorum regula* 10. Et licet aliqua varietas detur in his decretis; nam Tridentinum solum postulat approbationem Prælati regularis; Lateranense verò, & index librorum postulat etiam approbationem Inquisitorum extra urbem, & in urbe Vicarii, & Magistri Sacri Palatii, omnes tamen simul sumptæ statuunt, ut sine Ordinarii, & Inquisitionis licentia extra urbem, nemo librum aliquem possit imprimere, quod maximè in hoc regno observatur, licet aliàs in aliquibus regnis solum decretum Tridentini observetur, ut ex Toleto & Navarro advertit Palaus *disp.* 3. *de censuris p.* 16. *n.* 1.

1097 DICO II. Ista prohibitio comprehendit omnes libros, sive de rebus sacris tractantes, sive alios: nam licet Tridentinum solum sub anathemate prohibeat imprimere, vel divulgare libros manuscriptos de rebus sacris tractantes, sine licentia Ordinarii & appositione proprii nominis; in indice tamen librorum, a quo fuit renovatum decretum Concilii Lateranensis, sub anathemate prohibetur imprimere libros, vel aliam quamcumque scripturam, sive tractent de rebus sacris, sive non, sine nomine Auctoris, & approbatione Ordinarii, & Inquisitionis. Et hinc fit non solum libros, sed etiam theses, carmina, poëmata, orationes deberi approbari antequam imprimantur; Ita Azor. quem refert, & sequitur Peyrinis *de Prælato q.* 3. *c.* 9. *num.* 4. Pellizzarius *Tract.* 6. *cap.* 4. *n.* 11.

1098 An autem sub hac prohibitione comprehendantur libri jam impressi, si iterum absque prædictis approbationibus imprimantur? Respondeo affirmativè, nisi aliàs detur usus contrarius; ita Pellizzarius *ubi supra num.* 15. potest enim evenire, ut in prima editione plura transierint digna censura. Non tamen incurret hanc censuram, qui librum approbatum jam à Revisoribus imprimit, nondum
1099 acceptis litteris approbationis, cum in hoc casu cesset finis legis: & idem dicendum existimo, si imprimat librum approbatum quidem à legitimis Superioribus, nulla tamen ipsius præmissa exami- 1100
natione, si aliàs illis constet, talem librum à piis & doctis viris fuisse approbatum, ut sunt libri aliquorum Regularium, qui nonnisi de rigidissimo suorum Superiorum examine approbantur; nam in hoc casu verificatur illud commune axioma: *potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum*, juxta *reg.* 68. *juris in* 6.

Secus dicendum existimo, si Revisoribus non constet moraliter librum jam fuisse examinatum, 1101
& revisum, nam tunc eum imprimere facientes, absque tali licentia incurrent excommunicationem; ita & benè Pellizzarius *ubi supra n.* 13. Et idem 1102
dicendum est, si imprimat librum nondum approbatum, animo postea subjiciendi approbationi; nam talis excommunicatio non est lata contra divulgantes libros non approbatos, sed contra imprimentes, vel imprimere facientes libros nondum approbatos à legitimis Superioribus, quod verum est, etiamsi prædictis Regularibus certò constet testimonio doctorum virorum, in prædicto libro nihil reperiri dignum censura; non enim hìc adæquatè cessat finis legis; non enim est inductum hoc præceptum tantum ad vitandum periculum erroris, sed etiam ad servandam debitam subjectionem erga Ecclesiam in rebus fidei; ita Pellizzarius *ubi supra num.* 22.

DICO III. In regionibus, in quibus usus inva- 1103
luit, ut libri per Consilium regium, non verò per Ecclesiasticos examinentur, ut fit in Castella, & Gallia, Regulares imprimentes absque tali approbatione incurrunt prædictam censuram; Ita Bonacina *de censuris in particulari disp.* 2. *q.* 2. *p.* 16. nam consilium regium approbat prædictos libros nomine Ordinarii & Inquisitorum id permittentium, & tacitè ei potestatem delegantium ex tacita licentia summi Pontificis, ut cum Navar. Suar. & aliis notavit Palaus *ubi supra*, licet contrarium non sit improbabile, ut cum Bonacina notavit etiam Pellizzarius *loc. cit. num.* 7.

Secus dicendum est, quando præter prædictas 1104
approbationes Ecclesiasticas, in aliquibus Regnis requiritur etiam licentia & approbatio Regia, quod jure defensionis propriæ ac sui status optimè possunt facere Principes sæculares etiam respectu Ecclesiasticorum, ut benè advertit Pellizzarius *ubi supra num.* 8. nam in hoc casu Regulares imprimentes sine tali Regia approbatione nul-

ne nullam censuram incurrent, ut ex se patet.
1105 An autem Regularis factus Episcopus impri-
mens librum in sua diœcesi præter approbationem
regiam indigeat alia approbatione? Respondeo
indigere approbatione Inquisitionis, si talem edat
librum; ut persona privata, non verò tamquam E-
piscopus, ut sunt edicta monitoria, & alia hujus
generis, quæ Ordinarii in suis Diœcesibus, non ve-
rò extra faciunt imprimere; & ratio est, quia quan-
do imprimunt ut privatæ personæ, non est cur illos
ab hac communi lege excludamus, cum per clau-
sulam universalem, *nullus*, tale decretum feratur,
quod tamen non procedit, quando ipse non est
persona privata, sed ut episcopus edit librum, nam
tunc cumulativè concurrit cum Inquisitoribus ad
1106 approbationem librorum. Et idem dicendum est,
si Inquisitores ut tales, imprimant aliquem li-
1107 brum, nam hi etiam nulla alia sive Ordinarii, sive
Regis indigent approbatione, secus si ut personæ
1108 privatæ, nam tunc non solum licentiam Ordinarii,
sed etiam tribunalis Inquisitionis requirunt, ut ex-
perientiâ constat.
1109 Dico IV. Regulares possunt aliquando excu-
sari ab hac censura ratione parvitatis materiæ, hæc
autem tunc censebitur, quando scriptura fuerit
1110 adeò parva, ut secundùm communem ac frequen-
tem usum non vocetur liber, ut si quis imprimere
faciat aliquam brevem scripturam, quæ non exce-
deret unam paginam voluminis grandioris, si aliàs
in illa nullus error contra fidem, aut bonos mores
contineretur: ita Pellizzarius *Tract.* 6. *cap.* 4. *n.* 17.
Bordon. *Tom.* 2. *resol.* 58. *num.* 24. Nec obstat, quod
in Concilio Lateranensi non solum prohibetur im-
primere libros, sed quamcumque scripturam. Re-
spondetur namque decretum Lateranense, cum
suis pœnis non fuisse usu receptum, & postea so-
lum fuisse innovatum, & confirmatum à Trident.
quoad libros, non verò quoad folia, cùm de istis
nulla fiat mentio; ita Bordon. *Tom.* 2. *resol.* 58. *n.* 24.
1111 Et hinc fit, quod si auctor alicujus libri post appro-
bationem adderet aliquas annotationes & glossas
insufficientes ad librum constituendum, non in-
currere hanc excommunicationem, nec peccare
mortaliter seclusa malitia; ita ex Suario Filiucio
& Bonacina colligit Palaus *disp.* 3 *de censuris p.* 16.
num. 1. Pellizzarius *Tract.* 7. *cap.* 2. *n.* 230. *& Tract.*
6. *cap.* 4. *num.* 12. & nost. Gabriel *loc. cit. quæst.* 5.
num. 96.
1112 Dico V. Religiosi aliis communicantes sua
manuscripta Theologica, vel Philosophica, seu Ser-
mones, etiam si sint integri libri, absque ulla ap-
probatione, non incurrunt prædictam censuram,
ut patet ex communi praxi; ita ex Suario, Azor.
& aliis Peyrinis *ubi supra n.* 3. Pellizzarius *Tract.* 6.
cap. 4. *n.* 10. Et idem dicendum est de thesibus sive
conclusionibus manuscriptis, quas publicè defen-
dunt; ita cum aliis Pellizzarius *Tract.* 6. *cap.* 4.
num. 11. Nec obstat, quod in Tridentino feratur
excommunicatio contra divulgantes etiam libros
manuscriptos, sine prædicta approbatione, nam
talis prohibitio, vel non fuit usu recepta, ut dicit
Suar. & Azor. apud Peyrinis, vel loquitur de his,
qui talia manuscripta divulgant, ut typis manden-
tur, ut declaravit sacra Congregatio apud Peyrinis
ibidem.
Dico VI. Regulares imprimentes libros, etiam
de rebus sacris tractantes, sine licentia suorum Su- 1113
periorum non incurrunt prædictam censuram, si
tales libri fuerint approbati ab Ordinario, & In-
quisitoribus. Et ratio est, quia licet in Tridentino
requiratur etiam approbatio Prælati regularis, hoc
tamen non præcipitur sub anathemate, sed juxta
formam suarum Ordinationum, unde tantùm fa-
cient contra suas leges, & pœnas ab eis statutas in-
currunt, non tamen incurrent in prædictam censu-
ram; ita Pellizzarius *Tract.* 6. *cap.* 4. *n.* 4. Suarez,
Portel, quos refert, & sequitur Peyrinis *de Prælato*
q. 3. *c.* 9. *n.* 2. non enim debent pœnæ extendi ultra
casus expressos.
Et idem dicendum est, si faciant aliquem librum 1114
imprimere; de licentia tamen Inquisitorum; &
Ordinarii apposito nomine alterius personæ Sæcu-
laris, vel Regularis; nam licet in Tridentino postu-
letur, ut in libris de rebus sacris tractantibus appo-
natur nomen Auctoris, ille censendus est Auctor,
cujus nomine liber imprimitur, nam eo ipso, quod
sub ejus nomine imprimitur, & evulgatur, consti-
tuitur auctor illius, ut advertit Bonacina *ubi supra*
num. 9. Sed hoc debet intelligi si nomen sit verum, 1115
& non fictum, veramque personam repræsentans,
ut cum Bonacina advertit Palaus *ubi supra*. An au-
tem peccaret mortaliter Religiosus suis scriptis no- 1116
men extraneum apponens, eo quod privat Religio-
nem eo honore qui illi ex impressione talis libri ac-
cresceret si fieret proprio nomine Auctoris? Re-
spondeo regulariter non peccare mortaliter, quia
regulariter non inde grave damnum accrescit Re-
ligioni. Naldus quem refert & sequitur Pellizza-
rius *Tract.* 6 *cap.* 4. *n.* 26.
Dico VII. Regulares imprimere facientes abs- 1117
Hh 2 que

que prædictis licentiis, non solum incurrunt censuram supradictam, sed etiam alias pœnas appositas in prædictis decretis, quarum sunt capaces; ut sunt, amissio, & publica combustio librorum, & possunt ab Inquisitoribus, & Ordinariis puniri, dummodo non procedant contra eos per censuras, si aliàs ipsi habeant privilegium speciale, ne possint excommunicari, suspendi, vel interdici, quale habent Mendicantes, & cum eis communicantes ex Bulla PAULI III. & ex Bulla SIXTI IV. relatis à Pellizzario *Tract.8.cap.6.n.44.* ut ex Sanch.*lib.7.de matri-*
1118 *mon.* notavit Pellizzarius *Tract.6. cap. 4. num.30.* Non tenentur tamen solvere pœnam pecuniariam cum Religiosi nihil proprii habeant, unde solvant, & alioquin Monasterium non tenetur ex delicto Monachi, nec etiam possunt suspendi ab exercitio impressionis, cum Religiosi talem artem regulariter non exerceant, adeoque non possint ab ejus exercito suspendi: ita Pellizzarius *Tract. 6.c.4.n.31.* Plura circa hanc materiam disscussa reperies apud nost. Gabrielem *loc.cit.n.92.& seqq.*

§. 18.

De obligatione, quam habent Regulares non legendi libros prohibitos.

1119 *Regulares, imo, & alii Fideles legentes, aut retinentes libros prohibitos, incurrunt excommunicationem nemini reservatam.*
1120 *Quos libros hæc prohibitio comprehendat?*
1121 *Ad incurrendam hanc censuram sufficit culpa mortalis, sive sit facta ex certa scientia, sive cum præsumptione, sive non.*
1122 *Non incurrit hanc censuram, qui tantùm materialiter legit ignorans idioma.*
1123 *Neque qui audit legentem etiamsi ad legendum provocet, neque qui memoriter dicit quod alius legit, benè tamen illam incurrit, qui oculis & mente percurrit.*
1124 *Quid hîc per retentionem intelligatur?*
1125 *Legentes libros prohibitos ob excitationem ad turpem delectationem, non incurrunt hanc censuram.*
1126 *Regulares, si quando inveniunt aliquos libros esse prohibitos, non statim illos Inquisitoribus tradunt, sed eos comburunt, incurrunt non hanc, sed aliam excommunicationem.*
1127 *Referuntur privilegia, quæ ad hoc habent Regulares.*
1128 *Hæc privilegia hodie probabile est, esse in vigore.*
1129 *A quo licentia legendi libros prohibitos sit postulanda?*

DICO I. Regulares, & idem dicendum est de aliis fidelibus, non possunt legere, vel reti- 1119
nere libros prohibitos in Indice librorum prohibitorum, sub excommunicatione, nemini tamen reservata: comprehendit autem hæc prohibitio sequentes libros. *Primo* Hæresiarchæ libros, 1120
etsi non contineant hæresim, nam si hæresim contineant, continentur in prohibitione Bullæ Cœnæ. *Secundò*, libros alicujus hæretici, nondum approbatos & examinatos à Catholicis Theologis, jussu Episcopi, & Inquisitorum, etiam si non contineant hæresim, ut supra diximus. *Tertiò*, libros alicujus Catholici, qui postea in hæresim incidit, & liber ab Inquisitore generali nondum permissus est. *Quartò*, libros & scripta continentia divinationes, & sortilegia, quales sunt libri, & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Æromantiæ, Pyromantiæ, Oneyromantiæ, Chyromantiæ, ac Necromantiæ, vel certè sortilegia, veneficia, auguria, & incantationes artis Magicæ. *Quintò*, libros Catholicorum continentes scholia, seu additiones hæreticorum; Ita Filiucius *Tractat. 16. cap. 2. quæst. 2. num. 43.* Bonacina *de censuris in Bulla Cœnæ contentis disp. 1. q. 2. part. 4. num. 3. & 4.* & ratio est, quia hujusmodi libri sunt prohibiti ob hæresim, aut ob falsi dogmatis suspicionem.

DICO II. Ad incurrendam hanc censuram suf- 1121
ficit culpa mortalis, sive sit facta ex certa scientia, seu cum præsumptione, sive non: nam in Indice librorum non ponitur clausula *scienter*, ut ponitur in Bulla Cœnæ: non incurret tamen hanc censuram, qui tantùm materialiter legit
prædictos libros, ignorans illorum idioma: item 1122
qui audit legentem, etiamsi ad legendum provo-
cet, aut memoriter dicit quod alius legit: benè 1123
tamen, qui oculis & mente percurrit, ut diximus
supra agentes de prohibitione Bullæ Cœnæ. No- 1124
mine autem retinendi includitur omnis retentio, sive sit nomine proprio, sive alieno, sive sit ad effectum eos legendi, sive faciendi magnam bibliothecam, sive etiam ad eos confutandos, sive eos

retineat in propria domo, sive in aliena, sive sint impressi, sive non, etiamsi eos retineat ad illos compaginandos, vel etiam ad aliquid in eis involvendum, ut solent facere aromatarii, qui illos asservant ad obvolvenda aromata: ita communiter Doctores.

1125 DICO III. Legentes libros prohibitos, ob incitationem ad turpem & veneream delectationem, non subjacent vinculo hujus excommunicationis, quia non legunt libros hæreticorum, aut libros vetitos ob hæresim, ac propter suspicionem falsi dogmatis, sed potiùs ob veneream voluptatem, ita ex Duardo, & Alterio Bonacina *suprà num.* 5.

1126 DICO IV. Regulares, si cùm primùm agnoscunt aliquos libros esse prohibitos, sive in Bulla Cœnæ, sive in Indice librorum, propria auctoritate eos comburant, non incurrent censuram Bullæ Cœnæ, nec censuram Indicis librorum; incurrunt tamen excommunicationem latam à JULIO III. *in Bulla*, quam refert Penna *in Directorio, fol.* 148. ubi in virtute obedientiæ, & sub censura hæresis, ac omnibus de jure inflictis, & promulgatis, tam Ecclesiasticis, quàm temporalibus sententiis, censuris, & pœnis districtè præcipitur, ut omnes, & singulos libros hæreticos, vel reprobatos, Inquisitoribus realiter, & cum effectu tradant; unde fit, ut qui scienter retinet librum prohibitum, etiam in Indice librorum, & eum non tradit Inquisitoribus, incurrit hanc censuram, etiamsi eum comburat; nam sic non habetur finis intentus in hac Constitutione, qui est, ut sic cognoscatur Auctor libri, & errores, qui in illo sunt, meliùs corrigantur; & idem dicendum est, si à tali libro auferat aliquas paginas, antequam eum tradat Inquisitoribus propter eamdem rationem.

Adverte tamen, quòd licèt non tradentes libros prohibitos inquisitoribus, incurrant omnes pœnas hæreticorum, ac per consequens etiam excommunicationem, illam tamen non esse reservatam, quia in hac Constitutione nulla fit mentio reservationis, & reservatio ut odiosa induci, & præsumi non debet, nisi sit expressa; ita Pellizzarius *Tract.* 6. *cap.* 5. *num.* 29.

1127 DICO V. Generales cum consilio Assistentium, olim poterant concedere facultatem suis Fratribus Mendicantibus, & cum eis communicantibus, legendi libros hæreticos ad eos impugnandum; ita per Bullam concessit GREGORIUS XIII. post PIUM V. Societati JESU, ut testatur Peyrinis *de privilegiis, Tom.* I. *ad Constitutionem* 9. PAULI V. *num.* 9. Provinciales verò poterant dare licentiam legendi libros non hæreticorum, aut quando Auctores mali sunt, si libri non sunt editi ad stabilienda dogmata hæretica, & dummodo nomen Auctoris, & errores, propter quos sunt prohibiti, deleantur.

Item poterant dare licentiam, ut per se ipsos emendarent libros suspensos, & facere omnia, quæ in Catalogo, & Decreto Sac. Rom. & Univers. Inquisitionis præcipiuntur ad effectum, ut illi retineri possint, dummodo errores deleantur; ita concesserunt PIUS V. & GREGORIUS XIII. per Bullas Societati JESU, & SIXTUS IV. Prædicatoribus, & Minoribus.

An autem hæc privilegia hodie sint in suo vigore? videtur negativè respondendum, propter generalem revocationem licentiarum legendi libros prohibitos, quam fecit GREGORIUS XV. in Bulla, quam refert Peyrinis *ubi suprà.* & URBANUS VIII. in alia simili Bulla, quam refert Pellizzarius *Tract.* 6. *cap.* 5. *num.* 36. licèt aliàs partem affirmantem sustineat Peyrinis *suprà*, non obstante decreto GREGORII XV. & idem diceret, si videret decretum URBANI VIII. quod omnino simile est, quam sententiam etiam non stante decreto URBANI VIII. non rejicit Pellizzarius, imò *num.* 37. maximè in eam inclinat; imò Lezana *Tom.* I. *cap.* 18. *num.* 96. eam vocat probabilem, saltem speculativè, & suam tantùm dicit veriorem; & meritò, quia prædicta 1128
decreta loquuntur de licentiis particularibus concessis ad legendos libros prohibitos, non autem privilegiis Regularibus concessis, neque his derogant.

Nec obstat, quòd in prædicto decreto URBANI VIII. reservetur potestas concedendi licentiam legendi libros prohibitos sacræ Congregationi, ad hoc, ut dicamus per eam reservationem auferri hanc potestatem à Prælatis regularibus. Respondetur namque, ibi per eam reservationem tantùm auferri prædictam potestatem ab eis, qui eam via ordinaria habebant, ut erant Ordinarii & Inquisitores, non tamen ab illis, qui eam habebant ex privilegiis specialibus, ut etiam notavit Pellizzarius *ibidem.*

Sed quæres, à quo debeant Regulares postulare licentiam legendi libros prohibitos, seclusa opinione Peyrinis? Respondeo, debere illam obtinere 1129
à sacra Congregatione sancti Officii, vel ab ea deputatis; ita habetur in decreto URBANI VIII. quod refert Pellizzarius *ubi suprà, num.* 36.

§. 19.

De obligatione non alienandi bona immobilia, sive mobilia pretiosa monasterii, absque certis juris solemnitatibus.

1130 *Regulares alienando bona suorum Monasteriorum, sine legitima solemnitate, incurrunt excommunicationem non reservatam.*

1131 *Quos Regulares comprehendat hæc prohibitio?*

1132 *Quomodo Regulares incapaces bonorum stabilium, in hac prohibitione comprehendantur?*

1133 *Ad incurrendas has pœnas debet alienatio procedere ex dolo, & præsumptione.*

1134 *Non sufficit attentatio, sed requiritur, ut sequatur effectus.*

1135 *Qui actus in hac prohibitione comprehendantur?*

1136 *Quid per res immobiles intelligatur?*

1137 *Quid per res mobiles pretiosas?*

1138 *Locatio bonorum stabilium ad triennium, non est prohibita.*

1139 *Quid si res alternis tantùm annis fructificet?*

1140 *Non possunt locare res Monasterii ad sex annos, cum pacto, ut elapso uno triennio, secundum incipiat.*

1141 *Possunt solo verbo hoc promittere conductori.*

1142 *Locationi factæ per triennium ab antecessore, tenetur stare successor, si dentur certæ conditiones.*

1143 *Beneficiarius, Abbas, & Rector, potest fructus sui beneficii ad tempus vitæ suæ locare.*

1144 *Item, possunt alteri se obligare obligatione personali, ad dandum jus percipiendi fructus à suo beneficio per totam suam vitam.*

1145 *Quomodo possunt Regulares sua bona infeudare, seu emphyteuticare?*

1146 *Quando res censeantur monasterio incorporatæ?*

1147 *Bona solita concedi in emphyteusim, non possunt, Regulares sine debitis solemnitatibus concedere in feudum.*

1148 *Quomodo possint Prælati bona solita infeudari, seu emphyteuticari, suis consanguineis infeudare, seu emphyteuticare.*

1149 *Regulares non possunt sine solemnitatibus transigere, aut compromittere super bonis Monasterio incorporatis.*

1150 *Quid si res sit litigiosa, vel præjudicialis?*

1151 *Non possunt oppignorare bona mobilia pretiosa Conventus.*

1152 *Quid si detur nimia necessitas, in qua non posset adiri Pontifex.*

1153 *Quid circa hoc statuat jus Lusitanum?*

1154 *Ecclesiæ bona non possunt hypothecari sine solemnitatibus, non solùm hypotheca speciali, sed nec generali.*

1155 *Idem dicendum est de fidejussione, & de contractu assecurationis.*

1156 *Regulares non possunt implicare in contractu Societatis pecuniam relictam Monasterio cum onere, ut investiatur in bonis immobilibus.*

1157 *Possunt deponere talem pecuniam super aliquem montem pietatis.*

1158 *Non possunt sine solemnitatibus res suas dare ad usum.*

1159 *Non possunt constituere census vitalitios.*

1160 *Non possunt mutuare bona Monasterii.*

1161 *Possunt tamen bona Monasterii ad breve tempus commodare.*

1162 *Non possunt constituere contractum precarii de bonis Monasterii.*

1163 *Non possunt recipere census vitalitios.*

1164 *Non possunt recipere pecunias ad cambium, aut mutuò, cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis.*

1165 *Hæc prohibitio non recipiendi pecuniam ad cambium, non solùm comprehendit Prælatos, sed etiam singulares Religiosos.*

1166 *Quid si urgeat gravis necessitas?*

1167 *Non possunt etiam ex gratitudine promittere solutionem pro mutuo interesse lucri cessantis, vel damni emergentis*

1168 *Possunt admittere extinctionem census legitimè constituti.*

1169 *Possunt pecuniam ex censu restitutam implicare in extinctione alterius census super bona Conventus constituti.*

1170 *Non possunt pecuniam ex censu restitutam implicare in solvendis debitis Conventus, etiamsi de eis quotannis solvant interesse.*

1171 *Quid si res gravata ære alieno, Ecclesiæ relinquatur, casu quo jam sit illi incorporata?*

1172 *Quid si res pretiosa ære alieno ab Ecclesia ematur, & postea non sit pecunia unde debitum solvatur?*

1173 *Regulares possunt alienare sine debita solemnitate res sibi relictas, cum onere, ut eas possint liberè alienare.*

1174 Non

DICO I. Regulares non possunt bona suorum Monasteriorum, sacra Congregatione inconsultâ, & aliis servatis solemnitatibus, alienare, sub pœna excommunicationis nemini reservata, & nullitatis omnium contra præsentem prohibitionem celebratorum: ita habetur in multis Constitutio- 1150

1131 stitutionibus Pontificiis, quas congerit noster Lezana *verbo* Alienare, *num.* 24. præcipuè in Extravagante *Ambitiosæ*. PAULI II. & in decreto sacræ Congregationis, jussu URBANI VIII. edito 7. Septembris, 1624. ubi etiam abrogantur omnia privilegia antea concessa Regularibus.

1132 Comprehendit autem hæc prohibitio omnes Regulares, etiam incapaces bonorum stabilium, quoad illa bona, sive mobilia pretiosa, quorum sunt capaces, ut sunt calices, cruces, ornamenta, horti annexi Conventui, proprii Monasterii, &c. Unde declaratio sacræ Congregationis, in qua habetur, Clericos Theatinos non comprehendi sub generali prohibitione non alienandi bona immobilia, seu mobilia pretiosa, quam refert Novarius *in lucerna Regularium, verbo* Alienatio, *num.* 2. debet intelligi juxta suum Institutum, ita, ut ea omnia bona possint alienare, quæ secundùm suam Regulam possidere non possunt; ut advertit Pellizzarius *Tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 3. Delbene *Tom.* 2. *cap.* 17. *dub.* 17. *num.* 5. *& sequentibus*: quo etiam sensu idem de nostris Conventibus, & domibus professis Societatis, & de aliis incapacibus habendi res immobiles dicendum est, ut optimè advertit Delbene *ibid.*

1133 DICO II. Ad has pœnas incurrendas requiritur, ut alienatio fiat ex dolo, malitia, & præsumptione; unde excusantur, qui ex probabili, vel etiam culpabili ignorantia illam fecerint: verbum enim *Præsumptio*, quod habetur in dicta Extravaganti, significat temeritatem, vel malitiam excludentem omnem ignorantiam; requiritur etiam, ut de facto res tradatur. Unde non sufficit attentatio alie-

1134 nationis per celebrationem instrumenti, si res post factum instrumentum non tradatur; pœnæ namque impositæ intelliguntur de actu perfecto, & consummato, qualis non est alienatio nisi secuta pacificâ possessione; Filliutius *Tract.* 44. *cap.* 6. *num.* 6. ex Covarruvia, & Navarro.

1135 DICO III. Per alienationem intelligitur non solùm actus, per quem dominium directum transfertur, ut sunt venditio, donatio, permutatio, &c. sed etiam actus, per quem dominium utile transfertur, ut sunt infeudatio, locatio, emphyteusis, &c. imò intelliguntur actus, in quibus etsi res non tradatur alteri, neque ad dominium directum, neque utile, manet tamen obnoxia periculo alienationis, ut pignus, & hypotheca; Molina *de Contractibus, tract.* 2. *disp.* 464. *num.* 1. & N. Gabriel *de Cens. disp.* 4. *quæst.* 4. *num.* 79.

1136 DICO IV. Res immobiles, quæ prohibentur alienari, sunt non solùm res corporeæ fixæ, & immobiles, sed etiam actiones, & jura, & redditus longi temporis, seu jus diuturnum ad illos, nec non jura, seu debita rerum immobilium, seu mobilium pretiosiorum, quæ servando servari possunt, si aliàs tales Religiosi omnium harum rerum sint capaces; nam si Religiosis incapacibus habendi vasa aurea relinquatur in testamento vas aureum, illud possunt absque solemnitatibus alienare, etiamsi relictum fuisset cum conditione ne alienaretur; ita Filliutius *ubi suprà, cap.* 4. *num.* 32. cum Rosella, Rodrig. Hippolyto, Franco, Quaranta, & aliis, Moronius *responso* 62. *num.* 27. Idem dicendum est, si res, quæ alicui Monasterio relinquuntur, ei sint inutiles, ut si Bibliotheca medicinæ Conventui religioso relinqueretur; in hoc namque casu posset vendi, & pretium illius converti in alios libros Religiosis convenientes; ita cum Portel. Pellizzarius *Tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 11.

Res autem mobiles pretiosæ, quæ non possunt alienari, sunt vasa aurea, argentea, gemmæ, casulæ pretiosæ, calices, tapetes, vestes, quæ difficillimè consumuntur; & generaliter omnia illa, quæ fructificant, & triennio non corrumpuntur; ita cum aliis communiter Delbene *Tom.* 2. *cap.* 17. *dub.* 2. *sect.* 1. *num.* 8. debent autem hæ res excedere pretium 25. aureorum, ad hoc, ut absque prædictis solemnitatibus non possint alienari; ita declaravit sacra Congregatio, ut testatur Delbene *ibi num.* 12. *& sect.* 2. *num.* 1. *&* 2. Nec etiam censetur res pretiosa maxima pecuniæ summa ab aliquo testatore relicta Conventui; quia hæc usui quotidiano deservit, & servata fructum non parit; Molina, Azor. Mantica, Barbosa, quos refert, & sequitur Delbene *ubi suprà, sect.* 3. *num.* 1. 1137

Secùs dicendum est, si talis pecunia auctoritate Prælati, & Religiosorum consensu, destinetur ad emendam rem immobilem, vel mobilem pretiosam, etiamsi ad hunc effectum non fuerit à testatore relicta; ita Vasquius, & alii, quos refert, & sequitur Palaus *Tract.* 12. *disp. unica, de rebus Ecclesiasticis non alienandis, part.* 25. §. 1. *num.* 5. nam cùm talis pecunia jam sit destinata ad rem immobilem emendam, inter res immobiles computatur, sicut de quacumque alia pecunia hunc effectum destinata docet cum aliis Lezana *Tom.* 2. *cap.* 19. *num.* 59. (licèt contrarium teneat Bordon. *resol.* 27. *num.* 51. ubi ait, pecuniam destinatam ad emenda immobilia distrahi posse ad emenda mobilia necessaria Monasterio.)

Idem

Idem dicendum est de dote tradita pro Moniali; Dicastillus *de justit. lib.2. tract. 15. disp. 1. num.* 179.

Idem dicendum est de pecunia redacta ex redemptione census Ecclesiæ, vel ex aliqua alia re Ecclesiæ immobili, vel mobili pretiosa vendita, ad hoc, ut in alia re immobili, vel mobili pretiosa melioraretur; nam talis pecunia sine assensu Apostolico nullo modo potest alienari, ut cum communi DD. tradit Delbene *ubi suprà, num.* 4. contra Bordon. *resol.*27.*num.*51.

An autem talis pecunia alienari possit, sine solemnitatibus, solvendo debita ejusdem Conventus? Respondeo negativè; Ita Rodoanus, Riccius, Genuensis, & alii, quos refert, & sequitur Delbene *ubi suprà, num.* 17. sicut enim sine solemnitatibus non potest pro extinctione debitorum vendi res immobilis, vel mobilis pretiosa, ita nec pecunia, quæ successit loco ejus.

1138 Dico V. Regulares, non obstante hac prohibitione, possunt elocare prædia Monasterii ad triennium, & non ultrà, nisi aliàs res sit ex illis, quæ
1139 alternis tantùm annis solent fructum ferre; nam tunc posset locari in sex annos, vel etiam in novem, si in hoc spatio ter tantùm fructus ferat; nam quando res alternis tantùm annis fructificat, sexennium reputatur pro triennio, & si in spatio novem annorum ter tantùm fructum ferat, verè locari solummodo censetur in tres annos utiles, & feraces; Ita Palaus *Tract* 12. *disp.unica, de rebus Ecclesiæ non alienandis, part.*14. *num.*5. cum Navarro, Quaranta, Barbosa, & aliis.

1140 An autem possint locare bona Monasterii ad sex annos cum pacto, ut elapso primo triennio, secundum incipiat? Respondeo negativè; Ita Valascus, Alexander, & alii, quos refert, & sequitur Tamburinus *Tom.* 3. *disp.*14. *quæsito* 2 *num.* 1. & hoc,
1141 sive fiat una scriptura, & contractu, sive duplici, quia parùm refert, an locatio uno vel duplici contractu fiat; ita Tamburinus *ubi suprà, num.* 2. poterunt tamen Religiosi promittere conductori ad alterum triennium se locaturos, dummodo de hoc scriptura publica non conficiatur; Azor. quem refert, & sequitur Tamburinus *ubi suprà, num.* 2.

1142 Locationi autem per triennium ab antecessore facta, tenetur stare Prælatus ei succedens, dummodo locatio sit facta nomine Monasterii, & in utilitatem ipsius, & pecunia in hujusmodi Monasterii commodis sit applicata: & dummodo talis locatio auctoritate Superioris facta sit; Ita Reginaldus *lib.*25. *num.* 541. Tamburinus *ubi suprà, quæsito* 3. *num.* 1. In hoc namque casu Prælatus habet se ut procurator, qui alteri successit procuratori, sed procurator tenetur stare locationi factæ ab ejus antecessore, juxta *legem tutelæ, ff. de administ.tut.* ergo etiam Prælatus.

An autem Beneficiarius, Rector, seu Parochus 1143
possit fructus, seu redditus sui beneficii, vel Ecclesiæ, qui sunt destinati ad suam utilitatem, locare pro toto tempore suæ vitæ absque solemnitatibus? Respondeo affirmativè; tum, quia hæc locatio morte illius expirat, & inde nullum periculum imminet Ecclesiæ, vel successori; tum, quia hìc non transfertur dominium utile beneficii, sed jus percipiendi redditus nomine Beneficiarii; Ita Abbas, Molina, quos refert, & sequitur Dicastillus
*de justitia, lib.*2. *tract.* 15. *disp.* 1. *num.* 221. Hinc 1144
fit, posse Beneficiarium obligare se obligatione personali ad dandum commoditatem, & jus percipiendi fructus per totam suam vitam à suo beneficio cuicumque ille voluerit absque ulla solemnitate; Ita Molina, Craveta, Riccius, Quaranta, quos refert, & sequitur Dicastillus *ubi suprà, num.* 326.

Dico VI. Regulares non possunt bona immo- 1145
bilia suorum Monasteriorum infeudare, seu emphyteuticare, nisi ea sint solita tradi in feudum, seu emphyteusim; præsumuntur autem talia esse, quando semel tradita sunt in feudum, seu emphyteusim; Ita Filiutius, Bonacina, Palaus, quos refert, & sequitur Pellizzarius *Tract.* 6. *cap.*8. *num.*18. & patet ex dicto decreto, in quo etiam emphyteusis, & feudum comprehenduntur.

Dixi, *nisi bona sint solita infeudari, vel emphyteuticari*; nam si talia sint, possunt in evidentem utilitatem Ecclesiæ, antequam monasterio incorporentur, & non aliter, eodem modo, & cum eisdem conditionibus iterùm infeudari, vel emphyteuticari, cùm hoc non sit nova alienatio, sed continuatio antiquæ; Ita Molina, Barbosa, Palaus, & alii, quos refert, & sequitur Pellizzarius *ibidem*, Ventriglia *annotatione de alienatione*, §. 1. *num* 23.
& Gabriel à S. Vincent. *loc.cit. num.*83. Res autem 1146
tunc censentur bonis Conventus incorporatæ, quando Prælatus, aut Conventus declarat se velle illam rem esse de bonis Conventus; Ita Bordonus cum Pellizzario *ubi suprà*, licèt Bordonus *Tom.* 2. *resol.* 62. *quæst.*17. ultra etiam requirat publicum instrumentum, & consensum Capituli.

1147 An autem Prælatus possit bona Conventus solita concedi in emphyteusim, concedere in feudum sine solemnitatibus? Respondeo negativè, quia alteratur substantialis forma contractus, & deterioratur conditio Ecclesiæ; nam emphyteuta Ecclesiæ cessando à solutione canonis per biennium, cadit à jure suo: *Cap. Potuit, de locat. l. 2. C. de jure emphyteusis*; Feudatarius verò Ecclesiæ, etiamsi non solveret censum per mille annos, non cadit
1148 à jure suo; Ita Speculator, & alii, quos refert, & sequitur Ventriglia *ubi suprà, num. 2.* An autem Prælatus bona Monasterii solita in feudum, vel emphyteusim concedi, possit concedere suis consanguineis, cognatis, vel affinibus? Respondeo affirmativè, si dicti idonei sint, & concessio fiat palàm, bona fide, & sine Ecclesiæ læsione; Ita Redoan. & alii, quos refert, & sequitur Ventriglia *ubi suprà, num. 29.* licèt contrarium graves doceant DD. quos *ibidem* refert.

1149 Dico VII. Regulares non possunt sine solemnitatibus transigere, aut compromittere super bonis Monasterii, loquendo de bonis Monasterii jam incorporatis, vel, quæ ipso jure ad illud perveniunt, quia transactio, & compromissum species
1150 alienationis est; Ita Filiutius, Rebuffus, & alii, quos refert, & sequitur Pellizzarius *ubi suprà, num. 26.* Excipe, si res sit litigiosa, vel præjudicialis; Bordonus *resol. 27. num. 59* & Gabriel supracitatus *disp. 4. de Excom. quæst. 4. num. 81.*

1151 Dico VIII. Regulares sine prædictis solemnitatibus non possunt oppignorare bona mobilia pretiosa Monasterii, ut patet ex declaratione sacræ Congregationis, quam refert Lezana noster *verbo*
1152 Alienare, *num. 13.* Hoc tamen decreto non obstante, in casu maximæ necessitatis, in quo non possit adiri summus Pontifex, aut sacra Congregatio, & necessitas urgeat, potest fieri talis oppignoratio, etiam lampadum, candelabrorum argenteorum, &c; Ita Peyrinis *in Formulario, lit. A. cap. 11. num. 3.* Diana *5. part. tract. 13. resol. 6.* Pellizzarius *ubi suprà, num. 29.*

1153 Adverte tamen, in hoc Lusitaniæ Regno, sæculares accipientes aurum, vel argentum, ornamenta, vel vasa alicujus Ecclesiæ; etiam Regularis in pignus, absque expressa Regis licentia omittere valorem dictarum rerum, cum excessu novem partium, & res sic pignorata, vel empta, redditur Ecclesiæ absque ullo pretio soluto ab Ecclesia, ut patet ex ordinatione, *lib. 2. tit. 24.* & docet Portel. *in additionibus ad dubia regularia, verbo* Alienare, *num. 4.*

Dico IX. Bona Ecclesiæ absque prædictis solemnitatibus non possunt hypothecari, non solùm 1154
hypotheca speciali, ut tenent communiter DD. sed neque hypotheca generali, ut cum Quaranta, Novario, & aliis docet Ventriglia *ubi suprà, §. 2. num. 7.* Vasq. Rodriguez, Covarruvias, quos refert, & sequitur Dicastillus *de justitia, lib. 2. tract. 15. disp. 1. num. 319.* textus namque generaliter loquitur de hypotheca, & quando prohibetur alienatio, simpliciter videtur prohibitus omnis actus, per quem alteri acquiritur jus aliquod, quidquid cum aliis in contrarium dicat Pellizzarius *ubi suprà, num. 25.*

Idem dicendum est de fidejussione, & de contra- 1155
ctu assecurationis; nam cùm per hos contractus bona Regularium maneant obligata satisfactioni, non possunt Regulares hanc servitutem suis bonis absque solemnitate requisita imponere, quidquid in contrarium dicat cum Lugo Pellizzarius *ubi suprà, num. 31.*

An autem sine solemnitatibus possint Regulares 1156
implicare in contractu societatis pecuniam relictam Monasterio, cum onere, ut investiatur in bonis immobilibus? Respondeo negativè; nam pecunia exposita contractui societatis subjacet periculo exponentis, ipsique perit; ut tenent communiter DD. nec jus exigendi, quod oritur ex hoc contractu, est certum, & stabile, sed inconstans, incertum, & ad tempus; Pellizzarius *ubi suprà, num. 67.* Poterunt tamen deponere talem pecuniam su-
per aliquem montem pietatis; nam jus exigendi 1157
quinque pro singulis centenariis, est certum, fixum, & ex se perpetuum; Ita Pellizzarius *ubi suprà, num. 71.*

Dico X. Regulares non possunt bona sua sine
debitis solemnitatibus dare ad usum; quia talis 1158
contractus est species emphyteusis; Ita Pellizzarius
ubi suprà, num. 32. Nec etiam possunt constituere 1159
censius vitalitios, cùm sint in continuo periculo a- 1160
missionis, utpote, qui ex sola vita hominis dependent, unde est alienatio saltem pro tempore futuro; Pellizzarius *ibid. num. 36.* contra Bord. *Tom. 1. re-*
sol. 27. num. 56. Item, non possunt mutuare bona 1161
Monasterii, cùm per mutuum transferatur domi- 1162
nium rei mutuatæ; Bonacina, Lezana, quos refert, & sequitur Pellizzarius *ibidem, num. 34.* possunt tamen, saltem ad breve tempus, bona Monasterii commodare, ut tradunt communiter DD. apud eundem Pellizzarium.

Item

Item, non possunt constituere contractum precarii de bonis Monasterii, cùm per talem contractum concedatur dominium utile ad arbitrium
1163 concedentis; Ita Lezana *Tom. 2. cap. 19. num. 56.* cum Riccio, & aliis. Item, non possunt recipere census, sive perpetuos, sive vitalitios, ut patet ex eodem decreto.

1164 Nec etiam possunt recipere pecunias ad cambium, aut mutuò cum solutione lucri cessantis, vel emergentis, ut patet ex alio decreto sacræ Congregationis 21 Maji, 1626. quod refert Pellizzarius *ubi suprà, num. 37.* ubi sacra Congregatio approbante S. D. N. decrevit, & declaravit, hujusmodi contractum esse contra mentem decreti supradicti: ideoque non licere Regularibus pecunias, ut proponitur accipere, ac si acceperint ipsius
1165 decreti pœnas ipso facto incurrere. Per quod decretum existimo cum Pellizzario, non solùm prohiberi Conventibus sumere prædictas pecunias mutuo, sed etiam particularibus Religiosis, ut si aliquis ad imprimendum librum sumeret pecunias mutuo, cum intentione solvendi lucrum,
1166 & capitale ex pretio librorum; nam cùm hæc omnia acquisita sint à Religioso, ad Conventum pertinent, cùm quicquid Monachus acquirat,
1167 Monasterio acquirat: excipe tamen casum urgentis necessitatis, in quo non possit summus Pontifex adiri, aut sacra Congregatio; Delbene *Tom. 2. cap. 17. dub. 8. num. 3.* Item, nisi etiam excuset consuetudo adversus dictum decretum legitimè præscripta, Delbene *ibidem, num. 4.* An autem possint Regulares promittere ex gratitudine interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, sine violatione hujus decreti? existimo respondendum negativè, quia hoc esset ipsummet decretum illudere; Pellizzar. *ubi suprà, num. 39.*

1168 Dico XI. Regulares sine solemnitatibus juris possunt admittere extinctionem census legitimè constituti; nam de natura hujus contractus est, ut possit redimi, aliàs fieret injuria emptori, quod non est admittendum; Pellizzarius *ibid. num. 42.*
1169 Imò, si Conventus in bonis suis habeat aliquem censum constitutum, possunt Regulares in hoc casu prædictam pecuniam, quæ illis reddita fuit, extinctione census applicare, etiam sine licentia sacræ Congregationis in extinguendo censu super bonis Monasterii constituto; nam exonerare fundos Regularium tali onere, non est alienatio, sed
1170 acquisitio, sicut illos tali onere onerare, est alienatio; in præsenti autem decreto non prohibetur acquisitio, sed alienatio; ita, & benè Pellizzarius *ubi suprà, num. 43.* Non tamen inde fit, posse Regulares tali pecunia solvere debita Conventus, etiamsi quotannis solverent interesse; nam ipsamet sacra Congregatio declaravit, non deberi alienari census pro solutione æris alieni, ut testatur Gavantus *in Enchiridio, verbo* Alienatio, *num. 40.* Non obstat, quòd inde magnum commodum Conventui sequatur, cùm à solutione interesse liberetur; nam quòd alienatio sit utilis Ecclesiæ, non est sufficiens causa alienandi, inconsultâ sacrâ Congregatione, sed ad illam pertinet de hac utilitate judicare.

Si tamen aliqua res gravata ære alieno, relin- 1171
quatur Ecclesiæ, etiamsi jam Ecclesiæ incorporata esset, quando alia via non potest satisfieri instanti parti per Judicem, potest vendi, vel consignari acquisitum creditori, pro tanta parte, qua possit illi satisfieri, quia Ecclesia non acquisivit perfectum ac stabile jus super illud legatum relictum, obligatum alteri ex debito; quia debitor non potest alteri donare, vel relinquere, quod est debitum; Ita cum aliis Bordon. *Tom. 2. resol. 27. num. 63.* Quæ ratio convincit, quòd etiamsi non procedat decretum Judicis ad instantiam partis, sed tantùm creditoris petitio, posse talem rem absque dicta solemnitate alienari; Ita Redoanus *quæst. 51. de alienatione, cap. 8. num. 18.* probabilem putat Quaranta, quem refert, & sequitur Pellizzar. *Tract. 6. cap. 8. num. 50.*

Idem dicendum est, si res pretiosa ab Ecclesia 1172
ære alieno ematur; nam potest tale mobile vendi ad solvendum pretium dicti mobilis; talis namque res hypothecata est pro pretio, ita ut vel illud ipsum creditori, vel pretium reddendum sit, ut in simili notavit Lessius *lib. 2. cap. 15. num. 11.*

Dico XII. Regulares possunt alienare sine so- 1173
lemnitatibus res sibi relictas sub conditione, ut eas possint liberè alienare: jus namque solùm prohibet Regularibus alienare res, quæ absolutè sunt Ecclesiæ, non verò res, quæ sunt Ecclesiæ, non perpetuò, & absolutè, sed quamdiu ipsi Ecclesiæ eas libuerit retinere: sed prædictæ res ex voluntate testatoris non absolutè pertinent ad eam Ecclesiam, sed quamdiu libuerit illi eas retinere: ergo si velit, poterit eas alienare; ita Palaus, Quaranta, Barbosa, Bordon. quos refert, & sequitur Pellizzar. *ubi suprà, num. 52.* Nec hinc fit, quòd legatum relictum cum conditione, ut nunquam alienetur, non possit alienari propter eamdem rationem; nam talis conditio in casu magnæ necessitatis habetur in jure pro non adjecta, & tanquam turpis, cùm sit

contra jus, quod permittit fieri talem alienationem, Ita Azor. Hostiensis, & alii, quos refert, & sequitur Palaus *Tract.* 12. *disp. unica, de rebus Ecclesiæ non alienandis, p.* 15. §. 2. *num.* 15.

1174 Dico XIII. Regulares non possunt sine prædictis solemnitatibus alienare bona stabilia Monasterii sterilia, si aliquando tractu temporis pos-
1175 sint esse utilia; Lezana, Bonacina, Quaranta, quos
1176 refert, & sequitur Pellizzarius *ubi suprà, num.* 58. Secùs, si talia sint, ut nulla ex eis expectari unquam utilitas possit. Hinc fit, quòd si prædium, in quo positus est census, ita reddatur sterile non ad tempus, sed in perpetuum, posse Regulares etiam sine solemnitatibus remittere totum, vel partem cen-
1177 sus pro rata; nam juxta Motum Pii V. de censibus extincto prædio, super quod fundatur census, obligatio census extinguitur; unde talis remissio non est voluntaria, sed necessaria; Pellizzar. *ubi suprà, num.* 59.

Idem dicendum est, si fundus fuit relictus ab aliquo testatore, qui ante contraxerat obligationem, illum cum alio permutandi; nam etiamsi Regulares jam illum incorporatum habeant, possunt sine solemnitatibus illum cum alio, ut antea testator contraxerat, permutare; nam talis distractio non est alienatio, sed potiùs necessaria executio contractus initi à testatore, & perfecta à legatario; Bordon. *resol.* 27. *num.* 3. Idem dicendum est, si domus Regularibus, & sæcularibus indivisim relinquatur, & sæcularis velit vendere suam partem; nam etiam tunc in tali venditione potest Conventus consentire, utpote necessaria; Bordon. *ubi suprà, num.* 5.

1178 Dico XIV. Regulares non possunt sine solemnitatibus alienare gregem ovium, licèt aliàs possint fructus gregis alienare: ita communiter
1179 DD. Non possunt etiam arbores fructiferas cæde-
1180 re, aut infructiferas in magna quantitate, aut etiam paucas, sed maximæ æstimationis; benè tamen possunt cædere illas, quando sunt nimis densæ, vel sunt caducæ, vel quando totus, aut præcipuus earum fructus consistit in incisione, vel quia sunt arbores infructiferæ, & umbratiles, & intendunt loco earum constituere alias fructiferas, si aliàs tales arbores non serventur ad amœnitatem; ita Peyrin. *Tom.* 1. *Privilegiorum, Const.* 9. Julii II. *à num.* 17. quidquid in contrarium dicat Bonacina *de Contractibus, disp.* 3. *quæst.* 8. *p.* 4. *num.* 19.

1181 Possunt item cædere arbores ad reparanda sua ædificia; nam in hoc casu necessitas eos excusat; Bonac. *disp.* 2. *de alienatione, quæst. unica, part.* 2. 1182
num. 8. Tandem, possunt cædere ex nemoribus arbores pro usu fori, & ad eas vendendum pro utilitate Monasterii, eo modo, quo alii sæculares ex suis nemoribus arbores cædunt, & dummodo ex tali incisione non detur in nemore damnum notabile; ita Palaus *Tract.* 12. *disp. unica, de rebus Ecclesiæ non alienandis, part.* 15. §. 1. *num.* 7. cum Navar. Rodrig. Bonacina, & aliis.

Dico XV. Regulares sine assensu Sedis Apo- 1183
stolicæ, & aliis solemnitatibus, non possunt alienare Reliquias insignes Sanctorum, quæ in suis Ecclesiis asservantur; & à fortiori, neque Reliquias, quæ perpetuæ sepulturæ ibi traditæ sunt, extrahere, & aliis tradere; ita cum aliis communiter Dicastillus *de justitia, lib.* 2. *tract* 15. *disp.* 1. *dub.* 6. *num.* 27. Idem dicendum est de votis aureis, vel 1184
argenteis, magni valoris, oblatis ex devotione fidelium alicui imagini; hæc enim censentur pretiosa, quæ servando servari possunt; Riccius *decis.* 102. poterunt tamen alias oblationes minùs pre- 1185
tiosas alienare, quia non veniunt nomine rei pretiosæ; Riccius *ibidem.* Dicastillus *ubi suprà, num.* 278. De capellis verò majus est dubium, dicen- 1186
dum tamen est, non posse vendi, ita ut is, qui emit, fiat dominus illarum; ita Menochius *Tom.* 3. *consil.* 115. & alii, quos refert Riccius *decis.* 4. & N. Lezana.

Idem dicendum est de Oratoriis, auctoritate 1187
Prælati fundatis, poterunt tamen vendere usum capellæ cum sepulturis, absque prædicta solemnitate, hoc enim non est alienatio, sed concessio ad usum, Riccius *decis.* 42. & cum aliis Dicastillus *ubi suprà, num.* 301.

Idem dicendum est de loco, in quo condita fue- 1188
rat Ecclesia, quæ profanata, & diruta fuit; adhuc enim censetur locus Ecclesiæ, unde sine solemnitate non potest alienari; Riccius, & alii, quos refert, & sequitur Dicastillus, *ubi suprà, num.* 311.

Idipsum dicendum est de Monasterio, & horto connexo, quod etiam sine solemnitatibus non potest alienari, nec super eis fundari census; Delbene *Tom.* 2. *cap.* 17. *dub.* 17. *num.* 7. Idem dicendum est de omnibus bonis incorporalibus, juribus, actionibus & servitutibus, annuis redditibus, 1189
& cæteris similibus; nam jus ad res immobiles computatur inter res immobiles, & jus ad res mobiles pretiosas inter res mobiles pretiosas computatur; Ita Vasquez, Molina, Quaranta, & alii, quos refert, & sequitur Dicastillus *num.* 313. *loc. cit.*

DICO XVI.

1190 Dico XVI. Possunt acceptare legatum 4000. aureorum v. g. ad investiendum in bonis immobilibus cum onere solvendi centum singulis annis cuidam loco pio sine solemnitatibus. Ratio est, quia Conventus in hoc casu nihil de suo alienat, sed non acquirit totam illam summam 4000. aureorum, quoad dominium utile, sed tantùm medietatem cum ex alterius medietatis redditibus loco pio satisfaciat. Pellizzarius *ubi supra num.* 106. & hinc resolvitur casus de quo abhinc paucis die-
1191 bus fui interrogatus: an posset aliquis Conventus de licentia Definitorii, recipere 30. millia aureorum in censibus perpetuis data cum onere quotannis maritandi quinque filias cum dote pro qualibet triginta aureorum? cui respondi affirmativè, ductus doctrina præcedenti. Et idem dicendum est si Regulares emant domum, vel vineam mille aureis impositis ad censum super ipsam domum, aut vineam, quia in hoc casu non alienant Regulares, sed
1192 acquirunt bonum illud stabile eo onere affectum. Lezana *Tom.* 4. *verbo* alienare *n.* 5.

1193 Dico XVII. Regulares repudiantes hæreditatem relictam Monasterio non contraveniunt huic prohibitioni; ita Layman, Sanchez, Suar. Bonacina, Peyrinis, Lezana, quos refert, & sequitur Pellizzarius *Tract* 6. *cap.* 8. *num.* 6. contra Azor. Molin. Nald. Filiucium, & alios, nam hoc non est alienatio, sed non acquisitio; in præsenti autem sola alienatio, non verò non acquisitio prohibetur.
1194 Hinc fit, quod si Regulares legatum v. g. annui census perpetui 400. aureorum Monasterio relictum repudient convenientes cum hærede, ut pro una vice illis solvat 4000. aureos, idque ut talem summam libere possint expendere in usibus necessariis Monasteriis, non incurrere prædictas pœnas; nam conventio, quæ in præsenti fit cum hæredibus testatoris, non est tacita, & implicita acceptatio legati in propria forma specificata à testatore legante, quæ præcedat præfatam conventionem, sed potius acceptatio est simul tempore cum dicta conventione, sicque non obstat; ita cum aliis à se consultis Pellizzarius *loc. cit. n.* 154.

Dico XVIII. Solemnitates, quæ requiruntur ad alienanda bona sive immobilia, sive mobilia pretiosa sunt sequentes.

1195 Prima ut præcedat Tractatus cum Capitulo, an expediat alienare nec ne? sufficit tamen unus tractatus. Vasquius, Molina, Riccius, Dicastillus *ubi supra numer.* 197. & nost. Gabriel *loco citato num.* 77.

1196 Secunda est consensus Capituli, vel majoris partis Capitularium, qui tunc sunt præsentes, ita
cum Molina, & aliis Dicastillus *n.* 198. Sufficit 1197
etiam consensus præstitus in singulari, etsi non sit in communi, dummodo præcesserit tractatus; ita
cum Vasquio, Silvestro, & aliis Dicastillus *n.* 199. 1198
imo licet Capitulum ante alienationem non consenserit, vel etiam contradixerit, potest postea ratam habere alienationem & contrahentem compellere ad observantiam contractus. Dicastillus *n.* 200. *loc. cit.*

Tertia est, ut fiat subscriptio à Capitularibus, 1999
sufficit tamen, quod hæc subscriptio fiat manu notarii; Lessius, Molina, & alii, quos refert & sequitur Dicastillus *ibidem numer.* 14. & nost. Gabriel *ubi supra.*

Quarta est, ut interveniat consensus Præla- 1200
ti, cui Monasterium plenè subjicitur, videlicet
Abbatis, in Monasteriis, Monachorum, & Pro- 1201
vincialis in Ordine Mendicantium, & Generalis in Societate Jesu; ita communiter DD. apud Pellizzarium *ubi supra n.* 115. imò addit Bordon. *resol.* 27. *num.* 28. de jure communi, sufficere consen-
sum Prælati localis cum nullum jus extet in con- 1202
trarium. Unde in hoc standum est specialibus Regularium Constitutionibus. An autem sufficiat consensus tacitus Prælati, vel semper requiratur expressus? Respondeo sufficere tacitum, qui sit cum scientia, & patientia ejus. Dicastillus *numer.* 204.

Quinta est, consensus Apostolicus, ubi Ex-
travagans *Ambitiosæ*, recepta est, qui consensus 1203
non solum requiritur ad licitam, sed etiam ad validam alienationem: præsumitur autem talem con-
sensum adfuisse, quando transivit jam tempus diu- 1204
turnum, verbi gratia, triginta annorum, etiamsi in scriptura nulla illius consensus mentio reperiatur, sicut nec aliarum solemnitatum; ita ex Felino, Ancharrano, & aliis benè notat Dicastillus *ubi supra num.* 211. quia tamen in multis locis prædicta Extravagans non erat recepta, Sacra Congregatio jussu Urbani VIII. die 7. Septembris 1624. prohibuit dictam alienationem eo modo, quo prohibita erat à Paulo II. in eadem Extravaganti *Ambitiosæ* addens quod talis alienatio fieri non possit, absque Sacræ Congregationis expressa licentia, in scriptis obtinenda, sub pœna privationis omnium officio-
rum, quæ tunc obtinebunt, & privationis vocis 1205
activæ, & passivæ, & inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda, ut patet ex ipso decreto extenso apud Bordon. *resol* 27. *num.* 15.

Adverte tamen pœnas hujus decreti tantum af-

ficere Capitula Generalia, & Provincialia, & Superiores, non tamen alios Religiosos privatos non Superiores, cum de his nulla fiat mentio.

1206 DICO XIX. Ad valorem alienationis, præter prædictas solemnitates, requiritur etiam justa causa; hæc autem quadruplex à Doctoribus assignatur: PRIMA est necessitas, ut si debita urgeant, quæ aliter solvi non possint; imò fieri potest, ut

1207 tanta sit necessitas, ut liceat sine solemnitate rem aliquam alienare: ita ex Rebuffo, & Quaranta Dicastillus *ubi supra n.* 186.

1208 SECUNDA est, major utilitas evidens: nempe, ut res alia utilior Ecclesiæ comparetur; ita cum Riccio, Quaranta & aliis Dicastillus *n.*188.

TERTIA causa est incommoditas: verbi gratia, quando res alienanda plus incommoditatis Ecclesiæ affert, quia scilicet majores sunt sumptus, quam fructus, & redditus; ita cum aliis Dicastillus *ibid. num.*191.

QUARTA causa est pietas; verbi gratia, pro redemptione innocentium, captivorum, vel alia pauperum necessitate ad exemplum Sanctorum Patrum; ita cum aliis Dicastillus *ibid. n.* 185. & nost. Gabriel. *loc.cit.n.*83.

1209 Adverte tamen non hoc ipso, quod concurrat aliqua justa causa alienandi ex enumeratis, statim licitum esse Regularibus alienare, sine Assensu Apostolico, aut Sacræ Congregationis, sed solum fieri inde, adesse justam causam petendi, ac obtinendi facultatem alienandi à Sede Apostolica, aut à Sacra Congregatione, quæ sibi reservat jus judicandi, num in casibus occurrentibus adsit justa causa alienandi nec ne? quod est valde advertendum; Ita nost. Lezana *Tom.*1. *cap.*10.*n.*4. Pellizzarius *ubi supra n.*123.

1210 Deinde licet Assensus Apostolicus suppleat alias solemnitates antiquas, non tamen causas jure com-

1211 muni requisitas, semper namque talis assensus supponit justam causam intervenire. Filiutius *Tract.* 44 *cap.*5.*num.*12.

An autem sufficiat causa existimata à Prælato, ut valeat alienatio, etiamsi postea comperiatur non fuisse legitimam? Respondeo valere, si talis causa prudenter fuerit existimata legitima, non enim credendum est aliud requiri à pietate Ecclesiæ; ita Riccius Vasquez, Molina & alii, quos refert, & sequitur Dicastillus *ubi supra n.*193.

1212 Tandem hic agendum erat, An hæc Extravagans sit usu recepta nec ne? & de privilegiis, quæ Regulares habent ad alienanda bona, sive immobilia, sive mobilia pretiosa, non obstante prędicta Extravagante *Ambitiosæ*? & an prædicta privilegia sint per decretum Sacræ Congregationis, jussu URBANI VIII. editum, revocata, & de casibus, in quibus stante prædicto decreto Regulares non servatis juris solemnitatibus, nec petito Pontificis beneplacito possint seclusis privilegiis bona immobilia & mobilia pretiosa alienare, dare, & permutare cum extraneis, vel cum aliis Ord. proprii Con- 1213
ventibus, vel Religiosis illorum. Sed quia de omnibus his, & de aliis multis satis diximus *in nostro Tractatu* 2. *de privilegiis disp.*1 *sect.*4. §. 1. *per totum*, ideo ad hunc locum lectorem remittimus, ne eadem sæpe repetamus. Consuli quoque poterunt nostri Gabriel *lib.cit.disp.*4 *quæst.*4. & Lezana *Tom.* 1. *qq.R.cap.*10. *& Tom.*2. *cap.*19. *& Tom.*3. *verb.* alienare.

SECTIO VII.

De obligationibus Regularium provenientibus, tam à jure, & Conciliis, quàm à specialibus Pontificum decretis, sub pœna suspensionis, sive Papæ, sive Ordinario reservata.

POstquam de Excommunicationibus, tam reservatis, quam non reservatis, quas ex jure, & variis Pontificum decretis incurrunt Regulares egimus, restat tractare de Suspensionibus, tam reservatis, quam non reservatis, quas etiam ipsi Regulares tam ex jure, quam ex specialibus diplomatibus incurrunt; in hac igitur sectione primo agam de reservatis; in sequenti verò de non reservatis.

§ I.

De obligatione, quam habent Prælati Regulares recipientes confirmationem à Sede Apostolica, aut ab ea promoti non recipiendi administrationem suarum Ecclesiarum sine litteris authenticis ejusdem Sedis.

1214 Præ-

1214 *Prælati regulares, si promoti à Papa, sine litteris accipiant administrationem, suspenduntur ab administratione fructuum.*

1215 *Conventus vero suspenditur ad arbitrium Sedis Apostolicæ.*

1216 *Conventus suspenduntur solum à beneficiis, quæ communiter possidet, non vero ab his, quæ singuli possident.*

1214 DIco: Prælati Regulares recipientes confirma-
tionem à Sede Apostolica, vel ab ea promoti, si
sine litteris authenticis illius, recipiant administra-
tionem Monasterii commissi, incurrunt suspensio-
1215 nem ab administratione fructuum Ecclesiarum,
quos modo dicto recipiunt, irritanturque omnia
gesta in hujusmodi regimine, per prædictos Præ-
latos, & beneficiorum proventibus privantur;
Conventus verò, vel Capitula suspenduntur à be-
neficiorum perceptione, donec ab Apostolica Sede
gratiam receperint: ita habetur *in Extravaganti.*
1. *de electione*, Circa quam solum est dubium, u-
trum Capitula suspendantur solum à beneficiis,
quæ communiter possident, vel potius à beneficiis,
quæ singuli obtinent? Bonacina *disp.* 3. *part.* 10. *q.*
4. *num.* 4. existimat suspendi etiam ab his, quæ
1216 singuli possident, sed melius Suar. *disp.* 31. *de censu-
ris* existimat solum suspendi ab his, quæ commu-
niter possident: nam cum hæc suspensio lata sit
contra Capitula, non est utpote pœnalis ad singu-
las personas extendenda. Vide plura circa hanc su-
spensionem apud nost. Gabrielem *disp.* 6. *de suspens.*
q. 4. *n.* 150. *& seqq. & n.* 232.

§. 2.

De obligatione, quam habent Prælati regulares non dandi litteras dimissorias aliis, quàm Religiosis subditis.

1217 *Prælati regulares dantes dimissorias non subditis, suspenduntur per annum, ab officio & beneficio.*

1218 *Hæc suspensio non extenditur ad Prælatos regulares, qui Ordines conferunt non subditis.*

1219 *Conferentes Ordines non subditis, sine licentia Prælati illorum, quos ordinant, suspenduntur à collatione Ordinum per annum.*

1220 *Quid si Religiosis aliorum Ordinum, de suorum Prælatorum licentia Ordines conferat intra suum Conventum sine licentia Episcopi?*

1221 *Quid si concedant dimissorias Novitiis ad minores Ordines?*

1222 *Conferentes minores Ordines Novitiis sibi subditis, non incurrunt prædictam suspensionem.*

DIco I. Prædicti regulares non possunt dare lit-
teras dimissorias Clericis sæcularibus, etiamsi
tales Clerici pertineant ad illorum jurisdictionem,
& aliter facientes incurrunt suspensionem ab offi- 1217
cio & beneficio per annum, hancque reservatam
ad arbitrium proprii Ordinarii: ita habetur *in Tri-
dent. sess.* 23. *cap.* 10.

Circa quam prohibitionem nota, hanc suspen- 1218
sionem non extendi ad Prælatos Regulares, qui
Ordines conferunt Clericis sæcularibus, vel Regu-
laribus, sed tantùm conferentibus litteras dimis-
sorias; Ita Bonacina *de censuris disp.* 3. *punct.* 5. §. 4. 1219
num. 13. suspenduntur tamen à collatione Ordi-
num per annum, si id faciant sine licentia Episco-
pi, aut Prælati regularis eorum, quos ordinant,
ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 8. Secus si id de eorum 1220
licentia faciant; nam tunc potest Prælatus regu-
laris intra suum Conventum conferre minores Or-
dines aliis Religiosis aliorum Ordinum, etiam sine
licentia Episcopi diœcesani; Ita Geminian. Ma-
jol. & alii, quos refert, & sequitur Bonacina *ibid.*
n. 13. Pellizzarius *tract.* 7. *cap.* 3. *n.* 57.

An autem Prælatus regularis incurrat prædi- 1221
ctam suspensionem, si Novitiis concedat litteras
dimissorias ad recipiendum, non solum primam
Tonsuram, sed etiam minores Ordines? Respon-
deo negativè, quidquid in contrarium dicat Bo-
nacina *ubi supra*; nam Novitii in favorabilibus
veniunt nomine Religiosi. Unde etiamsi sint ini-
tiati prima Tonsura, non Clerici sæculares, sed re-
gulares dicendi sunt; Ita Pellizzarius, *Tract.* 7. *c.* 8.
num. 58. Sanch. Tamburinus, quos refert, & se-
quitur Barbosa *in Trident. sess.* 23. *cap.* 10. *n.* 12. ex 1222
quo infertur Prælatum regularem conferentem
minores Ordines Novitiis sibi subditis, non su-
spendi à collatione Ordinum per annum, nam ista
suspensio ut *supra* diximus, afficit solum eos, qui
ordinant Regulares sibi non subditos, Pellizzarius
ubi supra contra Bonacinam, & nost. Gabriel
loc. cit. disp. 6. *quæst.* 7. *num.* 233.
& seqq.

§. 3.

§. 3.

De obligatione, quam habent Regulares non recipiendi munera in visitationibus.

1223 *Prælati recipientes pecuniam in visitatione, incurrunt suspensionem ab officio & beneficio; limita, si jure ordinario visitent.*
1224 *Aut aliquid recipiant ultra laudabilem usum.*
1225 *Hæc constitutio ubique est abrogata.*
1226 *In hoc standum est consuetudini Religionum.*

1223 Dico: Prælati regulares, ut sunt Provinciales, & Generales, jure ordinario visitantes Conventus, non possunt recipere aliquid præter victualia, nisi fortè aliqua soleant eis tribui ex laudabili consuetudine, sub pœna suspensionis ab officio, & beneficio, nisi intra mensem in duplum restituant id quod acceperunt. Ita habetur *in Cap.* Romana *de censibus in 6.* & in *Cap.* Exigit *eodem titulo*, quod est confirmatorium illius. Circa quam prohibitionem nota, hanc suspensionem non comprehendere, nisi eos, qui jure ordinario visitant, unde excluduntur illi, qui ex delegatione Provincialis, vel Generalis visitant.
1224 Item non comprehendere Prælatos immediatos, si munera à subditis accipiant, cum istis non competat de jure visitare; quæ autem de consuetudine possint Prælati recipere in visitationibus, non potest regula certa tradi, cum consuetudo sit diver-
1225 sa, vel ut melius dicam, per contrarium usum hujusmodi Constitutio ubique est abrogata, ut notavit Pellizzarius *Tract. 7. cap. 3. num. 62.* Unde standum est Religionis consuetudini, non solum circa
1226 victualia, sed etiam circa pecuniam, & alia munera, etiam aliquando pretiosa, quæ sæpius sine scrupulo Prælati à suis subditis, præcipuè Monialibus, in visitatione solent accipere: ita Pellizzarius *ubi supra num. 62.* & nost. Gabriel *loc. cit. num. 192. & seqq.* qui plura *ibid.* advertit & affert à bonis Visitatoribus necessario observanda in hac materia.

* * *

§. 4.

De obligatione, quam habent Regulares non tractandi indebitè de conceptione B. Virginis.

1227 *Regulares indebitè differentes de Conceptione Beatæ Virginis suspenduntur à divinis.*
1228 *Hæc suspensio est Papæ reservata, & quomodo sit intelligenda?*

Dico: Regulares non possunt in popularibus 1227
concionibus, vel ubicumque promiscuè virorum, & mulierum multitudo convenire solet, de hujus controversiæ alterutra parte disputare, asserendo propriam sententiam, & alteram refellendo, aut de hac quæstione vulgari sermone, quocum- 1228
que pietatis aut necessitatis prætextu scribere, sub pœna suspensionis à Divinis, Papæ reservata ex Constitutione Pauli V. edita 6. Julii 1616. de qua re egimus *supra sect. 5. §. 12. dicto. 3.* ubi habes, quæ hîc desiderare potes.

§. 5.

De obligatione, quam habent Prælati Regulares promovendi studium linguæ Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, Arabicæ, & Chaldaicæ.

1229 *Prælati non promoventes studium linguarum, incurrunt suspensionem Papæ reservatam.*
1230 *Hoc decretum nullibi fuit receptum, unde nullibi obligat.*

Dico: Sacra Congregatio ex mandato Urbani VIII. decrevit 16. Octobris 1623. ut Prælati regulares in celebrioribus Academiis instituerent studium prædictarum linguarum sub pœna 1229
suspensionis à Divinis reservatæ, & si fuerint Generales sub pœna privationis ab officio, interim 1230
exercendo per Procuratorem Generalem Ordinis, ad beneplacitum Sedis Apostolicæ; si verò sint inferiores incurrunt inhabilitatem ad majores gradus ac dignitates Religionis. Verum hoc decretum, quamvis utilissimum, nullibi fuit receptum, vel ob raritatem Magistrorum, vel ex parte discipulorum, ut no-

ut notavit Pellizzarius *Tract.* 7. *cap.* 3. *n.* 67. & ideo non est, cur in ejus expositione amplius immoremur.

§. 6.

De obligatione non usurpandi iniquè decimas Ecclesiarum, & admonendi pœnitentes de onere solvendi decimas.

1231 *Regulares suspenduntur ab officiis, &c. si iniquè usurpent decimas Eclesiarum.*

1232 *Hæc suspensio non incurritur, nisi Regulares moniti intra mensem omittant restituere decimas.*

1233 *Regulares suspenduntur à prædicatione, si non moneant pœnitentes de solvendis dicimis.*

1231 DIco I. Religiosi, qui absque justo titulo, vel privilegio decimas Ecclesiarum Rectoribus debitas usurpare, retinere, sibi appropriare, seu familiares vel pastores prohibere, vel impedire, ne eas solvant, præsumpserint, si moniti à Rectoribus Ecclesiarum, infra duos menses usurpata non restituant, vel infra mensem ab impedimento apposito non destiterint, suspensioni ab officiis, & administrationibus, & beneficiis subjiciuntur, si officia,
1232 administrationem, vel beneficium habeant; quod si his omnibus careant, excommunicatione ligantur, à qua absolvi nequeunt, quo usque plenam satisfactionem exhibuerint, *ex Clementina* 1. *de decicimis*, ut diximus *sect.* 6. §. 6. ubi, quæ hîc desiderari possunt, invenies.

Dico II. Regulares, qui requisiti à Rectoribus
1233 Ecclesiarum, ut suis pœnitentibus conscientiam faciant, de decimarum solutione, scienterque id omittunt, ab officio prædicandi ipso facto suspenduntur, quousque ipsis pœnitentibus, si commodè potuerint, conscientiam faciant de hoc, &c. ita habetur in *Clement. Cupientes, de pœnis*, sed de hac etiam suspensione vide, quæ diximus *supra eadem sectione* 6. §. 7. ne eadem reputamus: & nost. Gabrielem *lib. cit. disp.* 6. *q.* 6. *num.* 251. *& seqq.*

* * *

§. 7.

De obligatione, quam habent Prælati regulares restituendi parti læsæ illud, quod ad illos pervenit occasione excessuum commissorum à suis Religiosis.

1234 *Prælati, si non reddant accepta, ob excessus subditorum, suspenduntur ab officio, & beneficio.*

1235 *Qui sint hi excessus, de quibus est sermo in præsenti?*

DIco: Prælati regulares, qui aliquid acceperunt pro se, vel pro Monasterio, occasione excessuum à suis Religiosis commissorum, & intra 1234
mensem postquam requisiti sunt ab iis, quorum interest, integram restitutionem non faciunt, incurrunt suspensionem ab officio, & beneficio, donec plenè satisfecerint, ut patet *ex Clement.* 1. §. quibus *de privilegiis*. Excessus autem, de quibus est sermo in dicta Clementina sunt: *retrahere te-* 1235
statores à legatis faciendis Ecclesiis matricibus: detrahere in concionibus Prælatis Ecclesiarum: retrahere sæculares, ne accedant ad parochias: pronuntiare indulgentias non concessas, procurare, ut legata debita, aut malè ablata incerta sibi, aut aliis singularibus sui Ordinis Fratribus, vel Conventibus in aliorum præjudicium reliquantur; à reservatis Papæ, vel locorum Ordinariis absolvere: præsumere injustè vexare personas, &c. Ecclesiasticas, præsertim coram judicibus delegatis, aut eas convenire ad plura loca, præcipuè valde remota. Vide Palaum *de censuris disp.* 4. *part.* 10. §. 6. *num.* 6. Pellizzarium *Tract.* 7. *cap.* 3. *num.* 77. & Gabrielem à S. Vincentio *loc. cit. n.* 255. *& seqq.*

§. 8.

De obligatione non recipiendi Ordinem sacrum tempore apostasiæ.

1236 *Religiosi recipientes tempore apostasiæ Ordinem sacrum, incurrunt suspensionem Papæ reservatam ab Ordinis executione.*

1237 *Quos Religiosos comprehendat hæc suspensio?*
1238 *Religiosus, etsi desistat ab apostasia, non potest accedere ad ulteriores Ordines sine dispensatione.*

1236 DIco: Religiosi, si tempore apostasiæ susceperint Ordinem sacrum, incurrunt suspensionem ab Ordinis executione Pontifici reservatam; ita habetur *in Cap.* consultation. *ult. de apostatis.* Circa quam nota hanc prohibitionem compre-
1237 hendere omnes Religiosos, cum ista dispositio facta sit intuitu status Religiosi.
1238 SECUNDÒ nota ita suspensum, etsi desistat ab apostasia, absque dispensatione non posse ascendere ad ulteriores Ordines, quia interdicta executione inferioris Ordinis, censetur superioris receptio interdicta; Ita Suar. Sanch. & alii, quos refert, & sequitur Palaus *disp.* 4. *part.* 10. §. 6. *num.* 1. *de censuris*; sed de his vide *infra hac eadem disputatione sectione* 11. §. 14. 19. & prædictum Gabrielem *loc. cit. num.* 258.

§. 9.

De obligatione, quam habent Religiosi ejecti, non exercendi Ordines, tam majores, quàm minores.

1239 *Religiosi ejecti sunt perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum, cum reservatione ad Papam.*
1240 *De quibus ejectis procedat hæc prohibitio?*
1241 *Hæc suspensio est tantum comminatoria, & ferenda.*
1242 *Non afficit Novitios, nec eos qui post vota biennii in Societate ejiciuntur.*
1243 *Hoc decretum non fuit usu receptum, nec acceptatum.*

1239 DIco: Sacra Congregatio de mandato URBANI VIII. decrevit die 21. Septembris 1624. ut ejecti à Religione sint perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum facultate dispensandi supra dicta suspensione, vel eam moderandi, vel etiam promovendi ad ulteriores Ordines Papæ reservata ut refert Novarius *in lucerna regularium* verbo *ejecti n.* 3. Circa quam prohibitionem nota, hanc declaratio-nem, non procedere in ejectis, qui ingrediuntur
1240 aliam Religionem, etiam laxiorem: ita Lezana *Tom.* 1. *cap.* 23. *n* 8. & nost. Gabriel *loco cit. n.* 259. nec afficere novitios, Tamburinus *de jure Abbatum Tom.* 3. *disp.* 8. *q.* 8. *n.* 11. nec etiam extenditur ad eos, qui post vota biennii ejiciuntur è Societate, Pellizzarius *Tract.* 7. *cap.* 3. *n.* 82.
SECUNDÒ nota prædictam suspensionem esse tantùm comminatoriam ac ferendam; siquidem facta est per verbum de futuro, *sint perpetuò suspensi*, nam verbum, *sit*, est futuri temporis; ita Sanch. *lib* 2. *moral. cap.* 38. *n.* 90. unde nostram sententiam tenet Lauretus apud Cespedes *de exemptione disp.* 3. quæ opinio communi usu comprobata est: quotidie namque videmus, aliquos ejicere Religiosos, qui tamen non suspenduntur ab exercitio suorum Ordinum, & ita ut probabilem tenent Cespedes, & Pellizzarius *Tract.* 8. *cap.* 8. *n.* 85. Nisi alias velis dicere hoc decretum non fuisse acceptatum, nec constare de illo authenticè, nec fuisse legitimè promulgatum, ac per consequens nullam inducere obligationem, sicut de aliis decretis sacræ Congregationis diximus non semel in Tractatu de privilegiis, à quo judicio minimè discedo; unde, cum de jure non detur talis suspensio, ut notavit Campanile, Faustus, & Barbosa apud Novarium *ubi supra n.* 1. Sanch. *lib.* 7. *consil. cap.* 1. *disp.* 224. ex Navarro, & aliis, non est cur prædictos ejectos tali suspensione oneremus.

§. 10.

De obligatione, quam habent Regulares gestandi certam habitus formam, & non interessendi venationi clamorosæ, vel aucupio.

1244 *Benedictini suspenduntur, si habitum præscriptum non deferant.*
1245 *Limitatur assertio, ut fiat ex malitia, & quod alias habitus contrarius formæ præscriptæ potetur.*
1246 *Regulares vacantes ex proposito venationi, aut aucupationi, suspenduntur.*
1247 *Hæc suspensio tantùm comprehendit Benedictinos.*
1248 *Quid si insistant venationi casu, vel absque canibus, aut avibus.*

DIco I. Monachi nigri, non alii Religiosi, etiam monachales, ut cum Suario, Sayro, Bonacina advertit Palaus, statim referendus, tenentur uti certa 1244

certa forma habitus, præscripta *in Clement.* 1; §. si- quis autem *de statu monachorum* sub pœna suspensionis à collatione beneficiorum per unum annum, si fuerit Abbas non subjectus alteri Abbati ; & si fuerit inferior ab administratione , si quam habet: quod si nullam habet, sub pœna inhabilitatis ad illam, & beneficium Ecclesiasticum obtinendum.

Adverte tamen PRIMÒ ad prædictam pœnam incurrendam requiri, quod ordinariè habitus contrarius formæ præscriptæ portetur, quia singularis,
1245 vel bina portatio, non sufficit; & insuper opus est, ut ex malitia, & non bona fide, aut ignorantia portetur ; siquidem in textu postulatur præsumptio; Ita cum Sayro, Suar. Henriq. & Bonacina Palaus *Tō.6. tr. de censur. disp.4 part.10.§.6 n.2* Secundò adverte Abbatem , qui non habet jus conferendi ulla beneficia, non incurrere hanc suspensionem ex defectu materiæ, nec aliam, cum non extet in jure.

1246 DICO II. Similem suspensionem per duos annos incurrunt Benedictini , ex eadem *Clement.* ipso facto , qui ex proposito venationi , aut aucupationi clamorosæ, cum canibus aut avibus interfuerint.

1247 Circa quam nota PRIMÒ , hanc pœnam solum comprehendere monachos nigros , non verò alios, ut notavit Bonacina *disp. 3. de censuris q. 8. part. 15. num.3.* contra Novarium & alios.

SECUNDÒ nota, interessentem casu prædictæ venationi, non incurrere prædictam suspensionem, vel si insistat venationi absque canibus , vel aucupationi absque avibus hominumque tumultu.

1248 An autem tam ipsi , quam alii Religiosi prædictæ venationi insistentes peccent mortaliter, infra suo loco dicemus.

Tandem adverte , utramque hanc suspensionem , dum non finit tempus illarum , esse Papæ reservatas; quomodo autem venatio sit prohibita infra dicemus.

§. II.

De obligatione, quam habent Regulares non recipiendi aliquid pro Religiosorum ingressu.

1249 *Capitula, seu Conventus aliquid recipientes pro Religionis ingressu, suspenduntur.*

1250 *Ad incurrendam hanc censuram receptio doni debet esse pro professione , & non tantum pro ingressu.*

DICO: Capitula, seu Conventus recipientes, aut
petentes aliquid pro ingressu Religionis incur- 1249
runt suspensionem Papæ reservatam, ab omni actu, seu officio Capitulari, requirente jurisdictionem, seu administrationem Ecclesiasticam , ita habetur
in *Extravaganti* Sane, *de simoniæ* , tenent Suar. Fi- 1250
liucius , & alii , quos refert & sequitur Bonacina *disp.2. de censuris q.3 part.29.num.10.* Adverte tamen, quod ut hæc censura incurratur, non sufficit, quod aliquid accipiatur pro receptione ad habitum , sed pro professione, ut diximus *sect. 5. hujus disp. §.10.* ubi, quæ hic desiderari possunt reperies. Idem tradit Gabriel à S. Vincentio *loc. cit. q.9 num. 284. & 288.*

§. 12.

De obligatione quam habent Regulares non conjungendi in matrimonium sponsos, nec illos benedicendi absque licentia parochi.

1251 *Regulares assistentes indebitè matrimoniis, suspenduntur ab officio sacerdotali.*

1252 *Ad incurrendam hanc censuram requiritur præsumptio.*

1253 *Regulares sacerdotes assistentes matrimonio clandestino, non incurrunt hanc suspensionem.*

1254 *Incurrunt tamen aliam suspensionem ferendam.*

DICO: Sacerdotes regulares assistentes matri-
monio , vel sponsos solemniter benedicentes 1251
absque licentia Parochi, incurrunt suspensionem ab officio sacerdotali ipso facto , reservatam Ordinario *in Tridentino sess.24.cap.1 de reformatione.*

Circa quam suspensionem nota , ad eam incur-
rendam requiri præsumptionem. Unde excusabit 1252
ignorantia crassa, & supina, imo & inadvertentia, quæ ignorantiæ æquiparatur.

SECUNDO nota hanc suspensionem non incurre-
re regulares sacerdotes , qui assistunt matrimonio 1253
clandestino, vel benedicunt secundas nuptias; incurrent tamen , qui assistunt matrimonio clandestino aliam suspensionem ab officio per triennium
sententiæ ferendæ , latam *in Cap.* cum inhibitio *de* 1254
sponsis, quæ comprehendit etiam non sacerdotes , ut rectè notavit Pellizzarius *Tract. 7. cap. 3. n. 91.*

TANDEM nota hanc suspensionem solum esse à munere seu officio sacerdotali , non verò à beneficio, nam quando sacerdos ob abusum muneris sa-

cerdotalis suspenditur, colligitur suspendi formaliter quatenus sacerdos, consequenter à munere sacerdotali; ita Suarez. *disp.*31. *de censuris sect.*3. *numer* 18. & probabilem putat Bonacina *disput.* 3. *de censuris q.* 3. *part.* 5. *n.* 7. & nost. Gabriel *ubi supra num.*133. Sed de his vide, quæ *supra* dixi *sect.*5.§.8. *hujus disp.*

SECTIO VIII.

De obligationibus Regularium provenientibus tam à jure, & Conciliis, quàm à specialibus Pontificum decretis, sub pœna suspensionis nulli reservatæ.

§. 1.

De obligatione, quam habent Regulares non recipiendi sacros Ordines, antequam emittant professionem solemnem.

1255 *Regulares suscipientes Ordines Sacros ante professionem solemnem, incurrunt suspensionem non reservatam ab executione Ordinis sic suscepti.*
1256 *Quos Regulares comprehendat hæc suspensio?*
1257 *Hæc suspensio non comprehendit eos, qui titulo patrimonii ordinantur.*
1258 *Comprehendit eos, qui scientes suam professionem esse nullam, absque alio titulo Ordinibus sacris ordinantur.*
1259 *Qui sciens suam professionem esse nullam sumit subdiaconatum sine alio titulo ad evitandam infamiam, non incurrit hanc suspensionem.*
1260 *Quid si ad diaconatum ascendat sine titulo?*

1255 DIco I. Regulares recipientes Ordines sacros ante professionem solemnem, incurrunt suspensionem ab executione Ordinis sic suscepti, latam
1256 à Pio V. in constitut. 75. qui suspensionem latam *in Trident. sess.* 21. *de reformat.* contra culpabiliter recipientes ordines Sacros absque titulo, extendit ad Religiosos, qui ante professionem absque titulo promoventur ad Ordines sacros.

1257 Circa quam nota, primò istam suspensionem non comprehendere eos, qui titulo patrimonii, vel beneficii ante professionem ordinantur, absque alio titulo, Ordinibus sacris, cùm respectu illorum cesset finis istius Constitutionis. Comprehen- 1258
dit tamen eos, qui scientes suam professionem esse nullam, ordinantur absque alio titulo Ordinibus sacris; ita Portel, & Diana quos refert & sequitur Lezana *Tom.*1. *cap.*14. *n.*10.

Et idem dicendum est de eo, qui cùm accepisset 1259
ordinem subdiaconatus, sciens suam professionem esse nullam ad vitandam infamiam, in quo nullam suspensionem contraxit, ut benè advertit Sanch. *de matrim. lib.*7. *disp.*37. *num.* 45. postea ascendit 1260
absque titulo ad Ordinem Diaconatus, hic namque verè suscipit Ordinem absque titulo, quod jura absolutè prohibent.

Nota SECUNDÒ istam suspensionem non esse reservatam, non enim certò constat de tali reservatione, & licet hoc controversum sit inter Authores, inde tamen non infertur esse reservatam, nam reservatio non extenditur ad casus dubios, & controversos, ut notat Sanch. *lib.*1. *moral. cap.*10. *n.*74. & 33.

§. 2.

De obligatione, quam habent Regulares non dandi, seu concedendi aliis ad certum tempus jura, redditus, & possessiones monasteriorum, quibus præsunt.

1261 *Regulares dantes ad vitam, aut certum tempus de bonis monasterii, incurrunt suspensionem ab officio nemini reservatam.*
1262 *Limita, nisi id sit necessarium, aut utile monasterio.*
1263 *Ampliatur assertio ad quamlibet speciem alienationis.*
1264 *Quid per certum tempus intelligatur?*
1265 *Hæc suspensio non est sublata per Extravagantem Ambitiosæ.*

DIco I. Regulares habentes administrationem 1261
bonorum Religionis, si jura, redditus, vel possessiones ad vitam, vel ad aliud certum tempus (nisi ob necessitatem, vel utilitatem Monasterii vel Religionis, cum consensu Capituli, vel si Capitu- 1262
lum non habent, cum consensu sui Prælati) alienent, contrahunt suspensionem ab officio, & alienatio

natio est nulla; ita habetur *in Clementina*, 1. *de rebus Ecclesiasticis non alienandis*; & tenent DD. quos citat Thesaurus *in praxi*, *p*. 2. *cap*. 5.

Circa quam prohibitionem nota PRIMÒ, hanc suspensionem non esse reservatam: ita Thesaurus *ibid*.

SECUNDÒ nota, hanc suspensionem esse ab officio Ordinis, jurisdictionis, & administrationis; Suar. *Tom*. 1. *de Censuris*, *disp*. 26 *sect*. 1. *num*. 4. & *disp*. 31. *sect* 6. *num*. 8. quamvis Cardinalis apud Bonacinam *disp*. 3. *de Censuris*, *quæst*. 8. *p*. 7. *num*. 9. existimat tantùm esse ab officio divino.

1264 TERTIÒ nota, certum tempus non continere modicum, id est, triennium; Suarez *citata disp*. 31. Delbene *Tom*. 1. *cap*. 17. *dub*. 22. *num*. 26.

1265 QUARTÒ nota, hanc suspensionem non esse sublatam per Extravagantem *Ambitiosæ*, quia lex posterior generaliter loquens, non derogat legi antiquiori, loquenti in casu particulari; *Clementina* autem loquitur in casu particulari Regularium, & Extravagans generaliter; Rodrig *Tom*. 1. *quæst*. 27. *art*. 13. Delbene *ubi suprà*, *num*. 27. Lezana *verbo* Alienare, *num*. 25. *Tom*. 3. *qq*. *Reg*.

§. 3.

De obligatione, quam habent Regulares non admittendi Novitios ad professionem ante expletum probationis annum.

1266 *Regulares admittentes aliquem ad professionem, ante expletum novitiatus annum, incurrunt suspensionem à receptione quorumlibet ad professionem.*

1276 *Hæc suspensio jam est sublata.*

1266 DIco: Ante Tridentinum Religiosi admittentes aliquem ad professionem, ante expletum novitiatus annum, incurrebant suspensionem, à receptione quorumlibet ad professionem, ex *Cap*. Non solùm. *Cap*. Constitutionem, *de Regularibus in* 6. quæ pœna solùm Mendicantes comprehendebat, non tamen Moniales, ut optimè notavit
1267 Palaus *disp*. 4. *de Censuris*, *p*. 10. §. 6. *num*. 2. Verùm post Tridentinum prædicta suspensio sublata est, siquidem Trident. *sess*. 25. *cap*. 15. *de Regularibus* professionem factam ante legitimam ætatem, & ante expletum annum novitiatus annullavit: irrita autem professione tollitur motivum, ob quem talis lex imposita erat: ita Sanch. *lib*. 5. *in Decal*. *cap*. 4. *num*. 10. Palaus *ubi suprà*, *num*. 2. probabilem putat Bonacina *disp*. 3. *de Censuris*, *quæst*. 8. *p*. 5. *num*. 20. licèt cum aliis oppositum teneat. Vide N. Gabrielem supracit. *quæst*. 6. *de susp*. *num*. 237. & *seqq*. qui complura dubia circa materiam hujus §. doctissimè, more solito proponit, resolvitque.

§. 4.

De obligatione, quam habent Regulares non admittendi fœminas intra monasterium absque debita licentia.

1268 *Regulares admittentes fœminas intra clausuram sine licentia, præter alias pœnas, incurrunt suspensionem à divinis.*

1269 *Rarò potest dari casus, in quo necesse sit mulieres ingredi virorum Monasteria.*

DIco: Regulares non possunt introducere fœ- 1268
minas intra monasterium absque debita licentia, & aliter facientes præter excommunicationem Papæ reservatam, & alias pœnas, quas suprà retulimus, incurrunt etiam suspensionem à divinis latam à PIO V. *Constitutione sua* 20. Circa quam 1269
nihil nobis remanet advertendum, præterea, quæ ibidem diximus. Solùm adverto, raro aut nunquam dari posse casum necessitatis, in quo Regulares possint admittere intra Conventum fœminas onera deferentes, & munus bajuli exercentes, ut vult Pellizzarius *Tract*. 7. *cap*. 3. *num*. 115. cùm talia onera facillimè per Religiosos, & servos Conventuum possint intra Conventum asportari; quòd si adeò urgens detur necessitas, ut nec servi, nec Religiosi sint, qui prædicta onera possint asportare, tunc non renuerem concedere, posse tale munus per fœminas exerceri, ut etiam in casu necessitatis admittit Cespedes *de exemptione*, *disp*. 401. Lezana *Tom*. 1. *qq*. *Reg*. *cap*. 10. nosque *suprà* diximus. Videatur N. Gabriel *loc*. *cit*. *num*. 261.

* * *

§. 5.

De obligatione, quam habent Regulares non exponendi imagines virorum decedentium cum fama sanctitatis cum laureolis, & non divulgandi libros continentes miracula, & revelationes eorum, & similia.

1270 *Exponentes indebitè imaginem non Beatificati, suspenduntur à Divinis.*

1271 *Ante hanc prohibitionem quis cultus poterat dari viris non Beatificatis?*

1272 *Hodie adhuc possunt depingi imagines virorum insignium in sanctitate, sine radiis, vel splendoribus.*

1273 *Possunt tales imagines ad ornatum poni in templo.*

1274 *In die anniversarii non Canonizatorum potest dici publicè Missa, dummodo non fiat sub nomine illius, sed dicatur de SS.* TRINITATE, *vel de* OMNIBUS SANCTIS.

1275 *Possunt scribi libri continentes vitam virorum sanctitate fulgentium non canonizatorum.*

1276 *Revelationes, & miracula, ut scribantur, debent prius approbari ab Ordinario.*

1277 *Possunt scribi res notabiles horum virorum cum protestatione, quod non adsit illis alia, quàm humana auctoritas.*

DIco: Sacra Congregatio de mandato URBANI VIII. die 13. Martii, anni 1625. edidit decretum, in quo prohibet, ne Regulares exponant imagines virorum, cum fama sanctitatis decedentium, cum laureolis, radiis, vel splendoribus; aut divulgent libros, continentes miracula, revelationes, ac beneficia, tanquam eorum intercessionibus obtenta; aut denique ad eorum sepulchra ac-
1270 cendant luminaria, appendant tabellas, seu imagines in attestationem gratiæ obtentæ, sed hæc omnia in secreto loco observentur, sub pœna suspensionis à divinis, & privationis officii, & vocis activæ, & passivæ, prout latè refert Trullenc. *in Decal. cap. 9. dub. 6. num. 26. & sequentibus.* & N. Gabriel *disp. 6. quæst. 4. num. 226.*

1271 Circa quam prohibitionem nota PRIMÒ, quòd licèt ante hujusmodi decretum poterant hujusmodi Sancti non beatificati venerari cultu privato, & secluso populi scandalo imagines illorum, non cum splendoribus, sed cum aliquibus radiis depingi, & ad illorum sepulchra & imagines, tabellæ & lampades deferri, ac alia dona sanctitatis, ac aliarum gratiarum receptarum indicia ibidem ob facti memoriam appendere, ut cum multis latè probat Trullench. *in Decal. Tom. 1. cap. 9. dub. 6. per*
totum, hodie tamen, ubi tale decretum fuit rece- 1272
ptum, prædicta non possunt fieri, ut latiùs patet in decretis sacræ Congregationis ad extensum relatis ab eodem Auth; possunt tamen adhuc depingi eorum imagines sine radiis, vel splendoribus, aut cum alio signo sanctitatem præ se ferente.

Imò, possunt tales imagines poni in templo, 1273
non ad instar Canonizatorum, sed ad ornatum à dextra, vel sinistra altaris majoris, sive alicujus capellæ, dummodo sub dictis imaginibus non adsit altare deputatum, pro simili imagine, ut cum aliis notat Trullenc. *ubi suprà, num. 6.*

Possunt etiam in anniversariis non Canoniza- 1274
torum, licitè Sacrum, etiam publicè solemniter facere; dummodo non fiat sub nomine non Canonizati, sed dicatur Missa de SS. TRINITATE, vel de OMNIBUS SANCTIS, aut de B. VIRGINE, & conciones de virtutibus talium virorum haberi, dummodo illorum miracula, & revelationes non recenseantur ut miracula approbata ab Ecclesia, sed ut res notabiles & admirandæ, de quibus omnibus Trullench. *ubi suprà.*

SECUNDÒ nota, in prædicto decreto non pro-
hiberi conscribi libros continentes vitam præ- 1275
dictorum virorum, sed revelationes, & miracula, antequam ab Ordinario fuerint approbata, cum consilio Theologorum, & expectato priùs assensu
Sedis Apostolicæ, non censentur approbata: pot- 1276
erunt tamen in prædictis libris, imò & concionibus recenseri res quidem mirabiles, quas ipse San-
ctus nondum Canonizatus fecit in vita, vel post 1277
mortem, cum protestatione, quòd illis non adsit alia, quàm humana auctoritas, nullo modo divina, quæ in Romanæ Ecclesiæ approbatione nititur; ita Pellizzarius *Tract. 6. cap. 4. num. 50. & 51.* & sæpiùs laudatus Gabriel, *loc. cit. num. 226. &* 227. ubi ex pluribus Authoribus probat, per *Ordinarium* in hoc decreto intelligi, quicunque ordinariam jurisdictionem in suos subditos habet. Formam præfatæ protestationis adponendæ prædictis Historiis & libris, & complura alia huc pertinentia,

tinentia, reperiet Lector apud N. Lezanam *Tom.* 4. *qq. Reg.* verb. *Sanctorum cultus.* & *Tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 39. *& seqq.*

§. 6.

De obligatione, quam habent Regulares non dicendi Missam tempore vespertino.

1278 *Regulares Missam celebrantes tempore vespertino, incurrunt suspensionem à divinis.*
1279 *Regulares celebrantes usque ad horam nonam, id est, tribus horis post meridiem, ex privilegio quod habent, non incurrunt hanc suspensionem.*

1278 DIco: Regulares non possunt Missam tempore vespertino, sub prætextu alicujus licentiæ, vel facultatis celebrare, & aliter facientes incurrunt suspensionem à divinis, latam à PIO V. *in Bulla* edita anno 1560. Circa hanc tamen prohibitionem nota, quòd cùm prædictis Regularibus prohibeatur, prædictas Missas tempore vespertino sub prætextu licentiarum, vel facultatum celebrare, illam
1279 non incurrere, qui ex vero privilegio prædictas Missas celebrant, ut facere possunt Regulares usque ad horam nonam, ex multis privilegiis, quæ retulimus *in Tractatu de Privilegiis, disp.* 2. *sect.* 4. §. 2. *num.* 186. *tract.* 2.

SECTIO IX.

De obligationibus Regularium provenientibus tam à jure, quàm à specialibus Pontificum decretis, sub pœna interdicti, tam reservati, quàm non reservati.

1280 *Enumerantur interdicta lata contra Regulares.*
1281 *Interdictum contra ferentes censuras sine debita solemnitate, tantùm est per mensem.*
1282 *Requirit præsumptionem, & solùm ad ferentes excommunicationem extenditur.*
1283 *Prælati regulares ex privilegio possunt excommunicare subditos sine monitione.*
1284 *Interdictum contra violantes interdictum, solùm extenditur ad violantes interdictum locale generale.*
1285 *In quibus casibus incurratur hoc interdictum?*
1286 *Interdictum contra transgredientes decretum sacræ Congregationis de celebratione Missarum, in quibus casibus incurratur?*
1287 *Hoc interdictum non est reservatum.*
1288 *Ab ipso possunt absolvere ipsi Regulares in foro conscientiæ.*
1289 *Interdictum contra recipientes dignitatem de manu laici, in quibus casibus incurratur?*
1290 *Hoc interdictum per dimissionem dignitatis absque absolutione tollitur.*

QUinque obligationes reperio Regularibus impositas, sub pœna interdicti ab ingressu 1280
Ecclesiæ: PRIMA est, non ferendi censuras absque debita solemnitate, *in Cap.* Sacro, *de sententia excommunicat.* SECUNDA, non violandi interdictum locale generale, *in Cap.* Episcoporum, *de privilegiis in* 6. TERTIA, non admittendi excommunicatos ad divina officia, in *eodem capite.* QUARTA, non transgrediendi decretum sacræ Congregationis de celebratione Missarum, in *eodem decreto.* QUINTA, non recipiendi Episcopatum, Abbatiam, aut aliam dignitatem de manu laici, *in Cap.* Si quis deinceps, 16. *quæst.* 7. Vide hæc fusiùs relata apud N. Gabrielem *disp.* 8. *quæst.* 3. *de interdict.*

Circa primam nota, prædictum interdictum 1281
tantùm esse per mensem, & ad illius incursum requiri præsumptionem, & solùm extendi ad ferentes excommunicationem sine monitione, aut in scriptis, vel saltem coram honestis personis.

SECUNDÒ nota, hæc procedere stando in jure 1282
communi; nam ex privilegiis possunt Prælati regulares excommunicare suos subditos, absque 1283
prævia monitione; ita Felinus, Alterius apud Bonacinam *de censuris in particulari, disp.* 4. *quæst.* 5. *part.* 1. §. 1. *num.* 8. qui tamen contrarium sustinet cum Ugolino, Majolo, & Sayro.

CIRCA secundam & tertiam nota, hoc inter- 1284
dictum tantùm incurri ex violatione interdicti generalis; nam cùm simus in materia pœnali, benignior interpretatio fieri debet; ita Suar. *disp.* 37. 1285
de censuris, sect. 1. *num.* 5. violatur autem hoc interdictum sive per Missæ, aut divini Officii celebrationem, sive per Ecclesiasticam sepulturam in loco interdicto, sive etiam per admissionem publicè excommunicatorum, vel interdictorum ad divina Officia, dummodo tam isti interdicti, & ex-

communi-

communicati, quàm locus ipse interdictus, sint nominatim denuntiati, ut advertit Bonacina *de Censuris in particulari, disp. 4. quæst. 2. p. 6.* ex Suar. Felino & aliis.

Adverte tamen, tunc propriè Regulares admittere interdictos ad divina officia, quando interdictos recipiunt ad divina officia, ministrando eis Sacramenta, vel non eos excludendo, aut non prohibendo, dum celebrant, si possunt, & tenentur ex officio: ita Suarez *ubi suprà, num. 6.*

Tandem adverte, hoc interdictum durare usquequò Regulares satisfactionem præstent ad arbitrium illius, cujus sententiam contempsêre.

1286 Circa quartam nota, hoc interdictum tantùm incurrere Regulares, cùm pecunias acceptas pro perpetuo onere celebrandarum Missarum non deponunt apud ædem sacram, vel personam fide dignam, & idoneam, ut quàm primùm in bonis immobilibus implicetur, non verò in casu, quo non auferant ab Ecclesiis capsellas cum inscriptione: *Eleemosyna pro Missis*: ita Pellizzarius *Tract. 7. cap. 4. num. 58.* & patet ex contextu; nam in §. in quo præcipiuntur prædictæ capsellæ auferri, nulla mentio fit de interdicto, benè tamen in §. in quo agitur de pecunia deponenda apud ædem sacram.

1287 Secundò adverte, hoc interdictum non esse reservatum: unde ab illo absolvere possunt Regulares pro foro conscientiæ: Pellizzarius *ubi suprà.*

1288 An autem tale decretum sit receptum, authenticum, & legitimè promulgatum? existimo negativè, ut latiùs dixi in Tractatu de privilegiis multis in locis, & *infrà* latiùs dicemus.

1289 Circa quintam nota, tale interdictum non incurrere Regulares, recipientes dignitates regulares

1290 de manu laici, sed tantùm recipientes dignitates sæculares, verbi gratia, Episcopatum, Abbatiam, &c.

Secundò adverte, hoc interdictum cessare per demissionem talis dignitatis sine alia absolutione: ita Bonacina *de censuris in particulari, disp. 4. quæst. 2. part. 2. num. 6.*

* * *

SECTIO X.

De obligationibus Regularium, tam à jure, quàm à Pontificum decretis, sub pœna privationis.

§. I.

Quid, & quotuplex sit privatio?

1291 *Quid per privationem officiorum, dignitatum, graduum, & administrationum, &c. intelligatur?*

1292 *Quid per privationem genituræ?*

1293 *Quid per privationem fructuum beneficialium?*

1294 *Quid per inhabilitatem ad dignitates, gradus, & administrationes?*

1295 *Quid per privationem ab actibus legitimis?*

1296 *Hæ pœnæ privativæ non incurruntur ipso facto, etiamsi sint ipso facto incurrendæ, sed post Judicis sententiam.*

1297 *Ad illas incurrendum requiritur culpa mortalis.*

1298 *Hæ pœnæ arguunt gravem obligationem legis, quæ sub illis fertur, ita ut transgressio legis sit peccatum mortale.*

1299 *Quid si aliquis non æstimet privari his officiis?*

1300 *Ab his pœnis excusat bona fides, & ignorantia.*

1301 *Qui post inhabilitatem ad vitandam infamiam recipit dignitatem, non incurrit ullam pœnam, & ejus acta sunt legitima.*

1302 *Hæ pœnæ per appellationem suspenduntur.*

1303 *Super his pœnis possunt Prælati regulares dispensare.*

Dico I. Per privationem officiorum, dignitatum, graduum, & administrationum intelligitur privatio earum dignitatum, officiorum, ac administrationum, quæ habent aliquam superioritatem, non tamen aliorum officiorum, qualia sunt esse Concionatorem, Lectorem, Procuratorem, Confessarium; Ita Sanch. *lib. 6. in Decal. cap. 16. num. 66.* Bonacin. *de Clausura, quæst. 1. p. 4. num. 6.* Diana *4. p. tract. 4. resol. 224.* contra Lezan. *Tom. 1. cap. 10.* 1291

cap. 10. *num.* 32. Videatur circa hoc noster Joannes à SS. Sacramento, in suo *Priore Claustrali* 1. *Parte, numer.* 32. *& seqq.* qui optimè hæc exponit & interpretatur.

1292 DICO II. Per privationem genituræ intelligitur privatio juris prælationis unicuique Religioso competens, ratione antiquitatis in professione, est autem hæc pœna in Ordine nostro gravissima, sicut & de suo Ordine, ait Peyrin. *de R.P. quæst.* 3. *cap.* 1. §. 5. *num.* 152. ratione namque antiquitatis, habent sæpè sæpius Religiosi plura privilegia, & aliquando etiam prælatias, ut, si duo terve concurrant ad idem officium cum æqualibus votis, antiquior in professione censetur canonicè electus, ut patet *ex* 3 *part. nostrarum Constit. cap.* 2. *num.* 2. in illis tamen Religionibus, in quibus genitura tantùm præbet præeminentiam in loco, non est pœna gravis, sed levis; Sanch. *de matrim. lib.* 7. *disp.* 37. *num.* 68.

1293 DICO III. Per privationem fructuum beneficialium intelligitur privatio fructuum aliàs debitorum ratione beneficii legitimè obtenti; unde hæc pœna non cadit in Regulares, nisi sint bene-
1294 ficiati. Per inhabilitatem verò ad dignitates, officia, & administrationes intelligitur, quòd vi illius non possit quis ad supradicta eligi, neque licitè, neque validè, ita ut electio sit eo ipso irrita, absque alia Judicis declaratione; differt autem hæc pœna à privatione à beneficiis; nam illa privat à beneficiis jam obtentis; hæc verò ab obtinendis.

1295 DICO IV. Per privationem ab actibus legitimis intelligitur pœna, qua quis inhabilitatur ad omnia officia Ordinis, ita, ut nequeat esse Definitor, Lector, Confessor, Magister Noviriorum, &c. ut ait Portel. *de dub. regularib. verbo* Vox activa, & passiva, *num.* 2. Contrarium tenet Pellizzar. *Tract.* 7. *cap.* 6. *num.* 9. ubi melius dicit, tantùm intelligi eos actus, qui concernunt externam gubernationem, non verò internam, ut sunt Confessores; quia benignior pars est interpretanda, excludit etiam officium Lectoris, seclusa facultate ferendi suffragium, cùm actus legendi communi modo loquendi non dicatur actus legitimus.

1296 An autem hujusmodi pœnæ privativæ, si ferantur incurrendæ ipso facto, incurrantur ante sententiam Judicis? Respondeo negativè; ita Sanch. *lib.* 2. *in Decal. cap.* 39. *num.* 32. Diana 2. *part. tract.* 17. *resol.* 67. Suar. *disp.* 13. *de Censuris, sect.* 1. *num.* 31. & cum eo Portel. *verbo* Officia

Ordinis, *num.* 6. *&* 7. An autem ad has pœnas in- 1297
currendas requiratur culpa mortalis? Respondeo affirmativè, sunt namque pœnæ graves, ut advertit Baldell. *lib.* 5. *disp.* 21. *num.* 11. ex Suario.

An autem hujusmodi pœnæ arguant gravem 1298
obligationem legis, quæ sub illis fertur, ita ut transgressio legis censeri debeat mortalis? Respondeo affirmativè; nam aliàs essent injustæ, ac imprudentes, cùm non sit æquum, ut pro culpa
levi imponatur pœna gravis, sicut notavit Baldell. 1299
ubi suprà, num. 9. ex Suar. *lib.* 3. *de legib. cap.* 26. *num.* 4. Quod verum est, etiamsi quis nihil æstimet prædictis officiis privari, cùm gravitas obligationis legis pendeat ex intentione legislatoris sufficienter declarata, & hæc satis declaratur, quando transgressoribus ponitur pœna communi æstimatione gravis.

Non incurruntur tamen hujusmodi pœnæ, 1300
quando quis violat legem bona fide, aut ex ignorantia; Diana 5. *part. tract.* 14. *resol.* 24. Portel. *in responsionib. p.* 1. *casu* 27. *num.* 3. quod intelligitur quoad forum externum; nam quoad internum,
certum est, non incurri; ita Diana *ubi suprà.* Idem 1301
dicendum est, quando post contractam inhabilitatem ad aliquam dignitatem, illam acceptat ad vitandam propriam infamiam; Suar. *disp.* 13. *de Censur. sect.* 1. *num.* 31. Portel. *verbo* Officia Ordinis, *num.* 7. Et in hoc casu omnes actus à taliter electo facti sunt validi, etsi electio fuerit irrita, *ex l. Barbarius, ff. de officio Prætor.* & Cap. *Infames,* 3. *quæst.* 7. Portel. *ubi suprà,* ex communi sententia.

An autem hujusmodi pœnæ suspendantur per 1302
appellationem? Respondeo affirmativè, omnis namque appellatio suspendit sententiam, & ejus effectum, ita cum aliis communiter Peyrinis *de R. S. quæst. cap.* 2. §. *unico.*

Tandem adverte, super has pœnas posse quoque 1303
Prælatos regulares dispensare pro foro externo; Peyrin. *Tom.* 1. *de privilegiis, ad Constit.* 6. Julii II. *num.* 25. nost. Lezana *Tom* 1. *cap.* 10. *num.* 36. Sanch. *in Decalog. lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 78.

* * *

§. 2.

Recensentur obligationes, quas Religiosi habent sub multiplici pœna privationis.

1304 *Regulares accedentes ad Romanam curiam sine licentia Generalis, aut Protectoris, incurrunt pœnam privationis vocis activæ, & passivæ.*

1305 *Hæc licentia, ex causa communi totius provinciæ, potest concedi à Provinciali.*

1306 *Imo etiam à Visitatoribus, & Definitorio.*

1307 *Ad incurrendam hanc pœnam requiritur præsumptio.*

1308 *Qui gravatus injustè à Prælato recurrit Romam, non incurrit hanc pœnam.*

1309 *Regulares violando interdictum in materia divinorum officiorum, incurrunt privationem vocis activæ, & passivæ.*

1310 *Eandem pœnam incurrunt Fratres Minores subornantes in electionibus, et si non sequatur electio.*

1311 *Quid si subornatio fuerit bona?*

1312 *Hæc pœna, sicut nec excommunicatio lata in eadem Bulla, non extenditur ad alias Religiones.*

1313 *Quas pœnas incurrant cæteri Religiosi subornantes?*

1314 *Has privationes probabilius nullibi fuisse receptas.*

1315 *Subornatio prohibita in hac Constitutione est, qua alicui persuadetur, ut eligatur indignus.*

1316 *Conferri ad invicem, quis sit dignior, qualitates alicujus demonstrando, non est subornatio.*

1317 *Regulares non eligentes conservatorem, juxta Constitutionem* GREGORII *XV. incurrunt privationem vocis activæ, & passivæ.*

1318 *In quo casu incurrant Regulares privationem vocis activæ, & passivæ, jurisque eligendi?*

1319 *Regulares non legentes in certis diebus decretum sacræ Congregationis, pertinens ad sanctum Officium, incurrunt privationem vocis activæ, & passivæ, ac officii.*

1320 *Hæc pœna à quibus Prælatis incurratur?*

1321 *Hoc decretum in hoc regno non fuit usu receptum.*

1322 *Idem dicendum est de aliis decretis, quæ ibi referuntur.*

1323 *Regulares cognoscendo causas Religiosorum subditorum, quomodolibet pertinentes ad S. Officium, præter excommunicationem, incurrunt privationem vocis activæ, & passivæ, officiorum, & dignitatum, & inhabilitatem ad illa.*

1324 *Eandem pœnam incurrunt recipientes ad novitiatum, vel professionem, personas affectas aliquo impedimento, expresso in Bulla* SIXTI *V. prout moderata est à* GREGORIO *XV. &* CLEMENTE *VIII.*

1325 *Eandem pœnam incurrunt exercentes mercaturam in missionibus Japonicus, & Indiarum Orientalium.*

1326 *Eandem pœnam incurrunt facientes indecitas largitiones munerum.*

1327 *Hæ Constitutiones, primâ exceptâ, non sunt receptæ.*

1328 *Constitutio prohibens largitionem munerum, etsi sit usu recepta, non plus obligat, quàm jus commune.*

1329 *Nec in illa prohibentur Regulares dare prandia, & convivia personis de Religione benemeritis.*

1330 *Nulli prohibetur largitio munerum causa gratitudinis, benevolentiæ, conciliationis, &c.*

1331 *Idem dicendum est, si faciant donationes ad redimendam vexationem.*

1332 *Non prohibentur donare Missas etiam illis, qui ad illas tenentur ex justitia.*

1333 *Idem dicendum est, si præbeant sua manuscripta.*

1334 *In hac Constitutione non illis prohibetur mutuare, commodare, vendere, locare.*

1335 *Item, non prohibentur facere donationes, si non dissipentur bona Religionis, neque detur occasio ambitionis.*

1336 *Stante hac Constitutione, recipientes aliquid à Regularibus, tenentur ad restitutionem Conventui, ad quem pertinent, vel viciniori, &c.*

1337 *Religio non potest recipientem eximere à restitutione.*

1538 *Regulares exercendo Astrologiam judiciariam, præter excommunicationem, incurrunt privationem vocis activæ, & passivæ, beneficiorum & officiorum, & inhabilitatem ad alia obtinenda.*

1339 Re-

DICO I. Religiosi in quatuor casibus incurrunt pœnam privationis vocis activæ, & passivæ: 1304
PRIMUS est, accedendo Romam absque licentia Generalis, aut Protectoris Ordinis in scriptis obtenta; ita habetur *in decreto* CLEMENTIS VIII. *pro Regularium reformatione*; hæc tamen licentia potest etiam concedi, ex causa communi totius provinciæ, à Provinciali, ex decreto sacræ Congregationis, quod refert Naldus *verbo* Religiosus, *num.* 41. imò etiam à Definitoribus, & Visitatoribus; siquidem æqualem cum Provinciali habent auctoritatem; Pellizzarius *Tract.* 7. *cap.* 6. *num.* 28. requiritur etiam ad incurrendam hanc censuram præsumptio; unde qui gravatus à Prælato injustè, recurrit ad Romanam Sedem, non incurrit hanc pœnam. 1305 1306 1307 1308

SECUNDUS casus, in quo Regulares incurrunt hanc pœnam, est violando interdictum in materia divinorum officiorum, *ex Cap.* his qui, *de sententia excommunicationis in* 6. 1309

TERTIUS est pro Minoribus, si subornent in electionibus ex Constitutione 128. Pii V. quæ pœna incurritur, etiamsi non sequatur electio; ita 1310 1311

Portel. *de dubiis regularibus*, *verbo* Subornatio, *num.* 5. ex Rodrig. Suarez, & aliis; limita tamen, nisi sit subornatio bona, hoc est, quando quis suadet veras, ac bonas dotes personæ eligendæ in bonum Communitatis.

1312 An autem hæc pœna extendatur ad alias Religiones communicantes? Respondeo negativè; ita cum Suario, Sigismundo, Driedo, & aliis Samuelius *de electione canonica, Tract.* 2. *disp.* 1. *controversia* 12. *num.* 21. in materia namque pœnali, & odiosa, non fit extensio. Hinc fit, nec excommunicationem Papæ reservatam, latam contra subornatores in hac eadem Bulla pro Minoribus incurri ab aliis Regularibus subornatoribus, sed tantùm incurri à Minoribus, pro quibus lata est, ut ibi etiam advertit Samuelius; quia hæc Constitutio non est in usu apud plures Religiones, ut notavit Pelliz-
1313 zar. *Tract.* 7. *cap.* 6. *num.* 35. incurrent tamen cæteri Religiosi pœnas pro subornatoribus à CLEMENTE VIII. statutas anno 1599. die 25. Julii, & URBANO VIII. innovatas anno 1624. die 21. Septembris, scilicet pœnam privationis officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatem ad alia quæcumque futura, & incapacitatem in perpetuum, infamiam, & privationem vocis activæ, & passivæ ipso fa-
1314 cto, si in aliqua Religione hujusmodi Constitutiones fuerunt usu receptæ, probabiliùs namque
1315 est, non fuisse usu receptas, ut cum Megala, Peyrin. & aliis notavit Samuelius *de electione canonica, Tract.* 2. *disp.* 2. *controvers.* 12. *num.* 14. Giragus *part.* 1. *dub.* 19. *num.* 108.

Adverte tamen illam tantùm dici subornationem prohibitam in his Constitutionibus, qua ali-
1316 cui persuaditur, ut eligatur indignus; unde ad invicem conferre, quis sit dignior, non est subornatio; vide quæ diximus *hac eadem disp. sect.* 6. §. 15. *à num* 1090.

QUARTUS casus, in quo Regulares incurrunt prædictam suspensionem, est non eligendo con-
1317 servatorem, juxta Constitutionem GREGOR. XV. ex eadẽ Constitutione, de qua latè egimus *in Tract. de Privilegiis, tract.* 2. *disp.* 1. *sect.* 4. §. 3. *per totum.*

DICO II. In uno tantùm casu incurrunt Regu-
1318 lares privationem vocis activæ, & passivæ, jurisque eligendi, scilicet, quando eligunt ad dignitates seu officia, aut superioritates Ordinis Religiosum promotum in Episcopum, & post sui consecrationem redeuntem ad Religionem: ita habetur in Constitutione PAULI IV. relata à Rodrig. *in Bullario, Constit.* 4. non est autem reservata hæc pœna, ut patet ex contextu.

DICO III. Regulares non publicantes in Capi- 1319
tulo locali ad hoc specialiter convocato, semel in anno Feria VI. post octavam Assumpt. B. Virg. & insuper in quocumque Capitulo generali, vel provinciali decretum sacræ Congregationis, ex mandato URBANI VIII. pertinens ad sanctum of- 1320
ficium, relatum *in Bullario, Tom.* 4. *Constitutione* 117. incurrunt pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, ac officii.

Circa quam nota, hanc pœnam non incurri à 1321
Generali, vel Provinciali, si in aliquo Conventu tale decretum non legatur, etiamsi ibi assistant, sed solùm à Priore, vel Superiore, si in absentia Prioris illud non curet legi.

Secundò adverte, hoc decretum vel solùm fuisse pro Italia, vel non esse receptum in hoc regno, cùm ego, qui suprà viginti quinque Religionis annos habeo, nunquam talem fieri vidi publicationem, & cùm ab aliis Religionum aliarum Prælatis de hoc inquirerem, idem mihi responderunt. Unde hoc decretum non habet robur in hoc regno, quod fortè ideo factum est, quia, vel nunquam ad nos pervenit in forma authentica, vel quia non fuit sufficienter promulgatum.

Idem dicendum est de decreto URBANI VIII. in 1322
quo mandat Prælatis regularibus notificare suis subditis revocationem oraculorum factam ab eodem URBANO VIII. sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, ac officiorum, & dignitatum. Et de alio decreto, in quo præcipit, ut Novitii non admittantur in loco non designato sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, & officiorum, ac inhabilitate ad illa; ac de alio de celebratione Missarum, cum omnibus clausulis in eo contentis: Et de alio decreto sacræ Congregationis, in quo prohibet res pretiosas alienare absque licentia sacræ Congregationis sub eadem pœna. Ac demùm de alio decreto sacræ Congregationis, in quo prohibet Prælatis dare subditis dimissorias ad Episcopum non Diœcesanum, sine explicatione causæ absentiæ Episcopi diœcesani, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, officiorum, & dignitatum, seu administrationum: hæc enim omnia decreta nullo modo in hoc regno observantur.

DICO IV. In quatuor aliis casibus incurrunt 1323
Regulares privationem vocis activæ, & passivæ, officiorum, dignitatum, & inhabilitatum ad illam. PRIMÒ, cognoscendo causas Religiosorum, subditorum, quomodolibet pertinentes ad san- 1324
ctum officium Inquisitionis, in quo casu etiam

incur-

1325 incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, ex Constitutione Pauli V.

Secundò recipiendo ad Novitiatum, aut Professionem personas affectas aliquo ex impedimentis expressis in Constitutione Sixti V. secundùm moderationem factam à Gregorio XIV. & Clemente VIII. ex Constitutione Sixti V.

Tertio exercendo mercaturam in Missionibus Japonicis, & Indiarum Orientalium ex Constitu-
1326 tione Urbani VIII.

Tandem quartò faciendo indebitas munerum largitiones ex decreto Clementis VIII. de largi-
1327 tione munerum, postea confirmato ab Urbano VIII. de quibus etiam Constitutionibus, excepta prima, an sint receptæ maxime dubito, & licet Pellizzar. *Tract. 6. c. 9. n. 4.* dicat Constitutionem Urbani VIII. *de largitione munerum* prout est declaratoria, & confirmatoria Constitutionis Clementis VIII. omnino certum esse, nec amplius rationabiliter posse dubitari, esse receptam; ego tamen contrariæ sententiæ adhæreo cum Vidal. *titulo* de religiosa paupertate *inquisitione unica n. 98.*

1328 Deinde supposito, quod sit recepta, non debet amplius obligare, quam Constitutio Clement. VIII. cum non condat jus novum, & sit accessoria ad illam, sed Constitutio Clement. VIII. non obligat plusquam jus commune antiquum, ut cum Sousa, Valero, Cruz, & aliis notavit Dian. *1 part. tract 6. resol. 2.* addendo solam novam formam, quoad approbationem causæ, ex qua facienda est donatio, ut notavit Diana *ubi supra.* Bordon. *Tom. 1 resol. 43 n. 13.* Peyrin. *de R. S. q 2. c. 2. §. 6. versic. & huic:* ergo quidquid ante has Constitutiones, tam Urbani, quam Clementis VIII. poterant Religiosi in eadem materia efficere, illud possunt etiam in præsenti, & quidquid antea non poterant, neque modo possunt, ita Vidal. *ubi supra.* Unde infero, quod cùm Regularibus antea de jure communi solum essent prohibitæ donationes, quæ essent contra votum paupertatis, idem dicendum esse in præsenti, non obstantibus prædictis decretis Clement. VIII. & Urbani VIII. quæ autem sint donationes contra votum paupertatis, diximus *supra in disputatione de voto paupertatis.*

1329 Adverte tamen, quod supposito quod prædicta decreta essent in suo robore, adhuc in illis non pro-
1330 hiberi Regularibus dare prandia, seu convivia moderata, & honesta personis de Religione benemeritis, ut declaravit sacra Cōgregatio, ut refert Belasius *verbo munus n. 6.* nec etiam prohiberi largitionem munerum causa gratitudinis, conciliationis benevolentiæ, ejusque conservationis erga Religionem & Conventum, aliisque causis ex sui natura actum virtutis continentibus, moderatè tamen, ac discretè, ac de Superiorum licentia; ita declaravit Sacra Congregatio 16. Octobris 1640.

Idem dicendum est si faciant donationes ad re- 1331
dimendam vexationem, Peyrinis *de R. S. quæst. 2. cap. 2. §. 6.* vel etiam si fiant in remunerationem; Diana 1. *p tract. 6. resol. 15.* Item non prohibentur 1332
donare Missas etiam eis, qui ad illas tenentur ex 1333
justitia, nimirum ex stipendio accepto, vel legato. Et idem dicendum est, si præbeant sua manuscripta, vel doceant, prædicent, & quid simile faciant ad conciliandam gratiam alicujus personæ, ut diximus *in disputatione de voto paupertatis*, imo in his Constitutionibus, non illis prohibetur mutuare, 1334
commutare, locare, vel vendere, etiamsi fiat infimo pretio; ita Pellizzarius *Tract. 6. c. 9 n. 23.*

An autem stante hac prohibitione possint Regu- 1335
lares facere donationes, si detur casus, quod vi illarum non dissipentur bona Religionis, neque detur occasio ambitionis? Respondeo affirmativè, etiamsi donationes fiant inter ipsos Religiosos; ita cum Valero, & aliis Diana *ubi supra resol 33. & 18.* & ratio est, quia finis hujus Constitutionis est tollere occasionem ambitionis, ac dilapidationis bonorum Monasterii: ergo cessante hoc fine, cessat lex; nam ut sæpe diximus cessante adæquato fine legis in particulari, cessat lex etiam in particulari.

Tandem adverte, quod stante hoc decreto reci- 1336
pientes aliquid in materia gravi à Regularibus, teneri ad omnia accepta restituenda Conventibus, ad quos donata de jure pertinent, si id commodè fieri potest, aliàs Conventui ejusdem Religionis 1337
viciniori, ita ut restitutione ipsa realiter non facta, neque in foro conscientiæ absolvi possint, nisi aliàs pœnitens nequeat satisfacere, nec Religiosus, qui donavit, nec Religio ipsa possunt recipientes eximere ab onere restituendi, aut concedere, quod in pauperes erogetur; ita cum Fausto Belasius *ubi supra num. 12.*

Dico V. In quatuor quoque aliis casibus incur- 1338
runt Regulares privationem vocis activæ, & passivæ, beneficiorum, officiorum, & inhabilitatem ad alia obtinenda. Primò exercendo Astrologiam judiciariam contra Constitutionem Urbani VIII. vel quamlibet artem divinatoriam profitentes: in quibus casibus incurrunt etiam excommunicationem majorem latæ sententiæ, aliasque pœnas capitales, ut constat ex prædicta Constitutione, quæ est in ordine 113. nō sunt tamen hę pœnę reservatę.

1340 SECUNDÒ, absolvendo à reservatis in Bulla Cœnæ, & Ordinarii ex decreto CLEMENTIS VIII. quæ pœna simul cum excommunicatione reservata est; in quibus tamen casibus hæ pœnæ locum habeant jam *supra* explicabimus.

1341 TERTIÒ est, permittendo intrare fœminas intra clausuram suorum monasteriorum prætextu facultatum a Papa, vel ab aliis concessarum, ex Constitutione GREGORII XIII. hæc tamen pœna non est reservata, licet alias excommunicatio, quæ in tali casu incurritur sit reservata, qua de re plura *supra*.

QUARTUS casus est, alienando loca, vel bona jurisdictionalia pertinentia ad ipsorum Monasteria, ex decreto Urbani VIII. quod incipit, *Humanæ salutis*, de quo etiam *supra* egimus, hæc tamen pœna non est reservata.

1342 DICO VI. Regulares indebitè tractantes de Conceptione B. Virginis in concionibus, vel ubi homines simul cum mulieribus conveniunt, vel etiam scribentes sine moderatione præscripta, in Constitutionibus SIXTI IV. PII V. & PAULI V. præter excommunicationem, incurrunt etiam pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, graduum, officiorum, & administrationum, & inhabilitatem ad ea, privationem facultatis concionandi, publice legendi, ac interpretandi, cum inhabilitate ad hæc præstanda ex Constitutione PAULI V. quæ pœna est reservata, ut patet ex prædicta Constitutione, de qua plura *supra*.

1343 DICO VII. Regulares transeuntes ab Ordine Mendicantium ad non Mendicantem, esto transitus fiat cum debita licentia, & in casu permisso, incurrunt privationem vocis activæ, ac loci in Capitulo, ac inhabilitatem ad Prioratus, aliaque officia, & curam animarum ex *Clementina* 1. *de Regularibus*.

1344 Circa quam nota, privationem vocis in Capitulo deberi intelligi in Capitulo generali, vel Provinciali, non tamen locali, Sanchez *lib.* 6. *moral. c.* 7. *n.* 122. ex Glossa, & aliis, vel non est intelligendum de principali Prælato Monasterii v. g. Abbate, sed de alio illi subjecto, ut sunt in Monachalibus Priores; quomodo autem hæc prohibitio sit intelligenda *supra* explicuimus agentes de hac materia.

1345 DICO VIII. Regulares pro delictis pertinentibus ad officium sanctæ Inquisitionis puniti, exceptis salutaribus pœnitentiis, incurrunt pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, & officiorum, una cum inhabilitate ad promovendum ad gradus ac officia Religionis, nisi de speciali gratia, & rehabilitatione a Papa, vel sacra Congregatione, ex decreto sacræ Congregationis jussu URBANI VIII. 1. Octobris 1626. Adverte tamen Religiosum semel rehabilitatum, deinceps validè ac licitè promoveri posse, nam per talem pœnam non inhabilitantur promoventes, sed promoti. 1346

DICO IX. Regulares alloqui nequeunt Moniales quascumque sine debita licentia, sub pœna privationis officiorum, vocisque activæ & passivæ, ipso facto, ex decreto sacræ Congregationis jussu SIXTI V. anno 1590. relato apud Pellizzarium *Tract.* 6 *c.* 6. *n.* 2. Sed circa hanc prohibitionem nota hoc decretum ferè nullibi esse receptum apud Regulares, imo esse abrogatum per contrarium usum, uti in hoc Regno constat experientiâ; ita Vidal. *titulo* de accessu ad Monialium monasteria *inquisit.* 2. *n.* 51. In illis tamen locis, in quibus est receptum, adhuc existimo Regulares alloquentes moniales sine expressa licentia, etiam per longum tempus, non peccare mortaliter, dummodo absint prava intentio, & probabile peccandi periculum; Ita Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 7. *n.* 81. Merola *Tom.* 1. *disp.* 1. *cap.* 2. *disp.* 7. *n.* 614. Delbene *Tom.* 2. *c.* 19. *dub.* 71. *n.* 6. Vidal. *loc. cit. inquisit.* 2. *n.* 49. contra Bonacinam, Peyrinum, Dianam, Sayrum & alios, quos refert Delbene *ubi supra*. 1347 1348 1349

Ratio autem nostræ resolutionis est, quia hæc allocutio ex se non est mala, tum, quia lex fundata in præsumptione non habet locum in conscientia, quando veritas est in contrarium *Cap. Tua nos*, 26. nec pœnæ additæ sufficiunt ad constituendam culpam mortiferam; nam Religiosus, sicut non peccat loquendo prædicto modo, ita prædictas pœnas non incurrit, nam pœnæ in præsumentes non habent locum in transgressore sine malitia, & dolo, Cardinal. *in Clementina* 1. *de privilegiis quæst.* 17. Navar. quos refert & sequitur Bordon. *ubi supra*. Nec obstat, quod sacra Congregatio postea declaravit 1. Julii 1606. decretum SIXTI V. obligare sub mortali, ut testatur Duar. *in Bulla Cœnæ lib* 3. §. 8. *quæst.* 2. *num.* 45. Respondetur namque de tali declaratione non constare nobis authenticè, neque declarationibus Cardinalium, quamvis magnæ auctoritatis necessario standum esse: ita Delbene *Tom.* 2. *cap.* 14 *dub.* 5. *sect.* 2. *num.* 4. Vidal, *ubi supra num.* 71.

Dices dari plures textus, in quibus Regularibus prohibetur adire, & frequentare Monialium Monasteria, ut patet *ex Cap.* monasteria *de vita, & honestate cleric.* ubi hoc clarius sub pœna privationis 1350

ab

ab officio, & laicis sub pœna excommunicationis prohibetur; *& Cap.* Periculoso *de statu regul. in 6.* quod innovatum fuit à Tridentino *sess. 25. de Regularib. cap. 5.* & à PIO V. *in Motu proprio* qui incipit. *Circa pastoralis officii*: ergo saltem ratione prohibitionis factæ in his juribus peccabunt mortaliter Regulares loquentes cum monialibus. Respondetur illa eodem modo tantùm prohibere frequentationem & locutionem cum Monialibus scandalosam, & ex pravo animo, quibus seclusis non dari talem prohibitionem sub mortali, etiam si sine licentia Regulares accedant ad Monasteria Monialium; ita Navar. *cap. 24. n. 10.* Diana *3. p. tract. 2. resol. 48. in fine,* Suar. *Tom. 4. de Religione lib. 1 cap. 10. n. 26. & 27.* Delbene *Tom. 2. c. 19. dub. 71. n. 2.*

Ratio autem est, quia remotis prædictis circumstantiis, etiam frequentare dicta Monasteria non videtur materia gravis, & prædictæ pœnæ non intelliguntur, nisi post monitionem Episcopalem, quia *Cap.* periculoso *de statu Regul.* non fuit receptum quoad accessum, sed per disuetudinem abolevit: nec per Tridentinum, aut PIUM V. aut GREGORIUM XIII. fuit innovatum, ut notavit Suarez *Tom. 4. de Relig. lib. 1 cap. 10. n. 26. Caput* autem *Monasteria, de vita, & honestate clericorum* non comprehendit Regulares; nam in odiosis sub nomine Clerici non comprehenduntur Regulares, ut cum communi Doctorum tenet Sanch. *in summa lib. 6. cap. 15. num 74.*

1351 Et hinc jam licet deducere plures casus, in quibus Regulares, etiam ubi tale decretum receptum est, possunt adire Monasteria Monialium & cum eis loqui absque peccato mortali, & incursu prædictarum pœnarum: PRIMO, si loquantur cum illis ad pacandas earum conscientias v. g. casum aliquem conscientiæ eis declarando, vel de spiritualibus rebus sermonem cum eis habendo, Peyrinis *Tom. 2. ad Const. 6. Pii V. §. 1.*

SECUNDÒ si loquantur per signa & nutus, vel per interpositam personam; Peyrinis *ubi supra,* vel per interpretem, & multo magis si mittant nuntium, vel Epistolam, quia id non est propriè loqui, Delbene *Tom. 2. cap. 14. dub. 3 n. 5.*

TERTIÒ, si loquantur cum eis nihil eis respondendo, aut si audiant Monialem eis loquentem, & ipsi nihil respondeant. Delbene *ubi supra n. 6.* contra Graffium.

QUARTÒ, si loquantur cum Abbatissa; nam nomine Monialium non venit Abbatissa. Item, si loquantur cum Novitiis. Delbene *ubi supra num. 7.* Belasius *verbo* monialium loçutio *num. 2.* Vidal. *ubi supra num. 89. & 90.* & nost. Gabriel *disp. 4 de cens. q. 10. n. 446.*

QUINTÒ, si loquantur cum puellis, vel mulieribus sæcularibus ibi degentibus, ita cum aliis Tamburinus *de jure Abbatissarum disp. 25. quæsito 4. n. 4.* Item si loquentes sint pueri, vel puellæ ante 14. annum, etiam si loquantur de rebus obscœnis, prædictas pœnas non incurrunt, etsi alias peccent ratione verborum obscœnorum; ita cum Bonacina, & aliis Delbene *ubi supra n. 10.*

SEXTÒ, si sint Episcopi ob eorum dignitatem; Gabriel mox citatus *ibidem* & Graffius *de casibus reservatis lib. 2. cap. 5. n. 27 & 54.* contra Gratianum *Tom. 2. cap. 395. n. 10.*

SEPTIMÒ si loquantur de domo propinqua Monasterio, ad quam licitè acceditur, nost. Gabriel *loc. cit.* & Bordon. quem refert & sequitur Vidal. *ubi supra n. 86.* etsi habens licentiam loquendi cum quadam moniali loquatur cum aliis, Graffius *Tom. 1. consil. 22. de sententia excommunicationis n. 23.* Delbene *ubi supra n. 13.*

OCTAVÒ, si loquatur cum Monialibus Conversis; nam Conversæ non sunt veræ Moniales, quamvis Professionem emittant; Ita cum Federico, & aliis Vidal. *ubi supra n. 91.*

NONÒ, si loquatur urbanitatis causa per breve tempus. Vidal. *ubi supra num. 93.* ratione parvitatis materiæ, tempus autem breve censetur, quadrans horæ; Delbene *ubi supra n. 1.*

DECIMÒ, si loquatur cum Moniali in lingua ab ipsa non intellecta, etiam si quidam alius explicet Moniali sensum verborum, quoniam in hoc casu ille talis loquitur cum interprete, & non cum moniali. Vidal. *ubi supra n. 94.*

UNDECIMÒ, si destinatus in Confessorem earum, sive ordinarium, sive extraordinarium, per multum tempus cum Moniali aliqua loquatur apud ipsum tunc non confessura; Pellizzarius *Tract. 6. cap. 6. num. 24.*

TANDEM, quoties talis accessus non fuerit malus mortiferè ex intentione, & circumstantiis, ut accidit, quando sine scandalo, & seclusis pravis circumstantiis cum eis loquitur, ut *supra* diximus; ita Vidal. *ubi supra n. 85.* Plures similes casus reperies apud nost. Gabrielem *loc. cit.*

Sed quæres, an si Episcopus ferat excommunicationem, contra accedentes ad quæcumque Monasteria Monialium, sive exempta, sive non exempta, Regulares accedentes ad dicta Monasteria incurrant hanc censuram? Respondeo negativè; ita Sanchez, Suarez, Rodriguez, Bonacina, Tamburinus, 1352

Lezana,

Lezana, Bordonus, Peyrinis, Barbosa, Diana, & alii, quos refert & sequitur Vidal. *ubi supra n.* 47. quidquid in contrarium cum Homobono & aliis dicat Belasius *verbo* Monialium allocutio *num.* 3. Ratio nostræ resolutionis est, quia omnes Regulares gaudent privilegio, ut ab Episcopo non possint excommunicari; Tum, quia censura tantum fertur in subditos, tum, quia ita declaravit sacra Congregatio die 9. Aprilis 1589. Unde licet per Constitutionem GREGORII XV. possit Episcopus procedere contra Regulares accedentes ad Monialium Monasteria sine licentia, hoc illi competit, ut Apostolicæ Sedis delegato, non verò ex vi ordinariæ facultatis, ratione cujus, nullum jus in Regulares habet; deinde, ut benè advertit Pasqualig. *centuria* 2. *quæst.* 157. *num.* 8. illa facultas delegata Episcopis in ordine ad Regulares non extenditur ad ferendas censuras per modum legis, & statuti, sed solum ad puniendos transgressores, ideo posita tantum actuali transgressione subintrat delegatio, secus verò ante transgressionem.

1353 Addo etiam subditos ipsius Episcopi non ligari excommunicatione lata ab Episcopo contra accedentes ad Monasteria Monialium, si accedant ad Monasteria exempta, ita cum aliis Vidal. *ubi supra num.* 101. Ratio est, quia ad incurrendam prædictam pœnam duo necessario requiruntur, nempe formalis accessus, & allocutio, ut cum Sanchez, Rodriguez, Bonacina, & aliis probat Vidal. *ubi supra num.* 7. Sed in hoc casu utrumque consummatur in loco exempto: ergo non incurritur excommunicatio. Nec obstat quod actio accedendi incipiatur in loco non exempto, nam consummatur in loco exempto, & ibi delictum committi dicitur ubi exterius consummatur.

Confirmatur, quia Monasteria Regularium sunt exempta quoad omnes leges Episcopales, non solum ratione personarum, ut putavit Suarez *de censuris disp.* 5. *sect.* 4. *num.* 6. Verum etiam ratione
1354 loci per se, ut affirmat Bonacina, quod approbat Diana 3. *part. tract.* 5. *resol.* 74. §. *dico in fine*, unde possunt Fideles existentes intra Monasteria exempta laborare in diebus festivis de præcepto Episcopi, & ejus jejunia non servare, ut notavit Fagundez cum aliis, quos refert Diana 1. *part tract.* 10. *resol.* 14. §. *Ex his omnibus*, ergo idem dicendum est de hac lege Episcopali.

1355 Adverte tandem, stando in prædictis decretis licentiam ad accedendum ad Monasteria Monialium deberi concedi generaliter Regularibus à sacra Congregatione, sic enim ipsa sacra Congregatio decrevit, excepto Superiore, Visitatore, & Confessore. Ad loquendum verò cum Monialibus in primo & secundo gradu conjunctis possunt Ordinarii locorum dare Regularibus eam facultatem; imo si moniales sint exemptæ, debet etiam dari licentia à Prælato earum, nisi detur alia consuetudo: ita cum Gavanto, Belasius *ubi supra n.* 6. Verùm cum hæc omnia in hoc regno non observentur, nec prædicta decreta, aut etiam jura sint in usu; non est cur amplius in eis explicandis immoremur.

DICO X. Regulares non instituendo studium 1356
linguarum Hebraicæ, Chaldaicæ, Latinæ, & Arabicæ in celebrioribus Academiis incurrunt pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, unà cum inhabilitate ad majores gradus ac dignitates Ordinis, & nullitate collationis ultra suspensionem à divinis reservatam: & si fuerint Generales, ipso facto manent privati officio, interim exercendo per Procuratorem generalem Ordinis, ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, ex decreto URBANI VIII. sed hoc decretum non est receptum saltem in totum, ut *supra* diximus.

DICO XI. In quatuor casibus incurrunt Regulares privationem officiorum, inhabilitatem in po- 1357
sterum ad illa, & alia obtinenda.

PRIMÒ, introducendo feminas intra proprium monasterium, aut etiam alienum, ex Constitutione PII V. non est tamen ista pœna reservata.

SECUNDÒ, procurando directè vel indirectè suf- 1358
fragia pro obtinendis officiis Ordinis, ex decreto CLEMENTIS VIII. confirmato à PAULO V. & ab URBANO VIII. roborato: & hæc pœna est Papæ reservata: non prohibetur tamen hìc procuratio suffragiorum justa ac debita, sed tantum ambitiosa, ut notavit Naldus *verbo* Religiosus *num.* 42.

TERTIO, retinendo intra Monasteria bannitos, 1359
& fallitos ex decreto CLEMENTIS VIII. sed hoc de- 1360
cretum non videtur usu receptum, saltem in omnibus locis.

QUARTÒ, edendo libros continentes miracula, 1361
& revelationes hominis non Canonizati, vel Beatificati ex decreto URBANI VIII. à nobis *supra* relato.

Alias privationes ex variis decretis possem hìc cumulare, sed quia, vel non sunt in usu, vel parum habent difficultatis, ideo eas consultò omitto.

SECTIO

SECTIO XI.

De obligationibus, quas habent Regulares ex jure, & Pontificum decretis, tàm sub præcepto tantum, quàm etiam sub aliquibus censuris, & pœnis ferendis, ubi etiam præceptorum gravitas, vel levitas declaratur.

§. I.

De obligatione, quam habent Regulares non exercendi negotiationem.

1352 *Regulares exercentes mercaturam & negotiationem lucrativam, incurrunt excommunicationem, suspensionem, & depositionem.*

1363 *Et si moniti perseverent, amittunt privilegium exemptionis à tributis quoad alia bona.*

1364 *Hanc pœnam non incurrunt bona Conventus, quibus aliqui Regulares negotiantur.*

1365 *Hujusmodi pœnæ sunt ferendæ, & non latæ sententiæ.*

1366 *Quæ negotiatio hic Regularibus prohibeatur?*

1367 *Si rem emant, ut consumant, & quod superfuit, postea vendant, non faciunt contra prohibitionem.*

1368 *Idem dicendum, si facta fornace laterum, vel calcis ad usum Monasterii, postea lateres & calcem extraneis vendant.*

1369 *Et si ex pharmacopæa ad usum Conventus facta, extraneis medicinas vendant.*

1370 *Vel si agrum fructibus maturis plenum emant, & postea fructus superfluos vendant.*

1371 *Vel si animalia emant ad ea pascenda in propriis prædiis, ut quando fuerint saginata, ea vendant.*

1372 *Possunt greges habere, ut lac, lanam, & fœtus postea vendant.*

1373 *Non possunt conducere alienos agros, ut fructus vendant.*

1374 *Nec possunt conducere salinas alienas, ut sal inde vendant.*

1375 *Nec greges alienos conducere, ut lac, lanam, & caseum vendant.*

1376 *Possunt ex proprio tritico panes efficere, ut vendant.*

1377 *Possunt imprimere libros, ut eos postea vendant.*

1378 *Possunt emere aliquam materiam, ut indè arte factum per seipsos vendant.*

1379 *Non possunt materiam aliquam emere, ut indè artefactum per ministros conductos factum vendant, lucri intentione, ut si lanam emant, ut pannos à ministris conductis factos vendãt.*

1380 *Possunt emere agros, & vineas, animo eas locandi postea colonis.*

1381 *Idem dicendum est, si emant animalia animo postea ea locandi.*

1382 *Possunt emere agrum, in quo est vena ferri, ut indè ferrum per ministros conductos extractum vendant.*

1383 *Quos Regulares afficiat hæc prohibitio?*

DICO I. Regulares non possunt exercere mercaturam, seu negotiationem merè lucrativam, sub pœna excommunicationis, suspensionis, ac depositionis *ex Capite secund. extra ne Clerici vel monachi*; quas & alias pœnas innovat Tridentinum *sessione 22. capite 2.* imponitur etiam in *Capite ult. de vita & honestate clericorum*, ut perseverantes post trinam monitionem, amittant privilegium clericale immunitatis à tributis, quoad alia bona sua. 1362 1363

Circa quam prohibitionem nota PRIMO, hanc ultimam pœnam non incurrere Regulares negotiantes de bonis Monasterii, non enim est æquum, ut Monasterium privetur sua exemptione crimine unius; Ita Pellizzar. *Tract. 6. c. 10. n. 22.* 1364

SECUNDO nota, has pœnas non esse latæ sententiæ, sed ferendæ; ita cum Molina Lezana *Tomo 1. cap. 9. num. 39.* 1365

DICO II. Negotiationem hic Regularibus prohibitam esse illam, qua aliquid eo animo ut carius vendatur lucri causa: ex quo fit, ut si Regulares rem emant, ut consumant, & postea quia superfuit, vel illius pretium crevit, poterunt carius vendere sperantes vilius postea similem empturos; non enim in hac venditione est negotiatio, cùm non præsupponat emptionem ob finem venditionis factam, sed est quædam domestica gubernatio satis prudens, sic ex communi sententia tradit cum Molina, Cenedo, Sà, & aliis Palaus *Tract. 16. disp 4. p. 13. §. 3. num. 3.* 1366 1367

Et idem dicendum est, si facta fornace laterum ad usum Monasterii lateres, seu calcem exteris vendant, vel si ex officina aromataria facta ad usum Conventus, medicinas externis vendant; hæc omnia non ex intentione lucri fiunt, sed ad usum Monasterii, quod autem, quæ supersunt vendantur, 1368 1369

tur, per accidens est; ita cum aliis Pellizzarius *Tract. 6. c. 10. num. 16. & 17.*

1370 Et idem dicendum est, si agrum emant fructibus maturis plenum, ut sibi vel Conventui provideant, etsi quid superfuerit vendant; ita cum Mo-
1371 lina Palaus *ubi suprà*, quidquid dicat Lazarte cum Guttier. apud eumdem Palaum: vel si animalia emant ad effectum ea in propriis prædiis pascendi, & ubi ea fuerint grandiora, & saginata effecta vendendi, vel locandi; ita Palaus *ubi suprà num. 16.* ex Molina, Barbosa, & aliis. Et ratio est, quia in utroque casu lucrum non est fructus emptionis, sed naturæ suorum prædiorum, Lugo *de justitia Tomo 2. disp. 26. sect. 3. n. 29.*

1372 Possunt etiam greges habere, ut lac, lanam & fœtus vendant, non tamen possunt conducere alienos agros, ut fructus vendant, quia licet hoc
1373 non sit propriè negotiatio, est tamen illis specialiter prohibitum ex Concilio Carthaginensi 1. & 4. *relatis 21. quæst. 3. cap. 1. & 3.*

1374 Et idem est, si salinas conducant, ut sal indè vendant, si greges alienos conducant, ut lac, lanam, & caseum vendant; Lugo *ubi suprà n. 29.*

1375 An autem possint ex proprio tritico panes effi-
1376 cere, & ex vino acetum, ut postea vendant externis? respondeo affirmativè, cùm hoc solùm sit vendere fructus cum sua industria.

1377 Et idem dicendum est, si imprimant libros, ut postea vendant; Pellizzarius *Tract. 6. cap. 10. n. 18.*

1378 Dico III. Possunt Regulares emere materiam aliquam, ut indè artefactum per seipsos conficiant, & vendant; Ita Palaus *ubi suprà* ex Molina,
1379 Salas, & Gutierrez: non tamen possunt rem aliquam emere, ut indè artefactum per ministros vendant, ut si lanam emant, ut pannos ab artificibus conductis confectos vendant; Ita cum Molina, Gutierrez, & aliis Palaus *ubi sup. num. 4.* Ratio autem diversitatis in utroque casu est; nam Regulares vendendo illud artefactum per seipsos factum, non vendunt formaliter, quod emptum est, sed quod propria industria effectum est, Molina, quem refert, & sequitur Palaus *Tract. 12. disputat. unica de reverent. deb. Ecclesiæ p. 9. num. 17.* in secundo verò casu tantùm vendunt, quod emptum est, & fructus est emptionis non naturæ, aut propriæ industriæ, nam esto res vendita sit in aliam formam mutata, illa mutatio facta est à ministris conductis, ac proindè fructus est emptionis laboris ministrorum, ac per consequens negotiatio; Ita cum Molina, Palaus *ubi suprà*.

1380 An autem sit negotiatio Regularibus prohibita, emere agros, & vineas animo postea locandi colonis? respondeo negativè; Ita cum Molina, Lugo *ubi suprà num. 34.* & idem dicendum est, si emant animalia, animo postea ea locandi, non e- 1381
nim apparet major ratio; Ita Lugo *ubi suprà numero 34.* inclinat Diana *8. p. tra. 7. resol. 63.* dummodò hoc frequenter non fiat.

Addo posse Regulares emere agrum, in quo est 1382
vena ferri, ut indè per ministros conductos ferrum faciant, & vendant; Ita cum Molina, Lugo *ubi sup. n. 30.* nam hæc omnia postquam sunt empta, sunt propria illius, sicut si essent testamento relicta, animus verò vendendi postea fructus eorum non facit negotiationem, sicut non facit animus vendendi fructus rei legatæ, vel testamento relictæ.

Dico IV. Hæc prohibitio afficit omnes Regu- 1383
lares, etiam laicos, ejectos, vel promotos ad Episcopatum; nam hæc prohibitio non solùm est contra Regulares, sed etiam contra Clericos; Ita cum Filliucio, Silvestro, & aliis, Pellizzarius *ubi suprà n. 7.* licet Lezana *Tom. 1. cap. 10. nu. 5.* cum Molina Religiosos laicos ab illa excludat; è contra verò Turrianus *disp. 59. dub. 2. n. 6.* illam extendit etiam ad Novitios, sed immeritò, cùm hæc lex sit pœnalis, & in odiosis Novitii non soleant comprehendi nomine Religiosorum; Lugo *ubi suprà numero 25.* Plura circa hanc negotiationis materiam reperiet Lector apud Lezanam *Tomo 1. capite 9.* & *Tomo 2. cap. 4.* & maximè *Tomo 4.* verbo *Negotiatio quoad Regulares.*

§. 2.

De obligatione clausuræ, quam Regulares tàm jure communi, quàm ex obedientiæ voto tenentur observare.

1384 *Regulares jure communi, & naturali tenentur non exire è claustris sine Superioris licentia.*
1385 *Hæc clausura est diversa pro diversitate Religionum.*
1386 *Licentia ad exeundum debet esse specialis, & non sufficit generalis ex decreto* Clementis VIII
1387 *Secus esset dicendum secluso tali decreto.*
1388 *Dubium est, an tale decretum sit usu receptum?*
1389 *In nostra Religione, etiam secluso tali decreto, requiritur semper licentia specialis.*
1390 *Requiritur etiam, ut talis licentia sit expressa.*
1391 *Aliquando sufficit tacita, & interpretativa.*

1392 *Has*

1392 *Hæc obligatio est sub mortali.*

1393 *Datur in illa parvitas materiæ, & quæ illa sit?*

1394 *Prælati concedentes subditis licentiam commorandi extra Conventus sine causa, peccant mortaliter.*

1395 *Quid si exitus sit ad breve tempus?*

1396 *Urgentior causa requiritur pro Monachis, quàm pro Mendicantibus.*

1397 *Quæ causæ sufficientes censeantur?*

1398 *Quando conceditur hæc licentia sine causa, subditus illa utendo, non peccat mortaliter.*

1399 *Idem dicendum est de eo, qui habens licentiam ad eundum ad certum locum, ad alium divertit.*

1400 *Religiosi egredientes à Conventu, sive cum habitu, sive sine illo, animo deserendi statum Religiosum sunt apostatæ.*

1401 *Quid, si sic recedentes statim pœnitentiâ ducti revertantur?*

1402 *Quid si aliquis sciens suam professionem esse validam, contra illam reclamans recedat, animo non revertendi?*

1403 *Religiosi recedentes à Conventu, sive cum habitu, sive sine illo, animo revertendi, non sunt apostatæ, sed fugitivi, & vagi.*

1404 *Religiosi justè à suis Prælatis incarcerati, non possunt licitè è carceribus fugere.*

1405 *Limita, nisi tali Religioso pœna capitis, vel mutilationis esset imponenda.*

1406 *Vel si essent justè condemnati ad carcerem perpetuum, & ei necessaria ad vitam non suppeditarentur.*

1407 *Vel si pœna imposita fuisset injustè vel ordine juris non servato.*

1408 *Vel si delictum, ob quod secundùm allegata, & probata fuit punitus, re ipsa non commiserit.*

1409 *Vel si damnatus fuit ad triremes.*

1410 *Religiosus injustè vexatus sine ullo peccato, potest fugere etiam è carcere ad suum superiorem, si injustitia sit illi nota.*

1411 *Quid si fugiat ad amicum, ut eum deprecatorem habeat apud Prælatum.*

1412 *In hoc casu non est necessaria licentia Prælati inferioris, si timeatur illam denegandam.*

1413 *Confugiens ad suum Superiorem prop er vexationem, de jure communi, nullam pœnam incurrit.*

1414 *Bene tamen de jure speciali in nostro Ordine.*

1415 *Quas pœnas incurrant fugitivi, qui fugiunt sine habitu?*

1416 *Qui cum habitu fugiunt, exceptis aliquibus casibus, solum peccant mortaliter.*

1417 *In nostra Religione sic fugientes quas pœnas incurrant?*

1418 *Referuntur casus, in quibus Religiosi fugientes cum habitu, de jure communi, incurrunt excommunicationem.*

1419 *Apostatæ, qui fugiunt cum habitu de jure communi, nullam pœnam incurrunt, sed peccant mortaliter.*

1420 *Si delictum fuerit publicum, incurrunt etiam infamiam facti, non tamen juris.*

1421 *Apostatæ fugientes sine habitu, quas pœnas incurrant de jure communi?*

1422 *Non privantur exercitio Ordinum susceptorum ante apostasiam, nec exercitio minorum susceptorum tempore apostasiæ, neque promotione ad majores Ordines deposita apostasia.*

1423 *Gaudent privilegiis, & indulgentiis concessis proprio Ordini, si ad illarum consecutionem sint dispositi.*

1424 *Idem dicendum est, de privilegio fori, & canonis, & immunitate à gabellis.*

1425 *Apostata reversus ad Religionem, postquam bonam opinionem recuperavit, potest eligi ad prælaturas de jure communi.*

1426 *Quid dicendum sit de jure speciali?*

1427 *De jure speciali omnes apostatæ incurrunt ipso facto excommunicationem.*

1428 *Possunt ubique apprehendi à suis Superioribus, etiamsi ab Episcopis, vel in Romana curia detineantur.*

1429 *Qui ter apostatavit, potest ejici à Religione.*

1430 *In nostra Religione, qui semel apostatavit, si perduraverit per annum in apostasia, potest ejici è Religione.*

1431 *Recipientes, vel dantes consilium, vel favorem apostatis, vel fugitivis, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ Papæ reservatam, exceptis Episcopis.*

1432 *Contra illos etiam, si sint Principes, possunt Religiosi procedere per suos Conservatores.*

1433 *Hæ censuræ non afficiunt recipientes, vel detinentes apostatas, titulo consanguinitatis, amicitiæ &c.*

DIco I. Regulares, non solùm jure positivo, ut patet ex pluribus decretis Conciliorum, & 1384
Pontificum, quorum aliqua refert Suar. *Tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 6. nu. 5.* sed etiam jure naturali, supposita Professione, & ex voto obedien-

tiæ obligati sunt claustrum non exire absque li-
centia Superioris ; ita Suar. *ibidem numero* 8. Pa-
laus *Tract.* 16. *disput.* 4. *p.* 7. *num.* 2. Pellizzarius
Tract. 5. *cap.* 6. *num.* 2. Ratio est, quia per profes-
sionem traduntur Religiosi Prælato, ut ab illo gu-
bernentur, sed qui è Monasterio absque Prælati li-
centia exit ab hac gubernatione se subtrahit : ergò
deficit in hac obligatione.

Dico II. Hæc clausura non est ejusdem ratio-
1385 nis in omnibus Religionibus , sed diversa pro di-
versitate Religionum : in Mendicantibus namque
minor est quàm in Monachis, & inter Monachos,
major in Carthusianis quàm in aliis ; Pellizzarius
ubi suprà numero 6. & in nostra Religione major
est clausura , quæ datur in Eremis, quàm in a-
liis Conventibus ; nam Religiosis in Eremo exi-
stentibus in nullo casu licitum est ab illa exire, ex-
cepto Procuratore, & hoc solùm pro rebus ad su-
um officium pertinentibus , ut patet *ex* 2. *p. nostra-
rum Constitutionum cap.* 11. §. 3. *num.* 2. in aliis ve-
rò Conventibus possunt Religiosi è Conventu ex-
ire de licentia suorum Prælatorum , ad Confessio-
nes, & Prædicationes, ad petendas eleemosynas, &
similia opera pietatis.

1386 Dico III. Hæc licentia semper debet esse spe-
cialis, & non sufficit generalis , admisso decreto
Clementis VIII. hac de re edito , ab Urbano
VIII. confirmato, quod refert Lezana *Tomo* 1. *capi-
te* 16. *num.* 5. Secus namque dicendum esset, seclu-
1387 so tali decreto, de quo an sit usu receptum maxi-
mè dubitat Pellizzarius *ubi supra numero* 4. Sed
1388 hoc etiam secluso tali decreto, non procedit in no-
stra Religione , in qua semper requiritur licentia
1389 specialis, ut patet *ex* 1. *p. nostrarum Constitutionum
cap.* 9. *num.* 10. ut etiam de sua fatetur Peyrinis *de
R. S. quæst.* 1. *cap.* 4. Requiritur etiam, ut licentia
1390 sit explicita, aliquando tamen sufficit tacita, & in-
1391 terpretativa , ut si Religiosus exiret ad absolven-
dum aliquem moribundum, ad defendendum ali-
quem innocentem, subveniendum domui vicinæ
comburenti ; nam cùm in his, & similibus casibus,
concurrat præceptum charitatis, & aliàs detur pe-
riculum in mora , debet anteponi præcepto obedi-
entiæ ; Suarez *Tom.* 4. *de Religion. tractat.* 8. *libro* 1.
cap. 6. *num.* 11.

1392 Dico IV. Obligatio, quam Regulares habent
non exeundi extra Monasteria absque Prælati li-
centia ex genere suo est gravis, obligans sub mor-
tali, nisi excusetur ratione parvitatis materiæ ; ita
1393 Suarez *ubi suprà lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 6. Lezana *ubi
supra numero* 2. Pellizzarius *loc. cit. num.* 10. quid-
quid in contrarium dicat Miranda *Tomo* 1, *quæstio-
ne* 32. *art.* 2. Ratio est, quia ut supra diximus, Re-
ligiosi ex voto obedientiæ tenentur hujusmodi
clausuram observare, sed obligatio voti obedien-
tiæ ex sui natura est gravis , nisi excusetur ratione
parvitatis materiæ : ergò hæc obligatio ex genere
suo est gravis.

Sed quæres, quando hæc egressio absque Præla-
ti licentia judicanda sit levis ratione parvitatis
materiæ ? Respondeo talem deberi judicari : *pri-
mò*, quando abest scandalum, vel infamia , tam
Religiosi exeuntis , quàm Religionis. *Secundò*,
quando extra domum exiens non pernoctat ; nam
existentia nocturna extra monasterium, absque li-
centia Prælati, gravem infamiam causat. *Tertiò*,
quando modus usitatus exeundi à Conventu ob-
servatur ; undè si duo Religiosi per communem
januam sine licentia exirent , modo solito paulò
post redituri, seclusa mortali intentione, in eo e-
gressu , & secluso speciali præcepto , quod fortè
impositum sit, non est peccatum mortale ; Pelliz-
zarius *ubi supra num.* 11. Idem dicendum est , si u-
nus tantùm exiret in illis Religionibus, in quibus
non solent associati incedere ; Palaus *ubi sup. n.* 2.
Suarez *ubi suprà n.* 10.

Dico V. Prælati concedentes licentiam suis
subditis commorandi extra Conventum absque 1394
justa causa peccant mortaliter ; ita Navar Bordon.
Miranda, quos refert, & sequitur Peyrinis *de R. S.
q.* 1. *cap.* 23. Suar. *Tomo* 4. *de Relig. tract.* 8. *cap.* 7.
lib. 3. *num.* 7. & cum aliis Tamburinus *de jure Ab-
batum Tom.* 3. *disp.* 8. *quæsit.* 6. *num.* 6. Ratio est,
quia Religiosi jure communi , imò & naturali,
supposito voto, ut suprà diximus, tenentur in suis
Conventibus commorari, sed inferior absque cau-
sa non potest dispensare in lege Superioris : ergò 1395
Prælati licentiam non possunt concedere sine ali-
qua causa. Dixi, *commorandi extra Conventum* ;
nam si exitus sit ex ordinariis, ad breve tempus, eti-
amsi fiat sine causa , tantùm erit culpa venialis ;
Suarez *loc. cit. n.* 8.

Adverte tamen cum Suario ubi supra, quod li-
cet semper aliqua causa requiratur ad hoc, ut Re-
ligiosi degant extra suos Conventus , urgentio- 1396
rem tamen requiri pro Monachis, quam pro Men-
dicantibus ; nam hi cum ex suo instituto pro- 1397
fiteantur bono proximorum consulere , minor
causa sufficiens erit , ut talis egressus licitus sit,
undè aliquando sufficere potest ratio honestæ a-
micitiæ , vel moderatæ recreationis , ut red-
dat causam rationabilem , quæ in Monachali

ſtatu fortaſſe non ſufficeret ; Ita Suarez *nu-*
mero 9.
1398 Dico VI. Licet Prælati, dando licentiam ſub-
ditis commorandi extra Conventum, abſque ul-
la cauſa, peccent mortaliter, Religioſi tamen illa
utentes non peccant mortaliter adverſus præce-
ptum clauſuræ : eſto aliundè peccent poſtulando
illam ſcilicet, vel ad eam cooperando ; Ita Palaus
Tract. 16. *diſp.* 14 *p.* 7. *n.* 4. Ratio eſt, quia quo-
modocumque licentia à Prælato concedatur, Re-
1399 ligioſus eſt ſub regimine Prælati & non extra. I-
dem dicendum exiſtimo, ſi Religioſus habens li-
centiam eundi ad certum oppidum, divertit ad
aliud, ſi aliàs non detur præceptum particulare ali-
cujus Religionis ; nam cùm talis Religioſus ſit ex-
tra Conventum per totum illud tempus, ut ſup-
pono, de Prælati licentia, digreſſio ad hunc, vel
illum locum, tantùm eſt contra obedientiam,
non verò contra hoc præceptum clauſuræ, undè
tantùm erit peccatum veniale.
1400 Dico VII. Religioſi egredientes è Conventu,
ſive cum habitu, ſive ſine illo, abſque licentia, ani-
mo deſerendi ſtatum religioſum ſunt apoſtatæ.
Tamburinus *Tom.* 3. *diſp.* 7. *quæſito* 1. *n.* 2. & alii
1401 communiter ; quod ſi recedat animo deſerendi ſta-
tum Religioſum, ſed ſtatim pœnitentiâ ductus re-
vertatur, erit quidem apoſtata in foro interno, non
tamen talis in foro externo cenſebitur ; nam qui ab
aliquo loco diſcedit, & ſtatim redit non cenſetur
receſſiſſe ; ita Maſcardus, quem refert & ſequitur
Fragoſus 2. *p. lib.* 11. *diſp.* 24. §. 14. *num.* 2. Licet
contrarium teneat Moronius *conſil.* 86. *numer.* 14.
ſi de delicto conſtet in foro externo.
1402 Idem dicendum eſt de eo, qui reclamat contra
ſuam profeſſionem, ſciens fuiſſe validam, cùm à
Religione recedat animo deſerendi illam ; Bonaci-
na, quem refert & ſequitur Belaſius *verbo* apoſtata
num. 22. Bordon. *reſol.* 41. *nu.* 7. ubi addit egreſ-
ſum per ſemihoram, ac mox revertentem non in-
currere pœnas apoſtaſiæ, licèt aliàs interius peccet
ratione parvitatis materiæ.
1403 Dico VIII. Religioſi recedentes è Conventu
ſine licentia, ſive cum habitu, ſive ſine illo animo
tamen revertendi, non ſunt apoſtatæ, ſed fugitivi,
& vagi ; ita Bannes, Aragonius, quos refert & ſe-
quitur Belaſius *verbo* fugitivus *numero* 1. & alii
communiter, quod verum eſt, etiamſi exeant cum
intentione vagandi per multum tempus v. g. trium
vel quatuor annorum, & ultrà, ſi ſemper habeant
animum revertendi ; ita Graffius, Sanch. Bannes,
Aragonius, & alii, quos refert & ſequitur Peyrinis
de R. S. q. 1. *cap.* 26. *notabili* 2. licet contrarium
cum Suar. & aliis teneat Tamburin. *Tom.* 3. *diſp.* 3.
quæſt. 1. *num.* 13. Ratio autem eſt, quia apoſtaſia
conſiſtit in animo deſerendi in perpetuum ſtatum
religioſum, ſed hi fugitivi ſemper habuêre ani-
mum revertendi : ergò non fuêre veri apoſtatæ.
Dico IX. Religioſi juſtè à ſuis Prælatis carce- 1404
ribus mancipati, non poſſunt licitè ab illis fugere ;
ita communiter DD. apud Tamburinum *Tomo* 3.
diſputat. 8. *quæſito* 2. *n.* 1. & noſtrum Petrum ab
Angelis 1 *part.* Judicis Regular. *cap.* 23. *num.* 16.
Limita tamen, niſi tali Religioſo pœna capitis vel 1405
mutilationis imponenda eſſet ; nam tunc, etiamſi
daretur novum præceptum Superioris in carcere
manendi, adhuc licitè fugere poſſet, quia in tali
caſu deſiderium vitæ conſervandæ jus fugiendi
præbet, Silveſter, Sotus, Vazq. Leſſius, Sanchez,
quos refert & ſequitur Tamburinus *ubi ſupra n.* 3. 1406
Et idem dicendum eſt de juſtè condemnato ad
carcerem perpetuum, ſi illi neceſſaria ad vitam in
carcere negarentur, vel ſi pœna impoſita fuit inju- 1407
ſtè nullo ordine juris ſervato ; Ita Navar. Sayrus,
Rodrig. Sanch. quos refert & ſequitur Tamburi-
nus *ubi ſupra n.* 4.
Et idem dicendum eſt, quando ſecundùm alle- 1408
gata & probata juſtè condemnatus fuit, ſi aliàs co-
ram Deo eſſet innocens, vel certè pœna non adeò
acerba dignus ; nam ſententia eſt veluti lex, lex
autem non obligat ad id quod eſt contrarium fini
legis, cùm ergò finis ſententiæ ſit punire delicta,
ſi delicta reipſa non ſint, non obligat : ita com-
muniter DD. apud Leſſium *de juſtit. cap.* 3. *libro* 2.
dub. 4. *n.* 24. Tambur. *ubi ſup. n.* 4.
Idem dicendum eſt de Religioſo damnato ad 1409
triremes, ſive in perpetuum, ſive ad tempus, ſi ab
illis fugiat ; ita Bannes, Bonacina, quos refert, &
ſequitur Tamburinus *ubi ſupra numero* 9. Pelliz-
zarius *Tract.* 8. *cap.* 8. *numer.* 48 quidquid in con-
trarium dicant Sayrus, & Sanchez apud Bonaci-
nam *de clauſura quæſt.* 2. *part.* 11. §. 5. *n.* 8. Ratio
autem eſt, quia hæc pœna graviſſima eſt, & velu-
ti mors perpetua reputatur *L. ſervitutem ff. de regu-*
lis juris : ergò ſicut licitum eſt fugere condemnato
ad mortem, ita & condemnato ad triremes : hinc
fit multò à fortiori poſſe damnatum ad triremes
è carcere fugere, ut vadat ad Superiorem, vel Pon-
tificem veniam petiturus ; ita Bannez, quem refert
& ſequitur Lezana *Tom.* 1. *capit.* 16. *n.* 10. propter
eamdem rationem.
An autem Religioſus vexatus injuſtè à ſuo Præ- 1410
lato, poſſit non ſolùm ſine nota fugitivi vel Apo-

ſtatæ, ſed etiam ſine ullo peccato fugere ad ſuum Superiorem? Reſpondeo affirmativè, ſi de tali injuſtitia illi evidenter conſtet; Ita Navarr. Rodrig. Sanchez, Coriolanus, & alii, quos refert, & ſequitur Peyrinis *de R. S. quæſtione* 1. *capite* 26. *notabili* 2. Lezana *Tomo* 1. *capite* 16. *numero* 8. Sayrus, Baldus, & alii, quos refert, & ſequitur Tamburinus *Tomo* 3. *diſputatione* 8. *quæſito* 2. *numero* 5.

1411 Ratio eſt, tùm, quia jus defenſionis eſt naturale; tùm, quia in hoc caſu præſumitur licentia Prælati ſuperioris; nec diſceſſus à Conventu in hoc caſu eſt contra Tridentinum *ſeſsione* 25. *de Regularibus capite* 14, nam Concilium non loquitur de Religioſis ſic iniquè gravatis. Navarr. Sayrus, quos refert, & ſequitur Lezana *ubi ſuprà numero* 9. Et idem dicendum eſt de Religioſo ad amicum, vel alium confugiente, ut eum deprecatorem apud Superiorem habeat; Ita Boſſius, D. Antonin. Riccius, quos refert & ſequitur Tamburinus *ubi ſupra num.* 6.

1412 An autem in hoc caſu debeat talis Religioſus fugiens ad Superiorem, prius poſtulare licentiam à Prælato inferiore? Reſpondeo negativè, ſi prudenter timeat Prælatum eam ſibi denegandam; Navarr. Suarez, quos refert, & ſequitur Pellizzarius *ubi ſup. n.* 16. & N. Petrus ab Angelis *loc cit. num.* 19.

1413 An verò in hoc caſu ſic fugiens incurrat aliquam pœnam? Reſpondeo de jure communi nullam incurrere; Ita Pellizzarius *ubi ſupra nu.* 17 De jure

1414 tamen ſpeciali, videnda ſunt ſingularum Religionum ſtatuta. In noſtra Carmelitana diſcalceata, voce & loco talis caret per duos menſes, & carceri per quindecim dies mancipatur, ut patet ex 4. *p. noſtrarum Conſtitutionum c.* 4. §. 6. *n.* 2.

1415 Sed quæres, quas pœnas incurrant fugitivi? Reſpondeo fugitivos dupliciter fugere poſſe, vel cum habitu, vel ſine illo, qui ſine habitu fugiunt, incurrunt excommunicationem latam in *capite* 2. *ne clerici vel monachi* de qua *infrà*: qui verò cum habitu fugiunt, exceptis aliquibus caſibus expreſſis in jure, præter peccatum mortale nullam aliam pœnam de jure communi incurrunt; Lezana *Tom.* 1. *c.* 16. *n.* 11. Pellizzarius *ubi ſup. nu.* 8.

1416 Nec obſtat *c.* 2. *ne clerici, vel Monachi in* 6. quod ab aliquibus affertur; nam tantùm loquitur de recedente ſine habitu, vel de accedente ad ſtudia ſine licentia; Suarez *Tom.* 4. *de Relig. tractat.* 8. *libro* 3. *cap.* 1. *nu.* 9. Undè videnda ſunt ſpecialia Religio-

1417 num ſtatuta: in noſtra Religione tales diſcedentes à Conventibus ſine licentia, ſi noctu fiat egreſſus excommunicatione feriuntur, & ut apoſtatæ habentur: ſi verò die, niſi infra octavum diem redierint, ipſo facto manent excommunicati, & ut apoſtatæ puniendi, & habendi ſunt, ut patet ex 4. *p. noſtrarum Conſt. c.* 4. §. 6. *num.* 1.

Dixi, *aliquibus caſibus exceptis*; nam Religioſi ſe transferentes ad partes ultramarinas, ubi ſunt 1418 pauci fideles, abſque licentia ſuorum Prælatorum, incurrunt excommunicationem reſervatam *in Extravaganti* Ad noſtrum *de Regularibus*, & accedentes ad ſtudia abſque licentia, incurrunt excommunicationem non reſervatam *in cap.* 2. *ut periculoſa ne clerici vel monachi in* 6. & ſe conferentes extra Monaſterium ad audiendas Leges, aut Medicinam, incurrunt excommunicationem non reſervatam, latam *in Cap. magnopere.* Et accedentes ad Curias Principum ſine licentia, ad effectum nocendi ſuis, incurrunt excommunicationem non reſervatam, in *Clementina in agro de ſtatu Monachorum* §. *quia verò*, de quibus omnibus *ſuprà* latè egimus.

Si tandem quæras, quas pœnas incurrant apo- 1419 ſtatæ? Reſpondeo apoſtatas eſſe in duplici differentia; alii namque fugiunt cum habitu, alii ſine illo, qui cum habitu apoſtatant de jure communi nullas pœnas, aut cenſuras incurrunt ipſo jure; ita Navarr. Suar. quos refert, & ſequitur Palaus, quidquid dicat cum aliis Peyrinis *de R. S q.* 1. *capite* 26. *dist.* 1.

Nec obſtat text *in c.* 2. *ne clerici vel monachi in* 6. nam ibi tantùm ponitur excommunicatio dimittentibus habitum. Nec etiam favet tex. *in Cap. fin. de apoſtaſia.* ubi recipientes Ordinem ſacrum in apoſtaſia, ab illius executione ſuſpenduntur, quouſque à Pontifice cum illis diſpenſetur, ita ut non ceſſet hæc ſuſpenſio per reditum ad Religionem, niſi per Papæ vel Prælati regularis diſpenſationem, ut cum Sanch. & aliis tenet Peyrinis *ſup.* verſiculo *Dixi.* Tùm, quia hæc ſuſpenſio non eſt poſita propter apoſtaſiam, ſed ob crimen recipiendi Ordines in eo pravo, & infami ſtatu, tum quia iſte textus eſt Concilii Provincialis, ac proindè non potuit extra Provinciam præceptum, aut pœnam ferre, ut docet Suar. *de cenſur. Tom.* 5. *diſp.* 31. *ſect.* 6. *n.* 1. Sanch. *lib.* 6. *c.* 8. *n.* 29.

Nec obſtat Bulla Pauli IV. in qua apoſtatas à Religione ſuſpendit in perpetuum ab omni Eccleſiaſtici Ordinis executione & ab omni gradu, omnibuſque beneficiis obtentis, & eorum fructibus, & eos inhabiles reddit ad quoſcumque gradus, & beneficia in poſterum obtinenda; nam

nam hujusmodi Bulla non fuit recepta, teste Sanchez *lib. 6. Summa cap. 8. numer. 30.* Palao *ubi supra numer. 13.* Nec obstat *cap. alieni 2. q. 8.* in quo propter hoc crimen imponitur infamia; nam talis pœna non ponitur ipso jure, sed post sententiam
1420 judicis, Suarez *de Relig. t. 4. tract. 8. cap. 2. libro 3. numero 31.* Adverte tamen hoc procedere de infamia juris; nam si delictum sit publicum propter ejus gravitatem sufficit ad infamiam facti; Suarez, *ubi supra n. 31.*

1421 Illi verò, qui fugiunt sine habitu, incurrunt excommunicationem *in capit. ne clerici, vel monachi* suntque infames, & ut tales non possunt admitti ut testes, imò sunt irregulares, cùm quilibet infa-
1422 mis sit irregularis, ut tradunt communiter DD. apud Belasium verbo *Apostata*, non tamen privantur exercitio sacrorum Ordinum susceptorum antè
1423 apostasiam, nec exercitio minorum susceptorum tempore apostasiæ, neque à promotione ad majores Ordines, deposita apostasia; ita Sanch. quem
1424 refert & sequitur Pellizzarius *Tract. 8. c. 8. nu. 71.* imò gaudent privilegiis, & indulgentiis concessis proprio Ordini, si alioquin ad earum consequutionem sint dispositi.

Idem dicendum est de privilegio fori & canonis, & de immunitate à gabellis, cùm nullum jus extet eos talibus privans privilegiis; nam Tridentinum *sess. 25. de regularibus c. 16.* solùm loquitur de illis apostatis, qui dimittentes habitum prætendunt suas professiones esse nullas, quod decretum cum sit pœnale non debet extendi ad alios apostatas, in quibus hæ conditiones non concurrunt; ita Sanch. *lib. 6. capit. 8. num. 34.* Pellizzar. *loc. cit.*

1425 An autem apostata reversus ad Religionem postquam bonam opinionem recuperavit possit eligi ad prælaturas Ordinis? negant multi, quos refert Sanchez *in Decal. lib. 6. c. 8. n. 31.* Verùm
1426 stante jure communi affirmativè respondeo; ita cum Azor. & aliis Sanch. *ibid.* Pellizzar. *ubi supra n. 73.* nullum enim jus extat talem pœnam imponens; nam *cap. perpetuas de voto*, non facit ad rem: cùm non de culpa præterita, sed præsenti loquatur. Dixi, *stante jure communi*; nam de jure speciali consulat unusquisque sua Statuta: in nostra namque Religione, qui verè fuit apostata, non potest eligi ad aliquam prælaturam, ut patet *ex 4. p. nostrarum Constitutionum c. 4. § 6. n. 3.*

1427 Licet autem hæc ita sint de jure communi, de jure tamen speciali omnes prædicti apostatæ incurrunt ipso facto excommunicationem propter varia privilegia Religionum, quibus summi Pontifices prædictos apostatas excommunicatione afficiunt, de quibus Cassarubias *in Compendio* 1428
verbo *apostata.* Sanchez *libro 6. in Decalog. capit. 8. num. 20.*

Possunt quoque ubique à suis Prælatis apprehendi, etiamsi ab Episcopis detineantur, vel in Romana curia, invocato, si opus fuerit, brachio sæculari, ut advertit cum Rodrig. Peyrinis *ubi sup. dicto 6.* & patet ex Bulla Pii V. quam refert Lezana *Tom. 1. cap. 16. num. 16.* imò si ter quis fuerit apostata, ejici potest ab Ordine; ita Portel *in dubiis regularibus verbo* apostata *num. 5.* & quoad nostros 1429
idem dicendum est, quando per integrum annum permanserit in apostasia, ut patet *ex 4. nostrarum* 1430
Constitutionum cap. 4. §. 6. n. 3. quod etiam videtur approbare Portel *ubi supra.*

Dico tandem, recipientes, vel dantes auxilium, 1431
consilium, vel favorem Religiosis apostatis, vel fugitivis, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, Papæ reservatam, exceptis Episcopis, ita concessit Julius II. in favorem Augustinianorum: idem patet ex aliis indultis, relatis à Cassarub. *verbo* apostata *num. 26.* Dixi, *exceptis Episcopis*, quia hi habent privilegium jure communi, ut non possint excommunicari, nisi expressa mentio de illis fiat, ut patet ex Trident. *sess. 24. c. 5. & ex cap.* Sedes Apostolica *de rescriptis*, includuntur tamen omnes Principes, Duces, aliique magnates, contra quos possunt Prælati Religionum procedere cum censuris per suos Conservatores, ut patet ex 1432
Bulla Pii II. pro Carmelitis; ita Miranda *Tom. 1. in Manuali q. 51. art. 2.* Lezana *Tom. 1. cap. 16. n. 51.* Pellizzar. *Tr. 8. c. 8. n. 78.*

Adverte tamen prædictas censuras, positas con- 1433
tra eos, qui recipiunt, detinent, vel occultant apostatas, non incurrere illos, qui prædicta faciunt ratione consanguinitatis, amicitiæ, vel necessitatis, aut alio simili titulo; ita Miranda *1. p. q. 52. art. 2.* Pellizzarius *loc. cit. n. 79.* Rodrig. quem refert, & sequitur Peyrinis *ubi supra dicto 5.* versiculo *Notat autem.* Ratio est, quia urgentior est censura Bullæ Cœnæ lata contra auxiliantes, & recipientes hæreticos, & tamen communiter Doctores excusant recipientes, vel retinentes hæreticos, ratione consanguinitatis, &c. ergò idem à fortiori dicendum erit in præsenti casu. Sed de hoc & aliisque pœnis Apostatis, ac fugitivis debitis, vide uberius disserentem supracit. Petrum ab Angelis *libro citato, cap. 25. §. 6.*

§. 3.

§. 3.

De obligatione, quam habent Regulares non se immiscendi actibus forensibus, seu judicialibus.

1434 *Religiosi non possunt esse judices arbitri in aliqua causa, nisi interveniat utilitas Monasterii & licentia Prælati.*

1435 *Secùs facientes peccant mortaliter.*

1436 *Quid veniat nomine utilitatis Monasterii?*

1437 *Nomine licentiæ venit non solùm expressa, sed etiam tacita.*

1438 *Prælati Minorum non possunt hanc licentiam præbere.*

1439 *Hæc licentia debet præcedere acceptationem officii, non tamen institutionem.*

1440 *Quis debeat præbere talem licentiam?*

1441 *Officium judicis à Religioso susceptum sine licentia, est validum, si à Prælato non irritatur, potest tamen ab eo irritari.*

1442 *Religiosi etiam in una tantùm causa munus judicis acceptantes, contraveniunt huic prohibitioni.*

1443 *Prælati Religionum possunt eligi in judices Conservatores.*

1444 *Nostri Prælati non possunt eligi in judices Conservatores, nisi de expresso mandato Papæ.*

1445 *Religiosi, si detur licentia Prælati, & utilitas Monasterii, possunt esse judices assessores.*

1446 *Si de facto sine licentia tale munus acceptent, sententia tenet, etsi Fratres sint Franciscani.*

1447 *Idem dicendum est, si Religiosus judex Arbitrator eligatur.*

1448 *Quid si judex Arbiter eligatur?*

1449 *Religiosi, si detur licentia Prælati, & utilitas Monasterii, non tamen aliter possunt esse advocati in judicio, aut procuratores pro sæcularibus, in causis civilibus, non tamen in criminalibus.*

1450 *Coram judice verò Ecclesiastico etiam in causis criminalibus.*

1451 *Quos Regulares comprehendat hæc prohibitio?*

1452 *Contravenientes huic prohibitioni, etiamsi tantùm sit in una causa, peccant mortaliter.*

1453 *Officium advocati, & procuratoris illicitè susceptum, est validum, dùm à Prælato non irritatur.*

1454 *Religiosus sine licentia Prælati electus in procuratorem, non potest validè alium procuratorem substituere.*

1455 *Potest tamen illum substituere de licentia Prælati, etsi non detur utilitas Monasterii.*

1456 *Si tantùm fuerit simplex nuntius constitutus, potest nominare vice alterius procuratorem.*

1457 *Extra judicium potest munus Advocati, & Procuratoris exercere.*

1458 *Religiosi etiam de licentia Superioris, non possunt in causis sæcularium exercere officium Tabellionis.*

1459 *Hæc prohibitio est sub mortali.*

1460 *Monachus, qui in sæculo fuit Tabellio, potest posteà signare instrumenta, quæ in sæculo fecerat.*

1461 *Imò, & alia nova validè conficere.*

1462 *Imò in casu necessitatis etiam licitè.*

1463 *Religiosi possunt munus Tabellionis exercere in casibus sanctæ Inquisitionis.*

1464 *Possunt etiam à suis Superioribus constitui notarii publici, pro intimandis privilegiis, & indultis pontificiis Ordini concessis.*

1465 *Religiosi, etiam de licentia suorum Superiorum non possunt esse Tutores vel Curatores, sive tutela sit testamentaria, sive dativa, sive legitima.*

1466 *Religiosus sine Superioris licentia, non potest exercere munus Executoris testamenti, vel alterius cujuscumque ultimæ voluntatis, benè tamen de ejus licentia, nisi detur lex specialis in contrarium.*

1467 *Minores de observantia etiam de licentia Prælati non possunt obire hoc munus.*

1468 *Hæc prohibitio est sub mortali.*

1469 *Hanc licentiam potest præbere quilibet Prælatus, etiam immediatus, si non detur lex in contrarium.*

1470 *In nostra Religione, & Societate solus Generalis potest hanc licentiam concedere.*

1471 *Si noster, vel Societatis Religiosus de facto tale officium de sola licentia Prælati immediati acceptet, non peccaret mortaliter.*

1472 *Potest etiam tale munus acceptare, cum conditione,* si Generalis consenserit.

1473 *Prælatus, qui potest dare hanc licentiam, ea uti poterit.*

1474 *Concessâ tali licentiâ, & acceptatâ, non potest amplius à Prælato revocari, benè tamen si non fuerit acceptata.*

1475 *Subditus, qui hanc licentiam petivit, & obtinuit,*

nuit, non potest non illam acceptare, & cogi potest ad eam acceptandum.

1476 *Cœptum officium Executoris non potest à Monasterio vice Religiosi exequi.*

1477 *Si legatum relinquatur cum conditione, ut quidam Religiosus illud distribuat in pauperes, quos elegerit, Prælatus eo inscio, vel invito, non potest facere talem pauperum electionem.*

1478 *Religiosi Executores testamenti quantumvis exempti, tenentur reddere rationem Episcopo, & in hac re delinquentes ab illo debent puniri.*

1479 *Executio testamenti à Religioso facta sine licentia, licet sit illicita, est valida.*

1480 *Religiosi etiam Franciscani licitè, & validè possunt eligi in commissarios ad condendum testamentum, & nominandos Executores, & personas, quibus legata distribuenda sint, & ad præbendum consilium Executoribus, nisi habeant legem in contrarium.*

1481 *Religiosus non potest esse Actor, & Reus in judicio, in rebus civilibus.*

1482 *In criminalibus, ut intentet actionem, requiritur licentia Superioris.*

1483 *Remissio injuriæ factæ Monacho non à Monacho, vel ab ejus parte, sed à Conventu facienda est.*

1484 *Actio injuriarum illatarum Patri, vel Filio Monachi, non Monacho, vel Conventui, sed ejus consanguineo competit.*

1485 *Si Monachus delinquat, non Conventus, sed ipse Monachus conveniendus est.*

1486 *Numerantur casus, in quibus Regulares, sine licentia Superioris, possunt agere in judicio ex licentia à jure concessa.*

1487 *In his casibus, in quibus Regulares sine licentia possunt apparere in judicio, possunt constituere procuratorem.*

1488 *Imò in omnibus illis tenetur Religio præbere alimenta ad litem, si alias ipse peculium non habeat.*

1489 *Religiosi possunt esse testes, tàm judiciales, quàm cujuscunque instrumenti.*

1490 *Non possunt præbere testimonium coram judice sæculari sine licentia.*

1491 *Hæc licentia in casu criminali dari non debet, nisi deficiant alii testes, & testimonium sit necessarium ad liberandum Reum à morte, vel gravi damno.*

1492 *In hoc casu possunt etiam cogi à suis Prælatis.*

1493 *Si Religiosus testificetur coram judice sæculari, tenet testimonium, peccabit tamen mortaliter.*

1494 *Nullus Religiosus sine licentia Prælati, & utilitate Monasterii, & consensu majoris partis Capituli potest fidejubere.*

1495 *Debet etiam præcedere licentia Sedis Apostolicæ, ubi hæc licentia postulari consuevit.*

1496 *Si sine prædictis licentiis Religiosus fidejubeat, peccat mortaliter, & factum non tenet.*

1497 *Religiosi possunt validè munus depositarii suscipere.*

1498 *Illud suscipientes sine licentia saltem præsumpta, peccant mortaliter.*

1499 *Nostri Religiosi habent legem hoc illis prohibentem.*

1500 *Conventus non tenetur de deposito culpa Religiosi, etiam Prælati amisso, etsi licentia illius susceptum fuerit.*

1501 *Quando depositum de consensu Conventus susceptum fuit, tenetur Conventus solvere depositum sua culpa amissum.*

1502 *Prælatus potest depositum apud Monachum existens auferre, & apud se retinere de licentia domini, non tamen sine illa.*

1503 *Potest tamen Religioso interdicere, ne apud se depositum habeat.*

1504 *Si videat subditum in observatione depositi delinquentem, tenetur eum corripere, aliàs tenebitur illud restituere.*

DIco I. Religiosi non possunt esse judices, etiam arbitri in aliqua causa, nisi concurrant simul, 1434
& licentia Prælati, & utilitas Monasterii; ita communiter Doctores apud Lezanam *Tom. 1. capite 9. n. 14.* paretque ex *C. monachi 2. 16. q. 1.* & Cap. *de præsentium 16. quæst. 1.* & Cap. 2. *de postulando.* Undè aliter facientes peccant mortaliter, cùm prohibitio sit in re gravi; Sanc. *l. 6. in decal. cap. 13. n. 56. & 10.* Nomine autem utilitatis Monasterii, venit etiam illa, quæ indirectè provenit Monasterio, ut 1435
si Religiosus subeat munus judicis pro intimo Monasterii amico, eique valdè utili, & quando ma- 1436
gna Monasterii indigentia urgeret ad tale lucrum procurandum, aut quando Monasterium sentiret grave damnum ex omissione, non annuendo votis amici aliàs utilissimi; Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 13. num. 13.*

Nomine autem licentiæ venit non solùm expressa, sed etiam tacita, dummodò sit à persona potente illam concedere, per quod excluduntur Franciscani quibus ipsorum Prælati non possunt talem concedere licentiam, etiam, ut sint judices arbitri, propter Clementinam *Exivi*, &

idem dicendum est de aliis , quibus hoc per spe-
1437 ciales Religionis Constitutiones est prohibitum
Sanchez *lib. 6. Decalog. capite* 13. *num.* 66. Debet
1438 autem talis licentia præcedere acceptationem offi-
cii , non tamen est necesse , quod præcedat in-
1439 stitutionem. Undè potest quis institui Judex Pro-
curator , vel Advocatus antequam postuletur li-
centia, antequam tamen talis Religiosus acceptet
1440 talem institutionem , debet præcedere licentia :
denique talis licentia non ab Episcopo , vel à
Conventu,sed à Generali, Provinciali,vel saltem à
Prælato locali tribuenda est ; Pellizzarius *Tract.* 6.
cap. 12. *num.* 4.

1441 An autem officium Judicis indebitè à Religio-
so susceptum sit validum ? Negant Sanchez , Lay-
man , & alii apud Palaum statim citandum : ve-
rùm affirmativa sententia , dum tale officium à
Prælato non irritatur , verior est , potest tamen ab
eo irritari , ob potestatem , quam habet in volun-
tatem Religiosi ; Palaus *Tract.* 16. *disp.* 4. *part.* 12.
§. 4. *num.* 2.

An autem Religiosi pro una tantùm causa acci-
1442 pientes munus Judicis, contraveniant huic pro-
hibitioni ? Respondet affirmativè Palaus *ubi suprà*
§. 3 *numero* 5. licet Salzedo, Felinus, Lopez, & a-
lii apud eundem Palaum contrarium teneant, sin-
gularis enim causæ susceptio , ac executio prohi-
betur in *Clementina* Religiosus *de procuratoribus* :
ut patet ex illis verbis immediatis , *nisi pro suo in*
eadem lite consorte ; possunt tamen Prælati Reli-
gionum eligi in judices Conservatores , ut patet
1443 ex multis privilegiis , de quibus Rodrig. *Tomo* 1.
q. 5. *art.* 3. & nos latè explicuimus *in nostro* 11. *Tra-*
ctatu de privilegiis disput. 1. *sect.* 4. §. 3. *numer.* 201.
1444 Hoc tamen non procedit in nostra Congregatio-
ne, in qua Prælati non possunt esse judices Con-
servatores , nisi de mandato expresso Papæ , ut
patet ex 3. *parte nostrarum Constitutionum capit.* 12.
numero 5.

1445 Dico II. Religiosi, si adsit licentia Prælati, &
utilitas Monasterii possunt esse Assessores Judicis,
hoc est Consultores, & instructores Judicis , si ta-
men de facto sine licentia prædictum munus exer-
1446 ceant , etiamsi sint Franciscani , sententia nihilo-
minus valet : quippe, quæ non datur à Religioso,
qui in ea solùm se habet, ut Consultor sed à Judi-
ce ; Sanchez *ubi suprà n.* 87.

Et idem dicendum est , si Religiosus Judex ar-
bitrator eligatur ; nam licet absque sui Superioris
licentia , & utilitate Conventus , non possit tale
munus suscipere , si tamen de facto illud exerceat,
etsi Franciscanus sit, arbitramentum tenet; Sanch.
ibidem.

Secùs dicendum est , si Judex arbiter eligatur
absque prædicta licentia ; nam licèt ejus arbitri- 1447
um sit validum, potest tamen à Prælato irritari, ut
suprà diximus : differt autem *Arbiter* ab *Arbitra-*
tore, quod *Arbiter* eligitur à partibus, ut sententi-
am servato juris ordine ferat ; *Arbitrator* verò non 1448
tenetur servare ordinem Juris, sed tantùm est ami-
cabilis compositor, & transigens inter partes ; ita
communiter DD. apud Pellizz. *loc. cit. n.* 6.

Dico III. Religiosi non possunt munus Advo- 1449
cati , aut Procuratoris in judicio pro sæcularibus
exercere, nisi simul concurrat licentia Prælati, & u-
tilitas saltem indirecta Monasterii : his tamen
conditionibus concurrentibus , prædictum mu- 1450
nus possunt exercere coram Judice sæculari , in
causis Civilibus non tamen Criminalibus : coram
Judice verò Ecclesiastico etiam in causis Crimina-
libus, ut patet *ex Cap. monachi* 2. 16. *q.* 1. In causis
etiam miserabilium personarum , pro illis scilicet
tuendis possunt Religiosi de licentia Prælati , et-
iam si indè non proveniat aliqua utilitas Mona-
sterio, munus Procuratoris obire ; est enim propri-
um Ecclesiæ tales personas præsidio destitutas tue-
ri ; ita Novarius *in lucerna regularium* verbo *pro-* 1451
curator n. 4. dicens ita censuisse sacram Congrega-
tionem. Comprehendit autem hæc prohibitio
non solùm Monachos , sed etiam omnes Regula-
res, non tamen Novitios ; Sanch. *lib. in Decal. c.* 13.
n. 1. & 2. & alii communiter.

An autem hæc prohibitio ita sit stricta, ut neque
in una , vel altera causa liceat Regularibus advo-
care , seu patrocinari in judicio ? Respondeo affir-
mativè ; ita Palaus *ubi suprà* §. 3. *num.* 6. quid-
quid alii , quos ibi citat in contrarium teneant ;
nam in prædictis textibus cujuslibet causæ patro- 1452
cinium prohibetur. Undè Religiosi illi contrave-
nientes peccant mortaliter , cùm prohibitio sit de
re gravi ; Sanch. *lib.* 6. *cap.* 13. *nu.* 10. Pellizzarius
Tract. 6. *cap.* 12. *n.* 13.

An autem officium Advocati , vel Procurato- 1453
ris sine licentia susceptum sit validum? Respondeo
affirmativè , dùm à Superioribus non irritatur,
vel à parte contraria non excipitur ; ita Palaus
Tractatu 16. *disputatione* 4. *parte* 12. §. 4. *nume-*
ro 5. nam Religiosus de jure naturali non est inca-
pax hujus officii , cùm in his non agat proprio no-
mine, sed alieno, nec item propria sed aliena jura
patrocinetur ; de jure autem positivo nullus extat
textus, ex quo talis inhabilitas colligatur ; nam
verbum

verbum *non potest*, quod reperitur *in Clementina* Religiosus *de Procuratoribus* solum inducit incapacitatem, quando afficit ipsum actum, ut si lex dicat, non potest talis actus esse, non tamen quando officit personam operantem alioquin habilem, ut in præsenti.

1454 Hinc fit Religiosum sine licentia Superioris electum in Procuratorem, non posse, etiam de mandato illius, cujus est Procurator alium Procuratorem substituere; nam potestas substituti licet dirivetur à primo constituente, non potest ad alium transire, nisi mediante Religioso, qui sine licentia Superioris id facere non potest; Sanch. *ubi suprà n.* 12. Undè talis substitutio non solùm est illicita, sed etiam invalida; Sanch. *ibid. nu.* 15. poterit tamen alium substituere de licentia Prælati, etiamsi non detur utilitas Monasterii; Pellizzarius
1455 rius *Tract.* 6. *cap.* 12. *numer.* 15. Imò si non fuerit constitutus Procurator, sed simplex nuntius, pote-
1456 rit nomine alterius nominare Procuratorem, etiam sine licentia Prælati, nam hoc non est substituere Procuratorem, sed nomine alterius illum nominare; Palaus *ubi supra* §. 3. *n.* 7.

1457 An autem Religiosus extra judicium possit munus Advocati vel Procuratoris exercere? Respondeo affirmativè: dum à Prælatis non fuerit prohibitus; nam hoc in nullo jure illis est prohibitum: nam textus solum loquuntur de Procuratore, vel Advocato in judicio.

1558 Dico IV. Religiosi etiam de Superioris licentia non possunt exercere in causis sæcularium munus Tabellionis; ita habetur in *Capite, sicut ne clerici vel Monachi* & ex *Capite, ut inquisitionis* §. verum *de Hæretic. in* 6. ubi, ut quid speciale conceditur favore fidei, ut Monachus, qui in sæculo erat Tabellio, possit etiam in Religione hoc munus exercere, quæ prohibitio, cùm sit etiam in re gravi, obligat sub mortali, ut in simili casu docet
1459 Pellizzarius *Tract.* 6. *cap.* 12. *num.* 13. Potest tamen Monachus, qui in sæculo erat Tabellio, sine
1460 violatione hujus præcepti, complere etiam post Professionem, & signare instrumenta, quæ in sæculo fecerat, imò potest validè nova conficere instrumenta, etiam post Professionem, cùm irritatio
1461 horum instrumentorum nullo juri innitatur; Pellizzarius *ubi supra n.* 20.

Imò in casu necessitatis, ut in tempore pestis, aut in loco in quo non est Notarius, & est
1462 periculum in mora, potest licitè, & validè talia instrumenta efficere; ita cum Sanch. Escobar, & aliis Pellizzarius *Tract.* 6. *cap.* 12. *n.* 20.

Possunt etiam Religiosi exercere munus Tabellionis, in quibuscumque causis sanctæ Inquisitio- 1463
nis, & fidei; ita decrevit Pius IV. in Bulla, quæ incipit *Pastoralis officii*: possunt etiam à suis Supe- 1464
rioribus constitui Notarii publici pro intimandis mandatis, privilegiis, concessionibus, & indultis Apostolicis, Ordini concessis, quibuscumque personis Ecclesiasticis, vel sæcularibus, etiam Regibus, Ducibus *&c.* ubi, & quoties opus fuerit, ut patet ex Bulla Pii V. concessa Patribus Dominicanis, relata à Cherubino, *in Bullario Tom.* 2. *Constitut. Pii V.* 124. quo privilegio gaudent omnes Mendicantes, sed de hoc vide, quæ diximus in Tract. 11. *de privilegiis disp.* 1. *sect.* 4. §. 4.

Dico V. Religiosi etiam de licentia suorum 1465
Prælatorum non possunt esse Tutores, vel Curatores, sive tutela sit testamentaria, id est, data in testamento à patre filiis suis, sive dativa, id est, à judice assignata, sive denique sit legitima, id est, lege delata consanguineis successuris ab intestato, quando pater nullum Tutorem designavit in testamento; ita habetur *Cap. fin. d.* 86. *& Authent. de sanctiss. Episcop.* §. Deo autem amabiles *collat.* 9. & cum aliis docet Pellizzarius *ubi sup. n.* 23. licet de tutela legitima contrarium teneat Lezana *Tomo* 1. *cap.* 9. *n* 17. & de tutela miserabilium personarum Graffis 1. *p. decis. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 112. Ratio autem nostræ resolutionis est, quia Religiosi nulla bona possident, quæ pro administranda tutela, etiam legitima subjaceant obligationi, ut fieri solet.

Dico VI. Religiosi sine Superioris licentia non 1466
possunt exercere munus Executoris testamenti, benè tamen de ejus licentia, nisi hoc illis speciali lege sit prohibitum, quomodo de facto prohibe-
tur Minoribus de observantia, in Clementina Exi- 1467
vi §. proindè cùm vir sanctus *de verb. significat.* & idem dicendum est, de quacumque ultima voluntate, ut sunt Codicilli, & donationes causa mortis: ita deciditur *Cap.* Religiosus *de testamentis in* 6. & tenent communiter DD. contra Navarr.
apud Dicastillum *lib.* 1. *de justit. Tractat.* 19 *dispu-* 1468
tatione 3. *dub.* 10. *n.* 109. quæ prohibitio cùm sit in materia gravi obligat sub mortali; Sanchez
lib. 6. *cap.* 11. *n.* 18. Hanc autem licentiam potest 1469
præbere quilibet Prælatus, etiam immediatus, si aliàs in aliqua Religione non detur Statutum in
contrarium, ut datur in nostra Religione, in qua 1470
solus Generalis potest dare talem licentiam, ut patet ex 3. *parte nostrarum Constitutionum capit.* 12.

num. 5. & idem de sua Religione fatetur Sanchez
ubi supra c. 11. *n.* 18.
1471 An autem, si de facto noster Religiosus, vel So-
cietatis acceptaret tale officium, de licentia solius
Prælati immediati peccaret mortaliter? Respondeo
negativè; ita Lugo *de justitia disp.* 24. *num.* 326.
nec dissentiunt Layman. *lib.* 3. *capit.* 12. *tractat* 5.
n. 3. Palaus *Tract.* 16. *disp.* 4. *p.* 13. §. 1. *nu.* 3. quid-
quid contrarium dicat cum Sanch. Dicastillus *libro*
2. *de just. tract.* 19. *disput* 3. *dub.* 10. *numero* 117.
Et ratio est, quia juxta jus commune solùm requi-
ritur licentia Prælati immediati, quod autem no-
stræ Constitutiones vel Societatis postulent licen-
tiam Generalis, tantùm efficit, ut aliter facientes
1472 faciant contra nostras Constitutiones, non tamen
contra jus commune, ut benè probat Lugo *ubi sup.*
Poterit etiam Religiosus tale munus testamentarii
acceptare, cum conditione, *si Generalis consentiat*,
ex præsumpta licentia illius, quæ in hoc casu suffi-
cit; ita cum Sanch. Pellizzarius *Tract.* 6. *capit.* 12.
num. 26.
1473 Prælatus autem, qui hanc potest concedere li-
centiam, ea uti poterit pro seipso, ut advertunt
communiter DD. apud Palaum *ubi supra p.* 13. §. 1.
1474 *numero* 4. Concessa autem tali licentia, & cœpta
causa non potest amplius Prælatus eam revocare,
faceret namque gravem injustitiam, & injuriam
hæredibus, & ab illis cogi posset in priori licentia
perseverare: si tamen causa non fuerit cœpta, po-
test licentiam aliqua causa honesta ductus revoca-
1475 re. Non tamen poterit subditus, qui semel petivit
à Prælato licentiam, & obtinuit illam non acce-
ptare, sed potest cogi ad eam acceptandam, & exe-
1476 quendam. Cœptum tamen officium Executoris à
Religioso non potest Monasterium loco Religio-
si exequi, quia hoc jus personale est, siquidem eli-
gitur industria personæ; ita cum Sanchez &
aliis Palaus *ubi suprà parte* 13. §. 1. *numer.* 1. *& se-
quentibus.*
1477 Hinc fit, quod si alicui Religioso relinquatur in
aliquo testamento, ut distribuat certam sum-
mam pecuniæ in pauperes, quos elegerit, non
posse ejus Prælatum, eo invito vel inscio, facere
talem pauperum electionem, ac distributionem;
ita cum Sanch. & aliis Pellizzarius *ubi supra n.* 28.
nam, ut suprà diximus hic eligitur industria per-
1478 sonæ. Tenentur tamen Religiosi Executores te-
stamentorum, quamtumvis exempti, reddere ra-
tionem Episcopo ex Concilio Trident. *sessione* 22.
cap. 8. etsi in hac re delinquerint, poterunt puniri
ab Episcopo, juxta *Clement. unicam de testamen-*
tis; ita cum Barbosa, Angelo, & aliis Pellizzarius
Tract. 8. *c.* 6. *n.* 74. quidquid dicat cum aliis Ro-
drig. *Tomo* 3. *q.* 70. *art. ultimo* de Religiosis plenè
exemptis.
An autem executio testamenti à Regularibus
facta sine licentia Prælati sit omnino irrita, an 1479
verò tantùm illicita? Respondeo esse tantùm il-
licitam, non verò irritam; nam licèt illa clausu-
la, *non potest*, quæ est in textu, inducat nullita-
tem actus, quando ponitur ob vitium, & defe-
ctum personæ, non tamen quando ponitur ob ho-
nestatem personæ, & perfectionem status, ut
in præsenti Sanch. Lopez, & alii, quos refert, & se-
quitur Lezan. *Tom.* 3. *&* 4. verbo *clausula n.* 47. *&*
verbo *testamentum n.* 4. Lugo *ubi sup. n.* 327.
Dico VII. Religiosus, etiam Franciscanus, si- 1480
ne licentia Superioris licitè, & validè potest eligi
à testatore in commissarium ad condendum te-
stamentum, & eligendos executores, nominan-
das personas, quibus legata distribuenda sunt,
præbendumque consilium Executoribus, ut juxta
illud testamentum exequantur, nisi alias habeat
legem, vel statutum in contrarium; ita Palaus
ubi suprà numero 10. *& sequentibus* Dicastillus *ubi
supra numero* 174. contra Sanchez & alios, non e-
nim aliquod jus prohibens Religiosis invenitur,
& textus, qui à contrariis afferuntur, solùm lo-
quuntur de Executoribus testamentorum, quæ le-
ges, cùm sint prohibitivæ, utpote odiosæ non sunt
extendendæ.
Dico VIII. Religiosus non potest esse Actor, 1481
& Reus in judicio in causis Civilibus, quia cùm
omnia sua bona, jura, & actiones in Monasteri-
um transtulerit, non ipse, sed Monasterium
parere, aut respondere debet; ita communiter
DD. apud Palaum *Tract.* 16. *disp.* 4. *parte* 11. §. 2.
numero 2. Quod adeò verum est, quod etiam de
contractu inito in sæculo, non Religiosus, sed
Conventus conveniri debeat; non tamen conve-
niendus est ultra bona à Monacho accepta; Fe-
lin. Layman. Azor, & alii, quos refert, & sequitur
Palaus *ibidem*. Ex contractu tamen post Profes-
sionem inito, absque licentia Superioris, non po-
test Conventus conveniri, nisi quatenus indè lo-
cupletior factus fuerit, quia sibi imputare debet,
qui cum incapaci contraxit; Sanch. *l.* 6. *c.* 12. *n.* 1.
Palaus *loc. cit.*
In causis verò Criminalibus nullus Religiosus 1482
potest intentare actionem, absque Superioris li-
centia, saltem præsumpta, quæ censetur concessa
Superiore absente, nec procuratorem relinquente:
nam

nam cum Monachus sui juris non sit, non ipse, sed
1483 Conventus actionem injuriarum intentare debet,
juxta *l. si unius §. an prætor ff. de injuriis.* Quapropter remissio injuriæ Monacho factæ, non Monacho, vel ejus patri, aut filiis in sæculo manentibus, à quibus per Professionem separatus est, sed Mo-
1484 nasterio competit, quod eam potest remittere, etiam invito Monacho. Actio tamen injuriarum illatarum patri, vel filio Monachi in sæculo, non Conventui vel Monacho, sed ejus consanguineis competit. Verùm si Monachus deliquerit, non
1485 Religio, sed ipse conveniendus est, quia ex delicto Monachi non obligatur Religio; Sanch. & alii communiter, quos refert, & sequitur Palaus *ubi supra n. 2. & 3.*

Adverte tamen aliquos casus dari, in quibus
1486 Regulares sine Superioris licentia possunt agere in judicio, ex licentia à jure concessa: *primus*, si Superior sit ita absens, ut sine periculo in mora commodè haberi nequeat ejus responsum: *Secundus*, quando Monachus de licentia Superioris est in studio, vel in alio negotio, nam tunc potest in judicio agere pro contractibus occasione studii, vel negotii celebratis, vel etiam pro injuria eo tempore accepta: *Tertius*, potest agere pro jure sibi ex Professione competente, quale est, ne à Religione injustè expellatur, vel ne ei alimenta communia negentur, seu ne privetur suffragio, loco, &c. *Quartus* est, si Religiosus Prioratum, vel aliam administrationem in titulum beneficii habeat: *Quintus*, accusare potest Abbatem ob delictum commissum, vel eum juridicè denuntiare, si expedire judicaverit, quia in ea accusatione utilitatem Mo-
1487 nasterii gerit, non potest tamen alium præter Abbatem accusare. Potest autem in omnibus his casibus comparere in judicio, absque Superioris li-
1488 centia constituereque procuratorem: quæ enim per se potest præstare, à fortiori poterit per alium; imò in omnibus his casibus, in quibus Religiosus comparere potest in judicio, debet Religio illi præbere alimenta ad litem, si aliàs ipse Religiosus peculium non habeat; ita cum Sanch. & aliis communiter Palaus *ubi supra n. 4.*

1489 Dico IX. Nullibi invenitur prohibitum Religiosis ne sint testes: Undè possunt esse testes, tàm judiciales, quàm cujuscumque instrumenti, etiam in testamento, in quo aliquid relinquitur eorum Monasterio, quando namque aliquid non est speciale singulorum commodum, sed Collegii, potest quilibet ex Collegio esse testis; ita cum Sanchez, & aliis communiter Palaus *Tractatu 16. disputatione 4. parte 12. §. 3. numero 9.* Ad hoc tamen ut Religiosus præstet testimonium co- 1490
ram judice sæculari, requiritur licentia Prælati, quia cùm judex sæcularis non sit Superior Religiosi testificantis, non potest ab illo exigere testimonium, nisi Religiosus illi subjaceat, ad quod est necessaria licentia proprii Prælati, quæ licentia in casu criminali dari non debet; ita cum aliis communiter Palaus *ibidem.* Excipe nisi deficiant 1491
alii testes, & tale testimonium necessarium sit ad liberandum reum à morte, vel alio gravi damno; nam tunc potest talis Religiosus cogi non à judice sæculari, vel Episcopo, sed à suo Prælato 1492
regulari, etiam immediato ad testificandum, etsi talis Religio privilegium habeat, ne sui Religiosi cogantur ad testificandum; Portel, & alii, quos refert & sequitur Pellizzarius *Tractat. 6. capite 12. num. 39. & 40.*

Adverte tamen, quod si Religiosus testificetur 1493
sine tali licentia, testimonium valere, cum nullibi sit irritatum; Silvester, Tabiena, Molina, quos refert, & sequitur Lezana *Tom. 1. c. 9. numer. 16.* talis tamen Religiosus testificans in judicio, absque sui Prælati licentia peccabit mortaliter: nam juxta *Cap. si diligenti, & cap. significasti de foro competenti* non potest consentire in judicem non suum absque sui Superioris gravi injuria; Ita cum aliis Pellizzarius *ubi supra n. 39. & 40.*

Secundo adverte prædictam Prælati licentiam non requiri ad testimonium extrajudiciale, undè etiam absque licentia potest Religiosus scribi testis in aliquo instrumento; nullibi enim interdicitur Religiosos testes instrumentarios esse; ita cum Sanch. Lopez, & aliis Palaus *ubi sup. n. 11.* quamvis alii apud ipsos contrarium teneant.

Dico X. Nullus Religiosus, sine Superioris li- 1494
centia & majoris partis Capituli consensu, potest fidejubere, juxta textum in *Capite penultimo de fideijussionibus.* Religiosus namque nihil habet proprii, quod obliget titulo fidejussionis: in casu tamen, quod detur prædicta licentia, debet etiam in fideijussione utilitas Conventus intervenire, quia est virtualis bonorum alienatio, imò & licentia Sedis Apostolicæ cùm fidejussio compre-
hendatur inter species alienationis prohibitæ, sal- 1495
tem ubi tàlis licentia postulari consuevit, ut suprà diximus; ita cum Lezana, & aliis Pellizzarius *ubi supra num. 30.*

In casu tamen, quo Religiosus, sine prædictis li- 1496
centiis fidejubeat, peccat mortaliter, ob contra-

ctum initum, & obligationem, quam propria authoritate suscipit, imò factum non tenet; tum, quia ipse nihil proprii habet, quod maneat obligatum: tum, quia esto habeat peculium, cum Superioris voluntati subjectum sit, illud obligare solutioni independenter à voluntate Prælati non potest: ita communiter DD. apud Palaum *disp. 4. tract. 16. p. 13. §. 4. n. 2.*

1497 Dico XI. Religiosi validè possunt munus depositarii suscipere, illud tamen, sine licentia saltem præsumpta sui Prælati, tamen licentiam potentis
1498 concedere, suscipientes peccant mortaliter, ob contractum initum, & obligationem, quam propria auctoritate suscipiunt; Molina, Sanchez, quos refert, & sequitur Palaus *ubi sup. n. 3.* etsi habeant
1499 legem in contrarium, ut habent nostri 1. *p. nostrarum Constitutionum cap. 7. n. 8.* incurrunt pœnas illius.

Neque Conventus tenetur de deposito culpa Re-
1500 ligiosi depositarii amisso, vel deterius facto, tametsi ex licentia Prælati fuerit susceptum, imò etsi Prælatus depositum susciperet, adhuc Conventus non maneret obligatus; nam ad hoc, ut Conventus maneat obligatus, non solùm consensus Prælati, sed majoris partis Capituli debet intervenire; Sanc. & alii, quos refert, & sequitur Palaus *ubi sup. n. 6.*

1501 In casu tamen, quo depositum de consensu Conventus fuerit susceptum, tenetur Conventus solvere depositum, quod sua culpa periit; Cardinalis, Gregor. Lopez, & alii, quos refert & sequitur Palaus *ibidem.* Licet alii apud ipsos contrarium teneant, Ratio autem est, quia jus permittens depositum accipere Ecclesiæ, non extrahit depositum à sua essentia depositi, de qua est obligare depositarium delinquentem in observatione illius ad satisfactionem exhibendam, ergò: nec obstat, quod ad hanc satisfactionem exhibendam aliquando necessarium sit, rem immobilem, vel mobilem pretiosam distrahere, ut indè Monasterium excusari possit, quia hæc distractio est obligatoria, & in consequentiam obligationis depositi suscepti.

1502 An autem Prælatus possit depositum apud Monachum existens auferre, & apud se retinere? Respondeo posse de licentia Domini, non tamen Religioso interdiceere, ne apud se deposi-
1503 tum habeat, imò si videat subditum in observatione depositi delinquentem, tenetur eum corrigere, aliàs ipse Prælatus tenebitur depositum resti-
1054 tuere, quia ratione officii tenetur impedire damna suorum subditorum; Ita Palaus *ubi supra num. 5.* Licet alii oppositum teneant.

§. 4.

De obligatione non ludendi, quam habent Regulares.

1505 *Ludus alearum, & taxillorum est prohibitus Regularibus.*

1506 *Hæc prohibitio est sub mortali.*

1507 *Regulares ludendo aleis, etiam joco, peccant mortaliter.*

1508 *Quos Religiosos hæc prohibitio comprehendat?*

1509 *Comprehendit solùm frequentantes hujusmodi ludos.*

1510 *Quando dicatur ludus frequens?*

1511 *Religiosi semel, & iterum prædictis ludis, recreationis gratia vacantes, si non adsit peculiaris prohibitio, non peccant mortaliter.*

1512 *Religiosi non possunt ludere, etiã nomine alterius.*

1513 *In casu, quo nomine alterius ludant, possunt lucrari majorem quantitatem illâ, quã possunt perdere.*

1514 *Regulares assistentes prædictis ludis peccant venialiter.*

1515 *Qui ludi sint permissi Religiosis?*

1516 *Quæ sit honesta quantitas, quam Religiosi ludis sibi permissis possunt exponere.*

1517 *Religiosus unica vice potest ludere pro tota pecunia, qua illi licet ludere per totum annum.*

1518 *Regulares ludentes etiam ludis permissis pro re gravi sine licentia, peccant graviter contra votum paupertatis.*

1519 *Ex licentia saltem tacita possunt moderatam quantitatem exponere ludo, si ludus eis per suas leges non sit prohibitus.*

1520 *Si ludus per leges fuerit prohibitus, nec Prælatus potest dare talem licentiam, etsi illam dederit, non prodest.*

1521 *Nostri Religiosi exponentes quamcumque rem gravem ludo alearum, etiam de licentia Prælati, peccant mortaliter contra votum paupertatis.*

1522 *Prælatus non potest dare licentiam ludendi pro immoderata pecunia, etiam ludis permissis.*

1523 *Lucrans immoderatam pecuniam à Religioso ludente, etiam de licentia Prælati, tenetur eam Conventui restituere.*

1524 *Quid si lucrans talem pecuniam tantundem pecuniæ perdat postea cum eodem Religioso?*

1525 *Quid si talis Religiosus haberet licentiam illam pecuniam expendendi prout sibi libuisset?*

1426 *Religiosus non potest lucrari à collusore immoderatam pecuniæ quantitatem.*

1527 *Quid*

1527 *Quid si colludens sciret, Reli iosum non posse perdere tantam quantitatem?*
1528 *Quid si colludens cum Religioso exponeret suum restans cum restante Religiosi neutri constando quale restans esset majus?*
1529 *Quid si colludens esset Religiosus ejusdem Ordinis, & Monasterii?*
1530 *Religiosus ludens, tenetur in conscientia solvere socio colludenti quantitatem amissam, si ludus fuit licitus, & quantitas moderata, & de licentia Prælati.*
1531 *Quid si ludus fuit prohibitus?*
1532 *Religiosus ludens pecuniâ surreptâ, potest retinere lucrum, quod postea tali ludo acquisivit, si ludus ex alio capite non fuit illicitus, & Religiosus habebat ex alia parte undè solveret pecuniam furatam.*
1533 *Regulares aleatores, seu publici lusores, quas pœnas incurrant?*
1534 *Omnis ludus, qui fit cum armis, est prohibitus Regularibus.*
1535 *Idem dicendum est de hastiludiis, & de omni ludo histrionali, & saltationis, & chorizationis.*
1536 *Prohibitus est Regularibus omnis ludus larvalis.*
1537 *Assistere comœdiis, & agitationi taurorum: est prohibitum Regularibus, & quomodo?*

1505 DICO I. Omnibus Regularibus est prohibitus ludus alearum, & taxillorum ex *Cap. Episcop. d.* 35. & ex *Trid. sessione* 22. *Capite* 1. *de reformat.* per ludum autem alearum intelliguntur omnes ludi
1506 quibus prævalet magis fortuna, quàm ars, qualis est ludus chartarum, & taxillorum; ita communiter DD. Est autem hæc prohibitio sub mortali, ut tenent passim omnes Authores apud Lezanam *verbo* ludus *n.* 4. quidquid in contrarium
1507 dicat Cajetanus *verbo* Clericorum peccata *in summa*; Megala 1. *p. lib.* 5. *cap.* 14. *n.* 8. undè Regulares ludentes aleis, etiam recreationis causa, peccant mortaliter, propter scandalum, & periculum infectionis; ita cum Farinacio, & aliis Peyrinis *de Prælato q.* 2. *cap.* 2. *§.* 5. *n.* 93.

1508 Comprehendit autem hæc prohibitio, non solùm Religiosos Clericos, sed etiam Laicos; ita cum communi sententia Pellizzarius *Tract.* 6. *capit.* 11. *n.* 9. quidquid contradicat Salas *de ludo d.* 24. *numero* 5. non comprehendit tamen Religiosos militares; Pellizzarius *ibid. n* 10. benè tamen Moniales cùm sint veræ Religiosæ Pellizzarius *ibid. numero* 11.

1509 Comprehendit tamen solùm frequenter vacantes hujusmodi ludis, ut patet ex illis verbis textus, *deserviens ludo*, quæ habentur in *Capite Episcopus*, ubi glossa ait *idem significare ac valdè serviens ludo* Ut autem ludus dicatur frequens, & 1510
censeatur prohibitus sufficit, quod fiat semel in hebdomada; Bordonus *resolut.* 33. *num.* 5. & hoc etiamsi fiat sine scandalo; Lezana *verbo* ludus *n.* 4. 1511
undè Religiosi semel & iterum prædictis ludis vacantes, si non adsit peculiaris prohibitio suarum Constitutionum, aut suorum Superiorum ad mortale obligans, & absit scandalum, non peccant mortaliter, si recreationis gratia pro re parvæ quantitatis ludant; ita cum Cajetano, Sanch. Navarro, Lessio, Medina, Portel, Lezana *verbo* ludus *num.* 4.

An autem vi præsentis prohibitionis interdi- 1512
ctum sit Regularibus ludere etiam nomine alterius, & pecuniam alienam? Respondeo affirmativè: nam ludere nomine alieno, verè est ludere: ergò cadit sub præsenti prohibitione; Pelliz. *ubi sup. n.* 13. in casu tamen quo Religiosus luderet nomine 1513
alterius, posset lucrari majorem summam illâ, quam ipse licitè posset perdere; nam fictione juris censetur ludere, non ille, sed is cujus nomine ludit Pellizzarius *ibidem n.* 14.

An autem etiam sit prohibitum Regularibus 1514
prædictis ludis prohibitis assistere, vel illos aspicere? Respondeo affirmativè, hæc tamen prohibitio tantùm est sub veniali, nisi adsit scandalum, vel complacentia in ludo prohibito sub mortali, cooperatio ad illum, vel omissio correctionis ludentium: quia materia non videtur tàm gravis Sanch. *in consiliis Tom.* 1. *lib.* 1 *c.* 8. *dub.* 29. ex Silvestro, Angelo & Cajetano.

DICO II. Plures sunt ludi permissi Religiosis 1615
tempore & loco, & aliis circumstantiis debitis, nisi obstent ipsorum particularia Statuta; v. g. Ludus pilæ, trochi, globorum per annulum versatilem in terra defixum impellendorum, vel etiam pyramidularum lignearum, globulis pariter ligneis jacendis, lusitanè *toque emboque, ou bolla,* & alii similes.

Idem dicendum est de ludo scacchorum, latrunculorum, seu calculorum, lusitanè, *enxadres*; Sayrus, Sanc. Comitolus, quos refert & sequitur Peyrinis *de Prælato q.* 2. *§.* 5. *ca.* 2. *n.* 97. licitum est etiam illis uti ludo tabularum cum taxillis, quem Lusitani vocant, *tabolas*; ita cum Peyr. Lezan. *verbo* ludus *n.* 9. imò in Religionibus laxioribus poterunt Religiosi etiam absque culpa veniali ob honestam causam v. g. ad recreandum socium, & seipsos, ludere chartis lusoriis, pro aliqua moderata pecu-

pecuniæ quantitate in illis Religionibus, ubi jam hujusmodi ludi usu recepti, & permissi sunt, nisi adsit scandalum vel detur lex, aut præceptum in contrarium; Ita Rodrig. Peyrinis, quos refert, & sequitur Belasius *verbo* ludus *nu.* 4. Dicastillus *de justitia lib.* 2. *tract.* 18. *disput.* 2. *dub.* 2. *num.* 22. & nos *supra* diximus *disputatione* 4. *sectione* 5. *numero* 322. quid autem dicendum sit de Religionibus reformatis, vide quæ diximus *num.* 324. *& sequentibus ejusdem sectionis.*

Pro his quoque Religionibus, maximè si contemplationi studiisque addictæ sint, impensè advertendum est, quod tradit R. P. Julius Nigronius è Soc. Jesu in suis Tractat. Asceticis *Tractatu* 15. *de relaxat. animi cap.* 14. *de ludo religioso nu.* 87. differens de ludo latrunculorum, qui vulgò *Scacchorum* dicitur: *Habet*, inquit hic ludus, *incommoda magna, quæ debent illum à Religiosorum recreatione ablegare.* Incommoda hæc ad quinque classes reducit, quæ fusiùs ibidem recenset, efficaciùsque probat è diversis, gravissimisque Theologis: inter quos non infimum occupant locum beatus Petrus Damiani, Cardinalis Cajetanus, Gabriel Biel, Petrus Dorlandus, Navarrus & alii. Ex Cajetano subjecta refert verba ex 22. *quæstione* 168. *articulo* 3. *ad dubium* 3. *Ludus quantò magis industriosus, tantò minùs quieti rationis sensuumque convenit. Ideòque absolutè loquendo ludus scacchorum pessimus est in ordine ad finem proprium ludi.*

Suffragatur Cajetano Navarrus *in Manuali capite* 19. *numero* 3. cùm ait: *Contra vulgi opinionem omnium est ineptissimus ludus latrunculorum: quia is minùs, quàm alii animum relaxat.*

Consonat Lezana *Tomo* 3. *qq. Reg. v. Ludus quoad Regulares*, qui ex Cajetano, Navarro, Barbosa, & Joanne Bapt. Fino ex eo quoad Religiosos reprobat ludum scacchorum, *quod propter vehementem advertentiam, quæ ad illum requiritur, potius animum vexet quàm sublevet.*

D. Bernardus quoque *sermone* 4. *ad Milites Templares.* Religiosos hos militares laudat, quod *schacchos & aleas detestentur*: utique vituperaturus, si ludendo probassent. Et si qualescumque Religiosos, etiam Militares, arbitrabatur dedecere: multò magis alienum id existimabat à Claustralibus Religiosis.

Verè dicere possumus, inquit sapientissimè Nigronius, *hos latrunculos latrones esse non modò temporis, sed etiam multi lucri, quod in amisso tempore poterat fieri, ac debebat. Ita laude putavi dignum in Ordine quodam Visitatorem, qui singulis in cœnobiis hos latrunculos igni tradebat, auferens pronis in hunc ludum perdendi temporis occasiones.* Tandem post plura concludit hanc materiam idem pientissimus Author his verbis: Interim eligatur pars tutior, & audiatur Joannes Busæus in *Arca medica verbo* ludus, de hac re disserens, qui ait: *Ut ut sit, securius, quando discrepantes de hoc genere ludi extant sententiæ, in totum propter allegatos Authores abstinere.* Tutiorem hanc partem PP. Minores de Observantia voluerunt Fratres suos tenere, cùm sanciverunt in hæc verba: *Decernimus & sancimus, ut si quis, aut aleis, aut taxillis, aut etiam latrunculis ludere ausus fuerit, & de eo legitimè constiterit, carceri mancipetur Superioris arbitratu, & omni suffragiorum jure triennio careat.*

Nunc redeundo, undè nonnihil digressi sumus, & prosequendo quod dicebamus, si quæras, 1516 quæ dici possit moderata quantitas, quam Religiosus ludis sibi permissis potest exponere varia sunt placita Doctorum; Portel *in dubiis regularibus verbo ludus numero* 2. existimat posse Religiosum exponere ludo illam quantitatem, quam extra ludum licitè donare, vel alienare potest juxta suam Regulam, & Constitutiones. Navarrus autem *in manuali capite* 19. *numero* 12. addit posse Religiosum, qui est in studiis, & negotiis impensis sui Abbatis, de ipsis, quæ ipsis dantur in anno pro expensis faciendis ludere 4. aut 5. de centum, quia ad hoc videtur habere tacitam licentiam Prælati. Idem cum Valent. Lessio, & aliis sequitur Sanchez *in Decalog. capite* 17. *numero* 79. Sed hoc melius relinquitur arbitrio prudentis viri considerantis Religionem ludentis, quantitatem peculii amissi, personam, & ejus dignitatem; Ita Peyrinis quem refert, & sequitur Belasius *verbo* ludus *num.* 6.

An autem Religiosus possit una vice ludere pro 1517 tota illa summa, pro qua potest licitè ludere singulis annis? Respondeo affirmativè, si aliàs habeat animum non ampliùs ludendi eo anno, velitque cedere juri suo; nam cùm illi sit concessum posse illam summam ludo exponere, per totum annum; non apparet, cur non possit cedere juri suo, si velit illam statim totam exponere. Hæc tamen doctrina debet intelligi, dummodò talis Religiosus non sit nimis proclivis ad ludendum; nam tunc evidenti periculo exponeretur pecandi; Pellizzarius *ubi supra num.* 19.

Dico

DICO III. Regulares ludentes pro re gravi, et-
1518 iam ludis sibi permissis, absque licentia tacita, vel
expressa suorum Prælatorum, peccant mortali-
ter contra votum paupertatis, in hoc conspirant
universi DD. apud Peyrin. *de R. S. quæstione* 1. *ca-
pite* 2. §. 8. *dicto* 7. Exponere namque pecuniam
ludo absque licentia, est actus dominii. Ex licen-
tia tamen tacita, vel expressa Prælati possunt Re-
1519 ligiosi exponere ludo licito aliquam moderatam
pecuniam, si aliàs talis ludus eis non sit prohibi-
tus, vel per jus commune, vel per Regulam, aut
Constitutionem, vel Superiorem; nam si detur
1520 talis prohibitio, nec licentia Prælati potest præ-
sumi, cùm sit expresè contra Regulam, nec ex-
pressa proderit, cùm Prælatus non habeat pote-
statem concedendi licentiam contra Regulam,
undè talis licentia habetur, tanquam non conces-
sa; Sanchez *lib.* 7. *in Decal. capite* 19. *numero* 79.
1521 & 31. Molina *Tomo* 2. *de justitia disputatione* 520.
Hinc fit nostros Religiosos exponentes quam-
cunque rem gravem ludo chartarum, vel taxillo-
rum, vel similium, etiam cum licentia Prælati,
peccare mortaliter contra votum paupertatis, si-
quidem Prælatus talem licentiam illis concedere
non potest, sunt namque tales ludi illis prohi-
biti *in nostris Constitutionibus* 4. *parte, capite* 4. §. 1.
numero 1.

1022 DICO IV. Prælatus non potest dare licentiam
ludendi pro immoderata quantitate pecuniæ, et-
iam ludis permissis in sua Religione; nam Præla-
tus non potest dare licentiam ad rem illicitam, sal-
tem determinatè turpem, vel superfluam, ut re-
ctè advertit Lugo *de justitia disputatione* 3. *numero*
143. & cum eo communiter DD. sed talis ludus
est illicitus, turpis, & superfluus, utpote exce-
dens quantitatem moderatam, etsi aliàs ludi sint
à Religione permissi, cum ratione illius circum-
stantiæ reddantur illiciti: ergò Prælati talem con-
cedere licentiam non possunt, etsi illam dederint
est nulla; Pellizzarius *Tract.* 6. *cap.* 11. *numer.* 15.
Sanch. *lib* 7. *in Decal. c* 19. *num.* 78. Hinc fit lu-
crantem immoderatam pecuniæ quantitatem à
Religioso etiam habente licentiam à suo Prælato,
1523 teneri eam Monasterio restituere; Ita cum Sayro,
Lopez, Sanch. Rodr. Ledesma, & aliis Peyrin. *ubi
sup. dict.* 4. quia qui lucratur aliquid à non habente
dominium rei lucratæ, tenetur eam restituere vero
Domino, ut cum communi sententia docet Rodr.
Tom. 2. *q.* 38. *art.* 3.

1524 LIMITA *primò*: Nisi aliàs lucrans talem pecu-
niam, tantumdem pecuniæ perdat postea cum
eodem Religioso, sive id fiat per ludos continuos, & similes, sive per diversos, tum tempore, tum specie; dummodò lucrum quod postea perditur, tunc adhuc maneat apud ipsum Religiosum, non enim censentur ludentes sic sua velle alienare ludendo, quin postea facere possint compensationem; Ita cum Reginald. Sanch. & aliis Pellizzar. *Tract.* 6. *cap.* 11. *n.* 26.

LIMITA *secundò*: nisi aliàs talis Religiosus ha-
beret licentiam â suo Prælato expendendi illam 1525
summam prout sibi placuerit, quod tanquam pro-
babile admittit cum Salas, Fagund. Alcozer, &
aliis Pellizzar. *Tract.* 4. *capi.* 2. *n* 347. Lugo *de ju-
stitia disp.* 3. *n.* 143. & nos *supra* diximus *disput.* 4.
sect. 7. *n.* 397.

Hinc fit, non posse Religiosum lucrari à col-
lusore immoderatam pecuniæ quantitatem, est 1526
enim ludus contractus, qui debet esse æqualis.
Undè si Religiosus non potest perdere, neque lu- 1527
crari.

LIMITA *primò*, nisi colludens cum Religioso
sciret illum non posse perdere; nam tunc volens 1528
cum eo ludere censetur cedere juri suo; Angel. Sai-
rus, quos refert, & sequitur Lezana *Tom.* 1. *cap.* 6.
numero 51.

LIMITA *secundò*: nisi aliàs colludens cum Reli-
gioso exponat suum restans cum restante Religiosi neutri constando quod restans sit majus; nam tunc, etsi minùs sit restans Religiosi potest retinere totum restans colludentis; nam tunc contractus fuit æqualis, cùm uterque exponeretur periculo lucri, aut jacturæ, in quo consistit æqualitas; ita cum Garcia, Lopez, & aliis, Sanch. *lib.* 1. *consiliorum cap.* 8. *n.* 18. *n.* 1.

LIMITA *tertiò*, nisi aliàs colludens sit Religiosus 1329
ejusdem ordinis, & Monasterii; nam licet pecca-
verit ludendo ultra debitam quantitatem, ut ad-
vertit Lezan. *verbo* ludus *n.* 10. post factum tamen non tenetur ad restitutionem, in præsenti namque casu rationabiliter præsumitur de Superiore, quod sit contentus pecuniam ludo expositam manere apud Correligiosum colludentem, quoad usum facti, cùm sic dominium, & usus juris pecuniæ amissæ, maneat apud Monasterium. Undè Religiosus amittens talem pecuniam non potest eam clam subripere ab alio Religioso collusore absque injuria, ut benè advertit Pellizz. *ubi sup. n.* 33.

An autem Religiosus ludens teneatur in con- 1530
scientia solvere socio colludenti quantitatem,
quam ludo amisit? Respondeo affirmativè, si lu-
dus fuit licitus, factus de licentia Superioris, & fuit

moderatæ quantitatis; est enim ludus contractus onerosus, utramque partem obligans, & non datur ullum jus irritans tale lucrum. Secùs dicendum est, si ludus sit prohibitus; nam Religiosi non possunt exponere ludo prohibito bona Monasterii, & si exponant talis expositio est irrita, utpote de bonis alienis, ita cum Layman. Toleto, Soto, & aliis Pellizz. *ubi sup. n.* 32.

1531 An autem Religiosus ludens pro pecunia subrepta ab altero colludente possit retinere lucrum, quod fortè acquisivit ex tali ludo? respondeo af-
1532 firmativè, si ludus aliàs non fuit illicitus ex aliquo alio cap. & aliàs Religiosus habeat alia bona, unde solveret pecuniam subreptam; nam lucrum illud fuit fructus non pecuniæ, sed industriæ suæ; Pellizzar. *ubi supra num.* 35.

1533 Dico V. Regulares aleatores, scilicet publici lusores alearum, qui indifferenter, seu cum diversis ad longum tempus, & in notabili quantitate, ac frequenter ludunt, sunt infames infamia facti; Ita colligo ex *Capite inter dilectos*, & cum Molina, Peyrinis, Barbosa, & aliis tenet Lezana *verbo* Ludus *numero* 5. Undè perseverantes in hac infamia non possunt promoveri ad Ordines: sunt quoque inhabiles ad beneficia; ita ut collatio, licet non sit irrita, prout volunt multi apud Garciam *de benefic. parte* 7. *capite* 8. *numero* 40. est tamen irritanda, ut cum aliis tenet Thesaurus *in praxi parte* 2. *verbo* Ludus *capite* 4. imò talis aleator, si jam possideat beneficium, ab illo debet deponi, saltem si monitus non desistat, ut cum Naldo, & aliis notavit Lezana *ubi supra numer.* 6. & hæc de hoc puncto sufficiant. Si plura de hac materia velis, consule, quæ dixi *disputatione* 4 *hujus Tractatus sect.* 5 *num.* 316. *& sequentibus*, ubi, quæ desunt invenies, consule etiam Dicastillum, Sanch. & Lugo *locis citatis.*

1534 Dico VI. Plures alii dantur etiam ludi Religiosis prohibiti, scilicet omnis ludus, qui fit cum armis *Cap. Continebatur de homic.* & Cap. *Cleric. de vita & honest. cler.* Silvest. *verbo* ludus *q.* 2. Idem dicendum est de hastiludiis; Barbos. *de jure Ecclesiastico l.* 1. *c.* 4. *n.* 46.

1535 Item omnis ludus histrionalis *Can. donare dist.* 86. *Cap. Cum decorem de vita, & honestate clericorum*: Barbosa *ubi sup. n.* 63. Similiter omnis ludus saltationis choræizationis *Cap. pro dilatione de consecrat. dist.* 2. sed hoc debet intelligi, quando talis ludus fit in publico, secùs si fiat in secreto, vel cum domesticis; Angelus *in summa* verbo
1536 Ludus *numero* 2. Silvest. *ubi sup.* Similiter interdictus est illis omnis ludus larvalis *Cap. cum decorem.*

Prohibitum est etiam illis assistere comœdiis 1537
Cap. *præterea dist.* 51. Cap. *non oportet* 36. *dist.* 5. *de consecrat.* Hæc tamen prohibitio tantùm est sub veniali, si in illis aliquid turpe non recitetur, quod tamen his temporibus non accidit, cùm potiùs tendant ad moralitatem, & politiam; Ita cum aliis Bordon. *resol.* 33. *n.* 17.

An autem possint assistere agitationi taurorum, vide, quæ diximus *sup. sect.* 6. §. 12. Ubi, quæ hic desiderare poteras invenies, ne eadem sæpiùs repetamus.

§. 5.

De obligatione Regularium, quoad faciendam Fidei professionem.

1538 *Provisi de beneficiis curam animarum habentibus, tenentur intrà duos menses facere Fidei professionem.*
1539 *Eandem tenentur facere Prælati regulares, juxta Constitutionem* Pii *IV. & Doctores, & Magistri regulares, juxta Constitutionem* Pii *V.*
1540 *Hoc præceptum est sub mortali.*
1541 *Hæc fidei professio potest fieri per procuratorem.*
1542 *Ad hoc ut fiat per procuratorem debet dari speciale mandatum, & non sufficit generale.*
1543 *Decreta* Pii *V. &* Pii *IV. pro Prælatis, & magistris Regularium, quoad faciendam Fidei professionem non sunt in usu in multis Religionibus.*
1544 *Idem dicendum est de* Concionatoribus.
1545 *In Religionibus, in quibus hæ Constitutiones sunt in usu, quas pœnas incurrant hanc professionem fidei non facientes?*
1546 *Ab his pœnis liberat ignorantia, & inadvertentia.*
1547 *Qui materialiter tantùm facit professionem Fidei liberatur à pœnis harum Constitutionum, peccat tamen venialiter.*
1548 *Sufficit una Fidei professio pro duplici officio assumpto eodem tempore.*
1549 *Quid si officia tribuantur diverso tempore?*
1550 *Quas pœnas Beneficiati incurrant non facientes Fidei professionem?*

PRo hujus §. faciliori intelligentia notandum: 1538
Concilium Trid. *sess.* 24 *de Reformat. c.* 12. disposuisse, ut provisi de beneficiis quibuscunque, curam animarum habentibus, teneantur à die adeptæ

adeptæ possessionis, ad minus intra duos menses, in manibus Episcopi, vel eo impedito, coram ejus Vicario, seu Officiali, Orthodoxæ fidei publicam
1539 facere professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se perseveraturos spondeant, ac jurent. Et hanc Concilii dispositionem extendit Pius IV. ad quoscumque Prælatos Monasteriorum, quorumcumque Regularium, etiam Militarium, & Pius V. extendit eandem dispositionem ad omnes Doctores, Magistros, & Regentes, & alios cujuscumque artis Professores, sive Laici sint, sive Regulares.

1540 Est autem hæc prohibitio sub mortali, cùm sit de re gravissima, & ad finem gravissimum ordinata; Sanch. *lib. 2. moral. cap. 5. n. 1.* & alii communiter: potest tamen fieri per procuratorem; nam
1541 quod quis potest facere per seipsum, potest facere per procuratorem, nisi à lege prohibeatur *lib. 1. ff. de procurat.* Cap. *qui per alium*, in prædictis autem decretis non prohibetur talem professionem fieri
1542 per Procuratorem; Ita cum Navar. Ledesma, Sanc. Barbos. & aliis Tambur. *de jure Abbatum Tomo 1. disp. 8. quæsit. 3. n. 11.* quidquid alii contradicant apud ipsum. Ut autem quis pro alio faciat Fidei professionem non sufficit generale mandatum, sed requiritur speciale; Tambur. *ibid. n. 15.* His igitur suppositis, & prænotatis.

1543 Dico I. Prædicta decreta Pii IV. & Pii V. tam pro Prælatis, quàm Doctoribus & Magistris regularibus ferè in nulla Religione sunt in usu, unde non obligant Religiosos, ubi non sunt in usu; ita Sanch. *lib. 2. moral. cap. 5. n. 3.* Diana alios adducens *3. p. tra. 2. resol.* 78. Lezana *Tom. 1. c. 18. nu.*
1544 102. & ita declaravit sacra Congregatio prout refert Tamburin. *ubi sup. n. 3.* Et idem dicendum est de Prædicatoribus; nam licet ex declaratione Pii V. relata à Sorbo tenerentur supradicti facere fidei professionem, antequam obtinerent facultatem prædicandi ab Episcopo; hoc tamen etiam non est usu receptum, unde etiam in hoc standum est consuetudini; Peyrinis, Portel, quos refert, & sequitur Pellizz. *Tract. 5. cap. 10. n 14.*

1545 Dico II. In illis Religionibus, in quibus tales Constitutiones sunt in usu, Regulares hanc professionem Fidei non facientes, incurrunt ipso facto privationem graduum obtentorum; promoventes verò illos, sine prædicta professione, incurrunt ultra excommunicationem nemini reservatam, privationem officiorum, & inhabilitatem ad illa, & alia in posterum obtinenda; Ita cum Sorbo, Bona-
1546 cina, Sanchez, & aliis Peyrin. *Tr. 4. disp. 1. p. 19. n. 13.* Diana *3. p. tract. 2. resol.* 78. & alii penes ipsos.

Ab his autem pœnis liberantur Regulares, imò à peccato, non facientes fidei professionem ex ignorantia, vel inadvertentia; Barbos. *de potestate Episcopi p. 3. alleg. 61. n. 7. & in Trident. sess. 24. de reformat. c. 12. n. 17.*

Idem dicendum est de illis, qui tantùm materialiter faciunt talem professionem fidei; nam Ecclesia tantùm potest præcipere actus externos, peccabunt tamen saltem venialiter, sic præfatam professionem fidei tantùm materialiter facientes ob fictionem Pellizzarius *loc. cit. n. 20.*

Adverte tamen, quòd si Regularis in eodem tempore obtineat Prælaturam, & gradum Doctoratus non bis, sed semel debere facere fidei professionem; nam eodem opere potest duplici obligationi satisfacere, ut cum Navar. Palao, & aliis notavit Pellizz. *ubi sup. n. 15.*

Secùs dicendum est, si diverso tempore contingat recipere illas duas dignitates; nam cùm lex in qualibet postulet fieri talem professionem, non distinguendo, an facta fuerit antea, vel non, neque nos distinguere debemus; Ita cum Barb. Peyr. & aliis Pellizz. *ubi sup. n. 16.* Quas autem pœnas incurrunt beneficiati, & cæteri dignitates sæculares obtinentes prædictam professionem fidei non facientes: Vide Barbosam, Palaum, & alios *locis citatis.*

§. 6.

De obligatione, quam habent Regulares non exercendi officium Medici, Chirurgi, & artes mechanicas.

1551 *Regulares non possunt exercere artem Chirurgiæ cum incisione, vel adustione.*

1552 *Si exercendo talem artem sequatur mors, manent irregulares quacumque posita diligentia, ne sequatur mors.*

1553 *Non excusantur, si causa pietatis curent.*

1554 *Possunt exercere Officium Medici, & Chirurgi citra incisionem, & adustionem, & absque periculo mortis causa pietatis, vel ex privilegio.*

2555 *Quale privilegium de hoc habeant Jesuitæ?*

1556 *Quæ officia mechanica possint exercere Regulares?*

1557 *Quæ non possint exercere?*

Dico I. Regulares non possunt exercere artem Chirurgiæ, cum incisione, vel adustione 1551

 & si

& si de facto sequatur mors, manent irregulares,
1552 quantumvis summam diligentiam apposuerint, in ea evitanda, ut patet ex *capite Tua nos, de ho-*
1553 *micidio*, neque ab ea culpa excusantur, si causâ pietatis eam exerceant; & eandem prohibitio-
1554 nem habent Clerici; Palaus *Tract.* 16. *disp.* 4. *p.* 13. §. 1. *num.* 1.

An autem exercere possint officium Medici, & Chirurgi citra incisionem, & adustionem? Respondeo negativè, ut patet ex *cap. clerici* 2. *de vita, & honestate cleric.* in quo prohibetur Regularibus exercere officia sæcularia, quale est hoc.

1555 Excipe tamen, nisi aliàs causa pietatis gratis erga personas miserabiles, & sine periculo mortis hæc faciant, vel nisi habeant privilegium speciale, quale habent Patres Societatis à GREGORIO XIII. per Bullam, quam refert, Palaus *ubi supra num* 5. ut possint mederi domesticis, & extraneis, de licentia Superioris etiam localis, quando commodè Medicus sæcularis haberi non potest, & dummodò per seipsos combustionem, vel adustionem non faciant.

1556 DICO II. Regulares non possunt exercere officia mechanica, sordida, ac dedecentia statum Ecclesiasticum, quale est officium tabernarii, coriarii, lanii; & talia officia exercentes absque dubio peccarent mortaliter; esset enim hoc contemnere proprium statum. Possunt tamen exercere artes mechanicas decentes statum Ecclesiasticum, ut sunt colere hortos, fabricare apum alvearia, pictu-
1557 ras efficere, texere retia, retorquere funes, imprimere libros, & alia hujusmodi ad comparandum cibum, & fugiendum otium; ita Molina *Tract.* 2. *disput.* 342. *n.* 13. & alii communiter.

An autem possint etiam bellare? Respondeo negativè, nisi de licentia Papæ, vel urgente publica necessitate; in quibus casibus probabile est eos non incurrere irregularitatem, etiamsi occidant vel mutilent, ut advertit Bonacin. *de censur. in communi disp.* 7. *q.* 4. *p.* 4. *n.* 11. & 12.

§. 7.

De obligatione, quam habent Regulares interessendi processionibus.

1558 *Omnes Regulares, etiam exempti, tenentur ire ad processiones.*
1559 *Hæc obligatio est sub mortali.*
1560 *Quos Religiosos comprehendat hæc obligatio?*
1561 *Qui Religiosi ab hac obligatione eximantur?*
1562 *Religiosi obligati ire ad processiones, si ad eas ire recusent, possunt cogi ab Episcopo non per censuras, sed per alias pœnas.*
1563 *Regulares habentes curam animarum, possunt cogi per censuras.*
1564 *Regulares, qui non tenentur ire ad processiones, etsi aliquando ad eas accessissent, non propterea possunt ad id cogi.*
1565 *Idem dicendum est de privilegiatis, si habeant consuetudinem decennariam non interessendi processionibus.*
1566 *Numerantur processiones ad quas Regulares compelli possunt accedere.*
1567 *Si in aliquo loco esset consuetudo, quod Regulares non accederent ad processiones etiam publicas, non possent ad id cogi per Episcopum.*
1568 *Regulares solùm tenentur interesse processionibus, quæ fiunt pro gravi causa, & quibus intersit Episcopus.*
1569 *In oppidis, in quibus non adest Episcopus, Regulares non possunt compelli ab Archipresbytero, ut accedant ad processiones.*
1570 *Qui possint instituere processiones ad quas tenentur ire Regulares.*
1571 *Regulares debent vocari per Clericos ad processiones.*
1572 *Vocati tenentur se transferre ad Ecclesiam Cathedralem, ut indè incipiat processio.*
1573 *Excusantur ab hoc onere si numerus Religiosorum sufficiens non fuerit.*
1574 *Quando censeatur sufficiens numerus?*
1575 *Quid si numerus Conventualium non sit sufficiens, & sint plures hospites in eodem Conventu, qui constituant numerum sufficientem?*
1576 *Regulares possunt facere processiones per vicos, & plateas, ubi de hoc datur consuetudo.*
1577 *In hoc Lusitaniæ regno datur talis consuetudo.*
1578 *Eadem consuetudo datur in multis locis Hispaniæ.*
1579 *In urbe Romæ fit quotannis processio B. MARIÆ de monte CARMELO magna solemnitate per medium totius urbis.*

DICO I. Omnes Regulares, etiam exempti, 1558
tenentur ire ad processiones ex decreto Trident. *sess.* 25. *c.* 13. Hæc autem obligatio est sub
mortali obligans non solùm Prælatos, sed etiam 1559
subditos, qui culpabiliter sunt causa hujus omis- 1560
sionis,

sionis, non tamen qui culpabiliter non accedunt, si aliàs Conventus accepit, ut *infra* dicemus §. 8. *hujus sectionis à n.* 1585. *de religiosis non euntibus ad chorum*; ita Pellizz. *Tract.* 5. *cap.* 11. *n.* 2. *&* 3.

Eximuntur tamen ab hac obligatione *primò* hi,
1561 qui in strictiore clausura perpetuò vivunt, ex Trident. *ibid. Secundò*, hi, qui verè ultra medium milliare à civitate absunt; ita declaravit sacra Congregatio 5. Maji 1592. apud Cherubinum *in Compendio Bullarum Tom.* 2. in Bulla 41 Pii V.

Tertiò, hi, qui in Collegiis vivunt; Pius V. in Bulla, *Etsi Mendicantium* anno 1567. Peyrin. *in annotationibus ad prædictam Bullam.*

Quartò, omnes illi, qui speciale habent privilegium, quale habent Carmelitæ Excalceati à Clemente VIII, Bulla 4. *juxta nostrum Compendium*, & à Paulo V. Bulla 4. *apud idem Compendium*, quale etiam habent Jesuitæ à Gregorio XIII. & alii, de quibus Novarius *in Lucerna Regularium verbo* processio *num.* 10.

1562 Dico II. Obligati ire ad processiones, si ad eas ire recusent, possunt cogi ab Episcopo non per censuras, sed per alias pœnas, ut privari à confessionibus audiendis, prædicatione verbi Dei in Ecclesiis non sui Ordinis; ita Gambar. Rodrig. Villalobos, Scortia, quos refert, & sequitur Belasius *verbo* processio *n.* 5

1563 Excipe, nisi aliqui Regulares quantumvis exempti habeant curam animarum; nam hi possunt puniri ab Ordinario, etiam per censuras, ut possunt alii Parochi sæculares; Pelliz. *ubi sup. n.* 7.

1564 Adverte tamen Regulares, qui ex privilegio non tenentur ire ad processiones, etsi sæpiùs ultroneè accessissent, non propterea ad id posse cogi ab Episcopis, cùm ex hoc nullum jus acquiratur contra illos; Quaranta quem refert, & sequitur Lezana *Tom.* 1. *c.* 9. *n.* 47.

1565 Et idem dicendum est etiam de non privilegiatis, si habeant consuetudinem decennariam non interessendi processionibus, etiam vocati; nam consuetudo decennaria præscribit contra legem; Pelliz. *ubi sup n.* 9. Moronius *responso* 12. *n.* 30.

1566 Dico III. Processiones ad quas Regulares possunt compelli ab Ordinario sunt, in festo Corporis Christi, in Lytaniis, quæ fiunt antè Ascensionem, non tamen in iis, quæ fiunt die sancti Marci; Belasius *verbo* processio *numero* 6. Moronius *responso* 12 *n.* 16. Item in Jubilæis; Peyrin. *ad Constit.* 7. Pii V. §. 29. *num.* 25. Et in processionibus, quæ pro bono pacis Ecclesiæ, vel pro victoria contra infideles indicuntur; Pius V. in Bulla *Etsi mendicantium*, apud Peyrin. *ibidem.*

Idem dicendum est, de processione, quæ fit imminente peste, aliôve Dei flagello, non tamen de processione, quæ fit pro Synodo celebranda; Bordon. *To.* 2. *res.* 68. *n.* 46. Benè tamen ad eam, quæ fit in adventu novi Antistitis; Barbosa *de potestate Episcopi allegat.* 78. *n.* 2. Vel in adventu Legati à Latere; Rodri. *Tom.* 3. *quæst.* 36. *art.* 1. & tandem in omnibus, & solùm illis, ad quas accedere obtinuit consuetudo regni, vel Provinciæ, aut diœcesis; Moronius *responso* 12. *n.* 16.

Undè si in aliquo loco esset consuetudo, quod 1567
Regulares non accederent ad processiones etiam publicas, non possent ad id cogi per Episcopum, ut declaravit sacra Congregatio, prout ex Campanili refert Peyrin. *Tom.* 3. *privil. c.* 2. *n.* 29. Imò addit Moronius *responso* 12. *n.* 16. ex Villalob. & Tusco Regulares teneri interesse iis solùm processionibus, quæ fiunt pro gravi causa; Idque *ex Cap. ni-*
mis prava de excessibus Prælator. & quibus ipsum 1568
Episcopum adesse contigerit. Et hinc infe. es cum eodem Villalobos, & Rodrig. ab Archipresbyteris
Ecclesiarum collegiatarum, aut parochialium in 1569
oppidis, in quibus non resident Episcopi Regulares, non posse compelli ad dictas processiones, quidquid cum Erasmo, Cochier & aliis contradicat Lezana *verbo* processiones *n.* 4.

Dico IV. Non solùm Ordinarii cujuscumque 1570
Episcopatus, sed etiam ipsis absentibus eorum Vicarii generales, cum consilio Capituli, & non aliter possunt indicere publicas processiones, ad quas etiam Regulares ire teneantur, qui etiam debent statuere Ecclesias, ad quas processio dirigenda sit; ita cum aliis Barbosa *de potestate Episcopi allegat.* 78. *n* 4. Vocari autem debent ad processiones Regulares non per edictum publicum, sed per Clericos; Peyr. *Tom.* 1. *in const.* 2 Sixti V. §. 1. *nu.* 52. Vocati autem tenentur se transferre ad Ecclesi-
am Cathedralem horâ statutâ, ut indè unà cum a- 1571
liis institui possit processio, & ad eandem Ecclesi-
am modò agminatim redire tenentur cum Clero, si 1572
ita ferat loci consuetudo. Intellige, si numerus Religiosorum Conventualium illius Conventus sit decens; nam si pauci sint, non tenentur accedere, ut declaravit sacra Congregatio, teste Barbosa *lib.* 1 *de triplici jure Ecclesiast. cap.* 43. *numer.* 165. Ad
numerum autem decentem requiruntur saltem 12. 1573
Religiosi; Bordon. *resol.* 7. *n.* 147. Pellizzar. *Tractat* 5. *cap.* 11. *n.* 17.

An autem in casu, quo in Conventu non sint 12. 1574
Conventuales, adsint tamen eo die in Monasterio

plures religiosi hospites, qui constituerent nume-
1575 rum sufficientem, teneantur Religiosi dicti Monasterii cum hospitibus interesse processioni? respondeo negativè: nam hospites non sunt subditi illius Monasterii, ac per consequens ad satisfaciendum obligationi illius materialiter se habent, ac si ibi non essent; Pelliz. *ubi sup. num.* 18.

1576 An autem Regulares possint facere processiones extraordinarias extra proprium Conventum per vias, & plateas? negat cum aliis communiter
1577 Barbosa *de potest. Episcopi allegat.* 78. afferens ad hoc plures declarationes sacræ Congregationis: sed hæc doctrina Barbosæ intelligenda est, nisi ad-
1578 sit consuetudo in contrarium, ut declaravit sacra Congregatio teste Lezana *verbo* processio *num.* 8.
1479 Hæc autem consuetudo datur in tota Lusitania, ut ego sæpè vidi, & etiam testatur Portel *in dubiis regularibus verbo* processio *numero* 12. Et eandem esse in multis locis Hispaniæ testatur Lezana *ibidem.* Et processio Confraternitatis B. MARIÆ de Monte CARMELO quotannis in ipsa urbe Roma fit per medium totius urbis, maximo cum plausu, & concursu principum, & dominorum Prælatorum, qui in valdè copioso numero in ea incedunt cum habitu, & insigniis antiquissimæ celeberrimæque hujus Archi-confraternitatis, prout testatur Lezana *ubi supra n.* 10. Undè in hoc standum est loci consuetudini, saltem à decem retroactis annis servatæ; Peyrinis *Tom.* 2. *privileg. in constitut.* PII V. §. 10. *num.* 13.

§. 8.

De obligatione, quam habent Regulares recitandi divinum Officium in Choro.

1580 *Laudabile est recitare D. Officium in Choro.*

1581 *Laudabile est D. Officium in Choro cum organo, & instrumentis musicis cantare.*

1582 *Ad perfectionem Religionis non est simpliciter necessarium Horas Canonicas in Choro recitare.*

1583 *Religio, quæ habet Chorum cæteris paribus perfectior est, illo carentibus.*

1584 *Communitates Religionum tenentur quotidie Horas Canonicas in Choro recitare.*

1585 *Hæc obligatio principaliter cadit in Prælatos.*

1586 *Si subditi fuerint in hoc negligentes, potest Prælatus eos ad Chorum cogere præcepto.*

1587 *Singuli non tenentur sub mortali ire ad Chorum.*

1588 *Si Prælatus esset negligens in hac obligatione, tunc obligatio communis obligat singulos.*

1589 *Idem dicendum est quando Conventus tenetur ex fundatione recitare quotide in Choro officium divinum.*

1590 *Regulares, qui ex consuetudine non recitant in Choro, non peccant mortaliter, si aliàs Choro per alios Religiosos satisfiat.*

1591 *Quam attentionem debeat habere Communitas in Choro.*

1592 *Communitas, quæ sine causa recitat Horas extra tempus legitimum sublato scandalo, non peccat mortaliter.*

1593 *Communitas, quæ invertit ordinem Officii divini, modò totum legat, secluso scandalo non peccat mortaliter.*

1594 *Idem dicendum est, si cesset Chorus in medio alicujus Horæ per notabilem moram.*

1595 *Stante rationabili causa prætermissio divini Officii in Choro in toto, vel in parte non est mortale.*

1596 *Hoc verum est, etiamsi fiat in die festo.*

1597 *Causa justa prætermittendi est, si non adsint quatuor, vel ad minus tres Fratres, qui commodè possint Choro interesse.*

1598 *Obligatio Chori impleri potest per solos Novitios.*

1599 *Occupati in pulsandis organis, deferendis libris, &c. satisfaciunt, etsi illo tempore non recitent.*

1600 *In Religionibus, in quibus sub mortali Religiosi non obligantur recitare in Choro, possunt Superiores ex levi causa omittere Officium divinum in Choro, vel in totum, vel in parte, vel permittere ut Matutinum statim post Completorium recitetur.*

1601 *Qui Breviario Romano utuntur, non tenentur sub mortali recitare officium Beatæ Virginis, vel psalmos Graduales vel Pœnitentiales, vel Officium defunctorum diebus, quibus in Breviario assignantur, nisi de hoc adsit consuetudo.*

1602 *In nostra Religione non recitare in Choro officium parvum* B. MARIÆ *in ferialibus diebus est peccatum mortale.*

1603 *Idem dicendum est de Officio defunctorum in 2. die Novembris.*

1604 *Omittens dictum Officium simul cum Officio diei unum tantùm peccatum committit.*

1605 *Omittere recitare Litanias majores, vel minores in Choro est mortale, non tamen illas omittere in particulari, juxta quosdam.*

1580 PRo explicatione hujus §. suppono *primò* laudabile nimis esse Horas Canonicas recitare, cùm hæc recitatio ex Spiritus sancti instinctu inducta sit in Ecclesiam: in hoc conspirant universi Doctores apud Vidal. *de Horis canonicis inquisit.* 1. *numero* 2. & ex sanctis Patribus, & scripturæ testimoniis latè probat Suarez *Tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 5.

Secundò suppono laudabilem esse consuetudi-
1581 nem recitandi in Choro Horas cum cantu organico, imò & cum musicis instrumentis, ut ex sanctis Patribus probat Pellizzarius *Tract.* 5. *cap.* 8. *numero* 2. & 3.

Tertiò suppono, ad perfectionem Religionis non
1582 esse simpliciter quid necessarium Horas in Choro canere seu recitare, cùm dentur aliàs sanctissimæ Religiones, præcipuè Societatis, in qua talis recitatio Horarum in Choro non reperitur; vota enim essentialia Religionis constitutiva in suo esse quidditativo, non requirunt cantum seu recitationem in Choro, ut ait D. Thom. 2. 2. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 5. Idem docent Vasquez, Valentia, & alii com-
1585 muniter apud Vidal *ubi supra* contra Sotum in hoc maximè deceptum; nam licet cæteris paribus sit perfectior Religio habens chorum ea, quæ choro caret, ut ex sanctis Patribus optimè probat Vidal *ubi sup. n.* 6. & noster jam aliàs citatus doctissimus NICOLAUS à JESU MARIA in suo sæpius recuso *Propugnaculo omnium Religionum*, seu *Apologia perfectionis* &c. *Propositione* 13. 56. & *seqq.* ubi ex SS. PP. & maximè Angelico Doctore, S. Thoma, uti semper solet, id egregiè confirmat: non tamen inde infertur Religionem hoc medio carentem vi meteri nomen Religionis, ut dixit Sotus, sed solùm cæteris paribus esse imperfectiorem illa, quæ Chorum habet, præcipuè si sit ex illis Religionibus, quæ vitam mixtam profitentur, ut *supra* diximus. His suppositis, & prænotatis.

1584 DICO I. Communitates Religiosorum tenentur sub mortali quotidie Horas Canonicas in Choro recitare; ita communiter Doctores apud nostrum Ven. Thomam à JESU in Expositione Regul. Carmelit. 3 *parte, capite* 7. *dubio* 1. *conclus.* 4. Lezanam *Tom.* 1. *qq. Reg. capit.* 12. *numero* 9. Caramuelem *in Theologia regulari disputatione* 101. *numero* 132c. & apud Dianam 10. *parte, tractatu* 14. & *miscelan.* 4. *resolut.* 3. licet oppositum non improbabiliter doceat novissimè Vidal. *in Arca Theolog. Moral. titulo de Horis canonicis inquisit.* 1. *num.* 31. & ut probabile videtur admittere Lezan. *Tom.* 1. *cap.* 13. *n.* 9. quatenus nostram opinionem vocat probabilissimam, Tancredus de Horis canonicis *Tract.* 4. *quæst.* 2. *dub.* 1. *num.* 11. Ratio nostræ resolutionis desumitur non ex *capit.* 1. *de celebrat. missar. in Clement.* cùm hic textus non tàm ponat, quam ex peculiari Regularium instituto, & Regula supponat talem obligationem, ut cum communi sententia advertit Caramuel *ubi sup.* sed ex universali consuetudine, quâ Regulares tale onus in se acceperunt; ut docent Armilla, Sotus, Filliucius, Layman. quos refert, & sequitur Caramuel *ubi supra* Diana 10. *p. tra.* 4. *miscel. resol.* 1. quibus adde Bordon. *res.* 30 *n.* 5. Bauni *de beneficiis disp.* 13. *q.* 1. *litt. A*, & alii apud ipsos.

DICO II. Hæc obligatio principaliter cadit in 1585
Prælatos Religionis, & monasterii, ut Abbatem, Priorem, Guardianum, & quemcumque alium. Ratio est, quia quoties obligatio cadit in aliquod mysticum corpus alicujus Communitatis, Caput talis corporis ratione sui muneris maximè tenetur curare, ut obligatio illa impleatur, quia ad Superiorem pertinet movere inferiores ad operandum. Undè si subditi fuerint negligentes potest eos co-
gere præcepto, ut Choro assistant, dum tamen præ- 1586
ceptum illis non imponit, non tenentur singuli
subditi ad id sub præcepto, imò Superior sine cau- 1587
sa non debet ponere tale præceptum, si adsint, qui religiosè, ac voluntariè Chorum sequantur, secùs
si excedens esset in hoc subditorum negligentia; 1588
quod si contingat Prælatum esse etiam in hoc negligentem, tunc obligatio communis obligat singulos, quia deficiente Prælato obligatiò munerum Communitatis descendit ad particulares; ita communiter Doctores apud Dian. 10. *p. tr.* 4. *miscel. re-*
sol. 1. & N. Thomam à JESU *loc. cit.* Et idem dicen- 1589
dum est quando Conventus tenetur ex fundatione recitare quotidie in Choro; nam tunc omnes tenentur ex justitia in Choro recitare: dummodo ad minus sint quatuor, qui possint recitare in Choro, & omittentes peccant mortaliter, cùm singuli alantur ex illis fructibus; Bord. *Tom.* 1. *res.* 30. *nu.* 9. Licet oppositum probabiliter doceat cum Regin. Palaus, & Diana, Tancredus *ubi sup. q.* 2. *dub.* 2. *n.* 9. dummodo per unius vel alterius absentiam non omittatur Chorus. In utraque tamen opinione, si omittant recitare, non tenentur ad restitutionem, nisi aliàs hoc testator expresserit; Bordon. *ubi sup.*

Et

Et ex his Conclusionibus nascuntur sequentes
1590 resolutiones. PRIMA Regulares, qui ex consuetudine non recitant horas in Choro non peccant mortaliter, si alias Choro per alios Religiosos satisfiat, cùm hæc obligatio non afficiat per se primò singulos, sed Communitatem; ita Diana *p. 3 tract. 2. resol.* 18. ex Suar. Filliuc. Bonac. & aliis, Tancredus *ubi supra n.* 11. contra Peregrinum.

SECUNDA, eodem modo judicandum est de Communitate in officio publico, quo de Sacerdote in officio privato, quia sicut tenetur Sacerdos
1591 sub culpa gravi divino Officio satisfacere; ita etiam tenetur Communitas. Undè illa attentio, & intentio, quæ requiritur, & sufficit in particulari requiritur, & sufficit in Communitate; & materiæ parvitas, quæ sufficit ad excusandum à mortifero Sacerdotem, sufficit ad Communitatem excusandam; ita Bonac. *de Horis Canonicis disp.* 1. *q.* 3. *p.* 1. *num.* 3. Diana 2. *part. de Horis Canonicis resol.* 41. Caramuel *ubi supra.*

1592 TERTIA Communitas, quæ sine causa legitima recitat horas extra tempus præscriptum, sublato scandalo gravi, non peccat mortaliter; Ita Bonacin. *ubi supra p* 3. *num.* 7. Gavant. *Tom.* 2. *sect.* 1. *cap.* 5. *&* 6. *n.* 9. Valent. *Tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 2. *p.* 20. Diana *ubi supra resol.* 14.

1593 QUINTA Communitas, quæ invertit ordinem divini Officii, modo totum legat ad quod tenetur illa die non peccat mortaliter secluso scandalo, &
1594 aliis circumstantiis; Ita Bonac. & Gavant. *ubi supra capite* 5. *tit.* 8. *numero* 3. Diana *ubi supra resolut.* 16. Tancred. *Tract.* 3. *de Relig. libro* 4 *quæst.* 2. quidquid alii dicant in contrarium. Idem dicendum, si Chorus cesset in medio alicujus Horæ à recitatione per notabilem moram; Ita cum Bonacin. Tancred. *ubi supra n.* 7. quod verum esse, etiamsi
1595 fiat in die festo semel vel bis, sine scandalo tamen, affirmat Tancr. *Tract.* 3. *lib.* 4. *de horis canonic. q.* 2. *dub.* 1. *n.* 11.

1596 SEXTA, stante justa & rationabili causa prætermissio
1597 Officii divini in Choro, vel in totum, vel in parte non est culpa; ita communiter DD. apud Vidal. *ubi sup. n.* 93. Causa autem justa prætermittendi erit, si non sint ad minus 4. Religiosi, Bord. *resolut.* 30 *n.* 8. Vidal. *ubi supra n.* 94. Pellizz. *ubi sup. n.* 50. licet Nald. *in annot. ad dist.* 5. *c. non mediocriter* dicat ad usum Chori tres ad minus requiri, & sufficere, in reliquis omnibus rebus, de Communitate ipsa, ut de singulis philosophatur. Vide circa hoc nost. supracitatum Ven. P. Thòmam *loco mox cit.* qui existimat duorum numerum sufficere ad chorum componendum, & ipsis assistentibus chorum propriè dici posse.

Sed quæres, an impleatur obligatio Chori si ad 1598
illum concurrant solùm Novitii? Respondeo affirmativè; Ita Pelliz. *ubi sup. n.* 49. licet alii negent apud Dian. 7. *p. tr.* 11. *res.* 5. Ratio autem nostræ resolutionis est; tum, quia in favorabilibus Novitii dicuntur Religiosi, ac per consequens dici potest per Religiosos Monasterii in prædicto casu impleri servitium Chori: tum, quia sicut Novitii gaudent privilegiis Professorum, ita possunt concurrere ad implendum illorum onus, quippe qui licet non sint incorporati Ordini, sunt tamen pars Communitatis religiosæ, & fruuntur illius gratiis, & privilegiis.

An autem Religiosi servitio Chori deputati v. 1599
g. in pulsandis organis, libris transferendis, *&c.* satisfaciant obligationi, si propterea aliquam partem divini officii omittant illam non canendo nec audiendo? Respondeo affirmativè; nam tunc Chorus cujus ministerio serviunt, tàm suo, quàm aliorum ministrantium nomine recitat, sicque ipsi censentur moraliter recitare modis dictis divino Officio cooperantes usu sic permittente; Ita Layman. Arag. Reginald. Azor. Molfes. Naldus, Villalob Cruz, Raphael de la Torre, quos refert, & sequitur Diana 2. *parte, tractatu* 12. *resolutione* 13. & noster Stephanus à S. Paulo *Tract.* 4. *disp.* 12. *n.* 21. quidquid in contrarium dicat Palaus, Suar. Bonacina, quos refert, & sequitur Pellizzar. *ubi suprà num.* 40.

An autem in illis Religionibus, in quibus sub 1600
mortali præcipitur in suis Constitutionibus, ut recitentur quotidie in Choro Horæ Canonicæ, possint Superiores sine omni culpa permittere aliquando, ut omittantur in choro, vel in toto, vel in parte, & etiam, ut Matutinæ preces recitentur post Completorium, & non de nocte matutinali tempore? Respondeo affirmativè: ita cum Valent, Cajet. Bon. & aliis Bord. *ubi sup. n.* 7. Vid. *ubi sup. n.* 95.

DICO III. Religiosi, qui Breviario Romano u- 1601
tuntur, non tenentur recitare in Choro officium B. Virginis, vel defunctorum, aut Psalmos graduales, seu pœnitentiales diebus præscriptis in Romano Breviario, nisi aliàs detur universalis consuetudo in tali Religione illud recitandi, siquidem Pius V. ab hac obligatione eos exemit. Undè cùm in nostra Religione detur universalis consuetudo recitandi officium B. Virginis in diebus ferialibus, omissio illius in Choro erit peccatum mortale; Ita
Suar. Rodri. Filliuc. & alii, quos refert, & sequitur 1602
Pel-

Pellizzar. & ex nostris Thomas à Jesu in Exposit. Regular. Carmel. 3. *part. cap.* 7. *dub.* 4. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 21. Franciscus Bonæ-Spei *Tom.* 1. *Tract.* 2. *de Religione, disp.* 2. *dub.* 2. §. 4. & Stephanus à S. Paulo in sua Theologia Morali *Tract.* 4. *disp.* 12. *dub.* 3. §. 3. licèt de privata recitatione id neget pro Carmelitis. Idem dicendum est de officio defunctorum, die 2. Novembris, licèt aliqui recentiores relati à Molfesio, & Pellizzar.
1603 *ubi suprà, num.* 48. non improbabile contrarium reputent, sed nostra sententia est communis, ut testatur ipse Pellizzar. licèt in partem contrariam inclinare videatur; sed immeritò, cùm nostra assertio communi Religionum, & Ecclesiæ consuetudini innitatur; dicere autem hanc Consuetudinem introductam fuisse ex devotione, vel ex errore, est incidere in opinionem Vidal. negantis obligationem sub mortali recitandi Officium divinum in Choro; quòd si illam opinionem rejicit Pellizzar. propter communem Consuetudinem, cur de obligatione hujus consuetudinis dubitat, vel ergo utrumque negandum, vel admittendum, cùm major ratio non detur, ad hoc, ut una consuetudo ex errore, vel devotione procedat, quàm alia.

1604 Quòd si quæras, an omittens dictum officium defunctorum die 2. Novembr. simul & divinum, committat unum, an duplex peccatum? Existimo unum tantùm committere, cùm duo illa officia die illa per modum unius præcepti imperentur; Ita Pellizzar. *ubi suprà, num* 48. Tancred. *de Religione, Tract.* 3. *lib.* 4. *quæst.* 5. *num.* 18. licèt oppositum teneat Diana 9. *part. tract.* 7. *resol.* 29.

1605 Si tandem inquiras, an omissio Litaniarum in Choro, vel Processionibus in diebus Rogationum, vel S. Marci, sit peccatum mortale? Respondeo affirmativè, propter Ecclesiæ universalem consuetudinem; non interessentes tamen hujusmodi Litaniis probabile est non peccare mortaliter, si illas omittant; ita Macignus, Vasq. Molfesius, & alii, quos refert, & sequitur Diana 2. *part. tract.* 12 *resol.* 42. Homobonus, quem refert, & sequitur Pellizzarius *ubi suprà. num.* 47. Tancred. *de Religione, Tract.* 3. *lib.* 4. *quæst.* 1. *num.* 18. Videantur circa hæc nostri Lezana & Franciscus *loc. citatis.*

§. 9.

De obligatione, quam habent Regulares recitandi privatim Horas Canonicas.

1606 *Omnes Religiosi professi choro destinati, etsi non habeant sacros Ordines, teneantur Horas Canonicas recitare.*

1607 *Numerantur Religiosi, qui ab hac communi regula eximuntur.*

1608 *Juxta quam formam Breviarii teneantur Religiosi Horas Canonicas recitare?*

1609 *Religiosus obligatus recitare juxta Breviarium Romanum, recitans uno, vel altero die juxta formam alterius, non peccat mortaliter secundùm aliquos.*

1610 *Religiosus carens proprio Breviario, tenetur uti alieno.*

1611 *Regulares extra suas domos possunt recitare Officium divinum cum Religiosis alterius Ordinis, vel separatim, aut cum sæculari, juxta formam Breviarii eorum.*

1612 *Regulares recitando de Sancto, quando recitandum erat de Dominica, vel de feria, non peccant mortaliter.*

1613 *Recitantes officium Resurrectionis pro quolibet alio officio, peccant mortaliter.*

1614 *Qui ex oblivione vel errore non recitavit suo die de aliquo Sancto, potest de eo recitare primo die non impedito.*

1615 *Qui per errorem die antecedente recitavit de aliquo Sancto, de quo die sequenti erat recitandum, non tenetur iterùm de eo recitare.*

1616 *In sequenti die debet recitare de festo, de quo die antecedenti erat recitandum.*

1617 *Qui per errorem recitavit Matutinum de feria, potest alias Horas recitare de Sancto, secundùm quorundam sent.*

1618 *Quando officium est simplex, potest ut duplex recitari sine mortali.*

1619 *Dicere Horas in alia lingua, quàm latina, non est mortale, juxta aliquos.*

1620 *Recitantes Horas cum interruptione sine causa, non est mortale.*

1621 *Si horarum Ordo absque contemptu invertatur, non est mortale.*

1622 *Idem dicendum est, si invertantur Psalmi unius Horæ.*

1623 *Dicere divinum Officium syncopando verba in notabili quantitate, erit mortale.*

1624 *Si tantum syllabas omittat, non erit mortale.*

1625 *Qui solus recitat, non est necesse, ut etiam à se ipso audiatur, sed sufficit, ut labia, & linguam moveat, dummodo se ipsum percipiat.*

1626 *Religiosi, quando recitant, tenentur sub mortali habere intentionem, saltem virtualem orandi, & non sufficit intentio assistendi Choro.*

DICO I. Omnes Religiosi professi Choro destinati, tenentur sub mortali Horas Canonicas privatim recitare; ita Doctores communiter: licèt non desint nonnulli, qui contrarium affirment de Religiosis nullo sacro Ordine insignitis, quos refert Diana 10. *part. Tract.* 11. *resol.* 45. At quidam hanc sententiam apud eundem Dianam *loc. cit.* non modò improbabilem, verùm etiam temerariam censent. Ratio nostræ resolutionis sumitur ex universali consuetudine in omnibus Religionibus recepta, & non ex jure divino, vel Ecclesiæ præcepto, quia id non constat, ut testatur Bauni *de beneficiis, disp.* 13. *quæst.* 2. *litt.E.* & alii communiter. 1606

Hinc fit, quòd ab hac obligatione eximuntur PRIMÒ Religiosi earum Religionum, in quibus talis usus nunquam fuit, ut sunt Militares ad militiam destinati, Hospitalarii, & Religiosi Societatis, etiamsi sint professi, dummodo non sint sacris Ordinibus initiati; ita Sanch. *lib* 7. *Consil. cap.* 2. *dub.* 3. *num.* 7. Ex Medina, Armilla, Cajetano, Bonacin. & aliis communiter. 1607

SECUNDÒ Laici, & Conversi; ita Suarez *Tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 72. *num.* 2. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 4. & N. Thomas à Jesu *loc. cit.* & alii communiter. Et idem dicendum est de Professis destinatis ad Chorum, si ad statum Laicorum legitima Superiorum potestate redacti sint; transferuntur namque ad statum, in quo prædicta obligatio Officium divinum recitandi non reperitur; Ita Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 7. *num.* 8. ex Soto, Aragon. Azor. Fragos. 2 *part. lib.* 10. *disp.* 22. §. 4. *num.* 8. qui hoc etiam *ibidem* affirmat de translato ad Laicorum statum ad tempus, contra Azor. Imò Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 30. *num.* 16. addit hoc procedere, etiamsi Religiosus sit jam in sacris constitutus, si ob sua demerita ad statum laicalem à Prælatis Religionis transferatur; tenentur tamen hi omnes suas preces recitare non ex consuetudine obligante ad mortale, ut volunt cum Angel. Baunius *de Beneficiis, disp.* 3. *quæst.* 1. Palud. Sylvester, & alii apud Suar. *ubi suprà, num.* 2. sed juxta modum suæ Regulæ; Pellizzar. *Tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 56. & nostri Lezana & Thomas *suprà cit.*

TERTIÒ

TERTIÒ eximuntur Novitii, nisi aliàs sint sacris Ordinibus insigniti, non enim sunt Religiosi; Suar. Navar. Lessius, & alii, quos refert, & sequitur Tamburin. *de jure Abbatum, Tom. 2. disp.* 10. *quæsito* 1.*num*.3.

QUARTÒ eximuntur Religiosi translati à Religione, in qua tenebantur divinum Officium recitare ad Religionem, in qua non est talis consuetudo; nam consuetudo non obligat, ubi recepta non est; Suar. Bonac. quos refert, & sequitur Trullench. *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 12. §. 1. *num*.3.

QUINTÒ, eximuntur Religiosi legitimè à Religione ejecti, sive ad tempus, sive in perpetuum, si sacris Ordinibus non sint insigniti; constituuntur namque in statu, in quo non adest talis consuetudo; Ita Pellizzar. *ubi suprà, num.* 59. ex Bonacina, Soto, Angel. Lezana, Suarez, Lessio, & aliis contra Rodrig. *Tom.*1.*quæst.*30.*art.*20. Sanch. *lib.*7. *Consil. disp.* 4. *num.* 3. asserentes hanc resolutionem tantùm habere locum in casu quo per Religiosum non stet, quò minùs iterùm recipiatur; secùs, si per eum stet; sed nostra sententia probabilior est, quæ procedit sive justè, sive injustè talis Religiosus ejectus sit; Bordonus *ubi suprà, num.* 4. Idem dicendum est de Religioso, cum quo est dispensatum, ut ducat uxorem, postquam à Religione exivit; Sanchez, Macignus, quos refert, & sequitur Fragosus 2 *part. lib.*10. *disp.*22. §.4. *num*.6. Et de Religioso in sacris non constituto dispensato ad manendum extra Religionem in perpetuum; Bonac. quem refert, & sequitur Bordon. *ubi suprà, num*. 15.

Secùs dicendum est de dispensato ad breve tempus ad vivendum extra Conventum, ut si Religiosus iter faciat; ita Trullench. *in Decal.lib.*1. *cap.*7. *dub.*12.§.1.*num*.4. ex Suar. & Bonacin. quidquid dicat Caramuel. eos etiam excusans, quem rejicit Diana *part.*7. *tract.*11. *resol.*4. ex Herrera, & aliis.

SEXTÒ eximuntur Religiosi damnati ad triremes, si non sint in sacris constituti; Layman. *lib.* 10.*tract.*1.*cap.*4. *num.*2. Gavant. *sect.*1. *in rubricas Breviarii, cap.*4.*num.*16. Azor.1 *part. lib.*10. *cap.*5. *quæst.*9. Bonacin. *disp.*1. *& part.*2. *num.*3. Tambur. *de jure Abbatum, Tom.* 2. *disp.*10. *quæsito* 1. *n.*7. Imò, etiamsi sint in sacris constituti; afflicto namque non est addenda afflictio; Ita Diana, Homobon. Lessius, Rodrig. quos refert, & sequitur Bord. *Tom.*1. *resol.*30. *num.*13. Pellizzar. *tract.*5. *cap.* 8. *num.*61. & ex nostris Franciscus Bonæ-Spei *Tract.*2. *de Religione, disp.*2. *num.*70. & Stephanus à S. Paulo *Tract.*4.*disp.*12.*dub.*3. *num.*15. Idem de fugitivo in sacris non constituto affirmant Sotus, Angelus, quos refert, & ut probabile sequitur Fragos. *ubi suprà, num.* 6. Bonacin. *de Horis Canonicis, disp.*1. *quæst.*2. *part.* 2. *n.*6. contra Lessium, Navar. & alios, quos *ibidem* refert, & sequitur Fragosus.

Secùs dicendum est de excommunicatis, suspensis, depositis, aut degradatis; nam hi omnes tenentur divinum Officium recitare. Tum, quia talis obligatio recitandi est annexa non solùm Ordini sacro, sed etiam statui religioso, quamdiu Religiosus vivit sub Regula Ordinis; sed iste Religiosus vivit sub Regula, ergo. Tum, quia excommunicatus, suspensus, &c. privantur quidem honoribus, non tamen oneribus, cujusmodi est obligatio recitandi, alioquin ex proprio delicto meliorem facerent suam conditionem; ita cum aliis nostri Petrus Cornejo *Tom.* 2. *in* 3. *part. Tract.*5. *de Excommun. disp.*10. *dub.*2. Lezana *Tom.* 1. *Summ. qq.R. cap.*12. *num.*6. Navarr. & alii, quos refert, & sequitur Sanch. *in Consiliis, lib.*7. *cap.* 2. *disp.*34.

Adverte tamen excommunicatum recitantem non posse dicere *Dominus vobiscum*, nec cum alio recitare; cùm dicere *Dominus vobiscum* spectet ad Ordinem, & recitare cum alio sit in hoc casu communicare in divinis, quod est vetitum excommunicatis; ita Trullench. *ubi suprà*, §.2.*num*.3. Vide N. Franciscum *loc. cit.*

DICO II. Omnes Religiosi tenentur recitare juxta formam Breviarii Romani, exceptis illis, qui 1608
ex institutione à Sede Apostolica approbata, aut Consuetudine ducentos annos excedente eximuntur, idque ex Bulla Pii V. edita in confirmationem sui Breviarii: habentes tamen tale privilegium utendi proprio Breviario, possunt privatim uti Romano, relicto proprio suæ Religionis, nisi adsit speciale præceptum; Ita Sanch. *in Consiliis, Tom.* 2. *lib.*7. *cap.*2. *dub.*23. *num.*2. Diana 2. *part. tract.*12. *resol.* 10. *& part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 135. *& part.* 7. *tract.*11. *resol.*8. Belasius *verbo* Breviarium, *num* 1. & ut probabile tenent Pellizzar. *tract.*5.*cap.*8.*n.*18. Navar. *lib.* 3 *Consil. de celebrat. Missar. consil.* 16. Bonac. *disp.*1. *de Horis Canonicis, quæst.* 3. *part.*1 *n.*5. Reginald. *lib.* 18.*n.*173. noster Stephanus à S. Paulo *loc. cit.* Portel. *in dubiis regular. verbo* Horæ Canonicæ, *num.*6. Lessius, Cajetan. Sa, Suar. quos refert, & sequitur Trullench. *ubi suprà, num.*3. licèt oppositum cum aliis teneat Tambur. *Tom.* 2. *disp.* 10. *quæsit.*7. *num.*4. & Franciscus Bonæ-Spei *loco cit. num.*139. *& seqq.* maximè *num.*143. *&* 146. ubi plura reperies observatione dignissima ex Bullis

Pontificiis & decretis sacræ Rituū Congreg. Ratio verò nostræ conclusionis est: Nam recitans juxta Breviarium Romanum, conformat se Ecclesiæ Romanæ, quæ est omnium Mater.

1609 An autem obligatus recitare Breviarium Romanum, si uno vel altero die recitet ex alio Breviario, v. g. Dominicano, peccet mortaliter? Respondeo negativè; Ita Cruz, Reginald. Navarr. quos refert, & sequitur Diana 2.*part.tract.* 12.*resol* 10. Belasius *verbo* Breviarium, *num.* 4. Trullench. *ubi suprà, num.* 3. quibus consonat Caramuel. *disp.* 109. *num.* 1394. licèt Garcia *de beneficiis, Tom.* 1. *part.* 3. *cap.* 1. *num.* 150. cum aliis contrarium teneat; nam cùm hæc mutatio parva sit, non videtur notabiliter adversari menti summi Pontificis.

1610 Imò, si Religiosus careat proprio Breviario, tenetur uti alieno; nam præceptum Juris communis de recitando divino Officio prævalet cuicumque præcepto recitandi ex hoc, vel ex illo Breviario; Ita Lezana *verbo* Breviarium, *num.* 6. Pelliz. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 70.

1611 Tandem Regulares habent privilegium Innocentii IV. ut extra suas domos possint recitare divinum Officium cum Religiosis aliarum Religionum juxta sua Breviaria, ut diximus *in Tractatu* 2. *de Privilegiis, disp.* 2. *sect.* 3. §. 3. *num.* 158. & docet Tamburinus *ubi suprà, num.* 5. Imò Pellizzarius *ubi suprà, num.* 77. addit, posse hoc illos facere absque socio alterius Religionis, separatim, vel cum Laico.

1612 Dico III. Regulares mutando Officium, v. g. recitando de Sancto eo die, quo recitandum erat de Feria, etiam sine causa, secluso contemptu, non peccant mortaliter, ut diximus *in Tract. de Privileg. ubi suprà, num.* 153. cum Cajetan. Layman. Zerolla, Lessio, Valent. Silv. Soto, Medina, Armil. Azor Filliuc. & aliis, quos refert, & sequitur Diana 2. *part. tract.* 12. *resol.* 3. Tancred. *Tract.* 3. *de Relig. lib.* 4. *disp.* 11. *quæst.* 2 *num.* 4. Et ratio est, quia substantia præcepti tantum est, ut recitentur septem Horæ Canonicæ, quòd autem Officium sit de Feria, vel de Sancto, est quid accidentale; unde per mutationem Officii non violatur substantia præcepti, sed tantùm modus, quod non sufficit ad mortale; sed contrariam sententiam acriter defendit contra Caramuelem N. Franciscus Bonæ-Spei in sua *Nocte Belgica dub.* 24. *resol.* 3. *& Tom.* 5. *Theolog. Tract.* 2. *disp.* 2. *dub.* 2. *num.* 116. *& seqq.* ubi fusiùs præter morem de hoc agit.

An autem ex hac doctrina sequatur, posse loco Officii dici Officium Resurrectionis? affirmat Caramuel *disp.* 108. *in Regula S. Benedicti, num.* 1387. *& in Theologia fundamentali, fundamento* 53. §. 12. Leandrus *de Sacramentis*, quem refert Diana 10 *part. tract.* 11. *resol.* 16. favet Lessius *cap.* 37. *dub.* 12. 1613
Verùm à contraria sententia non est recedendum, quam cum aliis docet Diana 10. *part. tract.* 11. *resol.* 16. *&* 7. *part. tract.* 9. *resol.* 7. Scobar. *in examine Theologiæ moralis, tract.* 5. *examine* 5. *num.* 39. Busenbaum *in medulla Theologiæ moralis, lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 2. Tancred. *Tract.* 3. *de Relig. lib.* 4. *quæst.* 11. *num.* 15. N. Franciscus jam citatus *loc. cit.* imò ipse Caramuel in secunda editione suæ Theolog. Fundamentalis priorem suam sententiam hanc ponendo conclusionem revocat: *Non licèt mutare aliud Officium in Officium de Resurrectione: adeoque peccabit mortaliter, qui de Resurrectione legit, si debeat legere de Dominica, Feria, vel Sancto.* Sic ille. Ratio autem est, quia licèt Canonici Officii ratio in omnibus militare videatur, usus justè contrarium obtinuit, quòd speciale privilegium sit illi solemnitati, & etiam Spiritus sancti concessum, quod adeò verum est, ut nec Officium Resurrectionis pro Officio Pentecostes dici posse existimem cum Tancredo *ubi suprà*, quia illa forma his diebus cum talibus Psalmis & Antiphonis videtur de substantia.

Dico IV. Religiosus, qui ex errore, aut oblivione non recitavit propria die Officium de festo duplici, aut semiduplici, potest de eo recitare prima die non impedita Festo novem lectionum; ita Quintanad. *Tract.* 8. *sing* 9. Pellizzar. *Tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 74. Trullench. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 7. *dub.* 14. *num.* 11. Ratio est, quia ignoranti non currit tempus, *l. quamdiu, qui admittit ad bonorum possessionem.* Quando ergo Religiosus cognoscit se debuisse recitare die antecedenti de aliquo Festo, perinde est, ac si tale Festum non transisset, sicque poterit recitare die non impedita. Quòd si quis die antecedenti per errorem recitat de Sancto, de quo erat recitandum die sequenti, non tenetur iterùm de eo recitare, quia jam divini Officii pensum illi Sancto persolutum est, & debitum anticipatè solutum non tollit rationem plenæ solutionis, sed die sequenti debet recitare de Festo assignato in die, in qua recitatum fuit de Sancto nondum occurrente, sicque utrique debitum Officium persolvitur, nullusque privatur suo cultu, quod si recitandum fuerat de Feria, vel de Sancto simplici die, quo præventa fuit recitatio de Sancto, tunc non potest de his recitari, cùm non trans- 1614 1615 1616

transferantur, sed hæc procedunt de recitatione privata, licet aliquando possent etiam locum habere in Choro, si absit scandalum: Ita Quintanaduennas *supra singul.* 10. Pellizzarius *ubi supra*.

1617 Sed quæres, an qui per errorem recitavit Matutinum de Feria pro Matutino de Sancto, teneatur iterum repetere Matutinum, aut debeat dicere horas de Feria, ut huic præcepto satisfaciat? Respondeo tunc posse dicere horas de Sancto, quidquid dicat cum Carmuele Diana *part.* 7. *tract.* 11. *resol.* 11. Nam mutatio non fuit in officium notabiliter brevius, & hic currit illa regula de officio pro officio. Quia cum sit probabile dari octo præcepta de Divino officio, probabile etiam erit, saltem in hac sententia unicuique horum præceptorum plenè fuisse satisfactum, ut etiam in hac sententia admittit Diana *ubi supra*. Ita Pellizzarius *Tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 74. Bonacina, quem & alios refert Trulenc. *in Decal. lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 19. *num.* 2.

1618 An autem quando officium est simplex possit dici ut duplex, vel è contra absque mortali? negat Lezana *Tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 19. sed immeritò, cùm minor deformitas sit in mutatione ritus, quam in mutatione officii, cum ergo tot tantique Doctores concedant hanc mutationem officii, non est cur dubitemus de mutatione ritus, nisi aliàs detur contemptus, vel grave scandalum; Ita Pellizzarius *Tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 76.

1619 Et idem dicendum est propter eandem rationem, si horæ in alia lingua, quam Latina dicantur; nam cum tantùm mutetur ritus satisfit præcepto quoad substantiam; Ita Diana 9. *part. tractat.* 7. *resol.* 67. Trulenc. *in Decal. lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 14. *num.* 10.

An autem si hoc sine causa fiat sit mortale? quia opponitur communi usui Ecclesiæ? Affirmat Trulenc. *ubi supra* ex Palao, Diana *ubi suprà*; sed contrarium tenet Bonac. *de horis canonicis disp.* 1. *q.* 3. *p.* 1. *num.* 15. Escobar *de Horis Canonicis q.* 4. §. 2. *n.* 5. Pellizz. *tract.* 10. *cap.* 6. *n* 17.

1620 Dico V. Religiosi recitantes Horas Canonicas cum interruptione sine causa, non peccant mortaliter; Ita Lessius, Filiucius, Bonac. quos refert, & sequitur Trulenc. *ubi supra dub.* 15. *n.* 11. Fernandez, Vega, Zanard. Barbos. Aragon, & alii apud Dian. 2. *part. tract.* 12. *resol.* 4. & nostri Franciscus *loc. cit. num.* 47. & Stephanus à S. Paulo *loc. cit. num.* 19. contra Vasq. Navarr. & alios apud eundem Dianam, nam hujusmodi circumstantia non pertinet ad substantiam præcepti, sed ad modum, imo singuli versiculi habent suam significationem, & sensum completum. Unde si cum aliqua causa interrumpatur, nec veniale erit, etsi officium interrumpatur in medio unius Psalmi per multum tempus, dummodo sit intentio continuandi, ut advertit Pellizzarius *tract.* 5. *cap.* 8. *n.* 79.

Idem dicendum est, si ordinem horarum absque 1621
contemptu invertant, v. g. dicendo Tertiam ante Primam, vel si invertantur Psalmi unius Horæ inter se, vel si non recitato Completorio unius diei dicatur Matutinum alterius; nam ordo Horarum non est de substantia, sed tantum pertinet ad modum accidentalem; ita ex Soto, Cajetano, Navar- 1622
ro, Ledesma, Pedraza, Aimilla, & aliis Bonac. *de horis canonicis disp.* 1. *quæst.* 3. *part.* 4. *n.* 2. & ex Suar. Azor. Toleto, Lessio, Tiberius *quæst.* 98. nost. Franciscus *loc. cit. num.* 53. Trulenc. *in Decal. lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 19. *num.* 2. contra Vasquium.

Dico VI. Dicere Horas Canonicas syncopan- 1623
do verba, vel versus, erit peccatum mortale, quando ex tali modo dicendi officium integrè non dicitur quoad partem notabilem, quia hoc est idem, ac omittere partem notabilem; Ita ex Bonacina, & Villalobos, Trulenc. *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 16. *num.* 3. & nost. Franciscus B. Spei *loc. cit. num.* 47. quod si verba non omittantur sed tantum syllabæ, syncopando illas, tunc tantum erit veniale, cum 1624
adhuc maneat sensus, & significatio verborum, ita communiter doctores apud Trulenc. *ubi supra*.

An autem qui solus recitat teneatur ita pronun- 1625
tiare, ut ab alio, & à se ipso audiri possit? Respondeo negativè, sed sufficit quod tantum linguam, & labia moveat, dummodo seipsum percipiat, & non solum in gutture pronunciet: Ita ex Azorio, & Filiucio Diana 2. *part. tract.* 12. *resol.* 11. contra Reginald. Suar. & alios, nam hic verè non solum mente, sed ore precatur.

Dico VII. Religiosi, quando recitant, tenen- 1626
tur sub mortali habere intentionem orandi, & non sufficit intentio assistendi Choro per præsentiam corporalem; nam cùm recitatio Horarum sit actus Religionis, debet procedere ex intentione pertinente ad Religionem. Tambur. *de jure Abbatum Tom.* 1627
2. *disput.* 10. *quæsit.* 9. *num.* 3. & alii communiter, sufficit autem intentio tacita, & implicita, ita communiter DD. apud Palaum *Tom.* 2. *disp.* 2. *part.* 3. *num.* 3. non tamen requiritur intentio adimplendi præceptum: nam ad implendam obligationem legis, sufficit ut quis faciat rem præceptam; ita ex Portel, Lessio, Sanchez, Aragon. Henriq. Garcia, Squilante, Valent. Vasq. Molfes. Filiucio, Nald. &

1628 aliis Diana 2.*part.tract.*12.*resolut.*37. contra Azorium, & alios, quæ doctrina vera est, etiamsi intra tempus præcepti non mutet intentionem, sed satis est, si se satisfecisse sciat; ita cum Sanch. Diana *ubi suprà*, contra Suarium, Aragon. & alios; hæc tamen doctrina locum non habet, quando Religiosus non solum non habuit animum adimplendi præceptum, sed etiam non repetendi; nam tunc tenetur mutare intentionem, quatenus ex lege Divina tenetur subdi legi, contra quam peccavit, recitando officium sine intentione satisfaciendi, & cùm animo illud non repetendi, ut notavit Sanchez *lib.*1.*in Decalo.cap.*13.*num.*15.

1629 An autem in recitatione Horarum requiratur sub mortali attentio? Respondeo requiri attentionem externam, hoc est, quod assistat cum externa reverentia, ita ut dici possit actum Religionis exercere, non tamen requiritur attentio interna. Unde etiam si voluntariè quis distractus recitet non peccabit, nisi tantùm venialiter; Ita ex Durando, Silvestro, Lessio, Medina, Angelo, D. Antonino, Vega, Rosella, Paludano, Coninch, Valero, Henriquez, Layman. & aliis Diana *ubi suprà resolut.* 2. Contrariam sententiam tenent, ut *ibidem* testatur idem Diana, omnes ferè Recentiores, quorum longum agmen ibi adducit: his adde præter alios complures nost. Lezanam *Tom.*1. *cap.* 12. *num.*11. Franciscum Bonæ Spei *loc.cit.num.*50. Imo Pellizzarius, licet in contrariam inclinet sic tamen confitetur: *Concedo communem ac probabiliorem Doctorum sententiam habere recitantem Horas sine ulla attentione interna per partem notabilem ex genere suo peccare mortaliter, &c.* Ita ille *Tract.*5.*cap.*8.*n.*34. Ratio autem est, quia esto detur Ecclesiam posse præcipere actus internos concomitanter, ac per consequens internam attentionem in hac recitatione; non constat tamen illam de facto præcepisse, cum ad essentiam orationis sufficiat attentio externa, quàm *suprà*, explicuimus, ergo non est
1630 cur talem obligationem imponamus. Hinc fit, quod si quis recitando advertenter in operibus externis incompatibilibus cum attentione orationis, ut sunt scribere, legere, vel aliud tale faciat, quod totum animum ad se avocet, non satisfacere huic
1631 præcepto; secus si tales actiones non requirant tantam animi advertentiam, ut si quis recitet induens se, vel calceans, vel deambulans per hortum; Ita Sanch *lib.*7. *Consilior. cap.*2. *disp.*32. cum Navarro, Medina, & aliis advertit cum P. Suarez noster Lezana *loco cit. num.*14. esse peccatum veniale sic recitare: quia est aliqua irreverentia ita loqui cum Deo, & quia impeditur perfecta attentio.

Dico VIII. Recitantes cùm sociis, non debent 1632
facere tres choros, sed tantùm duos; nam talis modus psallendi non est usitatus in Ecclesia. Unde 1633
non possunt duo Psalmos recitare, & alter tertius
legere lectiones, poterunt tamen si duo fuerint ex 1634
uno choro, & alius ex altero, dicere quilibet suam
lectionem, ut patet ex consuetudine. Imo si u- 1635
nus ex recitantibus tantum legat omnes lectiones, orationes, & Hymnos, ac responsoria Divino officio satisfacient; Ita ex Suar. Bonacina, & aliis Trulenc. *ubi supra dub.*16. *numer.* 7. Pellizzarius *tract.*5.*cap.*8.*num.*91. nost. Franciscus *loc. cit. num.*
51. *&* 52. Imo si unus per se solum recitet omnes 1636
Psalmos, & ab alio audiat omnes lectiones, suæ satisfacit obligationi; cùm quoad eam partem communicet cum socio, tum audiendo lectiones, tum recitando responsoria. Et idem dicendum est si partem Psalmorum recitet cum socio, & partem per se solum; ita Pellizzarius *ubi supra.*

Dico IX. Obligatio recitandi officium Divi- 1637
num incipit à media nocte antecedentis diei, & finitur ad medium noctis sequentis diei. Unde recitantes in hoc intervallo, sive totum mane, sive totum vespere persolvant, non peccant mortaliter, neque etiam venialiter, si hoc ex causa faciant, ut ratione occupationis venturæ, itineris, studii, devotionis, &c. ita communiter Docto-
res apud Pellizzarium *ubi supra num.* 102. Lauda- 1638
bilius tamen est horas anteponere, quam postponere ut advertit Sanch. *lib.*7. *consil. cap.* 2. *dub.* 36. *num.* 4. addens recitantem in Quadragesima non teneri dicere vesperas mane: nam *C. solent de consecrat. dist* 1. ubi id præcipitur loquitur de vesperis in Choro.

Adverte tamen officium matutinum cum lau- 1639
dibus posse dici die antecedenti hora tertia post
meridiem. Bonacina, Villalobos; & alii, quos re- 1640
fert & sequitur Trulenc. *ubi supra dub.*18.*numer.*8. Imò Sanch. *in consil.*2.*p.lib.*7. *cap.*2.*dub.*37. addit non peccare mortaliter, sed tantum venialiter, qui
sine ulla causa recitaret Matutinum diei crastinæ 1641
hora secunda post meridiem quocumque anni tempore, etiam si nondum recitaverit Vesperas, & Completorium, & subsistente aliqua causa, nullum peccatum etiam veniale committere, quam sententiam etiam approbat Trulenc. *ubi supra.* nost. Stephanus supracit. *num.* 20. quem etiam vide circa seq. doctrinam; Ledesma, quem refert, & sequitur Diana 4.*part.tract* 4. *resol.*9. Imo aliqui,

qui,

qui, quos ibi refert, & rejicit Diana addunt,
1642 quod si quis in Quadragesima, quando Vesperæ ante prandium dicuntur, post medium diem diceret Matutinas diei sequentis, nec peccare mortaliter, nec teneri iterum ad recitandum, quia jam videtur incepisse dies sequens, nam illud tempus cum sit hora vesperarum, pertinet ad sequentem diem.

1643 Dico X. Religiosus omittens totum Divinum officium una die, unum tantum peccatum committit, cùm unico tantum præcepto totum officium præcipiatur, ut ex Navar. Vasq. Suar. Bonacina & Garcia docet Palaus *Tom. 2. disp. 2. part. 5. num.* 1. non enim præcepta debent sine manifesta
1644 ratione multiplicari. Imo si talis Religiosus sit sacerdos, vel etiam beneficiatus, adhuc omittens totum officium Divinum unicum peccatum committet; quia licet ex triplici titulo ad illud teneatur, hi omnes tituli procedunt ex virtute Religionis: qui autem violat unam tantùm virtutem, unum tantum peccatum committit: ita Palaus *ubi supra num.* 3. Garcia, Henriquez, Salas, Homobonus, quos refert & sequitur Diana 2. *p. tract.* 12 *resol.* 22. contra Fagund. Sanch. Suar. & alios,
1645 quos *ibi* refert idem Diana. Idem dicendum est si omittat ejus partem notabilem, ita communiter Doctores apud Filiucium *Tract.* 23. *num.* 246. vide de his nostros supracit. Franciscum *num.* 49. Stephanum à S. Paul. *num.* 22.

1646 Difficultas tamen est in assignanda materia, quę sit sufficiens ad peccatum mortale; nam Moneta *de distrib.* 2 *p. q.* 3. *num.* 33. assignat pro materia gravi decimam partem unius horæ: Navar. quem refert, & sequitur Villalobos 1. *part. tract.* 24. *dif.* 10. *num.* 1. assignat pro materia gravi tertiam partem horæ: Suar. Filiucius, quos refert, & sequi-
1647 tur Trulenc. *in Decal, lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 23. assignant mediam partem Horæ: Lessius verò, & Bonacina, quos refert & sequitur Palaus *Tom.* 2. *disput.* 2. *part.* 5. *num.* 1. assignant Horam parvam, non verò infra illam: Marchin. vero *de ordine tract.* 6. *dif.* 3. *num.* 5. cui maximè accedit Sotus *de justit. lib.* 10. *q.* 5. *art.* 7. adhuc existimant parvam materiam hanc, & plus requirunt ad peccatum mortale: Caramuel verò quem refert Diana 7. *part. tract.* 11. *resol.* 2. omissionem decem Psalmorum in matutino judicat pro materia levi, eo quod non sit octava pars officii Divini. Omnes has sententias, excepta prima, & ultima existimo probabiles, dixi excepta prima, & ultima: nam prima est nimis rigida, ultima vero nimium laxa, & ideo rejicienda: hanc Caramuelis sententiam validè impugnat nost. Franciscus B. S. *loc. cit. num.* 49. Non displicebit forte aliquibus opinio Marchini, quam tamen nost. Lezana *loc. cit. num.* 10. & alii Theologi communiter rejiciunt; non enim datur tanta deformitas in omissione unius Horæ parvæ, ut propterea verosimile sit Ecclesiam velle perpetuis gehennæ incendiis subjicere suos filios, ob omissionem adeò levem; Imo in officio longiori v. g. Dominicæ, existimo posse assignari majorem latitudinem parvitatis materiæ, quàm in aliis officiis brevioribus, siquidem parvitas materiæ mensurari debet ex toto, totum verò potest esse majus, vel minus ut patet.

Dico XI. Ex triplici causa excusantur Regula- 1648
res à recitatione D. officii, scilicet, impotentiæ, repentinæ occupationis, & dispensationis. Ex *prima* excusantur, Primo, qui non possunt loqui, nec verba proferre, quæ sunt necessaria ad recitandum Divinum officium, nec tunc tenen- 1649
tur illud audire; ita Suar. Filiucius, quos refert, & sequitur Trulenc. *in Decal. lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 28. *numer.* 7. nam præceptum est de vocali oratione.

Secundò excusantur, qui non possunt totum Divinum officium recitare, licet possent majorem partem, vel aliquas Horas recitare; ita Sanch. *in selectis disp.* 15. *num.* 100. Caramuel *disp.* 115. *in regulam S. Benedicti num.* 1435. & nost. Franciscus *lib. cit. num.* 67. licet nostri Lezana *Tom.* 1. *qq Reg. cap.* 12. *num.* 27. & Stephanus a S. Paulo in sua Theolog. mor. *Tract.* 4. *disp.* 12. *dub* 3 *num.* 32. Filiucius, Azor. Navarrus, & alii apud Bonacinam *de Horis canonicis q.* 3. *p.* 4. *num.* 8. contrarium teneant. Ratio autem est, quia præceptum est de recitando toto officio, qui non potest legere lectiones, non tenetur recitare Divinum officium, etsi memoriter cætera sciat, propter eamdem rationem; ita Joannes Sancius *ubi supra n.* 2. Pellizzarius *ubi supra num.* 111. & probabilem putat Sanch. *lib.* 7. *consiliorum cap.* 2. *d.* 46. *num.* 5. Trulenc. *ubi supra n.* 8.

Idem dicendum est de cæco, qui Horas minores memoriter scit, si nesciat responsoria, orationes, lectiones, capitula, &c. Ita Sanch. Toletus, quos refert & sequitur Pellizzarius *ubi supra num.* 112.

An autem teneatur adhibere socium, vel si ei socius ad recitandum se offerat eum admittere? Respondeo negativè; licet optimè faciet, si admittat. Et ratio est, quia recitare cum socio est privi-

Privilegium, & favor quo non uti liberè potest, tenebitur tamen talis cœcus recitare si memoriter sciat totum Divinum officium, quia præceptum non obligat ad recitandum ex libro; Villalobos, Palaus, Diana, & alii, quos refert, & sequitur Trulenc. *ubi supra num.* 8. Consule circa hoc supracitatum Stephanum *num.*33. ubi cum distinctione in hoc casu procedendum asserit. Et idem dicendum est de Surdis, & de Surdastris; nam hi per se solos possunt recitare, ita communiter Doctores apud Pellizzarium *ubi supra num.* 113. Si tamen Surdastres per se solos non possint recitare, non tenentur adhibere socium, teneretur namque socius vociferare, quod esset valde illi onerosum. Suar. Filiucius, quos refert, & sequitur Trulenc. *ubi supra num.* 9.

Tertiò excusantur infirmi, illi scilicet, qui sine gravi damno salutis corporalis, aut animi dolore, ac vexatione recitare non possunt, ita communiter Doctores; hoc autem damnum non requiritur, quod sit maximum, sed media via incedendum est. Unde si ex recitatione oriatur stomachi cruditas, capitis gravedo, vel virium lassitudo, val tardius febris remittatur, excusabitur, quia aliud non est credendum de pia Matre Ecclesia, Sanch. quem refert, & sequitur Trulenc. *ubi supra dub.*27 *num.*2. Quod si res sit dubia, an morbus sit gravis, vel levis, tunc standum est judicio Medici, & Superioris, qui si etiam sit dubius, an recitatio sit nocitura, non tenetur infirmus recitare, quia non tenetur infirmus gravi damno se exponere; ita Bauni *de beneficiis disp.*13.*quæst.*28.*versu* quod si dubia, Fragosus 2.*part.lib.*10.*disp.*22.§.6.*n.*1. Bonacina, Diana, quos refert, & sequitur Trulenc. *ubi supra n.* 2. contra Suarium & alios, si verò periculum sit tantummodo levis damni, tenetur, quia possessio stat pro præcepto; ita cum Diana, Villalobos, & aliis Trulenc. *ubi supra.*

Adverte tamen quod licet infirmus valeat conversari cum amicis, aut legere aliquos libros recreationis gratia, non ob id constringendum esse Divinum officium recitare, ut advertit Joannes Sanctius *ubi supra.* Diana *tract.*12 *de horis canonicis resol.*43. Sanch. *lib.*7.*consil.cap.*2.*d.*45.*num.*4. Pellizzarius *ubi supra num.* 116. Trulench. *ubi supra num.* 2. nam recitatio cum non respiciat recreationem, ut respicit confabulatio cum amicis, sed attentionem potest afferre gravem jacturam. Idem dicendum est de infirmis, quos jam febris deseruit, dum adhuc vires sunt imbecilles, dumque homo convalescit per aliquot dies etiamsi alias posset celebrare, ita cum Sanch. Trulenc. *ubi supra* Pellizzarius *loc.cit.num.*117.

An autem laborantes quartana exempti sint à recitatione Divini officii? Respondeo in his standum esse judicio Prælati, & Medici, aut prudentis viri: cum dari possit casus, in quo quartana sit adeò gravis, & secum ferat effectus ita noxios, ut merito videatur gravis infirmitas: solum adverto non teneri eum, qui non potest tempore debito Horas recitare illas intra eumdem diem præponere, aut postponere, nisi aliàs impedimentum sit voluntarium; ita ex Henrique, Cano, Oliver. & Sanch. Diana 4.*part. tract.*4.*resol.*10. & ratio est, quia posse præponere aut postponere horas intra diem naturalem est privilegium favoris concessum ab Ecclesia, nemo autem cogitur suo uti privilegio. Hinc fit ægrotantem usque ad meridiem non teneri postea recitare Matutinum, aut Laudes, ut benè advertit Caramuel, quem refert, & non rejicit Diana 7.*p.tract.*11.*resol.*14.

Quartò excusantur, qui Breviarium non habent inculpabiliter, ut si sublatum est à fure, vel domi ex oblivione relictum, aut in itinere amissum, & aliud non invenitur; secus si carentia sit culpabilis, quia scilicet projecit Breviarium in mare, nam tunc si statim pœnituit, non amplius omissiones futuræ imputantur ad culpam, cùm tunc omissio non sit peccatum, ut cum Becano, Tannero, & aliis docet Diana 1.*part.tract.de circumstantiis resol.*63 si verò non pœnituit, tunc omissiones non erunt nova peccata, etiam quoad malitiam internam, ut ait Pellizzarius *ubi supra num.*122, sed effectus peccati; unde pœnitentes non tenentur illas omissiones in confessione explicare, sed sufficit dicere se dedisse causam ad non recitandum per tantum temporis spatium, quia jam non est in manu sacerdotis supposita tali causa, recitare; ita Vasquez Bonacina, Layman, quos refert, & sequitur Diana 1.*p.tract.*7.*resol.*64. & alii.

Quintò excusantur, qui ex oblivione inculpabili officium Divinum non recitant; debet tamen quis diligens esse, ne hæc oblivio contingat, quod si quis non recordetur se dixisse aliquem Psalmum, aut Horam non tenetur illam recitare, dummodo non meminerit se non illam dixisse, præcipuè si recordetur se talem Horam & Psalmum incepisse; ita Sanch. *lib* 7.*consil. cap.* 2.*d.* 34. Navarro, Angles, Sandoval & alii.

Ex *secunda causa* scilicet repentinæ occupationis excusantur, qui repentinam aliquam occupationem omittere, aut in aliud tempus differre, vel 1650

simul

ſimul cum recitatione exequi non poſſunt, abſque gravi ſui, vel proximi jactura in vita, honore, & fortuna, ita communiter DD. apud Trulenc. *lib.1. in Decalog. cap.7. dub 28. num.1.* ex quo capite excuſari poſſunt publicam lectionem intra certum horarum numerum facientes in oppoſitione Cathedræ, vel beneficii, vel ad gradum aliquem ſcientiæ recipiendum; item Confeſſores, & Prædicatores, qui nec conciones, nec confeſſiones omittere poſſunt abſque gravi ſcandalo, & nota, neque cum illis ſimul recitare. Palaus *Tract.7. diſp.2. p.6. num.2.* Item qui, ut ſubveniat infirmo, vel ut graves inimicitias componat, vel tumultum populi pacificet, ita occupatur, ut non ſuppetat ei tempus recitandi, nec antea poſſit prævenire; ita cum Sanch. & aliis Trulenc. *ubi ſupra num.7.* Videantur ſupracitati Franciſcus & Stephanus.

1651 Ex *tertia cauſa* ſcilicet diſpenſationis excuſantur, qui à Pontifice habent diſpenſationem, in quo nullum eſt dubium, cum diſpenſet in jure à ſe lato, ut cum communi docet Palaus *ubi ſupra numer. 3.* Epiſcopus autem talem concedere diſpenſationem ſuis ſubditis non poteſt, cum inferior non poſſit in lege Superioris diſpenſare, poterit tamen in aliquo caſu dubio ſententiam proferre. Bonacina, & alii, quos refert, & ſequitur Palaus *ubi ſupra num.3.*

Prælati tamen regulares poſita legitima cauſa poſſunt cum ſuis ſubditis etiam in Sacris conſtitutis diſpenſare in recitatione Horarum, tam de jure communi, quam jure privilegii: de jure, quia poſſunt in obſervantiis regularibus diſpenſare, ſed recitatio Divini Officii eſt una ex regularibus obſervantiis, ſiquidem in Religionibus ortum habuit ex conſuetudine ſtatus regularis Superiore conſentiente: ergo ab illo diſpenſari poteſt; Ita Bordon. *Tom.1 reſol.30. num.17.* Palaus *ubi ſupra numer. 3.* Jure etiam privilegii conſtat ex privilegiis quæ retulimus *in Tract. ſecundo de privilegiis diſp. 1. ſect. 2. §.4. num.125.* hæc autem facultas diſpenſandi tam de jure communi, quam jure privilegii competit etiam Prælatis localibus; ita ex Portel, & aliis Bordon. *ubi ſupra n.17.* quidquid in contrarium dicat cum Bonacina Palaus *ubi ſupra.*

§. 10.

De obligatione, quam habent Regulares celebrandi Miſſæ ſacrificium, &c.

1652 *Sacerdotes ſæculares non celebrando per totum annum, probabile eſt non peccare mortaliter ſecluſo ſcandalo.*

1653 *Secus de ſacerdotibus regularibus dicendum eſt.*

1654 *Sacerdotes regulares non tenentur quotidie celebrare, niſi habeant de hoc ſtatutum, vel ſit dies feſtus ad ſatisfaciendum præcepto audiendi Miſſam.*

1655 *Sacerdos regularis non tenetur ſub mortali dicere Miſſam in die feſto, ut populus præcepto ſatisfaciat, nec adhibendum viaticum infirmo.*

1656 *Sacerdos regularis tenetur applicare Miſſam juxta intentionem Prælati, ſi de hoc detur mandatum, vel lex.*

1657 *Secus dicendum eſt, ſi non detur talis lex, vel mandatum.*

1658 *Si pro altero applicaverit etiam contra mandatum Prælati, tenet applicatio, peccabit tamen mortaliter, & tenebitur ad reſtitutionem, ſi præceſſerit acceptatio ſtipendii.*

1659 *Religioſi, qui ex lege, vel mandato non tenentur Miſſas juxta intentionem Prælati applicare, poſſunt illas applicare aliis etiam extraneis, quamvis ſciant ipſos pro illis accipere ſtipendia.*

1660 *Si liberaliter unam Miſſam promiſerint, & illam non celebrent, non peccant mortaliter.*

1661 *Idem dicendum eſt ſi pro tali Miſſa ab amico, vel ab ipſo ſacerdote acceptum ſit ſtipendium.*

1662 *Regulares non celebrantes Miſſas pro defunctis ſui Ordinis non peccant mortaliter, ſi lex vel Conſtitutio non obligat ad mortale.*

1663 *Prælati regulares tenentur ſub mortali curare, ut quotidie Miſſa conventualis dicatur.*

1664 *Hanc Miſſam poſſunt Prælati pro quibus voluerint applicare, niſi detur lex in contrarium.*

1665 *Non eſt neceſſe, quod Miſſa conventualis cantetur.*

1666 *Poterit talis Miſſa omitti, quoties occurrit juſta cauſa.*

1667 *Loco Miſſæ conventualis, etiam in feſto duplici* quod

quod tamen non sit de præcepto, sufficit canere Missam defunctorum.

1668 *Idem dicendum, si festum alicujus patroni transferatur in diem, quo de ipso recitari non possit, nam tunc potest Missa conventualis dici de Patrono.*

1669 *Regulares non tenentur sub mortali diebus festis Missam conventualem cantare, nisi detur lex obligans sub mortali in aliqua Religione.*

1670 *Non tenentur canere duas Missas in diebus Rogationum, vel aliis diebus in Missali assignatis.*

1671 *Regulares possunt recipere stipendia pro Missis, nisi habeant legem in contrarium.*

1672 *Hoc stipendium debet esse secundum taxam, vel secundum consuetudinem.*

1673 *Possunt recipere onera Missarum perpetua ex legato, vel alio titulo oneroso de licentia Generalis.*

1674 *Apud nostros quæ requirantur, ut talia legata possint accipi?*

1675 *Prælati possunt differre applicationem Missarum ex legato, aut alio titulo oneroso, quoties non habent spem probabilem accipiendi annuam eleemosynam, nisi post longum tempus.*

1676 *Si capitale sine culpa Religiosorum periit, non tenentur Regulares ad prædictas Missas.*

1677 *Quid si præcesserit contractus celebrandi etiam deficiente stipendio?*

1678 *Regulares possunt præscribere contra prædicta legata.*

1679 *Si infirmentur omnes Sacerdotes unius Conventus ad breve tempus, non tenetur Conventus pro eo tempore Missas quotidianas relictas ex legato per sacerdotes extraneos celebrare, sed ab eis deobligatur.*

1680 *Idem dicendum est si infirmentur tot sacerdotes, quod numerus sufficiens non supersit ad eas adimplendas, nisi testator expresserit contrarium.*

1681 *Per quantum tempus possint in his casibus Missas omittere sine onere restitutionis.*

1682 *Idem dicendum est, si desit in Conventu sufficiens numerus sacerdotum ad implenda onera perpetua.*

1683 *Missæ in prædictis casibus debent omitti pro rata, & non omnes unius defuncti.*

1684 *Si in uno Conventu tot fuerint sacerdotes, quot Missæ quotidianæ, possunt sacerdotes semel in hebdomada vacare à celebratione, causa majoris reverentiæ.*

1685 *Secus dicendum est, si plures fuerint sacerdotes, quam capellaniæ, & capellaniæ non sint particularibus Religiosis perpetuo applicatæ.*

1686 *Idem dicendum est de sacerdote obligato ad celebrandum pro aliquo defuncto per unum annum, vel per mensem, vel hebdomadam.*

1687 *Quid si fuerint Missæ ex particularibus stipendiis diversis?*

1688 *Quid si talis obligatio fuerit sumpta à Conventu?*

1689 *Diebus quibus Regulares vacant à celebratione causa majoris reverentiæ, non possunt pro se, vel pro amicis, aut pro stipendio celebrare.*

1690 *Religiosus obligatus quotidie pro aliquo celebrare potest ter, vel quater in anno pro alio celebrare.*

1691 *Poterit etiam Missam in die defunctorum pro animabus Purgatorii applicare.*

1692 *A Missis quotidianis perpetuis excusatur Conventus tribus diebus hebdomadæ sanctæ.*

DICO I. Licet probabile sit sacerdotes sæculares 1652
posse per totum annum non celebrare absque peccato mortali, secluso scandalo, ut docent graves doctores apud Fagund. *de præceptis Ecclesiæ præcepto* 1. *lib.* 3. *cap.* 15. *num* 1. Non tamen idem 1653
de Regularibus auderem affirmare, cum ratione status debeant tendere ad perfectionem: quia rarò, aut nunquam dari potest, quod sacerdos Re- 1654
gularis nunquam celebret, & quod non detur scandalum, Pellizzarius *tractat.* 5. *cap.* 9. *num.* 3. Non tamen tenentur quotidie celebrare, nisi aliàs detur statutum, ut est apud nos 1. *part. nostrarum Constitutionum cap.* 4. *numer.* 5. vel sit dies festus ad implendum præceptum, si aliàs non sit sacer- 1655
dos, cujus Missam audiant: probabile autem est non teneri sub mortali Missam celebrare in die festo, ut alii præcepto audiendi missam satisfaciant, si ipse jam satisfecit, vel ad communicandum infirmum pro viatico; nam tunc tantùm tenetur ex charitate, quæ non obligat sub mortali, nisi necessitas spiritualis proximi sit magna, qualis hæc non videtur esse, cum populus non audiendo Missam non peccet, & hoc sacramentum non sit de necessitate; Ita Pellizzarius *ubi supra numer* 8. & 10.

An autem teneantur sub mortali Missam appli- 1656
care pro intentione Prælati? Respondeo affirmativè,

tivè, si de hoc detur mandatum, ut apud nostros,
ut patet ex 1. *part. nostrarum Constitutionum cap.* 10.
1657 *numer.* 7. secus si non detur tale mandatum. Fra-
xinellus *de obligatione Sacerdotis sect.* 7. §. 6. ex Ro-
drig. Armil. Corduba & aliis. Si tamen in casu,
quo detur Prælati mandatum, applicaverit pro
altero sacrificium, tenet applicatio; Ita Diana
2. *part. tractat.* 14. *resolut.* 72. ex Silvestro, Hen-
riquez, Fagund. Villalob. licet oppositum teneat
Fraxinellus, Gavant. Cordub. Ledesma relati à
Diana *ubi supra* aliique quos citat Fagundez *ubi*
1658 *supra num.* 3. Non enim Prælatus, sed sacerdos
est minister hujus sacrificii, unde non secundùm
voluntatem Prælati, sed Sacerdotis debet fieri ap-
plicatio, peccabit tamen mortaliter talis Religio-
sus contra obedientiam, transgrediendo præce-
ptum in re gravi, imò etiam contra justitiam, &
tenebitur ad restitutionem supplendo sacrificia, si
præcesserit acceptatio stipendii, vel obligatio ex
legato: ita DD. citati pro nostra sententia *ubi
supra.*

1659 DICO II. Religiosi diebus quibus non tenentur
pro Conventu, vel intentione Prælati celebrare,
possunt sua sacrificia aliis etiam extraneis, absque
violatione voti paupertatis, applicare, quamvis
sciant ipsos pro talibus missis stipendia acceptare,
1660 Ita Diana, Sousa, Rodrig. Navar. Fagundez,
& alii, quos refert, & sequitur Vidal. *inquisitio-
ne unica de paupertate num.* 16. & nos jam supra
diximus *disput.* 4. *sect.* 4. *numer.* 250. *& seq.* Si
tamen liberaliter promittant unam Missam, & il-
lam non celebrent non peccant mortaliter; ita
Diana 2. *part. tractat.* 17. *resol.* 9. ex Sanch. Ro-
drig. Maldero & aliis. quibus adde Fagund. *ubi
supra cap.* 1. *num.* 28. contra Navarrum, Ledes-
mam, Bonacinam & alios. Ratio est, quia hîc
non est considerandum bonum spirituale Missæ
promissæ, sed valor temporalis, seu potius sti-
pendium temporale ipsius, & juxta valorem hu-
jus stipendii consideranda est materia promissio-
nis? materia autem stipendii temporalis unius
Missæ non est sufficiens ad peccatum mortale, ut
patet. Et idem est dicendum, si pro tali Missa
ab amico, vel ab ipso sacerdote acceptum sit sti-
pendium propter eamdem rationem; nam licet ad
peccatum grave furti, minor materia requiratur,
quàm ad violationem gravem promissionis, non
1661 tamen sufficit stipendium ordinarium unius Mis-
sæ, cum in hoc regno non excedat valorem trium
vigenarum, ita cum aliis à se consultis Pellizza-
rius *Tractat.* 5. *cap.* 9. *numer.* 20.

DICO III. Regulares non celebrantes Missas pro 1662
defunctis sui Ordinis, non peccant mortaliter, si
aliàs Regula, vel Statutum non obligat ad morta-
le; nam cum hæc obligatio sit ex lege non tran-
scendit rationem simplicis ordinationis. Ita colli-
git ex Suario Pellizzarius *ubi supra numer.* 12. di-
gnus tamen erit talis Religiosus, ut nulla suffra-
gia pro eo applicentur, sic Deo permittente, in
pœnam negligentiæ hac in re præstitæ. Idem di-
cendum existimo, si omittat applicare Missas,
quas nostræ constitutiones jubent applicare sine
stipendio, ut sunt missæ solemnes Beatæ MARIÆ
in sabbato, missæ ternariorum propter eamdem
rationem.

DICO IV. Prælati regulares tenentur sub mor 1663
tali curare, ut quotidie dicatur Missa conventua-
lis, in Conventibus, ubi fuerint ad minus tres
Religiosi. Ita communiter doctores apud Suar. *de
sacramentis disput.* 80. *sect.* 2. *assert.* 2. & constat 1664
ex cap. cum creatura de celebratione missarum.
Hanc autem Missam possunt Prælati pro quibus
voluerint applicare, nisi detur lex, vel constitu-
tio in contrarium; ita Cordub., Rodrig. Peyri-
nis, & alii, quos refert, & sequitur Diana 5. 1665
part. tractat. 13. *resolut.* 51. contra Bonacinam, &
Fraxinell. citatos ab ipso Diana, non enim appa-
ret præceptum Divinum, aut canonicum contra- 1666
rium persuadens. Item non est necesse quod Mis-
sa Conventualis cantetur, Peyrinis *Tom.* 3. *privi-
legior. cap.* 1. *num.* 20. Gavant. *in rubricis missal.
part.* 3. *tit.* 11. *n.* 4. Imo poterit talis Missa, omitti,
quoties occurrerit aliqua justa causa id facien-
di, ut si non adesset, nisi unica Missa pro festo,
& pro defuncto, tunc celebranda esset Missa de
requiem. Imo addit Peyrinis *ubi supra num.* 20.
loco Missæ Conventualis etiam in festo duplici, 1667
quod tamen non sit de præcepto sufficere canere
Missam defunctorum, præsertim si voluntas te-
statoris adimplenda sit. Et idem dicendum est si
transferatur festum alicujus patroni incidentis in
die in qua de ipso celebrari non possit. Nam tunc
Missa conventualis dici potest de patrono, ut be-
nè cum Gavanto notavit Pellizzarius *ubi supra nu-* 1668
mer. 38.

An autem saltem diebus festivis teneantur Mis- 1669
sam Conventualem cantare? Respondeo negati-
vè, secluso scandalo, si aliàs de hoc non detur
statutum Religionis obligans sub mortali; ita
Diana 3. *part. tract.* 2. *resolut.* 8. Peyrinis *ubi supra
num.* 20.

num. 20. Pellizzarius *tract.* 5. *cap.* 9. *num.* 30. &
alii contra Peregrinum relatum à Diana *supra*: non
enim Regulares ex vi alicujus Canonis, vel con-
suetudinis, sed tantùm ex Regula tenentur diebus
festivis Missam canere: ergò si Regula non obli-
1670 gaverit ad mortale, non est unde talis obligatio
deducatur. Neque etiam tenentur canere duas
Missas diebus Rogationum, vel aliis in missali as-
signatis; nam Ecclesiæ Regularium licet in mate-
ria favorabili veniant sub nomine Collegiatæ, ex
glossa, & Abbate *in cap. cum creatura de celebra-
tione missarum*, in onerosis tamen non veniunt no-
mine Collegiatæ: ergo cum aliàs de hoc non de-
tur aliqua consuetudo, inde est, quod Ecclesiæ
Regularium non tenentur duas Missas prædictis
diebus canere; ita Abbas, Rodrig. Layman, quos
refert & sequitur Bordon. *Tom.* 1. *resolut.* 25, *nu-
mer.* 25.

1671 Dico V. Regulares possunt recipere stipendia
pro Missis, nisi aliàs habeant legem in contrarium,
ut habent Patres Societatis, & Capucini, & Con-
1672 ventus nostrarum Eremorum; ita communiter
Doctores; hoc autem stipendium debet esse secun-
dum taxam à Superiore ad hoc potestatem haben-
te, vel secundùm consuetudinem, si talis taxa
1673 non detur; ita cum aliis Tamburinus *de jure Ab-
batum Tom.* 2. *disp.* 5. *quæsito* 9. *num.* 4.

Item possunt recipere onera Missarum perpetua
ex legato, vel ex alio titulo oneroso, præceden-
1674 te tamen licentia in scriptis Generalis, vel Provin-
cialis, idque ex decretó sacræ Congregationis
jussu Urbani VIII. *de celebratione Missarum.* Apud
nostrates verò requiritur etiam consensus in scri-
ptis nostri Definitorii generalis, & hoc consulto
prius Provinciali, & tantum pro illis domibus,
quæ aliter secundùm nostras Constitutiones, &
statum paupertatis, quem profitemur, non pos-
sunt commodè sustentari; ut patet, *ex* 1. *part. no-
strarum Constitutionum cap.* 7. *num.* 14. An autem
de licentia nostri Definitorii generalis annui red-
ditus pro his Missis perpetuis consignati possint
alienari jam *supra* diximus.

1675 Adverte tamen Prælatos posse differre applica-
tionem Missarum debitarum ex legato, aut alio
titulo oneroso, quoties non habent spem proba-
bilem accipiendi annuam eleemosynam, nisi post
longum tempus, si aliquid damni paterentur, eo
quod Missas, quas offerunt pro supra dictis lega-
tis offerre possent pro aliis statim solventibus ordi-
narium stipendium, & sic consulere propriis ne-
cessitatibus, usquequo talia legata illis solvantur
Pellizzarius *tractat.* 5, *cap.* 9. *numer.* 100. Imò si
capitale sine culpa Religiosorum periit, non tenen-
tur Regulares ad prædictas Missas, nam Regulares 1676
non tenentur celebrare sine debito stipendio, ne-
que tale quid debet præsumi de voluntate testato-
ris; ita Hancala, Perez, Lara, Fraxinellus, &
alii quos refert & sequitur Bordonus *Tom* 1. *resolut.*
25. *num.* 31.

Secus dicendum existimo si præcesserit contra-
ctus celebrandi etiam deficiente stipendio; pote-
runt tamen Regulares petere beneficium restitu- 1677
tionis utentes privilegio Minorum, cum præsu-
matur ignoranter vel cum dolo tale durum onus
suscepisse.

An autem possint præscribere contra supradicta 1678
legata? Respondeo affirmativè, si currat tempus,
& conditiones necessariæ ad præscriptionem; si-
cut enim potest præscribi contra vivos, ita con-
tra defunctos, nec obstat quod defuncti non pos-
sint per se reclamare, nam possunt per suos hære-
des; quia potest etiam præscribi contra ignoran-
tes: ergo etiam contra defunctos, nam etiam
ignorantes non possunt reclamare; ita Pellizzarius
ubi supra num. 92.

Dico VI. Infirmantibus omnibus sacerdoti- 1679
bus unius Conventus, non tenetur talis Conven-
tus pro eo tempore infirmitatis, si infirmitas non
sit longa, dicere Missas quotidianas relictas ex
legato, vel alio titulo perpetuo per Sacerdotes ex-
traneos, sed ab eis deobligatur pro eo tempore.
Et idem dicendum est, si infirmentur tot Sacerdo- 1680
tes, quod numerus sufficiens non supersit ad eas
adimplendas, nisi aliàs testator expresserit contra-
rium; ita in simili casu Bonacina *de sacramentis
disput.* 4. *quæst. ult. part.* 7. §. 2. *numer.* 27. Filiu-
cius, Suarez, Henriquez, quos refert & sequi-
tur Trulenc. *praxi sacramentorum lib.* 3. *cap.* 8.
dub. 7. Per quantum verò tempus possint Missas
omittere sine onere restitutionis magna est dissen-
sio inter Doctores, nam Petrus Navarra, quem
sequitur Naldus *verbo* missa *numer.* 11. Lugo, Ba- 1681
riola, Peyrinis, Avila, Franciscus de Nigro,
quos refert Diana 5. *part. tractat.* 13. *resolut.* 51. di-
cunt posse Missas omittere per duos menses, si in-
firmitas per hoc tempus duraverit. Alii terminum
8. dierum assignant; ita Molfesius, Decius, Graf-
fis, Fraxinellus, Homobonus, quos refert, &
sequitur Barbosa *de potestate episcopi part.* 2. *allegat.*
24. *num.* 31.

Alii verò usque ad quindecim dies producunt, ita Diana *Tract.* 14. *resol.* 27. *part* 2. Bonacina *de Sacrament. disp.* 5. *quæst. ult. part.* 8. *num.* 17. Alii denique ad unum mensem, ita ut probabile etiam tenet Pellizzarius *ubi suprà*. Tu tamen elige quod malueris; nam ego omnes has sententias probabiles existimo, & primam securam.

1682 Et idem dicendum existimo, si desit in Conventu numerus sufficiens Sacerdotum ad implenda onera perpetua Missarum, dummodo hoc sit sine culpa proprii Prælati; nam tunc per idem tempus non tenebitur Prælatus supplere illas per Sacerdotes extraneos propter eamdem rationem; ita expressè Pellizzarius *ubi suprà, num.* 105.

1683 Adverte tamen, quòd tam in hoc, quàm in præcedenti casu debet Prælatus omittere Missas pro rata singularum obligationum, & non omnes unius defuncti, sic enim æquitas postulat.

Secundò adverte, quòd si in Conventu sint tot Sacerdotes, quot sufficiunt ad implenda prædicta onera Missarum, tunc etiamsi aliqui Sacerdotes sint infirmi, teneri prædictis oneribus satisfacere, quamdiu enim supersunt, qui tales Missas possunt dicere, ab earum impletione non excusantur; ita Pellizzarius *ubi suprà, num.* 103.

1684 Sed quæres, an si in uno Conventu fuerint tot Missæ quotidianæ, quot fuerint Sacerdotes, possint tales Sacerdotes aliquando vacare à celebratione, juxta *Cap.* Significatum, *de præbend.* in quo, juxta communem Doctorum sensum, Sacerdoti obligato ad Missam quotidianam indulgetur, ut ex causa majoris honestatis, ac devotionis, semel in hebdomada possit sacrificium omittere? Respondeo affirmativè, si hoc tantùm fiat ex causa majoris reverentiæ, & devotionis, non tamen voluptatis, aut itineris, &c. quo modo etiam in dicto Cap. subditur; ita Pellizzarius *ubi suprà, num* 107. & 110. ubi enim militat eadem ratio, militare quoque debet eadem juris dispositio. Unde cùm ratio majoris honestatis æquè militet in Sacerdotibus Regularibus, ac in Sæcularibus, idem in

1685 utroque casu dicendum erit. Secùs dicendum existimo, si sint plures Sacerdotes, quàm Capellaniæ, & aliàs Capellaniæ non sint particularibus Religiosis perpetuò collatæ, sed ad eas teneatur Conventus ex titulo variarum Capellaniarum, quæ fundatæ sunt in ipsius ecclesia; nam tunc tenebitur illis semper satisfacere; nam quamdiu supersunt Religiosi, qui illis possint honestè satisfacere, non est cur ab hac obligatione eos excusemus; ita Pellizzarius *ubi suprà, num.* 107.

An autem Religiosus obligatus ad celebrandum 1686
quotidie per unum annum pro aliqua persona possit vacare semel in hebdomada modo dicto? Respondeo affirmativè, si talis obligatio celebrandi quotidie non fuit suscepta à Conventu, sed ab aliquo Religioso, qui talem obligationem poterat adimplere, & dummodo tales Missæ simul postulatæ fuerint ab una persona. Et idem dicendum est de Religioso obligato ad celebrandum pro aliqua persona per unum mensem, vel hebdomadam; ita Pellizzarius *Tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 37. Ratio est, quia finis concessionis factæ in *Cap.* Significatum, *de præbendis*, militat etiam in his casibus, ubi autem datur eadem ratio, datur eadem juris dispositio: præsertim in materia favorabili, qualis est in præsenti casu, in quo jus consulit reverentiæ Missæ, & devotioni Sacerdotis celebrantis.

Dixi, *dummodo omnes Missæ simul postulatæ fuerint* 1687
ab una persona, nam si non omnes simul pro uno anno, vel mense, vel hebdomada, ab una persona, sed à diversis quælibet Missa de die in diem postulata fuerit, tenebitur talis Religiosus abstinere à recipiendo stipendio pro ea die, qua à celebratione Missæ vult vacare modo dicto. Dixi quoque, *si* 1688
talis obligatio non fuit suscepta à Conventu; nam si à Conventu acceptata fuit, dum suppetant Religiosi, qui possint satisfacere prædictis Missis, non est cur eos excusemus, ut *suprà* diximus: secùs dicendum est, si in Conventu dentur tot annales Missarum ex manuali stipendio accepti, modo dicto pro diversis personis, quot fuerint Religiosi; nam tunc eodem modo philosophandum est, ac si obligatio tantùm esset in uno Religioso.

Adverte tamen, quòd in his diebus, quibus præ- 1689
dictis Religiosis hanc indulgentiam concedimus, non illos posse celebrare pro aliis ex stipendio, ut cum Peyrinis advertit Diana 5. *part. Tract.* 13. *resol.* 51. Imò, neque etiam pro se, vel pro amicis, absque stipendio; licèt aliàs hoc etiam Capellanis concedat Peyrinis *Tom.* 3. *privileg. cap.* 1. *num.* 23. Diana 5. *part. Tract.* 13. *resol.* 51. nam cùm hæc con- 1690
cessio ei fiat ex causa reverentiæ, & majoris devotionis, præsumitur cessare hoc ipso, quod ille dispositus est ad celebrandum; poterit tamen Religiosus obligatus ad celebrandum quotidie pro aliqua certa intentione, currente aliqua necessitate, celebrare ter, vel quater in anno pro se, vel pro aliquo sibi conjuncto; ita Naldus, Homobonus, quos refert, & sequitur Diana 4. *part. tract.* 4. *resol.* 86. Qui Auctores excludunt etiam diem commemorationis omnium Fidelium de- 1691

functorum, in qua die poterit Religiosus sic obligatus celebrare pro animabus purgatorii. Ratio autem est, quia id pius Capellaniæ institutor, non negaret, si de tali casu cogitasset, vel de hoc interrogatus fuisset.

Adverte tandem, quòd si in aliquo Conventu fundatæ fuerint aliquæ Missæ quotidianæ, excusari Religiosos ab eis celebrandis tribus ultimis diebus majoris hebdomadæ, nec teneri anticipare aut postponere celebrando tribus aliis diebus loco illarum; ita Joannes de Lugo, quem refert, & sequitur Pellizzarius *ubi suprà, num.*130. nam cùm prohibitum sit celebrare feria sexta majoris hebdomadæ, & feria quinta, & Sabbato, non sit in usu celebrare; præsumitur Fundatorem exclusisse illos dies, dato quòd Sacerdos alias nollet celebrare. Imò, licèt aliqui Religiosi Sabbato sancto, & feria quinta Cœnæ Domini celebrarent, adhuc non tenerentur offerre prædictas Missas pro Fundatoribus Capellaniarum; nam cùm tales dies sint extraordinarii, non videntur comprehendi sub generali Regula celebrandi quotidie pro Fundatore; nam lex generaliter loquens, solùm comprehendit casus ordinarios; ita Pellizzarius *ubi suprà, num.* 130. Reliqua, quæ hîc poterant agitari, tam circa stipendia ac capellas, quàm circa intentionem celebrandi, cùm sint communia omnibus Sacerdotibus, remitto ad materiam sacrificii Missæ, ubi ea ex professo, Deo dante, disputabimus.

§. 2.

De obligatione, quam habent Regulares procurandi salutem spiritualem proximorum.

1693 *Regulares tenentur in subsidium Episcoporum salutem spiritualem proximorum procurare.*

1694 *Hæc obligatio non est æqualis apud omnes Regulares, sed plùs nonnullos quàm alios afficit, juxta eorum instituta.*

1695 *Hæc obligatio secluso speciali statuto non est sub mortali.*

1696 *Regulares possunt accipere stipendia pro Missis, Concionibus, aliisque ministeriis spiritualibus, seclusis specialibus statutis.*

1697 *Non tenentur vacare saluti proximorum cum gravi incommodo, vel periculo vitæ, nisi proximus sit in extrema necessitate.*

DIco I. Regulares tenentur proximorum salutem procurare non per se & ex officio; hoc enim 1693
solùm competit Episcopis, sed tantùm in subsidium Episcoporum, sive ministerialiter per Papæ delegationem. Hæc autem obligatio non æquali- 1694
ter omnes Regulares afficit, sed plùs quosdam, quàm alios, juxta eorum instituta; sunt namque Religiones Monachales, quæ per se non sunt ordinatæ ad procurandam salutem proximorum: unde solùm in aliquo casu accidentali ad hanc tenentur obligationem; sunt verò aliæ, scilicet Mendicantes, quæ ad hoc sunt per se institutæ, & ex his aliquæ principaliùs ad hunc finem ordinantur, ut est Religio Societatis; aliæ verò minùs principaliter, ut est nostra Carmelitarum. Est autem hæc occupatio maximè Religiosorum statui conveniens; nam quòd status Religiosorum sit perficiendorum, hoc non tollit, quòd simul possit esse status perficientium; præcipuè, cùm in prædictis Religionibus solùm viri jam perfecti, & literati, ad salutem animarum procurandam destinentur.

An autem hæc obligatio sit sub mortali, vel sub 1695
veniali? Respondeo, quòd licèt aliqui, quos tacito nomine refert Suar. *de Religione, Tom.*4. *tract.* 8. *cap.*11. *num.* 9. putent hanc obligationem esse ex justitia, & non solùm ex gratitudine, ac per consequens illos obligare sub mortali, absolutè tamen per se loquendo oppositum est dicendum: Scilicet Regulares non teneri sub mortali vacare saluti spirituali proximorum, nisi vel in Regula de hoc habuerint præceptum, vel superveniat præceptum Prælati; ita Suar. *ubi suprà.* Pellizzarius *Tract.*5. *cap.*12. *num.*2. Ratio est, quia Religiosus per Professionem solùm obligatur ad tria vota, & ad observantiam Regulæ: ergo non est fundamentum; unde talem obligationem colligamus.

Hinc fit, Regulares non teneri vacare saluti 1696
spirituali proximorum absque stipendio, nisi habeant de hoc speciale statutum, sed posse accipere stipendia pro Missis, Concionibus, & Confessionibus, aliisque ministeriis spiritualibus; Pellizzarius *ubi suprà, num.*8.

Secundò sequitur, Regulares non teneri succurrere saluti proximorum, sive ministrando quæcumque Sacramenta, sive alias actiones spirituales præstando, cum gravi incommodo, 1697
vel periculo vitæ, nisi alias proximus sit in extrema necessitate constitutus; ita S. Thom. Navar. Coninch. Val. Suar. Sa, Bonac. quos refert, & se-

& sequitur Palaus *Tract. 6. disp. 1 part. 9. num. 9.* Ratio est, quia Regulares solùm tenentur succurrere saluti proximorum ex charitate, ut suprà diximus; sed charitas non obligat ad succurrendum proximo in spiritualibus cum periculo propriæ vitæ, nisi in casu extremæ necessitatis: ergo solùm in his casibus tenentur Regulares ex charitate sub mortali succurrere saluti spirituali proximorum. Uberiorem hujus obligationis discussionem atque elucidationem reperiet Lector apud Pellizzarium *Tract. 5. cap. 12.* Consuli etiam poterit noster Thomas à JESU in suo insigni Opere *de salute omnium Gentium procuranda, in 12. libros distincto*; maximè *lib. 2. part. 2. & 3.* & in alio Opere, quod inscripsit *Stimulum Missionum*, sive *de propaganda à Religiosis per universum Orbem Fide*, Romæ excus. an. 1610. ubi præclarè disserit de dignitate, obligatione, & utilitate hujus functionis, & ostendit, quòd animarum cura, post Ecclesiæ Prælatos, præcipuè ad Regulares pertineat.

Et hæc de præcipuis Regularium obligationibus compendiò dicta sint, ad majorem DEI, DEIPARÆQUE, CÆLITUMQUE omnium laudem & gloriam.

Pro coronide verò hujus Partis alteræ Directorii nostri juvat hîc subjicere Conclusiones quasdam Theologicas de statu Religioso, ejusdemque obligationibus, quæ velut synopsis quædam sunt eorum, quæ in *hac II. Parte* diximus, ac dilucidè confirmant, ea maximè, quæ *Disputatione prima* disseruimus de Statu Religioso, à sanctissimo Propheta ELIA instituto, & alia nonnulla ad hoc argumentum, Ordinemque nostrum pertinentia, &c. Hæ Theses, Reverendo admodum P. Præposito Generali Congregationis nostræ Italicæ dicatæ, primùm typis evulgatæ sunt Prægæ in Bohemia, anno 1666. nomine *Studii Generalis Ordinis Prædicatorum, Provinciæ Bohemiæ & Moraviæ*, & 24 Augusti publicæ, solemnique Disputationi expositæ à R. P. F. *Hieronymo Wagner*, ejusdem Ord. & Provinciæ Alumno, sub Præside Adm. R. P. F. *Hyacintho Boussemar*, SS. Theol. Licentiato, & Studii Generalis Bohemiæ & Moraviæ Regente.

EPISTOLA NUNCUPATORIA.

Reverendissimo ac Sapientissimo
Patri Fratri

PHILIPPO
à SANCTISSIMA TRINITATE,

Præposito Generali Fratrum Discalceatorum, Congregationis S. ELIÆ, Ordinis Beatissimæ Virginis MARIÆ de Monte CARMELO, atque ejusdem Sancti Montis Priori: Sacræ Congregationis Indicis Consultori: Thomisticæ Doctrinæ acerrimo Defensori: Zeli Eliani zelosissimo Cultori.

Studium

Studium Generale Pragense Ord. FF. Prædicatorum, Nomine totius Provinciæ Bohemiæ & Moraviæ.

O. D. C.



I primum in unoquoque genere est mensura cæterorum, (ut inquit Philosophus,) hæ de Religione Conclusiones, non nisi ad primum religiosæ vitæ exemplar, Sanctissimum Patrem nostrum ELIAM properabant, & ut essent Scientificæ, in eundem, ut primum vitæ regularis principium, resolutionem petebant; nec alias, quàm de religioso statu Conclusiones assumere debuimus, quia alia communia pluribus sunt; hujus verò originis, sicut maxima, ita propriissima est Sanctissimi Patris ELIÆ gloria. Sed quia raptus in turbine, ab humano consortio elongatus, resolutionem nostrarum Conclusionum transcendit. Ad te Reverendissime Pater imbibiti illius Spiritus superstitem ELISÆUM ultrò properant, nec alteri, quàm Tibi in Spiritu & virtute ELIÆ legitimo Successori, petunt subalternari. Exhibuisti Te Reverendissime Pater, non penicillo Apellis, sed mutatione dexteræ Excelsi, elaboratum Sanctissimi Patris ELIÆ prototypon, cùm virtutum Tuarum luce ita omnium perstringeres animos, ut virtutes illius in Te operari nemo ambigeret, & Spiritum illius pariter in Te compleri omnes viderent. Jam à teneris luci Sapientiæ assuetus, ut luceres cum illis in firmamento cæli, qui ad justitiam erudiunt plurimos: Quos non ab Angelico sole doctrinæ radios imbibisti? Et quidem tanta ubertate, ut etiam obductum caligine terrenæ invidiæ Angelicum Solem, præclarissimis Tuis Commentariis posses illustrare & defendere. Sed quia angusta erant virtuti Tuæ, Provinciæ Avinionensis spacia, raptus in Persiam, & partes Orientis, eadem cum Sole aggressus es. Vel, ut melior Phaëton sedentibus in tenebris & umbra mortis Solem Justitiæ adveheres, vel more antiquo Persarum dignissimum regimine Te ostenderes, qui primus orientem Solem in vertice CARMELI videres. Ibi *Philosophicum atque Theologicum Cursum* fælicissimè exorsus es, ut ab Oriente usque in Occidentem, errantes ab uniformi cursu ANGELICI SOLIS stellas ad uniformem motum reduceres. Et assumpto Ecclesiæ clypeo DOCTRINA (scilicet D. THOMÆ) gladio etiam flammeo munitus, alter CHERUBIN, paradisum voluptatis, id est, Ecclesiam in Oriente plantatam, defenderes,

defenderes. Inde redux non ſine primæ intelligentiæ ſpeciali inſtinctu, poſt innumeros dignitatum gradus & honores, ad ſupremum Generalatus verticem, ſingulari omnium applauſu evectus es; quia & virtus abſcondita latere non potuit, & ſapientia, quæ in altis habitat, vicinum te Aſtris voluit, proximè inter illa transferendum. In hac ſublimitate dignitatis, dum Te conſpicimus & veneramur, Reverendiſſime Pater, infimi licèt Majeſtatis Tuæ ſcrutatores, opprimi à gloria timeremus, niſi Clementiæ Tuæ nube, pariter & ſuaviſſimæ humanitatis Tuæ velamento nos ſciremus obumbrari. Admitte igitur, Reverendiſſime Pater, exiguum gratitudinis & debiti noſtri affectûs ſymbolum, Tuum eſſe, & non noſtrum, tot titulis vindicâſti, imò noſtrum tunc eſſe agnoſcemus, cum illud velut Tuum, pro paterna, ut ſperamus, benevolentia receperis.

Reverendiſſimæ Paternitatis Tuæ

Devinctiſſimum Studium Generale Pragenſe Ordinis Fratrum Prædicatorum.

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ:

Ad mentem Doctoris Angelici, SANCTI THOMÆ AQVINATIS.

De statu Religionis, ejusdemque Obligationibus.

PRIMA.

STatus in sui ratione importat quandam conditionem libertatis, vel servitutis, sive dicatur in spiritualibus, sive in civilibus. Unde, sicut status naturalis hominis, est recta ipsius dispositio cum quadam immobilitate & permanentia; ita status moralis, sive civilis, sive spiritualis, est quædam hominis dispositio, vel conditio recta, cum aliqua permanentia & immobilitate. Debet in Ecclesia esse diversitas statuum, ad corporis Ecclesiastici perfectionem, ad varietatem actionum, quæ in Ecclesia sunt necessariæ, & ad ejusdem decorem. Tres status velut celebriores & notiores, ex sacris literis colligere potes, Conjugatorum, Religiosorum, Episcoporum.

SECUNDA.

PErfectio Christianæ vitæ specialiter attendenda est secundùm charitatem. UNA est absoluta, quæ sumitur ex parte rei diligibilis, quâ DEUS diligitur quantum diligibilis est; juxta quem modum, nulla quantumvis excellens & beata creatura, potest esse perfecta. Alia sumitur ex parte diligentis, sic, ut ipsius affectus semper actualiter tendat in Deum; idque tam vehementer, quàm omninò potest: & hæc solùm reperitur in patriâ. ALTERA, non attenditur secundùm totalitatem ex parte diligibilis aut diligentis, sed quantum ad hoc, ut ab hominis affectu excludantur ea, quæ repugnant motui dilectionis in DEUM. Et hoc dupliciter. Vel, ut solùm excludatur omne id, quod est charitati contrarium, ut est omne, & solum peccatum mortale. Et hæc est ad salutem necessaria. Consistitque essentialiter in observatione præceptorum. Vel, ut etiam excludantur ea, quæ impediunt, ne affectus totaliter dirigatur in DEUM, quantum præsentis vitæ necessitates patiuntur. Hæc est perfectio religiosa, ad salutem non necessaria.

TERTIA.

PErfectio Religionis consistit in tribus votis, paupertatis, perpetuæ continentiæ & obedientiæ; adeò ut ex illis integretur, & essentialiter componatur status Religionis. Unde

Unde dicuntur vota essentialia seu substantialia: His superaddita sunt accidentalia. Sunt promissiones Deo factæ, & ab illo per suos Vicarios acceptatæ. Votum obedientiæ est præcipuum, cui in dignitate succedit votum castitatis, & deinde votum paupertatis. Includunt obligationem totalem & perpetuam ad facienda opera perfectionem promoventia. Per Professionem validam constituitur quis perfectè in statu religioso. Hujus primaria intentio debet esse, ut Deo deserviens in Religione, se ipsum perficiat; secundaria, ut alios perficiat.

QUARTA.

Ut professio sit valida, debet fieri cum aliqua solemnitate. Intelligimus nomine solemnitatis quemlibet ritum ab Ecclesia approbatum, secundùm quem aliquis se obligat ad opera perfectionis. Unde status Religionis formari potest per votum simplex, si Ecclesia illud pro tali recipiat. Qui simplex votum castitatis emittit extra Religionem, non est absolutè in statu perfectionis; aliqualiter tamen constituitur in statu, eoque perfectionis. Et qui sic vovit, omninò censendus est in statu honorabili: potest, ac debet frui seu gaudere bonis sibi eâ conditione legatis, quòd tunc demum habeat, dum fuerit in statu honorabili.

QUINTA.

Requiritur insuper, quòd profitens compleverit decimum sextum ætatis suæ annum, quòd per integrum annum & continuum Novitius fuerit! Novitiatus debet saltem majori ex parte fieri cum habitu religioso, & regulariter in Conventu. Professio debet fieri liberè & cum animo vovendi, necessaria est licentia Superioris, cujus est admittere & incorporare Religioni. Tria vota explicitè vel implicitè sunt in illa nuncupanda; Non debet apponi conditio repugnans statui religioso: Profitens nullum habeat impedimentum, sive ex jure communi, sive ex particulari cujusvis Religionis, invalidans, sive annullans professionem sit sui juris, & non alteri obstrictus.

SEXTA.

Status religiosus Episcopali imperfectior, omni alio perfectior, efficaciâ mediorum, excellentiâ operationum, puritate & unitate finis. Perfectio, quam importat, non est acquisita, sed acquirenda. Non omnis, qui est perfectus, est in statu perfectionis, nec è contra. Qui præfert retentionem bonorum temporalium, etiam prætextu faciendi eleemosynam, & proximo subveniendi, ipsorum renuntiationi per votum paupertatis, aut præfert, vel æquat statum matrimonii statui virginitatis vel cœlibatûs, peccat, & hæreticus est. Virginitatem, aut voluntarium cœlibatum viventium in sæculo præferre, aut æquare virginitati aut cœlibatui, voto solemni Deo consecrato, temerarium & erroneum est. Opera sub obedientiæ voluntariæ voto facta, multò laudabiliora sunt, & magis meritoria, quàm quæ ex propria voluntate fiunt. Hujus contrarium sentire temerarium est.

SEPTIMA.

OBedientia religiosa est actus virtutis Religionis, quo adultus suo juri & voluntati sponte & voluntariè, quantum potest, propter DEUM perpetuò renunciat, seipsum in aliqua Religione approbata, legitimis Superioribus tradens, ad ei imperandum, de eo disponendum, sive eo utendum, intra terminos liciti, & Regulæ Religionis, quam profitetur. Actus merè interni non sunt materia illius. Unde si præcipiantur, quatenùs tales sunt, Regularis non tenetur Snperiori, quatenùs Superior est, ex vi obedientiæ religiosæ obedire. Si autem actus interni sunt necessariò connexi cum externis, quatenùs conjuncti sunt, potest illos Superior præcipere, & inferior tenetur obedire.

OCTAVA.

PRæcepta divina, Ecclesiastica, civilia, &c. ut talia, non sunt præcisè materia obedientiæ religiosæ; quatenùs verò ordinantur ad observantiam religiosam, possunt interdum aggravari præcepto obedientiæ religiosæ. Quo casu duplici titulo (si disparatæ rationis sint,) obligabunt. Quæ Christiano ad observantiam mandatorum Dei, vitationem periculorum peccati, mortificationem passionum, vel remedium, pœnitentiam, & satisfactionem imponi possunt ex causa, legitimè à Superioribus præcipi possunt per obedientiam; & Religiosi illis obedire tenentur, licèt videantur aliena esse à Regula. Idem dic de his, quæ ad justitiam & vindictam peccatorum pertinent, licèt Regulæ observantiam excedant. Clausura strictissima Monialibus præcipi potest, licèt talem non voverint, si experientia doceat, hanc esse necessariam ad castitatis custodiam.

NONA.

POssunt Superiores absque ullius Superioris alterius facultate sua monasteria reformare in iis, quæ sunt in Regula expressa. Imò tenetur in conscientia Superior immediatus (quantum in se est,) disciplinam & observantiam regularem juxta primæva instituta Ordinis, & Regulæ conservare, & si collapsa est, ad pristinam Regulæ amussim restaurare, renitentibus quibuscunque. Peccant mortaliter Religiosi, positivè & deliberatè tentantes reformationem sui monasterii impedire, quando reformatio est secundùm præscriptum Regulæ sui Ordinis. Nulla consuetudo contra Regulam potest impedire reformationem, minùs præscribere. Licèt privilegiorum exhibitio personas à reformatione excusaret, non tamen potest impedire reformationem monasterii, si Prælatus & alii (etsi numero minori) reformari juxta essentialia & substantialia Ordinis velint, vel consentiant.

DECIMA.

DECIMA.

IN iis, quæ ſunt regulæ & Religionis ex ſua inſtitutione, & ad quæ ex profeſſione tenentur Religioſi, non poteſt Superior ceſſare à reformatione, non obſtante quocunque ſcandalo. In rebus merè voluntariis, & ad quas nulla eſt obligatio, ſive quæ ſunt meræ perfectionis, conſulendum eſt interdum potius aliquid dimittere ob ſcandalum puſillorum. Ad novitiorum profeſſionem non ſunt neceſſaria vota Religioſorum monaſterii, cui novitius per profeſſionem incorporatur, ſed ſufficiunt ſuffragia eorum, qui probandis novitiis intendunt, ſive in loco novitiatus ſunt. Unde ſi Superior juxta Conſtitutiones CLEMENTIS octavi & mandatum URBANI VIII. locum conſtituat ad novitios probandos, ſufficit, ut qui in illo loco poſiti ſunt ad illos probandos, ſuffragia de eorum idoneitate ferant. Et tunc Superior poteſt ipſis profeſſionem dare juxta modos reformationis, ſecundum quos voluit illos educari, & probari, renitentibus Religioſis ſui monaſterii.

UNDECIMA.

QUæcunque in regulis ex inſtitutione, vel uſu Religionis benè ordinatæ, relinquuntur Superiorum prudentiæ, diſcretioni, diſpoſitioni, imò & diſpenſationi; in quolibet eorum, quæ per obedientiam jubet Superior, tenetur illi Religioſus obedire. Obedientia Religioſa debet eſſe cœca, prompta & fortis. Ubi tamen apparet manifeſta ratio vel gravis ſuſpicio illiciti, non licet ſubdito, etiam titulo obedientiæ promiſſæ obedire cœcè Superiori. In dubiis tenetur obedire. Si Prælatus ſit Superior ad id, quod ex conſcientia erronea dictatur, magis obligat præceptum ſuperioris quam conſcientia erronea. Si autem Prælatus ſolum exercens officium Prælati præcipiat aliquid, quod ſubditus ex conſcientia erronea credit eſſe illicitum, cæteris paribus plus obligat conſcientia, quam præceptum Superioris.

DUODECIMA.

OMnis Superior regularis juxta materiam ſuæ poteſtati ſubſtratam, poteſt præcipere mandato obedientiæ obligante ad mortale. Theologicè tamen & in rigore loquendo Superiores juriſdictione ſpirituali carentes; non poſſunt præcipere *per ſanctam obedientiam*, ſive *in virtute ſanctæ obedientiæ*. Dum Superior præcipit *in virtute ſanctæ obedientiæ*, tenetur inferior obedire ſub mortali: ſi hâc formâ non utatur, non videtur velle obligare ſub mortali, niſi aliunde conſtet. Si non intendat abſolutè obligare pro conditione materiæ, probabile eſt, ſubditum non obligari ſub aliqua culpa, ſed ſolum ſub pœna, & correctione regulari, ſecundum quod ipſæ Regulæ obligant. Inobedientia formalis ex genere ſuo eſt peccatum mortale. Non ſemper Religioſus in eodem genere peccati gravius peccat, quam ſæcularis.

DECIMA TERTIA.

REligiosus non tenetur ad omnia consilia ad perfectionem promoventia, sed ad illa sola, quæ secundùm suæ Religionis Regulam sunt præscripta. Contemnens ea ad quæ non tenetur, graviter peccat: non contemnit, qui negligit: Sed qui ea vel secundum se, vel secundùm quod à Christo consuluntur, vilipendit, sciens ac volens, nihil aut parvi æstimans ea, quæ Christus tanquam magna & multum ad perfectionem conducentia consuluit. Hoc peccatum in omnibus foret grave, maximè autem in Religiosis. Similiter graviter peccant, qui sic consilia contemnunt, quod firmiter statuant, ea non servare. Et si quis ægrè ferret, se DEO ita subjectum esse, ut ab eo consilia debeat accipere, & ideò aversaretur consilia, horrendum esset ejus peccatum. Religiosus habens contrariam voluntatem sui status, est in statu peccati mortalis, & continuo periculo damnationis æternæ.

DECIMA QVARTA.

PAupertas voluntaria est, qua quis libenter vivit absque proprio. Quod facit, qui quicquid proprium habuit, vel habere potuit, sua sponte reliquit, cupiens nullius rei habere dominium. Religiosi possunt habere bona in communi, quæ non pertinent nec ad Superiores, nec ad Religiosos, ut ad veros dominos; nec stricto dominio ad ullum purum hominem, sed DEO consecrata & addicta sunt. Professurus in Religione possidente, potest reservare peculium sibi de voluntate Superiorum in fines licitos applicandum, *ly* SIBI dicente tantum applicationem & simplicis facti usum. Res quæ per modum peculii datur, debet Conventui aliquo modo esse incorporata, & dispositioni Superioris tradita, ut vult Tridentinum.

DECIMA QVINTA.

HAbere aliquid in communi, non diminuit perfectionem religiosam, habere divitias superabundantes in communi, impedit illam, licet totaliter non excludat. Habere de rebus exterioribus in communi, quantum sufficit ad simplicem victum, non etiam impedit illam, si consideretur paupertas, quantum ad omnem finem Religionum, qui est vacare divinis obsequiis. Religio quæ ordinatur ad corporales actiones vitæ activæ, esset imperfecta, si careret divitiis in communi possessis, cum aliqua abundantia. Religionibus ordinatis ad contemplandum solùm, magis competit habere divitias moderatas, quam abundantes. Ordinatis insuper ad prædicandum vel docendum, congruit, ut quam minimum bonorum in communi possideant, scilicet non plus, quàm necessarium sit vitæ Religiosorum.

DECIMA SEXTA.

VT Religiosus rectè utatur re aliqua, debet uti tanquam non sua, & ut aliena, & ad alium, v.g. ad monasterium pertinente. Item de voluntate rationabili suorum Superio-

Superiorum; juxta modos in Regula, vel Constitutionibus præscriptos, intra limites modestiæ & honestatis. Qui uteretur re aliqua ut sua, proprietarius esset. Novitius reservans sibi peculium, accipiendo *ly* SIBI possessivè, peccat mortaliter Professionem emittens, & quamdiu non abdicat à se talem reservationem, est in continuo statu peccati mortalis; nec ulla causa potest illi ad hoc suffragari. Nullus Regularis potest permittere deponi apud quemcumque pecuniam, aut aliam rem, aut illam ad suum usum particularem, etiam simplicis facti, recipere, aut eam consumere, absque aliqua dispositione & facultate Superioris, nec sibi applicata distrahere. Pœnæ proprietariorum duæ sunt in jure communi, privatio vocis activæ & passivæ per biennium: & privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, si scilicet moriatur proprietarius, & ante mortem non pœniteat.

DECIMA SEPTIMA.

COntinentia perpetua per se, & in ratione simpliciter obligationis præcepti castitatis, non obligatur Religiosus ad plura ex vi sui voti, quàm ad ea, ad quæ præceptum castitatis obligat omnes Christianos; licet altioris ordinis obligatio ex vi voti voventem consequatur. Ex specialibus autem obligationibus cujuslibet Religionis in particulari, possunt Religiosi ad plura obligari, quàm præceptum ipsum castitatis obliget ex se. Et extrinsecus ratione scandali multa in materia castitatis sunt interdicta Religiosis, quæ in aliis vitia non reputantur. Quidquid in sæcularibus est peccatum contra castitatem, est in Religioso etiam sacrilegium contra votum. Malitia sacrilegii est in iis actibus mortalis, in quibus malitia libidinis est mortalis; venialis, in quibus illa est venialis.

DECIMA OCTAVA.

SI quis bona fide habitum post professionem dimiserit, vel si propter justam causam reclamare non potuerit, restituitur jure extraordinario in integrum, ut possit audiri. Si autem non fuerit impotentia reclamandi, silentium quinquennii, est ratificatio Professionis, juxta præsumptionem juris & de jure, dummodo ille sciverit invaliditatem professionis, & intendat illam ratificare & Superior consentiat. Per professionem Religiosus est civiliter mortuus, inhabilis ad quoscunque contractus civiles, nomine proprio faciendos, incapax omnis dominii: Solutus ab omni obligatione votorum simplicium priorum, & ab omni reatu pœnæ peccatorum præcedentium, remissa culpa, per actum contritionis, vel usum Sacramenti. Item ex parte ab irregularitate, quæ est ex defectu natalium.

DECIMA NONA.

QVi sine causa retrahit aliquem à Religione, peccat, & quandoque tenetur ad restitutionem. Si parentes non multùm indigent opera filiorum ad sui sustentationem, licet filiis ingredi Religionem contra præceptum parentum, secus si indigent. Imò pro-

fessi quandoque tenentur egredi è monasterio, ut parentibus subveniant. Qui servilis est conditionis, debet suo domino restitui, si ante finem triennii eum repetat, etiam si fecisset professionem, casu quo transisset ad Religionem invito domino. Quo casu tenetur ad castitatem servandam. De jure naturæ licèt aliquando ære alieno obstricto Religionem ingredi bonâ fide cedendo suis omnibus bonis in utilitatem creditorum: jure autem positivo inhibitum est, ne gravati ære alieno recipiantur in aliquam Religionem.

VIGESIMA.

QUi vovit se ingressurum Religionem, tenetur eam ingredi, & perpetuo manere in ea, si, dum vovebat, habuit intentionem se obligandi ad illic perpetuo remanendum. SI durante anno probationis dimittitur propter morbum, vel ex aliqua alia rationabili causa egrediatur, manet in conscientia liber, quamdiu illa, aut similis causa durat. Si postea sit spes, ipsum denuò receptum iri, sive in eundem, sive in alium Ordinem (posito quod Religionem absolutè & in genere voverit) tenetur ratione sui voti iterum ingredi animo profitendi. Quod si ad certæ Religionis ingressum se obligarit, tenetur dare operam, quantum potest, ut in aliquo istius Religionis monasterio recipiatur. Si non admittatur in uno, debet alia tentare tanto tempore & numero, ut prudentum arbitrio videri possit sufficere. Si simpliciter & indistinctè vovit se ingressurum Religionem, si non recipiatur in una, debet conari habere locum in alia.

VIGESIMA PRIMA.

SI vovens non plus intendit, quàm se obligare ad intrandum causa experiendi retenta libertate manendi, vel exeundi, non tenetur ad manendum, non tamen satis facit voto, si intret, ut statim exeat; sed ingredi debet sincero animo experiendi, num sibi expediat, in Religione profiteri, ac perpetuò manere. Si dum voveret, simpliciter cogitavit de ingressu, nihil de libertate egressus, vel de perpetuitate manendi, tenetur ad ingressum juxta formam juris communis, quæ est, ut ingredientibus detur integer annus probationis: unde non tenetur illic perpetuò manere. Sed si sine ulla rationabili causa exeat, quum & ipse reperiatur idoneus, & ista Religio ipsi convenire, non est excusandus. Si autem illi, ad quos pertinet, nolint eum recipere, vel ipsius debilitas, vel alia causa doceat expedire, quod egrediatur, potest egredi.

VIGESIMA SECUNDA.

LIcitum est aliquos inducere ad Religionem, cogere nunquam. Non est consultandum, an Religionis ingressus sit res bona, imò melior, quàm communis vita bonorum Christianorum. Nec est capiendum consilium, an is qui habet propositum ingrediendi Religionem, habeat vires sufficientes ad Regulam & statuta regularia observanda, nisi esset fortè aliquod speciale impedimentum infirmitatis vel hujusmodi. Et qui firmum habet

propositum eundi ad Religionem, non opus habet probare, an istud suum desiderium sit à Deo.

VIGESIMA TERTIA.

SI requiratur deliberatio, & consilium, sit cum iis tantum, de quibus speratur, quod prodesse velint, obesse nolint. Sicut etiam tunc ineundum est consilium, quando aliquis apud se ambigit, quam potissimùm Religionem ingredi velit, aut quo modo. Item quando quis sibi ipsi non est satis perspectus, an revera habeat purum & sincerum propositum abrenunciandi omnibus, & se ipsum perfectionis studio obligandi; an verò titilletur quidem ad Religionis ingressum, sed sit adhuc cupidus honoris, aut voluptatum, aut pecuniæ, aut otii, vel amans vanum aut carnale consortium alicujus eorum, qui in ea Religione sunt. Talis consilium capiat, seque ipsum ac omnes negotii circumstantias alteri aperiat.

VIGESIMA QUARTA.

DUbitare, an propter contristationem amicorum, vel quodcunque temporalium detrimentum, homo debeat Religionis propositum prætermittere, est animi adhuc carnali amore irretiti. Potest quilibet propositum Religionis, cum parentibus catholicis communicare, si tales sint, qui nolint impedire, sed potius velint promovere. Si autem verisimiliter timeatur, quod sint impedituri, non sunt ab illis petenda consilia. Imò nec eis pium propositum est citò aperiendum, sed tunc demum, quando vir aliquis zelosus, perfectionis, rerumque spiritualium peritus, fuerit super iis punctis auditus, de quibus consulendum videbitur. Dicere autem, quod à nullo melius consilium sit super proposito Religionis ingrediendæ expectandum, quàm à parentibus, etiam catholicis, aut quòd discretio spiritûs, qui ad Religionem vocat, per eos fieri debeat, novum est dogma sanctis Religionibus valde noxium.

VIGESIMA QVINTA.

POrrò licet viros pios, ac spirituales ad consilium adhibendos putemus, ubi consilii aliqua est necessitas, vel utilitas: nihilominus prudentia hîc opus est. Qui ergo se vocari sentit ad unam certam seu determinatam Religionem, non expedit quòd consilium capiat ab eo, qui cum sit alterius Religionis, verisimiliter timeri potest, quod operosè suam Religionem persuadere conabitur propositis incommodis, quæ in altera possunt inveniri, & allegatis variis commodis suæ propriæ: sed aut unum istius Religionis ad quam se vocari sentit, aut alium spiritualem virum, omnium sanctarum Religionum amatorem. Et quamvis illa, ad quam vocatur, fortassè videatur, vel etiam sit difficilior, sequatur Spiritûs sancti instinctum, & eam humiliter amplectatur. Confidens, quòd qui operatus est velle, operabitur & perficere pro bona voluntate. Et qui cœpit in illo opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.

VIGESIMA SEXTA.

NOn repugnat Religiosis docere, prædicare, sæcularium confessiones excipere, Sacramentum Eucharistiæ illis ministrare, ægrotos invisere, consolari. Quæ eis non competunt eo ipso, quo Religiosi sunt, sed per legitimam potestatem committitur illis, ut ea facere possint. Licet eis vivere ex eleemosynis, & mendicare. Laudabile est in illis uti vestibus vilioribus. Licitum est eis tractare negotia sæcularia; non ex cupiditate, curiositate vel vanitate, sed causa charitatis, sive pro suo monasterio, sive pro aliis personis, illis præsertim, quæ cum miserabiles sint, non facile tamen consilium, vel auxilium in mundo reperiunt.

VIGESIMA SEPTIMA.

NOn benè loquuntur, qui dicunt, quod chorus sit institutus in Religionibus pro indoctis & ineptis. Chorus enim, cùm ad hoc sit institutus, ut in loco communi psallentium, aliaque divina officia canentium voce DEus laudetur: Indubiè pro illis est chorus, qui Angelos nunquam à divinis laudibus cessantes imitantur, quique Davidem sequuntur, psalmos divino spiritu componentem, eosdemque concinentem. Itaque Religio Regulam & chorum ad melius esse requirit.

VIGESIMA OCTAVA.

EJectio à Religione post solemnem professionem est gravissima culpa, quæ Religiosis imponitur, quando aliæ non profuerunt. Hac uti solent omnes Religiones, tum ex concessione juris positivi, tum etiam quodammodo jure naturæ. Causa ejus sufficiens, & sola est obstinatio in malo, & incorrigibilitas. Statuit URBANUS octavus, quod maturè formato processu contra delinquentes sententia expulsionis à septem judicibus ad hoc electis formetur. Ejectus manet Religioni obligatus, teneturque redire, si requiratur, nisi alium Ordinem (ad quod non tenetur) ingressus fuerit. Tenetur etiam ad observantiam trium votorum ex parte sui, & quidquid acquirit, acquirit monasterio. Idem censeas de fugitivis & apostatis. Hi incurrunt censuras tum jure communi, tum particulari cujuscunque Religionis latas: non ejectus.

VIGESIMA NONA.

CUm status Religiosi finis remotior sit perfectio charitatis; ad quam ordinantur per se tria vota, una est Religio essentialiter, sed secundum diversitatem exercitiorum, quæ ad illam perfectionem adipiscendam ordinantur, & maximè secundum diversitatem finium, ad quos proximè destinatur, varias contingit esse Religiones, idque convenienter, & maximè utiliter pro Ecclesia. Quædam sunt ad solam contemplationem destinatæ; quædam ad sola opera vitæ activæ; & quædam ad contemplationem & actionem. Quæ ad contem-

contemplationem ordinantur, & simul etiam ad docendum, prædicandum, & similia spiritualia officia proximis exhibendum, tenent summum gradum. Has sequuntur illæ, quæ ad simplicem contemplationem ordinantur. Deinde illæ, quæ occupantur potissimum circa actiones externas corporales, quales sunt, dare eleemosynam, recipere hospites, & peregrinos, redimere captivos, &c.

TRIGESIMA.

IN antiqua lege fuit vera Religio, cum votis essentialibus: non tam perfecta tamen, ac nunc in lege gratiæ. Hanc in monte CARMELO *sancto dictante* SPIRITU *inchoavit & fundavit* ELIAS Propheta, verè primus institutor & Patriarcha Ordinis religiosi. Pro motivo habuit, ultra expressum DEI mandatum, educare viros sanctos, qui suo exemplo & doctrina, idolorum cultoribus tunc in Israel potentibus resisterent, & populum fidelem instruerent, ne ad idola & vitia deflueret. Itaque Enos adumbravit veram Religionem, Samuel delineavit, ELIAS inchoavit & fundavit, Christus perfecit. ELIÆ discipuli fuêre IONAS, ELISÆUS, &c.

TRIGESIMA PRIMA.

EXtremis synagogæ temporibus vigebat Ordo Propheticus, cujus alumni vocabantur discipuli Ioannis ob insignem sanctitatem hujus præcursoris, qui fuit alter ELIAS: quia *venit in spiritu & virtute Eliæ.* His mediis pervenit ad legem gratiæ, & ad tempus Christi. Qui statim à principio Ecclesiæ, ad fidem majori ex parte conversi, fuerunt Apostolorum in prædicando Evangelio coadjutores fidelissimi. Vocati tunc fuêre *Fratres beatæ* MARIÆ *de monte* CARMELO; sive brevius *Carmelitæ* à natali solo suæ Religionis; ita quòd Ordo ille absque interruptione ab institutione ELIÆ, ad hæc usque tempora pervenerit, & perseverat substantialiter in Carmelitis.

TRIGESIMA SECUNDA.

ETiam in lege gratiæ dictus est propheticus: Concilium namque Nicænum dicit, sanctum SPIRIDIONEM, fuisse Ordinis Prophetici. Primis Ecclesiæ sæculis, floruit in Palæstina, Ægypto, & Thebaide. Deinde ad alias Orientis partes, & ad plura Occidentis regna pertransiit. Maximè sub S. LUDOVICO Rege Galliæ, qui aliquos Carmelitas è monte Carmelo in suum regnum traduxit. Semper hic Ordo fuit, & sanctitate & doctrina in Ecclesia venerabilis, & proficuus. Perseveraturus est usque in finem mundi.

TRIGESIMA TERTIA.

ELIAS hujus FUNDATOR OMNIBUS PROPHETIS SANCTIOR fuit, ait S. Thomas in 17. *Matthæi.* Raptus est ad paradisum terrestrem. Ubi, an mereatur vel non? disputatur. De facto invocatur. Venturus est in fine mundi Præcursor secundi adventûs Christi, ut per triennium cum dimidio fidem Christianam defendat, fideles contra persecutionem Antichristi protegat, & ejusdem regnum destruat. Sicut tempore synagogæ habuit auctoritatem, seu potestatem spiritualem extraordinariam, sic illam tunc est habiturus.

TRIGESIMA QVARTA.

PLures fuerunt hujus Ordinis reformationes, sed cunctis mirabilior apparet Congregatio Discalceatorum. Quæ renuncians privilegio mitigationis, primitivam CARMELI regulam amplexa est. Faciunt in illa votum humilitatis, quo tenentur nullum procurare officium, aut prælaturam, imo nec oblatam extra Congregationem acceptare. Hujus instauratrix fuit quædam Virgo sancta nomine TERESIA à Jesu. Et in ista Reformatione, refulsit quædam primævæ ejus Ordinis fundationis imago; sicut enim beatissima virgo MARIA Dei Genitrix ELIÆ revelata fuit, principalis ejus causa motiva, & ELIAS executor ipsius, sic nunc in ejus reformatione, assumpta est alia virgo sanctissima, quasi vicaria Reginæ Virginum, quasi principalis ejus causa motiva, & beatus Pater JOANNES à CRUCE, alter ELIAS quasi ipsius executor & fidelissimus coadjutor.

LaVDetVr sanCta trInItas, In trInItatIs aMatore.



INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
quæ in hac
SECUNDA PARTE
DIRECTORII REGULARIUM
continentur.

Litera D. Disputationem, N. Numerum significat.

Actus.

Advocatus.

Alienatio.

Ad

Prius

Apostata.

Auxilia.

C

Capitulum generale.

Capitulum Provinciale.

Capitulum Conventuale.

Carcer.

Castitas religiosa quoad ejus naturam.

Castitas quoad obligationem.

Idem

Castitas quoad ejus effectus.

Castitas quoad ejus violationem.

Casus reservati.

Cella.

Christus.

Christus

Christus antequam majus omnium charitatis opus efficeret erga homines, scilicet mortem subire hymnum cantavit, & psalmodiam exercuit. *disput.* 1. *n.* 110.

Chorus.

Exercitium Chori est medium opportunum ad proximi charitatem. *disp.* 1. *n.* 109.

Cantus psalmorum maxime incitat ad devotionem. *disp* 1 *n.* 111.

Quomodo non opponatur exercitium chori, seu psalmodia prædicationi verbi Dei? *disp.* 1. *n.* 112.

Laudabile est recitare Divinum officium in Choro. *disp.* 6. *n.* 1580

Laudabile est divinum officium in Choro cum organo & musicis instrumentis concinere. *ibid. num.* 1581.

Ad perfectionem Religionis non est simpliciter necessarium Horas canonicas in choro cantare. *ibid n.* 1582.

Religio, quæ habet chorum cæteris paribus perfectior est illo carentibus. *ibid. n.* 1583.

Communitates Religionum tenentur quotidie Horas Canonicas in Choro recitare. *ibid. num.* 1584.

Hæc obligatio principaliter cadit in prælatos. *ibid. num.* 1585.

Si subditi fuerint in hoc negligentes potest eos prçlatus cogere ad Chorum præcepto. *ibid. n.* 1586.

Singuli non tenentur sub mortali ad Chorum. *ibid. n.* 1587.

Si prælatus esset negligens in hac obligatione, tunc obligatio communis obligat singulos. *ibid. num.* 1588.

Idem dicendum est, quando Conventus tenetur ex Fundatione recitare quotidie Divinum officium in Choro. *ibid. n.* 1589.

Regulares, qui ex consuetudine non recitant in Choro non peccant mortaliter, si alias Choro per alios Religiosos satisfiat. *ibid. n.* 1590.

Quam attentionem debeat habere Communitas in Choro? *ibid. n.* 1591.

Communitas, quæ sine causa recitat Horas, extra tempus legitimum, sublato scandalo non peccat mortaliter. *ibid n.* 1592.

Communitas, quæ invertit ordinem Officii Divini secluso scandalo, modò totum legat, non peccat mortaliter. *ibid. n.* 1593.

Idem dicendum est, si cesset Chorus in medio unius Horæ per notabilem moram. *ibidem num.* 1594.

Stante rationabili causa prætermissio Divini officii, in Choro in toto, vel in parte, non est mortalis. *ibid n.* 1595.

Hoc verum est etiamsi fiat in die festo. *ibid. num.* 1596.

Causa justa prætermittendi est, si non adsint quatuor, vel ad minus tres Fratres, qui commodè possint Choro interesse. *ibid. n.* 1597.

Obligatio Chori impleri potest per solos Novitios. *ibidem n.* 1598.

Occupati in pulsandis organis, deferendis libris illi satisfaciunt, etsi illo tempore non recitent. *ibid. num.* 1599.

In Religionibus, in quibus Religiosi non obligantur recitare in Choro; possunt Superiores ex levi causa omittere Divinum officium in Choro, vel in toto, vel in parte, vel ut matutinum statim post completorium recitetur permittere. *ibidem num.* 1600.

Qui Breviario Romano utuntur, non tenentur sub mortali recitare officium B. Virginis, vel psalmos graduales, vel pœnitentiales, vel officium defunctorum in diebus, quibus in Breviario assignatur, nisi de hoc adsit Consuetudo. *ibidem* 1601.

In nostra Religione non recitare in Choro officium parvum B. MARIÆ in Ferialibus diebus est peccatum mortale. *ibid. n.* 1602.

Idem dicendum est de officio defunctorum in secunda die Novembris. *ibid. n.* 1603.

Omittens dictum officium simul cum officio diei unum tantum peccatum committit. *ibid. num.* 1604.

Omittere recitare litanias majores, vel minores in Choro est mortale, non tamen illas omittere in particulari, juxta aliquos. *ibid. n.* 1605.

Clausura Regularium quo ad non introducendas fœminas.

Ingressus mulierum in Conventus Religiosorum non est prohibitus jure D. sub mortali. *disput.* 6. *num.* 638.

Nec datur de jure communi talis prohibitio. *ibid. num.* 639.

Ex motu Pii V. prohibetur omnibus prælatis regularibus, ne prætextu alicujus licentiæ mulieres intra clausuram admittant. *ibid n.* 640.

Quas pœnas incurrant, tam prælati admittentes, quam mulieres ingredientes ex motu Pii V. *ibid. num.* 641.

Præla-

Clausura Monialium.

Clausula.

Coadjutores.

Collegia.

Commodatum.

Non

Decretum.

Definitorium generale.

Definitorium Provinciale.

Nostri

Electores.

S. Elias.

Emere.

Epicheia.

Episcopus.

Vide

Excommunicationes non reservatæ.

Hæreditas.

Hæresis.

Quid,

I

Jejunium.

Qui

L

Lex.

Libri.

Licentia.

Ludus.

Nostri

M

Martyres.

Matrimonium.

ligato

Idem

Hæc

Moniales.

Munera.

Mutuum.

N

Negotiatio.

Novitii quoad contractus.

O

Obedientia.

Obedientia quoad illius objectum.

Obedientia quoad Prælatos.

Obedientia quoad ejus obligationem.

Obedientia quoad ejus violationem.

Oscula.

P

Parvitas materiæ.

Paupertas.

Paupertas quoad effectus.

Ad

 tat, no

Privilegia.

Processiones.

Procurare.

Procurare salutem proximorum.

Procurator.

Professio fidei.

Qui

Professio Religiosa.

Professio religiosa quoad ejus indissolubilitatem.

Professio religiosa, quoad effectus ex ea resultantes.

Professio religiosa quoad ejus admissionem.

Propina.

Provincialis.

R

Reclamatio.

Refectio regularis.

Regi-

Religio.

Non

Ad

Stipendium.

Suffragium.

Superflua.

Quid,

DIRECTORII REGULARIUM
PARS TERTIA,
IN QUA
DE ELECTIONE AC REGIMINE PRAELATORUM REGULARIUM DISSERITUR.

INDEX
DISPUTATIONUM, SECTIONUM, ET PARAGRAPHORUM,

quæ in hac

TERTIA PARTE DIRECTORII REGULARIUM

continentur.

TRACTATUS IV.

De Regimine Prælatorum Regularium.

DISPUTATIO III.

De Viſitatoribus regularibus.

DISPUTATIO IV.

De officio, dignitate, & obligationibus Prioris localis.

DISPUTATIO V.

De Commissariis, & Vicariis, tam generalibus, quàm provincialibus; ubi etiam de Vicariis localibus, & Subprioribus.

DISPUTATIO VI.

De Definitoribus, & Definitoriis, tam generalibus, quàm provincialibus.

DISPUTATIO VII.

De Procuratoribus regularibus.

DISPUTATIO VIII.

De potestate Capitulorum regularium.

TRACTATVS V.

De electione Prælatorum Regularium.

DISPU-

2 Vtrum




PARS TERTIA.

PARS TERTIA
TRACTATVS IV.
De Regimine Prælatorum Regularium.

PROOEMIVM.



ABsoluta jam secunda Parte hujus Operis, de obligationibus Regularium, tàm in communi, quàm in speciali, ac præsertim Carmelitarum Excalceatorum, restat, ut de Regimine, Potestate & obligationibus Prælatorum, tàm in genere ac in communi, quàm in particulari & propriis nostræ Religionis, seu potiùs Congregationis Hispanicæ, magis necessaria compendiosè, more nostro, pertractemus: ut sic materia hæc, atque totum hoc opus undequaque completum, perfectumque evadat. Hujus verò Partis series seu ordo hic erit: PRIMUM de Generalibus, DEINDE de Provincialibus, Visitatoribus, Commissariis, Prioribus, Vicariis, Definitoribus ac Procuratoribus &c. MOX de Capitulis generalibus, Provincialibus ac localibus seu Conventualibus DEMUM de Canonica Prælatorum Electione, DEO propitio, disseremus.



DISPVTATIO I.

De dignitate, & jurisdictione Prælatorum Regularium.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit Prælatus regularis?

1 *In Republica regulari Prælati sunt necessarii*
2 *Regimen Regularium potest esse in triplici differentia; & quali?*
3 *Religio Carmelitana quo utatur Regimine?*
4 *Regimen Monarchicum est omnium optimum.*
5 *Quid significet hoc nomen Prælatus?*
6 *Quæ differentiæ Prælatorum dentur inter Regulares?*

SUppono in Republica regulari necessarios esse Prælatos, non solùm de jure naturæ, sed etiam 1
de jure Divino positivo, juxta illud Proverbio-

rum 11. *Ubi non est gubernator; populus corruet*, & si de omni Communitate hoc verum est, multò magis in religiosa; nam traditio, & votum obedientiæ sunt de necessitate status religiosi: ergò & potestas saltem dominativa in Prælatis est necessaria in hoc statu; sunt enim hæc duo correlativa, vel saltem se habent tanquam causa & effectus; nam ex traditione Religiosi sequitur dicta potestas in Religione, qua in Superiorem transfertur, ut optimè advertit Suarez *Tomo 4. de Religione libro 2. capite 1. n.* 102. & alii communiter.

2 Suppono secundò, Regimen Regularium triplex esse posse; Monarchicum, Aristocraticum, & Democraticum. Monarchicum erit, si regatur per unum commune Caput: Aristocraticum, si regatur per multos, eosque Optimates: Democraticum, si regatur per multos, & hos populares. Quo autem ex his modis quælibet regatur Religio, pendet ex propriis earum institutis, quæ consulenda erunt: Nostra Carmelitana Excalceata ex Monarchico, Aristocratico, & Democratico participat. Nam

3 plura per se solùm potest facere Generalis, alia non potest sine voto decisivo Definitorum generalium. & alia præter Generalis, & Definitorum generalium consensum requirunt etiam consensum Capituli Conventualis, ut diximus in præcedenti Tractatu *disputatione 6. subsectione 1. §. 3. numero* 297. Qui modus gubernii supposita humana fragilitate est omnium melior, licet aliàs secundùm se Monarchicus sit o-

4 ptimus, ut ait Polibius *libro 6.* Nam per mixtionem Regiminum auferuntur incommoda, quæ secum ferunt singulæ species gubernationis seorsim sumptæ, & habentur bona, quæ ex unaquaque illarum sequuntur. His positis.

Dico I. Prælatus dicitur, quasi præ aliis

5 dictatus, vel antelatus, sive positus; ita Tamburinus de jure Abbatum *Tomo 1. disputatione 1. quæsito 1. numero 7.* Basseus *verbo* Prælatus *numero 1.* & alii apud ipsos; & licet largè hoc nomen, *Prælati*, sumatur pro quolibet habente curam animarum, etiam tantùm in foro animæ, strictè tamen solùm sumitur pro solis illis, qui habent aliquam jurisdictionem ordinariam fori contentiosi.

Dico II. In regimine Regularium dantur

6 tres differentiæ Prælatorum, videlicet Supremi, Medii, & Infimi. Prælati Supremi sunt Generales, sive præsideant toti Ordini, sive in sua natione, dummodò sint independentes, & subjecti solùm Papæ immediatè; nam si alter ab altero, saltem in confirmatione dependeat, jam non simpliciter Generalis erit, sed secundùm quid, ut notavit Suarez *Tomo 4. de Religione, Tractatu 8. libro 2. capite 2. numero 4.* Prælati Medii sunt Provinciales: Infimi sunt Superiores locales, sive nomine Prioris, Abbatis, Rectoris, sive Guardiani nuncupentur: præter has autem Prælatorum differentias dantur etiam Commissarii, seu Vicarii, tàm generales, quàm Provinciales, sive etiam locales: dantur etiam Visitatores, & Definitores, sive Consiliarii, tàm generales, quàm Provinciales, de quibus omnibus singillatim dicendum erit.

SECTIO VII.

De eminentia dignitatis Generalis.

7 *Quid importet nomen Generalis?*
8 *Generalis dici potest princeps in sua Religione:*
9 *Habet mixtum imperium.*
10 *A quo eligendus sit?*
11 *In potestate assimilatur Patriarchis,*
12 *Hierarchia religiosa quomodo Ecclesiastica assimiletur?*
13 *Generales intersunt Conciliis generalibus cum voto decisivo.*
14 *In Conciliis habent locum ante Abbates.*
15 *In Capella Papæ præcedunt Abbates.*
16 *In Capella Papæ præcedunt Vicarios generales, etiam illarum Religionum, quarum Generales in antiquitate præcedunt.*
17 *Generalis non habet tantam potestatem, ut summus Pontifex.*
18 *Non habet in sua Religione plenitudinem potestatis.*
19 *Habet super suos subditos plenum jus.*
20 *In quo differat plenum jus à plenitudine potestatis?*
21 *Non procedit cum clausula* appellatione remota *de jure communi, benè tamen ex privilegiis.*
22 *Generales eo ipso quod sunt electi, censentur confirmati.*

23 De

23 *De Jure communi non est necesse, quod Generalis sit Doctor, & quam debeat habere scientiam de Jure nostro?*
24 *De Jure communi non debet habere certam ætatem, & quam debeat habere ætatem de jure nostro?*
25 *Generalis debet esse professus professione expressa in Religione, in qua est Generalis.*
26 *Debet etiam esse sacerdos saltem antequam officium exerceat.*
27 *Generalis nisi exprimatur, non comprehenditur in dispositioni bus odiosis.*
28 *Approbandi sunt ad confessiones sæcularium sine examine.*
29 *Contra Generales procedere possunt Inquisitores, & quo modo?*
30 *Si gravissimè delinquant non possunt incarcerari etiam à Capitulo generali inconsulto Papa, stando in jure communi.*
31 *Quid dicendum de jure nostro?*
32 *Secundùm jus commune in multis casibus potest deponi Generalis.*
33 *Quomodo Generalis antequam deponatur, de suis defectibus à Definitorio debeat moneri?*
34 *Definitorium generale potest eum aliquando suis præceptis & censuris obligare.*
35 *Non tamen potest eum carceri mancipare.*
36 *Quid si Definitorio renuat obedire?*
37 *Generales de jure communi possunt à se conscriptos libros imprimere sine licentia Religionis cum sola licentia Ordinarii & Inquisitionis.*
38 *Quid de nostro Generali sit dicendum?*
39 *Non est conveniens, Generales esse perpetuos.*
40 *Quanto tempore debeant durare Generales in nostra Congregatione?*

DIco I. Generalis dicitur, qui omnibus suæ Religionis præest. Undè dici potest princeps
7 in sua Religione, quia in sua Religione non cognoscit alium Superiorem, nisi Capitulum generale, cujus etiam est Caput; habet etiam mixtum
8 imperium; cognoscit enim facta suorum subditorum tàm civiliter, quàm criminaliter, ut *infra*
9 dicemus, in quo consistit mixtum imperium *juxta L. imperium ff. de jurisdictione omnium judic.* ita Bordonus *Tomo 2. resolutione 80. numero 11.* Regulariter eligendus est à Capitulo generali, ut patet ex usu omnium Religionum, & est conforme tum Juri Canonico, ut *infra* dicemus, tum Juri naturali, ut benè advertit Suarez *Tom. 4. de Relig. tractatu 8. lib. 2. capite 3. numero 2.* ut Religio majori amore ipsum suscipiat; aliquando tamen creatur à solo Papa, ex informatione graviorum Patrum, ut fecit URBANUS VIII. anno 1632. creando R. P. Theodorum Stratium in Generalem Carmelitarum Calceatorum; prout testatur Lezana *Tomo 2. cap. 13. n. 10.*

DICO II. Generalis in potestate assimilatur Patriarchis: Hierarchia enim religiosa maximè assimilatur Ecclesiasticæ, sicut enim in Ecclesia 11
dantur Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & Parochi, qui omnes summo Pontifici obediunt; sic in Religione dantur Confessores habentes jurisdictionem solùm in foro interno, qui Parochis æquiparantur: Priores, qui sunt quasi Episcopi, & 12
habent jurisdictionem etiam externam; Provinciales, qui sunt veluti Archiepiscopi, habentes sub se Superiores immediatos Conventuum, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem, ut *infra* dicemus; Generales, qui sunt veluti Primates & Patriarchæ, cum sub se contineant Provinciales; & hi omnes sunt sub summo Pontifice, tanquam Pastore universali; Rodrig. *Tomo 1. quæstione 12. articulo 5.* Lezana *Tom. 2 cap. 13. numer. 8.* & noster Joannes Augustinus à S. TERESIA, olim priusquam Religioni N. nomen dedisset, dictus *Hermannus Wesselingius*, J. U. D. V. & Cathed. E. S. Pauli, & ad S. Martinum Monast. Westph. Canon Capitul. in suo *Nomognostico Theorico-practico Juris universi* tit. *Generalis Ordinis.* quod opus prodiit Coloniæ, an. 1652. & post decennium ibidem multò auctius recusum fuit, sub nomine *Wesselingii*, licet Author jam tunc esset Carmelita Discalceatus, nomenque mutasset.

DICO III. Generales Religionum in Conciliis 13
generalibus, tanquam Judices intersunt, habentque in eis suffragium decisivum, & in eis se subscribunt: sic etiam consuetudine introductum est à tempore septimæ Synodi, ut patet ex *Can. convenientibus*, & can. *Adria.* ita cum Bellarm. Jacobat. Azor. Tamb. *Tom. 1. disput. 4. qu. 2. num. 5.*

Locus autem Generalium in Conciliis est ante 14
Abbates, ut patet ex ipsa praxi: unde hanc sententiam cum glossa, Abbate, Decio, Menochio, Lofred. Lezana, Gama, Peregrin. & aliis tenet Pasqualig. *decis. 505.* Lezana *Tom. 4. seu 6. in Consiliis consil. 28. numero 4.* Pellizzarius *Tract. 8. c. 6. n. 228.* contra Tamburinum *de jure Abbatum Tom. 1. disp. 24. quæs. 3. n. 2.* Ratio nostræ resolutionis est, tum quia Generalis est major in admi-

nistratione, & jurisdictione, quam Abbates: ergò debet illos præcedere ex *Cap. ad hæc de officio Archidiaconi*: tùm, quia dignior præcedere debet minùs dignum *cap. Episcopus dist.* Sed Generales sunt digniores Abbatibus, nam Generales præsunt toti uni Religioni; hi autem uni soli Conventui: ergò.

Tum, quia Generalis, qui simul est Abbas præcedit omnes Abbates, ut etiam admittit ipse Tamburinus: ergò non præcedit ratione Abbatiæ, sed Generalatus: ergò dignitas Generalis elevat Abbatem super omnes alios Abbates: quod non posset præstare, ni si esset major dignitas, si autem est major dignitas in quocumque ponatur
15 illum elevabit super omnes Abbates. Hinc fit in Capella Papæ hodie Generales præcedere Abbates juxta id, quod colligitur ex Cæremoniali *libro 3. sect. 2. capite 1.* de ordine sedendi in Capella Papæ *§. in Capella autem*, ubi cum facta sit mentio Generalium Ordinum simul cum aliis Prælatis, Protonotariis, & Abbatibus tribuitur ultimus locus.

16 An autem Generalis debeat in Capella Papæ præcedere omnes Vicarios generales aliarum Religionum, etiam illarum, quæ talem Religionem in antiquitate præcedunt? Respondeo affirmativè; ita ex multis Lezana *Tomo 6. in Consiliis, consilio 56. per totum.* Ratio est, quia major dignitas præcedit minorem, ut tradunt communiter Doctores, atqui dignitas Generalis est major quàm Vicarii, siquidem illa est qualitas per se, hæc verò accessoria, & per accidens; tum patet ex multis exemplis in quibus Oratores Principum non habent in Conciliis locum, quem habituri erant Principes si adessent: tum quia Vicarius Episcopi non habet locum, quem habet Episcopus: ergò idem in nostro casu dicendum est; Vide Lezanam *supra* ubi plura affert ad intentum.

17 Dico IV. Generalis non habet in sua Religione tantam potestatem, ut summus Pontifex: nul-
18 lus enim eum eo in potestate comparari potest, cùm omnis potestas ab eo sit limitabilis, imò nec in sua Religione habet plenitudinem potestatis, cùm non habeat absolutam potestatem, & teneatur reddere rationem de sua administratione, non
19 solùm Papæ, sed etiam Capitulo Generali, cui subjicitur: habens autem plenitudinem potestatis non tenetur alicui reddere rationem, cur ita facit: ut cum Baldo, Natta, & aliis latè probat Bor-
20 donus *ubi supra numero 7.* habet tamen Generalis plenum jus super omnes Religiosos suæ Religionis, siquidem omnes illos potest regere, & corrigere, tam spiritualiter, quàm corporaliter.

Differt autem habere plenitudinem potestatis à pleno jure, quia habens plenitudinem potestatis, potest illos regere, & castigare, sine dependentia, pro suo arbitratu, non tamen habens tantùm plenum jus; hinc fit nullum Superiorem regularem, 21
etiam Generalem procedere de jure communi contra suos subditos cum clausula, *appellatione remota*, quia id est speciale jus solius Principis absoluti; Rodrig. Barbosa, quos refert, & sequitur Bordon. *ubi supra numero 14.* procedunt tamen Generales de facto contra suos subditos, cum hac clausula *appellatione remota* ex multis privilegiis, ut patet ex privilegio NICOLAI V. quod refert Bordon. *ubi supra numero 14.* & ex privilegio BONIFACII VIII. quod referunt nostræ Constitutiones 4. *p. c. 6. n. 9.*

Dico V. Licet in quacumque electione de ju-
re communi sit necessaria confirmatio Superioris 22
ex *Cap. avaritia de elect. lib. 6.* ut cum Silvestro notavit Suarez *Tomo 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. capit 5.* Generales tamen plurium Religionum, ex multis privilegiis illis concessis, eo ipso quòd sunt electi, sunt à sede Apostolica confirmati, ut patet ex Bulla, *Dum attentata*, XISTI IV. pro Carmelitis, & ex Bullis CLEMENTIS IV. pro Minoribus, & PII V. pro Tertiariis, & PAULI V. pro Jesuitis, quas refert Fragosus *parte 2. lib. 11. disputatione 24. §. 7. n. 2.* Unde *in nostris Constitutionibus 3. parte, capite 1. numero 6.* dicitur *Electus verò in Generalem ipso jure ante aliam confirmationem pro Prælato totius Ordinis ab omnibus habeatur.* Vide Lezanam *Tom. 1. c. 15. n. 35.* Bord. *ubi supra n. 22.*

Dico VI. De jure communi non est necessa-
rium, quod Generalis sit Doctor in Theologia, 23
aut in sacris Canonibus; de jure autem speciali consulat unusquisque suæ Religionis Statuta: in nostra namque Congregatione Hisp. qui eligendus est in Generalem debet esse in Theologia, vel in sacris Canonibus peritus, ut patet ex *3. part. nostrarum Constitutionum cap. 2. numero 10.* estque hoc maximè necessarium ad rectum regimen, ut patet ex illo Psalmistæ: *Erudimini, qui judicatis terram*; Peyrinis *de Prælato q. 2. cap. 2 numero 16.* Miranda *Tomo 2. q. 5. art. 2.* Bordon. *ubi supra numero 13.*

Dico VII. De jure communi nulla certa ætas 24
requiritur in Generalibus ultra vigesimum quintum annum; ita Sigismund. Suarez, Lavorius, quos refert & sequitur Bord. *resolutione 21. nu. 13.*

contra

contra Mirandam *Tomo 2. q. 3. art. 1. conclus. 2.* Azorium, & alios, qui ætatem requisitam in Episcopis requirunt etiam in Generalibus. Verùm licet prædicta ætas de rigore juris in Generalibus non requiratur, æquum est, ut saltem triginta annos habeant, ne hi, qui toti Religioni præsunt multorum filii videantur. Unde in nostra Congregatione nemo assumi potest ad Generalatum, nisi ad minus quadragesimum ætatis suæ annum attigerit, & post assumptum nostri Ordinis habitum, laudabiliter duodecim annorum spatio in sua professione fuerit conversatus, ut patet ex 3. *parte nostrarum Constitutionum capite 2. numero 10.*
25 quod est maximè conforme juri communi, secundum quod eligendus in Generalem debet esse Professus professione expressa in eadem Religione ex Clement. 1. *de electis*, & ex Trident. *sessione 14 cap.*
26 10. *&* *sessione 25. capite 21.* secundum quod requiritur etiam, ut sit Sacerdos ex *Capite 1. de ætate, & qualitate*, sufficit tamen quod sit Sacerdos, quando eligitur, vel quod fiat talis, antequam suum officium exerceat; Suarez *Tom. 4. de Religione, tract. 8. lib. 2. c. 3.*

27 Dico VIII. Generalis non comprehenditur sub Legibus, Statutis, & dispositionibus Ordinis contra Prælatos superiores, & alios Religiosos, nisi suo proprio Generalis nomine nominentur; ita Bordon. *ubi supra numero 18.* Ratio est, quia personæ speciali nota dignæ, habentes elegans & excellens nomen sunt privilegiatæ, & non compre-
28 henduntur sub clausulis generalibus; *capite sedes 15. de reserv.* ubi glossa citat; ita apud Labeon. *§. ait prætor. ff. de injur. cap. de mulcta de præbend.* Sed Generalis est persona privilegiata habens nomen speciale elegans: ergò non comprehenditur supradictis legibus: & hac ratione probatur, approbandos esse Generales ad confessiones sæcularium audiendas sine examine; non enim veniunt sub generali locutione Triden. quo ad examen, propter sui nominis excellentiam; Bordonus *Tomo 1. resol. 36. num. 55.*

Per hoc tamen non eximuntur Generales à jurisdictione Inquisitorum, sed contra illos possunt
29 procedere, non solùm in casu hæresis, sed etiam sollicitationis in confessionibus, & in aliis ad hoc sanctum tribunal pertinentibus; ita Diana 4. *p. tractatu 8. resolutione 23.* Freitas, & Joannes à Trinitate, quos refert, & sequitur Thomas Hurtado *Tract. 4. cap. 8. num. 61.* Carena *parte 1. titulo 5. §. 9.* Quod probatur, tum ex Bulla Gregorii XV. quam ibi refert Hurtado: tum, quia hoc privilegium est solùm Episcopis concessum in Trident. *sessione 24. capite 5.* ergò non est extendendum ad Generales; nam cùm sit contra jus commune odiosum est, ac per consequens restringendum; tum etiam, quia ita videtur declaratum ab Urbano VIII. in Bulla, quæ incipit. *Sicut accepimus* edita 5. Novembris anni 1631. ubi declarat, quod in Bullis Apostolicis ad Sanctum officium pertinentibus omnes omnium Ordinum professores, nisi specialiter, & expressè exprimantur, etiamsi ipsi privilegiati forent magis speciali nota & expressione digni, comprehenderentur. Undè non est audiendus Trimarchius *Tractatu de confessore abutente sacramento pœnitentiæ, disputatione 8. sectione 4.* contrarium dicens. Licet autem hæc ita sint, domini tamen Inquisitores non debent procedere, non solùm contra Generales, sed nec etiam contra Provinciales, & personas regulares omni exceptione majores, ob insignem aliquam prærogativam, ob quam sunt in publica fama, & optima opinione, sine consultatione, vel eminentissimorum Cardinalium Romanæ Inquisitionis pro Italia, vel illustrissimi Inquisitoris generalis supremi Consilii fidei; Ita Diana 4. *p. tractatu 8. resolutione 23.* & nihil aliud volunt Peyrinis, uterque Rodrig. & Penna, ut benè notavit Hurtad. *ubi supra num. 628.*

An autem Generalis, si gravissimè delinquat, 30
possit capi, & mitti in carcerem, etiam à Capitulo generali, absque licentia Papæ? respondeo negativè: ita Bordon. *in decisionibus, decisione 112.* Et ratio est, quia præceptum capturæ, & carcerationis spectat ad Judicem, & Superiorem, atque hoc in jure vocatur citatio realis, quæ à solo Judice fieri potest *l. neminem C. de extrahendis reis*, sed solus Papa est Superior, & Judex Generalis cujuslibet Religionis: ergò per illum tantum potest incarcerari. Nec obstat quod Capitulum generale sit super ipsum Generalem, & Generalis teneatur Constitutionibus generalibus, etiam quoad vim coactivam, ut *infra* dicemus, quia puniri non potest judicialiter à Capitulo, sed tantùm legaliter, quatenus incurrit pœnas censurarum, si fuerit transgressor: nec habet super se Protectorem, nec sacram Congregationem, quia tanquam persona privilegiata immediatè subditur Pontifici, & præfati audiunt subditos Regulares recurrentes magis in civilibus, quàm criminalibus, & odiosis, qui subduntur suis Prælatis regularibus.

Sed hæc pro Generalibus aliarum Religionum 31
dicta esse volo, nam in nostra Congregatione, ob

rem gravissimam, ut si Generalis verbi gratia cùm magno sæcularium scandalo procedat, vel Religionem cum notabili relaxatione gubernet, vel si intentaverit aliqua via regimen Ordinis in nostris Constitutionibus stabilitum, vel in totum, vel in parte mutare, aut si Officii sui prolongationem quæsierit, potest in his casibus Definitorium generale concurrentibus quinque suffragiis ex sex
32 convocare Provinciales Hispaniæ, & ex his omnibus concurrentibus octo suffragiis possunt contra Generalem procedere, ejus causam judicare; &, si opus fuerit, eum deponere, quod est conforme juri communi, secundum quod possunt deponi Generales ob insufficientiam *L. si quos judices Capite, de offic. præfect. oriental. & Illiri.* Mascardus *consilio* 593. Sigismundus *de electione, dubio* 102. Hujusmodi autem insufficientia secundum jus commune ex multis capitibus insurgit. *Primò*, si sit notorius suæ Regulæ transgressor *Capite cùm ad monasterium*, versu *quod si prævaricator de statu monachorum: Secundò*, si sit notoriè criminosus *capite, si quis Abbas* 14. *q.* 2. *Tertiò*, si sit notabiliter negligens in officio suo *Capite dictum distinctione* 81. *Cap* 1. *distinct.* 86. Cap. *quoniam in fine distinct.* 100. Quæ maximè procedunt, si sit incorrigibilis in suis defectibus. *Quartò*, si sit ita senio confectus, ut non possit attendere suo officio. *Can.* 1. *dist.* 82. vel ita ægrotus, ut ad id sit inhabilis *Cap. alios* 15. *q.* 6. de quibus Sigismundus *de electione dub.* 102.

Adverte tamen, quod prius quàm Definitori-
33 um nostrum ad hoc deveniat, debere bis per Definitores, quatuor ex ipsis concurrentibus, modestè Generalem monere, ut ab his defectibus abstineat, in casu tamen quo non resipiscat; tunc potest Definitorium præcepta, censurasque imponere in toto Ordine, vel quibus opus fuerit, & tunc mandata à primo, & secundo Definitore, & Secretario subscripta fidem faciunt, & in hoc
34 casu potest Definitorium Patri nostro Generali præcipere, & adhuc per Censuras, & quovis alio modo, si opus sit, compellere, ut dum ejus causa concluditur, & judicatur, in Conventu ab eis designato maneat, & munus suum non exequatur; in quo casu omnes sex Definitores generales debent adesse, quæ omnia patent ex 3. *parte nostrarum Constitutionum capite* 7. *numero* 5.

Existimo tamen, nec etiam his casibus posse
35 Definitorium Patrem Generalem, antequam deponatur, conjicere in carcerem, nisi aliàs Pater Generalis nolit acquiescere in Conventu à Definitorio assignato, & à suo munere abstinere, negligendo præcepta, & Censuras impositas illi à Definitorio, ut in tali Conventu maneat, dum ejus causa judicatur; nam in tali casu existimo posse à Definitorio comprehendi, & retineri in custodia, donec ejus causa judicetur. Quæ colligo ex illis verbis Constitutionis: *Et in hoc casu poterit Definitorium Patri Generali præcipere, & adhuc per Censuras, & quovis alio modo, si opus sit, compellere, ut dum ejus causa concluditur, in Conventu ab eis designato maneat, & munus suum non exequatur*; nam illa clausula, *& quovis alio modo* comprehendit, & includit omnem modum, quo Definitorium possit Generalem compellere, ut maneat in Conventu ab eis designato, juxta legem *quidam relegatus. ff. de rebus dub. & L.* 3. *C. de servis fugit.*

Dico IX. Generalis juxta Trident. potest im- 37
primere conscriptos à se libros sine licentia Religionis, cum sola licentia Ordinarii, & Inquisitionis, nisi detur Religionis statutum in contrarium; ita Pellizzarius *Tract.* 6. *capite* 4. *numer.* 27. Ratio est, quia Generalis non habet in suo Ordine Superiorem, à quo illam impetrare possit, & aliàs ipse sibi eam dare potest in actu exercito, subjiciendo libros prius censuræ consuetæ Revisorum Ordinis. Dixi, *nisi in aliqua Religione detur statutum in contrarium*; nam hæc licentia ad imprimen-
dos libros in nostra Religione non à Generali sed 38
à Definitorio generali datur. Unde si Pater noster Generalis imprimere velit aliquem librum, prius debet obtinere licentiam à nostro Definitorio generali, ut patet ex 3. *p. nostr. Constit. cap.* 8. *n.* 10.

Dico X. Nec æquum, nec conveniens est ob- 39
servantiæ regulari, ut Generales sint perpetui, sed temporales; ita contra Suarez, Navar. Rodrig. Azor. Pellizzar. & alios latè & eruditè probat cum D. Thoma & aliis Peyrinis *de Prælato q.* 1. *cap.* 4. §. 1. Hinc plures Religiones, quæ quondam habebant Generalem perpetuum, cum reformatæ fuerunt, Generalem temporalem constituêre. Tum, quia vel dignitates sunt honores, vel onera: si primum eis privare viros sapientes & prudentes injustum est; si secundum æqualiter etiam distribuendæ æqualibus, ne unus tanto onere pressus succumbat: Tum, quia sæpè vir videtur probus, qui deinde vi dominationis impulsus in alterum mu-
tatur virum, vitiosum & sceleratum, ut de Saule 1. 40
Reg. testatur Scriptura *c.* 15. Unde 1. *Machab. ca.* 8. approbatur annualis electio Romanorum Magistratuum,

ſtratuum, & committunt uni homini Magiſtratum ſuum per ſingulos annos dominari univerſæ terræ, & omnes obediunt uni, & non eſt invidia, neque zelus inter eos. Unde noſtra Conſtitutio diſpoſuit, ut Generalis in officio ſuo tantùm per ſexennium duret 3. *p. cap.* 6 *n.* 1. & idem ferè omnes aliæ Religiones, tribus vel quatuor exceptis, ſtatuere: quod ſignum eſt meliorem eſſe hunc gubernii modum à tot Religionibus, tanto annorum curriculo approbatum. Unde miror contrariam ſententiam tenuiſſe Lezanam *Tomo* 1. *capite* 18 *numer.* 10. Vide Peyrinum *loco citato*, & noſtrum ſapientiſſimum Alphonſum a JESU-MARIA in ſpeciali Tractatu & quæſt. de hac duratione Generalatus, edita in Hiſpania.

SECTIO III.

De poteſtate Generalis in communi.

41 *Duplex datur in Generali poteſtas; dominativa ſcilicet, & juriſdictionis.*

42 *In Abbatiſſis tantum datur poteſtas dominativa.*

43 *Generalis habet immediatè juriſdictionem in omnes ſuos ſubditos.*

44 *Hæc juriſdictio, tam fori interni, quàm externi convenit Generali jure ordinario.*

45 *Hæc juriſdictio non competit Generali jure divino, ſed jure humano.*

46 *Non competit illi immediatè à Papa, ſed mediatè.*

47 *Capitula generalia ſunt ſuperiora Generalibus.*

48 *Quomodo Generalis in juriſdictione differat ab aliis Prælatis?*

49 *Hæc juriſdictio competens Generali, eſt quaſi Epiſcopalis.*

50 *Quare dicatur quaſi Epiſcopalis?*

51 *Hæc poteſtas per ordinem ad plures actus eſt multiplex, licet in ſe ſit una.*

52 *Generalis poteſt hanc juriſdictionem in toto orbe, etiam extra ſuum territorium exercere.*

41 DIco I. In Generali duplex datur poteſtas reſpectu omnium Religioſorum, alia dominativa, alia juriſdictionis: ita communiter Doctores. Datur dominativa, nam hæc provenit ex obedientiæ voto, ut omnes fatentur; ſiquidem ex traditione Religioſi ſequitur poteſtas in acceptante traditionem, & votum, ſed Generalis eſt, qui immediatè acceptat, & cui fit votum obedientiæ, & traditio: ergò in Generali datur hæc poteſtas dominativa immediatè in omnes Religioſos ſui Ordinis, per quam illos optimè poteſt ordinare ad perfectionem charitatis, ut patet in Monialibus, in quarum Abbatiſſis nulla eſt juriſdictio ſpiritualis, ut docent cum D. Thoma *in* 4. *diſt.* 19. & 25. communiter DD. 42

Quod autem detur etiam in illo poteſtas juriſdictionis, tradunt etiam Doctores; nam cum Religioſi fuerint exempti à juriſdictione Epiſcoporum, neceſſarium erat, ut eorum Prælati haberent juriſdictionem ſpiritualem in illos. Hæc autem juriſdictio, ut in capite, reſidet in Generali, qui ſuper omnes Religioſos etiam Prælatos ſui Ordinis habet juriſdictionem, non ſolùm meditatam, qualem habent Archiepiſcopi, ſed immediatam in omnes Provincias, & Conventus illarum; ſicut proprius Prior, & Paſtor. Hic enim modus juriſdictionis magis accommodatus eſt ſtatui religioſo; tum, ut ſubditorum ſaluti, & commodis melius provideatur, tum, ut Ordo, & ſubordinatio melius obſervetur; tum denique, quia votum obedientiæ hoc poſtulat; nam ſicut votum obedientiæ obligat ad immediatè obediendum non ſolùm Priori, & Provinciali, ſed etiam Generali; ita neceſſe fuit, ut hæc juriſdictio ſpiritualis in Generali fuiſſet immediata reſpectu omnium. 43

Dico III. Hæc juriſdictio tàm fori interni, quàm externi, ſuper omnes Religioſos, tàm ſubditos, quàm Prælatos, in omni genere cauſarum, quæ ſpeciali jure à Sede Apoſtolica, vel à Capitulo generali, vel aliquo ſtatuto non fuerint prohibitæ, convenit Generali jure ordinario, & non delegato; Ita communiter Doctores. Nam illa juriſdictio dicitur ordinaria, quæ convenit ex officio: ſed hæc juriſdictio, ſive proveniat ex jure, ſive ex privilegiis, convenit Generali ex officio, ut cum Rodrig. notavit Portel *in dubiis regular.* verbo *Prælatus num.* 2. ergò convenit illi jure ordinario. 44

Dico IV. Hæc juriſdictio non competit jure divino Generalibus, ut putant aliqui cum Rodrig. *Tom.* 1. *q.* 17 *art.* 4. ſed jure humano ex diſpoſitione Pontificum; Ita Suarez *Tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 1. *nu.* 3. imò neque immediatè illis competit à Papa, ſed immediatè illis communicatur à Capitulo Generali, mediatè verò à Papa; Ita cum Suario, Leza. noſter *Tom.* 2. *c.* 13. *num.* 12. quidquid contradicat cum aliis Bord. *Tom.* 2. *reſ.* 80. *numer.* 2. Ratio eſt, quia Capitula regularia 45 46

regula-

regulariter loquendo sunt superiora ipsis Generalibus, cùm ab illis eligantur, & deponantur, & decretis illorum teneantur stare, imò possunt illorum auctoritatem restringere, & limitare: ergò mediis ipsis Capitulis generalibus hæc jurisdictio à Papa communicatur Generalibus.
47

48 Et hinc fit, Generales non solùm distingui ab aliis Prælatis, scilicet Provincialibus, & Prioribus, per hoc quod eorum jurisdictio sit amplior, sive quoad territorium, sive quoad plures personas, sive quoad plures actus, sed etiam quoad ipsam jurisdictionem; nam inferiores Prælati aliquo modo semper ducunt originem à Generali, & non è converso, sicut causa particularis manat ab universali: unde vel ab illo recipiunt jurisdictionem, vel saltem confirmationem juxta diversa Religionum statuta, de quibus latè Suarez *Tom. 4. de Relig. tra. 8. lib. 2. cap. 2. n. 19.*

49 Dico IV. Hæc jurisdictio, quæ competit jure ordinario Generalibus Ordinum est quasi Episcopalis, ut patet ex *Capite* Abbates *de privilegiis in 6.* in quo habentur hæc verba, *in quos (scilicet) Monachos Ecclesiasticum, & quasi Episcopalem jurisdictionem obtinent.* Dicitur autem *quasi Episcopalis,*
50 quia non extenditur ad omnes actus, qui sunt proprii Ordinis Episcopalis, & non quia ad alios actus non sit æqualis, imò major in aliquibus, ut cum Suario, Portel, & aliis notavit Peyrinis *Tomo 1. privil. in const. Pyrrhi n. 46.* aliique communiter, & nos *infra* dicemus.

Dico V. Hæc potestas jurisdictionis licet sit
51 una secundùm adæquatam suam rationem, in ordine tamen ad varios effectus, qui ab illa procedunt, concipitur velut multiplex, & distinguitur in *voluntariam* & *contentiosam*, in *coercitivam*, & *directivam*, in *absolutivam*, & *dispensativam*: *voluntaria* est, quæ exercetur sine strepitu judicii: *contentiosa* est, quæ fit cum strepitu judicii: *directiva* est, quæ datur ad obligandos subditos in conscientia per legem aut præceptum justum: *coercitiva* est, quæ datur ad puniendum subditum delinquentem: *absolutiva* est, quæ datur ad absolvendum: *dispensativa* est, quæ datur ad dispensandum.

52 Dico VI. Generalis potest in toto orbe, etiamsi sit extra suum territorium exercere potestatem non solùm gratiosam, & voluntariam, ut tenent Sanch. Portel, quos refert & sequitur Pellizzarius *Tract. 9. cap. 3. numero* 11. sed etiam contentiosam ligando suos subditos præceptis, sententiis, & Censuris, & statutis: quia totus mundus ei est pro territorio; Ita Rodrig. Megala, Sayrus, Bonacina, quos refert & sequitur Bordon. *Tom. 2. resolut. 78. n. 53.* Coninch. quem refert, & sequitur Delbene *Tom. 2. cap. 2. dub. 1. sect. 1. n. 2.* licet alii contrarium teneant: est enim Judex personarum independenter à loco, ut *infra* dicemus. Hinc fit sententiam triremium datam à Generali cuidam Religioso existenti in curia Episcopi, de ipsius Episcopi mandato fuisse validam, quidquid contradicat Bordon. *Tom. 2. resol. 28. n. 66.*

SECTIO IV.

De potestate directiva Generalis.

53 *In Generalibus datur potestas directiva.*
54 *Generales possunt pro solo suo arbitratu ponere præcepta ordinaria Religiosis particularibus.*
55 *Si ponant gravia præcepta toti Religioni, sine magna circumspectione, peccant mortaliter, præcepta tamen tenent*
56 *Non possunt per se solos condere leges perpetuas, nec etiam de consensu Definitorii.*
57 *Possunt facere decreta & leges ad tempus sui Officii duraturas.*
58 *Qualis debeat esse materia horum præceptorum, & leguin?*
59 *Debent esse sufficienter promulgata, & quando talia dicantur?*
60 *Non possunt Generales, nec Capitulum generale præcipere clausuram perpetuam.*
61 *Hujusmodi leges & præcepta obligant omnes Religiosos, & Moniales, Donatos, & Tertiarios non tamen Novitios.*
62 *Quæ præcepta possint imponere Novitiis?*
63 *Non possunt præceptis obligare ejectos, nisi eos velint ad Religionem revocare.*
64 *Generalis potest novam instituere Provinciam, vel unam in duas dividere cum consensu Provinciæ dividendæ, nisi detur specialis prohibitio.*
65 *Quid dicendum sit de jure nostro?*
66 *Potest instituere Provinciales titulares in aliquibus Religionibus.*
67 *Potest transferre suos subditos de una ad aliam Provinciam.*
68 *Quid si hoc faciat sine causa?*
69 *Et si hoc faciat sine causa, tenentur subditi obedire, possunt tamen ad Sanctissimum appellare.*

70 Non

70 *Non potest mittere subditos ad loca infidelium vel hæreticorum ad prædicandum, si ibi non fuerint Ordinus Conventus.*

71 *Excipiuntur aliquæ Religiones.*

72 *Pontifex potest mittere quosvis Religiosos ad missiones.*

73 *Generalis mittens Religiosos indoctos ad missiones excommunicatur.*

74 *Quid si ipse Generalis si sit indoctus, se conferat ad missiones?*

75 *Generalis potest beneficia, & officia Ordinis juxta Ordinis statuta distribuere.*

76 *Generalis potest omnia efficere, quæ in Constitutionibus Ordinis ei non prohibentur, vel Definitorio, aut Capitulo generali non reservantur.*

77 *Non possunt ad instantiam personarum extranearum, nec aliorum aliquod officium vel dignitatem alicui conferre, vel pœnas remittere; benè tamen aliquam gratiam ad alias materias pertinentem.*

78 *Generalis de consensu sui Definitorii potest dare licentiam ad novas domos, & Monasteria ædificanda.*

79 *Generalis non potest eximere suum subditum ab obedientia sui Prælati immediati; potest tamen in aliquo casu causam aliquam ad se advocare.*

80 *Generalis potest dare licentiam suis subditis ad legendos libros prohibitos.*

81 *Non potest dare licentiam, ut nostri Religiosi eligantur in Judices Conservatores.*

82 *Noster Generalis potest dare licentiam, ut Religiosi nostri sint Executores testamentorum.*

83 *Generalis potest interpretari Bullas & privilegia dubia Ordinis judicialiter.*

84 *Quid si privilegia clara sint?*

85 *Possunt communicare suffragia, & bona opera benefactoribus.*

86 *Non potest concedere indulgentias.*

87 *Potest auferre, & limitare suis subditis usum privilegiorum.*

88 *Non possunt tollere aliquid, quod sit contra jus commune.*

89 *Potest Religiosos approbatos ab Ordinario designare ad aperiundas litteras Sacræ pœnitentiariæ.*

90 *Potest etiam hanc facultatem aliis committere.*

91 *Si hoc committat viris illiteratis peccat mortaliter.*

92 *Generalis non potest Provincialem electum, & confirmatum unius Provinciæ transferre in alteram sine licentia Papæ, & idem dicendum est de Priore.*

93 *Quid si Prælatura sit manualis?*

94 *Quid sit Prælatura electiva? quid manualis?*

95 *Omnes Prælaturæ in nostra Religione sunt electivæ.*

96 *Generalis sine licentia Papæ non potest remittere aliquem Conventum Fratrum vel Monialium regimini Episcoporum.*

97 *Non potest præcipere alicui subdito, ut acceptet Episcopatum, vel etiam dignitatem extra Ordinem; benè tamen Pontifex.*

98 *Debet eligere pro Provinciis Prælatos naturales illius Provinciæ, si dentur in illa Provincia habiles.*

99 *Quid dicendum de jure nostro?*

100 *Qui dicantur naturales?*

101 *Si Generalis mittat in aliquam Provinciam Prælatum extraneum sine necessitate, potest Provincia appellare, & contradicere.*

102 *Quid si Provincia fuisset negligens in proprio Prælato eligendo?*

103 *Generalis non potest admittere ad Professionem Novitium à Conventu novitiatus reprobatum.*

Suppono in Generali dari potestatem directivam super omnes Religiosos sui Ordinis, tum ratione voti obedientiæ, quo immediatè omnes Religiosi profitentur stare mandatis, & præceptis sui Generalis: tum ratione Jurisdictionis Ecclesiasticæ, quam de fide est sufficere ad obligandum subditos in conscientia: ut communiter tenent DD. His suppositis. 53

Dico I. Generales per se solos posse ponere præcepta Religiosis in particulari, pro solo suo arbitratu: nisi valde gravia, onerosa, & extraordinaria sint; quod si talia sint, vel imponantur toti Religioni, tunc attendenda sunt specialia statuta: de Jure tamen communi semper æquum est, ut præcedat consultatio, cùm res sit hæc gravissima pertinens ad bonum totius Religionis, ac per consequens magna consideratione imponenda; Lezana *Tomo* 1. *capite* 18. *numero* 90. & licet talis consultatio, si omittatur non sit de substantia præcepti; peccabit tamen graviter Generalis talia præcepta temerè imponendo: siquidem prudentia ipsa postulat, ut res gravis non fiat, nisi cum maturo consilio; Suarez *Tomo* 4. *de Relig. tract.* 8. *libro* 2 *cap.* 8. *num.* 6. 54 55

Dico II. Generales de jure communi per se solos 56

ſolos non poſſunt condere leges, & ſtatuta perpetua pro tota Religione, ſine conſenſu Capituli generalis; ita Lezana *Tomo* 1. *capite* 18. *numero* 90. & noſter Joannes Auguſtinus à S. TERESIA, aliàs Hermannus Weſſelingius in *Nomognoſtico Theorico-practico Juris univerſi* tit. *Generalis Ordinis*. ubi etiam hos verſus adjungit:

Plurima Præpoſitus Generalis in Ordine tractat
Jure ſuo proprio, pleraque cum Gremio.
Corrigit, & punit ſine Patribus omnia facta,
Abſque tamen Patribus ferre ſtatuta nequit.

Ratio verò noſtræ Concluſionis eſt, quia impoſitio legis eſt res graviſſima, pertinens ad bonum totius Religionis, ut ait D. Thom. 1. 2. *q.* 90. *artic.* 1. ergò requirit conſenſum totius Communitatis, cui imponitur; quæ aſſertio vera eſt, etſi Generalis convocet totum ſuum Definitorium; nam facere leges perpetuas reſervatur Capitulo generali: Ita Bord. *Tom.* 2. *reſol.* 38. *n* 17. niſi aliud ſit diſpoſitum in aliqua Religione de Jure ſpeciali, ut accidit in Carmelitarum Calceatorum Religione, & Jeſuitarum, prout teſtatur Lezana *Tom.* 1. *c.* 18. *num.* 90. Suarez *Tomo* 4. *de Relig. tract.* 10. *cap.* 33. *n* 14.

57 Licet autem hoc verum ſit de legibus, & ſtatutis perpetuis; poſſunt tamen Generales facere decreta, ſeu ſtatuta duratura pro tempore ſui Generalatus, cum id pertineat ad munus Prælatorum quod gerunt *Tom.* 2. *c.* 13. *num.* 14. imò in aliquibus Religionibus hæc ſtatuta durant uſquequo à ſucceſſore revocentur, ut de Religione Auguſtiniana teſtatur Lezana *Tomo* 1. *c.* 18. *n.* 90. & de Societate Pellizz. *Tract.* 9. *c.* 3. *num.* 10. Unde videnda ſunt ſpecialia ſtatuta.

58 Adverte tamen materiam legum, decretorum, & præceptorum debere eſſe conſentaneam Regulæ, quam profitentur ſubditi, ut diximus tractatu præcedenti; nam ſi ſint obligantia ad auſteriorem vitam, quam Religioſi profeſſi ſunt, nullo modo, nec etiam à toto Capitulo generali fieri poſſunt pro Religioſis jam profeſſis; Ita cum aliis Fragoſus 2. *p. lib.* 11. *diſp.* 24. §. 7. *n.* 11. Hinc fit nec Generalem, nec Capitulum Generale poſſe præcipere Religioſis clauſuram perpetuam, cùm hoc non ſit ſecundùm Regulam, ſi tamen detur juſta cauſa, quæ ratiò aſſignari poterit, tunc poterit talis clauſura induci in Religione à Papa; ita ex Navarro, Sanchez, & aliis, Bonacina *diſput.* 1. *de legibus, quæſtione* 1. *part.* 3. *num.* 19. contra aliquos recentiores.

59 Debent etiam tales leges ſufficienter proponi, ſive Religioſo in particulari ſi ſit particulare præceptum, ſive omnibus Conventibus ſi ſit generale: quod ſi fuerit lex perpetua, ſufficit quod in Capitulo generali promulgetur, cum ibi tota aſſiſtat Religio; ad obligandum tamen Religioſos in particulari requiritur, ut illius habeant notitiam, aliàs per ignorantiam excuſabuntur. 60

61 DICO III. Hujuſmodi leges, & præcepta impoſita à Generali obligant omnes Religioſos & Moniales illi ſubjectas, imò Oblatos & Donatos, qui tria vota ſubſtantialia Religionis emiſerunt: & idem dicendum eſt de Tertiariis, ſi collegialiter vivant. In hoc conveniunt DD. ſiquidem omnes illi ſunt veri Religioſi, & adſtringuntur voto obedientiæ, ex cujus defectu à prædicta obligatione Novitii liberantur; poterunt tamen Prælati ea præcepta Novitiis imponere, quæ per ſe cadunt ſub Epiſcopali juriſdictione, ſecluſo ſpeciali reſpectu ad profeſſionem religioſam, ſiquidem pro tempore quo ſunt in Religione, ſunt ſub paſtorali cura Prælatorum, & non Epiſcoporum. 62

An autem Religioſi ejecti teneantur prædictis legibus obedire? Reſpondeo negativè; nam pro eo tempore, & cum habitu Clericali incedunt, & Ordinario loci ſubſunt: undè etiam à votis ſpecialibus, quæ ſupra tria vota ſubſtantialia emiſerunt, ut v. g. voto vitæ quadrageſimalis, quod faciunt Minimi eos liberat; Lezana *Tom.* 1. *c.* 23. *n.* 27. propter rerum maximam mutationem. 63

Adverte tamen, quod ſi Generali videbitur eos iterum ad Religionem revocare, poſſe eos præceptis, & Cenſuris obligare; Ita Sanchez *l.* 6. *Moralium c.* 9. *num.* 14. & alii apud ipſum, quorum aliqui abſolutè dicunt Religioſos ejectos eximi ab obedientiæ voto.

DICO IV. Generalis illius Ordinis, qui non habet expreſſam prohibitionem poteſt novam conſtituere Provinciam, vel unam amplam nimis in duas dividere, vel addere, vel detrahere Conventus, & unire alteri Provinciæ; debet tamen hoc facere de conſilio, & conſenſu illorum Conventuum & Provinciarum, quibus aliquale præjudicium affertur, quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, & nullum præjudicium faciendum eſt cuipiam ſine ejus conſenſu. Hoc aſſertum eſt contra Silv. Miran. & alios, quos refert, & ſequitur Lezan. *To.* 1. *c.* 18. *n.* 24. illud tamen expreſsè tenet Bor. *To.* 1. *reſ.* 18. *n.* 16. & ratio eſt, quia Generalis eſt abſolutè Prælatus non ſolùm Religioſorum, ſed etiam bonorum omnium Conventuum ſui Ordinis; ergò poteſt Provincias dividere, vel alteri unire Conventus, prout ſibi conveniens viſum fuerit. 64

Con-

65 Confirmatur, quia Episcopus potest unire Ec-
clesias sui Episcopatus ex *Cap.* sicut unire 8. *de ex-
cessib. Prælatorum*: ergò à fortiori Generalis, qui for-
tiora jura habet super suos subditos, & eorum Con-
ventus & bona. Dixi, *qui non habet expressam pro-
hibitionem*; nam in nostra Congregatione divide-
re Provincias, & de novo aliquam erigere, reserva-
tur Capitulo Generali: ut patet *ex 3. p. nostr. Constit.
c. 1. n. 16.* Poterit tamen nostrum Definitorium ge-
nerale Conventus unius Provinciæ alteri applica-
re, præcedente tamen consilio Provincialium, ad
quos spectat, ut patet *ex eadem 3 p. cap. 8. n. 1.*
66 An autem Generalis possit instituere Provin-
ciales titulares? Respondeo Generalem Carmeli-
tarum Calceatorum posse prædictos Provinciales
pro aliquibus provinciis, quæ quondam fuêre, in-
stituere etiam hodie, ut patet ex decreto sacræ
Congregationis, quod refert Lezana *Tom. 1. cap. 18.
n. 98.* ubi refert præeminentias horum Provincia-
lium juxta prædictum decretum, quas ibi videre
poteris. Vide decretum Trident. *sess. 25. de Regula-
ribus c. 6.* ubi decernitur non licere quoscumque
titulares ad effectum electionis faciendæ consti-
tuere, solùm loquitur de titularibus, qui solùm ad
effectum electionis constituuntur, non verò de ti-
tularibus perpetuis, ut benè *ibid.* notavit Lezana &
declaravit sacra Congregatio.
97 Dico V. Generalis potest transferre suos sub-
ditos ab una ad aliam Provinciam, si detur justa
causa, aliàs peccabit contra charitatem, & rectum
68 regimen: subditi tamen semper illi tenentur obe-
dire sive cum causa, sive sine illa eos transferat, ra-
tione voti obedientiæ, quam illi promiserunt:
quando tamen Generalis hoc faciet sine causa, po-
terunt subditi ad Sanctissimum appellare; Navar.
69 Rodr. quos refert, & sequitur Lezana *Tom. 1. c. 18.
n. 91.* nec audiendus est Peyrinis *de subdito q. 1. cap.
12. dicto 4.* qui ait in tali casu non teneri subditum
suo Generali obedire, ut rectè notavit Lezana *ibid.*
Nam obedientia, quam illi in professione promi-
serunt, non ad unam tantùm provinciam, sed ad
totam Religionem extenditur.
70 Dico VI. Generales non possunt suos subditos
mittere ad Indos, & infideles causa prædicationis,
ubi imminet periculum martyrii, vel ad Hæreti-
cos, & Schismaticos, si ibi non fuerint Ordinis
Conventus, quia res est difficillima, multisque a-
nimæ & corporis periculis exposita, atque ità Re-
gulæ præscriptum excedunt.
71 Excipiuntur tamen Religiosi Societatis, & no-
stri Discalceati Congregationis Italicæ, qui quar-
to voto eundi ad missiones astringuntur; nam hos
etiam invitos ad prædictas mansiones possunt 72
mittere eorum Prælati: ita cum aliis Bassæus *ver-
bo* Prælatus *n. 14.* Id etiam poterit summus Ponti-
fex omnibus Religiosis præcipere casu, quo neces- 73
sitas boni communis id postulet; sicut & aliis Cle-
ricis idem potest præcipere; Bassæus *ubi supra.*
Advertte tamen, quod si Generalis mittat Reli- 74
giosos indoctos ad partes ultra marinas, ubi pauci
fideles reperiuntur, ad missiones incurrere in ex-
communicationem latæ sententiæ Papæ reserva-
tam, in Extravaganti *Ad nostrum*: non tamen in-
curret talem excommunicationem ipse Generalis,
si ipse ad tales partes, etsi sit indoctus, accedat; Ita
cum Bonacina, Lezana *Tom. 1. cap. 18. n. 99.*
Dico VII. Generales habent auctoritatem, offi- 75
cia, seu etiam beneficia Religionum, juxta earum
tamen statuta, & leges distribuere: tenentur tamen
juxta communem sententiam ad præfata benefi-
cia, seu officia digniores, & meliores, attentis cir-
cumstantiis, eligere, id enim exigit æquitas justitiæ
ut *infra* videbimus: tum etiam, quia Generales sunt
dispensatores, & non domini bonorum Religio-
nis, unde non secundum proprium arbitratum, sed
secundùm justitiam distributivam illa debent di-
videre; Rebel. *p. 1. l. 3. q. 4. conc. 5.* Turrianus, Portel,
quos refert, & sequitur Lezana *Tom. 1 cap. 13. n. 13.*
Dico VIII. Generalis extra Capitulum genera-
le, per se solum habet potestatem, ad faciendum o- 76
mnia non disposita in Constitutionibus, sive in
Regula, in casibus occurrentibus; Ita Bord. *in deci-
sionibus. decis.* 510. Ratio est, quia casus omissus re-
linquitur dispositioni juris communis *L. commo-
dissime ff. de liber. & posthum. L. si extraneus 6. ff. de
condit. caus. data*, & casu omisso ad jus antiquum
recurritur *L. si verò §. de jure ff. solut. matrim.* Sed
Generalis antequam illius jurisdictio ad certos ca-
sus fuisset limitata per Statuta, vel Constitutiones
habebat potestatem super tale vel tale negotium:
ergò adhuc durat hæc potestas in illo, quæ regu-
landa est secundùm jus commune.
Et idem procedit in omnibus, nempe lege, Con-
stitutionibus, Statutis, & consuetudinibus; Tira-
quel. Alexand. Roman. Ancharran; quos *ibid.* re-
fert Bord. procedit etiam, etsi in casu omisso esset
major ratio disponendi; Cinus *in L. quod favore C.
de le.* Oldr. *cons. 142. cum Paponio con. 65. n. 25.* Tum
quia leges, & statuta singulos casus, qui occurrere
possunt, providere nequeunt; unde ad similia pro-
cedere debet, & jus dicere *L. non possunt 11. ff. de l.* cum
autem casus prohibiti Generalibus in Constitut.

respectu ejus personæ, & dignitatis dicantur odiosi, extendendi non sunt secundùm prohibitionem ad omissos, sed ad concessos, qui favorem, & excellentiam Prælati supremi indicant: cùm ex vulgatis juribus *odia sint restringenda, & favores ampliandi*: Tum, quia adest communis regula, concessum censetur, quod non est prohibitum; *Cap.* sunt nonnulli 25.16. *quæstione* 1. *Capite* cum nunc 7.28. *q.* 1. *ibid.*

77 Dico IX. Generales (& idem de aliis Prælatis dicendum est) non possunt ad instantiam quarumcumque personarum, extra suum Ordinem existentium, etiam Ducali, vel Regali, aut Imperiali, aut Cardinalatus dignitate fulgentium, alicui Religioso suæ Religionis aliquod officium, seu dignitatem conferre, seu pœnas remittere; Ita prohibuit CLEMENS VIII. sub excommunicatione latæ sententiæ, Superioribus Carmelitarum in Bulla, quam refert Lezana *Tomo* 1. *capito* 18. *n.* 28. & GREGOR. XIII. Prædicatoribus: & idem per diversas Bullas, quas refert *ibidem* Lezana prohibuit idem CLEMENS VIII. Camaldulensibus, Cruciferis, Hieronymianis, Augustinianis, Cisterciensibus, Cœlestinis: & PAULUS V. id etiam in virtute obedientiæ, & sub excommunicatione ipso facto incurrenda prohibuit Minimis in Bulla, quam refert Peyrinis *de subdito quæstione* 2. *capite* 2. §. 11.

An autem possint prædicti Prælati aliquam gratiam facere suis subditis ad instantiam extraneorum, non obstantibus prædictis prohibitionibus? Respondeo affirmativè cum Peyrinis *ubi supra.*

Nec obstat, quod PAULUS V. in suo Motu proprio prohibeat ullam gratiam concedere ad instantiam prædictorum; nam illa particula *ulla*, non est tam universalis, ut excludat omnem & quamcumque gratiam: ita ut Religionum Prælati nullam omninò gratiam suis Religiosis concedere possint ad instantiam devotorum, sed quod nullam concedere possint pertinentem, vel ad remissionem alicujus pœnæ, vel ad gradus, & dignitates obtinendas; cæteras autem gratias, v. g. transferre de uno ad alium Conventum, assignare eos in socios alicujus devoti ad aliquam peregrinationem *&c.* possunt utique Prælati ad extraneorum instantiam concedere; nam illa universalis per particulares subsequentes coarctatur; Ita Peyrinis *ubi supra*, & in simili casu Rodriguez, *Tomo* 1. *quæstione* 26. *articulo* 4. *ad primum argumentum*; unde audiendus non est Lezana contrarium tenens *Tomo primo qq. R. capite* 18. *numero* 82.

Adverte tamen, quòd licet prædictæ Bullæ, tantùm comprehendant dignitates datas ad petitionem sæcularium, ipsi tamen Prælati, nec ad petitionem Regularium posse tales dignitates alicui concedere; nam Prælatus distribuens prædicta officia debet attendere, non ad petitiones aliorum, quicumque illi sint, sed ad justitiam distributivam. Unde solùm poterunt annuere aliorum Religiosorum petitionibus, quando hi, pro quibus fit postulatio digniores fuerint; Giragus *part.* 3. *dubio* 59. *num* 362.

Dico X. Generalis de consensu sui Definitorii potest dare licentiam ad novas domos ædificandas, de sola Ordinarii licentia, juxta decretum Trident. *sessione* 25. *de Regular. capite* 3. nullo aliarum personarum cujusvis Ordinis, etiam Regularium, requisito consensu, non obstante Bulla CLEMENTIS VIII. aliisque Constitutionibus; Ita concessit nobis PAULUS V. quam concessionem confirmavit, & auxit GREGORIUS XV. in Bulla, quæ habetur *in monumentis Ordinis fol.* 305. *nu.* 2. ut latè diximus *in Tract.* 11. *de privilegiis, disputat. prima, section.* 4. §. 2. Ubi alia privilegia retulimus, ubi etiam diximus decretum URBANI VIII. editum 28. Augusti anni 1624. in quo hujusmodi privilegia revocantur non fuisse ubique usu receptum. Ubi etiam indicavimus, quomodo Generalis possit dare licentiam ad monasteria transferenda, relinquenda, & aliis unienda, quæ omnia *ibid.* videnda sunt, ne ea iterum repetamus. 78

Dico XI. Generalis non potest eximere aliquem Religiosum ab obedientia sui Prælati immediati, putà, Provincialis, vel Prioris, hoc enim est reservatum Sedi Apostolicæ in *Cap.* Frater noster 16. *quæstione* 1. & præterea est contra bonum regimen, & observantiam Religionum; Silvester, Miranda, quos refert, & sequitur Lezana *Tomo* 1. *capite* 18. *numero* 86. Peyrinis *in Formulario lit. E. capite* 31. *numero* 3. licet oppositum videatur tenere Suarez *Tomo* 4. *de Relig. tractatu* 8. *lib.* 2. *capit.* 2. *numer.* 22. Immò nec summus Pontifex hoc sine causa licitè potest efficere; nam esset in destructionem Religionis; Suarez, quem refert, & sequitur Lezana *Tomo* 1. *capite* 4. *numero* 33. poterit tamen Generalis in aliquo casu particulari data causa eximere subditum, & causam aliquam ad se advocare; sicut enim Generalis potest data causa inferiorem omni jurisdictione privare; ita etiam respectu alicujus subditi, data etiam 79

causa

causa; Ita cum Mendosio, Tusco, & aliis Peyrinis *ubi supra num.* 3.

Dico XII. Generalis cum consilio suorum Consiliariorum, vel Collegarum potest concedere facultatem suis subditis legendi libros hæreticos ad oppugnandum; Ita concessit Gregorius XIII. post Pium V. Societati Jesu, & tenet Rodriguez quem refert, & sequitur Peyrinis *de privilegiis ad Constitutionem* 9. *Pauli V. numero* 9. Nec obstat Bulla Cœnæ; nam hæc loquitur de licentiis particularibus concessis ad legendos libros hæreticos, non autem de privilegiis Religiosorum: Unde in hoc non est audiendus Lezana *Tomo* 1. *capite* 18. *numero* 96.

Dico XIII. Generalis noster non potest dare
81 licentiam suis subditis, etiamsi sint Provinciales, ut possint eligi in judices Conservatores, licet aliàs ipsi Provinciales, imò & Priores stando in nostris privilegiis eligi possent à Religiosis aliorum Ordinum in judices Conservatores, ut diximus *in nostro Tractatu secundo, de privilegiis disputatione* 1. *sectione* 4. §. 3. *numero* 201. Ita statuitur *in nostris Constitutionibus* 3. *parte Capite* 14. *numero* 5. ubi præcipitur, ut nullus Prior, neque Vicarius, neque quilibet alius Religiosus possit eligi in Conserva-
82 torem, nisi de mandato expresso summi Pontificis: Unde cùm hoc Pontifici reservetur, clarè videntur talem potestatem adimere Generalibus; poterit tamen Generalis dare licentiam, ut nostri Religiosi sint Executores testamentorum, ut patet ex eadem Constitutione, ubi hæc facultas Generali reservatur.

Dico XIV. Generales possunt interpretari pri-
83 vilegia, Constitutiones, indulta, gratias, & exemptiones suæ Religionis, non solùm doctrinaliter, ut Doctores, sed etiam judicialiter, jure privilegiorum; ut patet ex Bulla Xisti IV. concessa Canonicis regularibus Sanct. Salvatoris: & ex Bulla Julii II. concessa Prædicatoribus & ex Bulla Clementis VII. concessa Tertiariis, quas refert Bord. *Tomo* 2. *resolutione* 52. *numero* 49. & ex Bulla Gregorii XIII. pro Societate; Ita cum aliis Tamburinus *Tomo* 1. *disputatione* 16. *quæsito* 6. *nu-*
84 *mero* 8. debet tamen hoc fieri in ambiguis; nam si res esset clara, Prælati interpretatio non requireretur: Unde si statutum, vel privilegium sit clarum, & Generalis illud declaret in contrarium subditus ejus declarationi non tenetur stare, Ita cum Peyrino, & Rodrig. Tamburinus *ubi supra numero* 9.

85 Dico XV. Generales possunt communicare suffragia indulgentiarum, orationum, & beneficiorum spiritualium quibuscumque devotis, & benefactoribus sui Ordinis ex privilegio Urbani V. concesso Minoribus, quod refert Fragosus *p.* 2. *libro* 11. *disputat.* 24. §. 7. *numero* 13. & idem possunt Provinciales in suis Provinciis; Bonacina, Corduba, Navarr. quos refert & sequitur Frago- 86
sus *ibidem*. Neuter tamen jure proprio potest indulgentias concedere, quamvis habeant auctoritatem quasi Episcopalem in suos Religiosos; Henriquez, Barbosa, Bonacina, quos refert, & sequitur Fragosus *ibidem*.

Dico XVI. Generales & Capitula generalia, ac provincialia possunt suis subditis, etiam Prælatis, 87
auferre, & limitare usum quorumcumque privilegiorum; Ita concessit Clemens IV. Cisterciensibus in Bulla, quam refert Miranda *in Manuali Tomo secundo, quæst.* 3 *articulo* 4. *conclusione unica*, & Gregorius XIII. pro Jesuitis in Bulla, quam refert Tamburinus *ubi supra quæsito* 9. *numero* 1. Ita cum Miranda Tamburinus *ibidem*. Non possunt tamen prædicti Generales virtute prædictarum concessionum tollere aliquid quod sit contra jus commune, vel usum sacrorum Canonum; nam quæ de jure statuta sunt, habent vim obligandi ad culpam, vel pœnam, juxta ipsius juris dispositionem, quæ obligatio in totum à Generali, imò neque à Capitulo generali tolli potest, quia licet de jure inferior dispensare possit in lege Superioris, justa de causa, in casibus particularibus, non tamen tollere potest obligationem inditam à Superiore, etiam in casibus particularibus, si à Superiore specialem ad id non habeat auctoritatem; Tamburinus *ubi supra num.* 3.

Dico XVII. Generalis potest in sua Religione 89
Religiosos approbatos ab Ordinario designare ad aperiendas litteras sacræ Pœnitentiariæ obsignatas, & directas in foro conscientiæ Doctoribus in Theologia, aut jure canonico ad dispensandum, 90
& absolvendum, juxta earum tenorem, imò potest hanc facultatem aliis Prælatis inferioribus committere; Ita concessit Gregorius XIII. Societati *Bulla* 3. & tenent communiter DD. Quos 91
refert, & sequitur Pasqualigus *Tomo* 2. *decis.* 414. *numero* 2. tenetur tamen Generalis, vel ab eo delegatus hoc committere viris litteratis; Unde si inhabilem eligant, peccant mortaliter, ut benè advertit Pasqualigus *ubi supra numero* 6. Ille autem censetur sufficienter litteratus, qui non solùm modum, quem debet servare in executione, & pœnitentiis imponendis, & votis commutandis intel-

ligit, sed etiam sufficienter est instructus circa casus reservatos, censuras, & irregularitates, & circa omnia, super quibus recurri solet ad Pœnitentiariam; Ita Pasqualigus *n.* 5.

Dico XVIII. Generalis, jure communi attento, non potest transferre Provincialem unius Provinciæ in alteram, sine speciali licentia summi Pontificis; Ita Silvester *verbo* casus *casu* 2. Rodri. *Tom.* 1. *q.* 23. *art.* 1. *& in suo Compendio ref.* 68. *n.* 10. Miranda *Tom.* 2. *q* 7. *artic.* 5. Portel *verbo* Generalis *in additionibus, num.* 1. Giragus 3. *part. dub.* 36. *nu.* 225. & noster Gabriel à S. Vincentio in suo opere de censuris *disp.* 3. *qu.* 13. *num.* 227. Ratio est, quia sicut nullus inferior Papæ potest transferre Episcopum de una in aliam diœcesim, ita neque Generalis transferre Provincialem unius Provinciæ ad aliam Provinciam, cùm etiam ipse Provincialis auctoritatem habeat quasi Episcopalem; quod etiam simili modo dicendum est de Priore unius Conventus respectu alterius, post illius confirmationem; Ita cùm Rodr. Portel *ubi sup. loc. cit.*

93 Adverte tamen prædicta intelligi de Prælatura electiva, non tamen de prælatura manuali; prælatura autem electiva est, quæ fit per scrutinium, & secreta suffragia, secundùm conditiones assignatas in *Capite*, quia propter *de election.* & Trioent. *sessione* 25. *de regular. capite sexto*, ut videre est apud Suarez *Tomo* 4, *de Religione, tractatu* 8. *libro* 2. *ca-*

94 *pite* 5. Tambur. *Tom.* 1. *disputat.* 5. *quæsit.* 5. *&* 6. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 15. *& Tom.* 2. *cap.* 12. Manualis verò est, quæ fit per electionem, & nominationem ad libitum Superioris, sine scrutinio, & secretis suffragiis; Ita Lezana *Tom.* 2. *c.* 13. *n.* 56. Vidal. *tit. de Prælatis inquis. unic. num.* 7.

Hinc fit in Religionibus, in quibus Prælati fiunt à solo Generali, ut in Societate, vel à Definitorio, seu Provinciali absque scrutinio ac suffragiis, posse prædictos Prælatos transferri ab una ad aliam Provinciam; Ita cum Riccio, & Sigismundo, Diana *in dubiis regularibus parte* 3 *resolut.* 117 quorum doctrina semper est intelligenda in ordine ad bonum commune Religionis, aliàs Generalis, si sine ulla necessitate boni communis, sed pro mera sua voluntate hoc faciat, se gereret tanquam dominus, & non tamquam administrator, quod

95 utique iniquissimum esset; Giragus *p.* 3. *dub.* 36. *nu* 226. & nos *supra* diximus; non tamen, ubi electiones tam Priorum, quàm Provincialium, fiunt per electionem Canonicam cum scrutinio, & secretis suffragiis: ut fit in nostra Congregatione Hispanica, in qua Provinciales omnium Provinciarum eliguntur à Capitulo generali, præcedente prius nominatione duarum personarum facta à Capitulo provinciali. Et priores fiunt etiam in Capitulo generali, non à toto Capitulo, sed à sex Definitoribus ac Generali præterito & noviter electo, si novi Generalis fiat electio; & Provinciali, & duobus sociis illius Provinciæ, pro qua Priores eliguntur, præcedente etiam nominatione facta à Capitulo provinciali duarum personarum, pro quolibet Conventu, quæ omnia fiunt per scrutinium, & secreta suffragia ut patet *ex* 3. *p. nostrarum Constitutionum c* 2. *n.* 11.

An autem Generalis possit dimittere aliquem 96
Conventum Fratrum, vel Monialium regimini Episcopi, vel alterius Ordinarii sine speciali licentia Papæ? respondeo negativè. Nam Generalis habet jurisdictionem super Religiosos, & Moniales à Papa: ergò sine illius licentia non potest illam à se dimittere: patet consequentia, quia hæc dimissio in rigore, & substantialiter est renuntiatio privilegii exemptionis illius Conventus, quod erat beneficium concessum à Sede Apostolica, sed beneficium non potest renuntiari, nisi coram illo à quo fuit concessum: ergò; Ita Portel *Tom.* 1. *casuum p.* 1. *casu* 12. *per totum.* præsertim *n.* 8.

Dico XIX. Generalis non potest præcipere subdito, ut acceptet Episcopatum vel aliam dignitatem extra Ordinem; Ita cum aliis Delb. *Tom.* 2. *c.* 97
19. *dub.* 3. *sect.* 2. *n* 34 *&* 41. Ratio est, quia potestas, quam habent Superiores Ordinis non ordinatur ad bonum commune Ecclesiæ, sed solùm ad bonum commune Religionis; sed Episcopatus non ordinatur ad bonum commune Religionis, nec particulare Religiosi, sed ad bonum commune Ecclesiæ ergò. Poterit tamen summus Pontifex talem Religiosum obligare ad acceptandum Episcopatum, vel aliam dignitatem extra Ordinem. ut ex Corduba, Valentia, Rodrig & aliis tradit ipse Delbene *ubi sup. n.* 3. propter contrariam rationem.

Dico XX. Generalis debet eligere pro Provinciis Provinciales, & Priores naturales illius Provinciæ, si talis Provincia personas ad hæc officia habiles habuerit; Ita cum D. Thom. Soto. Rodr. Regin. Az or. & aliis Peyr. *de subdito q.* 1. *c.* 31. §. 4. Et ratio est, quia unusquisque propensiorem habet animum ad suam civitatem, & diœcesim, in qua nutritus est, quàm ad aliam: tum, quia extranei dominari solent non gubernare: unde sanctissimæ sunt leges, quibus cavetur, quod non nisi naturales assumantur ad officia suæ patriæ, & ita disposuit nostra Constitutio 3. *p* *c.* 2. *n.* 15. ubi ait: Quod regulariter 98

lariter non assumantur ad officia Prælatorum, nisi naturales illius Provinciæ; Dixit autem *regulariter*, quia aliquando possunt Electores in Capitulo generali, quando pro aliqua Provincia necessarium judicaverint, aliquos extraneos ex toto Ordine eligere; ut patet ex 3.*p.nostrarum Constit. c. 4. n. 6.* vel si provincia aliqua de novo fundetur, & non habeat subjecta capacia ad talia officia, ut patet ex eadem *Constit. c. 2. n. 16.* ille autem dicitur naturalis alicujus Provinciæ, qui in ea habitum sum-
100 psit, vel per spatium decem annorum continuè vixit in ea; Ita cum Rodrig. Peyrin. *ubi sup.*

101 Dico XXI. Si Pater Generalis mitteret in aliquam Provinciam aliquem Prælatum ordinarium extraneum, & in tali Provincia essent Religiosi apti, & capaces talis officii, talis Provincia haberet justam causam appellandi, reclamandi, & contradicendi: habetur id in *Cap.* nullus invitus *distin.* 61.
102 Peyr. *de Subdito q.* 1. c. 3. §. 5. si tamen per negligentiam Prælatorum, vel discordiam illa Provincia non elegisset, tunc illi posset dari Prælatus extraneus; Ita cum glossa Peyrin. qui ad hoc probandum affert ex glossa *Cap.* volumus *dist* 89.

Dico XXII. Generalis etiam de consensu Capituli conventualis illius Conventus, in quo residet, non potest admittere ad professionem Novitium reprobatum à Priore Conventus novitiatus cum suo Capitulo conventuali; Ita cum Bord. Navar. & aliis Pelliz. *Tract.* 3. *c.* 7. *n.* 16. Ratio verò est,
103 quia actus non potest subsistere sine eo, quod est de forma illius; & quod est de forma actus, non potest per aliud suppleri; sed de forma actus professionis est, ut in eam consentiat Capitulum conventuale domus, ubi novitius peragit annum novitiatus; ergò talis forma non potest suppleri à Generali, etiam de consensu Capituli domus, in qua residet; suppono enim non esse Conventum, ubi novitius peragit annum novitiatus.

De potestate coercitiva, quam habent Generales in omnes Religiosos suæ Religionis.

104 *In Generalibus datur potestas coercitiva respectu omnium Religiosorum, Monialium, & etiam Donatorum, & Tertiariorum.*

105 *Quotuplex sit hoc potestas coercitiva, & qualis?*

106 *Generalis de jure communi eam habet potestatem coercitivam, super omnes suos subditos, quam habet Episcopus in suos; nisi obstent specialia statuta.*

107 *Generalis potest coercere suos subditos per omnes Ecclesiasticas censuras, quæ justè possint non solùm personis, sed & Capitulis provincialibus, & conventualibus imponi.*

108 *Potest ponere interdictum, vel suspensionem generalem Capitulo provinciali, & locali; non tamen Capitulo generali, & cur?*

109 *Potest suspendere singulos de Capitulo generali.*

110 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

111 *Nostrum Definitorium generale non potest ponere interdictum, vel suspensionem generalem Capitulo generali in communi.*

112 *Generalis non potest suis subditis novas irregularitates imponere*

113 *Non potest etiam cum Capitulo generali condere statutum adjecta pœna infamiæ.*

114 *Generalis non potest suis subditis imponere pœnam inhabilitatis ad omnia illa, ad quæ sive ex natura sua, sive jure habiles erant.*

115 *Quid dicendum sit de Capitulo generali?*

116 *Generalis potest tales inhabilitates imponere delinquentibus in casu, quo à jure, vel à lege Religionis eis imponantur.*

117 *Generalis potest suspendere ex justa causa suos subditos approbatos ab Ordinario à confessionibus sæcularium.*

118 *Si Generalis tantùm prohibeat audire confessiones, non censetur auferre jurisdictionem.*

119 *Si prohibitio etiam quoad jurisdictionem notoria non sit, confessiones adhuc sunt validæ.*

120 *Generalis tenetur per se, vel per alios visitare suam Religionem.*

121 *Non potest mittere ad visitandum clericum vel Religiosum alterius Ordinis; benè tamen Pontifex, vel Legatus à latere.*

122 *Non potest provinciam jam visitatam sine causa iterum visitare, non postulante ipsa provincia.*

123 *De quibus in his visitationibus teneatur subditos corrigere?*

124 *Tempore visitationis omnes causæ, & lites illi committuntur.*

125 *Tempore generalis visitationis, nec Provinciales, nec Priores possunt jurisdictionem contentiosam in suos subditos exercere, benè tamen voluntariam.*

126 *In*

126 *In nostra Congregatione Hispanica aliqua sunt delicta, quorum punitio Definitorio reservatur.*

127 *Quæ sint hujusmodi delicta?*

128 *Quis dicatur incorrigibilis secundùm nostras Constitutiones.*

129 *Generalis non potest aliquem ad triremes damnare, neque ad exilium.*

130 *Generales aliarum Religionum non possunt per se solos incorrigibiles expellere.*

131 *Generalis non potest subditos tradere brachio sæculari, nec condemnare ad mutilationem vel pœnam mortis.*

132 *Ad quam punitionem se extendant privilegia?*

133 *Definitorium generale, sicut & Capitulum generale non potest damnare Religiosum, ut fame pereat.*

134 *Potest Generalis cum Definitorio reum subjicere torturæ per ministros laicos.*

135 *Generalis non potest amovere sine causa aliquem Prælatum à sua Prælatura, sive Prælatura sit electiva, sive manualis.*

136 *Quid importat clausula* ad nutum?

137 *Generalis si amoveat sine causa aliquem Prælatum à sua Prælatura sive electiva, sive manuali, amotio est illicita, & nulla.*

138 *Talis amotio etiamsi sit ex prætensa causa est nulla, quando Prælatus protestatus est se velle defendere, & evidenter ostendere causam esse nullam.*

139 *Generalis non potest sine causa, nec in toto, nec in parte auferre Prælatis jurisdictionem ordinariam super suos subditos.*

140 *Si sine causa auferat, vel limitet jurisdictionem; talis limitatio non solùm est illicita, sed nulla.*

141 *Generalis data causa majoris boni communis potest Prælatos etiam canonicè electos amovere à suis officiis, etiam sine ulla ipsorum culpa, nisi detur statutum in contrarium.*

142 *In nostra Religione hoc reservatur nostro Definitorio generali.*

143 *Generalis data causa potest ad se advocare causas pendentes coram Prælatis inferioribus eorundem Regularium, si non detur statutum in contrarium.*

144 *Noster Generalis non potest causam pendentem coram Prælato inferiori ad se advocare; nisi ob illius defectum, vel ob aliam justam rationē.*

145 *Nostrum Definitorium generale non potest ad se ullam causam advocare.*

146 *Generalis sine causa non potest ad se ullam causam advocare pendentem coram Prælato inferiori.*

147 *Si advocet, talis advocatio est illicita, & nulla.*

148 *Generalis & Provincialis ex justa causa possunt præcipere Priori Conventus novitiatus, ne quenquam Novitium ad professionem, se inconsultis recipiat, adjecto decreto irritante professionem.*

149 *Si hoc præciperet sine causa decretum teneret, & professio esset valida.*

150 *Generalis hoc præcipiens tenetur justam causam assignare, & non sufficit dicere, se hoc facere ex justa causa.*

151 *Superiores possunt facere statutum, ne recipiantur ad professionem Novitii tali vitio, vel infirmitate laborantes, auferendo potestatem recipiendi, & irritando receptionem in contrarium.*

152 *Generalis syndicans de Provincialibus tenetur eos punire, & si abusus permittat, peccat mortaliter.*

153 *Generalis tenetur inquirere, an in aliqua Provincia aut Cœnobio Communitas laboret extrema, vel gravi necessitate.*

154 *Quando detur hæc extrema, vel gravis necessitas?*

155 *Si detur extrema vel gravis necessitas tenetur Generalis de opportuno remedio providere.*

156 *Generali incumbit efficere, ut leges observentur, & Religionem suæ perfectioni restituere.*

157 *Tenetur Prælatos delinquentes punire, & abusus auferre.*

158 *Generalis, & Capitulum generale tenentur à Religione evellere ambitiones, & factiones.*

159 *Tenentur ex officio pacem suorum Subditorum procurare.*

160 *Nunquam est licitum dissimulare factiones, etiam ob majus malum evitandum.*

161 *Non potest in Religione dari majus malum ambitione & seditione.*

162 *Quomodo Generalis debeat Capita factionum evellere?*

136 *Quomodo S. Mater* Teresia *hoc commendaverit?*

164 *Generalis cum noverit in aliqua provincia dari factiones, tenetur mittere visitatorem, vel ipse provinciam visitare.*

165 *Quid faciendum, si pars oppressa visitatorem postulaverit ad hoc ut tollat regimen è manibus partis opprimentis.*

166 *Quid*

166 *Quid si tantùm visitatorem postulet ad auferendum oppressionem?*

167 *Qualis debeat esse Visitator in hoc casu mittendus?*

SUppono in Generalibus dari potestatem coër-
104 citivam respectu omnium Religiosorum, & Monialium, imò etiam Tertiariorum, si collegialiter vivant, & Donatorum, qui tria substantialia vota emiserunt; nam cum illis respectu prædictorum detur potestas directiva, ut *sectione præcedenti* monstravimus, frustranea esset sine coërcitiva, cùm sine timore, & punitione ad quam ordinatur potestas coërcitiva, non possit Communitas humana regi, & gubernari, quamtumvis bona, & perfecta videatur.

Hæc autem potestas coërcitiva est duplex: u-
105 na proveniens ex voto obedientiæ, & potestate dominativa, qualem etiam habet paterfamilias: Alia, quæ illis competit ratione jurisdictionis Ecclesiasticæ: Prima solùm extenditur ad coërcendum modo paterno; unde ex vi illius non potest Prælatus imponere subdito pœnam gravem spiritualem, vel corporalem, sed solùm adhibere illam correctionem, quæ intra latitudinem domesticæ providentiæ haberi potest, attento usu, & communi more hominum.

106 Secunda verò importat perfectam potestatem coërcitivam spiritualem: unde non solùm extenditur ad coërcitionem spiritualem, quæ fit per censuras, inhabilitates ad quæcumque jura spiritualia, bona, & ministeria, sed etiam ad coërcitionem corporalem, sub qua comprehenditur quæcumque corporis castigatio, vel afflictio, aut etiam publica reprehensio, infamatio, incarceratio *&c.* Ut patet ex communi usu, & privilegiis omnium Religionum. His suppositis.

Dico I. Generalis de jure communi eam po-
106 testatem coërcitivam habet in omnes suos subditos, quam Episcopus habet in suo Episcopatu, nisi speciali statuto illi limitetur; Ita Suarez *Tom.* 4. *de Religione, tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 9. *numero* 4. Et ratio est, quia cùm Generalis immediatè Pontifici subjiciatur, & ab eo recipiat potestatem, quasi Episcopalem in omnes suos subditos, si hæc à lege Religionis non limitetur, stando in jure communi æqualis est, ac in Episcopis. Undè fit in Generali dari potestatem ad coërcendos suos subditos, per quascumque Ecclesiasticas censuras, quæ alias justè possint in tali materia, seu crimine non solùm
107 personis, sed etiam Capitulis, tam localibus, quàm provincialibus imponi; non tamen poterit ponere interdictum, vel suspensionem generalem
Capitulo generali; nam cùm Generalis sit Caput 108
Capituli generalis in nulla re potest tale Capitulum peccare, quod ipsi Generali præcipuè non imputetur: ergò Generalis non potest esse judex criminis commissi à tali Capitulo, ut Capitulum est, ac per consequens nec illud tali censura punire. quia sicut Generalis non potest seipsum suspendere, ita neque Capitulum, cujus ipse est Caput. Unde etsi Generalis justè suspenderet singulos de Capitulo, ipse nihilominus semper maneret habilis, & in eo servaretur vox Capituli, prout docet Abbas in *Cap.* 1. *de elect. num.* 5. communiter receptus inter DD. Ita in simili casu Pelliz. *Tra.* 9. *cap.* 3. *n.* 55.

Dixi, *nisi aliquo speciali statuto talis potestas co-* 109
ercitiva illi limitetur; nam in nostra Congregatione Hisp. nullus Prælatus, etiam Generalis, tempore Capituli generalis, vel Provincialis, neque in communi, neque in particulari potest ponere præcepta, vel censuras ipsis Capitulis, sed hujusmodi impositio censurarum, vel præceptorum tam toti Capitulo, quàm majori ejus parti, soli nostro
Definitorio generali reservatur; in quo casu to- 110
tum Definitorium, & ipse Præsidens eodem præcepto manent ligati: ut patet ex 3. *part. nostrarum Constit. c.* 5. *n.* 6.

Adverte tamen Definitorium etiam in hoc ca- 111
su non posse interdicere, vel suspendere totum Capitulum generale; nam cùm Definitorium sit pars ipsius Capituli & maneat obligatum ipsis censuris, quas imponit, ut constat ex præcitata Constitutione, non potest se ipsum suspendere, & interdicere, ut supra diximus; Unde talis Constitutio de sola excommunicatione, & præceptis, quæ ponuntur toti Capitulo debet intelligi.

Dico II. Generalis non potest suis subditis 112
novas irregularitates imponere, sed tantùm declarare, an aliquis suorum subditorum aliquam ex irregularitatibus jure Pontificio inductis incurrerit. Irregularitas namque adeò gravis pœna est, ut à solo summo Pontifice imponatur; Ita communiter DD. apud Suarez *ubi sup. n.* 7. Hinc fit non posse Generalem etiam cum Capitulo generali condere statutum adjecta pœna infamiæ contra transgressores: Nam infamia est impedimentum juris, & quædam irregularitas, quæ solùm in casibus à jure expressis incurritur; Ita & benè Bordon. *Tom.* 2. *resol.* 58. *n.* 8.

An autem possit Generalis suos subditos inha-
114 bilitare ad Pralaturas, officia, & gradus ad quos ex natura sua, vel jure Divino habiles sunt? Respondeo negativè: nam cum hæc inhabilitas sit pœna gravissima solùm competit vel Pontifici, quando inhabilitatio respicit actum, quoad suum
115 valorem independentem à Religione, vel Capitulo generali, cujus tantùm est condere leges: secùs si inhabilitatio respiciat actum, cujus valor aliquo modo dependeat à potestate dominativa, vel à voluntate Religionis, ut si inhabilitatio sit ad prælaturas, studia, ordines, &c. Ita communiter DD.
116 apud Suarium *ubi supra n.* 9. poterit tamen Generalis, imò tenetur tales inhabilitates imponere delinquentibus in casibus, quibus à jure, vel speciali lege tali delicto imponuntur: nam tenetur secundùm jus commune, si non habeat proprium, vel secundùm proprium, si extet, judicare; Ita cum aliis Suarez *ubi supra.*

117 Dico III. Generalis, data justa causa, potest suspendere suos subditos à confessionibus sæcularium audiendis, aliàs approbatos ab Ordinario loci; Ita declaravit Sacra Congregatio his verbis: *Sacra Congregatio censuit Generalem posse suos subditos ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet etiam extrajudicialiter à confessionibus audiendis suspendere;* Ita cum Peregrino Delbene *p.* 2. *c.* 14. *sect.* 6. *n.* 7.

118 Adverte tamen, quod si Generalis solùm alicui subdito confessiones audire prohibeat non censetur velle jurisdictionem auferre (nisi contrarium constet, vel colligatur ex circumstantiis, ut si propter injuriam fiat prohibitio) sed solùm quod licitè eos non audiat; Rodriguez, Miranda, quos refert, & sequitur Delbene *ubi sup.* qui etiam ex
119 Miranda notat, quod si prohibitio, etiam quoad privationem jurisdictionis facta, notoria non sit, adhuc confessiones valent, ex eo, quod error communis, & titulus coloratus tribuat jurisdictionem, juxta *tex. in l. Barbarius, ff. de offic. prætoris.*

120 Dico IV. Generales possunt, & debent per se, vel per alios Religiosos sui Ordinis visitare suam
121 Religionem, ut patet ex Trid *sess.* 25. *c.* 1. non tamen possunt mittere ad visitandum aliquem Religiosum alterius Ordinis, vel clericum sæcularem; oportet enim quod visitator sit instructus in regula, & statutis visitandorum, Peyr. *de subd. q.* 1. *c.* 18. Lez. *To.* 1. *c.* 18. *n.* 29. Id autem rectè facere potest summus Pontifex, & Legatus à latere propter ampliorem facultatem, quam ipsi habent; Rodrig. & Peyrin. quos refert & sequitur Lezana *ibid.*

An autem Generalis possit unam provinciam jam visitatam iterum visitare, non postulantibus 122
his, quibus incumbit, sed solùm propter suos determinatos fines? Respondeo negative; Tum, quia est contra consuetudinem omnium Religionum, quæ consuetudo pro lege habenda est, ut dicitur *Capit.* videtur, *qui matrimon. accusare poss.* Tum, quia Trident. *sess.* 25. *de Regular. cap.* 1. præcipit ut suis temporibus visitationes facere non prætermittant: ergò vetat extra tempus visitare saltem sine legitima causa; Ita Peyrinis *de subdito quæst.* 1. *cap.* 18. §. 1.

In his autem visitationibus tenetur Generalis 123
suos subditos corrigere, & ut proprius Prælatus punire etiam in delictis, quorum judicium, & punitio ad inferiores Prælatos pertinet, nisi aliàs pœna pro delicto imposita Definitorio generali reservetur; nam Generalis, ut *supra* diximus, habet juris- 124
dictionem ordinariam, & immediatam in omnes Religiosos etiam Prælatos, & tempore visitationis omnes causæ, & lites Provinciarum, & monasteriorum illi committuntur: ut cum Portello notavit Lezana *Tom.* 2. *cap.* 13 *n.* 28. Unde nec Provin- 125
ciales, nec Priores tempore visitationis suarum Provinciarum, vel Conventuum possunt jurisdictionem contentiosam circa suos subditos exercere, benè tamen jurisdictionem voluntariam, ut *ibidem* cum Portel advertit Lezana.

Dixi, *nisi pœna pro delicto imposita Definitorio* 126
generali reservetur: sunt namque aliqua delicta, quorum punitio, & cognitio in nostra Congregatione Definitorio generali reservatur, ut sunt ea delicta, quæ in jure atrociora censentur; ut si quis graviter aliquem percusserit, aut ea cri- 127
mina commiserit, quibus de jure communi delinquentes ad mortem damnantur; vel in perpetuum ad triremes relegantur: si quis libellum infamatorium ediderit, si scandalum gravissimum sæcularibus præbuerit, si Superiorum sigilla, aut subscriptionem adulteraverit, aut eorum officium in re gravi usurpaverit, si in peccatum incontinentiæ tertia vice lapsus fuerit, vel semel hoc peccatum cum notabili, & publico scandalo sæcularium perpetraverit, si peccatum nefandum, quod Deus avertat, commiserit, vel intentaverit committere, si incorrigibilis fuerit, &c.

Ille autem dicitur incorrigibilis secundùm no- 128
stras Constitutiones, qui ter convictus, aut punitus de criminibus gravibus, etiam distinctis, nunquam fuit emendatus: vel si quis propter aliquod peccatum mortale fuerit per legitimam sententiam

tiam

tiam ad pœnam gravioris culpæ damnatus, & ipse
recuset eam ferre: si ter apostataverit, vel fugerit:
si pro duabus prioribus fuerit punitus, vel in fuga
ultra annum perseveraverit, aut alia commiserit,
pro quibus ab Ordine expelli debeat; de quibus
delictis, & aliis similibus solum Definitorium ju-
dicare potest, & condignam illis pœnam impone-
re, quæ pœna debet esse expulsionis, vel triremi-
um, vel alia gravissima secundum qualitatem de-
licti: ut constat *ex 4. p. nostrarum Constitut. c. 5.*
& 6. per totum.

129 Ex quibus infero Patrem nostrum Generalem,
nec posse condemnare aliquem ad triremes, ne-
que ad exilium, neque perpetuum, neque tempo-
rale; nam exilium de uno ad alterum Conventum
solùm dari potest apud monachos, in quibus mo-
nachi acquirunt domicilium in conventu, ubi pro-
fessi sunt, quod moris non est inter Mendicantes:
Unde exilium apud nos nunquam fit sine expulsio-
ne, & cùm expulsio Definitorio reservetur, etiam
exilium manet à fortiori reservatum.

Imò advertendum, nec alios Generales aliarum
Religionum ejicere posse incorrigibiles per se so-
los, sed debere hoc facere ex consensu sex Patrum
graviorum juxta decretum Sacræ Congregationis,
de mandato URBANI VIII. quod refert Pellizzari-
us *Tractatu* 8. *capit.* 8. *numer.* 4. & noster Petrus
ab Angelis in suo *Indice Regulari*, juxta editionem
Coloniensem, 1. *parte, capite* 26. ubi fusiùs & e-
nucleatiùs dubia omnia & difficultates, quæ cir-
ca praxin atque executionem hujus decreti occur-
runt, aut occurrere queunt, proponit ac resolvit:
quem ibidem consulere non intermittas. Adver-
tendum etiam, quod ille consensus sex Patrum
non solùm requiritur ad licitè, sed & ad validè o-
perandum: ut rectè cum Rodrig. notavit Pellizz.
ubi supra.

131 Item non possunt Generales cujuscumque Reli-
gionis Religiosos tradere immediatè brachio sæ-
culari ultimo supplicio afficiendos, nec condem-
nare ad publicam flagellationem, vel mutilatio-
nem membrorum, & multò minùs ad pœnam
mortis ob crimina quamtumvis atrocia, nam hoc
sine speciali Pontificis privilegio nulli Prælato et-
iam Definitorio generali est permissum, & privi-
legia Religionum solùm dant facultatem mitten-
di in exilium ad triremes, vel ad carcerem perpe-
132 tuum. Unde neque Definitorium potest damna-
re Religiosum ob quodcumque delictum, ut
fame pereat per sensibilem cibi subtractionem; hoc
enim est contra lenitatem Ecclesiæ, ac per con-
sequens irregularitatem induceret, ex defectu le-
nitatis: ut patet ex perpetuo usu omnium Reli-
gionum; Suarez, quem refert, & sequitur Le-
zana *Tomo* 1. *capite* 18. *numero* 16. Bordonus *in* 133
decisionibus, decisione 292. Poterit tamen Genera-
lis saltem de sui Definitorii consensu in criminibus
gravioribus, si res ita exegerit, reum torturæ, cum
moderamine tamen, subjicere per ministros lai-
cos: ut constat ex privilegio NICOLAI V. conces- 134
so Minoribus adducto à Covarruvia *in Compendio*
verbo *correctio fratrum n.* 12. Ita Suarez *Tom.* 4. *de*
relig. tr. 8. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 7. Dixi, *per ministros laicos:*
nam tale munus non potest licitè, & decenter exe-
qui à persona religiosa.

DICO V. Generalis pro suo libitu, sine justa 135
causa licitè non potest amovere aliquem inferio-
rem Prælatum à sua Prælatura, sive illa sit electi-
va, sive manualis: Primam partem conclusionis
de prælatura electiva, tenent communiter DD. a-
pud Vidal. *titulo* de Prælatis *inquisitione unica per*
totam. Lezana *Tom.* 2. *c.* 13. *n.* 56. Bordon. *Tom.* 2.
resolut. 58. *num.* 53. Ratio verò est, quia Prælatus
electus propriè acquirit jus ad prælaturam, ad
quam fuit electus; tum quoad dignitatem, tum
quoad munus & jurisdictionem ordinariam: er-
gò licitè sine causa tali acquisito jure privari non
potest; Et quia per electionem declaratus fuit
dignus, & idoneus, per amotionem non po-
test indignus declarari, absque eo, quod nova,
& rationabilis causa superveniat: ergò si hæc
nulla extet, sed sola libera voluntas Generalis, cla-
rè sequitur, quod talis amotio est graviter illicita,
non solùm contra charitatem, sed etiam contra
justitiam.

Secunda verò pars est contra Riccium, Sigis-
mundum, quos refert & sequitur Diana 3. *parte*
de dubiis regularibus resolutione 117 Lezana *To-*
mo 2. *capit.* 13. *numer.* 56. illam tamen tenet Vidal.
titulo de Prælatis *numer.* 70. *& sequentibus*, & fa-
vet Lezana *ubi supra.* Ratio verò est, quia hujusmo-
di Prælati manuales habent jus legitimè acquisi-
tum durandi in illo officio toto tempore præscri-
pto à Regula, vel Religionis consuetudine: ergò in-
tra hoc tempus sine causa licitè privari non pos-
sunt: aliàs esset id contra æquitatem, charitatem,
& rectam rationem. Nec obstat, quod hi Prælati 136
ad nutum Superioris possint amoveri: Nam illa
clausula, *ad nutum*, idem importat, ac illa, *ad arbi-*
trium boni viri, quod tale dicitur, quando judica-
tur aliquid tale consideratis omnibus, & cum cau-
sa; ut rectè notavit Vidal. *ibidem.*

Dico VI. Generalis amovendo sine causa ju-
137 sta Prælatos inferiores à suis officiis, non solùm peccat, sed talis amotio est nulla defectu sufficientis potestatis; Ita cum aliis Vidal. *ubi supra numero* 54. Ratio est, quia actus judicialis factus sine sufficienti, & necessaria jurisdictione, ipso facto est nullus, ut tenent communiter omnes; sed Generalis non habet jurisdictionem amovendi Prælatos inferiores à suis Prælaturis sine justa causa, quia non est dominus supremus, & absolutus, sed administrator bonorum Religionis; ergò illos amovendo sine justa causa, talis amotio erit nulla, defectu sufficientis potestatis.

138 Dico VII. Invalida, & nulla est amotio facta à Generali alicujus Prælati, etiam ex prætensa causa, quando ille Prælatus antè protestatus est se velle defendere, & evidenter ostendere causam illam esse falsam; Ita Vidal. *ubi supra numero* 47. Ratio est, quia Prælatus subditus habet jus se defendendi, & retinendi suam Prælaturam, & jurisdictionem: ergò antequam illa privetur ex aliqua prætensa causa, debet citari, & audiri: aliàs talis spoliatio continebit intolerabilem errorem contra charitatem, & justitiam, cùm defensio sit de jure naturali, *Capite*, pastoralis, §. *cæteri de sent. & re judic. in clement.* ergò talis spoliatio omninò est invalida & nulla; Ita Bord. *in decis. decis.* 329. *&* 369.

Dico VIII. Generalis non solùm non potest
139 privare Prælatos inferiores suis Prælaturis sine causa, sed nec auferre ab eis jurisdictionem ordinariam, quam habent super suos subditos, neque in toto, neque in parte sine justa, & rationabili causa; Ita Portel *verbo* Prælatus *in additionibus, numero* 7. Vidal. *loco citato, numero* 22. & ratio est, tum, quia Generalis, ut *supra* diximus, sine causa non potest amovere ad libitum Prælatos inferiores ab officio & dignitate: ergò nec auferre jurisdictionem illis datam, seu annexam propter officium; tum, quia illa jurisdictio est res propria illius Prælati inferioris, concessa per legem, vel privilegium: ergò sine injuria, sine causa non potest ab illo auferri sive in totum sive in parte. Dixi, *sine causa*: nam si detur rationabilis causa boni communis, vel culpa ipsius Prælati, tunc talis jurisdictio poterit optimè à Generali limitari, vel auferri, prout illi videbitur bono communi expedire; Portel *ubi supra n.* 7.

140 An autem si de facto Generalis sine causa limitet jurisdictionem Prælatorum inferiorum, talis limitatio licet injusta, sit tamen valida? affirmat cum Suario Pellizzarius *Tractat.* 9. *cap.* 3. *num.* 9. Sed contrarium tenendum est cum Navarro, & Peyrino *de subdito quæst* 1. *cap.* 76. §. 2. Non enim Generalis est dominus, sed administrator, ac per consequens non potest uti sua potestate, nisi in ordine ad bonum commune, hoc autem esset abusus potestatis contra bonum commune, imò intolerabilem contineret errorem, quod omnino est evitandum, ut latè probat Vidal. *ubi supra.*

Dico IX. Generalis, si detur aliqua causa ur- 141
gens majoris boni communis, potest Prælatos inferiores, etiam canonicè electos, à suis officiis amovere, etiam nulla præcedente ipsorum culpa; Ita Suarez *Tomo* 4. *de Religione, tract.* 8. *lib.* 2. *capite* 1. *numero* 5. Pellizzarius *Tractat.* 9. *capite* 3. *numero* 64. Girag. *part.* 3. *dub.* 36. *num.* 226. Ratio est, quia hæc munera ordinantur in Religionibus non ad commodum privatorum Prælatorum, sed ad bonum commune Ordinis: ergò si bonum commune hoc postulet, optimè poterunt à Generali amoveri, cui principaliter incumbit cura boni communis, ac jurisdictio ad illud conservandum. Sed hæc debent intelligi, nisi detur in aliqua Religione statutum, quod amotio Prælatorum inferiorum, fiat semper à Definitorio, ut 142
datur in nostra Reformatione, in qua absolvere, & deponere Prælatos in casibus in nostris Constitutionibus expressis, & quando jus, & recta ratio postulaverit: vel illorum renuntiationes acceptare, pertinet ad nostrum Definitorium generale: ut patet ex 3. *parte nostrarum Constitutionum, capite* 8. *numero* 6. quod etiam notavit Pellizzarius *ubi supra.*

Dico X. Generales justa interveniente causa 143
possunt ad se advocare causas pendentes coram Prælatis inferioribus eorumdem Regularium; Ita Pasqualig. *decisione* 57. *num.* 3. Ratio est, quia Generales immediatè sibi ipsis subjicere queunt omnes subditos aliorum Prælatorum, ut docet Suarez, quem sequitur Lezana *Tom.* 1. *capit.* 18. *numero* 87. ergò, ut immediatus Superior, & majoris auctoritatis, potest sibi assumere causam pendentem coram Prælato inferiori, quia non est magis judicis inferioris, quam ipsius; tum, quia omne jus inferioris subditur juri Generalis, & potest de illo disponere, & præcipere, ne illo utatur, sed cedat; tum, quia cùm voluntas Prælati inferioris subdatur voluntati Superioris, non potest esse efficax contra illum, imò nec justa, quia ratione voti obedientiæ ex justitia obligatur

ligatur se conformare cum voluntate Superioris. Sed hoc debet intelligi, nisi in aliqua Religione sit aliqua Constitutio in contrarium; si enim detur lex, quod Generalis non se immisceat in jurisdictione inferiorum Prælatorum, non posset tunc causas coram ipsis pendentes ad se advocare, cùm teneatur legibus Religionis. Unde cùm in
144 Congregatione nostra Hispanica detur Constitutio, quod Generalis in inferiorum ministerium non se immisceat, nisi vel ob eorum defectum, vel nisi prudentia, & ratio id postulaverit, ut patet *ex 3. parte, nostrarum Constitutionum cap. 6. numero 16. Generalis nullo modo poterit causam pendentem coram inferiori Prælato ad se advocare, nisi ob defectum inferioris, nisi prudentia, & ratio id postulaverit.*

145 An autem in hoc casu advocatio debeat fieri, non solùm à Generali, sed etiam à Definitorio generali? de sua affirmat Religione Pasqualigus *ubi supra*: ego tamen nego de nostra Discalceatorum Carmelit. nam 3. *parte nostrarum Constitutionum capite* 8. *numero* 16. omnis advocatio causarum prohibetur nostro definitorio Generali his verbis. (*Neque aliud unquam negotium, vel causam ad se advocare poterunt.*)

146 Dixi, *justa interveniente causa*, nam sine illa nullo modo potest Generalis ad se advocare causam pendentem coram Prælato inferiori; Ita Suarez, Lezana, quos refert, & sequitur Pasqualigus *decisione* 61. *numero* 1. Bordon. *Tom.* 2. *resolut.* 88. *num.* 4. & si advocet peccat mortaliter contra justitiam, & talis advocatio est nulla; Ita Pasquali-
147 gus *ubi supra decisione* 62. & 65. Bordon. *ubi supra numero* 8. & 9. Ratio est, quia licet Superiores Prælati habeant sibi subordinatos inferiores, hoc non est ita intelligendum, ut possint de eorum jurisdictione ad libitum disponere, sed tantùm secundùm exigentiam rationis, & in ordine ad bonum commune: ergò si sine causa advocant ad se causas inferiorum, faciunt contra exigentiam rationis, & contra bonum commune, privando Prælatum jure sibi à Religione, ut proprio concesso, ac per consequens peccat mortaliter contra justitiam, lædit enim jus alterius, & consequenter advocatio est nulla, excedit enim limites potestatis superioris, qui tantùm habent potestatem in bonum, & non in destructionem Religionis, non enim sunt domini, sed administratores Religionis, unde eam debent administrare secundùm præscriptum Regulæ; Vide Pasqu. *loc. cit.*

Dico XI. Generalis, imò & Provincialis ex 148
justa causa possunt præcipere immediato Conventus Superiori, ne quemquam novitium ipso inconsulto recipiat ad professionem, adjecto decreto irritante professionem aliter factam; Ita Sanchez *lib.* 5. *Decal. cap.* 4. *n.* 40. Peyrinis *de subdito quæstione* 1. *cap.* 26. §. 2. *dicto* 5. Et ratio est, quia tota potestas Prælati immediati eminenter est in Provinciali, tanquam in legitimo ipsius Superiore, & tota utriusque potestas est eminenter in Generali, tanquam in totius Religionis Capite: ergò potest in casu speciali, justa causa ductus, reservare sibi consensum, unà cum Conventu præstandum admissioni ad professionem, & subindè efficere, ut professio aliter facta non subsistat defectu legitimi consensus admittentis. Di-
xi, *ex justa causa*, nam sine ea Prælatus inferior o- 149
bedire non tenetur, & valeret professio etiam
cum decreto irritante adjecto: hæc autem causa 150
debet esse nota inferiori Prælato, nec sufficit Superiorem Prælatum dicere, se id facere ex justa causa, sed illam debet assignare, Ita cum Navarro, Peyrinis *ibidem*.

An autem Prælati superiores facere possint sta- 151
tutum, ne recipiantur Novitii ad professionem, tali defectu, aut vitio laborantes, auferendo potestatem recipiendi, & irritandi receptionem in contrarium? Respondeo affirmativè; Ita Beja, Navarr. & alii, quos refert, & sequitur Pellizzarius *Tract.* 3. *cap.* 3. *num.* 24. Ratio est, quia Superior ex justa causa potest inferiorem deponere ab officio, & consequenter ab eo auferre omnem potestatem: ergò & potest ab eo auferre potestatem recipiendi novitios, cum quia pars in toto continetur: *regula* 80. *in* 6. tum quia Monachus non habet velle, neque nolle *capite* 11. 12. *quæstione* 1. *capite* 2. *de testament. in* 6. ergò cùm voluntas subditi dependeat, quoad externa à Superiori, poterit Superior illam impedire.

Dico XII. Generales, qui syndicando de Pro- 152
vincialibus negligunt illos de suis defectibus deprehensis in syndicatu arguere, & castigare, permittendo, ut tam sancta ordinatio in desuetudinem abeat, peccant mortaliter. Ratio evidens est: nam ex sententia omnium Doctorum dissimulare, ut Constitutio aliqua, vel Regula magni ponderis in desuetudinem abeat, est peccatum mortale; sed hæc Constitutio est maximi ponderis fuit enim institutus syndicatus ad humiliationem Superiorum, ad patientiam exercendam, ad aug-

mentum spiritus, ad exemplum præbendum subditis: ergò.

153 Dico XIII. Generalis tenetur inquirere, an communitas alicujus Provinciæ, seu totius Religionis
154 laboret extrema, vel gravi necessitate: hoc est, an negligentia Prælatorum omnes, vel ferè omnes leges, & Constitutiones Religionis in desuetudinem abeant, & sint relaxatæ, vel una, vel plures leges negligantur, ex quibus grave damnum Religioni resultat: ut si fierent v. g. ædificia contra legem in aliqua Provincia, quæ aliis postea forent in exemplum; inventaque hujusmodi necessitate sive gravi, sive extrema tenetur illi efficaciter obviare, & Prælatum, qui sua dissimulatione tot mala permisit, graviter punire.

155 Ratio est, quia Prælato supremo incumbit Religionem in observantia suarum legum conservare, & quantum fieri possit suæ pristinæ perfectioni restituere; ut rectè notavit Granadus *de leg. p. 1. tr. 3. disp. 2. sect. 4. contr. 7.* & ad hunc finem tenetur ex officio subditorum delicta punire: ut notat D. Th.
156 *2. 2. q. 67. art. 4.* sed Prælatus inferior gravissimè peccavit, permittendo labi Provinciam, seu Religionem in gravem, seu extremam necessitatem: ergò Generalis tenetur eum gravissimè punire, illum privando officio; ut rectè notavit Menoch. *li. 2. de præsump. præs. 86. n. 8.* & omnes abusus auferendo, & si ædificium factum sit contra communes leges penitus evertendo, ne posteris afferri possit in exemplum; & si de hoc sæculares scandalum accepe-
157 rint, parum de illo curare debent; nam Prælatus non tenetur vitare scandalum, quando adest ratio utilis, & necessaria ad actionem præstandam, ut benè notat Suarez, Sanctius *in selectis disp. 46 n. 17.* & alii, quos refert, & sequitur Palaus *disp. 6. p. 7. Tom. 1. tract. 6.*

158 Dico XIV. Generalis, & Capitulum generale tenentur sub lethali culpa evellere a Religione ambitiones, discordias, factiones, & seditiones; Ita cum D. Thoma, Rodriguez *Tom. 2. quæstione 1.* & ratio est, quia Prælati supremi ex officio tenentur à Religione arcere crimina, excessus, & occasiones delinquendi, sed hujusmodi factiones, discordiæ, & seditiones sunt radices omnium vitiorum: ergò Prælati supremi illas non evellentes graviter deficiunt in suo munere. Confirmatur, quia Prælati supremi tenentur ex officio pacem
159 subditorum procurare; sed si dentur hæ seditiones, & factiones, non potest dari pax: ergò Generalis tenetur omni cura hanc pestem è Religione, & provincias à tantorum malorum semine immunes conservare.

Et licet aliquando posset Prælatus aliqua delicta subditorum dissimulare, quando scilicet hoc esset necessarium ad majora mala evitanda, nunquam tamen licitum est dissimulare factiones, seditiones, & discordias inter Religiosos; tum, quia nullum malum potest probabiliter timeri præponderans in ratione mali ipsi permissioni seditionum, ex qua tot invidiæ, tot odia, tot murmurationes, tot scandala oriuntur. Tum, quia hoc malum 161
directè tendit in destructionem Religionis; opponitur enim charitati, unitati, & Societati, quibus destructis, destruitur Religio; sed non potest dari majus malum, quàm destructio Religionis: ergò propter vitanda alia incommoda, nunquam talia vitia sunt permittenda.

Unde ad vos, ô Superiores majores, se convertit 162
Peyrinis *de Prælato quæst. 2. Cap. 3. num. 2.* hisce gravibus verbis: *Obsecro vos Religionum Capita per Sanguinem* Jesu *Christi, ut capita talium factionum evellere non tardetis; vestrum ipsorum est pacem facere; pax verò provenit ex bene administrato imperio; hoc verò non potest benè administrari, nisi absque contentionibus principum, ut ait Philo de legibus ad Cai. colum. 8. hujusmodi ergò contentiones evellite, illarum capita penitus evertendo, nec vos moveat personarum gravitas, nec canis debita reverentia; nam cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata, ne frangamini potentium precibus, ad quos, tanquam ad asylum, ut se in ista tyrannide conservent semper fugiunt ista capita factionum; sed si vultis Religionem in pace gubernare, ista factionum capita eradicate; nam discordiæ, & factiones ab ipsis originem ducunt, factiones enim, & discordiæ non dividunt Provinciam, nisi Superiores prius dividantur, ut ait Aristoteles 5. Politic. capite quarto, omnino autem excellentium virorum discordiæ, totam post se trahunt civitatem, & quod agitur à Prælatis faciliè trahitur à subditis in exemplum ut habetur in Capit. magnæ de voto.* Hucusque Peyrinis, unde Sancta 163
Mater nostra Teresia nostræ Reformationis princeps & Dux è cœlo divinitùs edocta loco locupletissimæ hæreditatis hanc instructionem reliquit. *Dic Fratribus Discalceatis, ut Superiores Ordinis solliciti sint servare unitatem Spiritus in vinculo pacis*: ut advertunt optimè Constitutiones nostræ *1. part. 1. cap. 1. numero 8.* Quod cœleste documentum pluribus sacræ paginæ, ac sanctorum Patrum, Gentiliumque Philosophorum ac scriptorum sententiis,

tentiis, atque exemplis munit ac confirmat pientissimus P. JOACHIMUS à JESU-MARIA Congregationis Italicæ Carm. Discalceatorum Præpositus Generali, in compendioso quodam Tractatu, per modum Pastoralis Epistolæ conscripto, & Romæ anno 1654. primum excuso, alibique postmodum non semel recuso.

164 Tenetur igitur Generalis cùm in aliqua Provincia seditiones, & factiones esse deprehenderit Visitatorem mittere, vel talem Provinciam per seipsum visitare, ut turbatores pacis & factionum capita evellantur; Ita ex multis concludit Rodriguez *Tomo 2. quæst. 4. artic. 5.* Si tamen in aliqua Provincia divisa in factiones pars oppressa Visitatorem postulaverit; tunc magna debet Generalis procedere cautela; si enim pars oppressa petat Visitatorem ad hoc, ut tollat regimen è manibus partis opprimentis, tunc Generalis non potest talem mittere Visitatorem ea intentione; nam hoc iniquum esset, siquidem intenderet lædere aliam partem in bonis, ad quæ habet jus, imò tyrannicum, ut ait Tabiena *verbo* seditio, *in fine*; esset enim turbare pacem, & unionem dirimere, imò esset conspiratio contra Superiores ex multis canonibus prohibita, ut docet Dacianus *de seditiosis l. 7. c. 19. n. 48. Tom.* Rodrig. *ubi supra*.

165

166 Si tamen pars oppressa postulaverit Visitatorem, non cum oppressione alterius partis, sed pro sublevatione oppressionis Provinciæ, tunc tenetur Generalis talem mittere Visitatorem pro ejus sublevatione. Ratio est, quia Prælatus supremus tenetur reddere Deo rationem de qualibet injustitia, quam ex malo regimine Prælatorum inferiorum patiuntur subditi: ergò ut ab hoc onere liberetur, tenebitur ad petitionem partis læsæ mittere Visitatorem.

167 Advertat tamen Generalis, virum, quem eligit in Visitatorem, debere esse non solum scientia, & experientia ornatum, sed etiam segregatum ab omni affectione humana, ut possit malos coercere, & divisos in unum congregare, gestando in manu stateram, quæ non declinet, nec ad dextram, nec ad sinistram, sed qui det unicuique, quod suum est; pax enim & tranquillitas reipublicæ, per quæ conservatur, oriuntur ex æqualitate, quæ reperitur inter cives, & contrarium facientes non Visitatores, sed fautores factionum, & seditionum appellari debent; Ita Rodr. *Tom. 2. q. 4.*

* * *

SECTIO VI.

De potestate dispensativa, quam Generalis habet super omnes Religiosos sui Ordinis.

168 *Quid sit potestas dispensativa, & quotuplex?*

169 *Generales gaudent eadem facultate ad dispensandum cum suis subditis, etiam Donatis, Tertiariis, & Monialibus, qua gaudent Episcopi etiam ex Trid. erga suos.*

170 *Generalis in multis casibus ampliorem habet facultatem ad dispensandum, quam Episcopus.*

171 *Quantum extendatur hæc facultas ex privilegiis?*

172 *Hæc potestas in Generalibus nullam habet restrictionem, nisi sit ex speciali statuto alicujus Religionis.*

173 *Quam restrictionem habeat ex jure nostro?*

174 *In quibus ex nostris Constitutionibus possint Generales, & alii Prælati aliquando dispensare?*

175 *Generales possunt taxare stipendia missarum pro sua Religione, & ut valeant Collectæ pro missis, & missas, & anniversaria ad minorem numerum reducere.*

176 *Possunt dispensare, ut subditi ordinentur extra tempora tribus diebus successivis, & quomodo?*

177 *Non possunt seclusis privilegiis dispensare in pœnis jure communi aliquibus delictis impositis.*

178 *Quid si detur justa causa dispensandi?*

179 *Non potest dispensare in pœnis à Provinciali alicui Religioso justè impositis, renuente ipso Provinciali, nisi per appellationem.*

180 *Quid si Provincialis, qui pœnam imposuit fuerit jam suo officio functus?*

181 *Quid si pœna esset evidenter injusta?*

182 *Generales possunt eximere aliquos ab officiis publicis, & oneribus Communitatis.*

183 *Concessa hujusmodi exemptio causa infirmitatis, vel ob merita, non potest revocari, nec à concedente, nec à successore.*

184 *Ob bonum commune potest talis exemptio à Capitulo generali revocari.*

185 *Omnes exceptiones concessæ Religiosis à Generalibus, vel Nuntiis, sunt revocatæ ab* URBANO VIII.

186 *Quid*

186 *Quid de exemptionibus aliquibus Religiosis à Capitulis generalibus, vel provincialibus concessis?*

187 *In nostra Congregatione Generalis nullum Religiosum potest eximere ab oneribus Communitatis.*

188 *Generales possunt dispensare in residentia Provincialium & Priorum etiam ultra tres menses, si necessitas hoc postulaverit.*

189 *Possunt dispensare in taxatione pœnæ factæ jure Ordinis, nisi pars læsa petat punitionem.*

190 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

191 *Generalis non potest dispensare in pœna à lege taxata, quando pars læsa petit punitionem.*

192 *Quid si detur causa gravis boni communis dispensandi?*

193 *Generalis non potest dispensare in taxatione pœnæ factæ à jure communi, nisi detur justa causa.*

194 *Generalis stando in jure communi potest dispensare cum suis subditis, si detur justa causa ad transeundum ad Religionem æqualem, immò etiam ad laxiorem, dummodò hoc sit de consensu Conventus.*

195 *Quid dicendum sit de Societate* JESU.

196 *Quid de communi usu & consuetudine aliarum Religionum?*

168 SUppono potestatem dispensativam esse facultatem eximendi proprios subditos ab obligatione legis, sive in toto, quo casu dicitur dispensatio totalis, sive in parte, id est, quoad tempus, in quo casu dicitur partialis: in hoc conveniunt omnes DD. Hæc autem potestas est duplex: alia ordinaria: alia delegata: ordinaria est, quæ competit ex officio, sive jure communi, sive ex privilegio: delegata est, quæ competit iis, quibus eam Prælati delegant. Quomodo autem requiratur causa ad dispensationem in propria lege, vel Superioris, & quæ cognitio ipsius causæ, pertinet ad materiam de legibus, ubi hæc latè tractant DD. vide tamen interim Bassæum, si placet *verbo dispensatio*, Lezanam nostrum *Tom.* 2. *seu* 3. *qq. Reg. eodem* verbo *dispensatio*, & alios; His ergò suppositis.

169 DICO I. Omnes Generales Ordinum Mendicantium, & fruentium eorum privilegiis, jure ordinario gaudent eadem prorsus facultate ad dispensandum erga Religiosos sibi subditos, sive Donatos, sive Tertiarios, dummodo collegialiter vivant, sive etiam Moniales, quæ gaudent Episcopi, etiam ex Trident. erga suos subditos; Ita Sanchez, Cruz, Coriolanus, Navar. Azor. quos refert & sequitur Candidus *disquisitione* 24. *art.* 59. *dub.* 2. & 3. *Tom.* 2. patet conclusio ex Motu PII V. quem *ibidem* refert Candidus; quia cùm Regulares exempti sint ab Episcopis, non esset subditis Prælatorum regularium ita provisum, ac sæcularibus, si hæc facultas deesset Prælatis regularibus; ut in suo motu proprio ait Pontifex: ergò ut hoc non dicatur, dicendum est eadem prorsus auctoritate gaudere Generalem, imò & alios Prælatos erga suos subditos ac Episcopos.

Addo Generalem, imò & alios Prælatos regu- 170
lares ampliorem, quam Episcopos habere in multis auctoritatem ad dispensandum cum suis subditis, ex variis privilegiis: quantum autem extendatur hujusmodi facultas ex privilegiis, tam quoad irregularitates, tum ad Ordines, tum ad dignitates, quàm etiam quoad vota, & quoad dispensationem in præceptis Ecclesiasticis Regu-
læ, & Constitutionum: imò etiam in petitione 171
debiti conjugalis cum eis, qui impedimentum affinitatis contraxerunt, etiam extra pœnitentiæ Sacramentum, latè diximus in Tractatu 11. *de privilegiis disp.* 1. *sect.* 2. *per tot.* ubi ea potes videre, ne eadem repetamus.

Adverte tamen, quod licet hæc facultas in aliis
Prælatis inferioribus aliquando habeat restrictio- 172
nem, tum ex specialibus Religionum statutis, tum ex ipsis privilegiis: In Generalibus tamen nullam habere limitationem, nisi fortè in aliqua Religio-
ne detur ex statuto aliqua restrictio. Unde in Con- 137
gregatione nostra Generalis non potest dispensare
in aliqua ex nostris Constitutionibus: tam in illis, 174
quæ pertinent ad gubernium, cùm hoc soli Capitulo generali reservetur, quam in pertinentibus ad mores; nam hoc etiam Definitorio generali reservatur, nisi in aliquo casu contrarium in Constitutionibus fuerit expressum; ut patet *ex* 3. *p. nostrarum Constit. c.* 8. *n.* 6.

Circa quam Constitutionem etiam adverte per illam non tolli, quod Generalis, imò & alii Prælati inferiores possint dispensare in eisdem Constitutionibus pertinentibus ad mores, in casibus levibus, & frequentioribus, in quibus recurrere ad Definitorium generale difficillimum foret, ut di-
ximus in Tractatu 11. *de privilegiis disputatione* 1. 175
sectione 2. §. 4. Ubi etiam diximus *disput.* 11. *sectione* 4. §. 3. posse Generalem taxare stipendia missarum pro sua Religione, dispensare in suo Ordine, ut valeant Collectæ pro missis, & missas, & anniver-

anniversaria ad minorem numerum quam fuêre, vel non fuêre posita in limine fundationis, ante & post Tridentinum, reducere, & *disputatione*
176 *3. sectione* 3. §. 4. Dixi posse Generalem, imò & Provinçialem dispensare cum suis subditis, ut etiam sine consensu Episcopi diœcesani ordinentur extra tempora à quocumque Episcopo Catholico tribus diebus Dominicis successivis, non servatis interstitiis, vel in tribus solemnitatibus duplicibus, eodem modo successivis, quæ omnia ibi videre poteris, ne eadem iterum repetamus.

177 Dico VI. Generalis de jure communi, seclusis privilegiis, non potest dispensare in pœnis à jure communi pro aliquibus delictis suis subditis
178 impositis: nam inferior non potest dispensare in jure Superioris. Excipe tamen, nisi detur justa causa aliter faciendi; Ita cum aliis Sanchez *lib. 6. consilior. cap.* 1. *dubit.* 21. *numero* 10. Si tamen
179 quæras, an Generalis possit dispensare in pœnis justè impositis à Provinciali alicui Religioso contra voluntatem ipsius Provincialis? Respondeo negativè; sed hoc debet fieri per appellationem. Ita decisum est in Tridentino *sessione* 14. *de Reformatione, cap.* 1. & tenent Rodriguez, Miranda, quos refert & sequitur Peyrinis *de Prælato quæst.* 1. *capite* 8. *numero* 17. & rationem reddit Tridentinum. Nam tutius, & honestius est subdito pœnas
180 impositas explere, quam cum Prælatorum scandalo, & contemptu ab his liberari. Verùm postquam Prælatus, qui pœnas imposuit suo fuerit officio functus, poterit Generalis de justa causa absque Provincialis succedentis consensu subditum liberare; Ita Rodr. *Tom.* 1. *q.* 22. *art.* 8. item quando pœna evidenter esset injusta; Miranda, & cum eo Peyrinis *ubi supra.*

Dico III. Generales possunt eximere aliquos
181 ab officiis publicis gerendis, & ab oneribus Communitatis; nam sicut Generalis habet auctoritatem puniendi delicta, ita & præmiandi virtu-
182 tes: Tum, quia Generalis data justa causa, potest in legibus dispensare; tum, quia ita habet praxis omnium Religionum; Ita Peyrinis *in formulario littera. E. cap.* 35. *num.* 1. Imò data exemptione causa infirmitatis, vel ob bona merita, non potest revocari, nec à Superiore, qui illam concessit, nec à suo successore, etiam causa in-
183 gratitudinis: nam cùm hæc exemptio fuisset, ob merita est onerosa, & transit in naturam contractus; Ita cum Tusco, Peyrinis *i-*
184 *bidem.* Unde si necesse fuerit talem exemptionem revocari propter bonum commune, hoc ad Capitulum generale, vel ad Papam pertinet; Peyrinis *loco citato.*

Adverte tamen URBANUM VIII. revocasse om- 185
nes exemptiones concessas Religiosis, sive à Generali, sive à Nuntiis, sive à Sede Apostolica: ut patet ex ejus Motu proprio, quem refert Peyrinis
ad *Constitutionem* 15. *aliàs* 25. URBANI VIII. *capi-* 186
te 10. per hoc tamen non revocavit privilegia concessa Regentibus, Lectoribus, etiam non jubilatis, studentibus, seu causa studiorum occupatis, & aliis patribus gravibus per Capitula generalia, aut provincialia, vel Definitorium; nam Papa hæc Capitula non expressit; Ita Portel 2. *p. casuum, casu* 31. *advert.* 4. *numero* 4. Vide Peyrinum *ubi sup.* Ubi etiam adverte hoc decretum URBANI solùm esse pro Hispania.

Hæc pro aliis Generalibus aliarum Religionum 187
dicta esse volo: nam apud nos Generalis non potest eximere aliquem Prælatum, vel subditum ab actibus, & oneribus Communitatis: ut patet *ex* 3. *parte, nostrarum Constitutionum capite* 12. *numero* 1. quod est conforme Motui proprio URBANI VIII.

Dico IV. Generales possunt dispensare in resi- 188
dentia Provincialium, & Priorum, etiam ultra menses, si necessitas tantum temporis spatium postulaverit: & idem dicendum est de Provincialibus respectu Priorum; Ita Bordonus *Tom.* 2. *resolutione* 8. *numero* 47. Tamburinus *Tom.* 1. *disputatione* 14. *quæsito* 3. in Conventibus namque semper adsunt Vicarii & Superiores, qui in omnibus necessariis præsunt Religiosis magis, quàm apud Ecclesias Parochiales; requiritur tamen gravissima causa boni communis, ut absentia ultra tres menses protrahatur; Bordonus *ubi supra.*

Dico V. Generales possunt dispensare in ta-
xatione pœnæ facta jure Ordinis, nisi alias pars 189
læsa petat punitionem; Ita cum Sà, Pellizzarius *Tract.* 7. *cap.* 1. *num.* 28. ad hæc enim omnia extenditur potestas Prælati supremi Religionis; Unde apud nos statutum est, ut Prælati superiores, si
subditi pœnas taxatas à nostris Constitutionibus, 190
vel ab eisdem Prælatis pro delictis, humiliter acceptaverint, possint partem pœnæ infra dimidium & non amplius, & hoc quando actu jam adimplent, relaxare secundùm virtutis signa ab eis exhibita; Ita habetur 4. *parte nostrarum Constitutionum capite* 7. *numero* 2. Per Superiores autem intelliguntur Generalis, vel Definitorium generale, vel etiam Provinciales, quando pœna lata est à Constitutionibus; non tamen quando lata est à Generali, vel

vel à Definitorio; nam in his casibus ad ipsos pertinet relaxatio, qui pœnam imposuerunt, ut patet ex eadem Constitutione *loco citato*.

191 Dixi, *nisi pars læsa petat punitionem*, nam in hoc casu non poterit illam remittere, ne faciat contra jus personæ læsæ, cui nec Princeps supremus potest præjudicare, nisi ex causa gravi concernente bonum commune, ut passim tradunt DD. & in ter-

192 minis Sanchez *lib. 6. cap. 1. dubio 21. num. 6.* cum Silvio, Armilla, Navar. & aliis. Dixi, etiam *in taxatione pœnæ facta jure Ordinis*, nam si taxatio facta sit jure communi, tunc nec supremus Prælatus potest pœnam taxatam commutare, augere, minue-

193 re, aut remittere, nisi detur justa causa, cùm inferior non possit in legibus Superioris, quale est jus commune, etiam respectu Generalis, sine justa causa dispensare, ut benè advertit Sanchez *ubi supra numero* 10.

194 Dico VI. Generalis stando in jure communi potest dispensare cum suis subditis, si detur justa causa, ad transeundum ad Religionem æqualem, imò etiam ad laxiorem, etiamsi facilis foret accessus ad Papam, dummodò hoc faciat de consensu Conventus: Ita Sanchez, Lessius, Peyrinis, & alii quos refert, & sequitur Pellizzarius *Tractatu 3. capite 5. numero 64. & 65.* Nec obstat decretum Trident. *sessione 5. de Regularibus capite 19.* nec Extravagans *Ambitiosæ de Regularibus* decernens, ne mendicantes possint transire ad aliam Religionem, præter Carthusiam, absque licentia Papæ, sin minus fore excommunicatos, tam recipientes, quàm receptos, nam prædicta decreta non fuerunt usu recepta: vel loquuntur de transeuntibus absque legitima causa; Pellizz. *supracit.*

195 Nec etiam obstat, quod GREGORIUS XIII. concesserit Societati, ut eorum Religiosi professi de sui Generalis licentia possent transire ad aliam Religionem, etiam laxiorem, & talis concessionis communicationem interdixerit aliis Mendicantibus, quod est supponere secluso tali indulto, non sufficere licentiam Generalis ad talem transitum. Respondetur namque cum Sanch. privilegium Societatis aliis non communicatum consistere in hoc, quod in Societate ad prædictum transitum ad Ordinem laxiorem sufficit licentia solius Generalis, in aliis verò Ordinibus præter licentiam Generalis, requiritur etiam Conventus con-

196 sensus; Ita etiam Pellizzarius *ubi supra.* Adverte tamen cum Sanchez in hoc maximè attendendum esse ad Religionis consuetudinem, quæ absque dubio in pluribus Religionibus, præsertim apud Carm. Discalc. est huic assertioni contraria, ut etiam *ibidem* notat Pellizzarius.

SECTIO VII.

De potestate absolutiva, quam habent Generales respectu suorum subditorum.

197 *Generalis potest absolvere suos subditos ab omnibus casibus, in quibus possunt Episcopi absolvere suos: etiam per caput* liceat *in Trident.*

198 *Hanc facultatem possunt aliis delegare.*

199 *Generalis possunt absolvere subditos Prælatorum inferiorum ipsis Prælatis inferioribus renuentibus.*

200 *Generales ampliorem habent facultatem ad absolvendum suos subditos, quàm Episcopi.*

201 *Quantum se hujusmodi facultas extendat?*

202 *Quid dicendum sit de absolutione Novitiorum, Tertiariorum, Monialium, Donatorum, & Familiarium.*

203 *Generalis non potest absolvere ejectum in perpetuum, nisi eo modo, quo sæculares.*

204 *Nec moniales, etiam ejusdem Ordinis, subjectas tamen Ordinario.*

205 *Benè tamen suum Religiosum factum Episcopum, si ipse ei se subjiciat.*

206 *Potest pro toto Ordine casus sibi reservare, nisi obstet speciale Religionis statutum.*

207 *Generalis solum casus designatos à* CLEMENTE *VIII. potest pro toto Ordine reservare.*

208 *Capitulum generale potest alios casus quam designavit* CLEMENS *VIII. reservare.*

209 *Generalis in reservatione casuum, quam potest facere, non tenetur expectare consensum Capituli generalis.*

210 *Generalis non potest censuras aliorum peccatorum sibi reservare.*

211 *Non potest Provincialibus facultatem reservandi casus impedire.*

212 *Potest absolvere subditos Provincialis reservantis, à casibus, quos Provincialis sibi reservavit.*

213 *Generalis apud Carm. Disc. nullum casum etiam ex enumeratis à* CLEMENTE *VIII. potest sibi reservare.*

214 *Reservare casus apud nos pertinet ad nostrum Definitorium generale.*

215 Ge-

215 *Generalis potest extra Ordinem eligere confessorem sive sæcularem, sive regularem, qui eum absolvat ab omnibus peccatis, & censuris, à quibus ipse potest suos subditos absolvere.*

197 DIco I. Certum est, Generales jure ordinario habere potestatem ad absolvendum suos Subditos ab omnibus casibus, à quibus possunt Episcopi suos subditos absolvere, etiam per caput *liceat* in Trid. siquidem in eos translata est cura, quam Episcopi habent circa suos subditos sæculares, & habent hanc potestatem ex vi sui muneris, sequiturque necessariò ad exemptionem; Ita Sorbus, Pasarelus, quos affert & sequitur Lezana *Tomo* 1. *cap.* 18. *n.* 31. Candidus *Tom* 1. *disquisit.* 3. *ar.* 25. *dub.* 2. *dicto* 3. Unde hanc facultatem possunt aliis delegare, ut cum Rodr. notavit Candidus *ubi sup. art.* 2. *dub.* 2. non enim hæc facultas illis convenit tantùm ex privilegio, sed ex Tridentino ex declaratione concessiva PII V. PAULI III. apud Cruz *l.* 1. *cap.* 6. *dub.* 4. Et licet alii Prælati inferiores habeant eandem potestatem, ut *infra suis locis* dicemus, per

198

199 hoc non tollitur, quod Generales non solùm independenter ab aliis Prælatis, sed etiam illis renuentibus possint illorum subditos absolvere, siquidem Generales sunt Ordinarii pastores talium animarum, etiam in usu hujus potestatis: Ita, ut inferiores Prælati dependeant à Generali, & non è

200 contra.

Imò ex multis privilegiis Generales, imò & alii Prælati regulares ampliorem habent facultatem

201 ad absolvendum suos subditos à peccatis, & censuris, & aliis pœnis Ecclesiasticis, quàm Episcopi: quantum autem, & ad quas personas extendatur hujusmodi facultas latè diximus in Tract 2. *de privil. disp.* 1. *sect.* 1. *per totam.* quæ omninò videnda

202 sunt, ne sæpe eadem repetamus: Ubi, an possint absolvere novitios, Tertiarios, Familiares, & Moniales; ubi etiam, an possint committere aliis hanc

203 potestatem, ut seipsos absolvant.

Solum noto nullum Prælatum etiam Generalem posse ejectos à Religione in perpetuum absolvere, nisi eo modo, & in casibus in quibus possunt

204 absolvere alios sæculares, ut cum Navar. benè notat Portel *de dub reg.* verbo *ejicere ab Ordine n.* 9. siquidem nullam super eos habent jurisdictionem: nam per ejectionem translata est ad Episcopos. Et propter eandem rationem non possunt absolvere moniales ejusdem Ordinis, subjectas tamen Ordinario, imò tales Moniales non possunt absolvi per confessarios Ordinarios vi privilegiorum, quæ ad hunc effectum proprio Ordini concessa sunt, sicuti possent, si immediatè subessent Prælato Ordinis, est enim id consequens ad subjectionem, quam dictæ moniales acquisierunt erga Episcopos: ut benè notat Pellizz. *Tract.* 9. *c.* 3. *n.* 218.

Poterunt tamen Generales, imò & alii Prælati inferiores, absolvere Religiosos factos Episcopos 205 vi privilegiorum Ordinis, si illi eis, quo ad hoc subjiciantur; Ita cum Sua. Pelliz. *loc cit. n.* 217 hi namque Religiosi etsi sint Episcopi gaudent privilegiis Ordinis, quæ concernunt personam religiosam in bonum animæ, vel corporis, & quorum usus non sit onerosus ipsi Religioni, ut cum Nal. docet Pelli. *Tr.* 8. *c.* 1. *n.* 65. contra Sanc. Mendosium & alios.

DIco II. Generalis pro toto Ordine, si non 206 detur lex in contrarium in aliqua Religione, potest reservare non solùm peccata, sed etiam censuras. In hoc conspirant universi DD. quos refert Bord. *Tom.* 1. *res.* 37. *n.* 30. Tum, quia habet auctoritatem quasi Episcopalem; tum, quia id supponit decretum CLEMENTIS VIII. neque de hac re dubi- 207 tari potest, ut notavit Bord. *ubi sup.* Non potest tamen Generalis plures casus sibi reservare, quam illos, quos recenset CLEMENS VIII. in suo decreto quod refert Lez. *Tom.* 1. *c.* 18. *n.* 20. licet autem Generalis plures casus, quam enumeratos in illo decreto non possit reservare, potest tamen Capitulum generale pro toto Ordine, & Capitulum provinciale prp tota provincia alia reservare, præcedente 208 tamen matura discussione, & consensu ipsius Capituli; ut patet ex eodem decreto.

An autem Generalis in reservatione casuum à CLEMENTE VIII. expressorum debeat etiam expe- 209 ctare discussionem, & consensum Capituli generalis, sicut in aliis non enumeratis affirmat Bordon. *Tom* 1. *res* 57. *n.* 43. Sed contrarium tenendum est; Ita Portel *verbo* casus reservatus *num.* 12. Lezana *Tom.* 1. *c.* 18. *n.* 19. Aversa, quem refert & sequitur Diana 8. *p. tract.* 7. *res.* 69. Pelliz. *Tract.* 6. *capit.* 1. *n.* 3. Et ratio est, quia præsens dispositio cum maximè exorbitet à jure communi, hanc potestatem concedente Prælatis regularibus, non amplianda, sed restringenda est.

An autem Generalis possit saltem censuras aliorum peccatorum sibi reservare? Respondeo nega- 210 tivè: & ita declaravit sacra Congregatio, prout cum aliis testatur Bord. *Tom.* 1. *res.* 37 *n.* 44. & tenent Megala, Sanch. Sigismundus, Homobonus, Peyrinis, & alii, quos refert & sequitur Bor. *ubi sup. n.* 45. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 21. Unde contraria sententia, quam Suarez, Villalobos, Tamburinus,

rinus, & alii, quos refert Bordonus *ubi supra* ante hanc declarationem tenuêre, jam in praxi non amplectenda.

Si tamen quæras: An Generalis possit interdi-
211 cere Provinciali facultatem reservandi casus? Respondeo non posse, nisi justa interveniente causa, & quando ea abutitur potestate in præjudicium animarum; Ita Bordonus *Tomo* 1. *resol.* 37. *numero* 8. Ratio prioris partis est, quia hæc potestas competit Provinciali jure ordinario; ergo sine causa non potest ab eo auferri à Generali. Ratio verò secundæ partis est, quia Generalis ex justa causa potest deponere Provincialem, ut *supra* diximus; ergò & auferre eam potestatem, quod est minus.

212 Adverte tamen, quod licet Generalis sine causa non possit auferre à Provinciali potestatem reservandi casus, posse tamen absolvere subditos Provincialis, à casibus, quos Provincialis sibi reservavit, imò, & à censuris latis ab ipso Provinciali; Ita cum Suar. Soto, Ugolino, & aliis Tamburinus *Tomo* 2. *disputatione* 14. *quæsito* 7. *numero* 3. Ratio est, quia censura lata ab homine jure communi, & ordinario tollitur ab eo, à quo lata est, vel ab ejus successore, vel superiore per *Cap.* Pastoralis § *præterea de officio delegati*; sed Generalis est superior in jurisdictione ad omnes alios Prælatos respectu omnium Religiosorum: ergò. Deinde habet immediatam jurisdictionem super omnes Religiosos; ergò non minus eos potest absolvere à prædictis casibus reservatis, & censuris, ac alii Prælati, inferiores, imò melius, nam omnes dependent ab illo, & non è contra.

Hæc pro Generalibus aliarum Religionum,
213 quæ non habent statutum in contrarium, dicta esse volo; nam Generalis nostræ Congregationis per se solum non potest reservare casus, etiam illos
124 quos Clemens VIII. in suo decreto designavit, sed hoc Generali simul cum suo Definitorio generali reservatur, ut patet ex 1. *p. nostrarum Constitutionum cap.* 4. *n.* 3.

Dico III. Generalis potest extra Ordinem eli-
215 gere in Confessarium sacerdotem sæcularem, vel regularem alterius Ordinis, non approbatum ab Ordinario, à quo possit absolvi ab omnibus casibus, & censuris, à quibus ipse potest suos subditos absolvere; Ita communiter DD. quos larga manu refert Pasqualigus *Tomo* 2. *decisione* 96. Unde opinio contraria omni caret probabilitate. Ratio est manifesta, quia *Caput final. de pœnitentia*, & *remissione* hoc ipsi concedit. Nec Tridentinum derogat huic privilegio, cum ut clarum est, & omnes fatentur, requirat approbationem ab Ordinario in ordine tantùm ad confessiones Sæcularium, & non Regularium.

SECTIO VIII.

De obligationibus Generalium.

216 *Quam arduum sit officium Generalis?*
217 *Quibus virtutibus, & dotibus debeat Generalis esse ornatus?*
218 *Quantum debeat ad subditorum opera attendere?*
219 *Quo zelo debeat illorum crimina coercere?*
220 *Qua misericordia, & humilitate debeat justitiam temperare?*
221 *In principio omnes accusationes debet habere suspectas.*
222 *Non debet prabere aures murmuratoribus.*
223 *Quid circa hoc statutum sit apud Carmelitas Discalceatos?*
224 *Qua vitia è detractione oriantur?*
225 *Generalis sicut cateri Fratres tenetur Regulam observare.*
226 *Tenetur etiam observare Constitutiones Capituli generalis, non solùm quoad vim directivam sed etiam coactivam.*
227 *Generalis tenetur leges & pracepta à seipso lata, si sint communia ipsi & subditis, quoad vim directivam observare.*
228 *Imò etiam aliquo modo quoad vim coactivam.*
229 *Si non observet legem à se latam sub excommunicatione censuram non incurrit.*
230 *Tenetur observare consuetudines laudabiles Provincia ad quam accedit.*
231 *Generalis subjectus est sindicatui.*
232 *Quomodo de Patre nostro Generali sindicandum sit.*
233 *Generalis in defectu immediati Pralati tenetur subditis Sacramenta ministrare, etiam cum periculo propria vita.*
234 *Generalis debet maximè insistere reformationi proprii Ordinis.*
235 *Generales permittentes abusus peccãt mortaliter.*
236 *Reformatio maximè debet à Generalibus in Capitulo generali procurari.*
237 *Qua conducant ad inducendam hanc reformationem?*

238 *Refor-*

216 DIco I. Tam arduum & difficile est officium Generalis totius Ordinis, & tot sunt illius obligationes, ut muneri suo satisfaciat, ut, si forte possibile foret, non homo, sed Angelus ad hoc officium deberet assumi. Debet igitur inprimis esse vir vitæ gravissimæ, discretionis magnæ, famæ laudabilis, simplicitatis, & veritatis amator, homo ab omni affectione abstractus, magna
217 devotione, & litterarum scientia præditus, religiosæ paupertatis studiosissimus custos, in profligandis relaxationibus tenax, ne laxa indulgentia dissolutio religiosæ disciplinæ nascatur, afflictorum sublevator, & oppressorum defensor, & afflictorum levamen, ambitionis expers, & ambitiosorum perpetuus profligator, in cibo & potu moderatissimus, & tandem talis esse debet, ut omnibus se præbeat exemplum, quò enim fastigio honoris eminet altius, eò majori virtutum luce omnes antecedere debet. Sic descripsit S. Franciscus, morti proximus, proprietates illorum, qui ad tam altum fastigium dignitatis assumendi sunt, prout testatur Casainus *de Prælato capite* 2. §. 4.

218 DIco II. Generalis linceis oculis debet esse præditus, ut possit malorum subditorum opera attentissimè considerare, & sagaciter indagare; nam licet ipsi conentur sua crimina occultare, semper aliquid operantur, quo eorumdem opera manifestantur, inventa verò illorum sorde, zelo Religionis sine ulla personarum acceptione (si correctio monitoria non proficerit, aut si scandalosa sint) castigare, seu judicialiter, & severè corrigere debet, juxta illud Ecclesiastici 7. *Noli quærere fieri judex, nisi virtute valeas erumpere iniquitates, ne extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.* Sic tamen sunt crimina castiganda, ut castigatio socias habeat misericordiam, & humilitatem, juxta illud Psalmistæ *misericordia, & veritas obviaverunt sibi.* Prælatus enim arroganter insultans in subditos, dum castigantur, crudelis tyrannus est, non Pater. 219

Debet igitur Generalis omnes accusationes in principio habere suspectas, donec veritas ex diligenti examinatione appareat, aures etiam præbere non debet murmuratoribus, & multiloquos in accusationibus specialiter habere suspectos: Unde nostræ Constitutiones 3. *p. cap.* 9. *n* 5. hortantur nostrum Definitorium generale, & ipsum Generalem, & omnes Ordinis Superiores, ut quoties ad ipsos Religiosi de suis Prælatis immediatis, aut de aliis querelas moveant, aut eis detrahant, imponantve aliquid, ne contra inauditam partem aliquid asseveranter credant, seu decernant, quod etiam ordinatum fuit in Societate; prout testatur Suarez *Tom.* 4. *de Relig. lib.* 10 *cap.* 7 0. *numer.* 22. Ex hoc enim vitio plura nascuntur, rixæ multæ, injuriæ non paucæ, suspiciones malæ, sententiæ injustæ: unde Prælati qui eas Religionis, & charitatis pestes foverent, graviter peccarent; ut rectè notavit Casainus *de Prælato cap.* 7. §. 5. *in fine*; esto enim licitum sit ea defendere, quæ sunt alicujus momenti, dum quis eis aliter mederi non potest; non tamen propterea fovenda est delatorum curiositas, & temeritas in judicando de alienis actionibus, sed de hoc *infra* redibit sermo, cum agemus de Prælatis immediatis. 221 222 223 224

DIco III. Generalis tenetur sicut cæteri Fratres observare Regulam, quam professus est; Ita communiter DD. imò tenetur observare Constitutiones Capituli Generalis, sicut cæteri Fratres, licet ipse in dictis Capitulis, cum aliis Constitutiones fecerit; quia licet Generalis sit Caput Capituli generalis, est tamen ipsi Capitulo generali congregato inferior, & subditus, ac consequenter non minus quam alii suis statutis manet obligatus, non solum quoad vim directivam, sed etiam coactivam: quare Generales temporales functi officio visitantur, & puniuntur de defectibus commissis contra leges à Capitulo generali statutas; Ita Giraguš 3. *p. dub.* 24. *n.* 168. Salas, Azor. 225 226

Vasquez, Suarez, quos refert & sequitur Peyrinis *de Prælato q.* 1. *cap.* 8. *n.* 3 Unde ad faciendum aliquid contra Regulam, vel Constitutiones, vel contra decreta à Capitulo generali, tenetur ostendere Papæ rescriptum, ut ex multis latè probat Bord. *in decisionibus decis.* 563. imò debet Capitulo, seu subditis constare non solùm de existentia talis rescripti, sed de ejus valore: ut etiam ex multis latè probat idem Bord. *citato Tomo decis.* 375.

227 Dico IV. Generales non solùm leges, & præcepta Capituli generalis tenentur observare, sed etiam leges, & præcepta à seipsis lata, quæ communia omnino sunt, tam ipsis, quàm subditis; ita ut nulla appareat ratio discriminis inter Prælatos, & subditos, quo minus ea teneatur saltem quoad vim directivam observare; Ita communiter DD. apud Peyr. *ubi sup. n.* 6. Et ratio est, nam sicut jus naturæ dictat, ut inferiores Superiori obediant, ita etiam dictat, ut Superiores subditis conformentur: turpis est enim pars, præsertim caput, si nō congruat cum aliis partibus, & onus quod tibi imponis non vis, id neque debes aliis imponere. Unde *Matthæi* 7. dicitur: *Omnia ergò quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis, hæc est enim lex, & prophetæ.*

Licet autem Generalis quoad vim directivam teneatur suas leges observare, non tamen quoad vim coactivam; id est, quoad pœnam: in hoc etiam
228 iam conspirant universi DD. Nemo enim potest se ipsum cogere, poterit tamen Generalis puniri à Papa, seu à Capitulo generali, si delinquat contra observantiam regularem: ut est quædam universitas; in quo etiam sensu dici potest, Generalem teneri ad observandas leges à seipso latas, etiam quoad vim coactivam, non quia pœnam ipso facto incurrat, etiamsi ipso jure sit imposita, sed quia potest puniri saltem à Papa, vel à Capitulo generali: ut cum Suario, & Rodrig. advertit Pel-
229 liz. *Tract.* 9. *c.* 3. *n.* 28. Hinc fit, quod si Generalis præcipiat sub pœna excommunicationis, ut nemo taxillis ludat, si ipse Generalis ludat peccabit mortaliter; non tamen incurret excommunicationem; Ita cum aliis Peyr. *ubi sup. n.* 25. Poterit tamen graviter à Papa, vel à Capitulo generali puniri.

230 Sed quæres, An teneatur Generalis observare consuetudines, & statuta laudabilia ac specialia alicujus Provinciæ, ad quàm accedit, vel per quam transit? respondeo affirmativè: Superiores namque tenentur bonum exemplum subditis dare, & eos in virtute fovere. Et quia, si est consuetudo legitima debet esse ab aliquo Generali approbata: ergò non est lata ab inferiori sed à Superiore, unde hanc sententiam tenet cum Suario Peyr. *de Prælato q.* 1. *c.* 8. *num.* 20.

Dico V. Generalis subjectus est sindicatui, 231
cogendusque est ad reddendam rationem administrationis suæ: hoc certum est contra Bordon. *Tom.* 2. *resol.* 80. *n.* 12. Estque conforme rationi: nam Generalis est inferior Capitulo generali, & quoad vim coactivam illi subjicitur, ut fatetur ipse Bordonus: ergò potest sindicari ab illo; Et quia aliàs Generalis facile posset omnem Religionem dissipare, absque ullo remedio, quod minimè est dicendum, unde nostra Constitutio 3. *p. c.* 12. disposuit prudentissimè, ut finito primo triennio 232
de Generali fiat sindicatio à Capitulo generali, & iterum post finitum sexennium, quod est maximè rectæ gubernationi conforme.

Dico VI. Generalis in casu, quo Prælatus lo- 233
calis monasterii, ubi ipse resides, renuat proprio subdito ex metu mortis Sacramenta ministrare, puta, ratione pestis, vel alterius infirmitatis, tenetur ipse Generalis, si adsit, ei Sacramenta ad salutem necessaria, etiam cum periculo propriæ vitæ ministrare: non secùs ac Episcopi, deficientibus parochis, est enim Generalis pastor non solùm mediatus, sed etiam immediatus suorum subditorum; ita Pellizz *Tract.* 3. *c.* 6. *n.* 4.

Dico VII. Generalis debet maximè insistere 234
reformationi morum in suo Ordine, abusus auferendo, & cuncta secundùm regulam, & Ordinis Constitutiones disponendo. Unde Generales in hoc negligentes, vel permittentes abusus contra 235
proprias leges, peccant mortaliter; ipsi namque tenentur ex officio procurare progressum Religionis, ejusque conservationem, ad quod maximè confert instauratio Regulæ collapsæ, & reformatio morum; ut patet. Hæc autem regularis observantiæ instauratio maximè debet procurari à Genera- 236
libus in Capitulo generali; quia reformatio Religionis est negotium maximè arduum, ideoque necesse est, ut legitimis viis ac statutis stabiliatur; & hæc statuta communiter non fiunt, nisi à Capitulo generali; Ita Rodr. *Tom.* 3. *q.* 47. *ar.* 3. Pellizz. *Tr.* 1. *cap.* 5. *n.* 4.

Ad inducendam autem hujusmodi reformatio- 237
nem, & legum observantiam in Religionem maximè conducit Prælatos immediatos eligere bonos & observantes, & qui regularem disciplinam amplectantur, qui nimiæ evagationi fores claudere, familiaritates sæcularium devitare, superflua abstrahere, ambitionem exterminare, omni cura procurent, qui vitam communem, tam quoad victum, quàm

quam quoad vestitum inter Religiosos omnes observari studeant, hæc enim sunt pestes, quæ totam Religionem deformant, & fœdant.

238 Ut autem hæc facilius consequantur inter omnia, optimum remedium erit, ut reformatio incipiat ab ipso Generali; à radice enim, & non à foliis incipienda est reformatio; nam ad radicem arboris extirpandæ securis disciplinæ ponenda est; punitio enim delictorum descendere debet à capite summo sicut unguentum, quod descendit à capite, scilicet à summo Pontifice in barbam, scilicet Generalem, deinde in brachia alios Prælatos inferiores: certè nunquam defluet in vestimenta corporis Aaron, scilicet Communitatis Religionis, nisi prius descendat ad barbam, hoc est, ad personam ipsius Generalis, & deinde ad brachia aliorum Prælatorum; procurare enim subditorum reformationem & non Prælatorum, non est tutum in conscientia, imò est quid impossibile ad finem reformationis intentum, cùm subditi plus exemplo, quàm verbis Prælatorum reformentur; Ita Corduba in *introductione in regulam. S. Francisci q. 3.* Giragus 3. *p. dub.* 24. *n.* 168.

239 Secundum autem remedium ad inducendam in Ordinem reformationem, est, ut Generalis toto conatu nitatur obstare malo, quod directè adversatur bono regimini; hoc autem malum præcipuè est seditio, ut advertit Dacianus *lib.* 7. *de seditione cap.* 19. *n.* 3. Æterna enim, ait, forent regna benè instituta, & justis legibus munita, si seditiones forent incognitæ: introducta enim seditione in Religionem tota vita regularis deperditur: seditiones autem oriuntur in Communitatibus è tribus capitibus, quæ Generalis præsertim debet à Religione arcere.

240 Primum est procuratio proprii commodi, & procuratio inordinata dignitatum & officiorum aliquorum, quia inde multi gravantur, & cum eis nullam possunt habere concordiam; quare à regimine debet arcere illos Prælatos, qui præ aliis absque justitiæ distributivæ regula volunt frui bonis, & commodis Religionis, quia inde suscitantur factiones, & ambitiones: nam Prælati sub coloratis rationibus propria commoda defendunt, & quærunt: subditi verò putant ea licitè possidere, vel eis deberi. Unde student ea variis modis consequi: unde excitantur ambitiones, formantur murmurationes, & multa alia mala in magnum Religionis detrimentum, & perniciem consequuntur.

Debet etiam arcere à Religione Prælatos, qui sub variis rationum coloribus privare satagunt subditos dignitatibus, ne suum arripiant locum: vel quando verbis, vel aliis modis sanctitatem, virtutem, ac excellentiam aliorum obtenebrant, ac semetipsos extollunt, hoc enim est origo multarum seditionum: Debet etiam expellere à Religione quasdam pravas uniones, quæ fiunt ad cumulanda vota, seu suffragia in electionibus.

Secundum caput discordiarum est, aliquibus 241
honores, & officia copiosè distribuere, aliis autem parum, aut nihil; quamobrem debet procurare, ut officia & honores Religionis secundùm mensuram meritorum distribuantur.

Tertium caput est, defectus punitionis delictorum; ex hoc namque datur audacia perversis ad 242
lædendum alios, ex quo excitantur discordiæ, etsi puniantur aliqui impotentes exclusis potentibus, suscitantur etiam discordiæ: debet igitur Generalis procurare, ut delicta non maneant impu- 243
nita, sed ut omnibus, juxta eorum demerita pœna applicetur, & dignitates juxta eorum merita distribuantur.

Dico VIII. Generales licet non teneantur residere in hac, vel illa Provincia, tenentur tamen de jure Divino residere eo in loco, ubi magis eorum præsentia fuerit necessaria; Tambur. *de jure Abbatum Tom.* 1. *disp.* 14. *q.* 1. *n.* 8. In nostra autem Con- 244
gregatione Generalis regulariter debet residere in medio Religionis: Ut omnes ad illam possint re- 245
currere, nisi aliter necessitas postulaverit: ut patet ex 3. *p. nostrarum Constitutionum.*

An autem Generales ad Principum, vel Regum 246
petitionem ad partes aliquas remotas, extra limites suæ Religionis possint accedere? Respondeo, quod si eorum absentia ultra tres menses durare debeat absque speciali summi Pontificis licentia id facere non posse, juxta præscriptum Trid. *sess.* 6. *de Reformat. c.* 1. & *sess.* 23. *c.* 1.

Dico IX. Generales, nec alii Prælati regulares 247
non tenentur facere fidei professionem juxta Trid. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 12. Ita Sorbus, Sanch. Sigismundus quos refert & sequitur Tambur. *Tom.* 1. *disp.* 8. *q.* 3. *n.* 3. Nec obstat Constitutio Pii IV. quæ incipit *Injunctum nobis*, edita idibus Novembris 1564. in qua præceptum Trid. extendit Pontifex ad Prælatos regulares: nam hæc Constitutio non fuit apud Regulares usu recepta, ut respondit sacra Congregatio apud eundem Tamb. & tenent Doctores citati, licet alii contrarium teneant.

Dico X. Generalis tenetur, sicut cæteri Religio- 248
si, observare votum paupertatis; nam licet ipse in usu bonorum Ordinis non dependeat ab aliquo

Supe-

Superiore intra Ordinem, dependet tamen à Papa, & à Capitulo generali, & à suis legibus; Ita cum Fagundez Pellizzarius *Tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 376.
249 Unde tenetur redditus, aut præstationes, quæ illi à Religione assignantur pro necessariis sui officii, in necessariis tantum ad suum officium expendere, & non in alios usus: præterea tenetur accepta, & expensa in libro fideliter, & diligenter adnotari curare, juxta decretum Sacræ Congregationis, quod refert Lezana *Tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 73.

De his, aliisque Generalium obligationibus, ac de modo, quem in suo regimine iidem observare debent, egregiè scripsit ac disseruit Ven. P. JOANNES à JESU MARIA, in suo ab omnibus impensè laudato, *de Regimine Monastico* Tractatu *par.* 2. *per quinquaginta capita.* Extat hic liber *Tomo* 4. operum ejus: qui Tomus coalescit ex XXII. opusculis posthumis hujus sapientissimi viri, ac primùm Coloniæ anno 1650. annis scilicet triginta quinque post obitum ejus, prodiit, opera & labore P. *Pauli ab omnibus Sanctis.* Videatur etiam ejusdem *Ars gubernandi*: & P. Alphonsus à JESU-MARIA infra citandus, *&c.*

DISPUTATIO II.

De officio, dignitate, & potestate Provincialis.

SECTIO I.

Quod munus, & quam superioritatem habeant Provinciales in sua Provincia?

1 *Quid importet munus Provincialis?*
2 *Munus Provincialis est dignitas.*
3 *Quomodo in Religionibus creentur Provinciales?*
4 *Provincialis dicitur Caput Provinciæ.*
5 *Sine eo non potest Capitulum Provinciale convocari.*
6 *Potest constituere actuale domicilium in quocumque Conventu suæ Provinciæ.*
7 *Dicitur quoad suam potestatem residere in quocumque Conventu suæ Provinciæ.*
8 *Potest concurrere ad omnia negotia etiam particularia cujuscumque Conventus.*
9 *Potest in omnibus actibus capitularibus cujuscumque Conventus suæ Provinciæ, qui per suffragia determinandi sunt, suffragium ferre, etsi absens sit.*
10 *In omnibus Conventibus, ubi actu reperitur dicitur superior localis.*
11 *Potest præsidere Capitulo locali.*
12 *Tempore Capituli Generalis præcedit Priorem Conventus, ubi Capitulum celebratur, etsi sit in altera Provincia.*
13 *Extra tempus Capituli generalis provincialis in aliena Provincia cedit Priori Conventus.*
14 *Provinciali incumbit de triennio in triennium convocare Capitulum provinciale.*
15 *Quid si Provincialis in hoc deficiat?*
16 *Provincialis electus ex aliena provincia, functus officio suo, absque alia licentia Generalis revertitur ad suam Provinciam.*
17 *Quæ ætas in Provinciali requiratur de jure nostro?*
18 *Quæ ætas in Provinciali requiratur de jure communi?*
19 *Quid dicendum sit de jure nostro?*
20 *Quæ scientia in Provinciali de jure nostro, & communi requiratur.*

DICO I. Provinciales sunt præfecti Provinciarum Religionum, habentes in illis supremam jurisdictionem ac potestatem, juxta Regulam, & 1
Constitutiones cujuscumque Ordinis: eorum munus, dignitas appellanda est, cùm sit administratio 2
cum jurisdictione; Suarez, Portel, & Rodriquez, quos refert & sequitur Belasius *verbo* Provincialis *numero* 1. Fiunt autem, vel per electionem Provinciarum, ut in multis Religionibus, vel per Capitulum generale, ut fiunt inter nos: ut patet ex 3. 3
p. nostrarum Constitutionum c. 2. *n.* 1. vel à solo Generali, ut fit in Societate JESU; prout testatur Suarez *de Relig. Tom.* 4. *tra.* 1. *cap.* 3.

DICO II. Provincialis dicitur Caput totius 4
Provin-

Provinciæ , sine quo nullum potest congregari
Capitulum provinciale: & in eo nihil sine illo de-
terminari potest. Miranda *Tom. 2. q. 29. artic. 1.*
5 *concl. 3.* Bordonus *Tom. 2. resolut. 88. numero 14.*
Ubique actuale domicilium , ubi sibi placuerit
constituere potest, & mutare ; Bordonus *ubi supra*
numero 14.
6 Dicitur etiam residere in quolibet Conventu,
quoad suam potestatem , quia cum omnibus Su-
perioribus localibus concurrere potest ad negotia,
non solùm totius Provinciæ in genere, sed etiam
7 in specie singulorum Conventuum : unde po-
test in sua Provincia , non tamen extra illam, in
qualibet electione sive discretorum , sive qua-
cumque alia , & in quolibet actu legitimo, etiam
professionis, præbere suum votum, sive ibi , ubi
8 actus legitimus capitulariter est absolvendus , sive
alibi, in alio Conventu resideat , quod itidem de
9 Generali , respectu totius Ordinis affirmandum
est ; Ita cum Antonio de Silis, & Portel, Bordon.
Tom. 1. res. 26. n. 65. & 79.

Et ratio est, quia jus, quod habet quilibet Reli-
giosus concurrendi simul cum Priore in omnibus
negotiis, & electionibus proprii monasterii ex eo
10 oritur, quia est pars & membrum illius Commu-
nitatis, sed Provincialis est pars, & Caput cujusli-
bet Conventus, & est præcipuus de illius familia :
imò in quolibet Conventu suæ Provinciæ, ubi a-
ctu reperitur, licet ibi non resideat, dicitur Supe-
rior localis : ut cum Peyrino advertit Bordonus
11 *Tom. 2. resolut. 88. numero 14.* & potest præside-
re Capitulo locali , præcedendo Prælatum im-
mediatum Conventus, nisi obstent specialia sta-
tuta in contrarium , ut notavit Pellizzarius *Tr.*
9. Cap 8. n. 116 quod idem respectivè dicendum
est de Generali, ergò *&c.*

12 Dico III. Provincialis tempore Capituli ge-
neralis debet præcedere Priorem illius Conven-
tus, in quo celebratur Capitulum generale ; Ita
Peyrinis *Tomo 3. privilegiorum capite 10. numer. 13.*
& sequentibus. Ratio est, quia tempore Capituli
generalis facit unum corpus cum Capitulo gene-
rali *Capit. novi de his, quæ fiunt à Prælato :* sed est
contra rationem , ut membra distinguantur à ca-
pite : ergò nec jure legali, nec naturali inter Gene-
ralem , & Provinciales tempore Capituli generalis
debet inseri quisquam alius : ergò Provincialis de-
bet præcedere Priorem Conventus. Et hoc non
solùm debet observari intra ipsum Capitulum ,
sed etiam extra illud in locis communibus ; ut in
processionibus, & aliis actibus Communitatis: &
ita statutum est *in nostris Constitutionibus 3. p. ca. 1.*
numero 17.

Extra tamen Capitulum generale ; Provincia- 13
lis, si fortè inveniatur in aliena Provincia in aliqua
domo debet dare primum locum Priori Conven-
tus : nam major debet cedere minori, dum est in
domo minoris : ut docent Penna *in lib. nihil C. de*
Palatinis sacr. larg. lib. 12. Gonzalez *ad reg. 8. can-*
crl. glossa 6. numero 107. ubi alios citat *& n. 104.*
Bordonus *de professione capite 5. quæstione 65.* quid-
quid contradicant Pellizzarius *Tractat. 9. capite 2.*
numero 171. Peyrinis *ubi supra numero 19.* malè
pro parte contraria citatus à Pellizzario. Unde sic
statutum est in nostris Constitutionibus *3. parte,*
capite 16. numero 1. quod est maximè conforme ra-
tioni.

Dico IV. Provinciali incumbit convocare de 14
triennio in triennium Capitulum provinciale eo
tempore , quo in statutis Ordinis stabilitum est ,
idque communiter , nisi concurrentes rerum , &
temporum circumstantiæ aliud hic , & nunc sua-
deant , Ita Pellizzarius *Tract. 9. cap. 8. numer. 93.*
& ita statutum est *in nostris Constitutionibus 3. part.* 15
cap. 4. num. 1. ubi decernitur, quod si Provincia-
lis tempore à lege designato vocales non vocave-
rit, ipsi accedant ad prædictum Capitulum, ut fu-
sius *suo loco* dicemus. Adverte tamen in aliquibus
Religionibus Provincialem non posse convocare
Capitulum provinciale sine licentia Generalis:
ut notavit Miranda *Tomo 2. quæstione 16. artic. 3.*
conclusione 1.

Dico V. Provincialis electus ex aliena Pro-
vincia, functus officio suo , absque alia licentia 16
Generalis, revertitur ad suam Provinciam : nisi ali-
ter lege, vel statuto speciali sit dispositum ; ita Pey-
rinis *in formulario litt. V. capite 6. numero 17.* Ra-
tio est, quia cessante causa naturaliter cessat etiam
effectus *Cap.* Cum cessante *de appellat.* causa autem
commorationis in hac Provincia est Provinciala-
tus : ergò illo cessante cessat naturaliter ipsa com-
moratio. Tum , quia , quod gratia alicujus conce-
ditur non est in ejus dispendium retorquendum :
Regul. quod ob gratiam , quæ est *61. de regul jur. in*
6. Dixi, *nisi lege vel statuto aliter sit dispositum,* nam 17
in nostra Congregatione electus ex aliena Provin-
cia in Provincialem alicujus Provinciæ , de novo
erectæ , non expirat ejus officium finito triennio,
sed durat pro tempore , quod Capitulum generale
judicaverit : ut patet ex *3. p. nostrarum Constitutio-*
num cap. 2. n. 16.

Dico VI. De jure communi nulla ætas as- 18
signata

signata est pro Provincialibus ultra vigesimum quintum annum, sicut nec pro Generalibus ut *supra* diximus: expedit tamen, ut saltem triginta habeant annos; Miranda, Rodr. quos refert, & sequitur Belasius *verbo* Provincialis *n.* 2. Unde in hoc in aliquibus Ordinibus, nec Generalis potest dispensare; Belasius *ibid.* In nostra tamen Congregatione debet ad minus habere trigesimum tertium ætatis annum, & Religiosi habitus decimum: ut patet ex 3. *p. nostrarum Const. c.* 2. *n.* 14.

Debet etiam esse bonis litteris instructus; ut patet ex eadem Constitutione *loco citato*, non tamen requiritur, quod sit Doctor, sed sufficit, si talem habeat scientiam, quæ sufficit ad ordinaria negotia peragenda, & quod sciat pro extraordinariis libros consulere; Peyrinis *de Prælato q.* 2. *capite* 2. *num.* 30.

SECTIO II.

Quam potestatem habeat Provincialis in sua Provincia?

21 *Provincialis habet potestatem tam dominativam, quam jurisdictionis super omnes suos subditos.*
22 *Hæc jurisdictio est ordinaria, & non delegata.*
23 *Habent jurisdictionem quasi Episcopalem.*
24 *Possunt suam jurisdictionem delegare.*
25 *Hæc jurisdictio est limitabilis à Generali.*
26 *Ad quæ hujusmodi jurisdictio extendatur?*
27 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

21 Dico I. Sicut Generales habent potestatem, tam dominativam, quam jurisdictionis super omnem Religionem: sic Provinciales, sive fiant per electionem, sive per nominationem à supremo Prælato, habent potestatem, tam dominativam, quàm jurisdictionis, sive directivæ, sive coërcitivæ, sive voluntariæ, sive contentiosæ, sive dispensativæ, sive absolutivæ super omnes Religiosos suæ Provinciæ; cùm enim Religio dilatata sit per varias regiones, per universam Ecclesiam, necessarium omninò fuit, illam in varias Provincias dividere, & pro qualibet supremum Prælatum creare, cui Generalis supremam hanc potestatem, tam dominativam, quam jurisdictionis communicaret: tum, ut facilius posset Religionem gubernare: tum, ut ad illum possent faciliùs Religiosi recurrere; Ita Suarez *Tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *capite* 13. *num.* 13.

Dico II. Hanc jurisdictionem certum est esse ordinariam, & non delegatam, quia Provinciales sunt ordinarii pastores Provinciarum, & Regularium in eis existentium, habentque jurisdictionem quasi Episcopalem, in suos subditos: ut cum D. Thom. & aliis notavit Portel *in dubiis regularibus, verbo* Prælati jurisdictio, *n.* 5. Imò assimilantur Archiepiscopis, ut *supra* diximus, cùm habeant sub se Superiores Conventuum, qui habent etiam quasi Episcopalem jurisdictionem. Unde possunt suam auctoritatem delegare juxta statuta suorum Ordinum. 22 23 24

Dico III. Hæc jurisdictio licet non sit tam ampla, ac illa, quæ in Generali reperitur, cum ista ab illa sit limitabilis, & jurisdictio Generalis ad plura, & graviora extendatur; ad omnia tamen extenditur, quæ illi necessaria sunt ad rectè gubernandam suam Provinciam, & quæ illi jure communi, vel speciali non sunt prohibita, vel superiori Prælato reservata; Ita ut, quod illi non est prohibitum, vel alteri reservatum censeatur concessum; Ita Suarez *Tom.* 4. *de Rel. tract.* 8. *lib.* 2. *capite* 14. *numero* 14. & 13. Bordon. *Tom.* 2. *resol.* 66. *numero* 6. 25 26

In Congregatione verò nostra Hispanica Provinciales eam habent potestatem, quam Priores in suis Conventibus, & insuper illam, quàm tam jure communi, quam Pontificum privilegiis aliorum Ordinum Provinciales sortiuntur, nisi in casibus, in quibus eorum potestas per nostras Constitutiones fuerit limitata; ut constat ex 3. *p. nostrarum Constitutionum c.* 9. *n.* 1. & 4.

SECTIO III.

Ad quæ se extendat potestas directiva Provincialis?

28 *Provincialis non potest sine Capitulo provinciali facere statuta perpetua pro sua Provincia.*
29 *Capitulum provinciale potest de jure communi facere statuta perpetua pro sua Provincia.*
30 *De jure nostro solum potest facere acta & statuta pro suo triennio.*
31 *Talia acta, & statuta, ut habeant vim obligandi debent à Definitorio generali confirmari.*

32 *Provin-*

32 *Provincialis potest præcepta, & censuras imponere aliquibus Conventibus.*

33 *Quantum tempus durent prædicta decreta & præcepta?*

34 *Provincialis cum suo Capitulo, non potest facere statutum adjecta pœna infamiæ.*

35 *Non potest cum consensu suorum Definitorum facere leges perpetuas concernentes bonum commune Provinciæ.*

36 *Potest facere statutum durabile per triennium concernens bonum commune Provinciæ.*

37 *Tenetur decreta, & præcepta à se lata, quoad vim directivam observare, non tamen quoad vim coactivam.*

38 *Quid si ea non observaverit?*

39 *Hujusmodi leges, statuta, & præcepta imposita à Capitulo, vel à Provinciali seclusis statutis, non obligant Religiosos hospites alterius Provinciæ.*

40 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

41 *Provincialis potest transferre suum subditum de uno ad alium Conventum.*

42 *Qua cautela debeant fieri hujusmodi mutationes?*

43 *Si invenerit aliqutm Fratrem indiciatum aliquo delicto, non potest illum removere à Conventu, si inde ejus fama periclitetur.*

44 *Benè tamen, si indè non periclitetur ejus fama, & alia non suppetant remedia.*

45 *Quomodo se debeat habere cum delatoribus culparum proximi?*

46 *Provincialis potest transferre Monialem de uno ad alium Conventum, ut ibi sit Abbatissa.*

47 *Potest declarare doctrinaliter dubia privilegiorum.*

48 *Potest recipere Novitios ad Religionem.*

49 *Potest ferre suffragium in approbatione Novitiorum, sive præsens, sive absens sit.*

50 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

51 *Potest dare licentiam perpetuam Priori Conventus Novitiatus, ut recipiat Novitios.*

52 *Potest instituere confessarium perpetuùm duraturum, etiam postquam officium Provincialis finierit, ad absolutionem etiam reservatorum.*

53 *De consuetudine universali solus Provincialis potest mittere Religiosos ad Ordines.*

54 *Potest in sua Provincia creare Notarios publicos pro intimandis mandatis, privilegiis, &c. & pro processandis causis criminalibus suorum subditorum.*

55 *Potest convocare suos Definitores, & cum eis causas occurrentes decidere, si non detur statutum in contrarium.*

56 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

57 *Quid de jure hujus Provinciæ Lusitanæ hac tempestate.*

58 *Provincialis potest de jure communi concedere licentiam suis subditis ad imprimendos libros.*

59 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

60 *Potest sibi ipsi licentiam præbere ad imprimendos libros, nisi obstent specialia statuta.*

61 *Si jejunium Ecclesiæ inciderit in vigilia alicujus magnæ solemnitatis potest illud anticipare.*

62 *De communi consuetudine ei reservatur dare licentiam ad prædicandum.*

63 *Si permittat inhabiles prædicare, peccat mortaliter.*

94 *In casibus, in quibus Religiosi licitè possunt transire ad aliam Religionem, Provincialis potest talem præbere licentiam, nisi obstent specialia statuta.*

65 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

66 *In communi alienatione præter alias conditiones requiritur, & sufficit licentia Provincialis, nisi obstent specialia statuta.*

67 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

68 *Provincialis in illis tantùm instrumentis faciendis concurrit, ad quæ facienda ejus licentia requiritur,*

69 *Si Provincialis contrahat cum alio de bonis alicujus Conventus, non requiritur licentia Generalis.*

70 *Benè tamen si contrahat de bonis ipsi ad expensas sui officii destinatis.*

71 *Provincialis potest revocare omnes licentias concessas à suo antecessore.*

72 *Potest revocare facultates concessas à Generali præterito.*

73 *Non potest à sua Provincia amandare Religiosum positum à Generali absque licentia ipsius Generalis.*

74 *Potest illum mutare de uno ad alium Conventum.*

75 *Non potest illum remittere ad nativam Provinciam, etiam eo postulante.*

76 *Nullus Religiosus, etiam Prælatus potest movere litem aliquam coram Conservatore sine licentia Provincialis.*

DIco I. Provincialis non potest sine Capitulo provinciali facere statuta perpetua pro sua Provincia; Ita cum D. Thoma, & aliis Lezana 28

Tomo 1. *capite* 18. *numero* 90. & noster *Joannes Augustinus à S.* Teresia, aliàs Herm. Wesselingius in *Nomognostico Theorico-practico Juris universi loco supra cit.* Licet aliàs stando in jure communi, & seclusis specialibus statutis, hoc illi non improbabiliter posset concedi, ut cum Suario tradit Pellizzarius *Tract. 9. cap.* 3. *numero* 23. Ratio nostræ resolutionis est, quia cum impositio legis sit res gravissima requirit Communitatis, cui imponitur, consensum. Unde hæc potestas tantùm convenit
29 de jure communi Capitulo provinciali: ut *suo loco* dicemus, & tenet Lezana *Tom.* 2. *cap.* 12. *num.* 18. Pellizzarius *Tract.* 9. *cap.* 8. *num.* 96. Dixi, *de jure communi*; nam de jure speciali videnda sunt uniuscujusque Religionis statuta; in nostra namque Congregatione Capitulum provinciale non
30 potest facere leges perpetuas, sed tantùm decreta & statuta durantia per triennium, ut patet ex 3. *parte nostrarum Constitutionum capite* 3. *n.* 12.

Imò talia decreta, & statuta non habent vim
31 obligandi, nisi prius à nostro Definitorio generali confirmentur; ut patet ex eadem 3. *parte nostrarum Constitutionum capit.* 8. *numero* 5. quæ dispositio convenientissima est: nam cum impositio legis sit res gravissima non debet fieri absque influxu supremi Capitis, ac tribunalis: ut rectè advertit Pellizzarius *Tract.* 9. *c.* 3. *n.* 23.

32 Poterit tamen Provincialis si sibi expediens videbitur pro aliquo Conventu decreta sive statuta, vel etiam præcepta & censuras imponere: decreta tamen tantùm durant de una ad alteram visitationem: censuræ verò & præcepta durant toto tem-
33 pore Provincialatus, ipso verò mortuo, vel amoto, vel suo munere cessante expirant, ut patet ex 3. *p. nostrarum Constit. c.* 10. *n.* 6.

34 An autem Provincialis cum suo Capitulo possit facere statutum adjecta pœna infamiæ contra transgressores? Respondeo negativè; Ita Bordonus *Tom.* 2. *resolut.* 58. *n.* 8. & ratio est, quia, nec Generalis, nec etiam Capitulum generale, ut *supra* diximus, potest novam inducere irregularitatem, ergò neque infamiam, quæ est species irregularitatis.

An autem Provincialis de jure communi, si non
35 detur speciale statutum in contrarium, extra suum Capitulum possit vocare suos Definitores, & cum eorum consilio, & consensu condere leges aliquas, & Constitutiones concernentes bonum commune provinciæ? Respondeo negativè: nam hoc solùm competit Provinciali in Capitulo, & non extra, ut *supra* diximus; Ita Bord. *Tom.* 2. *resolut.* 58. *num.* 8. poterit tamen Provincialis facere statutum durabile per suum triennium, & postea in sequenti Ca- 36
pitulo legali procurare, ut ordinatio à se facta transeat mediante Capitulo in legem, & statutum perpetuum; Ita Bord. *ibidem*.

Si tamen quæras, an Provincialis teneatur de- 37
creta, & præcepta, sive censuras à seipso latas observare? Respondeo teneri, quoad vim directivam, quatenus necesse est, ut caput corpori conformetur, ut *supra* diximus, non tamen tenetur eas ob- 38
servare quoad vim coactivam, id est, quoad pœnam, nisi quatenus puniri potest à Generali, si eas non observare deprehendatur, non tamen, quia pœnas ipso facto incurrat, etiam si ipso jure sint impositæ; ut *supra* cum Suar. Roderico, Pellizzario, & aliis diximus.

Dico II. Hujusmodi leges Capituli provin- 39
cialis, vel præcepta, aut censuræ, sive decreta provincialis, seclusis specialibus statutis, non obligant Religiosos hospites alterius provinciæ ejusdem Religionis; Ita cum Palud. Antonino, Silvestro, Avila, Angelo, Sanch. Azor, Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 11. Pellizzarius *Tract.* 9. *c.* 3. *num.* 29. contra Navar. Lessium, Salas, Suar. & alios. Ratio est, tum, quia ad obligandum aliquem legibus, vel præceptis requiritur jurisdictio; atqui hospites aliarum provinciarum, ob brevem moram non subjiciuntur jurisdictioni hujus provinciæ, aut illius Provincialis, nec acquirunt forum *leg. hæres absens* 16. §. *proinde ff. de judiciis*; ergò non tenentur ad tales leges observandas: tum, quia non est æquum, ut quis obligetur legibus loci, in quo non dicitur moraliter esse; sed qui transit, vel brevi tempore divertit ad locum non dicitur moraliter in eo esse *l. quæsitum* 76. §. *fi. de legat.* 3. ergò.

Dixi *seclusis specialibus statutis*: nam apud nos 40
religiosi hospites nostræ Congregationis, cùm ad quamcumque domum cujuscumque ex nostris provinciis devenerint, transacto primo die adstringuntur omnibus mandatis, sive præceptis positis, sive imponendis in illa domo, & in omnibus illius Prælatis, sicut cæteri patres obedire tenentur, ut patet ex 1. *p. nostrarum Constitutionum c.* 11. *numero* 6.

Dico III. Provincialis potest transferre suos 41
subditos de uno ad alium Conventum prout melius judicaverit, Ita cum Navarro Lezana *Tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 61. pateque ex usu omnium Religionum, & quoad nostros ex 3. *p. nostrarum Constitutionum cap.* 9. *nu.* 2. ubi etiam Provinciali conceditur, ut extra suam provinciam possit mittere aliquem

aliquem Religiosum intra triginta leucarum spatium ad aliquod negotium peragendum.

42 Advertant tamen Provinciales non debere facere hujusmodi mutationes sine causa, quia hoc videtur esse contra charitatem, & bonum regimen Religionis; Lezana *supracit.*

Imò addo, quod si Provincialis inveniat ali-
43 quem subditum indiciatum de aliquo delicto, commisso in Conventu, seu extra cum muliere, seu alio modo, cujus fama non est dispersa, non potest tuta conscientia illum removere à prædicto Conventu in alium, seu aliàs quomodolibet punire, quando ob hujusmodi remotionem, seu punitionem ejus fama periclitatur; Ita Rodrig. *Tomo 2. quæstione 5. artic. 2.* & in suo compendio *resolut. 38. num. 4.* Peyrinis *in formulario Litt. M. cap. 8. num. 2.* Colligitur etiam ex Suario, Torre, Palao, & aliis, quos refert & sequitur Giragus *p. 3. dub. 6. num. 66.* Ratio verò est, quia unusquisque sub mortali tenetur non lædere bonam famam proximi; sed si statim ac habet Prælatus subditum indiciatum de aliquo delicto eum removet à monasterio, vel alio modo punit, lædit ejus famam; ergò peccat mortaliter. Unde debet eum prius monere prima, secunda, & tertia vice, ut abstineat à tali conversatione, quod si monitionibus præmissis non abstineat, amovendus, & puniendus est; Peyrinis *ubi sup. n. 2.*

Adverte etiam posse Prælatum talem subditum
44 à Cœnobio, seu officio amovere, quando amotio in periculum famam ejus non adducit; Ita Suarez, Palaus, quos refert, & sequitur Giragus *ubi supra num. 67.* in hoc tamen cum magna prudentia debet procedere Provincialis in examinando, an hoc remedium omnino necessarium sit ad emendationem Fratris: vel an sufficiat secreta correctio; nam si sufficiat secreta correctio, potius debet subditum honorare, & eodem modo, ac antea tractare, debet etiam Provincialis animum delatoris investigare, & ob unius dictum non concurrentibus aliis præsumptionibus, non potest Superior ab officio & loco subditum re-
45 movere; Ita Palaus *1. parte, tractatu 6. disp. 3. p. 11. num. 3.* Suarez *de Relig. lib. 10. capit. 12. num. 37.* nisi aliàs delator esset persona insignis de cujus veracitate minimè esset dubitandum; Ita Suarez *ibidem.*

Si tamen quæras, an Provincialis possit sine li-
46 centia Papæ, transferre unam monialem de uno ad alium Conventum, ut sit ibi Abbatissa, prima Fundatrix, vel reformatrix? Respondeo affirmativè; Ita cum Bonacina, Sanchez, Rodriguez, Navarr. quos refert, & sequitur Portel *2. Tom. casuum casu 31. num. 1.* ubi hoc etiam extendunt ad Magistram Novitiarum, quod usu ferè omnium Religionum comprobatur. Nec obstat, quod Pius V. in Bulla, quæ incipit *Decori, & honestati*, declarans causas, ob quas licitum est Monialibus egredi à clausura, absque licentia Papæ; tres tantum exprimat, scilicet, si in Monasterio excitetur incendium, si aliqua Monialis sit lepra infecta, vel si adsit morbus epidemiæ; nam illa dictio taxativa non excludit casus similes, ut cum multis doctoribus probat Sanchez *lib. 6. Decalogi capite 15. n 37.* qualis judicatur exitus, ut sit Abbatissa; siquidem hoc necessarium esse potest ob bonum commune Conventus, non minus, quam egressus ob incendium; ut ex se patet

Dico IV. Provinciales possunt, & debent do- 47
ctrinaliter declarare dubia privilegiorum, qua declaratione facta, subditi ipsorum sententiæ stare debent. Ratio est, quia hoc pertinet ad eorum officium, quod est, esse pastores, & doctores suorum inferiorum: & ad hoc deservit concessio Leonis X. qua illis concedit, ut Provinciales de consilio aliquorum Fratrum, si res magnæ importantiæ fuerint, auctoritate Sanctitatis suæ possint determinare in scrupulis & rebus hujusmodi, atque eorum determinationi subditi secura conscientia possint & debeant stare; Ita cum aliis Lezana *Tom. 1. c. 13. n. 56.*

Dico V. Recipere Novitios ad habitum, licet 48
non sit certum de jure communi pertinere ad solos Generales, vel Provinciales, de jure tamen speciali ferè in omnibus Religionibus specialiter Mendicantibus ad solos Generales, vel Provinciales spectat; ita Peyrinis *de Prælato quæst. 3. c. 1. num. 16.* & habetur in *Cap.* Exiit *de verbor. signif. lib. 5. in 6.* & quoad nostros patet ex *3. p. nostrarum Constitutionum cap. 9. num. 2.* Imò non ad solum Provincialem, sed in aliquibus Religionibus ad Provincialem simul cum consilio, & consensu suorum collegarum, ut cum Suario, & Rodrigo, notavit Peyrinis *ubi supra num. 16.* In nostra tamen utraque Congregatione Hispanica & Italica ultra licentiam Provincialis requiritur consensus Capituli conventus, ubi Novitius est recipiendus: ut patet ex *2. parte nostrarum Constitutionum c. 3. num. 5.* & ex *2. p cap. 7. Constitut. Congreg. Italicæ.*

Si tamen quæras, an Provincialis existens in 49
Conventu novitiatus possit ferre suffragium pro

novitio,vel Novitia ad professionem? Respondeo affirmativè,& hoc sive sit præsens,sive absens,stando in jure communi secluso jure speciali; Ita & & bene Portel *Tom.1.casuum p.1.casu* 11.*n*.2. Nam Provincialis potest dare licentiam ad profitendum Novitio, & ad illum recipiendum: ergò à fortiori suffragium ad illius professionem, quod est minus. Dixi,*secluso jure speciali*;nam in Congregatio-
50 ne nostra solùm poterit Provincialis ferre suffragium pro Novitio, si Capitulo conventuali velit assistere,vel jubeat, ut ejus votum in sua cella requiratur; antequam per seniores scrutentur,nam facta scrutatione votorum in Capitulo,more solito,non datur amplius recursus ad Provincialem: ut patet ex 2. *p. nostrarum Constit. c.*2.*n*.12.

51 Sed quæres; an Provincialis, sive Generalis extra Capitulum propria auctoritate possit dare perpetuam licentiam Prioribus pro tempore existentibus in regimine Conventus, ubi est locus destinatus pro educandis Novitiis,ad illos recipiendos, quamvis Generalis munus non duret ultra sexennium,& Provincialis triennio absolvatur à suo officio? Respondeo affirmativè; Ita Bord.*Tom.*2.*res.* 58.*n*.40. Ratio est, tum, quia prædicti Superiores possunt ipsi immediatè recipere novitios ad habitum,ut *suprà* diximus: ergò possunt hanc facultatem aliis delegare, argumento à potestate Ordinaria ad delegatam, consequentem ad illam ex vulgatis juribus: tum, quia cùm hæc gratia concedatur non personæ,sed dignitati Prioris,pro tempore existentis, formaliter, & immediatè est gratia facta respectu Priorum, licet aliàs ejus effectus futurus sit pro novitiis; sed gratia facta in perpetuum non expirat finito officio illius, qui eam concessit; ut asserunt DD *in c. relatum* 19. *cap. gratum* 20. *de offic. delegati*: ergò.

Et hinc fit posse etiam Provincialem, qui so-
52 lùm per triennium durat instituere Confessarium perpetuum pro sua provincia, etiam in illis Religionibus, in quibus hæc licentia tantùm datur ad tempus.

Item posse dare licentiam ad absolvendum à reservatis, duraturam etiam sub aliis Provincialibus post ipsum eligendis,quæ facultates durant, donec à successore revocentur; Ita Bor. *To.* 2.*res.*58.*n*.32. Tum, quia hujusmodi licentiæ habent rationem gratiæ factæ: gratia autem facta non expirat per mortem concedentis,sed durat juxta tenorem concessionis: ut *supra* diximus: Tum, quia favores sunt ampliandi, & decet Prælati beneficium esse mansurum ex vulgatis juribus.

Nec obstat, quod facta ab homine non durant ultra ejus officium *l.fin. ff. de pœn. & l.*1. *C. de postul.* ut ex aliis juribus probat Bord *Tom.* 1.*res.*6.*n*.30. Respondetur namque, prædicta locum habere in odiosis, & in ordinationibus facti, quæ sunt onerosæ;ut si ordinetur,ne quis exeat clausuram, sub pœna pœna privationis; non tamen in favorabilibus quales sunt prædictæ; Ita Bord. *ibid.*

Dico VI Mittere Religiosos ad Ordines licet de jure communi pertineat ad Superiores locales, ut patet ex *Capite* nullus 1. *capit. si quis* 2. *distinct.* 58. *Capit.* Monachi 33. *Capit.* Cum pro 34. *Capit.* Monachi 35.16.*quæst* 1. Capit.*quam cit.*5. 18.*qu.*2. & ex aliis capitibus, quæ congerit Bordonus *in decisionibus decis.* 1. *num.* 1. De jure tamen speciali ferè in omnibus Religionibus, præsertim Mendicantibus hoc reservatur Provinciali; Ita Bord. *ubi supra n.* 1. & quoad nostros patet ex tertia parte *nostrarum Const. c. 9. n.* 2. & idem de sua Religione testatur Rodrig. *q.* 18. *tom.* 1. *art.* 5. & de sua Bord. *ubi supra num.* 3.

Dico VII. Provinciales in sua provincia pos- 54
sunt constituere unum, vel plures Fratres sui Ordinis, probatos tamen, ac fide & doctrina idoneos, in Notarios publicos pro intimandis mandatis, privilegiis, concessionibus, & indultis Apostolicis Ordini concessis quibuscumque personis, sive Ecclesiasticis, sive sæcularibus, etiam Regibus, Ducibus, *&c.* ubi & quoties opus fuerit; Ita concessit Pius V. Dominicanis, & Julius II. in Bullis, quas refert Lezana *Tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 95. & cum eo sentiunt nostri Thomas à Jesu *Tract. de Visit. Reg c.* 2. Pettus ab Angelis in *Judice Regul.*1.*part. cap.*13. Peyrinis *de subdito, q.* 1. *c.*3.§.8.*dicto* 11. Belasius *verbo* Notarius *n.* 7. sed de his vide, quæ diximus in Tract. 2. *de privilegiis disp.* 1. *sect.* 4.§.4. Adverte tamen Provincialem non solùm posse creare Notarios pro intimandis mandatis, & Bullis Apostolicis, juxta Motum Pii V. sed etiam pro processandis causis criminalibus suorum subditorum, cùm hæ non possint processari sine notario, & aliàs non possint tractari coram judice sæculari. Unde Provinciales solent hoc facere per suos Secretarios; Ita Portel *in dubiis regularibus* verbo *Notarius numero* 9. Pellizzarius *Tractatu* 9. *cap.*3. *num.*262.

Dico VIII. Provincialis, etiam sine licentia 55
Generalis, quavis causa necessitatis urgente, seu currente potest convocare suos Definitores, & cum illis decidere, & expedire negotia occurrentia,ubi non fuerit lex,aut statutum in contrarium;

Ita

Ita Bord. *Tom.* 2. *resolut.* 58. *num.* 6. Ratio est, tum quia id nullibi expressè prohibetur: ergò censetur concessum ex *Capit.* sunt nonnulli 25. 16. *quæst.* 1. Cap. *jam nunc* 7. 28. *quæst.* 1. Tum, quia quoties occurrit aliquid agendum à Superiore, quod sine aliis expedire non potest, facultatem habet congregandi illos: ergò. Dixi, *ubi lex aut statutum non fuerit in contrarium*: Nam in Congregatione N. Hispanica Definitores Provinciales, finito Capitulo Provinciali expirat eorum officium usque ad Capitulum provinciale venturum: ut patet ex 3. *p. nostrarum Constit. c.* 4. *n.* 12.

Adverte tamen, quod hodie in hac Provincia
57 Lusitaniæ, in qua, ex Brevi Alexandri VII. concessa est potestas Definitorii generalis sex Consiliariis simul cum Provinciali, posse Provincialem, occurrente aliquo negotio, quod ipse non possit solus determinare, convocare sex prædictos Consiliarios, etiam extra tempus, in quo fiunt ordinariæ definitiones, propter rationes dictas: nisi aliàs aliud habeatur in prædicta Bulla, de quo mihi non constat; Ita à fortiori debet tenere Bordonus *supracit.*

Dico IX. Provincialis de jure communi: si non
58 detur lex, aut statutum in contrarium, potest concedere licentiam suis subditis ad libros imprimendos; Ita Bord *Tom.* 2. *resol.* 58. *n.* 21. & ratio est, quia in Tridentino jubentur Regulares impetrare hanc licentiam à suis Superioribus, sed nomine Superiorum venit etiam Provincialis, imò & Prælatus localis: ergò, si non detur lex in contrarium, stando in rigore juris, Provincialis, imò & Prior localis potest præbere talem licentiam. Dixi, *nisi detur statutum in contrarium*; nam apud Carm.
59 Discalc. Hispaniæ hujusmodi licentia reservatur nostro Definitorio generali, ut patet ex 3. *p. nostrarum Constit. cap.* 8. *n.* 10.

60 An autem Provincialis, qui secundùm sua statuta potest aliis præbere licentiam ad imprimendos libros, possit etiam sibimetipsi facultatem dare sine licentia Generalis ad hujusmodi impressionem? Respondeo affirmativè; Ita Bord. *Tomo* 2. *res.* 58. *n.* 28. Ratio est, tum, quia licentians alios se ipsum etiam potest licentiare ad id, ad quod alios licentiat. Tum, quia Provincialis sibi potest licentiam ad absolutionem, & electionem Confessarii ad casus reservatos, & ad dispensationes dare, ut latè probat Bord. *ubi sup.* & nos diximus latè in materia de privilegiis. ergò etiam seipsum in hoc casu poterit licentiare.

61 Dico X. Si aliqua vigilia inciderit in diem Patroni Religionis, verbi gratia, in die Sanctæ Matris nostræ Theresiæ ob causam magnæ solemnitatis Religionis, potest Provincialis jejunium anticipare, & observare facere die præcedenti illud solemne festum; Ita Bord *Tom.* 2. *resol.* 58. *num.* 16. Baslæus *verbo* jejunium *n.* 4. Ratio est, quia Episcopus potest anticipare jejunia pro toto suo Episcopatu, vel pro aliqua civitate illius, si incidant in aliquo celebri festo illius civitatis: ut tenent Silvius, Bonacina, Navarr Fagund. quos refert & sequitur Pasqualigus *de jejunio decisione* 180. Diana *parte* 3. *tractatu* 6. *resolut.* 66. ergò idem potest facere Provincialis pro tota sua Provincia, vel pro aliqua domo illius, si tale jejunium incidat in diem Patroni, vel Titularis, siquidem exercet respectu suorum subditorum jura quasi Episcopalia, & est executor juris communis respectu suorum subditorum, sicut Episcopus respectu sui Episcopatus.

Advertant tamen Provinciales hac indulgentia eos raro debere uti, nisi adsit periculum fractionis jejunii in Religiosis; nam cum Religiosi teneantur tendere ad perfectionem, debent ea, quæ perfectionis sunt, prosequi, & sic ad unguem observare jejunium Ecclesiæ, quæ sciebat prædictam vigiliam quandoque incidere in illos dies. & nihil voluit disponere; ut notavit Bordonus *supracitat.*

Dico XI. Licet de jure communi non solùm 62
Provincialibus, sed etiam Prioribus localibus competat dare licentiam suis subditis ad prædicandum, ut patet ex Tridentino *sess.* 5. *cap.* 2. *de reformat.* Ubi hæc facultas conceditur Superioribus Regularium, quorum nomine venit etiam Prior, ut advertit cum aliis Pellizzarius *Tract.* 8. *c.* 4. *n.* 2. De jure tamen speciali dare hujusmodi licentiam, ferè in omnibus Religionibus competit Provinciali, & quoad nostros patet ex 2. *p. nostrarum Constitutionum cap.* 7. *numero* 1. Unde in hoc standum est Religionum statutis, & consuetudinibus; Pellizzarius *ubi supra.*

Adverte tamen, Prælatos, qui subditos non ido- 63
neos permittunt prædicare peccare mortaliter; Lezana *Tom.* 1. *c.* 20. *n.* 1.

Dico XII. In casibus, in quibus licitum est
Religioso sine licentia Papæ transire ad æque stri- 64
ctam Religionem, ut si aliqua legitima subsistat causa, prout tenet cum aliis Sanchez *in Decalog. lib.* 6. *c.* 7. *n.* 65. vel sine causa ad strictiorem requiritur licentia Generalis vel Provincialis, nisi Constitutio Religionis aliud caveat, & non sufficit licentia

licentia Prioris; Ita cum aliis Sanchez *ubi supra num.* 61. Peyrinis *de subdito quæst.* 1. *cap.* 24. *sub initio.* & ratio est; quia immediatus Prælatus non potest subditum ab uno ad alium Conventum ejusdem Ordinis transferre: ergò multò minus ab una ad aliam Religionem: ergò hoc vel competit Generali, vel ad minus Provinciali.

65 Dixi, *nisi Constitutio Religionis aliud caveat*; nam Carmelitæ Discalceati non possunt transire ad aliam Religionem, etiam æqualem, sive strictiorem, (Carthusia excepta) sine expressa licentia Papæ, ut patet ex Bulla PAULI V. quam referunt nostræ Constitutiones 4. *parte, cap.* 6. *numero* 4. ad transeundum autem ad Carthusiam requiritur licentia Superiorum, ut patet ex eadem Bulla; existimo tamen per Superiores debere intelligi Capitulum generale, nam cùm soli Capitulo generali competat recipere Religiosos alterius Ordinis, ut patet ex eisdem Constitutionibus 2. *p. c.* 2. *n.* 6. ita existimo illi soli competere nostros dimittere ad alios Ordines, sed hoc salvo meliori judicio.

DICO XIII. In omnibus contractibus, in qui-
66 bus contingit alienatio acquisitorum, cujusmodi sunt contractus venditionis, donationis, mutui, cambii, census, permutationis, emphyteusis, seu libelli, hypothecæ, cessionis, transactionis, & similium, quæ sunt species alienationis: requiritur in Ordinibus Mendicantibus licentia Provincialis, vel Generalis juxta cujuscumque Religionis Constitutiones, & Summorum Pontificum Bullas, de quibus Rodriguez, Portel, Navarr. & alii, quos refert, & sequitur Bord. *Tom.* 1. *resol.* 27. *nu.* 28. Ita cum Azorio, Molina, & aliis communiter Bassæus *verbo* alienatio *n.* 3. Bord. *Tom.* 2. *resolut.* 53. *num.* 57.

Non competit autem hæc facultas Provincialibus de jure communi, cum hoc non inveniatur dispositum in jure communi, sed competit illis ex multis privilegiis, nimirum LEONIS X. CLEMENTIS VII. GREGORII XIII. quorum Bullas refert Bordonus *Tom.* 1 *resolut.* 27. *num.* 28. præter hujusmodi autem licentiam in omni contractu alienationis rei immobilis, vel mobilis pretiosæ, requiritur assensus Apostolicus, vel Sacræ Congregationis, ubi Extravagans *Ambitiosa*, & alia Pontificum decreta sunt recepta, de quibus vide, quæ diximus in Tractatu *de privilegiis disputat.* 1. *sect.* 4. §. 1.

67 Adde, nisi aliàs jura specialia, & Pontificum Bullæ aliud disponant; nam in Societate talis licentia solùm dari potest à Generali, vel ab eo, cui ille commiserit, ut notat Pellizzarius *ubi supra*, & apud Carmelitas Discalceatos talis alienatio debet fieri ex consensu Definitorii generalis, & de consensu majoris partis Capituli illius domus, in qua fit alienatio; ut constat ex Bulla PAULI III. apud nostrum *Compendium privilegiorum pag.* 272. *num* 1. quod jam antea concesserat eisdem Carmelitis GREGORIUS XIII. dummodo loco nostri Definitorii adhiberetur consensus Generalis, ut patet ex ejus Bulla *ubi supra*, & colligitur clarius ex nostris Constitutionibus 1. *p. c.* 7. *n.* 6. & 14. & 3. *p. c.* 7 *n.* 9.

DICO XIV. Provincialis non concurrit in in- 68
strumentis faciendis, nisi in illis, in quibus ejus licentia, & approbatio est necessaria. Ratio est, tum, quia provincialis non immediatè est super bonis monasterii, sed provinciæ: tum, quia licet ipse sit pars Capituli conventualis, est tamen caput, & non est necesse, quod duo capita concurrant, nisi quando ejus licentia necessaria est; Ita Bord. *Tom.* 2. *res.* 66. *n.* 18.

An autem quando provincialis vult contrahe- 69
re in illis casibus, in quibus necessaria est licentia Provincialis, ipse egeat licentia Generalis, cui immediatè subditur? Respondeo, quod vel Provincialis contrahit de bonis alicujus Conventus, vel Provinciæ, vel de bonis, quæ illi sunt destinata ad sustinenda onera sui officii: Si primum, non eget alia licentia: Si verò velit contrahere de bonis sibi destinatis, tunc indiget licentia Generalis, quia
proximus Superior debet semper contrahere de li- 70
centia sui Superioris, & in hoc casu Provincialis reputatur, ac si esset Superior localis; Ita Bordonus *Tom.* 2. *res.* 66. *num.* 70. & idem existimo dicendum de Generali respectu Capituli generalis; Ita Bord. *ibidem.*

DICO XV. Provincialis potest revocare om- 71
nes licentias, & facultates concessas à suo antecessore Provinciali; Ita Bordonus *Tomo* 2. *resol.* 88. *num.* 2. Ratio est, quia Provincialis actu regens non habet minorem auctoritatem suo antecessore; sed antecessor, id poterat efficere: ergò & successor: Imò addo posse revocare facultates concessas à Generali præterito, si suo officio præjudicent; Ita Bord. *ibid.* quia per finitionem officii
videtur talis facultas subsistere cum dependentia 72
à Prælato inferiori, cui in concessione non prætendebat præjudicare.

DICO XVI. Provincialis non potest à sua Pro- 73
vincia amandare Religiosum positum à Generali, vel

vel de Conventu, in quo positus est à Generali transferre ad alium suæ provinciæ, si aliàs Generalis voluit illum ita ibi ponere, ut à nemine amoveretur; hoc certum est, inferior namque non potest operari contra mandatum sui Superioris, si tamen Generalis tantum fecit aliquem Religiosum filium alicujus Provinciæ, tunc amoveri potest à Provinciali, prout sibi videbitur, de uno ad alium Conventum; Ita Bord. *Tom. 2. resolutione 66. numero 28.*

74 Existimo tamen non posse illum remittere ad nativam Provinciam, etiam eo postulante; nam hoc proprium est Generalium specialiter in Congregatione nostra Hispanica, ut patet ex 3. parte nostrarum *Constitutionum cap. 6. num. 3.* & ratio est, nam cum talis Religiosus jam sit filius illius Provinciæ per transmutationem factam à Generali, non potest à Provinciali, sine nova licentia Generalis transferri; nam res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur: ut est commune proloquium: quidquid contradicat Bordonus *ubi supra.*

75 Adverte tamen, quod nullus Provincialis potest mittere aliquem Religiosum ad alienam provinciam, vel illum ex aliena provincia recipere sine litteris dimissoriis fidem facientibus de tali dimissione; Vide Bord. *n. 28. loc. cit.*

Dico XVII. Licet Priores, & alii Religiosi particulares stando nostris privilegiis possint sibi eligere Conservatorem, ut latè diximus in Tract. 2. *de privilegiis disputat. 1. sect. 4. §. 3.* in nostro tamen Ordine jure speciali nullus Prælatus inferior, nec particularis Religiosus potest litem aliquam incipere coram ipso Conservatore, nisi de licentia Provincialis, ut patet ex *3. p. nostrarum Constitutionum cap. 14 n. 5.*

SECTIO IV.

De potestate coërcitiva, quam habent Provinciales in sua Provincia.

77 *Provincialis eam habet potestatem coërcitivam in suos subditos, quam habet Episcopus in suos.*

78 *Habet potestatem coercendi subditos per quascumque Ecclesiasticas censuras.*

79 *Non potest imponere interdictum locale.*

80 *Potest suspendere Capitulum sibi subjectum.*

81 *Potest interdicere Communitatem alicujus Conventus.*

83 *Non potest suspendere, vel interdicere interdicto generali totum Capitulum provinciale.*

83 *Potest aliquos de Capitulo in particulari suspendere, & interdicere, nisi lex detur in contrarium.*

84 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

85 *Provincialis etiam in aliena provincia potest castigare, & exercere jurisdictionem contentiosam contra suum subditum.*

86 *Provincialis existens in sua Provincia potest punire suum subditum, qui deliquit in aliena provincia, non solum, si ei ab Episcopo, vel ab alio Prælato remittatur, sed etiamsi existat in alio regno.*

87 *Potest talem Religiosum punire inspecto solo processu culparum misso ab Episcopo.*

88 *Non tenetur Provincialis punire talem Religiosum inspecto solo processu facto ab Episcopo.*

89 *Potest punire Religiosos hospites alterius provinciæ, si in sua Provincia delinquant.*

90 *Non potest punire Religiosos legitimè ejectos, vel factos Episcopos.*

91 *Potest punire Religiosos nominatos in Episcopos ante consecrationem.*

92 *Potest castigare subditos, etiam transacto tempore Visitationis, etiamsi sit Prior alicujus Conventus.*

93 *Non potest eumdem Conventum bis in eodem anno visitare.*

94 *Potest prævenire negotia & causam Prioris.*

95 *Non est conveniens, ut in causis inferiorum se immisceat.*

96 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

97 *Potest præcipere Priori domus Novitiatus, ne aliquem Novitium ipso inconsulto recipiat ad professionem, adjecto decreto irritante professionem.*

98 *Non potest sine justa causa privare Priorem officio, sive ejus Prælatura sit electiva, sive manualis.*

99 *Non potest absolutè eximere Religiosum ab obedientia sui Prioris.*

100 *Justa subsistente causa poterit quoad aliquid Religiosum ab obedientia sui Prioris eximere.*

101 *Non potest sine causa advocare ad se causas pendentes coram inferioribus in illis, quæ de jure pertinent ad inferiores, benè tamen cum causa.*

102 *Si sine causa advocet avocatio est nulla & peccaminosa.*

103 *Non potest sine causa procuratorem factum à Priore*

à Priore cum suo Conventu revocare, si in ejus creatione non intervenit illius contemptus nec ejus licentia de jure requirebatur.

104 *Potest delegare aliquam causam civilem extra Religionem alicui personæ Ecclesiasticæ sæculari, vel regulari, si non detur lex in contrarium.*

105 *Quid si causa fuerit criminalis?*

106 *Ad delegandam causam criminalem extraneo, requiritur licentia Generalis.*

107 *Resistente parte nec de licentia Generalis potest causa criminalis delegari extraneo, nisi obstet bonum commune Religionis.*

108 *Ex quacumque causa legitima concernente materiam confessionum potest suspendere confessarios à confessionibus sæcularium.*

109 *Debet in hoc casu ei judicialiter de delicto constare.*

110 *Quid si crimen non sit notorium?*

111 *Potest pro quiete suæ conscientiæ, revocare licentias concessas à suo antecessore Religiosorum confessiones audiendi.*

112 *Non potest ad libitum, sine causa, revocare licentias à seipso concessas.*

113 *Potest cognoscere de crimine nefando, nisi obstet lex in contrarium.*

114 *Quid dicendum sit de jure particulari?*

115 *Non potest procedere contra suos subditos suspectos de hæresi, nec in casibus pertinentibus ad sanctam Inquisitionem.*

116 *Prælati & subditi tenentur Religiosos suspectos de hæresi ad Inquisitionem statim deferre.*

117 *Provincialis non potest gravare Religiosum recurrentem ad Inquisitionem pro quocumque negotio, vel excessu*

77 DIco I. Provincialis respectu suæ Provinciæ,
nisi obstent specialia mandata, eam habet potestatem coërcitivam, quæ datur in Episcopis jure
communi; Ita Suarez *To.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1.
c. 9. *n.* 4. unde fit esse in Provinciali potestatem ad
coërcendos suos subditos, per quascumque Ecclesiasticas censuras, quæ alias possint justè in tali
materia, seu crimine personis Religiosis imponi;
78 sicut enim omnis hæc potestas competit Episcopo,
ita Provincialibus, qui etiam habent potestatem
quasi Episcopalem, nisi aliàs aliquo jure speciali
illis limitetur.

Dixi, *quæ possint personis Religiosis imponi*, ut ex-
79 cluderem interdictum locale, quod non potest à
Provincialibus, imò neque à Generalibus imponi,
quia ipsorum iurisdictio potiùs cadit in personas,
quam in locum: interdictum verò locale, cum
comprehendat totum locum quodammodo redundat in personas non subditas ipsis Prælatis regularibus; Suar. *de censuris disp.* 36. *sect.* 1. Filliutius
Tract. 18. *c.* 1. *q.* 7. Navar. *c.* 2. *n.* 168. Bassæus *verbo* interdictum 4. *n.* 1.

Possunt tamen prædicti Provinciales suspende- 80
re Capitulum sibi subjectum, vel interdicere Communitatem alicujus Conventus, si necesse sit; nam
interdictum personale non transcendit personas, 81
vel earum Communitatem; Ita Suar. *Tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *c.* 9. *n.* 5.

Non tamen potest suspendere totum Capitu 82
lum provinciale, vel illud interdicere interdicto
generali; licet possit aliquos in particulari suspendere & interdicere; nisi aliàs detur lex in contrarium. Et ratio est, quia cum ipse sit Caput Capituli 83
provincialis, interdicendo totum Capitulum, vel
illud suspendendo, etiam ipse Provincialis maneret suspensus, vel interdictus, quod dici non potest, cùm nemo super se habeat potestatem coactivam, ut tenent communiter DD. apud Pellizzar.
Tract. 9. *c.* 3. *n.* 55.

Dixi, *nisi aliàs detur lex in contrarium*; nam apud
Carmelit. Disc. nullus Prælatus etiam Generalis, 84
Definitorio generali excepto, potest imponere præcepta, aut censuras tempore Capituli provincialis
toti Capitulo, vel majori parti illius; tam in communi; quàm in particulari; ut patet ex 1. *p. nostrarum Constit. cap.* 5. *n.* 6.

Dico II. Provincialis etiam in aliena provin- 85
cia potest castigare suum subditum, & contra
illum exercere jurisdictionem contentiosam; Ita
Rodrig. Megala, Sayrus, Bonacina, Diana, quos
refert, & sequitur Bord. *Tom.* 2. *resolut.* 78. *n.* 53.
liceat contrarium teneat cum Sanch. & Portel,
Pellizz *Tract.* 9. *c.* 3. *n.* 11. Et ratio est, quia Provincialis est judex personarum simpliciter, & independenter à loco; ergò in quovis loco poterit
suam jurisdictionem exercere, quod tamen non
accidit in Episcopis, qui habeut super subditos
jurisdictionem ratione loci.

Et hinc solvitur ille casus, quem affert Portel 76
Tomo 1. *casuum casu* 19. An scilicet Provincialis
existens in sua Provincia possit punire suum subditum, qui in alia Provincia deliquit? Respondeo
namque non solùm illum posse punire, si ei ab Episcopo, vel Prælato alterius provinciæ remittatur,
ut illum puniat, ut concedit *ibi Portel n.* 1. sed etiam illum posse punire in alio regno existentem,
nam ut *sup.* diximus, potestas coërcitiva Prælati regularis

gularis non dependet à territorio, sed solum est ad personas in quocumque existant territorio.

87 Sed quæres: An, si Episcopus deprehendens Religiosum in aliquo crimine scandaloso extra clausuram illum comprehendat, & de delicto formet processum cum testibus, & remittat, tam ipsum Religiosum, quam processum ad Provincialem, ut illum puniat juxta dispositionem Tridentini *sess.* 25. *Cap.* 14. *de regular.* teneaturne Provincialis formare novum processum, an verò inspecto solo processu facto, & misso ab Episcopo possit talem Religiosum punire? Respondeo affirmativè; Ita Portel *Tomo* 1. *casuum, casu* 19. *n.* 2. Pelliz. *Tract.* 8. *cap.* 6. *n.* 11 Ratio est, tum, quia Episcopus remittens Religiosum suo Prælato propter delictum scandalosum, in quo illum extra claustra comprehendit, debet cum illo mittere processum cum testibus; ut constat ex quadam declaratione Cardinalium, quam refert Marsilius ad dictum *capite* 14. *Trident.* ergò Provincialis, viso solo hoc processu potest procedere ad punitionem: patet consequentia, quia talis processus fuit factus à judice competente; nam licet Episcopus non sit absolutè judex Regularium, est judex secundùm quid, si delinquant extra claustra.

Tum, quia iste processus factus fuit auctoritate Papæ, ut patet ex dicta declaratione Cardinalium; ergò factus fuit à judice competente; sed quando processus factus est à judice competente, non est necesse, quod à judice, qui ferre debet sententiam, reformetur, ut patet in judice sæculari, qui condemnat hæreticum viso solo processu contra illum facto ab Inquisitoribus, ut constat ex praxi, & docet Penna in *directorio Inquisitorum p.* 3. *q.* 36. *comment.* 85. ergò idem dicendum est de Prælato regulari.

88 Adverte tamen, nunquam Provincialem teneri punire suum subditum cum solo processu facto ab Episcopo; Ita ex Peyrino Pellizzarius *Tract.* 8. *cap.* 6. *num.* 11.

89 An autem possit etiam Provincialis punire Religiosum hospitem alterius Provinciæ delinquentem in sua Provincia? Respondeo affirmativè: tum quia ei factus est subditus ratione delicti *Capite* licet 20. *de foro compet.* Tum, quia in omnibus Religionibus hospites sunt subditi Superioris illius Provinciæ, vel domus, in qua reperiuntur; Ita cum Felino Bord. *in decisionibus decis.* 208. non potest tamen punire Religiosos legitimè ejectos, vel factos Episcopos; nam hi extracti sunt à jurisdictione Prælatorum regularium, & ejecti immediatè Episcopo subjiciuntur; Episcopi verò subjiciuntur Pontifici; Ita Peyrinis *in formulario litt. G. capite* 6. *num.* 2.

Secus dicendum de Religiosis nominatis Episcopis, ante consecrationem, nam hi non sunt exempti à jurisdictione suorum Prælatorum, nisi post consecrationem, ut expresse dicitur in Bulla Pauli IV. quem refert Rodrig. in Bullario ad *Constit.* 4. Pauli V. Ita Pellizz. *Tract.* 6. *c.* 1. *n* 11. 90

Dico III. Provincialis etiam transacto tempore suæ visitationis, potest castigare, & corrigere suum subditum etiamsi sit Prior alicujus Conventus; ita Bord. *Tom.* 2. *res.* 66. *n.* 15. Et ratio est, quia potestas Provincialis ad castigandum suos subditos non pendet à visitatione, quasi ad illam consequens, sed id jus habet ex debito officii sui, & sicut omni tempore sui triennii est provincialis, ita suum munus, & officium omni tempore exercere potest. Existimo tamen non posse eundem Conventum bis in anno visitare, ut *sup.* diximus de Generali respectu totius Religionis *disput.* 1. *sect.* 1. *num.* 122. 91 92 93

Dico IV. Provincialis potest prævenire negotia & causas Prioris. Ratio est, quia Provincialis in quolibet Conventu suæ Provinciæ, habet eminenter totam potestatem Prioris, imò censetur Prior localis, & præcipuè ubi residet, ut nos *supra* diximus, & tenet Peyrinis *de Prælato qu.* 3. *c.* 1. §. 3. *num.* 116. Bord. *Tomo* 2. *res.* 67. *num.* 16. ergò optimè potest prævenire Priorem in causis Conventualibus. Licèt autem Provincialis hoc possit de jure efficere, non est tamen conveniens, ut causis inferiorum se immisceat. Unde nostræ Constitutiones 1. *p. c.* 5. *n.* 7. prohibent Superioribus, ut nisi ob inferiorum defectum, vel ob aliquam aliam rationem urgentem officiis inferiorum non se ingerant. 94 95 96

An autem Provincialis possit præcipere Priori Conventus novitiatus, ne aliquem Novitium admittat ad professionem se inconsulto, adjecto decreto irritante professionem aliter factam? Respondeo affirmativè eodem modo, quo diximus de Generali *ubi sup. disp.* 1. *sect.* 5 *n.* 148. 97

Dico V. Provincialis non potest sine justa causa privare Priorem officio, sive ejus prælatura sit electiva, sive manualis. Primam partem hujus asserti tenet Bord. *Tom.* 2. *resolutione* 58 *nu.* 53. cum Sigismundo, & aliis contra Suarez, & Lezanam 1. *Tom. c.* 18 *num.* 87. & habetur expressè in *Capit.* Monachi *de statu Monach.* verba autem illius capitis sunt hæc: Priores autem cum in Ecclesiis Conventualibus per electionem Capitulorum 98

suorum canonicè fuerint instituti, nisi pro manifesta, & rationabili causa, non mutentur, ut videlicet, si fuerint dilapidatores, si incontinenter vixerint, aut tale quid egerint, pro quo amovendi merito videantur, aut si etiam pro necessitate majoris officii de consilio Fratrum fuerint transferendi. Ratio autem est, quia nemo sine culpa privandus est jure suo, nisi subsit causa, sed Priores electi, & confirmati jus habent acquisitum in suo officio, ergò eo jure privandi non sunt. Quoad secundam verò partem eam tenet Vidal. *titulo* de Prælatis *n.* 70. & patet ex iis, quæ *supra* diximus *disp.* 1. *n.* 135.

99 Dico VI. Provincialis non potest absolutè eximere Religiosum ab obedientia sui Prioris; Ita Miranda, Rodrig. Lezana, & alii quos refert, & sequitur Bord. *Tomo* 2. *resolut* 66. *n.* 20. Tum, quia hoc nec Generalibus convenit, imò nec Pontifex hoc licitè facere potest, ut supra probavimus; ergò multò minus Provincialis: Tum, quia hoc non esset exemptio sed confusio Religionis. Cùm hoc tamen stat, quod licèt Provincialis absolutè non possit eximere aliquem Religiosum ab obedientia sui Prioris, quoad aliquid tamen justa interveniente causa, posse eum eximere; 100 nam justa subsistente causa Superior potest limitare votum obedientiæ quoad aliquos actus, quod non est dispensare in substantia voti, sed in accidentariis, nec per hoc sequitur confusio, vel injuria Prælati, sed de his vide, quæ *supra diximus disp.* 1. *n.* 139.

101 An autem Provincialis possit ad se advocare causas pendentes coram Prioribus localibus? Respondeo hanc quæstionem non habere locum in nostra Congregatione, in qua Priores in causis judicialiter non procedunt, sed tantùm suos subditos paternè corrigunt, ut patet ex 3. *parte nostrarum Constitutionum cap.* 14. *n* 2. *& cap.* 12 *n.* 8. quia tamen possunt imponere præcepta, & censuras, & incarcerare inobedientes, ut patet ex 4. *p. nostrarum Constitutionum cap.* 3. *n.* 3. imò ad ipsos spectat ex communi consuetudine Religionis formare processus etiam in criminibus gravissimis (quorum judicium ad definitorium generale pertinet) usque ad sententiam definitivam exclusivè: quæri potest, an his in casibus provincialis se possit ingerere? Respondeo justa interveniente causa posse, si aliàs non detur lex Religionis in contrarium, non tamen sine justa causa, & si sine causa se intromittat advocatio est nulla, & contra justitiam, ut 102 *supra* probavimus *disp* 1. *num.* 143. *&* 146. per quod patet ad principale quæsitum responsum vide Bord. *Tom.* 2. *res.* 66. *n.* 36.

Dico VII. Provincialis non potest sine causa procuratorem, sive sæcularem, sive regularem 103 creatum à Priore cum suo Conventu, etiam per instrumentum publicum, sine ejus licentia revocare, si aliàs in ejus creatione non intervenit contemptus Provincialis, nec ipse prohibuit, nec datur lex postulans licentiam, vel confirmationem Provincialis in creatione Procuratoris Conventus; Ita Bord. *Tomo* 2. *res.* 66. *n.* 24. Ratio est, quia constituere procuratorem pertinet ad officium Prioris cum suo Conventu, unusquisque namque potest sibi procuratorem eligere *arg. legis* 1. *ff. de procurat.* etiam Religiosis pro suo Conventu, sed Prælatus superior sine causa non potest se ingerere in jurisdictione inferioris, ut *sup.* diximus; ergò procuratorem ab eo factum non potest revocare.

Dico VIII. Provincialis potest delegare ali- 104 quam causam civilem extra Religionem alicui personæ Ecclesiasticæ sæculari, vel regulari, si aliàs non prohibeatur à Regula, vel Constitutionibus sui Ordinis; Ita Bord. *Tom.* 2. *res.* 58. *n.* 61. Ratio est, quia jure communi jurisdictio ordinaria delegabilis est etiam personæ non subditæ, ex *Cap.* sæpè 28. 29. 98. *Cap. in Archiepiscopatu* 4. *raptor.* ergò nihil prohibet, quod possit delegari.

An autem eodem modo possit etiam causam 105 criminalem delegare extra Religionem? Respondeo juri communi hoc non repugnare; non debere tamen Provincialem hoc facere sine licentia Generalis cum possit cedere in injuriam Religionis. Unde hoc solum Generali meo videri videtur reservatum; Ita Bord. *ubi supra.*

Adverte tamen hæc debere intelligi, si pars non 106 resistat; 107 nam si resistat delegatio evanescit, quia pars contraria habet rationabilem causam nolendi judicari ab extraneo: nisi aliàs ex tali delegatione resultet speciale bonum commune totius Religionis.

Dico IX. Provincialis ex quacumque causa le- 108 gitima, concernente tamen materiam confessionum, vel quid simile, potest suspendere Confessarios, qui de ejus licentia legitimè obtinuêre facultatem audiendi confessiones sæcularium ab Episcopo; Ita Bord. *Tom.* 2. *res.* 58. *n.* 5. Rodr. Henriq. Graffius Mirand. quos refert, & sequitur Peyr. *de subdito q.* 1. *c.* 21. §. *dicto* 3. Ratio est, quia hi Confessores per approbationem Episcopi non fuêre exempti à subjectione, & correctione suorum Superiorum: ergò si delinquant in materia concernente confessiones, optimè poterunt à suo Provinciali privari.

Debet

Debet tamen Provincialis in hoc procedere ju-
109 dicialiter, ita quod sibi ex testibus constet de cor-
pore delicti, ad effectum suspendendi Confessari-
um: non enim aliquis privandus est jure suo sine
110 culpa: ergò de ea debet constare Superiori, licet Delbene *Tomo 2. cap. 14. dub. 18. sect. 6 n. 7.* existimet, posse etiam eum privare jurisdictione, ob causam etiam non notoriam.

111 Et hinc à fortiori fit, posse Provincialem justa interveniente causa prohibere sub mortali, ne subditus Fidelium confessiones excipiat; Ita Vidal *titulo* de pœnitentiæ Sacramento *inquis. 7. n. 82.* Excipe tempus jubilæi, vel si per Cruciatam talis Religiosus eligatur in Confessarium: nam si habeat alia in Bulla requisita, licitè potest confessiones audire, non enim Provincialis arctare potest, gratiam summi Pontificis; Vidal. *tit.* de pœnitentia *inquis. 6. nu. 86.* Unde talis Religiosus nec potest à Prælato, ut reus præcepti puniri. Vidal. *ubi sup. n. 71.* ubi enim culpa abest, abesse etiam debet pœna, ut patet ex *Cap.* sine culpa *de regulis juris in 6.* & Cap. *cognoscentes de Const.*

112 An autem Provincialis pro suo libito, & sine causa possit jubere suis subditis, ne audiant confessiones suorum Religiosorum, vel Monialium? Respondeo, quod vel tales Religiosi sunt approbati absolutè, sine temporis limitatione, ab antecessore ipsius Provincialis, vel ab ipsomet Provinciali: si absolutè fuêre approbati pro confessionibus Fratrum, & Monialium ab ejus antecessore, certum est posse Provincialem tales licentias validè, licitéque cum causa, vel sine illa revocare, si pro majori suæ conscientiæ quiete id facere voluerit; Ita tenent plures DD. quos refert & sequitur Joannes Sanctius in *selectis disp. 48. n. 26. & sequentib.* Diana 4 *part. tract. 4. res. 204.* Episcopus Barbastrensis *in pastorali regularium parte 2. q. 20 n. 19.* agentes de potestate Episcopi, quo ad revocandas licentias à suis Confessariis secundùm quam doctrinam idem debemus dicere de Prælato regulari respectu suorum confessorum: ut benè advertit Bordonus *Tom. 1. res. 4 n. 13.*

Si verò loquamur de approbatione absoluta facta ab ipsomet Provinciali majus est dubium; Affirmant Joannes Sanctius *in selectis disp. 48. n. 23.* Hurtado *de pœnit. disp. 10 dif. 19.* Bord. *Tom. 2. res. 36. numer. 1.* & alii apud ipsos: ratio ipsorum est, quia approbatio ex natura sua non est immutabilis, cùm habeat fundamentum variabile, videlicet scientiam & bonos mores qui mutari possunt; ergò etiam idem Prælatus, sive sit Episcopus, sive Provincialis, poterit auferre approbationem ab eo, cui eam jam semel concesserat.

Verùm licet hæc sententia probabilior videatur, existimo tamen, quod si approbatio fuit absoluta, sine limitatione, non posse eundem Provincialem, qui eam concessit, illam iterum revocare, sine justa causa, ad confessiones pertinente; Ita cum Vasquio, Turriano Portel *in dub. regul.* verbo *Confessoris præsentatio n. 1.* Diana, Bossius. Lugo, Torreblanba, & alii, quos refert, & sequitur Episcopus Barbastrensis in *Pastorali Regularium p. 2. qu. 20. nu. 42.* Ratio est: tum, quia per approbationem fuit approbato jus acquisitum, & talis approbatio habet vim sententiæ, quæ revocari non debet sine justa causa: Tum, quia quod semel placuit non potest displicere sine causa *de reg. in 6.* Tum etiam, quia officia data à principe, etiam ad suum beneplacitum, non possunt removeri sine causa ab eodem principe, ut ex multis legibus, & Doctoribus latè probat Frag. *Tom. 1. p. 1. l. 3. c. 5. n. 42.* ergò à fortiori idem dicendum erit de Confessario semel approbato, ut sine causa revocari non possit, *&c.* 113

DICO X. Provincialis potest cognoscere in suis subditis de crimine sodomiæ, nisi hoc crimen Generali, vel Definitorio generali sit reservatum, & hoc etiam in hoc Lusitaniæ regno; Ita Portel, Sousa, Acunna, quos refert, & sequitur Thomas Hurtado *Tr. 1. c. 9 res. 43. n. 54.* contra Ludovicum Valle, & Barbosam: & ratio est, quia jurisdictio in hoc regno concessa Inquisitoribus, ut possint cognoscere de crimine nefando non est illis concessa privativè ad alios judices Ecclesiasticos, sed tantùm cumulativè, ergò antecedens patet: quia tantum est cumulativè ad judices sæculares, ut omnes admittunt; ergò etiam quo ad judices Ecclesiasticos: non enim apparet major ratio: videatur Hurtad. & Portel, *ubi sup.* Dixi, *nisi hoc crimen Generali, vel De-*
finitorio generali sit reservatum; nam in quibusdam 114
Religionibus punire hoc crimen, pertinet ad Definitorium generale.

Adverte tamen, nec Provincialem, nec alium
Prælatum superiorem posse procedere contra suos 115
subditos suspectos de hæresi, nec in casibus ad sanctam Inquisitionem pertinentibus, ut patet ex Constitutione PAULI V. edita 1. Septembris 1606.
in qua revocat omnia privilegia, quo ad hoc con- 116
cessa Prælatis regularibus, imò præcipit cum magnis pœnis, ut Prælati & subditi statim deferant Religiosos suspectos de hæresi ad Inquisitionem; Ita Lezan. *Tom 1 c. 18. n. 18.* Peyr. quem refert, & sequitur Pelliz. *Tr. 8. c. 6. n. 14.*

Imò addo, nec posse ipsum Provincialem,
117 nec alium Prælatum Superiorem gravare Religiosos subditos recurrentes ad tribunal sanctæ inquisitionis pro quocumque negotio, vel pro quocumque excessu, per ipsos commisso, intra quinquennium à die recursus, nisi dependenter à Congregatione generali sancti officii, ut patet ex decreto Pii V. quod refert Diana 4. *p. inter decreta, & Constitutiones Pontificum*, per hoc tamen non tollitur, quod Prælati regulares possint ipsos Religiosos ob alia delicta punire, ut benè advertit Pellizz. *Tract.* 9. *c.* 6. *n.* 23.

SECTIO V.

De potestate dispensativa, quam Provincialis habet respectu Religiosorum suæ Provinciæ.

118 *Quo jure potestas dispensandi tam in votis, quàm in irregularitatibus, quàm in aliis competat Provincialibus?*

119 *Ad quæ se extendat hujusmodi potestas?*

120 *Hæc potestas in Provincialibus amplior est quam in Episcopis, quo ad multa.*

121 *Quantum extendatur quoad irregularitates?*

122 *Quantum quo ad vota?*

123 *Quantum quo ad dispensationem in petitione debiti conjugalis?*

124 *Quantum quo ad dispensationem in præceptis Ecclesiæ, Regulæ & Constitutionum?*

125 *Ad hoc ut Provincialis validè, & licitè dispenset in legibus Superiorum requiritur legitima causa.*

126 *Ut dispenset validè in propria lege non requiritur causa, benè tamen, ut dispenset licitè.*

127 *In casu, quo Provincialis dispenset sine causa in aliqua Lege habente annexam excommunicationē ipso facto, ejus successor non potest cognoscere de causa, & justitia hujus dispensationis.*

128 *Benè tamen Generalis, si nec subditus, nec Provincialis nequeant excusari ob defectus evidentiam.*

129 *Provincialis potest non solùm per tertium, sed etiam per seipsum immediatè secum dispensare in omnibus casibus, in quibus potest cum suis subditis dispensare.*

130 *Potest uti hac potestate extra Sacramentum pœnitentiæ.*

131 *Provincialis potest dispensare in omnibus præceptis prælatorum inferiorum.*

132 *Provincialis potest minuere pœnam taxatam jure Ordinis pro delicto, de quo ipse potest cognoscere*

133 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

134 *Provincialis si conferat illegitimo aliquam prælaturam, vel officium censetur saltem in foro conscientiæ, cum isto dispensare.*

135 *Talis dispensatio prodest etiam pro foro externo, si probetur adfuisse requisita pro tali foro.*

136 *In tali dispensatione, ut sit licita & valida semper debet dari causa rationabilis.*

DICO I. Potestas dispensandi cum suis subditis, 118
tam in votis, quàm irregularitatibus, atque aliis, competit Provincialibus non solùm jure communi, ut patet ex *c. cum ad mon.* sed etiam ex multis privilegiis, quæ latè congerit Bord. *Tom.* 1. *res.* 10. *num.* 4.

Quantum autem quæres hujusmodi potestas 119
extendatur? Respondeo ex Motu proprio Pii V. quem refert cum aliis communiter Candid. *To.* 2. *disquisit.* 24. *art.* 59. *dub.* 1. extendi ad omnia, ad quæ se extendit potestas Episcopi respectu suorum subditorum, etiam virtute Concilii Trid.

Ex aliis autem privilegiis ampliorem quam E- 120
piscopi habent Provinciales potestatem ad dispensandum cum suis subditis, siquidem possunt cum eis dispensare in omnibus irregularitatibus, etiam publicis, dummodò delictum non sit notorium, & 121
etiam quando crimen est notorium, semel in anno 1. die lunæ quadragesimæ, ut diximus *in* 2. *Tr. de* 122
priv. disp. 1. *sec.* 2. §. 1. *per tot. specialiter n.* 80. *&* 92. ubi etiam §. 2. diximus in quibus votis possunt cum 123
suis subditis dispensare, & §. 3. quomodo possint deputare Confessores ad dispensandum cum conjugibus incestuosis post contractum matrimonium ad debiti petitionem, & §. 4. quomodo possint 124
dispensare cum suis subditis in præceptis Ecclesiæ Regulæ, & Constitutionum.

Adverte tamen quod Provincialis ad utendum 125
potestate dispensativa in Superiorum legibus, requiri legitimam causam, quæ causa non requiritur, ut dispensatio in propria lege sit valida: benè tamen, ut sit licita, ut tradunt communiter DD. 126
apud Pellizz. *tract.* 9. *cap.* 3. *n.* 96.

In casu tamen, quo Provincialis dispenset cum subdito super aliqua Regula habente annexam excommunicationem ipso facto, sine justa causa, 127
ejus successor in Provincialatu non potest in foro externo cognoscere de injustitia hujus dispensationis,

tionis, neque damnare quidquid illius authoritate effectum est; Suar. *Tomo* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 193. Poterit tamen Generalis in hoc casu punire, tum Provincialem, tum subditum, qui
128 tali dispensatione invalida usus fuit, si injustitia, & defectus dispensationis sit adeò evidens, ut nec subditus, nec Provincialis nequeant excusari; Ita Suar. & Pellizz. *ubi supra.*

129 Dico II. Provincialis, & idem est de Generali, imò etiam de Priore locali possunt non solùm per tertium à seipsis electum, sed etiam seipsos immediatè secum dispensare in omnibus, in quibus possunt dispensare cum suis subditis, nisi hoc illis speciali jure Religionis suæ sit vetitum; Ita Armilla, Molina, Sà, Sanch. Azor, quos refert, & sequitur Bor. *To.* 1. *res.* 19. *n.* 131. Ratio est, quia hic est actus jurisdictionis gratiosæ, qui jure naturæ non repugnat exerceri in seipsum, cùm idem secundùm diversas rationes possit esse agens, & pati-
130 ens, & cum sit actus delegabilis nihil obstat quominus Prælatus possit hanc facultatem alteri committere, ut secum dispenset. Adverte etiam hac facultate posse etiam Prælatos uti extra Sacramentum pœnitentiæ; Ita Portel *in dub, reg.* verbo *dispensare n.* 10. Unde rejiciendum est id quod cum Suario dicit Pelliz. *Tr.* 9. *c.* 3. *n.* 107.

131 Dico III. Provincialis potest dispensare in omnibus præceptis Prælati regularis sibi inferioris, nisi lege speciali Religionis sit prohibitus; Ita cum Suario, Pelliz. *Tract.* 9. *c.* 3. *n.* 162. Ratio est, quia quilibet Superior potest dispensare in lege sui inferioris, sed Provincialis est superior ad omnes Priores locales; ergò potest in eorum præceptis, & legibus dispensare.

132 Dico IV. Provincialis potest minuere pœnam taxatam jure Ordinis pro delicto, de quo ipse potest cognoscere; omnis enim judex, qui potest de causa cognoscere, potest ex causa pœnam minuere, & commutare, ut cum communi sententia notat Sanctorus in *examine pœnalium distributionum cap.* 2. *de pœnis in genere quæst.* 5. *pag. mihi* 79.
133 versu *unum adnotaverim:* & in nostra Congregatione potest infra dimidium pœnam minuere, si reus humiliter incepit talem pœnam subire, ut habetur in *nostris Constitut* 4. *p. c.* 7. *n.* 2. sed de his *infra* redibit sermo.

Dico V. Quando Provincialis, (idem dicen-
134 dum est de Generali) qui habet potestatem dispensandi cum subdito illegitimo; quem scit esse talem, confert illi aliquam Prælaturam, vel officium censetur saltem in foro conscientiæ, cum illo dispensare: talis enim officii vel Prælaturæ collatio est virtualis dispensatio. Navar. Rodrig. quos refert, & sequitur Lezana *Tomo* 1. *capite* 18. *n.* 63. imò talis dispensatio prodest etiam pro foro externo, dum tamen pro eo foro probari possit adfuisse requisita pro tali dispensatione; Ita cum Sigismundo Salas, Majolo, Suario, & Sanch. Lezana *ibidem* semper tamen requiritur justa & rationabilis causa, quia hoc est commune omnibus dispensationibus.

SECTIO VI.

De potestate absolutiva Provincialis respectu suorum subditorum.

137 *Provincialis independenter à Priore, imò illo renuente, potest suos subditos, tam Fratres, quàm Moniales, & novitios non solùm ab omnibus casibus, à quibus potest Episcopus, etiam ex Trid. sed etiam ab aliis gravioribus absolvere.*

138 *Non potest absolvere ejectos in perpetuum, nisi eo modo quo alios sæculares.*

139 *In nostra Religione nullum datur peccatum Generali reservatum?*

140 *Provincialis potest aliquos casus ex assignatis à* Clemente VIII. *vel omnes sibi reservare.*

141 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

142 *In Religionibus, in quibus Provinciales possunt sibi casus reservare, hanc potestatem immediatè recipiunt à Generali.*

143 *Provincialis potest sibi eligere Confessarium sacerdotem sive sæcularem sive regularem, qui non sit approbatus ab Ordinario.*

144 *Provinciali competit approbare confessores ad confessiones Religiosorum, & illos præsentare ad confessiones sæcularium.*

145 *In Congreg. nostra approbatus in una provincia potest in omnibus provinciis audire confessiones Religiosorum.*

146 *Quid dicendum sit de jure aliorum Ordinum?*

Dico I. Provinciales, independenter à voluntate Prælati Conventualis, imò ipso renuen- 137
te, ut advertit Suarez *Tomo* 4 *de Religione, tract.* 8. *lib.* 2. *cap* 15. *n.* 3. possunt absolvere suos subditos, tam Fratres, quam moniales, atque etiam novitios 138
(non tamen Religiosos ejectos in perpetuum, nisi ut alios sæculares) non solùm ab omnibus casibus, à qui-

à quibus possunt Episcopi suos absolvere, etiam vigore Concilii Tridentini, sed etiam ab aliis gravioribus ex multis privilegiis, quæ latè retulimus in secundo Tractatu *privilegiorum disp.* 1. *sect.* 1. *per totam.* ubi hæc videnda sunt, ne eadem repetamus.

139 Adverte tamen in hoc standum esse religionum statutis; in nostra tamen Religione nulla quo ad hoc datur restrictio. Unde Provinciales possunt absolvere ab omnibus casibus, à quibus Generalis potest absolvere, non enim invenio aliquem casum, neque ex privilegiis, neque jure communi Generali Ordinis reservatum.

140 Dico II. Sicut Generalis potest reservare propria authoritate aliquos casus ex assignatis à Clemente VIII. vel omnes pro tota Religione, sic Provincialis pro sua provincia, nisi in aliqua Religione detur statutum in contrarium; Ita Bordonus *Tomo* 1. *resol.* 37. *n.* 30. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 19. Pelliz. *Tract.* 6. *cap.* 1. *num.* 17. Ratio est, quia Provincialis habet authoritatem quasi Episcopalem, & approbat Religiosos in confessarios, ergò potest illis restringere jurisdictionem, ac per consequens casus reservare. Sed hæc pro Provincialibus aliarum Religionum dicta esse volo; nam

141 Provinciales apud nos non possunt sibi reservare casus, nec etiam Capitulum provinciale, sed hoc totum spectat ad Generalem simul cum suo Definitorio: ut patet ex 1. *parte nostrarum Constitut. c.* 4. *n.* 3. Unde ego hucusque nunquam inter nos vidi, nec audivi aliquando fuisse aliquem casum reservatum. Utinam Religio semper tali in statu perseveret, ut illa deinceps, sicut hucusque non indigeat.

142 Dico III. In illis Religionibus, in quibus Provinciales possunt casus sibi reservare, recipiunt hanc potestatem immediatè à Generali, jure tamen ordinario; Ita Bord. *Tomo* 1. *resol.* 37. *n.* 36. Ratio est, quia hæc potestas a Papa communicatur Generali; ergò à Generali communicatur Provinciali, sicut enim potestas Generalis limitabilis est per Pontificis facultatem, ita & jurisdictio Provincialis à Generali.

143 Dico IV. Provinciales possunt eligere in Confessarium sacerdotem sæcularem, vel regularem, non subditum, qui non sit approbatus ab Ordinario, juxta *Cap.* finale *de pœnitentia & remission.* Ita communiter DD. quos latè refert, & sequitur Pasqual. *Tomo* 2. *decis.* 97. *n.* 2. contra Angelum, Sorbum & alios. Ratio verò est, quia privilegium *Cap. fin. de pœnit.* est pro omnibus Prælatis exemptis, etiam minoribus Generali, ut patet ex verbis textus, *Permittimus Episcopis, vel aliis superioribus, nec non minoribus prælatis exemptis*; sed provinciales verè sunt Prælati habentes jurisdictionem non solùm in foro interno sed etiam externo; ergò.

Nec obstat illa clausula *Prælatis exemptis*, per quam videtur hunc textum non posse adaptari Provincialibus, cùm sint subjecti suo Generali; nam illa particula est respectu exemptionis Episcopi, non tamen Superiorum regularium, ut patet ex sequentibus verbis ejusdem capitis *Permittimus Episcopis, & aliis Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter sui Superioris licentiam* &c. ecce ergò quomodo textus supponit tales Prælatos habere superiores, loquitur ergò solùm de exemptione à potestate Episcopi.

Dico V. Provincialibus ferè in omnibus Religionibus Mendicantibus competit approbare suos subditos in confessarios Religiosorum, & illos Episcopis præsentare, ad hoc ut approbentur in Confessarios sæcularium; Ita cum aliis Bor. *Tomo* 1. *res.* 4. *n.* 15. Ratio est, quia licet non repugnet hanc facultatem Prioribus localibus competere, communi tamen consuetudine introductum est, ut hoc munus solum Generalibus pro toto Ordine & Provincialibus pro sua Provincia competat &c. Ita statutum est quoad nostram Congregationem 2. *p. Cap.* 6. *n* 2. *nostrarum Constit.* ubi etiam *nu.* 3. statuitur, quod *habita copia administrandi sacramentum in una Provincia in omnibus aliis provinciis poterit quis Religiosorum confessiones audire, non tamen Monialium, nisi à proprio earum Provinciali peculiarem ad hoc obtineat facultatem.* 144 145

Adverte tamen in aliis Religionibus non ita fieri, sed approbatus à Provinciali solùm potest audire confessiones Religiosorum illius Provinciæ, non verò alterius: ut benè advertit Bordon. *Tomo* 1. *resolutione* 4. *n.* 17. sed in hoc standum est Ordinis uniuscujusque statutis. 146

SECTIO VII.

De obligationibus Provincialis.

147 *Quibus virtutibus Provincialis debeat esse ornatus?*

148 *Debet in suo Capitulo & visitationibus principaliter attendere reformationi.*

149 *Reformatio debet ab ipso Provinciali, & aliis prælatis, ut crescat incipere.*

150 *Debet procurare, ut vita communis observetur.*

151 *Provin-*

151 *Provinciales non curantes, ut vita communis observetur si possunt, peccant mortaliter.*

152 *Provinciales qui recipiunt ad habitum plures Religiosos, quam redditibus Conventuum, vel consuetis eleemosynis possint sustentari peccant mortaliter.*

153 *Provincialis debet observare justitiam distributivam, dando unicuique juxta meritorum mensuram.*

154 *Provinciales non attendentes ad merita, sed ad dignitatem personarum, vel proprium commodum sunt acceptores personarum.*

155 *Quid dicendum sit si distributio facienda sit Provincialis arbitrio?*

156 *Acceptio personarum ex genere suo est mortalis.*

157 *Aliquando ex parvitate materiæ est venialis.*

158 *Provinciales negantes honores, & dignitates Religiosis idoneis, quibus habitis facilè ab Electoribus in Definitores, vel Consultores eligerentur, peccant mortaliter.*

159 *Si inhabilitent aliquos per subtractionem studiorum, Ordinum, &c. ne habiles fiant ad prælaturas, ut hoc modo in possessione prælaturæ se conservent, peccant mortaliter.*

160 *Non recipientes novitios ex certa Civitate vel Provincia, ne cum plures sint, eos privent prælaturis, peccant mortaliter.*

161 *Provinciales dividentes officia Religionis, ut doctoratus, lectoratus, &c. non attendendo personarum merita, sed dignitatem, peccant mortaliter.*

162 *Idem dicendum est, si in distributione dignitatum non discutiant singulorum merita, sed tantum contenti sunt, quod electi immunes sint à pravis moribus.*

163 *Provincialis eligens cum Definitoribus inferiores prælatos ferè omnes ex suis, si in alia factione sint viri, in meritis æquales, peccant mortaliter.*

164 *Quid si electi à sua factione sint aliis alterius factionis digniores?*

165 *Provincialis, qui ex industria disposuit Communitatem alicujus Conventus, ut eligant discretum ex sua factione, peccat mortaliter.*

166 *Provincialis assistens electionibus monialium, tenetur sub mortali abstinere ab iis, ex quibus oriri possunt discordiæ.*

167 *Provincialis, qui vidit suam Provinciam divisam in duas factiones, tenetur sub mortali tales factiones abscindere, etiam proprium officium relinquendo, si opus sit.*

168 *Provincialis visitans jure ordinario Conventus, potest ab illis accipere, quæ laudabili consuetudine, illi dari solitum est.*

169 *Provinciales mittentes ad Ordines non subditos, incurrunt suspensionem ab officio & beneficio reservatam Ordinario.*

170 *Provinciales dantes dimissorias Novitiis ad minores Ordines non incurrunt talem suspensionem.*

171 *Abbates regulares conferentes Ordines minores suis subditis novitiis, vel etiam dimissorias ad tales Ordines, vel si eos conferant Clericis sæcularibus, de licentia proprii Episcopi, non incurrunt talem suspensionem.*

172 *Provinciales non tenentur facere Fidei professionem.*

173 *Provinciales tenentur in Conventibus instituere lectores sacræ Scripturæ, & studia linguæ Hebrææ, Græcæ, Latinæ, &c. ubi usu receptum est.*

174 *Provincialis non potest pecuniam, quæ ad onera sui officii ei præbetur, in alios usus expendere.*

175 *Tenetur accepta & expensa in libro fideliter adnotare.*

176 *Cum in aliquo Conventu moratur, tenetur tradere pecuniam pro sumptibus illius, & sociorum.*

177 *Quid dicendum sit de communi consuetudine?*

178 *Tenetur Provincialis visitare monasteria sibi subjecta.*

179 *Quomodo se debeat habere in visitationibus?*

180 *Non debet esse facilis in credendo aliorum crimina deponentibus.*

181 *Debet in principio visitationis admonere, ne delicta occulta deponantur.*

182 *Quid debeat facere Provincialis, si inveniat aliquem subditum indiciatum de aliquo delicto, & indigeat aliquo remedio præservativo?*

183 *Provincialis, si propter infirmitatem non potest visitare provinciam, nec sit spes sanitatem recuperandi, tenetur officium relinquere.*

184 *Si non sponte renuntiaverit potest officio privari.*

185 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

186 *Provincialis non potest recusari ab aliquo Conventu, ne faciat visitationem generalem.*

187 *Provincialis non potest impediri, quin assistat electioni alicujus abbatissæ, si ipse concedat monialibus,*

nialibus, ut duo testes pro parte monialium eis assistant, in receptione suffragiorum.
188 *Vt Provincialis in hoc casu impediatur, ne electioni assistat, debet dari causa gravissima.*
189 *Quid si adhuc ex legitima causa recusetur?*

147 DIco I. Cum Provincialis suæ provinciæ sit caput, & cum subditis frequentius, ac prælatus Generalis conversetur, eisdem, imo etiam majoribus, si possibile foret, virtutibus debet esse ornatus; siquidem Generalis rarius agit cum subditis, intentus majoribus, & universalioribus negotiis peragendis; Provincialis verò semper cum subditis versatur, intentus non minoribus, licèt non tam universalibus negotiis, illos scilicet reprehendendo, ac sæpius instruendo, & quotannis visitando, ut rectè notavit Cassainus in *prælato regulari cap.3.§ 2.* unde illis virtutibus Provincialis debet pollere, ut cæteris Religiosis, tam subditis, quam prælatis, possit esse virtutis exemplar.

Unde Sanctus Franciscus in Epistola *ad provinciales sui Ordinis*, has virtutes eis commendat: *Primo*, quod non sint personarum acceptores; *Secundo*, quod non præcipiant facilè per sanctam obedientiam; nam imponere præcepta sub lethali culpa fieri debet cum magna consideratione, & gravi occasione. *Tertio*, quod sint in mandatis moderati, in peccatores misericordes, in condonando faciles, propitii in offensis, hostes vitiis, medici vitiosis, in victu abstinentes, in vestitu pauperes, in verbis manifesti, Deo & officio suo fidelissimi; tales denique esse vult, ut eorum vita cæteris possit esse speculum disciplinæ: hæc D. Franciscus, quæ referuntur in actis quarti Capituli generalis Minorum, prout refert Cassainus *suprà cit.*

148 Dico II. In primis tenetur Provincialis totis viribus attendere reformationi suæ provinciæ; primum in suo Capitulo Provinciali: nam cum reformatio sit negotium valde arduum debet tractari in Capitulo, ut firmioribus legibus stabiliatur. Deinde in suis visitationibus debet quod à Capitulo fuerit in hac materia ordinatum, facere observari, inobedientes reprimendo, discolos castigando; ut rectè cum Rodriguez notavit Pelliz. *Tract.1.cap.5.num.4.* Medium autem efficacius ad hujusmodi reformationem inducendam est, quod reformatio ab ipsomet Provinciali, ac aliis Prælatis incipiat; nam, ut ait Sapiens Eccles.10. *secundum judicem populi, sic & ministri ejus; & qualis est rector civitatis, tales & habitantes in ea:* Regis
149
enim ad exemplum totus componitur orbis: &, ut ait Seneca: *homines amplius oculis, quam auribus credunt, & longum iter est per præcepta, breve & efficax per exempla.*

Præterea Prælatus minus reformatus non audebit in suis subditis reformationem procurare, nam possunt merito illud ei respondere: *Medice cura te ipsum*; ut ergo reformationem in aliis inducat prius se ipsum & cæteros Prælatos debet reformare.

De modo inducendi reformationem inter Regulares, & aliis ad hoc argumentum pertinentibus, scripsit integrum volumen noster pientissimus Lezana, quod sæpius recusum fuit separatim, & tandem in Lugdunensi editione omnium operum ejus Regularium anno 1655. additum *Tom. primo qq. Regul.* in fine.

Est etiam remedium maximè opportunum ad 150
hujusmodi reformationem inducendam, procurare, ut vita sit omnibus communis, & æqualis tam in cellulis, & lectulis, quam in victu, & vestitu, & cæteris utensilibus. Inde enim maxime exurgunt relaxationes in Religionibus, unde cum reformatio maximè consistat in vita communi perfectè tenenda, juxta Trid. *sessione 25. de Regularibus cap.22.* peccant mortaliter Provinciales, si cum possint 151
non cogunt subditos ad vitam communem restituendam ac ducendam: qua de re Naldus *verbo* Religio *num.5.* Lezana *verbo* reformatio *num.3. Tom.4.*

Hinc fit peccare mortaliter Provinciales, qui recipiunt ad habitum plures Religiosos, quam reddi- 152
tibus, vel consuetis eleemosynis Conventus commodè sustentari possint. Ita Bassæus *verbo* Prælatus *n.13.* Giragus *de regimine Prælatorum 3.p. dubio 46.n.273.* Tum, quia faciunt contra præceptum Trid. *sessione 25.cap.3.* & hoc in re gravi, & valde necessaria ad conservandum status religiosi bonum progressum. Tum, quia cum eleemosynæ, vel redditus monasterii non sufficiant ad tot Religiosos sustentandos, necessarium est aliquibus concedere peculium, & vitam communem non servare, vel plura stipendia pro qualibet missa recipere, ut prædictis Religiosis possit subveniri, quod Sacra Congregatio non sine gravi animi dolore intelligens, volens huic malo subvenire, à quo, tanquam à radice, mala ferè omnia, quæ regularem disciplinam evertunt, pullulant, sub pœna privationis omnium officiorum, quæ tum temporis obtinebunt, vocisque activæ, & passivæ, & inhabilitatis perpetuæ ad omnia

omnia suæ Religionis officia, & gradus, ipso jure prohibuit omnibus Prælatis regularibus, ne amplius numerum Religiosorum pro quolibet Conventu augeant, quam redditibus, & consuetis eleemosynis Conventus sustentari possit; ut patet ex ejus decreto, relato apud Peyrinum *de privilegiis ad Const* 10. URBANI *VIII.* §.7.

153 DICO III. Provincialis semper præ oculis debet habere justitiam, non solum generalem, prout in se continet omnes virtutes, sed strictè sumptam; ut comprehendit distributivam, & commutativam, dando unicuique quod suum est, hoc est, distribuendo præmia, honores & dignitates, aliaque bona communia ad æqualitatem, attenta meritorum, & non personarum ratione. Lugo *de justitia Tomo* 1. *disp.* 1. *sect.* 3. subdit namque juxta proportionem meritorum habent jus ad omnia bona Religionis. Lessius *lib.*2.*c.*22.*dub.*3.*n.*15. Sanch. *opusculo* 1. *cap.* 1. *lib.*2. *dubio* 1. *n.*2. Aragon. 2.2.*q* 63. *art.*2. Giragus
154 1. *part. dub.*3. *n.*20. Unde Provinciales non attendentes ad rationem meritorum, sed ad qualitatem personarum, amicitiam, cognationem, patriam, proprium commodum, & utilitatem sunt acceptores personarum. Lugo *de justitia Tom.*2. *disput.*34. *sect.*1. *num.*3.

155 Et idem dicendum est, si ea, quæ suo arbitrio commissa sunt non distribuant ad æqualitatem, ut si uni remittant, alteri negent, si uni dispensent, alteri negent in pari causa, &c. Sotus *de justitia lib.* 3. *q* 7. *p.*4. *Concl.*34. non enim Prælati sunt domini, sed dispensatores honorum omnium tam spiritualium, quam temporalium, ut ea in commodum & utilitatem subditorum distribuant; debet ergo talis distributio regulari à justitia distributiva, secundum subditorum merita, alias dabitur acceptio personarum.

156 Est autem hæc acceptio personarum ex genere suo peccatum mortale, quia fit cum proximi injuria; ex parvitate tamen materiæ aliquando fit veniale, ut v.g. in loco accumbendi in mensa, quando merita non respiciuntur. Lessius *ubi suprà n* 4. Salom 2.2.*q.*6.*art.*1. & nostri Philippus a SS. Trinitate *Tom.*3. *Curs. Theolog. Tract.*2. *de jure & justit. disp.*6. Franciscus Bonæ Spei *Tom.*5. *Theolog. Suæ Tr.* 1. *de jure & justit. disp.* 20. *de justit. distributiva* & Stephanus à S. Paulo in Theolog. Morali. *Tract.*4. *disp.* 11. *dub.* 1. qui etiam ibidem citat nost. Urbanum.

157 An autem Prælatus, qui graviter peccat in acceptione personarum, teneatur ad restitutionem? Respondeo negativè, quia non offendit justitiam commutativam, sed distributivam. Ita Bonacina, Molina, & alii, quos refert, & sequitur Barbosa *de jure Ecclesiastico lib.*1.*c.*29.

DICO IV. Provinciales, & idem de Generalibus dicendum est, negantes honores, ac dignitates Religiosis, idoneitate præditis, quibus habitis, facile ab Electoribus in Definitores, seu Consultores, ac Provinciales promoverentur, peccant mortaliter. Ratio est aperta; nam privatur provincia summa utilitate, quæ ex multitudine subjectorum ad prædicta officia idoneorum resultat; ut enim ait Gregorius in *C. singula, Ecclesiastici* 80. sicut varietas membrorum per diversa officia, & robur corporis servat, & pulchritudinem repræsentat, ita varietas personarum per officia distributa, & pulchritudinem, & venustatem Sanctæ Ecclesiæ repræsentat. 158 159

Idem dicendum est, si inhabilitet aliquos per subtractionem studiorum, & aliarum commoditatum ad studendum requisitarum, ne habiles fiant ad Prælaturas, ut hoc modo in possessione Prælaturæ se conservent. Et idem dicendum est, si nolint naturales alicujus loci recipere ad habitum, ne cum in numerum creverint eos privare prælaturis attentent. Ita Peyrinis *de subdito q.* 1. *cap.* 31. §. 5. *in fine.* 160

DICO V. Provinciales dividentes bona Provinciæ, ut sunt Lectoratus, Doctoratus, Novitiorum Magisterium, & pulpitum in locis insignibus, non respiciendo merita, & idoneitatem personarum, sed dignitatem, ita ut Superiores præferantur aliis dignioribus in scientia, & idoneitate, sunt acceptores personarum, ac per consequens peccant mortaliter. Ita communiter DD. nam bona benè gubernatæ Religionis debent dividi inter Superiores, & subditos, juxta moderatæ justitiæ distributivæ mensuram, sed hîc non observatur justitia distributiva, cum dignior in scientia non præferatur: ergo. 161

Immò addo, quod si talia munera distribuant 162
sine meritorum discussione, contenti, quod electi sint immunes à pravis moribus, etiamsi hoc faciant sine ullo animo factionum, nec acceptionis personarum peccant mortaliter; ita & benè Giragus *p.*3. *dub.*63 *n.*332. Ratio est, quia cum non respiciant singulorum merita, & idoneitatem, sed tantum confusè eligant, contenti, quod electi sint immunes à pravis moribus, exponunt se proximo periculo præferendi dignos dignioribus, & indignos dignis; sed qui se exponit periculo proximo peccandi peccat mortaliter: ergo.

163 Dico VI. Provincialis eligens cum suis Definitoribus inferiores Prælatos ferè omnes ex suis, eisque præbens majorem partem officiorum præstantiorum, cum merita utriusque factionis sint æqualia, eo quod non sit magnus excessus, sed dubius, peccat mortaliter; ita Giragus 1. *parte dubio* 1. *n*. 7. Ratio est; quia non servat justitiam distributivam, nec commutativam; non primum, nam cum hæc munera sint communia, & ad illa omnes Religiosi ex vi contractus professionis jus habeant secundum meritorum proportionem, tenetur Prælatus distribuere inimico, sicut amico, alias vitio acceptionis personarum damnandus est; siquidem multorum merita negligit, & postponit, cum non parva eorum injuria, ita cum D. Thom. Navarr. & aliis Giragus *ibidem n* 8. Non secundum, quia non consuluit bono communi, quod unitate propagatur: Tum, quia ex tali injustitia multæ oriuntur seditiones, inimicitiæ ac contentiones: Tum, quia non bonum commune, cui ex officio tenetur incumbere, sed proprium commodum quærunt: ergo.

164 Imò addo, quod licèt de facto hujusmodi Electi è sua factione, sint aliis alterius factionis digniores, adhuc illos eligentes peccant mortaliter; ita & benè Giragus *ubi suprà num*. 9. Et ratio est; quia vel illos eligunt ut factionarios, vel ut digniores: si primum non est dubium peccare mortaliter, quia fiunt acceptores personarum, attendentes non ad merita, sed ad proprium commodum, ut tradunt communiter DD. si secundum, etiam peccant mortaliter: nam licèt primario illos eligant, ut digniores, secundario illos etiam eligunt, quia sunt ex sua factione, qui finis licèt sit secundarius est mortiferus, quia obstat fini regiminis, qui est pax, ut dicunt communiter DD. ac proinde finis ille secundarius destruit totam bonitatem, quæ invenitur in fine primario Electorum.

Tum, quia cum Electores sint affecti suæ factioni, semper personæ illius videntur eis digniores, cum aliàs ex alia factione sint etiam homines digniores, vel æquè digni. Tum, quia cum Electi sint factionarii, & ut tales eligantur, eo ipso sunt indigni ad talia munera, siquidem sunt tyranni sedniosi, ut inquit Cajetan. *in summa* litt. *seditio*. Giragus *prima parte*, *dubio* 16. *num*. 93. ergo illos eligentes non eligunt digniores, sed indignos.

165 Hinc fit peccare mortaliter Provinciales, tam factionarios, quam non factionarios, qui artificiis subornant aliquas Conventuum Familias, ut eligantur discreti, qui suffragia sibi, & amicis pro Prælaturis, aliisque dignitatibus in Capitulo conferant; Ita Giragus *prima parte dubio* 5. *num*. 39. Ratio verò est; quia finis Prælaturis est promovere subdito, ad perfectionem, quam Ordo intendit, sed in his dispositionibus, sive fiant animo fovendi factiones, sive non, negligitur, imò funditùs enervatur perfectio, quia nutriuntur factiones, ex quibus sequitur enervatio disciplinæ regularis, ut ait Peyrinis *Tomo* 142. *cap*. 3. §. 3. ergo.

Imò addo, Provincialem assistentem ex officio electionibus Monialium, si non abstineat ab iis, 166
ex quibus oriri possunt discordiæ circa electiones, vel ipsas jam exortas nutriri, incurrere ipso facto excommunicationem, in *Cap. indemnitatibus de electione in* 6. Ita Bonacina *de censuris in particulari dist*. 2. *quæst*. 2. *parte* 5. *num*. 4. Pelliz. *Tract*. 9. *cap*. 7. *num*. 6.

Dico VII. Provincialis, qui videt suam Pro- 167
vinciam divisam in duas factiones, tenetur sub mortali peccato, tales factiones abscindere, & pacem, & unionem introducere, etiam cum proprio incommodo, imò contemnendo propriam Provincialis dignitatem, & illam relinquendo, si hoc ad communem unionem fortè sit necessarium; ita cum Rodriguez, Giragus *prima parte*, *dubio* 15. *n*. 90. Ratio est; quia Prælati tenentur pro Religionis observantia, etiam vitam in discrimen constituere, ergo ut abscindantur factiones, invidiæ, seditiones, & murmurationes à Provincia, quæ ex proprio commodo oboriuntur, quando alia via non tolluntur, obligabitur in Religionis bonum dignitatem & officium relinquere: secus, si alia via factiones abscindat, pacem, & unionem introducat: Corduba in *regulam sancti Francisci capite* 10. *quæstione* 7. *parte* 2. Giragus *ubi suprà num* 89.

Dico VIII. Provinciales; sive alii Prælati, jure 168
ordinario visitantes Conventus, non possunt in visitationibus accipere à Conventibus pecuniam, vel alia munera, nisi illa, quæ ex laudabili consuetudine illis dari fuerint consueta, & aliter facientes incurrunt privationem officii, & beneficii in *Cap*. Exigit *de censibus in* 6. nisi intra mensem restituant duplum quod acceperunt. Dixi *nisi illa, quæ ex laudabili consuetudine illis dari fuerint consueta*; nam hæc, sive sint victualia, sive pecunia, sive munera, etiam pretiosa, optimè recipere possunt, juxta cujuscumq; Religionis consuetudinem: quia

quia ita limitatum est, in *Cap.* Romana, *eodem titulo*, & tenet cum Bonacina, Paludano, Sairo, & aliis Pellizzarius *Tract.* 7. *cap.* 3. *num.* 60.

Adverte etiam, hujusmodi privationem solùm comprehendere Visitatores, qui jure ordinario visitant, non tamen, qui visitant ex delegatione; Ita Pelliz. *ibidem.*

169 DICO NONÒ: Provinciales, vel alii Prælati regulares, dantes dimissorias ad Ordines non subditis, incurrunt suspensionem per annum ab officio, & beneficio, hancque reservatam ad arbitrium proprii Ordinarii: ut patet ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 10.

170 Adverte tamen, prædictos Prælatos dantes dimissorias Novitiis ad suscipiendos minores Ordines, non incurrere prædictam suspensionem; nam Novitii in favorabilibus veniunt nomine Religiosi, & sunt subditi illius Prælati; Ita contra Bonacinam Pellizzarius *Tract.* 7. *cap.* 3. *num.* 58. & nos latè diximus *in Tractatu secundo de Privilegiis, disp.* 3. *num.* 13. cum Suarez, Diana, Navarro, & aliis.

171 Et idem dicendum est, si Abbates regulares conferant Ordines minores suis Novitiis, vel illis tribuant dimissorias, ut ab illis Prælatis regularibus intra sua Monasteria ordinentur, vel etiam tales Ordines conferant Clericis sæcularibus, de licentia proprii Episcopi; Ita cum aliis Pelliz. *ubi suprà cit. loc.*

172 DICO DECIMÒ: Provinciales non tenentur facere fidei professionem, cùm ad munus Provincialis eliguntur; Ita Pellizzarius *Tract.* 5. *cap.* 10. *num.* 10. Tum, quia Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. non loquitur de Regularibus: tum, quia Motus Pii IV. extendens hoc decretum ad Regulares non loquitur de Prælatis mediatis, quales sunt Provinciales, & Generales, sed solùm de immediatis: Tum, quia Motus Pii IV. in nulla Religione fuit receptus: ut notat Peyrinis *de Prælato, quæst.* 2. *cap.* 6. *num.* 14.

173 DICO UNDECIMÒ: Provincialis non potest pecuniam, quæ illi datur ad expensas, in alios usus, quàm ratione sui officii necessarios expendere;

174 imò tenetur accepta, & expensa in libro distincto fideliter adnotare, & cùm in aliquo Conventu immoratur, tenetur eam quantitatem pecuniæ

175 tradere, quæ fuerit necessaria pro victu illius, & illorum, qui eum comitantur; Ita statuit URBANUS VIII. in Bulla, quam refert Lezana *Tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 73.

Adverte tamen, hujusmodi decretum, quantum ad id, quod statuit, ut Generalis, cùm in aliquo Conventu immoratur, tribuat pecuniam ex redditibus ei assignatis pro expensis, nullibi esse in usu. 176

DICO DUODECIMÒ: Provincialis tenetur in Conventibus suæ Provinciæ, constituere Lectores, ut sacram Scripturam legant, si commodè fieri possit, ut patet ex decreto Tridentini *sess.* 5. *cap.* 5. imò sacra Congregatio omnibus Prælatis, etiam Generalibus præcipit sub pœna privationis officiorum, & suspensionis reservatæ, ut in qualibet Provincia, in celebrioribus Academiis, instituant gymnasium linguæ Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, Arabicæ, Chaldaicæ, Illyricæ, ut patet ex decreto sacræ Congregationis, quod refert Pellizzarius *Tract.* 7. *cap.* 6. *num.* 69. sed hujusmodi decretum nocuit, nec est usu receptum: ut constat, & tenet Pelliz. *ibidem.* 177

DICO DECIMO-TERTIÒ: Provincialis tenetur visitare monasteria sibi subjecta, tum jure divino naturali: juxta illud *Proverbiorum* 27. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* Tum ex Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 20. Ita cum Molina, Lezana *Tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 68. & aliis communiter Doctores. *Visitantes autem monasteria, præ oculis debent habere se pastores esse, & non percussores, atque ita præesse subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios, & fratres diligant, elaborentque, ut ipsos hortando, & admonendo ab illicitis deterreant, delinquentes verò arguant, increpent in omni bonitate, & patientia, cùm sæpè plùs erga corrigendos agat benevolentia, quàm austeritas, plùs charitas quàm potestas: si autem ob delicti gravitatem quandoque etiam virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibenda est;* ut illis commendat Concilium Trident. *sess.* 13. *cap.* 1. 178

Illud tamen maximè advertere oportet, ut in visitationibus non statim primæ informationi plenam fidem tribuant, etsi sit personæ insignis, cùm sæpè diabolus se transformet in Angelum lucis, & malus affectus aliquando personas magnæ notæ decipit adeò enormiter, ut etiam falsa in Fratre ob solum privatum odium advertterent. Ut etiam omnis error à Fratribus sincerioribus auferatur, tenetur sub mortali ipse Provincialis, in principio suæ visitationis, omnes in communi admonere, se non inquirere in delicta occulta Reli- 179

giosorum, quando adeo sunt occulta, ut committens ea, nulla infamia laboret, & quòd tunc nequeant delinquentem propalare Prælato
180 tanquam Judici; Ita cum Navarr. Portel. Suarez, & aliis Giragus *part.* 3. *dub.* 17. *num.* 22. sed de his iterùm redibit sermo, agendo de Visitatoribus.

181 An autem Provincialis, si in visitatione inveniat subditum indiciatum de aliquo delicto, possit monere Priorem, ut vigilanter se gerat circa clausuram domus, & Religiosorum egressiones? Respondeo negativè: hoc enim est totam Communitatem gravare ob crimen unius. Unde Provincialis, si necessarium hoc sit ad remedium subditi, tenetur monere Priorem de tali Religioso sibi indiciato, ut cum ipso majori utatur cautela; non enim videtur illicitum aperire crimen occultum Fratris alicui personæ taciturnæ ad consulendum bono ipsius; Ita cum Navarro, Bannes, Rebello, & aliis Giragus 3. *part. dub.* 6. *num.* 70. contra utrumque Rodericum.

182 DICO XIV. Si Provincialis propter infirmitatem non possit suam Provinciam visitare, nec sit spes sanitatem recuperandi, tenetur officio renuntiare, & si noluerit, potest etiam invitus of-
183 ficio privari; non enim solùm subditos verbo, sed etiam exemplo ad observantiam trahere tenetur, quod tamen infirmus efficere non potest; Ita Portel. in 1. *Tomo casuum, part.* 2. *casu* 28. quod est conforme nostris Constitutionibus 3. *part. cap.* 2. *num.* 8. ubi statuitur, ut *ille, qui ratione alicujus ægritudinis, non potest assiduè choro interesse, vel à carnibus abstinere, eo ipso maneat inhabilis ad of-*
184 *ficium Provincialis, Prioris, Rectoris, aut Superioris, & jam electi ob prædictas causas ab officio removeantur.*

185 SED QUÆRES, an Provincialis possit recusari ab aliquo Conventu, ne faciat in illo suam visitationem ordinariam? Respondeo, Fratres, aut Moniales cujuscunque Conventus non posse recusare Provincialem, quantumcunque suspectus sit, ne visitet ex officio suum Conventum visitatione generali, & ordinaria; Ita Portel. *Tom.* 1. *casuum,* 1. *parte, casu* 21. *num.* 3. ubi hoc probat, tum ex decreto PAULI V. tum optima ratione; nam Generalis in visitatione non inquirit, aut inquirere potest de culpis alicujus in particulari, sed solùm agit de bono communi, ergo cùm nulli particulari noceat, non potest ab aliquo impediri.

An autem impediri possit, ne assistat electioni 186
alicujus Abbatissæ, vel Officialis alicujus Conventus Monialium, ante, vel post generalem visitationem? Respondeo, quòd si Generalis concedat ipsis Monialibus, ut eligant sibi duos testes arbitros, qui assistant cum ipso Provinciali in electione tanquam scrutatores, & defensores ipsarum partium recusantium, nullo modo posse impediri à tali munere; nam per hoc tollitur omne inconveniens ex parte Monialium, ergo non est cur Provincialis à suo munere deturbetur. Præterea Provincialis in multis Ordinibus habet votum in electione Abbatissarum, & aliarum Officialium Conventus: ut de Ordine Minorum probat Portel. in *Tomo casuum, casu* 30. *part.* 1. *num.* 2. ergo ut suo suffragio privetur, debet dari causa 187
gravissima, & juridicè probata, quæ tamen causa dari non potest, concessis illis duobus testibus arbitris: nam per illorum assistentiam tollitur omnis suspicio, quæ de Provinciali haberi poterat; Portel. *prædicto Tomo casuum, casu* 21 *part.* 1.
In casu tamen, quòd adhuc talis Provincialis re- 188
cusetur, tunc potest suam jurisdictionem alteri delegare, ut visitet, & assistat electioni, talis tamen delegatus debet fieri de consensu partis; Ita cum aliis Portel. *ibid. num.* 10. contra Panormitanum, & alios.

De Provincialis munere, obligationibusque, modoque, quo eisdem sanctè ac perfectè satisfaciendum sit, integrum edidit Volumen Ven. P. Alphonsus à JESU MARIA; quod omnibus Provincialibus Congregationis nostræ Hispanicæ destinavit, cui per duo sexennia, ut Præpositus Generalis, sanctissimè, incredibilique cum fructu præfuit. Vide etiam suprà in fin. præcedent. Disput. citatum *Tractatu de Regimine Monastico.* N. Joan. à JESU-MARIA, *Parte tertia,* quæ tota est de Provincialis Regimine: & ejusdem *Artem gubernandi,* quæ extat *Tom.* 3. *Operum ejus,* editionis Coloniens. an. 1650. factæ.

* * *

DISP. III.

DISPUTATIO III.

De Visitatoribus regularibus.

SECTIO I.

Quid sit Visitator generalis, & quoties teneatur visitare?

1 *Quis dicatur Visitator regularis?*
2 *Quibus principaliter hoc officium competat?*
3 *Generales, & Provinciales tenentur jure naturali Religionem & Provinciam visitare.*
4 *Possunt hoc officium aliis Religiosis ejusdem Ordinis committere, non verò extraneis.*
5 *Generales, vel Provinciales, qui sine justa causa hanc visitationem aliis committunt, peccant mortaliter.*
6 *Quando teneantur Generales & Provinciales suas Provincias, vel Religionem visitare?*
7 *Quando ex jure nostro teneatur Generalis Religionem visitare?*
8 *Ad quid hæc visitatio ordinetur?*
9 *Unde debeat incipere Visitator suam visitationem, & quomodo deinde illam prosequi?*
10 *Tenetur Visitator monere Prælatos visitandos de suo accessu ad visitationem.*
11 *Visitator debet facere scribere per Secretarium ea, quæ Religiosi advertunt in visitatione.*
12 *Quæ fides tribuatur huic Scripturæ, & quid, si visitatio non fuerit judicialis, sed paterna?*
13 *Quid circa hoc practicetur in nostra Religione?*
14 *Visitator non potest à Religiosis alicujus monasterii recusari tanquam suspectus, ne faciat visitationem generalem, benè tamen si specialiter procedat contra aliquem, sive Prælatum, sive subditum.*
15 *Si in litteris Commissionis contineatur, quòd nullæ exceptiones admittantur, seu* remota omni appellatione, *adhuc justa causa existente recusari potest.*
16 *Visitator sine justa causa non potest monasterium jam visitatum iterùm visitare ultra tempus à jure, sive à consuetudine statutum.*
17 *Provincialis potest iterùm visitare Conventum jam visitatum à Generali, vel ab ejus Visitatore, à tempore, quo Generalis discessit, & post ejus discessum, & de illis, quæ non fuerunt nota Generali, vel de delictis à Generali non punitis.*
18 *Tempore actualis visitationis totum regimen externum Conventus, vel Provinciæ pertinet ad Visitatorem.*
19 *Prælati tempore visitationis non sunt privati suis officiis, sed jurisdictione quoad forum contentiosum.*
20 *Possunt exercere erga suos subditos jurisdictionem voluntariam.*

DICO I. Visitator regularis dicitur ille, qui de regimine monasteriorum, & vita personarum regularium indagationem facit; Lezana *Tom.* 4. *qq. Reg. verbo* Visitator, *num.* 1. competit autem præsertim hoc officium Generalibus & Provincialibus, *Cap. penult. de statu Monachorum*; & tenent communiter DD. ipsi namque non solùm jure divino naturali, sed etiam humano, ex *Cap.* Romana, §. 1. *de Censibus in* 6. & ex Trident. *sessione* 25. *cap.* 1. & 8. tenentur visitare monasteria sibi subjecta, sive per se, si impediti non fuerint, sive per alios; nam cùm habeant potestatem ordinariam, eam possunt delegare Religiosis idoneis ejusdem Ordinis, non verò per extraneos, ut patet ex Bulla INNOCENTII VIII. quam refert Lezana *Tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 92. & alii communiter. 1 2 3 4

Hinc fit, Provinciales, vel Generales, qui absque legitimo impedimento committunt aliis hanc visitationem, peccare mortaliter; siquidem in re gravi faciunt contra obligationem, quam habent non solùm jure naturali, sed ex Trident. Peyrinis *in formulario*, littera P. *cap.* 9. *num.* 9. Lezana *verbo* Visitator, *num.* 3. 5

Adverte

Adverte tamen, quòd licèt Provinciales omnium ferè Religionum teneantur quotannis suam Provinciam visitare, secundùm jus propriæ Religionis, hæc tamen obligatio non est ita stricta
6 respectu Generalium, nam aliqui sunt Generales, qui licèt aliquando possint suam Religionem visitare, non tamen tenentur, ut de sua Religione fatetur Pelliz. *Tract. 9. cap. 4. num. 5.*

7 Et idem est de nostra Congregatione, in qua Generalis, jure nostro, non tenetur unquam visitare Provincias, licèt aliquando hoc faciat: tum ob amplitudinem Religionis, quæ per diversas Provincias extenditur, quod foret ferè impossibile: tum ob magnas expensas, quæ propterea deberent fieri, quæ sunt aliena à religiosa paupertate. Unde solent aliquando Generales suos mittere Visitatores, ut hoc negotium commodiùs peragatur; ita Rodriguez, quem refert, & sequitur Pellizzarius *ubi suprà.*

Excipe tamen Generales, qui unicam tantùm habent Provinciam; nam in his Congregationibus, cùm Generalis habeatur loco Provincialis, tenetur juxta præscriptum suarum Constitutionum suam Provinciam visitare, eo modo, quo faceret Provincialis, si extaret.

8 DICO II. Hujusmodi visitatio ordinatur non solùm ad vitia, & defectus subditorum inquirendos, & corrigendos, sed etiam ad eorum virtutes cognoscendas, ut Prælatus noscat vultum pecoris sui, & ut observantia legum conservetur, & ut mali corrigantur, boni verò præmientur, & inde Religionis profectus accrescat. Unde Visitator incipere debet suam visitationem à templo, & san-
9 ctissimo Eucharistiæ Sacramento: deinde descendere ad inquisitionem vitæ, & observantiæ Religiosorum; postmodum inquirere de redditibus, & eleemosynis monasteriorum, an debitè consumantur, vel indebitè distrahantur, juxta uniuscujusque Religionis statuta; ita nostri Thomas à JESU, in Opere de Visitatione Regularium *Tract. 1. cap. 2. num. 4.* & Ferdinandus à S. MARIA in Institutionibus Carm. Discalc. *Instructione de Visitat. sect. 2.*

10 Unde, ut hæc meliùs peragantur, oportet, quòd Visitator moneat Prælatos Conventuum de suo accessu ad visitationem, nisi occurrat justa causa aliter faciendi: & postquam accessit, non statim debet incipere visitationem, sed priùs per duos vel tres dies debet quiescere, ut videat mores Religiosorum, & interim præcipere, ut orationes fiant pro felici successu visitationis, quibus peractis, convocatis Religiosis in Capitulo, vel alio loco publico, juxta modum cujuscumque Religionis, post exhortatorium sermonem, debet suam visitationem Religiosis intimare, eis præcipiendo sub præcepto formali obedientiæ, vel etiam sub excommunicatione, ut sibi de omnibus, de quibus tempore visitationis interrogati fuerint, veritatem manifestent; nec non ea, quæ judicaverint facere ad majorem Dei gloriam, & monasterii reformationem, Religionis augmentum, & tranquillitatem, quæ omnia Peyrinis *loco cit. num. 6.* & jam citati Thomas & Ferdinandus ubi suprà docent, & tradunt.

DICO III. Visitator debet ea, quæ Religiosi advertunt in visitatione, facere scribere per suum 11
Secretarium, cui scripturæ tanta fides præstatur, ac si manu Notarii publici facta fuisset, non solùm intra, sed etiam extra Religionem; Peyrinis *in formulario*, littera P. *Cap. 9. num. 3.*

Hoc tamen debet intelligi, quando visitatio est 12
judicialis, secùs, si tantùm ordinetur ad paternam correctionem; nam tunc solus Visitator debet excipere, quæ à Religiosis deponuntur, illa tamen scribendo manu propria, ut de veritate constet, ut 13
apud nos fit; nunquam enim Visitatores utuntur Secretario, nisi quando crimen grave est, & proceditur ad punitionem, vel agitur de depositione alicujus Prælati, ut patet ex Bulla Gregorii XIV. prout statuitur in *nost. Constitut. 3. part. cap. 10. num. 8.*

Si tamen quæras, an Visitator possit à Religiosis 14
alicujus Conventus recusari tanquam suspectus? Respondeo, non posse recusari quoad visitationem generalem monasterii, ut patet ex decreto PAULI V. quod refert Barbosa *de remissionibus ad Trident. sess. 24. cap. 1. de reformatione*; non enim hac visitatione potest aliquem in particulari lædere, ut optimè notavit Portel. *Tomo 1. casuum, casu 21. num. 3.*

Poterit tamen recusari, sive à Prælato, sive à Religiosis, si contra aliquem, vel aliquos specialiter procedat, si adsit justa causa, sive visitatio sit generalis, sive specialis; ita Portel. *ibidem.* Sanch. *lib. 6 Moralium, cap. 8. num. 11.* cum aliis: & patet ex *Cap.* Cum speciali *de appellat.* & quia ratio dictat, quòd inimici judices esse non possunt.

Imò addo, quòd si in litteris Commissionis 15
contineatur, quòd *nullæ exceptiones admittantur,* seu, *remota omni appellatione, vel recusatione,* adhuc

huc esse locum recusationi, vel appellationi, justa causa existente, tales enim clausulæ, quæ in litteris Commissionis continentur, intelliguntur de appellatione, & exceptione frivola, cui non est deferendum, vel in Notoriis, in quibus non admittitur appellatio, vel de accusatione frustratoria, vel quæ est evidenter malitiosa: ita cum aliis Peyrinis *de subdito, quæst. 1. cap. 19. in fine,* & ratio horum est, quia appellatio, & recusatio sunt defensiones, quæ cùm sint juris naturalis, non possunt nec etiam à Papa tolli, ut dicitur in *Clementina* Pastoralis *in fine, de sententia & re judicata.*

16 DICO IV. Visitator sine justa causa non potest iterùm visitare monasterium, intra tempus à jure speciali vel consuetudine statutum; ita Peyrinis *de subdito, quæst. 1. cap. 1851.*

An autem Provincialis possit Conventum à Generali, vel à Visitatore constituto per Generalem, jam visitatum iterum visitare? negat Menochius, Rota, Farinacius, Barbosa, quos refert Peyrinis
17 *Tom. 3. Privilegiorum, cap. 4. num. 9.* Existimo tamen, posse Provincialem iterùm visitare talem domum post discessum Generalis, vel ejus Visitatoris, non tamen tempore, quo ille visitat, nec valet iterùm de rebus ab ipso visitatis cognoscere, sed de aliis post visitationem contingentibus, vel de illis, quæ non fuêre notæ Generali, vel de delictis non punitis à Generali, ob defectum probationum; ita Peyrinis *ubi suprà,* & patet ex *Cap.* Per hoc, *de hæreticis in 6.* & in lege *Judice de officio Præfecti,* & colligitur ex Trident. *sess. 24. cap. 3. de Reformatione.*

18 DICO V. Tempore actualis visitationis totum regimen externum contentiosum Provinciæ, vel Conventuum, qui visitantur, pertinet ad Visitatorem, & non ad Prælatos Provinciæ, vel Conventus; ita Portel. quem refert, & sequitur Lezana *Tom. 2. cap 13. num. 28.* & nos *suprà* diximus
19 *disp. 1. sect. 5. num. 123.* non tamen propterea Prælati, qui visitantur, sunt pro eo tempore suspensi à suis officiis, suspensione, quæ sit censura, sed tantùm impediti, ne illa exerceant; Portel. *in dubiis regularibus, verbo* Provincialis, *in additionibus ad*
20 *additamentum, num. 2.* imò etiam tempore visitationis, possunt prædicti Prælati exercere voluntariam jurisdictionem erga suos subditos, dummodò id non perturbet, aut impediat jurisdictionem Visitatoris, & tandem ea omnia possunt efficere, quæ sunt prohibita Visitatori per Statuta Ordinis, vel ad quæ se non extendit Commissio Visitatoris, si ille sit Visitator delegatus propter eandem rationem; Lezana *Tom. 4. qq. Reg. verbo* Visitator, *num. 4.*

SECTIO II.

An tempore visitationis possint Regulares deferre Prælato visitanti peccatum occultum Fratris, ut ipse eum paternè corrigat, omissa correctione fraterna?

21 *Datur præceptum naturale, & positivum correctionis fraternæ.*

22 *Hoc præceptum omnes obligat, specialiter Prælatos.*

23 *Prælati non debent esse nimis zelosi.*

24 *Subditi non tenentur suorum Fratrum peccata inquirere.*

25 *Quæ debeant concurrere, ut hoc præceptum correctionis obliget?*

26 *In gravi necessitate non tenetur quis proximum corripere, cum gravi damno vitæ, vel honoris.*

27 *Nemo cum periculo propriæ vitæ, etiam in extrema necessitate, tenetur proximum corripere.*

28 *Prælati, & illi, quibus ex officio incumbit cura aliorum, tenentur etiam cum periculo vitæ corripere subditos.*

29 *Omne peccatum mortale est materia hujus præcepti.*

30 *Peccatum veniale generans scandalum, vel constituens committentem in proximo periculo labendi in mortale, est materia hujus præcepti, non tamen alia venialia.*

31 *Prælati tenentur sub mortali peccata, etiam venialia, suorum subditorum corrigere, si religiosam pacem turbent, vel pravas consuetudines inducant.*

32 *Secùs, si sint defectus leves, particulares, non redundantes in damnum Communitatis.*

33 *Non solùm peccatum pendens in futurum est materia hujus præcepti, sed etiam peccatum commissum, nondum retractatum, si timeatur in eo quis per multum tempus perseveraturus.*

34 *Contraria opinio probabilior est.*

35 *Peccatum pendens in futurum, de quo proximus corripiendus est, debet esse moraliter certum, & non sufficit, quòd sit probabile, nisi sit contra bonum commune, & detur opportuna occasio corripiendi.*

36 *Prælati tenentur corrigere subditos de peccato futuro, non solùm certo, sed etiam probabili.*

37 *Si peccatum ex ignorantia invincibili committatur, non urget præceptum correctionis, nisi ex ignorantia oriatur damnum fidei, tertii, Ecclesiæ, vel Religionis.*

38 *Si peccatum ex ignorantia vincibili committatur, urget præceptum correctionis, præsertim Confessores, Prælatos, & Prædicatores.*

39 *Non solùm debet peccatum esse moraliter certum, ut obliget hoc præceptum, sed etiam debet dari spes emendationis.*

40 *Sufficit spes probabilis.*

41 *In dubio, an correctio sit profutura, si certum sit non obfuturam, adhibenda est.*

42 *Si sit dubium, utrum correptus fiet deterior, omittenda est correctio.*

43 *Idem dicendum est, si timeatur, quòd peccator fiet deterior, etiamsi postea speretur emendatio, nisi peccator sit in extremo salutis periculo.*

44 *Hoc præceptum est affirmativum.*

45 *Non obligat statim, sed tempore, quo correctio profutura est.*

46 *Si adhibita correctione, emendatio non sequatur, non statim peccatum judici denunciandum est, sed pluries repeti correctio debet.*

47 *Si nec sic peccator emendatur, priùs Prælato, ut patri, deferendum est peccatum, quàm ut judici.*

48 *Non solùm subditi, sed etiam Prælati corripiendi sunt.*

49 *A quibus, & quomodo Prælatis facienda sit correctio?*

50 *Hoc præceptum rudiores aliquando non obligat, ob eorum simplicitatem.*

51 *Ordo institutus à Christo debet servari in correctione.*

52 *Excipe, nisi peccatum sit publicum.*

53 *Vel, nisi sit contra bonum commune, & periculum sit in mora.*

54 *Quid, si esset firma spes per correctionem esse emendandum, & utrique bono subveniendum?*

55 *Quid, si in aliqua Religione detur statutum, ut peccatum Fratris, quantumvis secretum, omissa correctione fraterna, Prælato denuncietur.*

56 *Quando crimen non est contra bonum commune, nec in damnum tertii, sed tantùm in damnum committentis, nec datur statutum omittendi correctionem, & aliàs per solam correctionem fraternam sufficienter emendari potest, non potest subditus peccatum Fratris deferre Prælato ut patri, ut ipse subditum corripiat, etsi inde uberior emendatio speretur*

57 *Quid dicendum sit in hoc casu de jure nostro?*

58 *In casu quo subditus non potest proximum per correctionem, etiam adhibitis testibus, emendare, tunc potest, imò tenetur peccatum Prælato, ut patri revelare.*

59 *Prælatus in hoc casu non potest contra Fratrem sic denunciatum procedere, nec eum pœnis à jure statutis punire.*

60 *Non potest eum juridicè interrogare, sed tantùm monere, & minis terrere.*

61 *Si subditus neget delictum, in hoc casu poterit eum coram duobus testibus severè reprehendere, nisi aliàs delinquens suam cognoscens culpam, petat veniam.*

62 *Vel, nisi delictum sit omninò occultum.*

63 *Quid, si subditus de delicto non possit convinci.*

64 *Si Prælatus, cui crimen subditi ut patri est revelatum, potest illum se solo emendare, non potest absque mortali illud alicui ex suis Consultoribus revelare, benè tamen, si aliter eum non potest emendare.*

65 *Si Prælatus, cui crimen subditi, ut patri est revelatum, potest eum se solo à recidivo retrahere, non potest illud Provinciali vel Generali revelare, benè tamen, si aliter non potest ei succurrere, nisi illud eis per scriptum revelando.*

66 *Quid, si periculum sit, quòd litteræ in itinere aperiantur?*

67 *Si Prælatus, cui crimen subditi, ut patri est revelatum, non potest ab eo auferre officium commissum, vel ab uno ad alium Conventum mutare, si inde ejus fama periclitetur?*

68 *Quid, si fama nullo modo periclitetur, & hoc necessarium sit ad præcavendum ulterius peccatum?*

69 *In casu quo Prælatus mutet talem Religiosum de uno ad alium Conventum, non potest mone-*

te Præ-

re Prælatum talis Conventus de delicto commisso, nisi fortè in ea domo sit probabile periculum, quod in similia relabetur.

70 *Potest Prælatus designare Religioso paternè denunciato socium fidelem, qui ejus actiones observet, & referat Superiori, dummodo non ei manifestet, se habere de illo aliquam suspicionem.*

21 PRo hujus sectionis explicatione suppono, dari
præceptum non solùm naturale, sed etiam
divinum positivum correctionis fraternæ, ut patet
ex illo *Lucæ* 10. *Si peccaverit in te, &c.* quod
præceptum non solùm Christianos, sed etiam in-
fideles obligat, cùm sit præceptum juris naturalis;
specialiter tamen obligat Prælatos, quibus in-
cumbit cura aliorum, qui ratione sui muneris te-
nentur subditorum peccata inquirere ad corripi-
22 endum, licèt in hoc nimis zelosi esse non debeant,
ne odibiles fiant, ut ait D. Bernardus *in Regula, cap.*
23 64. loquens de Abbate: *Non sit turbulentus, &*
24 *anxius, non sit zelotypa, & nimis suspiciosus.* Hinc
fit, alios Religiosos non teneri suorum Con-
fratrum peccata inquirere, cùm cura aliorum ad
eos non spectet, sed quæ viderint, tenentur cor-
ripere, ut cum aliis benè notavit Bassæus *verbo*
Correctio, *num.* 2.
25 SUPPONO II. Quatuor deberi concursus ad
hoc, ut quis præcepto correctionis fraternæ ob-
stringatur: *primum*, quòd peccatum mortale sit,
vel veniale ad mortale inducens, vel generans
grave scandalum: *secundum*, quòd speretur e-
mendatio: *tertium*, opportunitas non solùm per-
sonæ, quæ vel prudentior sit, vel magis obligata,
vel magis profutura, considerata peccantis con-
ditione, amicitia, parentela, &c. sed etiam tem-
poris & loci. *Quartum*, ut commodè fieri possit
absque damno notabili salutis, honoris, & famæ
corrigentis; licèt enim in gravi necessitate proximi
teneatur quis corripere, cum aliquo detrimento
26 boni temporalis, ut cum Tannero, Coninch, &
aliis docet Diana 7. *part. tract.* 3. *resol.* 27. & nostri
Stephanus à S. Paulo in sua Theologia morali
Tract. 3. *disp.* 3. *dub.* 3. *num.* 32. Thomas à JESU
Tract. 1. de Visit. Regul. *Cap.* 6. & 7. Franciscus
Bonæ Spei *Tom.* 5. *suæ Theolog. Tract.* 4. *disp.* 6.
non tamen tenetur in eadem necessitate exponere
vitam, honorem, aut statum suum, propter cor-
reptionem Fratris; imò licèt necessitas proximi
esset extrema, quia moriturus esset in peccato, ad-
huc nemo cum periculo propriæ vitæ tenetur eum 27
corripere; correctio enim non est medium simpli-
citer necessarium ad ejus salutem, cùm aliàs, si
ipse velit, possit à peccato desistere; ita Lorca, Sa,
Sanctius, Victoria, Palaus, Valentia, quos re-
fert Diana *ibid.* quidquid in contrarium aliqui di-
cant.
Excipe Prælatos, & omnes, quibus ex officio 28
cura subditorum incumbit; nam ii tenentur cum
proprio vitæ discrimine adhibere diligentiam,
quam possint, ut vitentur peccata publica, & oc-
culta; unde in gravi necessitate subditi tenentur
etiam cum vitæ periculo eos corripere; ita Bannes,
Soto, Valentia, Turrianus, Palaus, & alii multi,
quos refert, & sequitur Diana *ubi suprà, re-
sol.* 28.
SUPPONO III. Omne, & solum peccatum, 29
quod proximo notabile damnum spirituale infert,
esse materiam hujus præcepti, & si peccatum fue-
rit mortale, nullum est dubium, cùm peccatum
mortale grave damnum inferat committenti; si
verò fuerit peccatum veniale, majus est dubium?
Existimo tamen, quòd si peccatum veniale tale
fuerit, ut generet scandalum, vel constituat com- 30
mittentem in periculo proximo labendi in mor-
tale, sit materia hujus præcepti sub veniali; ita
cum Cajetano, Soto, & aliis Andreas Lanfranchus
Opusculo 9. *de correctione fraterna, cap.* 3. *num.* 13.
propositione 8. Secùs dicendum est de aliis veniali-
bus; nam de his nulla datur obligatio ea corripien-
di, licèt laudabile sit ea corripere; ita cum Soto, &
aliis Lanfrancus *ubi suprà:* licèt Turrianus, Alen-
sis, & alii apud ipsum Lanfranchum contrarium
teneant.
Excipe Prælatos Religionum; nam hi sub mor- 31
tali tenentur defectus, etiam veniales, suorum
subditorum corripere, si religiosam pacem tur-
bent, vel inducant pravas consuetudines contra
leges, etiam sub nulla culpa obligantes; ita cum
Graffio, Sylvestro, Miranda, & aliis Bassæus *loc.
cit. num.* 5. Lanfrancus *ubi suprà, num.* 15. nostri
Thom. à JESU *loc. cit. cap* 6. *num* 11. Francisc.
Bonæ-Spei *loc. cit. num.* 18. & Stephanus à S.
Paulo *ubi suprà, num.* 31. Secùs est, si tales de- 32
fectus sint particulares, & non redundent in Com-
munitatem, nec ex illis salus subditi in peri-
culum vertatur; ita Bonacina, Torres, Suarez,
quos refert, & sequitur Diana *Tomo* 7. *tract.* 3.
resol. 8.
SUPPONO IV. Materiam hujus præcepti non 34

 solùm

ſolùm eſſe peccatum pendens in futurum, & de quo eſt probabile periculum relapſus, ſed etiam in multorum ſententia peccatum commiſſum, nondum retractatum, ſi aliàs prudenter timetur in eo per multum tempus quis perſeveraturus; ita Baſſeus *ubi ſuprà, num.* 4. licèt Bannes, & cum aliis Bonacina, Trullench. Turrianus, Palaus, & alii, quos refert Diana 7. *part. Tract* 13. *reſolut.* 11. exiſtiment ſolùm peccatum pendens in futurum, eſſe materiam hujus præcepti, quæ opinio probabilior eſt; ſi enim peccator non ſtatim tenetur à peccato reſurgere, cur ergo tenebor illum monere, niſi cùm videro illum ſuo tempore à peccato non reſurgere.

35 Adverte tamen, tale peccatum debere eſſe moraliter certum, & non ſufficere probabilem conjecturam de peccato proximi, ſed requiri moraliter certam; ita cùm Ledeſma, Tannero, & aliis noſt. Thom. à JESU *loc. cit.* & Baſſeus *ubi ſuprà, num.* 7.

Excipe, niſi peccatum ſit nocivum Communitati, & detur opportuna facultas proximum admonendi, abſque eo, quòd inde aliqua oriatur ſuſpicio; nam tunc ſecundùm charitatem erit illum monere, ſi fortè tale quid commiſit, vel intendit committere, abſtineat ei indicia talis delicti objiciendo; ita Baſſeus *ibidem.* Lanfrancus *ubi ſuprà, cap.* 4. *num.* 3.

36 Excipe etiam Prælatos; nam hi, ſi dentur probabiles conjecturæ peccati, tenentur ſubditos fraternè corrigere: Prælatis enim incumbit ſuper gregem ſuum vigilare, & illius infirmitates curare, non tantùm quando illas certò nôrunt, ſed etiam, cùm illarum habent indicia; Lanfrancus *ibid.*

37 An autem, ſi peccatum ex ignorantia invincibili committatur, obliget præceptum correctionis fraternæ? Reſpondeo negativè; nam cùm proximus bona fide operetur, correctio in hoc caſu erit illi objicere laqueum, & offendiculum; Baſſeus *ubi ſuprà, num.* 10.

Excipe, niſi ex illius ignorantia oriatur damnum tertii, vel Religionis, fidei, vel Eccleſiæ; ita

38 cum Graffio, Maldero, & aliis Baſſeus *ibid.* Secùs dicendum eſt, ſi ignorantia fuerit vincibilis; nam cùm in hoc caſu ſalus proximi ſit in periculo, tenemur ipſum à peccato avertere, quantum poſſumus, & indiget; & licèt privatæ perſonæ in hoc caſu non facilè de peccato mortali arguendæ ſint, cùm hoc præceptum facilè ab indoctis ignorari poſſit, ſaltem in hoc caſu; Paſtores tamen, Confeſſores, vel Prædicatores, abſque dubio ſub mortali tenentur tenebras hujuſmodi ignorantiæ expellere à ſuis ſubditis, pœnitentibus, vel auditoribus, cùm hoc illis ex officio incumbat; ita cùm aliis Baſſeus *ibid.*

SUPPONO V. Non ſolùm debere peccatum eſſe 39
moraliter certum modo dicto, ſed etiam debere dari ſpem emendationis; nam ſi talis non detur ſpes, non obligat hoc præceptum; ita communiter DD. apud Lanfrancum *ubi ſuprà, num.* 6. ſufficit 40
tamen ſpes probabilis emendationis; ita cum D. Thom. Bannes, Turriano, N. Thom. à JESU *lib. cit. cap.* 6. *num.* 5. & aliis Lanfranc. *num.* 8 In dubio tamen, an correctio ſit profutura, ſi certum ſit non obfuturam, adhibenda eſt; Baſſæus *ubi ſuprà, num.* 7. ſi verò dubitetur, an correptus fiet 41
deterior à correctione, abſtinendum eſt; Baſſeus *num.* 8. Et idem à fortiori dicendum eſt, ſi timea- 42
tur, quòd peccator deterior fiet; ita cum Bannez, Cajetano, & aliis Lanfranc. *Cap.* 4. *num.* 11. quod verum eſt, etiamſi poſtea ſperetur emendatio; Lanfranc. *num.* 14.

Excipe, niſi peccator ſit in extremo ſalutis arti- 43
culo conſtitutus, ut ſi ſit in mortis articulo; ita cum Bannes, Valentia, & aliis Lanfranc. *ibid. n.* 16.

SUPPONO VI. Hoc præceptum cùm ſit affir- 44
mativum, non obligare ad ſtatim proximum corripiendum, ſed eo tempore, quo ſperatur correctionem habituram eſſe effectum; ita cum aliis N. 45
Thom. à JESU *loc. cit. cap.* 6. *num.* 7. Baſſeus *ubi ſuprà, num.* 9. Trullench. & alii, quos refert Diana 7. *part. tract.* 3. *reſol.* 80.

Imò, ſi ſperetur, quòd perſeverante illo per ali- 46
quod tempus in peccato, poſtea correctione adhibita conſtantius reſurget, differenda eſt correctio; Baſſeus *ibid.* at, ſi adhibita opportuno tempore correctione emendatio non ſequatur, non ſtatim crimen judici denunciandum eſt, ſed bis, ter, & toties correctio repetenda, quoties profutura creditur; Trullench. Sanc. Malderus, & alii, quos refert, & ſequitur Diana 7. *part. tract.* 3. *reſol.* 32.

Imò, ſi ſæpiùs correctione repetita, delinquens minimè movetur, non ſtatim eſt denunciandus, 47
ſed ſecundus ordo correctionis tentandus, nimirùm duos vel tres teſtes adhibendo, ex iis, qui cariores illi ſunt, quod ſi nec ſic peccator emendetur, non ſtatim judici peccatum deferendum eſt, ſed Prælato tanquam patri, ut nihil intentatum remaneat, quo proximi famæ conſulatur; id enim ordo charitatis expoſtulat, ut ex omnium ferè Doctorum ſententia docet Baſſeus *ubi ſuprà, num.* 9.

SUPPONO

48 Suppono VII. Correctionem fraternam ad omnes se extendere, unde non solum subditi corrigendi sunt, sed etiam prælati, in illorum tamen correctione certus modus adhibendus est, non enim objurgandi, sed sunt humiliter monendi, & ea reverentia debet quis tunc procedere, ut potius obsecratio videatur quam correctio. Deinde id non à
49 quolibet fieri debet, sed ab iis, qui cujusdam præcipuæ authoritatis fuerint, & ideo putentur aliquid profuturi; ita cum aliis Bassæus *ubi suprà n.* 6. Quæ conditio etiam cum subditis observanda est, semper enim correctio fieri debet per personas, quæ ad obtinendum effectum magis idoneæ fuerint.

50 Hinc fit hoc præceptum non tam frequenter occurrere, præsertim in Religiosis simplicibus maximè si ab illis omittatur correctio ex quadam negligentia, & tepiditate, qua existimant, se tunc non posse Fratrem juvare; quam cum hoc præceptum tot circumstantias requirat, prædicti Fratres simpliciores ex ignorantia ab illo excusantur, & ad summum tantum erit veniale omissio correctionis in hoc casu; ita cum D. Thom. Cajetano, Tannero, Valentia, Basseus *ibid. n.* 7.

51 Suppono VIII. Correctionem fraternam faciendam esse eo modo, quem Christus præscripsit *Matthæi* 18. scilicet, ut Fratrem, *qui in te*, id est, coram te, *peccavit, inter te, & ipsum solum corripias:* & si privata & secreta monitio non profecerit, coram uno teste, vel, si necesse fuerit, coram duobus corripiatur. Deinde si adhuc hoc non sufficiat, prælato denuncietur, quod si nec tunc audierit habeatur tanquam ethnicus, & publicanus; ita communiter DD.

Adverte tamen, hanc doctrinam communem aliquas habere exceptiones.

52 Prima est, nisi peccatum sit publicum, hoc est, majori parti Communitatis notum, nam tunc statim denunciandum est.

53 Secunda, nisi sit contra bonum commune, vel in damnum tertii, & periculum sit in mora, nisi forte esset certa, & firma spes per correctionem posse sufficienter utrique bono subveniri; ita cum D. Thom. & Ricardo Lanfranc. *ubi suprà cap.* 11. *n.* 6.
54 Peyrinis *de subdito quæst.* 1. *cap.* 16. §. 2. *dicto* 3. & nos *infra* magis explicabimus.

55 Tertia exceptio est, nisi in aliqua Religione detur statutum, ut peccatum Fratris quantumvis secretum, omissa correctione fraterna, statim ad prælatum deferatur, ipsis Religiosis juri suo renunciantibus, ut datur in Societate; quod statutum negare esse justum, & licitum magna foret temeritas, cum tale statutum approbatum sit in judicio contradictorio à summo Pontifice, prout testatur Lanfrancus *opusc. de correct. fraterna, cap.* 12. *num.* 2. Unde illud approbant Suar. Layman, Valentia, uterque Sanchez, & alii quos refert, & sequitur Diana 3. *p. tract.* 2. *resol.* 37. quidquid contradicat Lorca, Ledesma, & alii, quos *ibi* refert Diana, sed de his vide Suarium *Tractatu de fide disp.* 8. *sect.* 6. *n.* 12. & 17.

Tota igitur difficultas est, quando crimen nec est contra bonum commune, nec in damnum tertii sed tantum in damnum committentis, nec datur statutum in Religione omittendi correctionem fraternam, & alias per solam correctionem fraternam inter peccantem, & corrigentem, vel saltem aliquibus adhibitis testibus, delictum sufficienter emendari potest, speratur tamen quod si delictum prælato ut patri denuncietur, & ille delinquentem corripiat, uberior effectus emendationis obtineatur, an in hoc casu liceat prætermisso ordine correctionis à Christo instituto, statim peccatum denunciare prælato, ut patri, ut secretè corripiat? Affirmat cum Suario, Palao, & aliis Pellizzarius *Tr.* 9. *c.* 4. *n.* 14. Lanfrancus *ubi suprà cap.* 13. *num.* 6. Bonaventura, Ricardus, Sanchez, Turrianus, & alii quos refert, & sequitur Giragus *parte* 3. *dubio* 8. *num.* 76. & 78. & nost. Franciscus Bonæ Spei *Tom.* 3. *suæ Theolog. disput.* 6. *dub.* 3. *num.* 51. & *seqq.* 56

Limitant tamen hi DD. suam sententiam, dummodo prælatus non sit vir imprudens, violentus, parum discretus, subditis non benè affectus: & dummodo non dubitetur de ejus prudentia, & taciturnitate, ita ut non timeatur quod crimē revelabit, subditum infamabit: & dummodo denuncians certus sit, quod procedet ut pater, & dummodo delictum non sit emendatum, vel subsit probabile periculum relabendi, ut benè notavit Diana 7. *parte tractatu* 3 *resol.* 44. & 49.

Verum contraria sententia nobis tenenda est: Hanc tenent D. Thom. Tannerus, Sotus, Silvester, Bannes, Navar. Valent. Hugo, Hunteris, Victorin. noster Thom. de Jesu, Rodrig. Lorca, Joannes à Cruce, Beccan. Miranda, quos refert, & sequitur Diana 3. *parte tract.* 2. *resol.* 37. Emanuel à Monte Oliveti *part.* 2 *Practica regularis art.* 5. *de correctione fraterna n.* 300. nost. Stephanus à S. Paulo *Tract.* 3. *de charit disp.* 3. *dub.* 3. *n.* 34. ubi etiam alios plures Authores adducit. Chassain in suo *prælato regulari cap.* 7. §. 13. versu *itaque ex iis* Armilla, Paludan. Gabriel, Fagund. quos refert, & sequitur Diana 7. *parte tract.*

te tract. 3. *resol.* 44. quorum Fagund. Lorca & alii contrarium sententiam dicunt improbabilem, sed immerito, ut benè notavit Caspensis *Tom.* 2. *tract.* 27. *disp.* 6. *sect.* 3. *n.* 25. Hanc tamen sententiam pro nostris Religiosis expresè præcipit observari no-
57 stra Constitutio 1. *parte cap.* 6. *n* 2. ubi ita ait: *si quis extra domum aliquid in materia castitatis minus decens commiserit si hoc fuerit totaliter occultum, & illius emendatio speretur, corrigat illum statim socius; sed si justo timore, non fuerit ausus, vel non credat se profuturum, aut aliquod damnum Religioni, aut bono illius nomini inde eventurum merito timeat, aut post factam correctionem, in eandem illum viderit reincidere culpam, prælato ut patri denuntiet, vel si qualitas culpæ hoc postulaverit tanquam judici.* Ubi, ut vides, non ad perfectiorem emendationem præcipit, ut prælato ut patri dicatur, sed quando aliter delictum emendari non potest.

Unde ego colligo, quod licet alii Religiosi, qui simile statutum non habent, contrariam possint sequi opinionem, si velint, non tamen Religiosi nostri, cum ipsi non cedant juri suo, & aliàs lex præcipiat præmitti correctionem fraternam: & merito; non enim licet lædere famam proximi propter majus bonum spirituale, ut cum Diana rectè notavit etiam Giragus *ubi suprà*. Tum, quia alias etiam Christus apertè dixisset denuntia prælato tanquam patri.

Nec ratio Giragi aliquid convincit; nam quod prælatus possit vitare occasiones iterum relabendi per accidens est, cum supponamus Fratrem sola correctione alterius Fratris posse emendari, quod est finis intentus ab hac correctione: Tum, quia aliàs debebat etiam deferri delictum Fratris jam emendatum prælato tanquam patri, ut esset securior à recidivivo, cum etiam in hoc casu posset prælatus facile præcavere occasiones, quod tamen negat cum aliis Girag. *ubi suprà n.* 81. & cum Palao Pellizzarius *loc. cit. n* 16.

58 Adverte tamen, quod in casu quo subditus se solo, vel medio aliquo Religioso gravi, etiam adhibitis aliquibus testibus, non potest Fratrem suum à peccato occulto avertere, tunc potest, imò tenetur illud prælato, ut patri revelare: ita cum aliis Trullench in *decalogum tom.* 1. *lib* 1. *cap* 5. *dubio* 16. *num.* 2. Duvalius, & alii, quos refert, & sequitur
59 Diana 7. *parte tract.* 3. *resol.* 43. Ipse autem prælatus non potest contra Religiosum sic denunciatum juridicè procedere, nec eum punire pœnis à jure
60 statutis, nec eum juridicè interrogare: sed tantum debet monere, & minis terrere, ut cautius vivat, cum enim subditus nulla laboret infamia, non potest prælatus contra eum juridicè procedere: ita cum aliis Peyrinis *de subdito quæst.* 1. *cap.* 8. *dicto* 2.

Poterit tamen prælatus in hoc casu, si subditus neget delictum eum coram duobus Religiosis gravibus severè reprehendere, si id judicaverit expediens ad eum confundendum, & commoven- 61
dum; ita cum Suario, Palao, & aliis Girag. *suprà cit.*

Excipe, nisi delictum sit omnino occultum. 62
Suar. *Tom.* 4. *de Religione lib.* 10. *cap.* 12. *num* 34. vel si aliàs subditus de delicto non potest convinci; nam tunc nec inter se solum eum graviter potest re- 63
prehendere, sed tantum paterne admonere, si aliàs de delicto ei certo non constat, sed ex dicto tantum unius: quia, dum subditus nec convinci potest, objiciendo ei testes, non potest ei inferri gravamen contra ejus bonam existimationem, quilibet enim habet jus conservandi bonum nomen, etiam apud Superiorem. Unde Superior etiam, absque injustitiæ peccato, non potest eum privare suo bono nomine, quod utique facit, si corrigat subditum, etiam inter se tantum, quia ratione correctionis ostendit se sentire illam culpam fuisse commissam à subdito, cum aliàs hoc tantum ex dicto unius ei constet; ita cum Pasqualigo Basseus *verbo* correctio fraterna *n.* 13.

Poterit tamen prælatus, si subditus non convincatur corripere illum conditionaliter: quod si fortè tale quid commisit emendetur, ita Basseus *ibid.*

Excipe secundo, nisi delinquens recognoscens suum delictum petat veniam, & promittat emendationem; nam cum jam sit consecutus effectum correctionis, illa advocatio testium est contra charitatem; ita cum Palao Girag. 3. *parte lib.* 6. *num.* 68.

Hinc fit, quod si prælatus, cui crimen subditi, 64
ut patri fuit revelatum, potest se solo delinquentem à reincidentia præservare, non posse illud absque mortali narrare alicui, vel aliquibus ex suis Consultoribus; ita cum Torres, & Palao Girag. *ibidem.* Secus, si id necessarium fuerit ad remedium adhibendum: ita cum Torres, Palao, & aliis Pellizzar. *Tract.* 9. *cap.* 4. *n* 17.

Secundo sequitur, quod si prælatus potest se solo delinquentem præservare à recidivivo, non posse delictum Provinciali vel Generali, sive præsenti, sive futuro manifestare, tempore visitationis, ob majorem securitatem a reincidentia: si enim

enim hoc fieri posset pateret aditus manifestandi pluribus delictum commissum: ita Girag. *ubi suprà*, & cum Palao Pellizzarius *loc.cit.n.*18.

Secus dicendum est, si se solo non potest subditum à peccato avertere, nam tunc, si ad hoc necessaria fuerit notitia Provincialis vel Generalis, potest eis in secreto peccatum Fratris revelare, & si absentes fuerint, poterit id facere etiam per literas, eos monendo de delicto; nisi aliàs sit periculum,
66 quod literæ in itinere aperiantur, ut accidere potest tempore belli; istas autem literas tenetur statim Superior comburere, ne forte ab alio inveniantur.

Excipe, nisi necesse sit aliquas custodire, nam tunc debent servari in loco, in quo securæ sint, ne ab alio videantur. Pellizz. *ubi suprà n.*19.*&* 20.

67 Tertio infertur, non posse prælatum, cui delictum Fratris, ut Patri est revelatum, ab eo auferre ministerium commissum, vel eum in alium Conventum mittere, si ex hac mutatione illius fama periclitatur, etiamsi hoc dependeat ex sola prælati voluntate; ita Girag. *part.*3 *dub.*6.*n.*66. & cum Soto, & Pasqualigo Basseus *verbo* correctio fraterna *num.*13.

Secus dicendum existimo, si ejus fama nullo modo periclitetur, & hoc necessarium sit ad præcavendum à reincidentia; nam si hoc, necessitate utilitateque caret, nequaquam id facere possunt, quia est medium nimis durum, & rigidum, sed potius debent subditum eo modo tractare, & honorare, sicut prius: ita Girag. *ubi suprà num.*67.

68 Adverte tamen, quod in casu, quo prælatus, cui crimen ut patri est revelatum, talem Religiosum mutat in alium Conventum, vel quia nullum est periculum infamiæ, vel quia hoc necessarium est ad præcavendam reincidentiam, vel ob alium fi-
69 nem, non posse monere prælatum illius novi Conventus, de delicto à tali Fratre commisso, ut ab eo auferat occasiones relabendi, nisi forte in illa etiam domo sit probabile periculum, quod relabetur: ita Pellizzar. *ubi suprà num.*38. & cum Palao Girag. *ubi suprà n.*68. hoc enim esset contra charitatem, cum talis admonitio ad nihil deserviat, nisi ad denigrandam famam Religiosorum.

Nec obstat, quod talis manifestatio videatur maximè opportuna, ne Prior illius Conventus, ignorans talis delicti, exponat delinquentem aliis periculis majora delicta committendi. Respondetur namque, quod cum delinquens sit emendatus, & non sit probabile periculum relabendi, non dari ullam rationem ob quam, ob majorem securitatem ejus crimen occultum propaletur, aliàs omnibus prælatis, imò & aliis Religiosis propalandum esset, ut cautius eum observarent, quod sanè absurdissimum est.

An autem tali Religioso paternè denunciato, 70
possit prælatus designare socium prudentem & fidelem, qui ejus actiones observet, & referat Superiori? Respondeo affirmativè: dummodo non ei manifestet se habere aliquam suspicionem de subdito; nam si absque proximi infamatione potest vigilantia socio commendari, quæ causa subesse potest cohonestans infamationem? ita cum Palao, Pellizz *ubi suprà n* 37 Girag. *parte* 3.*dub.*7.*n* 73. sed de his vide, quæ dicemus in *disput.de prælato locali sect.*4 *de potestate coërcitiva*, ubi plura habes ad hoc intentum.

SECTIO III.

Quæ peccata teneantur Religiosi tempore visitationis, visitatori aut patri denuntiare.

71 *Visitatores cum in visitatione præcipiunt, ut Fratrum delicta eis denuncientur, debent intelligi de denunciatione tanquam patri, nisi aliud explicent.*

72 *Eorum præceptum debet intelligi, ut denuntient præmissa correctione fraterna.*

73 *Visitator tenetur id explicare propter rudiores.*

74 *Religiosi non tenentur visitatori revelare delicta Fratrum, si eis constet visitatorem nullum eis remedium adhibiturum.*

75 *Tenentur revelare, si dubitent quod visitator eis remedium imponet.*

76 *Si probabiliter eis constet delictum fuisse commissum ex fragilitate, ob specialem occasionem peccandi, quæ transit, non tenentur denunciare.*

77 *Idem dicendum est, si delictum sit emendatum.*

78 *Religiosi non tenentur visitatori denunciare peccata aliorum, quæ non viderunt.*

79 *Non tenentur denunciare visitatori, etiam tanquam patri, quæ à viris etiam fide dignis audierunt.*

80 *Quid si visitator, ob gravitatem delicti, vel ob aliam aliquam causam, præciperet dicere de auditu?*

81 *Ut Religiosi teneantur crimina prælato, etiam ut patri*

patri denunciare, non est necesse, quod possunt ea probare, sed sufficit, quod eis de illis certo moraliter constet, adhibitam fuisse correctionem Fraternam, & non fuisse secutam emendationem.

82 *Non tenentur denunciare visitatori, etiam ut patri, quæ aliàs putant probabiliter alios esse denunciaturos.*

83 *Quid si denunciatio fiat tanquam judici?*

84 *Si delictum jam sit denunciatum priori ut patri, non potest iterum denunciari Provinciali, vel si est denunciatum Provinciali non potest iterum Generali denuntiari, nisi constet nullum fuisse adhibitum remedium.*

85 *Idem dicendum est, si delictum sit commissum à multis annis.*

86 *Subditus finito tempore in edicto visitationis præscripto, non tenetur denunciare, quæ ex malitia, vel ex defectu memoriæ omisit.*

87 *Quid faciet prælatus, si subditus fraternè correptus non resipiscat?*

71 PRo hujus sectionis notitia notandum est, visitatores, cum præcipiunt in principio visitationis, ut sibi Fratrum delicta denuncientur, nisi aliter explicent, deberi intelligi de denunciatione tanquam patri, non vero tanquam judici: gubernatio
72 enim regularis suavis, & fraterna est; & quia, si visitator viderit necessarium esse denunciationem judicialem, ipse præcipiet deponenti, ut, relicta denunciatione fraterna, transeat ad judicialem, ut *infrà* dicemus: imò ejus præceptum debet intelligi, quod delicta aliorum denuntient, præmissa prius correctione fraterna, in casibus, in quibus debita est; ita cum Vasquio, Bonacina, Filliucio, &
73 aliis Pellizz. *cap. 4. n. 29.* Unde ne in hoc aliquis error eveniat, visitator, cum præceptum imponit, debet explicare pro rudioribus, se tantum velle sibi delicta Fratrum denunciari, præmissa prius correctione fraterna; ita cum aliis Peyrinis *in formulario* litera P. *n.* 8. His suppositis.

74 Dico I. Regulares non tenentur visitatori revelare, etiam ut patri, delicta Fratrum, si eis constet moraliter visitatorem nullum omnino remedium esse adhibiturum: non enim ulla lex obligat ad actum inutilem; secus dicendum est, si dubitetur, an sit adhibendum remedium; nam in dubio præsumendum est pro prælato, cum in dubio ne-
75 mo præsumatur malus, eique obediendum; ita cum Sanchez, Bonacina, Portello, Lezana, & aliis Pellizz. *Tract. 9. cap. 4. n. 26.*

76 Idem dicendum est, quando probabiliter eis constat, delictum fuisse commissum ex fragilitate, ob fortuitam occasionem peccandi, non autem ex consuetudine: præsumere enim possumus delinquentem esse emendatum, & liberum à periculo reincidendi; ita cum Lezana, & Palao Pellizzar. 77
ibid.

Idem dicendum est, si delictum sit emendatum: nam tunc cessat finis denunciationis fraternæ.

Idem dicendum est de peccatis, quæ tantum 78
audierunt, etiamsi fuerit a fide dignis; ita cum aliis Peyrinis *de subdito q. 1. cap. 16. dicto* 4.

Excipe, nisi ob gravitatem delicti, à prælato de 79
auditis præciperetur respondere. Pelliz. *ubi suprà* 80
num. 23.

Adverte etiam, quod ad hoc, ut subditi teneantur 81
crimina prælato denunciare, non requiri, ut ea possint probare, sed satis est, quod de illis certo moraliter constet. Pellizz. *loc. cit. n.* 31.

Dico II. Regulares non tenentur denunciare 82
tempore visitationis, quæ aliàs probabiliter putãt, alios esse denunciaturos, si probabiliter putent denunciationem illam sufficientem esse ad emendationem; ita ex Graffio & Sairo colligit Pelliz. si ta- 83
men denunciatio fiat tanquam patri, nam si fiat, ut judici, tunc tenentur omnes, qui delictum sciunt, illud denunciare, cum multiplex denunciatio requiratur ad formam judicialem Pellizz. *n* 30.

An autem, si crimen jam denunciatum sit Pro- 84
vinciali ut patri, vel Priori, possit postea Generali, vel Provinciali visitantibus iterum denunciari? Respondeo negativè; nisi aliàs constet, nullum fuisse adhibitum remedium; ita Pellizz. *ubi suprà n.* 25. Ratio est, quia si jam Prior vel Provincialis sufficienter de remedio providerunt, ad quid requiritur talis denunciatio?

Idem dicendum est, si delictum à multis annis 85
sit commissum, nam quando post delictum commissum multum intercessit tempus, quale est spatium trium annorum, ex Mascardo *Conclus.* 600. *n.* 14. delinquens præsumitur emendatus, nisi aliunde constet de reincidentia: ita ex Acunna Sanctius in *selectis disp.* 11. *n.* 52. & probabile putat, Pellizz. *loc. cit. n.* 40. quidquid cum aliis dicat Lezana *verbo* visitator *n.* 8.

Sed quæres, an teneatur subditus finito tem- 86
pore præscripto in edicto visitationis, denuntiare quæ omisit denunciare, quia probabiliter putabat alios esse denunciaturos, vel quia illa malitiosè omisit, vel ex defectu memoriæ? Respondeo in nullo casu teneri subditum denunciare tale delictum, præceptum enim denunciãdi solum obligat pro

pro tempore visitationis, qui tempore visitationis tacent delicta, & postea ea manifestant debent repelli à denunciatione, accusatione, & à ferendo testimonio, tanquam suspecti, nisi constet eos justa causa id fecisse, & hoc sive visitatio sit generalis, sive specialis, sive alterius visitatoris delegati: ita Fagundez in *præceptis decalogi libro* 8. *cap.* 61. *n.* 12. Lezana, quem refert, & sequitur Pellizz. *ubi supra n.* 24.

87 Sed quæres, quid facere debeat Prælatus regularis, quando subditus paternè denunciatus, & ab eo correptus, & reprehensus ac monitus, non resipiscit: imò in pejora prolabitur? Respondeo, quod si delictum non est notorium, nec probabile in judicio, nec vergens directè in damnum Communitatis, non habet amplius quid faciat circa delinquentem, nisi orare pro eo, & super eum invigilare, auferre occasiones, quas poterit auferre sine scandalo, aut infamatione subditi, non enim illum potest infamare propter delictum occultum, nec ad aliud genus inquisitionis procedere: ita cum Suario, Girag. *parte* 3. *dubio* 7. *numero* 75. Pellizzarius *ubi supra numero* 39. & si delictum sit in damnum Communitatis, vel tertii, si seclusa correctionis paternæ notitia, desint sufficientia principia inquisitionis, aut accusationis, quia scilicet denunciator nolit etiam jussus crimen denunciare, ut judici, sed tantùm ut patri, tunc non debet visitator instituere fiscalem, ut vult cum Suario, Pellizzarius *ibidem numer.* 33. sed sistere debet, & talia crimina judicio Dei relinquere, non enim semper punitio delictorum requiritur ad bonum commune, sed aliquando plus confert ad illius bonum, ut fama proximi custodiatur, quam quod delictum unius puniatur, ut benè, & religiosissimè notavit Bassæus *verbo* correctio fraterna *numero* 14. video enim aliquos Doctores in hac materia famæ proximorum verè carnifices, qui omnia etiam occultissima suorum Fratrum crimina, ita contendunt propalare, ac si de custodienda fama proximi præceptum nullum esset. Unde evenit, ut loco boni communis quod prætendunt, majora mala in Religionem invehant, ut experientia quotidiana constat, sed de hoc vide Bassæum *ibidem*.

***

SECTIO IV.

Quomodo visitator, vel judex regularis in subditorum causis procedere debeat?

88 *Quæ crimina dicantur publica, quæ occulta?*

89 *Circa levia delicta non debet judex regularis observare ordinem judicialem, sed ea publicè reprehendere.*

90 *Quid si defectus leves ingerant aliquam infamiam?*

91 *In culpis gravioribus, si sint notoriæ ordo judicialis est servandus.*

92 *Non debent procedere servatis apicibus juris, sed tantùm summariè, & de plano.*

93 *Quando in nostra Religione Prælatus formare processum teneatur?*

94 *Quid sit procedere summariè, & de plano?*

95 *Nullus Prælatus regularis potest contra suum subditum inquisitione speciali absque denunciatore, accusatore, vel infamia procedere.*

96 *Non potest contra eos procedere eis inauditis.*

97 *Non potest ex sola unius denunciatione, accusatione vel testificatione aliquem condemnare.*

98 *Tenetur tradere Reo copiam capitulorum, quæ contra eum ex dictis testium resultant.*

99 *Non tenetur ei exhibere nomina testium, etsi ea postulet.*

100 *In aliquibus Religionibus hoc eis conceditur in causis gravissimæ culpæ, nisi grave damnum testibus immineat.*

PRo hujus sectionis notitia notandum est delicta subditorum in duplici posse esse differentia, vel levia, quæ peccatum mortale non attingunt: deinde crimina gravia alia possunt esse occulta, alia publica; occulta appellantur quæ, vel occultè coram paucis fiunt, vel quæ ita committuntur: ut de facili probari non possint: publica verò, seu notoria dicuntur, quæ ita committuntur, quod nulla possint tergiversatione celari, his suppositis. 88

Dico I. Circa culpas leves omnes concedunt non debere Visitatorem, aut Judicem regularem observare ordinem judicialem, sed possunt Superiores hujusmodi defectus communes, qui in vi- 90

ris, etiam perfectis, reperiuntur ad se delatos, & cognitos reprehendere in publicis Capitulis, & eis pœnitentias imponere: dummodo tales defectus alicujus momenti infamiam non inferant: nam si defectus, etsi sint veniales, sint tales, qui
91 non solent ferè ab omnibus committi, vel ingerant suspicionem peccati mortalis: vel ita graves reputentur apud Religiosos, ut soleant impedire munera graviora, quia plurimum diminuunt æstimationem personæ, tunc idem ordo in illis observandus est, ac in peccatis mortalibus; ut cum Suario, & aliis benè advertit Lugo *de justitia disputat.* 37. *num* 164.

Dico II. Circa culpas graves, & in gravissi-
92 mis, si fuerint notoriæ, & Prælatus correctione paterna ea corrigere non possit, ordo judicialis est servandus; hoc autem dupliciter fieri potest: *primò* servando omnes apices juris: *secundò* procedendo summariè, simpliciter, & de plano, absque strepitu, & figura judicii: servatis tamen iis, quæ sunt de jure naturali, & de jure gentium: Prælati ergò regulares non primo modo, utpote Religiosis juris minus peritis inconvenienti, sed secundo procedere debent; ita cum Suario, Cajetano, & aliis Lezana *Tomo* 1. *cap* 2. *n.* 26. & alii communiter, & sumitur ex *Cap. qualiter*, & ex privilegio Bullato Bonifacii, & ex aliis Bullis, quas latè refert Lugo *ubi supra n* 162.

Imò in Congregatione nostra nullus Prælatus
93 tenetur formare processum, nisi culpa sit gravissima, juxta Bullam Gregorii XIII. nobis concessam, & in casu culpæ gravioris, in illis tantùm casibus, in quibus aliquis pœnam lege statutam mereatur, vel nisi agatur ad deponendum aliquem Prælatum canonicè electum, vel ad privandum aliquem officio, vel voce activa, & passiva, per sex menses, nisi quando hæc pœna in Constitutionibus exprimitur, & simul casus est notorius, ut patet ex 3. *parte nostrarum Constitutionum c.* 10. *n.* 8.

Adverte tamen, quod licet nostri Prælati non teneantur, nisi in prædictis casibus formare processum, & informationes per scriptum, teneri tamen in delictis gravibus, vel levibus, quæ plurimum diminuunt æstimationem, servare cætera, quæ de jure naturali postulantur.

Sed quæres, quid sit procedere summariè, & de
94 plano, & sine strepitu, & figura judicii? Respondeo, consistere in eo, quod non admittantur clamorosi advocatorum strepitus, & rigorosæ juris solennitates, ut porrectio libelli, citatio in die non feriata, litis contestatio, testium multitudo, longæ dilationes, prolatio sententiæ sedente Judice pro tribunali, quod non recipiantur testes quæ à jure civili repelluntur, vel quod non recipiantur parte non citata, & his similia, quæ ad solemnitatem non verò ad substantiam judicii spectant: Ordo autem substantialis consistit in eo, quod testes idonei recipiantur, quod sint legitimæ probationes, & admittantur legitimæ exceptiones, & defensiones, quia aliàs sine illis judicium iniquum foret, in quo conveniunt Doctores.

Hinc fit nullum Judicem regularem posse, con- 95
tra subditum aliquem procedere, inquisitione speciali, absque Accusatore, Denunciatore, aut Infamia præcedente: hoc enim est non solùm de jure communi *Cap. qualiter.* sed etiam de jure divino: ut patet ex illo *Genesis* 4. *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

Secundò sequitur, non posse Prælatos regulares contra subditos procedere eis inauditis, hoc enim 96
spectat ad Rei defensionem, quæ nec à supremo Principe tolli potest *Clement* Pastoralis *de re judic.*

Tertiò infertur, Judicem regularem non posse ex sola unius accusatione, seu denuntiatione, aut testificatione aliquem condemnare, unicus nam- 97
que testis non probat *l. juris jurandi Cod. de testibus.*

Quartò infertur Judicem regularem teneri tradere Reo copiam Capitulorum, quæ contra eum 98
è dictis testium resultant, ut sic possit se defendere: ita cum Mascardo, Rodrig. & aliis Tamburinus *Tom* 3. *in praxi criminali quæsito* 3. *n.* 21. Non ta- 99
men tenetur ei exhibere nomina testium, etsi ea peteret. Imò omnes circumstantiæ à Testibus explicatæ ex quarum notitia facilè posset Reus venire in cognitionem Testium, ei in ostensione capitulorum celandæ sunt: ita Lugo *ubi sup. n.* 164. Pellizzarius *Tractatu* 9. *cap.* 4. *num.* 64. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 27. *num.* 14. Suarez *Tomo* 4. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 12. *num.* 30. ubi dicit esse communem, & quoad nostros patet ex 3. *parte nostrarum* 100
Constitutionum cap. 10. *num.* 8. In Religionibus tamen, in quibus tale statutum non datur, in casu gravissimæ culpæ, ex quo gravissimum damnum Reo sequeretur, poterit Judex hoc ei concedere, nisi inde grave damnum testibus immineat; Rodriguez, Lezana, Thomas à Jesu, quos refert, & sequitur Pellizzarius *loco citato.*

SECTIO

SECTIO V.

De modo procedendi per viam inquisitionis.

SUPPONO PRIMO, tres assignari communiter modos, quibus Judex regularis potest procedere in judicio externo, ad cognoscenda, & punienda delicta subditorum; scilicet per inquisitionem, per denunciationem, & per accusationem: ut patet ex *Cap. qualiter & quando 2.* & in hoc conveniunt omnes Doctores. 101

SECUNDO SUPPONO, triplicem esse inquisitionem. *Prima* est generalis quando solùm inquiritur in genere de delictis, & de personis. *Secunda* specialis quando inquiritur de tali persona, an commiserit tale delictum? *Tertia* ex mixta, quando inquiritur de persona determinata, non tamen delictum determinatum, vel è contra quando inquiritur delictum determinatum, non tamen de persona determinata: his suppositis. 102

DICO I. Ad inquisitionem generalem faciendam non requiritur, quod præcedat infamia vel aliquid aliud, ad hoc enim tenetur Judex ex officio, & in hoc conveniunt Doctores. Ratio verò est, quia hæc inquisitio necessaria est ad purgandam Communitatem, & aliàs fit sine ullius injuria. 103

DICO II. In hac inquisitione generali non tenentur subditi, imò nec possunt declarare delicta occulta eorum, qui nulla laborant infamia. Et ratio est, quia Prælatus non potest aliquid præcipere contra jus naturæ obligans ad non diffamandum, sed ille, cujus delictum est occultum adhuc retinet jus ad suam famam: ergò Prælatus non potest præcipere hæc delicta sibi manifestari; ita communiter DD. apud Lugum *de justitia disp. 37. n. 56.* 104

Ab hac regula aliqui excipiuntur casus, in quibus potest Prælatus sub præcepto obligare ad manifestandum delicta secreta aliorum. *Primus* est, quando delictum est in grave nocumentum publicum, vel privatum alicujus innocentis, & adhuc pendens in futurum. (Hinc est posse obligare ad manifestandos hæreticos ob periculum infectionis, & idem est de aliis delictis contra commune bonum.) *Secundus* est, si fiant crimina notoria, cujusmodi essent, quæ fiunt v.g. coram decem personis. *Tertius*, si præcedant indicia publica perso- 105

personæ delinquentis simul cum delicto; ita cum aliis Pelliz. *Tract. 9. c. 4. n. 49.*

106 Dico III. Prælatus faciens inquisitionem generalem tenetur monere subditos, præsertim si fuerint aliqui simplices, & indocti, ut communiter accidit in Communitatibus regularibus in quibus sunt Laici & alii rudiores, ne detegant crimina occulta; ita cum Navarro, Soto, & aliis Decastillus *de justitia, tractatu 1. libro 2. disputat. 5. dubio 3. num. 64.* quidquid alii in contrarium dicant apud ipsum Decastillum *nu. 61.* Et ratio est, quia Judex non habet jus de talibus criminibus interrogandi, ergò non potest dare occasionem suo præcepto ea revelandi.

107 Dico IV. Ad inquisitionem specialem non potest Prælatus procedere, nisi præcedat aliqua infamia; ita communiter DD. apud Lugum *ubi supra num. 60.* & sumitur ex *c. inquisitionis §. 3. de judiciis.* Nomine autem *infamiæ*, quæ debet præcedere, intelligunt communiter DD. communem vocem, & opinionem bonorum virorum, quæ etiam dicitur *clamorosa insinuatio*, vox enim dyscolorum, & hominum infimæ sortis non facit legitimam, & judicialem infamiam, ut rectè cum Sanchez, Avila, & aliis Decastillus *ubi supra dub. 4. n. 89.*

108 Imò, ut infamia præcedere dicatur, non sufficit, quod solus Judex crimen noverit, vel quod duo, vel tres, etiam jurati affirment, se vidisse Petrum v. g. tale crimen patrantem; ut habetur in *c. inquisitionis*, & cum Cajetano, & Portelo tenet Lezana *verbo* judex *num. 6.* Tamburinus *ubi supra quæsito 7. num. 1.* Bassæus *verbo* judicium publicum, *num. 8.* quia adhuc factum est occultum, & ideò per publicam inquisitionem patefieri non debet, sed requiritur, ut rumor de eo sparsus sit per majorem partem viciniæ, seu Conventus, ubi delinquens commoratur, dummodo in tali Conventu ad minus sint decem personæ, inter quas talis rumor sparsus sit, ut cum Sanchez, & aliis Tamburinus *ubi supra quæsito 7. num. 2.* Basseus *ubi supra num. 8.* vel ut alii dicunt, taliter debet esse publicum, quod de eo publicè quis sine detractione loqui possit, ut ait cum Suario, Lugo *ubi supra num. 61.*

109 Imò hujusmodi infamia, antequam Judex ad inquisitionem specialem procedat, probari debet per duos testes, qui cum juramento deponant quod publicè illud dicatur, & quod publicè audierint dici, præsertim à talibus personis, eas nominando, quæ personæ nominatæ requisitæ debent respondere se ita dixisse, & qua de causa, & à quibus hæc fama processerit; Lezana *Tom. 1. c. 27. num. 7.* & si ortum duxerit à malevolis, vel levissimis hominibus vilipendenda est, hæc enim non generat infamiam; Lugo *ubi supra num. 62.* Lezana *verbo* judex *num. 6.* Item debent hi testes scire, quid sit fama, adeò ut interrogati, quid fama 110
sit, si dixerint se nescire, nihil probent, ita cum aliis Tamburinus *ubi supra n. 93.* Decastillus *ubi supra numero 3.*

Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus absque præcedente infamia potest procedere, judex 111
ad inquisitionem specialem. *Primus*, si delictum sit in damnum publicum, ut si sit crimen hæresis, proditionis, læsæ Majestatis. *Secundus*, quando 112
præcedunt indicia manifesta, & publica, hæc enim habent vicem infamiæ. *Tertius*, quando delictum esset enorme, & publicum, & essent indicia vehementia contra aliquem publica, & manifesta; Lezana *ibid. num. 7.* *Quartus* quando de- 113
lictum est nimis atrox, nam tunc licet debeat aliqua præcedere infamia, non tamen requiritur, 114
quod sit adeò sparsa, sicut quando delictum est minus atrox. *Quintus* est, quando inquisitio 115
non fit ad punitionem, sed ad malum impediendum, ut si agatur de eligendo aliquem in Prælatum, tunc enim potest inquiri de delictis occultis, etsi non præcedat infamia; ita cum aliis Lugo *ubi supra numero 53.* Lezana *Tomo 1. cap. 27. numero 9.*

Adverte tamen in omnibus prædictis casibus, 116
ultimo excepto, in quibus ad inquisitionem specialem diximus non requiri infamiam, debere semper præcedere aliqua indicia, vel suspiciones non leves; Lugo *ubi supra n. 63.* vel aliquam semiplenam probationem. Indicia autem sunt signa, & circumstantiæ, ex quibus prudenter judicamus 117
de actibus aliorum. Hæc autem indicia sunt in triplici differentia quædam sunt *levia*, & hæc sufficiunt ad capiendum reum, ne fugiat; hujusmodi indicium est, dictum v. g. socii criminis; ita cum Julio, Claro, Azor, Silvestro & aliis Decastillus *ubi supra num. 95.* Alia sunt indicia *gravia*, & hæc sufficiunt ad incarcerandum, & examinandum Reum; hæc autem indicia sunt v. g. fuga delinquentis statim post delictum; gravis inimicitia conjuncta, cum aliis indiciis; existentia rei furto ablatæ apud delinquentem. Alia sunt *indubitata*, & hæc sufficiunt non solùm ad incarcerandum, & torquendum Reum, sed etiam ad eum puniendum, saltem pœna arbitraria, hæc autem sunt, si quis

is le-

in lectulo cum uxore alterius concumbens inveniretur.

118 An autem hæc indicia gravia sufficiant ad procedendum per specialem inquisitionem, in aliis delictis non exceptis? Respondeo affirmativè, si talia indicia sint publica, & manifesta, ita ut de illis sit infamia; nam tunc talia indicia faciunt aliquam infamiam, secus si fuerint levia, vel de illis non sit infamia; ita cum Sanchez, & aliis Pelliz. *ubi supra n.*16. Decastillus *ubi supra dubit.* 3. *num.* 81.

119 Semiplena autem probatio est, dictum unius testis oculati, & alias fide dignissimi, qui cum juramento deponit se scire Petrum tale crimen patrasse, quia vel vidit illud, si cadit sub potentiam visus, vel audivit, si cadit sub potentiam auditus, & hîc appellatur testis *omni exceptione major*, quæ semiplena probatio, licèt se sola, si non præcedat infamia, non sufficiat ad inquisitionem specialem in peccatis, quæ non sunt contra commune bonum, si denuncians non assumat onus probandi, ut rectè cum Lessio notavit Pelliz. *loc. cit n.*60. sufficit tamen ad procedendum via inquisitionis specialis in casibus supra exceptis, in quibus non prærequiritur infamia propter maximum periculum, quod afferunt Reipublicæ.

Et idem dicendum est, de confessione Rei extra judicium, quæ probetur per duos testes, vel de scriptura Rei clarè cognita, in qua delictum fateatur, vel si duò socii criminis, vel duo testes infames, vel inhabiles, ut duæ mulieres, deponant, vel si adsint vehementia indicia per duos testes probata, hæc enim omnia faciunt semiplenam probationem; Basseus *verbo* indicium publicum *num.* 5. & alii apud ipsum.

120 An autem possit Prælatus procedere ad inquisitionem specialem, ex sola notitia habita per epistolas, vel libellos, sine auctore, etiamsi in ipsis epistolis notificentur testes? Respondeo negativè, nam hujusmodi literæ nullam inducunt infamiam; ita cum Lessio, & Thoma à Jesu Lezana *Tomo* 1. *cap.* 27. *n.* 4. Miranda, & alii quos refert, & sequitur Pellizz. *ubi supra n.* 57. Imò addo, quod si Religiosus de uno crimine sit diffamatus, vel convictus non posse inquiri de aliis, de quibus non est diffamatus; Soto, Navarrus, quos refert, & sequitur Lezana *verbo* judex *num.* 6. Nec convictus de uno crimine potest inquiri de sociis occultis, quorum nulla est infamia saltem regulariter loquendo; Lezana *ibidem*.

121 Idem est dicendum, si Judex injustè extorsit delictum à subdito, vel à teste, & hoc sive fuerit per metum gravem, sive sine illo, sed per injustas interrogationes factas Reo ignoranti illarum injustitiam; ita cum Sanchez, Cajetano, Silvestro, & aliis Pelliz. *ubi supra n.* 61.

Secùs si Judice justè interrogante testes malè detexerint delictum Rei; Ita cum Sanchez Pellizzarius *numero* 62. vel si Reus in judicio detegat crimen occultum coram Judice, & Notario etiamsi hoc faciat incidenter, illa enim confessio facit notorium juris; ita cum Navar. Valentia, Lessio, Bonacina, & aliis Tamburinus *Tomo* 1. *in praxi criminali quæsito* 9. *n.* 1. 123

Idipsum dicendum est, si crimen in judicio commissum fuit, ut si committatur coram Judice, & aliis circumstantibus, ut si testis falsum deponat in judicio; ita cum Navarro, Lessio, Bonac. Tambur *ubi supra n.* 4. 124

Totam materiam sectionis hujus reperiet Lector fusiùs discussam, atque expositam apud nostros Thomam à Jesu *Tractatu* 1. & 2. operis sui de *Visitatione Regularium*. & Petrum ab Angelis in *Judice Regulari prima parte* per diversa Capita, maximè *cap.* 4. 6. 7. 11. & 12. 125

SECTIO VI.

De modo procedendi per viam denuntiationis judicialis.

126 *Quotuplex detur denuntiatio, & quæ illæ sint?*
127 *In quo differat denuntiatio Evangelica & Judicialis?*
128 *In quo differat denuntiatio Judicialis ab accusatione?*
129 *Quotuplex dicatur peccatum publicum?*
130 *Quæ delicta dicantur in damnum ipsius peccantis, quæ in damnum tertii, quæ in damnum Communitatis?*
131 *Peccata notoria possunt statim non præmissa correctione fraterna denuntiari.*
132 *Hæc peccata prius debent denuntiari Prælato, ut patri, si hæc denuntiatio ad illorum emendationem sufficiat.*
133 *Excipe, nisi delictum sit in damnum tertii, vel Communitatis, vel detur præceptum Superioris.*
134 *Quid si delinquens, etiam in hoc casu sit publicè*

emendatus, & damno tertii, vel communi satisfactum.

135 *Peccata, quæ à duobus vel à tribus sciuntur, & in jure dicuntur publica, si sint in damnum tertii, statim absque correctione fraterna sunt denuntianda.*

136 *Quid si certò sciatur correctionem fraternam fore profuturam?*

137 *In peccatis, quæ sunt contra bonum commune, nunquam potest præsumi correctio delinquentis ex secreta monitione.*

138 *Si peccata sint solùm in damnum committentis, & tantum sciuntur à duobus, vel à tribus, præmittenda est correctio fraterna, eo modo, quo Christus instituit.*

139 *Delicta, quæ tantum ab uno sciuntur, præter committentem, si sint in damnum tertii, vel Communitatis, si certò sciatur per correctionem esse emendanda, & damno subveniendum non sunt denuntianda, & si hoc certo non constet, statim sunt judicialiter denuntianda.*

140 *Quid si per solam denuntiationem paternam tali damno, & peccato possit subveniri?*

141 *Dantur plures casus, in quibus, etsi delictum sit in damnum commune, vel tertii, & detur præceptum superioris, non tenetur quis peccatum occultum Fratris denuntiare.*

142 *Primus, si delictum sit emendatum, excepto peccato hæresis.*

143 *Secundus, Quando ille, qui novit delictum, fuit complex illius.*

144 *Quid si possit delictum manifestari sine detrimento manifestantis?*

145 *In nullo casu tenetur quis seipsum denuntiare.*

146 *In delictis, quæ ab uno tantum sciuntur, & tantum sunt contra committentem, si per correctionem fraternam non speratur emendatio, vel si data correctio non profuit, non tenetur quis denuntiare Prælato, ut Judici, peccatum occultum Fratris, etiamsi detur præceptum & censura.*

147 *Potest in hoc casu illud Prælato ut patri denuntiare, si speretur emendatio.*

148 *Quid si non speretur emendatio, sed potius deterioratio?*

149 *Quid si delictum possit probari per unum testem omni exceptione majorem?*

150 *Plures dantur casus, in quibus quis delictum, etiam probabile aliorum non potest denuntiare, etiam supposito præcepto Prælati.*

151 *Primus, quando delictum solum duobus vel tribus notum est, & Prælatus procedit ad pœnam.*

152 *Secundus, si quis sub decreto naturali delictum noverit.*

153 *Quid si delictum sit in damnum commune, vel tertii?*

154 *Tertius casus est, si delictum jubeatur denuntiari ad emendationem delinquentis, vel ad impediendum peccatum delinquentis, vel ad non inferendum malum proximo, & constet proximum esse emendatum.*

155 *Quartus, si delictum tantùm audivit, etiam à personis fide dignis.*

156 *Quid si Prælatus jubeat etiam audita declarare?*

157 *Quintus, si denuntiator esset cogendus probare quæ denuntiat, cum re vera non possit, vel timet aliquod detrimentum.*

158 *Sextus, si quis rem alienam in recompensationem sui debiti accepit.*

159 *Septimus, quando inde majus damnum, incommodum vel scandalum oriturum prudenter timetur.*

160 *Quomodo Prælatus se debeat habere in denuntiationibus?*

161 *Ubi Prælatus denuntiationem legitimam judicavit, tenetur ex ea contra denuntiatum judicialiter procedere.*

162 *Prælatus non potest procedere ad publicam punitionem, nisi delictum sit publicum, vel Reus laboret infamia, vel sit contra eum semiplena probatio, vel indicia sufficientia.*

163 *Si nihil horum adsit, punitio non spectat ad bonum commune.*

164 *Quid si Reus denunciatus in judicio confiteatur suum delictum, & promittat emendationem?*

165 *Denunciator aliquando potest esse testis contra delinquentem à se denuntiatum.*

SUPPONO PRIMO, dari triplicem denunciationem, scilicet Judicialem, *Evangelicam*, & *Canonicam*. Judicialis est, quæ fit apud Superiorem tanquam Judicem. Evangelica est, quæ fit Prælato tanquam Patri, præcedente correctione fraterna. Canonica est, quæ fit Prælato ad impediendum, vel avertendum damnum spirituale Communitatis aut privatæ personæ. Dicitur autem *Canonica*, eò quod à jure canonico inventa sit, ita communiter DD. 126

Differunt autem denunciatio Evangelica, & Judicialis in multis: *Primò* in fine, nam finis denunciatiationis Evangelicæ, est emendatio Fratris Judicialis 127

dicialis verò est, vindicta, seu bonum denuntiantis, ut delinquens satisfaciat. *Secunda* denunciatio Evangelica est actus charitatis, & supponit correctionem fraternam: Judicialis verò est actus justitiæ, & non semper prærequirit correctionem fraternam. *Tertiò* in Evangelica nunquam est locus processui judiciali, in denunciatione, verò Judiciali poterit Prælatus, si velit procedere judicialiter. *Quartò* in Evangelica non exigitur à denunciante juramentum, benè tamen in Judiciali

128 Differt autem denuntiatio Judicialis ab accusatione: *primò* eo quod Accusator suscipit in se onus probandi; denunciator autem non tenetur probare crimina, quæ denuntiat, nec se subjicit pœnæ talionis. *Secundò* accusatio semper traditur in scriptis, cum certis solemnitatibus infra dicendis: in denuntiatione verò non sunt necessariæ hujusmodi solemnitates: ita cum Azor. Clavi regia, & aliis Tamburinus *Tom. 3. in praxi criminali quæsito 5. num. 2.* & noster Petrus ab Angelis in *Judice Regul. 1. part. cap. 9.*

129 SUPPONO SECUNDO, Peccatum tripliciter dici posse publicum. *Primò*, quando à duobus, vel tribus scitur, & tunc dicitur in jure probabile, quia probari potest, etsi nulla illius infamia detur. *Secundò*, quando non solùm probari potest, sed de illo datur infamia, & hoc dicitur, in jure famosum, & manifestum. *Tertiò*, quando est notorium, quod nullo modo celari potest, nec negari ab eo, qui commisit; hoc autem notorium potest esse notorium notorietate juris, vel notoreitate facti, notorium notorietate juris est, delictum per sententiam declaratum: notorium verò notorietate facti est, quod scitur à majori parte Communitatis, vel viciniæ, modo sciatur à decem personis. Opposito modo contingit secretum, aliud enim est, quod non potest probari in judicio, aliud quod etsi possit probari, non laborat infamia: tertiò, quod probari facile potest, etsi aliqua tergiversatione celetur, nec est majori parti Communitatis notum: ita Suarez *de charitate disp. 8. sect. 6. in principio*, &
130 alii.

TERTIO SUPPONO delicta quædam esse in damnum solius peccantis verbi gratia, fornicatio, Sodomia, ebrietas, consuetudo jurandi, *&c.* Alia in damnum Communitatis, idque vel in temporalibus, qualia sunt proditio, subornatio, machinatio gravium offensarum contra Superiorem, pacis turbatio inter Superiores, & subditos, vel inter ipsos subditos, secretorum in damnum grave Religionis revelatio, Superiorum falsificatio sigilli, editio libellorum famosorum, dissipatio bonorum Monasterii, *&c.* vel in spiritualibus, ut falsæ doctrinæ, qua fides, vel mores corrumpuntur, seminatur blasphemia, *&c.* ita communiter DD. apud Palaum *Tom. 1. tract. 6. disp. 3. punct. 13. n. 2.* His suppositis.

DICO I. Peccata notoria, quæ in multorum 131
præsentia admittuntur, vel alio modo à pluribus cognoscuntur, possunt statim, non præmissa correctione fraterna judicialiter denuntiari; ita communiter DD. apud Palaum *loc. cit. n. 3.* qui enim publicè peccat, eo ipso renuntiat juri secreti; & quia in tali denuntiatione non solum Fratris emendatio attenditur, sed reparatio quoque scandali dati media punitione.

Adverte tamen, quod si in hoc casu sufficiat denunciatio facta Prælato, ut patri ad remedium 132
Fratris, illam prius tentandam esse, quàm judicialem, ut minori cum præjudicio Fratri subveniatur, & evitentur damna à denunciatione judiciali provenientia; Lezana *Tom. 2. Cap. 27. num. 19.* Adrian. Lorca, & alii, quos refert, & sequitur Palaus *loc. cit. n 4.*

Excipe, nisi delictum sit in damnum tertii, vel Communitatis, vel nisi accedat præceptum Su- 133
perioris ad puniendum delictum; Palaus *ibid.* Excipe *secundò*, nisi delinquens publicè, sit jam publicè emendatus, & satisfactum Reipublicæ per 134
ablationem scandali: nam tunc, etsi accedat præceptum Superioris, non tenetur quis illum denunciare; ita cum Avila Lugo *de justitia capite 38. numero 19.*

DICO II. Peccata, quæ partim sunt de- 135
creta, partim publica, qualia sunt, quæ non solùm ab uno, sed à duobus, vel tribus sciuntur, & quæ in jure vocantur publica, si sint in damnum alicujus tertii statim absque correctione fraterna Prælato denuntianda sunt, nisi in aliquo casu firmiter, & certò credatur, correctionem fraternam fore profuturam: ita Suarez, Coninch. Villalobos, Lorca, & alii, quos refert, & 136
sequitur Palaus *loco citato, numero 5.* Ratio est, quia defensio innocentis, & correctio proximi quærenda est, cum minori damno possibili, sed per correctionem, & damno innocentis subveniatur, & famæ proximi, ergò.

Adverte tamen, quod in peccatis, quæ sunt contra bonum commune, ut hæresis, proditio, *&c.* raro, aut nunquam præsumi potest correctio delinquentis ex secreta monitione, & ideò statim denun-

denuncianda sunt, maximè stante præcepto denunciandi, lato à jure seu ab Inquisitoribus: ita cum aliis Palaus *ibidem*.

138 Dico III. Si peccata sint solum in damnum delinquentis, præmittenda est, ex præcepto Christi, correctio fraterna, & inductio testium, antequam judicialiter denuncientur, si probabiliter existimetur correctionem profuturam; ita cum Soto, Lorco, Suario, Navarra, Villalobos Palaus *ubi supra numero 6.* ubi dicit esse communem; Cassainus in suo *Prælato regulari cap. 7. §. 13. in fine.* Ratio est, quia si in his peccatis non est servandus ordo correctionis à Christo institutus, in nullo casu talis ordo est servandus, quod dici non potest, quod sic probatur, nam in peccatis omninò secretis, denunciatio judicialis, non habet locum: in omninò publicis non est præmittenda correctio: ergò ne dicamus, non dari tale præceptum correctionis à Christo D. latum, affirmandum est in his peccatis deberi observari.

139 Sed quæres, an delicta omninò secreta, qualia sunt, quæ ab uno tantùm, præter committentem, sciuntur, sint judicialiter denuntianda, si sint in damnum tertii, vel Communitatis? Respondeo, quod si certò sciatur per correctio-

140 nem fraternam damnum esse impediendum, & delinquentem emendandum, non habere locum judicialem denunciationem; nam hæc solum conceditur ad impediendum damnum tertii vel Communitatis, sed damnum per solam correctionem impeditur, ergò supervacanea est prædicta denunciatio. At si certò non constet per talem correctionem damnum infallibiliter esse impediendum, existimo statim peccatum esse Prælato denuntiandum, si alia via non suppetit damnum impediendi; si enim per solam revelationem delicti factam Prælato ut patri, vel alia via damnum possit sufficienter impediri, illa prius tentanda est; ita Silvester, Sà, Valentia, Villalobos, Lessius, & cum multis Sanch. quos refert, & sequitur Palaus *ubi sup. n.* 10. Ratio est, quia hæc denunciatio non tantum ad punitionem delinquentis, quantum ad impediendum damnum ordinatur, ergò, si nec correctione fraterna, nec alio medio tale damnum impediri potest, non est curandum de infamia proximi, cùm hæc per accidens consequatur ad defensionem justam innocentis.

141 Excipiuntur tamen ab hac communi regula aliqui casus, in quibus etiamsi detur præceptum Superioris non tenetur quis peccatum occultum Fratris, etiamsi sit in damnum tertii, vel Communitatis revelare.

Primus si constet delictum esse emendatum: 142 ita communiter DD. apud Palaum *ibidem puncto 14. nu.* 1. nam si delictum est emendatum, cessat ratio justificans talem denunciationem, tum quia in tali casu Judex solùm procedit ad punitionem, sed quando Judex procedit ad punitionem requiritur delinquentem infamia laborare: ut cum multis docet Palaus *eodem n.* 1. ergò. Excipe tamen peccatum hæresis quod etiamsi sit emendatum, denunciandum est Inquisitoribus, propter ejus infectionem, præsertim si sit probabile in judicio; ita cum aliis Palaus *ibidem*.

Sed quæres, quando præsumatur delictum emendatum? Respondeo, hoc arbitrio prudentis viri relinqui; si enim omnes occasiones peccati sublatæ appareant, præsumenda est emendatio.

Idem dicendum est, quando intercessit multum tempus à commisso delicto, nisi constet de nova reincidentia, ad longum autem tempus sufficiunt tres anni; ita cum Acunna Palaus *numero 2.*

Secundus casus, in quo cessat obligatio denunciandi, etiam in delictis contra bonum com- 143 mune, & tertii damnum, est, quando ille, qui novit tale delictum, fuit illius complex, nemo enim tenetur denuntiare socios sui delicti, etsi detur præceptum Superioris, nisi alias delictum complicis possit manifestari sine detrimento 144 illius, qui denuntiat; nam tunc tenebitur socius crimen denuntiare, si sit grave damnum commune, ut est peccatum hæresis, proditionis *&c.* nam sic denunciantes benignissimè tractantur, ita cum Diana, & aliis Lezana *Tomo 3. qq. Regular* verbo *accusare numero* 11. in nullo tamen 145 casu tenebitur quis seipsum denuntiare, vel accusare extra confessionem sacramentalem, quantumcumque grave crimen commiserit, nemo enim tenetur seipsum prodere; ita cum Sanctarello, & aliis Lezana *ibidem n.* 10.

Dico IV. In delictis omnino occultis, 146 qualia sunt, quæ ab uno tantùm sciuntur, & tantum sunt contra committentem, si per correctionem fraternam non speretur emendatio, vel si data correctione nihil profecit, non tenetur quis denuntiare peccatum occultum Fratris Prælato præcipienti, etiam cum excommunicatione, sibi omnia peccata denuntiari, Ita cum Rodrig. Graffio, Navarro, Reginald. Sairo, Armilla, & aliis Peyrinis *de subdito quæst. 1. capit. 26. dicto 3.*

Basseus

Basseus *verbo* Denunciatio, *num.* 6. Ratio est, quia cùm delictum nullo modo probari possit, frustra talis denunciatio fieret. Unde in tali casu solùm paternè potest Prælato denuntiari, si ex tali
147 denunciatione speretur emendatio; nam si nec sic
148 speretur, sed potius deterioratio, tunc nec ut patri tenetur quis delictum, quod non potest in judicio probare, Prælato denuntiare, sed tantùm debet postulare à Deo gemitibus inenarrabilibus delinquentis correctionem; ita communiter DD. quos refert, & sequitur Basseus *ibidem*.

149 Secùs dicendum est, si delictum posset probari saltem per unum testem omni exceptione majorem; nam tunc tenetur quis tale peccatum occultum Prælato juridicè denuntiare, cùm emendationem Fratris, quam intendit denuntiatio etiam juridica, teneamur omnes procurare: ita cum præcitatis Authoribus Peyrinis *ubi suprà*.

150 Ab hac tamen Regula plures excipiuntur casus, in quibus quis delictum aliorum etiam probabile non potest denuntiare, etiam posito præcepto Prælati cum excommunicatione.

151 PRIMUS, quando delictum duobus, vel tribus tantùm notum est, & Judex ad punitionem procedere intendit; ita cum Corduba, Navarro, Less. & aliis Palaus *loc. cit. num.* 3. Basseus *verbo* Denunciatio, *num.* 11. & alii communiter. Ratio est, quia bonum commune, ad quod ordinatur in hoc casu denunciatio, non exigit punitionem delinquentis, nisi delinquens laboret infamia; ergo non tenetur illud denunciare. Excipe, nisi peccata sint in damnum tertii, vel Communitatis; ita communiter DD.

152 SECUNDUS casus est, si quis sub secreto naturali delicti notitiam accepit, quia sibi ratione petendi consilium, vel remedium, est manifestatum; nam tunc, etiamsi præcedat infamia, & semiplena probatio, non tenetur quis, nec potest absque violatione, non solùm charitatis, sed etiam justitiæ illud manifestare; ita cum D. Thoma, Cordova, Navarro, Sà, Less. & aliis Palaus *ubi suprà, num.* 3. Azor. & alii communiter, quos refert, & sequitur Basseus *ibidem*. Ratio est, quia licèt bonum commune postulet delinquentem infamatum puniri, non tamen postulat, ut quis juvet ad punitionem eorum, quæ sub secreto, & occasione remedii cog-
153 novit. Excipe, nisi delictum sit in damnum commune, vel tertii; nam, si tale sit, & ab illo delinquens non desistat, tenetur quis denuntiare delictum, etiamsi sub secreto cum juramento notitiam acceperit, extra tamen confessionem sacramentalem; dignus est enim delinquens, ut ei frangatur fides, etiam jurata ob reparationem damni publici, vel tertii innocentis; ita cum Sà, Navarra, Less. & aliis Palaus *ubi suprà, num.* 2.

TERTIUS casus est, si delictum denuntiari jubea- 154
tur ad emendationem delinquentis, vel ad impediendum peccatum mortale delinquentis, vel ad non inferendum malum proximo, vel illud restituendum, & constet proximum esse emendatum, nec ampliùs velle peccare, vel jam restituisse, vel velle restituere damnum illatum proximo; nam, cùm in his casibus cesset finis præcepti, non est peccatum proximi cum ejus famæ jactura propalandum; D. Thom. Navarr. & aliis, quos refert, & sequitur Basseus *loc. cit.*

QUARTUS casus est, quando quis delictum ex le- 155
vibus personis scivit, quæ non sunt fide dignæ, imò etiamsi essent fide dignæ; nemo enim tenetur, aut potest denuntiare, quæ audivit juxta Domini præceptum, qui ait: *Si peccaverit in te*, id est, coram te, si videris, vel certa scientia cognoveris, & non auditu tantùm perceperis. Excipe casum, 156
in quo Prælatus justis de causis præciperet denuntiari ab omnibus, etiam quæ audierunt, etsi aliter non scivérint; nam tunc tenebuntur subditi denunciare ea, quæ à personis fide dignis audierunt, si alias memores sint personæ, à qua audierunt, & gravitas delicti, vel alius dignus respectus cogat Prælatum ad tale præceptum imponendum; Navarra, Salon. & alii, quos refert, & sequitur Basseus *ibid.*

QUINTUS casus est, quando quis cogendus esset 157
probare, quæ denuntiat, cùm reverà non possit, vel aliud timet detrimentum ex denunciatione oriturum; cum gravi enim detrimento non tenetur quis damnum alteri impendens impedire, nisi fortè esset damnum commune, quod ex alicujus denunciatione esset impediendum; tunc enim tenetur persona particularis aliquod damnum pati ad impediendum commune; secùs, si è contra accidat; ita cum Navarr. Sà, Corduba, Less. Sanch. & aliis Palaus *ubi suprà, num.* 7 Basseus *loc. cit.*

SEXTUS casus est, si quis rem alienam, in re- 158
compensationem sui debiti accepit, tunc nec de se, nec de aliis denuntiare tenetur, etiamsi sub juramento, & excommunicatione juberetur, quia ferri non potest excommunicatio, nisi ob peccatum mortale, hic autem non peccavit mortaliter, si sibi-

si sibiipsi compensavit ex bonis debitoris, si aliàs debitum aliter recuperare non poterat; ita cum Silvestro, Navarr. Aragonio, Basseus *ubi suprà, num.* 11.

159 TANDEM, non tenebitur quis crimen occultum denunciare, quando majus incommodum, aut scandalum, inde oriturum, prudenter timeret, quia quod propter charitatem institutum est, non debet contra charitatem exerceri; vide Sanch. *de matrim. lib.* 3. *disp.* 13. *num.* 4.

160 DICO QUINTÒ: Facta denunciatione in casibus, in quibus eam subditi possunt facere ad Prælatos, spectat vigilanter, cum omni zelo, & charitate videre, an juridicè procedere oporteat, ponderantes personam denunciantis, & denunciatæ, cum omnibus circumstantiis, & annexis; nam si denunciator esset malignus, & inquietus, nullatenùs debet audiri, vel si denunciatus esset vir eminens vita, & moribus, per plurimos annos in sua Religione probatus, nequaquam acceptanda esset denunciatio, à quocumque fieret, vel pari, vel majoris eminentiæ; nam sæpè angelus tenebrarum in Angelum lucis se transformat, & viri, aliàs piissimi, aliquando passione aliqua perciti se præcipites dant in proximi, præsertim eminentioris depressionem, vel oppressionem. Unde contra tales viros eminentes solùm denunciatio ad pœnam talionis est admittenda, nè malignantes, quicumq; illi sint, sub spe indemnitatis ansam, & occasionem captent, opprimendi perfectos, eminentesque viros in Religionis dedecus, & damnum irreparabile.

Idem faciendum est cum illis, qui ultra productam denunciationem cum testibus iterum, & sæpius, vel ore tenus, vel literis repetunt, & usque ad causæ finem non desistunt, in quo faciunt officium accusatoris sub palliato nomine denunciationis, quos, ut cognoverit Prælatus, debet eos cogere, ut subscribant denunciationi sub pœna talionis, aliàs illorum denunciationes, ut suspectas rejiciat.

Debet etiam Prælatus, antequam aliquam denunciationem admittat, denunciantem interrogare, num correctionem fraternam præmiserit? quod si invenerit illam omisisse, judicialem denunciationem nullatenùs admittat, sed vel tantùm fraternam, vel jubeat denuncianti, ut indebitè omissam charitativè adimpleat, ut sic denunciantes confundantur, & priùs fraternam charitatem exerceant, prius quàm faciem Prælati adire præsumant ut Judicis; ita Spatarius in *cap.* 3. *tract.* 5. Rodrig. *quæst.* 6. *Tom.* 2. *art.* 8. Boverius *in directorio fori judicialis, cap.* 15.

DICO VI. Ubi Prælatus denunciationem legitimam judicaverit, tenetur ex ea contra denunciatum inquirere, ac judicialiter procedere, alioquin peccabit cùm justitiam, & Religionis bonum negliget; ita Boverius *ubi suprà.* Bassæus *verbo* Correctio, *num.* 1. 161

Advertat tamen Prælatus se non posse procedere ad publicam punitionem, nisi delictum, quod denunciatum est, sit publicum, vel Reus laboret infamia, vel sit semiplena probatio, aut indicia sufficientia; nam si nihil horum adsit, punitio non spectat ad bonum commune, ut benè advertit Suarez *Tom.* 4. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 12. *num.* 18. poterit tamen Prælatus in hoc casu Reum monere, & severè reprehendere pro qualitate semiplenæ probationis, aliquam correctionem secretam, etiam adhibendo ad timorem, & medicinam in futurum, non verò in pœnam: quod si Reus denunciatus in judicio recognoscat suum delictum, & promittat emendationem, ac satisfactionem, tunc Prælatus non potest eum publicè punire; potest tamen eum occultè punire in medicinam præservativam; Suar. *ubi suprà.* 162 163 164

Si tandem inquiras, an Denunciator possit esse testis contra delinquentem à se denunciatum? Respondeo affirmativè, non ad integram punitionem, qualem delictum postulat, sed ad mitiorem; ad hanc enim pœnam non tam exacta probatio requiritur, sicut quando proceditur via accusationis ad integram pœnam; ita Sot. Navarr. Sanch. & alii, quos refert, & sequitur Pelliz. *Tract.* 9. *cap.* 4. *num.* 75. Plura ad hanc materiam denuntiationis pertinentia reperire est apud nostros Petrum ab Angelis in *Judice Reg.* 1. *Part. cap.* 9. Thom. à JESU *loc. suprà cit.* & Ven. P. Joannem à JESU-MARIA *Tract.* de Regimine Monastico, *Part.* 2. *cap.* 30. *&* *seqq.* 165

SECTIO VII.

SECTIO VII.

De modo procedendi per viam accusationis.

DIco I. Accusatio est delatio Rei de crimine 166
ad vindictam publicam libello facta. Differt 167
à denunciatione in eo, quòd accusatio semper est ad publicam vindictam, non verò denunciatio; à querela verò distinguitur: *Primò*, quia querela non semper fit propter publicam vindictam criminis, sed propter bonum partis læsæ. *Secundò*, quia accusatio fit oblato libello accusatorio, & subscriptione accusatoris; at querela fit nudis verbis, & deinde Judex procedit ad accipiendos testes, & informationem contra Reum: Basleus *verbo* Accusatio, *num.* 1.

Requiruntur autem aliquæ conditiones ad veram accusationem. PRIMA, ut fiat in scriptis, 168
quamvis consuetudine receptum sit, ut etiam fiat verbis, modò Notarius statim eam in scriptum redigat; Clarus, Less. quos refert, & sequitur Tamburinus *in praxi criminali, Tom.* 3. *quæsito* 4. *num.* 5. & è nostris Thomas à JESU *Tract.* 1. de Visitat. Regul. *Cap.* 4. Petrus ab Angelis in *Judice Regul.* 1. *Part. Cap.* 10. & Joan. Augustin. à S. Teresia, aliàs Herm. Wesselingius in *Nomognostico Juris Universi*, sive *Aurifodina præcipuarum Legum & Canonum Utriusque Juris, tum publici, tum privati*, tit. *Accusatio.* SECUNDA, ut exprimatur dies, & annus, quo intentatur; quod hodie non est necessarium, hoc enim parùm ad rem facit; Tamburinus *ubi suprà, num.* 6. TERTIA, ut exprimatur nomen accusatoris, & accusati. QUARTA, species delicti. QUINTA, locus, & tempus, & annus, & mensis, quo delictum commissum fuit, aliàs accusatio incerta, & lubrica redderetur; non tamen tenetur accusans exprimere diem, quo delictum commissum fuit, nisi aliàs Reus petat exprimi diem ad probandum se in illa die fuisse infirmum, vel non fuisse in tali loco; ita cum communi sententia Tamburinus *ubi suprà, num.* 9.

169 DICO II. Iste modus procedendi per viam accusationis, licèt relegandus sit à viris religiosis, utpotè maximè paci, & quieti Religiosorum noxius, & aliàs bono communi, & privato sufficienter per Judicialem denunciationem satisfieri possit:
170 attamen non omninò excluditur; aliquando enim etiam inter Regulares potest procedi via accusationis, non solùm absque peccato injustitiæ, sed etiam sine peccato contra charitatem; ut si Religiosus affectus injuria accuset injuriantem apud Superiorem, non ex odio, sed ex affectu Religionis, ne tales injuriæ in eam introducantur, vel ex affectu proprii commodi, nempe justi honoris, aut boni nominis, quin etiam interdum potest id cadere sub obligatione, ne tales excessus introducantur in Religionem; ita communiter DD. apud Pelliz. *Tract. 9. cap. 4. num. 83.* ubi etiam cum Soto advertit, cessare obligationem rigorosè accusandi, si per judicialem denunciationem consuli possit communi bono; unde cùm hoc semper fieri possit, talis modus rigorosè accusandi, raro, aut nunquam usuvenire potest apud Regulares, sed tantùm occurritur bono communi, vel particulari per judicialem denunciationem, quæ etiam lato modo dici potest accusatio, quatenus ordinatur ad vindictam, & pœnam, ad quam tamen non ordinatur denunciatio, ut benè advertit Peyrin. *de subdito, quæst. 1. cap. 16. dicto 5.*

171 DICO III. Quilibet Religiosus potest, si velit, alterum accusare pro injuriis sibi illatis; ita communiter Doctores apud Peyrinum *ubi suprà, dicto 5.* Ratio est, quia accusatio, & vindicatio injuriarum authoritate publica est actus virtutis justitiæ, si cum debitis circumstantiis fiat; debitæ autem circumstantiæ ad hoc, ut iste actus sit lici-
172 tus, sunt: PRIMA, ut fiat sine odio, nec alia perversa intentione, sed solo intuitu justitiæ, ut benè cum communi sententia notavit Basseus *verbo* Accusatio, *num. 5.* SECUNDA, quòd delictum sit probabile in judicio, aliàs accusator injuriam infert accusato, ejus famam injustè lædendo, seque exponendo pœnæ talionis: accusator enim sub pœna talionis tenetur delictum, saltem semiplenè probare, per famam, vel per unum testem omni exceptione majorem, licèt hodie talis pœna jam non sit in usu, sed mitiori pœna puniatur; ita ex Aretin. Navarro, & aliis Lezana *Tomo 1. cap. 27. num. 24.* TERTIA, si delictum fuerit occultum, quòd præcedat correctio fraterna; licèt enim hæc correctio ex justitia non postuletur, quando delictum est probabile in judicio, requiritur tamen ex charitate, si speratur emendatio, & crimen non sit contra bonum publicum, & adhuc pendeat in futurum; Basseus *ubi suprà, num. 3.* & alii communiter. An autem ad accusationem licitam etiam requiratur infamia? Respondeo negativè, sed sufficit, quòd possit delictum probari in judicio, ut patet ex *Cap. qualiter & quando.*

DICO IV. Licèt quis possit alterum pro injuriis 173
sibi illatis accusare modo dicto, non tamen tenetur, sed potest, si velit ei injuriam remittere; in hoc etiam conveniunt Doctores apud Peyrinum *ubi suprà, dicto 5.* nam unusquisque potest non solùm injuriam sibi illatam, sed etiam ejus restitutionem remittere, ut docet D. Thom. *2. 2. quæst. 64. art. 5. & quæst. 73. art. 4.*

Excipiuntur tamen aliqui casus: PRIMUS, si 174
delictum sit contra bonum publicum, & in fieri, seu in procinctu, ut fiat, & fuerit probabile per testes, quale est crimen hæresis, læsæ majestatis, conspirationis in Principem, rebellionis, falsificationis monetæ, subornationis suffragiorum in electionibus, & his similia; & ratio est, quia unusquisque tenetur meliori modo, quo possit subvenire bono communi; quod si alio modo non potest, nisi accusando, ad hoc tenebitur sub mortali, quod verum est, etiamsi delictum noverit sub secretò naturali & juramento, modò secretum non sit confessionis.

Adverte tamen, quòd si delictum, etiam contra 175
bonum publicum, sit patratum, & completum, ita, ut nullo modo maneat in actu, non teneri quemquam illud accusare, vel denunciare, nisi in judicium vocatus fuerit à Judice, interrogatus juridicè, hoc est, cùm criminis illius sit infamia, notorietas, aut aliqua probatio.

SECUNDUS casus, qui excipitur, est, si sit in damnum tertiæ personæ pendens in futurum, & aliàs per correctionem fraternam non sit spes certa illud impediendi; D. Thom. Bonacina, Filiutius, Clavis Regia, quos refert, & sequitur Basseus *ubi suprà, num. 7.*

TERTIUS casus est, si quis ex justitia teneatur ac- 176
cusare, vel denunciare, ut sunt Officiales, & Prælati, quibus ex officio incumbit à Communitate vitia avertere, si aliàs se ipsis illis non possunt subvenire; Basseus *ubi suprà, n. 9.* Excipe, nisi aliàs delinquens contra legem, quam zelatores, & Officiales tenentur custodire, hoc faceret ductus necessitate gravi, cui aliàs Prælatus sufficienter

secundùm

ſecundum modum, & & leges Religionis non ſuccurrit, ut ſi quis ex noſtris carnes, ob nimiam notamque debilitatem, furtivas manducaret, vel lineis veſtimentis inconſulto Prælato uteretur, quia cum eas ſæpè poſtulaverit Prælatus non illi de neceſſariis providit, hi enim vel habent licentiam præſumptam Superiorum majorum, vel à lege ſunt abſoluti: ita in ſimili caſu Baſſeus *ibid.*

177 Dico V. Religioſi non poſſunt eſſe Actores, aut accuſatores in judicio forenſi, etiam pro injuria ſibi illata, abſque licentia ſui Superioris. In hoc enim æquantur in jure Religioſi cum ſervis, aut filiisfamilias, & quaſi pro mortuis habentur, ut tradunt communiter Doctores *Cap.* Cum dilect. *de reſcript. & authentica cauſa, qua ſit cum Monacho C. de Epiſcopo & clerici.*

178 Excipe, quando ſunt extra Monaſterium, vel Prælatus taliter eſt abſens, ut ejus adventus non poſſit expectari, aut niſi velint agere cõtra ipsã Religionem: ita communiter DD. in *Cap.* Cum delictus *de reſcriptis* Lezana *Tomo* 1. *cap.* 9. *n.* 11. Præla-
179 tus autem, qui talem poteſt in noſtra Religione licentiam concedere eſt Provincialis, ut patet ex 3. *part. noſtrarum Conſtitutionum cap.* 12. *n.* 5.

180 Dixi, *niſi velint agere contra ipſam Religionem:* nam ſi velint agere contra ipſius Prælatos, id poſſunt agere ſine eorum licentia, quia in hoc caſu ipſa Religio, vel jus naturale dat talem licentiam; ita cum Sanchez, Lezana *ibidem.*

Quando autem ſubditus accuſat ſuum Præla-
181 tum, dandæ ſunt ei expenſæ ad litem, niſi aliàs Religioſus accuſans habeat aliquod peculium, & eædem expenſæ debent concedi Prælato accuſato, cum etiam ipſe Superior ſit monaſterii pars, & monaſterii interſit quod Prælatus ſe defendat; ita cum Tapia, Lezana *verbo* accuſare *n.* 4. *Tom.* 3. *qq. Reg.* Adverte tamen, quod Religioſus accuſans ſuum Prælatum, tenetur in omnibus ei obedire, ſicut an-
182 tea, non tamen in deſiſtendo à lite, vel accuſatione, cum in hoc ei non ſubdatur. Unde ſine illius licentia poteſt conſtituere ſuum Procuratorem, ita cum aliis Lezana *ubi ſuprà n.* 6.

Dico VI. In caſu hæreſis, vel hæreſis ſuſpicione tenentur omnes Religioſi accuſare ſeu denun-
183 tiare perſonas qualcunque, etiam ſui Ordinis Inquiſitoribus, abſque ulla licentia ſuorum Prælatorum, ut patet ex Conſtitutione Pauli V. & Decreto Cardinalium Inquiſitorum, quæ refert Lezana noſt. *loc. cit. num.* 7. Quomodo autem in his caſibus ſe debeant habere Regulares, jam *ſuprà* latè explicavimus, vide tamen Lezanam *ibid.*

Dico VII. Regulares non poſſunt accuſari à 184
Laicis, vel à Religioſis alterius Ordinis, niſi in caſu, quo ſuam, aut ſuorum injuriam proſequantur, ita Lezana *Tom.* 1. *cap.* 27. *n.* 25. Pellizzar. *Tractatu* 9. *capite* 4. *num.* 87. Imò, accuſantes, & judices 185
talem accuſationem admittentes incurrunt excommunicationem latam à Leone X. in favorem Prædicatorum, prout teſtatur *ibi* Lezana. Ratio autem eſt, quia accuſator, & accuſatus debent eſſe ejuſdem fori, ad hoc, ut ſi accuſator non probet delictum, ab eodem Judice puniatur, quod tamen fieri non poteſt, ſi accuſator non eſt ſubjectus Judici accuſati.

Dico VIII. Si totus Conventus præmiſſa ad id publica Conſilii convocatione, ac deliberatione 186
delinquat, poteſt accuſari, ac puniri, adimendo ei privilegia, vel ejus bona publicando, aut imponendo ei mulctam pecuniariam; ita ex communi ſententia Clarus *lib.* 5. *§. fin. pract. q.* 16. at ſi omnes de Conventu non præmiſſa Conſilii deliberatione delinquant, tunc non debet accuſari, aut puniri Conventus, ſed ii, qui deliquerunt, tan- 187
quam ſinguli; ita Clarus *ubi ſuprà*, & cum eo Pelliz. *ubi ſuprà n.* 83.

Dico IX. Prælati ſuperiores, verbi gratia, Provincialis, vel Generalis poſſunt ex juſta cauſa, & citra ſcandalum abolere accuſationem coram ipſis 188
factam, adverſus Religioſum ſubditum, aut impedire accuſatorem, ne eam proſequatur, & hoc ſive accuſatio ſit de injuria publica, ſive privata, dummodo alia via reſtituantur damna, ſi quæ illata ſint accuſatori; Princeps enim ſupremus diſpenſare poteſt in lege, & poteſt caſus evenire, in quo expediat quod diſpenſet, ergo idem poterit facere Provincialis, cum primus ſit in ſua Provincia; ita colligit ex Sanchez & aliis Pellizz. *loc. cit. n.* 88. ubi hoc etiam extendit ad inferiores Prælatos, in aliquo caſu per epikeiam, eo quod ad Provincialem non detur recurſus.

Dico X. Inchoata accuſatione, ſi nondum 189
conſtet de Reo in particulari, poteſt accuſator deſiſtere ab accuſatione, & prælatus à proſequendo judicio; ita Pelliz. *ibidem.* Cum enim non conſtet de Reo, Judex non poteſt procedere ad inquiſitionem ſpecialem, ſine infamia, vel indiciis, & aliàs accuſator deſiſtere poteſt ab accuſatione, ex juſta cauſa, ſcilicet, ex pietate, miſericordia, vel
charitate; imò etſi conſtet de Reo accuſator po- 190
teſt deſiſtere ab accuſatione, ſive gratis, ſive ad petitionem alicujus, quoties accuſare non tenebatur. Secus quando ex officio, vel propter bonum publicum,

cum, vel privatum, alicujus innocentis accusare tenebatur, quia cum accusatio in hoc casu non sit ex necessitate, nec prosecutio illius; ita cum Soto, Sairo, Sanchez, Fagundez & aliis Lugo *de justitia disputatione* 58. *num.* 9. Imò ipsi Prælati aliquando tenentur non acceptare accusationem, contra aliquos Religiosos, si alia via potest satisfieri parti læsæ, seu procedi ad remedium, si credant ex tali accusatione secutura esse mala bono communi Ordinis noxia, ut seditiones, turbationes, & infamiam Religiosorum, ita cum aliis Pellizzarius *ibid.*

SECTIO VIII.

De forma examinandi Reum.

222 Ne-

222 *Nemo torqueri potest, nisi tantum bis.*

223 *Si constet Reum in tormentis falsum jurasse, non potest propter perjurium puniri.*

224 *Dantur aliquæ personæ à tormentis privilegiatæ, & quæ illæ sint?*

225 *Reus in progressu examinis potest detegere occultos Testium defectus veros, non tamen eis falsos imponere, ad reddendum invalidum eorum testimonium, si id ad hunc finem fuerit necessarium, secus si non sit.*

226 *Reus justè in carcerem detrusus, vel in aliquo Conventu detentus, nec ante, nec post sententiam, potest licitè fugere absque apostasia.*

227 *Quid si injustè in carcere detineatur?*

228 *Quo modo Prælati cauti esse debent in incarcerandis Fratribus.*

229 *Per carcerem amittitur honos.*

230 *Prælati tunc solum debent ad capturam procedere, cum duo vel tres testes delicti adsunt.*

231 *Religiosus jussus à Prælato progredi in carcerem non assignata causa ejus carcerationis non tenetur illi obedire.*

232 *Si Prælatus assignet causam insufficientem non tenetur ei subditus obedire*

233 *Triplex datur genus carceris, & enumeratur.*

234 *Carcer in pœnam non potest dari, nisi per sententiam definitivam.*

235 *Carcer ad custodiam solum datur, quando Reus valde suspectus est de culpa, & aliàs fugere solitus.*

236 *Carcer ad torturam non potest dari sine criminis cognitione.*

237 *Quid si Reus sit persona vilis, & valde de crimine suspecta per indicia, vel unum testem omni exceptione majorem.*

238 *Iudex supremus, verbi gratia, Generalis, quando delictum est notorium, & constat Reum nullam habere defensionem, potest contra eum non citatum, nec auditum procedere, si ex citatione partis timeatur scandalum.*

139 *Regulariter Prælati non possunt contra Religiosos procedere eis inauditis.*

191 DIco I. Recepta à Judice alicujus Rei accusatione, & facta ad minus de delicto semiplena probatione, debet illum ad se vocare, etsi sit in carcere, ex illo extrahere si hoc tutè fieri possit; libertas enim ad testificandum spectat ad substantiam judicii, ut benè cum Spathario notavit Rodriguez
192 *Tom.2.q.19.art.11.* Reo igitur ante Prælatum constituto, & illi imposito præcepto, & ab eo acceptato juramento dicendi veritatem, illum debet Prælatus interrogare, *an sciat cur vocetur ad examen?* & si causam expresserit sui examinis, ex qua 193
delictum ab ipso factum colligatur, debet interrogari, ut facti seriem dicat à principio usque ad finem: postea debet interrogari super his, quæ obscurè, & non plenè explicavit, pro facti majori dilucidatione.

Si autem respondeat, causam se nescire, nec 194
præsumere sui examinis, poterunt illi fieri communes interrogationes, scilicet ex quonam tempore sit in illo Conventu? an fuerit unquam denunciatus, aut de aliquo crimine inquisitus? quamvis tales interrogationes possit etiam omittere Judex, si velit, non enim sunt simpliciter necessariæ. Unde illis omissis debet notari in proces- 195
su Reum recusare respondere de delicto principali, vel circumstantiis illius, & tunc cogendus est Reus ad respondendum, sive ei indicendo mulctam, quod factis tribus monitionibus illum mulctabit pœna debita, sive etiam ipsum torquendo, si agatur de delicto graviori, sive id priecipiendo sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Peyrinis *in Formulario lit. R. n. 2.*

Debet autem Reus respondere formaliter, & 196
præcisè affirmando, vel negando, non autem dubiè, verbi gratia, *non scio*, vel *non recordor*. Nam respondere hoc modo est idem ac non respondere absolutè: & factis debitis monitionibus, potest cogi mulcta, vel pœna confessi criminis, aut per- 197
jurii, seu sub pœna excommunicationis latæ, sententiæ, vel torturæ, ad respondendum præcisè, ut dictum est, & in hoc casu tortura non ei datur ad eruendam delicti veritatem, sed ad hoc, ut respon- 198
deat formaliter, quod si etiam post torturam pertinaciter renuat respondere, potest haberi pro confesso; & consequenter potest damnari: ita cum Rodriguez, Thoma à JESU, Spathario, Peyrinis Pellizz. *Tract. 9. cap. 4. n. 107.* Lezana *verbo* Reus *n. 3.* & Petrus ab Angelis *loc. cit. cap. 18.*

Quod si Reus nolit respondere allegando, judi- 199
cem sibi esse suspectum, tunc Judex eligat arbitros cum ipso Reo, qui judicent de causa suspicionis, & si causa non fuerit probata, Judex prosequatur suam jurisdictionem, si vero intra tempus præfixum fuerit probata, si est Judex ordinarius deleget causam alteri, si vero est delegatus, ab ea omnino abstineat, ut habetur *in cap. cum speciali, &c. de appellationibus.*

Advertetamen, nunquam ante examen cogen- 200
dum

dum esse Reum ad jurandum se dicturum veritatem, nisi in casu, quo Reus licitè posset subjici torturæ, & aliàs non posset constare de veritate; nam juramentum quædam est species torturæ. Reginaldus *lib.*24.*n.*42. Lessius *lib.*2.*cap.*31.*n.*15. Portel.*in dub.regul.verbo* correctio fraterna §.*Iudex n.* 9.

201 Secundo adverte, Judicem antequam interroget Reum de delicto, debere illum informare de statu causæ, ei manifestando contra ipsum extare, vel infamiam, vel indicia sufficientia, vel semiplenam probationem: aliàs Reus non tenebitur re-
202 spondere; dum enim bona fide possidet suum honorem, non tenetur illo se spoliare, donec illi constet de jure, quo compellitur dimittere illum: quia licet in dubio, an res præcepta sit licita, vel non, teneatur subditus obedire, non tamen quando dubitatur de potestate Superioris; hic autem dubitatur de illius potestate, nam Judex non habet potestatem interrogandi, nisi Reus laboret infamia, vel delictum sit semiplenè probatum; ita cum Cajetano, Navarro, Soto, & aliis communiter Lugo *de justitia disputatione* 40.*num.*2. licet alii apud ipsum contrarium teneant.

203 Dico II. Si Reus dubitat, an Judex juridicè interroget, non tenetur ei respondere, etiamsi Judex sub excommunicatione præcipiat; ita cum Sanchez, Medina, Navarro & aliis, Lugo *ubi suprà*
204 *n.* 5. Imò etiamsi Judex juridicè interroget circa aliquid, poterit Reus negare, quando id procedit ex præsumptione falsa delicti, ut si interroget, an tali hora è cella Francisci cum gladio evaginato exierit? volens inde inferre, illum reliquisse occisum, nam tunc poterit id negare, etsi sciat probatum esse semiplena probatione, quod Reus exiit quidem, non tamen facto delicto, sed ob aliam causam, quia tunc non interrogat Judex juridicè, sed ex falsa præsumptione; ita cum Sanch. Fagund. Sairo, & aliis, Lugo *ubi suprà n.*4.

205 Dico III. Judex non potest interrogare Reum, nisi de illis, de quibus, vel præcessit infamia legitimè probata, vel extant indicia sufficientia probata, vel habetur semiplena probatio simul, cum ac-
206 cusatione, facit autem semiplenam probationem, unus testis omni exceptione major, qui sit oculatus, & juratus, & non particeps delicti, nec Autor, sed omnino distinctus ab accusatore, aut habente vicem accusatoris; ita cum Navarro, Soto, Sanch. Lugo *ubi suprà n.*10.

Idem dicendum est, de duobus complicibus delicti, ut tenet Lessius *cap.*29.*dub.*17.*u.*161. licet oppositum dicant alii, ut ibi testatur Lugo.

Hinc fit judicem non posse interrogare Reum 207
convictum de uno crimine, de aliis delictis, de quibus non datur infamia, vel indicia aut semiplena probatio, nec etiam illum potest interrogare de complicibus, nisi etiam de illis præcedat semiplena 208
probatio, indicia, vel infamia, vel delictum sit tale quod sine complice non possit committi, ut sodomia, vel aliàs cedat in maximum dispendium Reipublicæ, vel tertiæ personæ, ut peccatum hæresis; ita cum Rodriguez, & aliis Pellizz. *Tract.* 9. *cap.*4.*n.*111. & nost. Petrus ab Angelis *loc.cit.*

An autem quoties præcedit semiplena probatio, 209
vel Reus juridicè interrogatur, teneatur veritatem respondere contra se; affirmant innumeri Doctores, quos refert Lugo *ubi suprà n.* 14. Verum contrariam sententiam, quæ negat Reum teneri fateri veritatem, si timeat sententiam mortis, vel triremium vel confiscationis omnium bonorum, vel amissionis honoris, & his similia, si sit probabilis spes illud periculum evadendi, reputo probabilissimam, secus si non detur talis spes, eo quod delictum facile possit plenè probari: hanc tenet Navarrus, Panormitanus, Silvester, Angelus, Armilla, Rodriguez, Salzedus & nost. Joan. Augustin. *loc.cit.* tit. *Reus*. Et eam probabilem putat Lessius, Vega, Malderus, Sà, Suarez, Salas, Henriques, Villalobus, Filiucius, Fagundez, Alcozer, Reginaldus, Portel, Peytinis, Diana, Joannes Sancius, quos refert, & sequitur Lugo *loc.cit* Pellizz. *n.* 113. Basseus, *verbo* Reus *n.* 4. lex enim humana non obligat cum tanto incommodo: Et Testes non tenentur deponere de personis valde conjunctis, ergo nec Reus contra seipsum.

Imò addo, quod si Reus neget delictum, quan- 210
do tenebatur illud confiteri, vel etiam in hoc casu sequendo contrariam sententiam, non teneri postea illud retractare, nisi iterum legitimè interrogetur; ita cum Sanchez Lugo *ubi suprà num.* 17. cum 211
enim jam sit extra judicium non urget præceptum Superioris, nam hoc solum urget, quamdiu Judex urget, & exigit responsum: Excipe, nisi præceptum 212
judicis sit pro tanto tempore, nam durante illo tempore tenebitur dictum retractare, non tamen illo finito.

Imò addo, quod etiamsi delictum sit plenè probatum, & Reus per sententiam definitivam condemnatus, adhuc non teneri confiteri delictum, quod eò usque negavit, etiam si mortis pœna plectendus sit, nam data sententia expiravit officium Judicis, & ejus præceptum, quo Reus tenebatur confiteri veritatem: ita cum Navarro, Segura, Salcedo,

Salcedo, Sairo, & aliis Lugo *suprà n.* 19. Basseus *loc. cit. n.* 5. Quidquid alii in contrarium dicant, debet tamen Reus esse dispositus ad hoc, ut si iterum de delicto juridicè interrogetur, fateatur veritatem, aliàs non poterit absolvi. Lugo *num.* 20.

213 Sed quæres, an in casu, quo Reus neget delictum, possit Judex regularis, Reum cum testibus confrontare? Respondeo negativè; nam licet hoc licitum sit in judicio sæculari, in quo Reo dantur nomina testium, non tamen in judicio regulari, in quo illis occultantur nomina testium, ob odia, & alia incommoda inde resultantia, quæ occultatio ob hujusmodi causam licita est, & practicari potest in omnibus Religionibus, & de facto utitur illa nostra Religio, ut *suprà* diximus; ita cum Hostiensi, Mansio, Rodriguez, & aliis Pelliz. *ubi suprà cit. loc. n.* 115.

214 Dico IV. Si Reus neget delictum semiplenè probatum, tortura ei adhiberi potest in casibus gravioribus, ad probationis subsidium, qui pœnam mortis, vel triennium merentur, non tamen in illis, qui pœnam pecuniariam, exilii, vel aliam merentur; nam pœna ad eliciendam criminis confessionem instituta, non debet esse major, quam sit illa, quæ ex ejusdem criminis confessione infertur.
215 Imò tortura adhiberi non debet, si Reus legitimè convictus fuerit, ut de crimine condemnari possit; ita cum Lessio, Bonacina, & aliis Basseus *ubi suprà n* 10.

Dico V. Ad torquendum Reum in delictis gravissimis, non quælibet indicia sufficiunt, sed de-
216 bent esse gravia, & per duos testes probata: indicia autem sufficientia ad torturam erunt: unus testis omni exceptione major, confessio rei extra judicium, fama publica cum alterius indicii adminiculo, variatio delinquentis quo ad substantiam delicti simul cum infamia, fama simul cum fuga delinquentis, duo socii criminis. Priusquam tamen Judex descendat ad torturam debet Reo dare copiam indiciorum, cum certo termino ad se purgandum, etiamsi Reus sit malæ famæ, & vitæ; ita cum aliis Rodriguez *Tom.* 2. *quæst.* 3. *art.* 3. & è nostris Thomas à Jesu *Tract.* 3. de Visitat Regul. *Cap.* 13. Philippus à SS. Trinitate *Tom.* 3. *in* 2. 2. *Tract.* 2. *disp.* 8. *q.* 70. Urbanus ab Ascensione in sua *Theolog Canonica ac mor. Tract.* 3. *tit.* 3. *cap.* 9. Petrus ab Angelis *lib. cit.* 1. *part. cap.* 24. Franciscus Bonæ Spei *Tom.* 5. *suæ Theolog. Tract.* 1. *de jure & justit. disp.* 4. *dub.* 2. & Stephanus à S. Paulo *in Theolog. moral. Tract.* 4. *disp.* 10. *dub.* 1. *n.* 10.

Adverte tamen, Reum regularem, qui semel tor- 217
tus fuit, non esse iterum torquendum, nisi forte novum indicium prioribus urgentius adsit; nam licet Reus sæcularis possit iterum torqueri, si adsint nova indicia sufficientia, vel si priora indicia sint nimis urgentia, ut plures volunt, in judicio tamen regulari, in quo potius agitur de emendatione fratris, quam de vindicta, majora indicia prioribus requiruntur, cum prima indicia per torturam toleratam infirmentur: ita & benè Rodriguez *ubi suprà*. Pellizz. *n.* 119. *loc cit.*

Dico VI. Reus subjectus torturæ licitè potest 218
fateri delictum à se verè non factum, ad fugiendam acerbitatem tormentorum, etsi sit Religiosus probus cujus infamia cedat in dedecus Religionis; ita cum D Thom. Pellizz. *n.* 120. licet contrarium teneat Rodriguez *ubi suprà q.* 10. *art.* 10. Adverte 219
tamen, Reum, qui in tormentis delictum confessus est, debere illud extra locum tormenti iterum post aliquod tempus ratificare, tempus autem debet esse post tres dies, ut fit in Tribunali Sanctæ Inquisitionis, prout testatur Sanchez *lib.* 6. *consiliorum cap.* 8. *dubio* 2. *n.* 17. quod si Reus iterum neget 220
delictum, quod in tormentis confessus est, potest iterum torqueri; si tamen iterum tortus confiteatur, & postea extra tormenta neget delictum, non 221
debet iterum torqueri, ne in tormentis deficiat: ita Simancas *lib. instit. tit.* 65. *n.* 75. & 76. nemo enim 222
torqueri potest plusquam bis, imò si constet Reum in progressu examinis falsum jurasse, non propter 223
perjurium in foro externo debet puniri: ita ex Julio Claro, Chartario, & Folerio Peyrinis *in formulario litera R. cap.* 9. *n.* 12.

Dico VII. Aliquæ dantur personæ privilegia- 224
tæ à tortura, seclusis semper criminibus exceptis, ut hæresis, proditionis, &c. hæ autem sunt inter regulares, Doctores, Generales, & Provinciales, Magistri graduati, & alii constituti in magna dignitate, ut Consiliarii Principum, Regum, Confessores, &c. vide Basseum *ubi suprà n.* 12. Lezanam *verbo tortura n.* 4.

Dico VIII. Reus in progressu examinis potest 225
detegere occultos testium defectus veros, non tamen eis falsos imponere ad reddendum invalidum eorum testimonium, dummodo hoc sit necessarium ad hunc finem, secus si detectio talium defectuum non esset necessaria, & alia via posset infirmari eorum testimonium, nam tunc saltem contra charitatem peccaret; ita communiter Doctores apud Sanch. *lib.* 6. *consiliorum cap.* 5. *dub.* 20 Imò alii dicunt etiam esse contra justitiam, sed de his

L vide

vide Lugum *de justitia disput.* 40. *n.* 23. ubi plura ad intentum.

226 Dico IX. Religiosus justè in carcerem detrusus, vel in aliquo Conventu detentus à suo Prælato, nec antea, nec post sententiam potest licitè fugere absque nota apostasiæ: secus si injustè in carcerem esset injectus, cum maxima sui honoris, &
227 famæ jactura, & cum gravi corporis afflictione, vel vitæ periculo injustè perpesso, nam tunc fugere potest absque ulla apostasiæ nota, etiam vim inferendo custodibus & vincula rumpendo, ac compedes, & infringendo carcerem, etsi custodibus damnum aliquod inde esset eventurum, dummodo Regularis ita fugiens recta via properet ad Superiorem Prælatum illius, qui eum injustè in carcerem conjecerat, talis enim fuga, recursus potius appellanda est, quam fuga; ita cum Rodriguez, Azor. Sà, Navarro, Diana, Portel, & aliis, Basseus *verbo* Religio 6. *n.* 15.

228 Et hinc debent doceri Prælati regulares, ne facile ad Reorum capturam procedant, cum enim apud Religiosos honor, & bonum nomen sint to-
229 tæ eorum divitiæ, & per carcerem omnino, saltem in nostra Religione amittatur, summo studio cavendum est, ne absque maxima, & gravissima causa Religiosus quilibet, etiam ad custodiam carceri mancipetur, & præsertim viri insignes, & de Religione benemeriti, & qui usque illuc bonam famam
230 habuêre. Unde tunc solum procedendum est ad capturam, quando duo aut tres testes contestes testimonium fuerunt contra Religiosum. Accusatio enim non debet recipi contra Religiosum, nisi cum duobus, aut tribus testibus; ita, & benè cum Navarro docet Pellizz. *ubi suprà num.* 123. Basseus *verbo* Reus *n.* 14.

231 Hinc fit Religiosum jussum à suo Prælato ire ad carcerem, non assignata causa ejus carcerationis, non teneri illi obedire. Religiosus enim de jure naturali tenetur honorem suum defendere, & sic non tenetur captis oculis carceratum se præbere.

232 Imò addo, quod si Prælatus assignet causam, quæ tamen non sit sufficiens ad talem pœnam, non
233 teneri subditum obedire: & ratio est, quia cum triplex detur genus carceris ad pœnam, ad custodiam,
234 & ad afflictionem, &c. de primo patet, nam Prælatus non potest ei præcipere ire ad carcerem in pœnam, nisi per sententiam diffinitivam, quæ tamen in præsenti non datur, ut suppono: non secundum, nam ad custodiam tunc solum datur car-
235 cer, quando Reus est de culpa valdè suspectus, & aliàs fugere solitus: si ergo persona non sit assueta fugere, non est cur de illa præsumatur fuga: non tertium, nam carcer in afflictionem est quoddam torturæ genus; sed hæc etiam dari non potest, sine criminis gravis cognitione, ut *suprà* diximus: ergo; ita cum aliis Peyrinis *de subdito q.* 1. *cap.* 13.
Dias, Spatharius, quos refert & sequitur Basseus 236
ubi suprà n. 14.

Adverte tamen, quod si Reus fuerit persona ad- 237
modum vilis, & de delicti veritate constet apud Prælatum, vel per manifesta indicia, vel per testem omni exceptione majorem, tunc potest Prælatus talem justè in carcerem ad afflictionem injicere. Peyrinis *loc. cit.*

Adverte secundo, judicem præsertim Supre- 238
mum, verbi gratia, Generalem posse, quando delictum est notorium, & constat Reum nullam habere posse defensionem, contra illum procedere non citatum, nec auditum, si ex citatione partis timeretur grave scandalum, vel aliud grave inconveniens, regulariter tamen non posse procedere Prælatos regulares contra Religiosos, nisi illis vocatis, & auditis; ita Lezana *verbo* judex *n.* 17. de 239
Reo enim religioso non facilè præsumendum est deliquisse, vel existimandum est aliquam habuisse excusationem. Plura circa hujus section. materiam reperies apud nost. Petrum ab Angelis in *Iudice Reg.* 1. *part. cap.* 24. Thomam à Jesu, & Joannem à Jesu Maria supracitatos.

SECTIO IX.

De modo examinandi Testes in judicio regulari.

240 *Modus examinandi testes arbitrio judicis relinquitur.*
241 *Quæ debeant notari in testium examine?*
242 *Testes finito testimonio debent illud subscribere.*
243 *Testes ut probent debent esse vocati.*
244 *Voluntariè se offerentes ad testificandum redduntur suspecti, & non probant.*
245 *Debet ab eis præstari juramentum, & sine illo non probant, etiamsi postea juramentum ab illis exigatur.*
246 *Quomodo hoc juramentum sumi debeat?*
247 *Testes examinati antequam Reus citetur, nihil probant contra Reum quoad causam decidendam, nisi de novo examinentur.*
248 *Citatio partis est de jure naturali, & divino.*

249 In-

292 *Secundo, si crimen noverint sub secreto naturali.*

293 *Tertio, si peccatum est occultum, & peccator jam emendatus, vel sola correctione fraterna probabiliter emendabilis.*

294 *Quarto, non tenetur quis testificari cum suo notabili damno spirituali, vel si ex testimonio oriturum esset scandalum.*

295 *Quinto, non tenetur quis testificari, quando dubitat, an legitimè interrogetur.*

240 DIco I. Circa modum examinandi Testes, non potest dari certa regula, cum interrogatoria debeant variari, juxta criminum diversitatem; unde hoc prudentis arbitrio Judicis relinquitur: si tamen eum desideres consule Tamburinum, *in*
241 *praxi criminali quæsito* 12. Illud tamen generaliter observandum est, quod in Testium examine notetur nomen, & cognomen testis, status ipsius, & gradus, ætas sæculi, & Religionis, deinde debent interrogari de notitia Rei denuntiati, de tempore, de delicto, de præsentia, de visu, de auditu, loco, & tempore, quo commissum est delictum, nempè de anno. mense, & hebdomada, die, & hora: item, qui interfuerint, de scientia, credulitate, & similibus, debent etiam ei interrogari, an id, quod testificantur sit publicum, & notorium? vel an sit occultum, & quando, & quomodo illud sciant, eorumque dicta eodem idiomate, quo ab eis fuerint prolata scribantur, nihil ad-
242 dendo, vel minuendo. Ubi autem absolutum fuerit examen, & lecto illo coram Teste, ipsemet testis illud suscribat, & si nescit scribere, propria manu signum Crucis apponat; ita cum aliis Peyrinis *in formulario litera T. cap. 3. num. 2.* & nost. Petrus ab Angelis *loc. cit. c. 16.*

243 DIco II. Ut Testes legitimè probent in judicio, debent esse vocati: testes enim voluntariè se offerentes ad testificandum hoc ipso redduntur suspecti. & non probant *l. presbyteri C. de Episcop. &*
244 *cleric.* sive postea vocentur à judice ex officio, sive producantur à parte, modo in processu notetur, qua via fuerint inducti; Farinacius *part. 2. praxis q. 00. num. 1.*

245 Item debet ab eo præstari juramentum, testis enim examinatus, sine prævio juramento, de dicenda veritate non probat, etiamsi post examen juramentum ab eo exigatur. Unde de juramento debet etiam in processu constare; ita cum Farinacio
246 Peyrinis *suprà n. 4.* Hoc autem juramentum debet sumi ad sacra Dei Evangelia, sacrisque Scripturis corporaliter tactis: vel si fuerint Episcopi, vel Sacerdotes tacto pectore, nisi in aliqua Religione detur consuetudo, quod etiam sacerdotes jurent tactis sacris Evangeliis, aliàs non probant.

DIco III. Testes examinati, etiam cum jura- 247
mento in Inquisitione generali, vel speciali, aut etiam denuntiatione contra aliquem, ante litis contestationem, hoc est, antequam reus citetur nihil contra eum probant, quod ad causam principalem decidendam, nisi de novo medio juramento examinentur, vel suam primam dispositionem medio juramento ratificent, post dictam litis contestationem, & negationem delicti, ita habetur in *Cap. 2.* de testibus, & in *Cap.* veniens
2 *eodem titulo.* Ratio vero est, quia citatio partis 248
est de jure naturali, & divino, ergo ante partis citationem, nihil fieri potest in judicio contra reum. Unde licet regulariter antequam Reus citetur, vel interrogetur, inquirantur aliqui Testes
contra ipsum, huiusmodi tamen depositio Te- 249
stium solum pertinet ad ordinem indiciorum, & informationem Curiæ, ut Reus carceretur, si timeatur de fuga, non tamen ad causam principalem.

Unde ut tales Testes faciant fidem contra Reum, 250
debent iterum saltem dictum suum ratificare cum juramento coram Judice: Imò, si Judex in ista repetitione Testium timeret de falso, posset, & deberet illos iterum examinare cogendo illos ut ad singula respondeant, & non solum primo se testimonio remittant ad videndum, an cum illo concordent; ita cum aliis Peyrinis *ubi suprà num. 11.* Licet oppositum non improbabiliter teneat cum Rodrig. Joseph à Sancta MARIA, Portel *part. 1. re-*
spons. moral. casu 10. n. 7. ubi ait hanc Testium repe- 251
titionem pertinere solum ad apices juris, quos Regulares non tenentur observare, ex privilegio BONIFACII Pontificis.

DIco IV. Ut depositio Testis valida sit; etiam 252
in judicio regulari, requiritur, quod à Notario in scripta redigatur, quamquam si desit scriba, sufficiat, quod interveniant duo testes idonei, qui universa judicii acta conscribant; ita cum Rodriguez,
Pellizzar. *Tract. 9. cap. 4. num. 144.* & habetur in 253
Cap. quoniam contra *de probationibus.* Unde si in
aliqua Religione, per se ipsum judex scribat dictum 254
Testis, ut fit in nostris visitationibus Provincialibus, ideò fit, quia vel agitur de causis minimis, quæ ex benigna interpretatione non fuêre comprehensæ in illa dispositione juris citati; vel quia, si agatur de gravioribus, Religiosi hoc videntes consentiunt,

ſentiunt, renuntiando juri ſuo, quod utique efficere poſſunt, cùm tale jus factum ſit in favorem privatorum; ita cum Rodrig. Pelliz. *ubi ſuprà, num.* 145.

255 Adverte tamen, Teſtes in judicio regulari deberi à Judice regulariter interrogari, præcipuè, ſi cauſa gravis ſit, & Judex non fuerit legitimè im-
256 peditus, vel teſtis abſens, in quo caſu, ſi hoc alicui committat, debet commiſſio fieri in ſcriptis; ut cum Rodriguez, & aliis notavit Pellizz. *ubi ſuprà,*
257 *num.* 143. ubi etiam notat cum Rodriguez, dicta Teſtium examinata per Scribam, abſente Judice, etiam de commiſſione Judicis in ſcriptis, ſi ſint de cauſa graviori, non valere.

258 DICO V. Depoſitio Teſtium debet fieri coram Judice, viva voce, præſtito priùs juramento. An
259 autem ſufficiat, quòd teſtis facto juramento ſuum dictum ſcribat, & ſignet, & tribuat Judici, ut aliqui faciunt Regulares in viſitationibus ſuorum Conventuum? Reſpondeo, in cauſis criminalibus, & civilibus magni momenti, non valere tale teſtimonium, etiamſi illud ipſe Teſtis legeret coram Judice, ita cum Joanne Andrea, Abbate, Saliceto, Felino, Covarruvia, & aliis, Rodriguez *Tom.* 2. *quæſt.* 14 *art.* 4. noſter Petrus ab Angelis 1. *part. Iud. Reg. cap.* 16. 2. Pellizzar. *ubi ſuprà, num.* 146. Quidquid in contrarium dicat Bartolus *in l. Theop. ff. de dote præleg. num.* 12. Ratio autem eſt, quia in criminalibus probationes debent eſſe luce meridiana clariores, ſed in ſcripto non declaratur animus teſtis ſicut viva voce, habet enim vox neſcio quid energiæ, quod plurimùm confert ad indagandam & excutiendam veritatem: ergo. Quæ ratio etiam procedit, quando agitur de cauſa civili magni momenti; nam quando tractatur de majori parte bonorum, vel honore hominis, dicitur tractari de vita hominis.

260 Adverte tamen, quòd ſi Teſtis deferat ſcriptum ſuum teſtimonium ad Judicem, & illud legendo Judex interroget ſuper illo, & teſtis reſponderet ad interrogationes, tunc valere tale teſtimonium; nam tunc non tantùm in ſcriptis, ſed etiam viva voce fit; ita Rodriguez *ubi ſuprà.* Pelliz. *loc. cit.*

261 Adverte ſecundò, in cauſis minimis non eſſe damnandos ſubditos, qui in viſitationibus ea, quæ volunt advertere, manu propria ſcribunt, & præbent viſitatori, nec ipſos Viſitatores talia ſcripta acceptantes, vel etiam præcipientes fieri: nam de minimis non curat Prætor. Rodriguez *loc. cit.* Pelliz. *num.* 147.

Adverte tertiò, dicta Teſtium deberi à Notario 262
ſcribi eo modo, vel eiſdem verbis, quibus à Teſte fuêre prolata: debet tamen Judex maximè curare, ut non fiant verbis ambiguis, ut *credo Petrum feciſſe talem rem*, vel, *puto*, niſi forte cauſam ſtatim aſſignent credulitatis; Thom. à JESU *Tract.* 3. *de Viſit. Reg. cap.* 7. *num.* 13. *& ſeqq.* & Petrus ab Angelis *loc. cit. num.* 15.

DICO VI. Laici non poſſunt eſſe Teſtes in cau- 263
ſis criminalibus contra Religioſos; *Cap.* de cætero, *de teſtibus*; ubi communiter Doctores in particulari Thom. à JESU *lib. cit. cap.* 11. *num.* 1. Tamburinus in *praxi criminali*, *quæſito* 13. *num.* 26. Pelliz. *ubi ſuprà, num.* 129.

Excipe primò, niſi delictum ſit commiſſum 264
in loco, ubi non ſint alii Religioſi, nec ejuſdem, nec alterius Ordinis, nam tunc, ne Religioſis detur occaſio liberiùs delinquendi, admittuntur, ut teſtes habiles, qui aliàs de jure non eſſent, ſi alii darentur; ita cum Panormitan. Marſilio, Dias, Tamburinus *ubi ſuprà.*

Excipe ſecundò, niſi delictum ſit notorium, 265
Cap. Cùm dilectus, *&* 2. *ad finem. de purgat. Can.* ita cum Panormitano, Felino, & alii communiter apud Tambur. *ubi ſuprà, num.* 29.

Excipe tertiò, quando teſtimonium eſſet in cri- 266
minibus exceptis; Felin. Panorm. & cum aliis Tambur. *ibid.*

Excipe quartò, ſi Sæculares fuerint Clerici; 267
nam hi poſſunt admitti ut teſtes, & idem de Religioſis alterius Ordinis dicendum eſt; ratione enim ſtatus præſumuntur bonæ, ac integræ famæ, niſi aliàs conſtet oppoſitum; ita Pellizzar. *loc. cit. num.* 131. Thom. à JESU *loc. cit. num.* 2. & Petrus ab Angel. *lib. cit. cap.* 14.

Adverte tamen, quòd etſi Laici contra Religio- 268
ſos non admittantur, quantum ad plenam probationem, admittuntur tamen, quoad indicium, ut Regularis ſaltem ſubjiciatur torturæ; Tambur. *ubi ſuprà, num* 30.

Advertendum etiam, quòd ſi opponantur crimina contra contra Religioſos teſtificantes in aliqua cauſa ad effectum eos repellendi à teſtimonio, tunc contra ipſos admitti poſſe teſtes Laicos, cùm talis cauſa non criminalis, ſed civilis ſit, utpote verſans circa crimen per viam exemptionis; non ad pœnam, ſed ad repellendum teſtimonium; ita cum Rodriguez, & aliis communiter Pellizzarius *ubi ſuprà, num.* 130.

L 3 An

269 An autem Regulares admitti possint ut Testes, in causis, tam civilibus, quàm criminalibus proprii monasterii? Respondeo affirmativè, ut patet ex privilegiis URBANI IV. JULII II. EUGENII IV. & LEONIS X. concessis Cistercienfibus, quæ refert Rodriguez *Tom.2.quæst.1.art.1.*

270 Adverte tamen, hæc privilegia tantùm suffragari Religiosis pro causis secretis Monasteriorum, (cujusmodi est electio Prælati facta in Capitulo) & quando Regulares non fuêre in culpa non vocando externos: secùs, quando possent vocare extraneos, ut fit in contractibus, qui habentur cum Sæcularibus; nam ad hæc semper vocantur Testes extranei: item, non suffragantur Religiosis, qui in dictis causis sunt Actores, sive responsales, prout cum aliis latè probat Rodriguez *ubi suprà*, cùm enim talia privilegia sint contra jus commune, & aliàs possint secundùm terminum juris in aliquo casu verificari; ita præsumitur fuisse mentem Principis concedentis.

271 DICO VII. In causis criminalibus Religiosorum ad plenè probandum delictum contra aliquem Religiosum, requiruntur, & sufficiunt duo Testes legitimi, fide digni, & omni exceptione majores. *Cap.* Licèt universitas. *& Cap.* In omni negotio, *de testibus. Cap.* Cùm esset, *de testamentis. Cap.* Cum quod verò, *2.quæst.5.* quia in ore duorum, vel trium stat omne verbum; ita communiter Doctores.

Ut autem duo testes plenè probent, quatuor
272 requiruntur. PRIMÒ, ut deponant jurati, *Capit.*
273 Nuper. *de testibus.* SECUNDÒ requiritur, ut sint contestes, id est, de eodem facto deponant conveniendo in loco, tempore, & specie delicti; nam si essent singulares, ita ut unus deponeret quod delictum manè commissum fuerit, alter verò vesperè, nihil probant; ita communiter Doctores:
274 & habetur in *Cap.* Licet, *de probationibus.* TERTIÒ requiritur, ut sint testes idonei, ut scilicet ipsis
275 nihil jure opponi possit. QUARTÒ requiritur, ut dicant se sensu externo, quod deponunt, per-
276 cepisse. *Cap.* Si testes. *§. Solùm, 4. quæst.3.* quia non possunt esse certi de facto externo, nisi per aliquem sensum corporeum, ideo, si deponant, se ab aliis audivisse, non plenè probant, sed solùm faciunt indicium ad inquirendum ab illis.

277 Unde, quando testis deponit de aliquo actu, qui directè per aliquem sensum corporeum probari non potest, debet deponere, ut fidem plenam faciat super præsumptione appropriata illi actui, & proxima sensui, per quem veritas percipitur, ut si deponat se credere aliquem Religiosum commisisse fornicationem, sufficit, quòd dicat se illum cum muliere nudos vidisse in eodem lectulo, per quod credit eos fornicationem commisisse; ita communiter Doctores apud Tamburinum *ubi suprà, num.12.* & patet ex *Cap.* Litteras, *de præsumptionibus.* Secùs dicendum, si credulitas sit remota à sensu, vel actibus, per quos veritas percipitur; ut si testis deponat se credere, vel præsumere fornicationem, quia vidit Religiosum cum muliere confabulantem, vel in illius domo, nihil enim probat, quia talis credulitas est nimis remota: sed de his vide Tamburinum *ubi suprà, num. 12.* & N. Thomam & Petrum ab Ang. supracitatos.

Ex hac conclusione plures deducuntur resolu- 278
tiones: PRIMA, in causis etiam Regularium testes singulares, etiamsi sint plures, & omni exceptione majores, non facere plenam probationem; ita cum Farinacio, Aragonio, & aliis multis Peyrinis *in formulario, littera T. cap. 3. num. 6.* nostri Thomas & Petrus mox citati, & cum aliis Pascaligus *decisione 215. num.3.* Quæ sententia vera est, etiamsi sit in causa hæresis; ita Pegna, Rojas, Farinacius, & alii, quos refert & sequitur Palacios *Tract. 6. disp. 8. puncto 5. §. 4. num. 15.* Carena *part. 3. tit. 6. §. 5. num. 29.* nam si in aliis criminibus non sufficiunt testes singulares ad plenè probandum, à fortiori neque in casu hæresis; cui major pœna imponitur, licèt oppositum teneat cum Acunna, & aliis Tamburinus in *praxi criminali, quæsito 13. num. 8.* Ratio autem totius resolutionis est, quia de jure ad integram probationem requiritur saltem, ut duo Testes sint concordes, *Cap.* Licet universis, *de testibus, & Cap.* Licet causam, *de probationibus*: sed non est major ratio, cur hoc in sæcularibus observetur, quàm inter regulares, ergo.

Adverte tamen, Testes non dici singulares, 279
quando consentiunt in substantia & in circumstantiis substantialibus; licet varient in accidentibus, ut si alter dicat delictum factum fuisse hora decima, alter verò undecima, neque etiam, quando testantur de eodem actu continuitatem habente, ut si testantur de consuetudine, & unus testatur actum hujus mensis, & alii actus aliorum mensium; nam consuetudo eadem est per continuationem; ita cum Covarruvia, Sanchez, & aliis Lugo *de justitia, disputatione 39. num. 18.*

Idem

Idem dicendum est, si unus post alium per foramen januæ vidisset Petrum concumbentem cum tali muliere, & ita ambo deponerent se vidisse; Tamburinus *ubi suprà, num.* 6. Idem dicendum est, si testes concordent in specie delicti, & personæ, unus verò dicat se non recordari de mense, anno, die, & hora, secùs, si discrepent in die, vel loco; ita cum aliis Tamburinus *ibid.* & nostri Thomas & Petrus.

280 Adverte secundò, quod si testes singulares deponant de eadem delicti specie, quæ iterari possit, ut de furto, blasphemia, &c. licet in loco, tempore, & aliis circumstantiis non concordent facere tamen plusquam semiplenam probationem, quia istorum singularitas est diversificata, hoc est, unus testatur de uno casu, quem vidit, alter de alio; ita cum D. Thom. Felino, & aliis Tam-

281 burinus *ubi suprà, num.* 50. Secùs, si singularitas sit obstativa, hoc est, si deponant de uno actu, de quo tantùm probando agitur, & ibi contrarientur loco, vel tempore, ut accidit in testibus Susannæ: nam Susanna de uno tantùm adulterii crimine accusabatur ab illis senibus, non enim dicebant senes Susannam pluries adulterasse, sed semel tantùm, & quia variabant in loco, ideo convicti fuêre de falsitate; Corn. *part.* 2. *tit.* 6. §. 7. *num.* 50.

282 An autem, si unus testis deponat de uno actu, verbi gratia fornicationis, vel hæresis Luteranæ, & alii de aliis actibus hæresis Luteranæ, vel fornicationis, concludant legitimè talem Religiosum

283 esse fornicarium, vel Luteranum? Respondeo negativè, (excepto crimine solicitationis pœnitentium in confessione: nam hoc crimen probari potest per testes singulares, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis ex Constitutione Gregorii XV.) Ratio verò nostræ resolutionis est, quia non potest probari aliqua species delicti absque eo, quòd aliqui actus talis speciei legitimè probentur; at de nullo actu individuo constat legitimè per duos testes contestes, sed tantùm per duos testes singulares: ergo per tales testes nunquam dici potest esse probatum talem Religiosum, esse fornicarium, vel Luteranum; ita Simancas, Penna, Merola, Maldonatus, Cantera, Palaus, quos refert, & sequitur Carena *ubi suprà, num.* 30.

284 Sed quid, si testes sint concordes in substantia hæresis, & in loco ac tempore, sed non in verbis formalibus, puta, quia unus testis dixit, Petrum dixisse, *usum sacrarum imaginum esse abolendum:* alius verò dicat Petrum dixisse, *sacras imagines non esse adorandas*: Respondeo, in hoc casu tales testes esse contestes, nam illa verba formaliter sunt eadem, quamvis materialiter sint diversa; ita communiter Doctores apud Carenam *loc. cit. num.* 37. Secùs dicendum est, si agatur de probanda aliqua blasphemia, quæ consistit in formalitate verborum, nam in hoc casu testes non essent contestes, cùm eorum dictum sit diversum formaliter; ita cum Farinacio, Palao, Sousa, Carena, *ibid. num.* 38. Hinc fit, quòd si unus testis deponat Petrum appellasse Franciscum Christianum novum, alius verò deponat illum appellasse Judæum, non esse contestes; quamvis in nostro idiomate illæ duæ voces idem significent; ita cum supradictis Doctoribus Carena *ibidem.*

SECUNDÒ infertur, in causis etiam Regularium testes varios non probare, nisi varient corrigendo dictum in continenti, aut dictum suum confirment in tortura; ita cum Julio Claro, Farinacio, Riccio, Peyrinis *ubi suprà, num.* 8. Testes autem varii, sunt, qui vel contraria deponunt in eodem examine, sive in diversis: vel primo deponunt per verbum, *credo*, postea verò assertivè testificantur: vel primo testimonium afferunt: deinde se deposuisse negant: vel unum dicunt in judicio, aliud verò extra judicium: ita cum Gislerio, & aliis Peyrinis *ibid.* vide de hoc etiam Carenam *part.* 3. *tit.* 6. §. 7. 285 286

TERTIÒ infertur, in causis criminalibus, etiam Regularium, repelli testes minùs idoneos: hi autem sunt: PRIMO, minor 20. annis, ejus tamen dictum præbet indicium ad capiendam informationem, non tamen ad Reum tormentis subjiciendum: Bonacina *in Decalogo disp.* 10. *quæst.* 3. *part.* 3. *num.* 5. & alii communiter. SECUNDO inimici, etiamsi inimicitia publica non sit, debet tamen esse inimicitia gravis, ut si præcessit injuria gravis: ita cum aliis Farinacius *quæst.* 13. *num.* 34. *de inquisitione.* TERTIO consanguinei accusati, sive ascendentes, sive collaterales, usque ad quartum gradum: quamvis aliquando admitti possint ad Reum defendendum: & idem dicendum est de affinibus, & familiaribus: Farinacius *de testibus, quæst.* 54. & 55. QUARTO mulieres ob fragilitatem, & mutabilitatem ingenii: admittuntur tamen, ubi veritas aliter haberi non potest: Mascard. *de probationibus, conclusione* 46. *num.* 6. 287

QUINTO infamis infamia juris, vel facti: Menochius

chius *de arbitris, lib.* 1. *quæst.* 27. admittuntur tamen aliquando infames infamia facti, in subsidium, quando aliter veritas haberi non potest, sed cum tortura; ita cum aliis Tamburinus *ubi suprà, num.* 20. SEXTO socii criminis; in criminibus tamen exceptis admittuntur socii criminis, ut idonei testes, ut in hæresi, & crimine læsæ majestatis, falsæ monetæ, maleficio, vel sortilegio, sodomia, furto famoso. *Can. nemini,* 20. *quæst.* 4. *cap.* 5. *de confessis.* Speculator *in tit. de accusationibus,* §. 1. nec non in quolibet alio crimine, quod non potest sine socio committi; Gomez *variarum, lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 16. & cum aliis Tamburinus *ubi suprà, num.* 22.

288 Adverte tamen, quòd in omnibus prædictis casibus, in quibus Testes minùs idonei repelluntur à testimonio, admitti tanquam idoneos, quando crimen eo loco, vel tempore, aut modo patratum est, ut alii testes haberi non possint; ita cum Baldo, Clavi Regia, Lessio, Valentia, & aliis
289 Tamburinus *ubi suprà, num.* 18. & 25. præterea unus testis valde fide dignus potest supplere defectum alterius, qui est minùs idoneus, adeo quòd simul faciant plenam probationem; ita cum communi sententia Tamburinus *ibid.*

290 DICO VIII. In multis casibus Regulares vocati, ut testes, tenentur non fateri veritatem, non obstante quocumque juramento, vel præcepto.

PRIMÒ, si legitimè non interrogentur, hoc est, quando vel non præcessit infamia, vel delictum non est semiplenè probatum; ita cum Sylvestro, Lessio, Valentia, Spatario, & aliis Peyrinis *de subdito, quæst.* 1. *cap.* 16. §. 3. *dicto* 5.

291 Excipe, nisi delictum sit in publicam perniciem, vel in damnum privatæ personæ, quod sine tali testimonio vitari non potest; ita cum D. Thom. Navarro, Valentia, Azor. & aliis Peyrinis *loc. cit. dicto* 20.

292 SECUNDÒ, si crimen novit sub secreto naturali, gratia petendi consilium, vel auxilium, quod verum est, etiamsi præcedat infamia, vel semiplena probatio.

Excipe, nisi sit in damnum commune, vel alicujus personæ privatæ; ita cum Lessio, Valentia, & aliis Peyrinis *ubi suprà, dicto* 4.

293 TERTIÒ, si peccatum est occultum, & peccator jam emendatus, vel sola correctione fraterna probabiliter emendabilis; nam tunc non potest testificare ante fraternam correctionem, quia tunc præceptum correctionis fraternæ obligat; ita cum Navarro Peyrinis *dicto* 6.

QUARTO, non tenetur quis testificare cum suo 294
notabili damno spirituali, vel temporali, personæ, honoris, aut bonorum, vel si ex ejus testimonio oriundum esset scandalum; ita cum Reginaldo, & aliis Peyrinis *ubi suprà, dicto* 5.

QUINTO, non tenetur quis testificare ea, quæ tantùm ex auditu cognovit; ita cum Spatario, Navarro, & aliis Peyrinis *ibid. dicto* 6. testis enim ex auditu, non solùm non facit fidem, sed nec etiam indicium, nisi deponat de auditu ante litem motam; ita cum Romano, & aliis Peyrinis *ubi suprà, dicto* 9.

SEXTÒ, non tenetur testificare, quando dubitat 295
an legitimè interrogetur; Sotus, Spatarius, Azor. Salcedo, & alii, quos refert, & sequitur Peyrinis *ubi suprà.* Quando enim est dubium de potestate Superioris, non tenetur ei subditus obedire.

Excipe, nisi ex occultatione veritatis immineat damnum bono communi; Peyrinis *ibid.* Qui uberiorem circa prædicta omnia notitiam exoptat, consulere poterit è nostris Thomam à JESU *Tract.* 3. *de Visitat. Reg.* maximè *Cap.* 4. 5. 6. 7. & 11. & Petrum ab Ang. *in Iudice Reg.* 1. *part. cap.* 14. 15. 16. & 17.

SECTIO X.

De forma ferendi sententiam in causis Regularium.

296 *Quid sit sententia, proponitur.*
297 *Sententia alia est interlocutoria, & alia definitiva.*
298 *Quid sit interlocutoria?*
299 *Quid definitiva?*
300 *Sententia definitiva alia est condemnatoria, alia absolutiva.*
301 *Quid sit condemnatoria?*
302 *Quid absolutiva?*
303 *Sententia alia est justa, alia injusta, & quæ istæ sint?*
304 *Ad ferendam sententiam condemnatoriam in causis civilibus cedentibus in damnum Tertii, sufficiunt fama, & præsumptiones, & multæ conjecturæ simul cum uno teste, secùs verò in criminalibus.*
305 *In criminalibus saltem duo testes omni exceptione majores requiruntur.*

306 Non

306 *Non sufficiunt in causis criminalibus indicia, quantumvis violenta, etiam in casibus atrocibus, ad condemnandum Reum, benè tamen ad torturam.*

307 *Antequam Judex procedat ad ferendam sententiam condemnatoriam, debet Reo aperire statum causæ.*

308 *Item debet eum citare, etsi crimen sit notorium.*

309 *Debet etiam Reo advocatum concedere ut suam causam possit defendere.*

310 *In casu, quo non detur Religiosus doctus, qui possit Reo in advocatum concedi, debet ei concedere advocatum sæcularem.*

311 *Sententia ferri debet super his, quæ in processu probata sunt, eorum limites non excedendo.*

312 *Judex in imponendis pœnis pro delictis, leges Religionis attendere debet, & non jus commune.*

313 *Ubi regularia statuta non providerint de certa pœna pro delicto recurrendum est ad sacros Canones, nisi aliter Statutum disponat.*

314 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

315 *Si jus Canonicum & proprium deficiat, attendendum est ad leges municipales, ad consuetudines laudabiles & legitimas ejusdem Regni.*

316 *In judicio regulari non tenetur judex regularis ferre sententiam in scriptis, sed eam potest ferre vel viva voce vel in scriptis.*

317 *In sententiis Regularium non est opus exprimere causam in particulari, quæ judicem ad eam ferendam impulit, sed sufficit, quod dicat viso processu, N. &c gravium criminum reum esse eundem comperimus, &c.*

318 *Quid si judex recedat in sententiando à pœna statutaria eam augendo, vel minuendo.*

319 *Judex inferior non potest mutare, aut interpretari, si dubia sit interpretatio, sententiam definitivam à se latam, etsi postea reperiat fuisse injustam.*

320 *Idem dicendum est de judicibus arbitris.*

321 *Quid si interpretatio sit clara & juri consona?*

322 *Absoluto Reo per sententiam definitivam, non potest iterum per alium judicem contra illum procedi, etiamsi novæ probationes superveniant.*

DIco I. Postquam judex regularis Testium depositiones ac Rei confessionem legitimè habuerit, ad causæ expeditionem procedendo, iis, quæ in actis deducta sunt, maturè valde prius consideratis, ac diligenter inspectis, sententiam proferre debet, in qua prorsus terminatio causæ aut
controversiæ consistit: & ideò sententia diffinitur 296
quod sit definitio judicialis controversiis finē imponens, à competenti judice pronuntiata, *l. 1. ff. de sententia & re judicata & Cap. 2. eodem tit.* Est au- 297
tem duplex: alia interlocutoria, alia definitiva: 298
Prior est, quæ datur non super causam principalem, sed super aliquo incidenti, v. g. de repellendo aliquo teste inhabili, posterior verò, qua principalis causa definitur. Hæc autem est duplex, con- 299
demnatoria, & absolutoria. Condemnatoria est, 300
qua Reus legitimè convictus ad pœnam damna- 301
tur: Absolutoria est, qua declaratur, nihil in a- 302
ctis contra Reum legitimè probari, ac per consequens immunis à delicto.

Deinde sententia judicialis alia est justa, alia 303
injusta: Justa est, quæ datur à competenti judice ex causa sufficienti, servato ordine juris, ad bonum & justum finem. Injusta verò quæ aliquem defectum patitur. Defectus autem vel est ex intentione, & tunc in utroque foro est valida: vel est defectus substantialis, & hic si fuerit notorius, sententia est invalida in utroque foro: si verò defectus non fuerit notorius valet sententia in utroque foro donec cassetur, de quibus videndus est Sanchez *lib. 6 consiliorum disp.* 10. Pellizzarius *Tract. 9. c. 4. n.* 160.

Dico II. Ad ferendam sententiam condem- 304
natoriam in causis civilibus cedentibus in damnum tertiæ personæ sufficit fama, & præsumptiones, & multæ conjecturæ verisimiles simul cum uno teste; ita cum Sanchez, Pellizzarius *numero* 161. Secùs verò in criminalibus: nam in his
saltem duo testes, omni exceptione majores re- 305
quiruntur: siquidem in criminalibus probationes debent esse luce meridiana clariores. Unde
non sufficiunt indicia, quantumvis violenta & 306
indubitata, etiam in casibus atrocibus, ad condemnandum Reum, ut cum multis latè probat Sanchez *lib. 6. consiliorum cap. 3. disputat* 74. *numero* 4 contra alios, sufficient tamen ad torturam, quam si evaserit inconfessus, liber dimittendus est, dicitur enim tunc indicia purgasse, ita cum aliis Lezana *Tom. 1. c. 27. n.* 17.

Adverte tamen, quod antequam judex proce- 307
dat ad ferendam sententiam condemnatoriam, debere Reo aperire statum causæ, ut ei constet contra eum juridicè procedi, ita cum Navarro, Regi- 308
nald. *l. 24. numer.* 41. & N. Petrus ab Angelis 1. *parte, Judic. Reg. capite.* 25. Imò debet eum citare, etiamsi crimen sit notorium; Portel *verbo*

corre-

correctio fratrum *numero* 49; Quidquid dicat
309 Rodriguez *Tomo* 2. *quæstione* 18. *art.* 2. debet etiam
Reo advocatum concedere, ut suam causam pos-
sit defendere, præsertim si illiteratus fuerit, vel il-
lum postulaverit, & in casu, quo non detur Reli
giosus literatus, qui ei in advocatum concedi pos-
310 sit, debet ei concedi advocatus sæcularis, quando
causa de qua agitur gravior est; ita cum Portel,
Pellizzarius *ubi supra num.* 167. Hoc enim est ne-
cessarium ad propriam defensionem; quæ est de
jure naturali.

Dico III. Sententia debet ferri super his, quæ
311 in processu probata sunt, eorum limites non
excedendo: judex enim secundùm allegata, &
312 probata judicare debet: Et in imponendis pœnis
pro delictis debet attendere leges Religionis, &
non jus commune; ita cum Claro & aliis Peyrinis
in formulario littera S. cap. 3. *num.* 5. Sancturus *de*
313 *pœnis in genere cap.* 2. *quæst.* 9. Ubi verò regularia
Statuta non providerint de certa pœna pro delicto,
recurrendum est ad sacros Canones; ita cum aliis
Peyrinis *ubi supra*.

Excipe; nisi aliter Ordinis statutum disponat,
ut accidit in nostra Congregatione, in qua nostra
314 Constitutio 4. *parte, cap.* 7. §. 3. disponit, quod in
casibus, in quibus pro aliquo delicto non fuerit
in ipsis Constitutionibus pœna designata, secun-
dum qualitatem, & circumstantias delicti, à Su-
perioribus suo arbitrio pœnæ applicentur, servata
tamen mensura & portione, cum pœnis in prædi-
ctis Constitutionibus taxatis: quæ si etiam defici-
ant, existimo tunc attendendum esse Superioribus
315 ad pœnas taxatas à jure Canonico, & secundùm
eas mensurandas pœnas pro delictis, quod jus
Canonicum si etiam forte deficiat, attenden-
dum est ad leges municipales, ad consuetudi-
nes laudabiles & legitimas ejusdem Religionis;
ita cum Aldrete, Rodriguez, & aliis Peyrinis
ubi supra numero 5. & N. Petrus ab Angelis *loc. cit.*
& Thomas à Jesu.

Dico IV. Licèt in casibus, in quibus se-
316 cundùm jus, & apices illius proceditur, sit de
valore sententiæ, ut in scriptis proferatur, *Cap.*
Etsi sententia *de re judicata in* 6. Imò & quod
in scriptis recitetur, ut cum Scaccia tenet Peyri-
nis *in formulario littera S. capit.* 3. *num.* 4. & cum
Aldrete Lezana *Tomo* 1. *capite* 27. *numero* 18. In
judicio tamen regulari, in quo proceditur de pla-
no postpositis apicibus juris, non tenetur judex
regularis ferre sententiam in scriptis; sed et-
iam potest proferre, vel viva voce, vel in scri-

ptis; ita Pellizzarius *Tract.* 9. *cap.* 4. *num* 168. &
cum Aldrete, Lezana *ibidem.* licet oppositum te-
neat Tamburinus *loc. cit. n.* 6.

Dico V. In sententiis Regularium non est o- 317
pus exprimere causam in particulari, quæ judi-
cem ad eam ferendam impulit, sed sufficit quod
dicat *viso processu N. gravissimorum criminum re-
um esse eundem comperimus*, &c. Peyrinis *loc. cit.
cap.* 4. Pellizz. *ubi supra n.* 169. Tambur. *ubi supra
n.* 7. & alii communiter.

Excipe, nisi judex recedat in sententiando à 318
pœna statutaria eam augendo, vel minuendo:
nam tunc debet in sententia causam auctæ, vel
diminutæ pœnæ ponere, non ad validitatem
sententiæ, sed ad executionem ipsius. Hanc ta-
men causam, non est necesse exprimere in parti-
culari, sed sufficit, quod exprimat in genere, sci-
licet *justis de causis animum nostrum moventibus*;
ita cum Farinacio, Claro, Miranda, Aldrete; Pey-
rinis *ubi supra cap.* 3. *n.* 1. & Petrus ab Angelis *cap.*
25. *num.* 8. *lib. cit.*

Dico VI. Judex inferior non potest muta-
re aut interpretari, si dubia sit interpretatio, 319
sententiam Definitivam à se semel datam, etsi po-
stea reperiat sententiam à se latam fuisse injustam,
ex fide instrumentorum ipsi post sententiam exhi-
bitorum; nam judex, ubi tulit sententiam, fun-
ctus est officio suo, *l. judex ff. de re judicata*; ita
cum Sanchez, Covar. & aliis Pellizzar. *ubi supra
n.* 174. ubi dicunt hoc etiam procedere in judici-
bus arbitris. Dixi *aut interpretari, si dubia sit inter-* 320
pretatio, nam si sit clara, & juri consona, optime id
potest efficere; ita cum Sanch. Silvestro, & aliis 321
Pellizzarius *num.* 175.

Dico VII. Absoluto Reo per sententiam De-
finitivam, sive quia Reus fuit repertus à judice
innocens à delicto objecto, sive quia Reus inno- 322
centiam suam probavit, ostendendo veritatem,
vel indicia purgando, non potest iterum per a-
lium judicem judicialiter contra ipsum procedi,
nec ad instantiam partis, nec ex officio, nec per
viam denuntiationis, etiamsi novæ probationes
supervenirent, & etiamsi Reus absolutus esset
rebus sic stantibus, ita aliis citatis Peyrinis *ubi su-
pra cap.* 1. *num.* 2 *&* 3. Spatarius, quem refert &
sequitur Pellizzar. *ubi supra num.* 176. Absolutio
enim transit in rem judicatam; & quia si propter
nova indicia, vel probationes, saltem in tertio ca-
su, deberet iterum contra Reum procedi, daretur
ansa malignantibus, ut quotidie novas excitarent
quæstiones & dissidia.

Hic

Hic nunc disquirendum esset, an Regulares possint à sententiis suorum Prælatorum appellare; sed de hoc nonnulla diximus in præcedenti Tractatu *disputat. 6. numero 774. & seqq.* & fusius de hoc, sicuti & de cæteris omnibus ad Tribunal seu judicium Regularium quoquo modo pertinentibus differit Petrus ab Angelis in suo *Judice regulari.* Consulatur etiam Thomas à Jesu *Tract. 3. de Visitatione Regular. cap. 17.* Philippus à SS. Trinit. *Tomo 3. in 2. 2. Tract. 2. disput. 8. q. 69.* Franciscus Bonæ spei *Tom. 5. Theolog Tractatu 1. de jure & just. disputat. 4. dub. 2.* & Gabriel à S. Vincentio *de censur. disp. 1 q. 20. à num. 226. usque ad num. 236.*

Si quis autem videre cupiat, quâ verborum formâ facienda sit juridica denuntiatio, accusatio, inquisitio, citatio Rei, ejusque examen, examen Testium, processus, appellatio sententia, *&c.* Consulere poterit Peyrinum *in Formulario*, Tamburinum in *Praxi criminali*, Pellizzar. *loc. cit. n. 179.* Thom. à Jesu *in Append. Tract. 4. de Visit. Reg.* & maximè Petrum ab Angelis *part. 2. Judicis Regularis.*

SECTIO XI.

Forma Practica processandi Regularem in causa criminali.

Cum in aliquo Conventu aliquis casus evenerit, in quo Prælatus immediatus facturus sit informationem in ordine ad punitionem, sive punitio talis casus ei competat ex jure, sive competat Provinciali, sive Definitorio Generali, Prior cui de communi stylo nostræ saltem Religionis competit in omnibus delictis, etiam gravissimis, prima instantia, hoc est, Reum incarcerare ne fugiat, facere de delicto informationem, & à Reo accipere confessionem, processum in forma sequenti incipiet.

Frater N. Prior hujus Conventus N. &c.

Cum viderim, vel *ad aures nostras pervenerit P. Fr. N. tale delictum N. in hoc nostro Conventu commisisse, ex officio procedendo ad illius faciendam informationem, secundùm jus, & dispositionem nostrarum Constitutionum Tenore præsentium præcipio in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ, & sub præcepto formali, omnibus Religiosis hujus Conventus, sive Hospitibus, sive Conventualibus, quibus hæ fuerint notificatæ, ut postposito omni humano affectu & respectu, sub juramento in forma consueta coram me & coram P. F. N. quem hujus causæ Secretarium instituo, dicant omne illud, quod circa præsentem casum sciverint, juxta interrogationes infrascripti interrogatorii, & illud suo nomine signent, in cujus fidem, præsentes dedi meo nomine subscriptas, & sigillo hujus Conventus signatas. in tali Conventu, tali die, mense & anno.*

Locus † sigilli.

P. Fr. N.N. Prior.

Adverte tamen, quod si Priori committatur à Generali, vel Provinciali, ut faciat aliquam informationem, vel processum in aliqua causa, tunc ante omnia debet ponere pro capite processus prædictam Commissionem originalem in hac forma.

Fr. N. Generalis, vel *Provincialis Ordinis N.N.*

Cùm ad nostram notitiam pervenerit P. F.N. Religiosum professum nostræ Sacræ Religionis, qui hoc tempore residet in tali Conventu, tale delictum commisisse cum Communitatis scandalo, &c. ut ei justa castigatio inferatur, & dato scandalo succurratur, Tenore præsentium committimus P. Fr. N. Priori prædicti Conventus, ut faciat informationem, & interrogatorium formet, juxta circumstantias delicti, & notificando infra scriptum præceptum, Testes examinabit juxta prædictum interrogatorium, sub juramento in forma consueta, ante Secretarium, quem ad prædicta nominabit, & juridicè procedet, & facta informatione, & à Reo confessione sumpta, & data ei copia dictorum à Testibus, & ejus accepta responsione, sic totum processum sua authoritate, & sigillo Conventus munitum usque ad sententiam diffinitivam exclusivè, ad quod omne præstandum eidem facultatem concedimus, nobis remittat: & præcipimus in virtute Spiritus S. & sanctæ obedientiæ, & sub præcepto formali omnibus Religiosis subditis nostris, cujuscunque qualitatis, & conditionis existant: quibus hoc præceptum fuerit notificatum; ut sub juramento dicant, & exponant omne illud, quod circa supradictum casum sciverint; in cujus fidem præsentes fieri jussimus, signatas officii nostri sigillo, & subscriptas per nostrum Secretarium, in hoc nostro Conventu N. mensis N. anni N.

Locus sigilli. † *Fr. N. Generalis*, vel *Provincialis.*

Fr. N Secretarius.

Posita commissione in fronte processus, statim ad finem il[li]us prosequatur Commissarius, vel Delegatus

legatus, cui commissio facta fuit, continuando processum in sequenti forma.

Die N. mensis N. anni N. Ego Fr. N. Prior Conventus, &c. *Obediendo mandato Patris nostri Generalis*, vel *Provincialis*, *accepto commissionem mihi factam, & in illius virtute utendo potestate nominandi Secretarium, quam mihi tribuit, nomino Pat. F. N. N. in Secretarium hujus causæ; in cujus fidem me subscripsi. die . . . Mense . . . Anno . . . .*

Fr. N. Prior. . . .

SI commissio non secum ferat præceptum, sed illi committatur, ut illud imponat, tunc antequam dicat *in cujus fidem*, debet ponere præceptum modo *supra* scripto, & postea addere *in cujus fidem*, &c. si commissio non secum afferat interrogatorium: sed ei illud efficere injungat, tunc debet illud formare, & ad finem prædictæ acceptationis, & præcepti ponere: & illud suo nomine subscribere, & ad finem interrogatorii scribat Secretarius nominatus, acceptationem sui officii, hoc modo

Frater N. Sacerdos professus, &c. *Conventualis hujus Conventus N. accepto nominationem & munus Secretarii ad quod me assumpsit Pat. Fr. N Prior*, &c. *in virtute commissionis supra scriptæ P. N. Generalis ad faciendam informatinnem de P. F. N & ad causam* &c. *ac promitto me satisfacturum obligationibus hujus officii mihi commissi meliori modo possibili, & ut debeo de jure: in cujus fidem propria manu subscripsi, in hoc nostro Conventu N. die . . . mens. . . . anno . . . .*

Forma Interrogatorii.

POst præceptum, quod Testibus imponitur, ut dicant veritatem, ponitur interrogatorium, in quo crimen cum suis circumstantiis, per diversos articulos distinguitur, quibus quasi vestigiis ad plenam delicti notitiam perveniri solet, ac ipsorum Testium veritas, vel falsitas deprehenditur: fiet autem interrogatorium hac aut simili forma.

An cognoscat P. Fr. N professum talis Conventus, & quomodo eum cognoscat? & ex quo tempore? an sit illius inimicus, vel habeat aliquod impedimentum canonicum, ratione cujus in ejus causa testis esse non possit? Deinde disponitur casus cum suis circumstantiis, specificando locum, tempus, & personas, & in unoquoque articulo dicat Testis, quomodo sciverit: an quia viderit, vel audiverit, &c. & an illud, quod interrogatur sit publicum, & notorium, & si crimen fuit scandalosum, debet etiam hoc separatim in interrogatorio poni: & si Reus de tali crimine jam fuisset aliquando punitus, de hoc etiam debet fieri specialis articulus in interrogatorio hoc modo: *An talis Reus sit jam aliquando de similibus criminibus punitus? & quoties?* si constet reum tale crimen sæpe commisisse, & non sit spes emendationis, hic etiam articulus in interrogatorio continebitur: *an scilicet ex sæpe iterata reincidentia in eandem culpam & delictum, ut omnibus notorium est, possit ipsius emendatio in tali delicto desperari; ita ut hac ratione eum reputet formaliter incorrigibilem?*

Adverte tamen, quod ad hoc quod hic articulus in interrogatorio ponatur, debere reum ad minus tribus vicibus esse correctum, & punitum de tali crimine, vel de aliis similibus absque ulla emendatione. Tandem adverte, in interrogatorio non deberi fieri interrogationes in generali, verbi gratia: *An sciant Fratrem N. commisisse aliquod delictum contra legem Dei?* nam cum sæpe testes sint rudes, aliquando crimina, aliàs occulta, & de quibus judex interrogare non potest, expriment.

Forma examinandi testes.

COnfecto interrogatorio vocantur Testes in judicium à Superiore: testis enim non vocatus, sed sponte se ingerens, & offerens in criminalibus pro suspecto habetur, ut *supra* diximus. Deinde Secretarius legit coram eo præceptum suprà scriptum, & ab eo Judex postulat juramentum dicendi veritatem; quæ omnia à Secretario in processu hac formâ scribentur.

In nostro Conventu N. die N. mense N. anno N. Ego Frater N. Secretarius specialiter ad hanc causam nominatus, cum essem in præsentia Patris Fratris N. Prioris dicti Conventus, hujus causæ Commissarii, notificavi supra dictum præceptum Patri Fratri N. sacerdoti in testem ad hanc informationem vocato, qui posita in pectore manu, vel super Crucem, juravit in verbo sacerdotis, vel per ipsam Crucem se veritatem dicturum in omnibus, de quibus fuerit inquisitus, & cum interrogatus fuisset, per articulos supradicti interrogatorii dixit, quod sequitur.

Primæ interrogationi respondendo dixit se cognoscere Reum abhinc tot annis, quia sæpe cum eo in a-

liquot Conventibus vixit: item se habere triginta ætatis annos, & non habere aliquod ex impedimentis generalibus, ratione cujus in illius causa testis esse non possit. Secundæ interrogationi respondit, &c. & sic de cæteris: quibus finitis concludit Secretarius: *quæ omnia sub eodem juramento vera esse asseruit, & suo testimonio ei prælecto, coram eodem judice illud iterum ratificavit, & subscripsit*, & subjungitur nomen judicis, & postea Testis & tandem Secretarii. Quod si Testis nesciat scribere, faciat Crucem, & alter firmet pro eo, de quo etiam Secretarius debet præbere fidem.

Forma examinandi Reum.

Absoluto examine Testium, Judex unà cum Secretario adit ad locum, in quo examinandus est Reus, & præmissa brevi exhortatione Reo de dicenda veritate, sive id fiat extra carcerem, ut regulariter fieri debet, sive in ipso carcere, Secretarius ei legat ante omnia præceptum, quod ad hunc finem secum debet ferre conscriptum hac forma

Ego Fr. N. qui ex officio, vel *speciali commissione P. N. Generalis cognovi de causa P. Fr. N. in hoc Conventu carcerati, tenore præsentium præcipio in virtute Spiritus sancti, & obedientiæ, & sub præcepto formali dicto Patri N ut sub juramento in forma respondeat verè, clarè, & simpliciter ad omnia de quibus per me fuerit interrogatus: in cujus fidem præsentes dedi meo nomine subscriptas in hoc nostro Conventu N. die... Mensis.... Anni....*

Fr. N. Prior vel *Commissarius.*

Forma accipiendi confessionem à Reo.

Notificato igitur Reo hoc præcepto à Secretario Judex accipiet ab Reo juramentum, de quo etiam Secretarius fidem faciet dicendo; *Anno N. die N mense N. in carcere (è quo justis de causis non poterat discedere) examinatus fuit Fr. N. imposito ei prius suprà dicto præcepto, & delato ipsi juramento, interrogatus de suo nomine patria, & ætate, &c. respondit se tale habere nomen, & in tali natum fuisse civitate, & tot annos ætatis habere, & tot annos à sua professione, & interrogatus an sciret cur ad judicium vocaretur, & cur sit carceratus respondit*, &c. & sic aliæ interrogationes fiunt, & de eis Secretarius fidem facit; quibus peractis Secretarius coram Reo & judice ejus responsionem legit, & interrogat, *an illa sit ejus confessio, illam iterum ratificet? aut ab ea aliquid velit detrahere, mutare, vel ei addere?* ejus accepto responso statim addit Secretarius, *& lecta coram eo hac sua confessione, illam ratificavit, dicendo veram esse, præstito juramento. In quorum fidem subscripsère P. N.N. Prior*, aut *Commissarius, præfatus Reus, & ego Secretarius* &c. *in prædicto Conventu, supra memorato die, mense, & anno.* Et omnes subscribunt.

Modus exhibendi articulos Reo et respondendi ad illos.

Accepta dicto modo confessione Rei, mox Judex ipsi insinuat, quod in causa, contra eum incepta, ulterius procedendum sit: jubetque ut si quas habeat exceptiones, aut oppositiones in sui defensionem ac purgationem, eas producat, de quibus quoque fidem faciet Secretarius, subjungendo, ubi supra desiit:

Intimatum præterea Reo fuit à R. P N N. Priore, seu Commissario, ut producat, si quas habeat exceptiones aut oppositiones pro sua defensione: & an velit habere Religiosum quempiam doctum ad consulendum &c. *Ad quæ Reus respondit: se habere plures exceptiones & oppositiones contra testes ad se purgandum ac defendendum de objecto delicto: quem in finem petiit sibi dari copiam processus, seu dicta Testium: quæ etiam eidem exhibita & communicata fuit.*

Hic postmodum subjungentur exceptiones & oppositiones ex parte Rei ad ejus defensionem, & illis cum Testium dictis à judice comparatis, & examinatis, formantur articuli seu gravamina contra Reum, ex illis, quæ probata sunt contra eum, vel plenè, vel semiplenè, vel Reus confessus est: non tamen illi fit gravamen de crimine jam punito, nisi fortè fiat cumulativè ad probandam incorrigibilitatem: in fronte autem ipsorum gravaminum, sive articulorum debet judex imponere præceptum Reo, ut intra 24. horas respondeat prædictis articulis omne illud, quod in sui defensionem habuerit, & subscripto hoc præcepto per judicem, statim subjungentur gravamina hoc modo.

Inprimis illi gravamen imponitur, quod commiserit tale crimen in tali Conventu, & sic de cæteris.

Advertendum tamen, quod articuli non possunt

 fieri

fieri de culpis in generali, sed deberi fieri de re particulari, gravamina enim in communi sunt nulla.

His peractis accedit judex cum Secretario ad locum, ubi reus est, vel eum adduci curat ad se, & imposito præcepto, & ab eo acceptato juramento dicendi veritatem leguntur coram eo à Secretario articuli, & si aliquem Religiosum postulet in Consiliarium, ei conceditur, de quibus omnibus Secretarius fidem facit, dicendo: *Data est Fratri N. Reo convento & carcerato copia processus, offensivi, ac defensivi simul, ut se purget, ac defendat ab objectis & testimoniis contra eum legitimè deductis in judicium, servato modo regulari, imposito illi prius formali præcepto à judice, & accepto ab eo juramento dicendi veritatem, & concesso ei P. F. N. in consiliarium, ut se defendat, copia autem processus data est reo, non extensa, sicut hic scripta est, quoad varias circumstantias accidentales, quas ipsi Reo notificare, nec utile, nec necessarium, nec justum erat, substantia tamen dictorum contra ipsum, & aliorum extantium integrè & perfectè data est illi, ita ut possit plenissimè cognoscere statum causæ suæ, & qualitates delicti & in quibus possit, aut non posit se defendere.*

Transacto igitur tempore concesso Reo ad se defendendum, iterum in judicium vocatus, affert suam defensionem ad singula puncta, prout fuerunt disposita: Secretarius verò hoc modo continuat processum.

Anno N. Die N. Mense N. comparuit P. Frater N. reus, coram P. Fr. N. Priore, vel Commissario, & iterum imposito ei præcepto, & accepto juramento dicendi veritatem circa gravamina ei à Superiore oblata, & tradita, & concesso ei sufficienti tempore ad sui defensionem. Respondit ad 1. articulum, &c. & in fine responsionis addit Secretarius *& hoc est, quod Reus respondit, & pro sua defensione adduxit, & interrogatus, an habeat aliquid aliud quod possit allegare in sui defensionem? respondit, se aliquid amplius non habere. & causa quantum est ex illius parte manet conclusa, & iterum coram eo legendo suam defensionem, dixit ita sese habere, quæ in illa continentur sub juramento, quod ante præstiterat: subscripsitque manu propria: quod idem fecit Pater N. Prior, vel* Commissarius, *& ego tanquam Secretarius, in hoc Conventu N. die.... mense.... & anno...* subscribuntque hi tres.

His peractis Secretarius prosequitur.

Et mox P. Fr. N. judex hujus causæ, eam judicavit conclusam usque ad diffinitivam sententiam exclusivè, expleto suo officio, & commissione, & remittit eam integram in statu, quo nunc est, ut de illa judicet, feratque sententiam, de quo ego N. Secretarius fidem facio, subscribit Judex & Secretarius.

Hæc omnia debent præcedere, ut sententia diffinitiva legitimè proferatur, excepto casu, in quo ratione contumaciæ Rei fertur contra illum sententia, secundùm allegata, & probata, sine rei defensione, & confessione, eo quod Reus sit absens. Verùm postquam comparuerit, dandi sunt de eo novi articuli, & ab eo postulanda confessio, & defensio audienda est; nulla enim sententia pronuntiata contra inauditam partem exequenda est, præcipuè si sit sententia expulsionis alicujus Religiosi professi; est enim hæc causa veluti matrimonialis & gaudet privilegio eam iterum resumendi toties, quoties opus fuerit.

MODUS, QUEM NOSTRUM DEFINITORIUM GENERALE *observat in ferenda sententia contra Reum in culpis gravissimis.*

VIso processu, & causa in Definitorio maturè consideratâ, discussionem illius ad alterum diem differunt, ut interim exactiùs perpendant videantque, quomodo judicandum sit. Altero verò die in loco Definitorii unusquisque ex Diffinitoribus publicè dicit, quidquid sibi secundùm æquitatem justitiæ videtur, & quæ pœna tali delicto debeatur: quibus auditis Generalis resumit omnia dicta, & illud, quod ex dictis majoris partis Definitorii resultat, ex omnium consensu scribitur in papyro particulari, & statim illud legit Secretarius Diffinitorii coram omnibus Definitoribus, ut per vota secreta determinetur, & approbata hujusmodi sententia per majorem suffragiorum partem censetur ab omnibus confirmata, & statim inscribitur libro Definitorii, notando diem, mensem, & annum, & subscribunt illi, quibus secundùm nostras Constitutiones 3. *parte, capite* 7. *num.* 14. incumbit; in processu verò scribitur sententia in hac forma.

FORMA

FORMA SENTENTIÆ DEFINITIVÆ.

NOs F. N. N. *Præpositus Generalis* (vel Provincialis) *& F. N. F. N. F. N. & F. N. Definitores Generales* (vel Provinciales) *Ordinis N. visis denuntiationibus*, (vel accusationibus) *contra P. F. N. Congregationis sacerdotem professum, & auditis Testibus, examinatis indiciis* &c. *super istis citato Reo, atque auditis ejus defensionibus, attenta ejus plena convictione* (vel propria confessione) *solum* DEUM *præ oculis habentes, ut de illius vultu judicium nostrum prodeat, oculique nostri videant æquitatem: bonum etiam nostræ Religionis atque ipsius Rei attendentes*, CHRISTI *nomine invocato, per hanc nostram Definitivam sententiam, dicimus, pronuntiamus & condemnamus dictum F. N. ad talem pœnam* (illam exprimendo) *per tantum tempus* &c. *Præcipimusque illi in virtute Spiritus sancti, & sub præcepto, ut hanc sententiam acceptet & impleat: quod si contravenerit, ac inobediens fuerit, præfata duplicetur. Mandamus etiam R. P. Priori* (vel Præsidi) *Conventus nostri N. in quo præfatus P. N. degit, ut illi intimet hanc sententiam, subscriptamque à se & Reo, duobusque Testibus, præsentibus intimationi ejus, nec non Secretario ad hoc designando, nobis eam remittat, quo processui inseri queat. In quorum fidem præsentes dedimus, propria manu subscriptas, sigilloque officii nostri munitas: in Conventu N. die .... mense .... anno ....*

Locus † sigilli.

F. N. Præposit. Gener.
F. N. N. Definitor ac Secretarius.

FORMA SENTENTIÆ, sententiæ expulsionis contra incorrigibiles.

F. N. N. Præpositus Generalis &c. ut supra.

O*Mnibus præsentes litteras inspecturis*, &c. *Ratio officii nostri exigit atque efflagitat ut bono & quieti Religionis nostræ consulamus, & membrum sæpe* (in cassum tamen) *uti Babilonem curatum, de cujus salute spes nulla superesse videtur, ne reliquum corpus morbo suo inficiat, rescindamus. Idcirco nos idem F. N. Præpositus Generalis, visis ac maturè examinatis ac discussis informationibus & processu factis in causa & pro correptione F. N. nostræ Religionis professi, qui in sæculo appellabatur N. de tali loco N. oriundi: observatis & completis iis, quæ in decreto* URBANI VIII. *circa expellendos è Religione statuuntur*, &c.

Visa denique ipsius incorrigibilitate, post habitam cum sex Patribus ad id electis &c *maturam consultationem, de eorum consilio & assensu impense dolentes, & necessitate compulsi, juxta facultatem nobis concessam; Christi nomine invocato, eundem F. N. uti incorrigibilem è Religione nostra expellimus, & dimittimus, expulsumque ac dimissum declaramus & pronuntiamus: jubentes, ut sacro Religionis habitu exuatur, & sæculari veste induatur. Districtè item eidem præcipimus, ne ullo unquam tempore nostræ sacræ Religionis habitu utatur, sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, Romano Pontifici reservatæ à* SIXTO V. *anno* 1587. *contra habitum nostrum deferentes promulgatæ. Demum eidem in virtute Spiritus sancti & S. Obedientiæ, & sub præcepto mandamus, ut hanc sententiam acceptet, & cuncta in ea contenta fideliter adimpleat & exequatur. In quorum fidem* &c. ut supra.

Si Reus proscribendus sit ab aliqua civitate aut Provincia, hac aut simili verborum formâ prædictæ sententiæ, ante illa verba *demum eidem* &c. inseretur &c. *Condemnamus quoque eundem F. N. per tot. N. annos in exilium à civitate N. ejus patria, ut illo tempore ad dictam civitatem* &c. *neque prope ad tot leucas* &c. *accedere præsumat, sub talibus pœnis, si contravenire ausus fuerit*,

FORMA SENTENTIÆ absolutoriæ.

SI Reus innocens repertus fuerit, aut delictum sufficienter probari nequiverit, danda est sententia absolutoria, ut ejus famæ consulatur, hac aut simili forma.

In nomine DOMINI *amen. Nos F. N. Præpositus Generalis*, vel Provincialis *&c.*

Visis ac maturè examinatis ac discussis omnibus & singulis in causa & causis coram nobis ac RR. PP. Definitoribus &c. *quæ in processu contra P. F. N. Sacerdotem professum Religionis nostræ fabricato continentur: habitoque prædictorum PP. Definitorum consilio & assensu*, DEUM *præ oculis habentes, ut de illius vultu judicium nostrum prodeat, per hanc nostram definitivam sententiam:* CHRISTI *nomine invocato, dicimus, declaramus, pronuntiamus & definimus dictum P. F. N. non fuisse repertum culpabilem, nec de jure punibilem, sed prorsus immunem à quo fuit accusatus* vel denuntiatus, *ideò velut de tali crimine innocentum absolvimus & liberamus, absolutumque ac liberatum declaramus, non solùm hoc,*

verùm

verùm & omni meliori modo &c. *Lata, lecta, & publicata fuit hæc sententia in Conventu N. die .... mens.... anni.... præsentibus P. F. N. & P. F. N: testibus* &c. subscribunt Judex, Definit & Secretarius *&c.* Quid addendum sit, si causa acta fuerit per viam accusationis, Vide apud PETRUM ab Angelis in *Judice Reg. 2. part: §. 5.*

Modus reo sententiam intimandi.

QUando Reus existit in Conventu, ubi est Judex, Secretarius coram eo & Testibus intimat sententiam Reo, scribendo qua ratione illam intimaverit, & quid responderit: omnesque subscribent. Sin autem Reus absens sit, regulariter committendum erit Priori illius Conventus, in quo moratur Reus, ut eam ipsi intimet, quod faciet accedendo ad carcerem, vel locum, ubi Reus fuerit reclusus, secumque ducet duos Testes, & Secretarium ad hunc finem denominatum: nisi ob scandalum datum aliis seu exteris, coram eisdem, aut in Capitulo Conventuali esset publicè notificanda. Præfatis itaque existentibus coram Reo, procurabit ille, cui intimatio sententiæ commissa est, Reum verbis & rationibus efficacioribus congruè disponere ad sententiam latam humiliter acceptandam: mox Secretarius coram Reo, cæterisque præsentibus illam leget: finitaque lectione judex, aut Commissarius interrogabit Reum, quid sentiat & respondeat? si dicat se illam acceptare, ponenda est ejus responsio atque acceptatio in scriptis sub eadem sententia; subscribentque universi, videlicet Commissarius, Reus, Testes ac Secretarius; remittendaque sententia Judici, inserendaque processui. De quibus omnibus fidem faciet Secretarius in hac aut simili forma.

F. N. Prior &c. *talis Conventus* &c. *Ex mandato R. P. N. N. Generalis*, vel Provincialis &c. *intimavi sententiam supra contentam P. F. N Reo incarcerato in dicto Conventu & in complementum hujus mandati coram P. F. N. & F N. quos pro testibus accersivi, & P. F. N quem in Secretarium delegi*, &c. *feci illam de verbo ad verbum prælegi. qua perlecta interrogavi Reum, quidnam sibi occurreret respondendum? qui respondit se illam acceptare, promptumque sese exhibuit ad implendum omnia, quæ in illa continebantur.*

Si illam acceptare renuat dicatur: *Et respondit se illam non acceptare propter*, vel *illam rationem. Et licet ipsi urgentioribus rationibus persuadere conatus sim humilitatem ac obedientiam, tempusque sufficiens concesserim ad* DEI *gratiam implorandam, & perpendendum mala secutura & obventura sibi ex hac non acceptatione & pertinacia, nihilominus respondit, se non acceptare, nec acceptaturum esse. In quorum fidem propria manu subscripsi, subscripseruntque præfatus Reus, supradicti Testes & Secretarius in hoc Conventu N. tali die, mense & anno*, & subscribunt omnes jam dicti.

Complura alia ad praxin & methodum formandi processus Regulares pertinentia, & in causis Regul. juridicè procedendi cum suis formulis clarè & distinctè exhibet PETRUS ab ANGELIS in *2. part. sui Judicis Regularis.* Vide etiam THOMAM à JESU in appendice *Tract. 4. de Visit. Reg.*

SED QUÆRES, quid faciendum sit, si Reus à sententia Definitiva appellaverit? Respondeo, quoad nostros Religiosos, eos appellare non posse: quare non obstante appellatione, sententia executioni mandanda est: sic decernunt nostræ Congregationis Hispanicæ Constitutiones ex concessione PII V. quam confirmavit GREGORIUS XIII. & ex concessione SIXTI V. atque de hoc nos egimus Tractatu præcedenti.

Excipe tamen, nisi Reus manifestè gravetur: nam si certò constet de injusto gravamine, licita erit eidem appellatio ad Generalem, vel ad Definitorium seu Capitulum Generale, non autem ad Nuntium, aut alium quemcumque extra Ordinem, uti *ibidem* quoque diximus.

An autem Reus judicem, tanquam suspectum, recusare possit? Respondeo in nostra Religione non posse Prælatos ut judices recusari, nisi in casibus, in quibus ab eorum sententiis appellare licet: ut si Prælatus manifestè esset tali Religioso suspectus, & crederetur excessurus limites, ob passionem, & suspicionis causa esset manifesta: ita cum Hostiensi, Abbate & aliis nostri Tho. à JESU, & Reverendissimus P. Sebastianus à Conceptione, electus Episcopus Meliaponensis, quondam Definitor Generalis Congregat. nostræ Hispan. in præclaro quodam Tractatu, luce publica dignissimo, quam tamen à prælo nondum accepit, §. 8. *num.* 16.

Redegit in Compendium, & ad praxim ita coaptavit cuncta ad judicium & tribunal Regularium pertinentia, noster Venerabilis JOANNES à JESU-MARIA, ut quilibet judex Regularis eis commodè uti possit. Extant *Tom. 4. Operum ejus. Tract.* de Regimine Monastico *part. 2. à cap. 28. usque ad cap. 43.* Idem præstitit noster

FERDI-

FERDINANDUS à S. MARIA in *institutionibus Carmelit. Excalceatorum fol. 29. & seqq.* Hæc insinuare volui antequam hanc materiam & sectionem concludam.

SECTIO XII.

De pœnis judicialiter infligendis Regularibus.

§. I.

De pœnis Regularium in genere.

323 *Quid sit pœna, demonstratur.*

324 *Dividitur in legalem seu civilem & Canonicam, seu Ecclesiasticam, & quæ utraque sit?*

325 *Pœna Ecclesiastica alia est spiritualis, ut censura, privatio, &c. alia corporalis, ut jejunium, &c.*

326 *Alia est juris communis: alia juris particularis.*

327 *Alia positiva, alia privativa: alia jure lata, alia ferenda: alia perpetua, alia temporalis: alia à jure, alia ab homine.*

328 *Nostri religiosi nullas pœnas, in nostris Constitutionibus, pro delictis stabilitas, tenentur subire ante judicis sententiam.*

329 *Transgressio Constitutionum pœnalium in nostra Congregatione nullam culpam inducit, nisi contineant præceptum, aut censuram, aut id quod præcipitur ex se, aut ratione contemptus, vel alterius circumstantiæ sit culpabile.*

330 *Idem respectu omnium Religiosorum dicendum est de omni lege pœnali.*

331 *Constitutiones pœnales licet directè non obligent ad culpam sunt veræ leges.*

332 *Hujusmodi constitutiones pœnales indirectè obligant ad culpam.*

333 *Quoties legi additur præceptum, vel censura, aut irregularitas transgressio est mortalis*

334 *Idem dicendum est, si addatur pœna degradationis, vel privationis Ecclesiasticæ sepulturæ, vel pœna mortis, mutilationis, carceris perpetui, triremium, expulsionis, vel gravis infamiæ.*

335 *Idem dicendum est, quando id quod præcipitur, est jure naturali Divino, aut positivo præceptum, vel si fuerit res directè spectans ad materiam trium votorum, vel ad bonum grave commune ordinata.*

336 *Secus si solum sit de rebus consiliorum.*

337 *Quando lex non determinat tempus, quo pœna debeat durare, si pœna unico actu absolvatur, ut est privatio officiorum, est perpetua.*

338 *Secus de suspensione, & de pœnis, quæ ad sui executionem tractum temporis requirunt, nam hæc regulanda sunt juxta gravitatem delicti.*

339 *Quando pœna arbitrio Prælati relinquitur, expectandum est arbitrium Prælati, cui punitio delicti jure ipso committitur.*

340 *Iudex quando lex suo arbitrio pœnam remittit, debet attendere ad jus speciale, vel si deficiat ad jus commune, similia à similibus interpretando.*

341 *Iudex arbiter tenetur observare ordinem juris, ut alii judices.*

342 *Iudex ordinarius sive inferior, sive superior, ex lege nostra potest pœnam à lege taxatam minuere, vel augere.*

343 *Si lex alternativè loquatur, imponatur talis vel talis pœna, eligenda est arbitrio judicis, & non Rei.*

344 *Quando lex ponit alternativè varias pœnas, non potest judex liberè disponere, sed attentis circumstantiis.*

345 *In pœnis non datur extensio à casu ad casum, vel de persona ad personam, etsi eadem, vel major ratio procedat in casu, vel persona, de quibus lex non loquitur.*

346 *In pœnis facienda est stricta interpretatio.*

347 *Excipe, nisi lex redderetur frustranea.*

348 *Vel quando lex pœnalis est lata in favorem animarum.*

349 *Vel quando est lata in favorem Ecclesiæ.*

350 *Vel quando delicta sunt contra bonum commune.*

351 *Vel in correlativis in quibus eadem ratio subsistit, non tamen è contra.*

352 *Pœna statuto imposita non potest intelligi, nisi delictum cum effectu conjunctum sit.*

353 *Conatus non potest puniri, nisi lege cautum sit, aut deventum sit ad actum proximum, & tunc pœna extraordinaria.*

354 *Excipe delicta atrocissima, & quæ ista sint? nam tunc punitur convictus saltem pœna extraordinaria.*

355 *Mandans fieri aliquod delictum, tenetur ad pœnam ordinariam etiamsi de mandato non fiat mentio.*

356 *Idem dicendum est de consulente.*

357 *Idem dicendum est de consentiente per viam authoritatis.*

358 *Idem de non impediente delictum, quando illi ex officio incumbebat impedire.*

359 *Pœna statuta à lege ipso jure non extenditur ad delictum commissum ante tale statutum.*

360 *Si pœna non fuerit ipso jure, sed imponenda à Judice pro delicto non punito, secundum illam potest punire delictum ante talem legem patratum, si pœna delicto convenientior sit.*

361 *Regulares non subjacent pœnis jure communi latis contra Clericos.*

323 DIco I. Pœna est id, quod pro culpa infertur: derivatur enim à puniendo, & solum culpa est id, quod punitur, dividitur autem in *Legalem* seu *civilem*, & *Canonicam*, seu *Ecclesiasticam*. Prior
324 est, quæ a judice sæculari: Secunda, quæ à judice ecclesiastico imponitur; ita communiter *Summista* verbo *pœna* de hac ergo pœna Ecclesiastica nobis est sermo in præsenti.

325 Pœna Ecclesiastica est multiplex: alia enim est spiritualis, ut quælibet censura, imò privatio officiorum vocis activæ, & passivæ, inhabilitatio ad gradus & dignitates, irregularitas & aliæ hujusmodi: alia corporalis, ut jejunium, carcer,
326 flagellatio, &c. alia est juris communis pro omnibus Religiosis, alia juris particularis, quæ est propria cujusque Ordinis: alia positiva, quæ ad sui executionem aliquam actionem postulat, ut
327 exilium, flagellatio, &c. alia privativa, ut censura, inhabilitates, privationes, &c. alia est ipso jure lata, alia est ferenda: alia perpetua, alia ad tempus: alia à jure, alia ab homine.

328 Dico II. Religiosi nostri nullas pœnas, in nostris Constitutionibus pro delictis quibuscumque decretas, sive sint positivæ sive privativæ, sive corporales, sive spirituales, etiamsi sint ipso facto incurrendæ, tenentur subire in conscientia, ante judicis sententiam, & inprimis quòd ad pœnas, quæ ad sui executionem aliquam actionem externam requirunt, tenet communis sententia apud Sanctorum *Cap. 2. de pœnis in genere q. 2.* Quod ad pœnas vero privativas, patet ex 4. *p. nostrarum Constitutionum cap. 7. n. 1.* ubi stabilitur, quod quando in nostris Constitutionibus ponitur pœna privationis ipso facto, minimè intelligatur ante judicis sententiam; & ita etiam de sua Religione fatetur Sanctorus *ubi suprà* versu *sed hac quæstione missa*, & absolutè de omnibus religionibus, etiamsi ponatur clausula *ipso jure*, & *eo ipso*, vel *absque ulla declaratione*, aut *ante omnem declarationem*, *absque ullo superioris Decreto*, *aut ministerio*, *aut sententia*; tenet cum Sanchez Bonacina, & aliis Lezana *Tomo 1. capite 10. num. 31.*

Dico III. Transgressio Constitutionum pœnalium in nostra congregatione, nullam culpam 329
inducit, nisi contineant præceptum, aut censuram, aut nisi aliàs id quod Constitutionibus ipsis præcipitur, seu prohibetur, ex se, aut ratione contemptus, vel alterius circumstantiæ fuerit culpabile; ita declarant nostri Legislatores 1. *p. nostrarum Constitutionum cap. 2. num. 7.* & generaliter de 330
omni lege pœnali affirmat Suarez *de legibus lib. 5. cap. 3. n. 2.* Pellizz. *Tract. 7. c. 1. n. 38.* Navarrus, Victoria, & alii quos refert, & sequitur Sanctorus *de pœnis in genere cap. 2. q. 3.* & ratio est, quia licet pœna culpam respiciat, ut illius emendativa: omnis enim pœna, si justa est, ut inquit Augustinus 1. *retract. c. 9.* peccati pœna est, non tamen omnis culpa est theologica, quæ animam venialiter, vel mortaliter afficiat, sed civilis physica, & ut ita dicam materialis naturalis, cujusmodi sunt leges ludentium, artificum, & hujusmodi, quorum culpas emendat pœna satisfactionis conventæ.

Nec inde fit, hujusmodi Constitutiones non esse 331
veras leges, ut ait ex Soto Medina, hoc enim falsissimum est, ut cum Suario notavit Sanctorus *ubi suprà*, cum enim fiant à Capitulo generali, verè legis rationem habent. Tum, quia licet hujusmodi leges 332
directè non obligent ad culpam, obligant tamen indirectè quatenus obligant earum transgressores in conscientia ad ferendas pœnas in eis impositas post sententiam judicis declaratoriam, non tamen antea, ut de pœnis, quæ ad sui executionem actionem hominis requirunt, cum aliis notavit Scobar *in Theologia morali tractatu 1. examine 1. num. 42.* & de pœnis privativis nostræ Constitutiones 4. *part. cap. 7. n. 1.* & cum aliis latè probat Sanctorus *ubi suprà q. 3. in principio* si enim lex non haberet vim obligandi ad pœnam, quam imponit, vana esset, & non timeretur. Unde si Religiosus post sententiam judicis resistit executioni talis pœnæ, peccabit juxta gravitatem materiæ, ac circumstantiarum, ut cum Suario notavit Lezana noster *qq. R. T. 1. c. 8. n. 10.*

Dixi, *nisi contineant præceptum aut censuram,* 333
aut aliàs id quod Constitutionibus ipsis præcipitur, seu prohibetur

prohibetur ex ſe aut ratione contemptus , *vel alte-*
rius circumſtantiæ fuerit culpabile ; nam quoties
legi additur præceptum, vel cenſura, aut irregu-
334 laritas, tranſgreſſio ejus eſt mortalis ; & idem eſt,
ſi addatur pœna degradationis, privationis Eccle-
ſiaſticæ ſepulturæ, ut benè cum Caſtro, Medina, &
aliis notavit Lezana *ibid.n.*15.

Et idem dicendum eſt, ſi in aliqua Conſtitu-
tione ſtatueretur pro aliqua culpa pœna mortis,
mutilationis membrorum, carceris perpetui, trire-
mium, expulſionis, vel gravis infamiæ ; nam tales
pœnæ ſolum pro graviſſimis peccatis juſtè impo-
nuntur ; ita cum aliis idem Lezana *ubi ſuprà num.*
335 16. Idipſum dicendum eſt, quando id quod præ-
cipitur eſt jure naturali, divino, aut poſitivo præ-
ceptum, vel fuerint res directè ſpectantes mate-
riam trium votorum, vel ad bonum grave Com-
munitatis ordinatæ : ſecus ſi ſolum ſint de rebus
Conſiliorum, ut ſi jejunium, ſilentium, &c.
præcipiant. Lezana *Tom.*1. *cap.* 8. *num.* 9. San-
336 ctorus *ubi ſuprà q.* 3. & idem dicendum eſt, ſi de-
tur formalis contemptus in materia gravi ; ſecus ſi
ſit in materia levi, ut latè diximus *Tractatu præce-*
denti diſput. 1. *ſect.* 2. *num.* 45. Ubi etiam quan-
do ſit gravis, vel levis contemptus explicavi-
mus.

337 Sed quæres, quantum debeat pœna durare
quando lex illius durationem non determinat, nec
arbitrio judicis remittit, ſed abſolutè, & inde-
terminatè ait, *qui tale quid commiſerit officio prive-*
tur, *vel carceri mancipetur*, ut ſtatuitur in mul-
tis locis noſtrarum Conſtitutionum ? Reſpondeo
pœnas, quæ tractum temporis non requirunt, ſed
unico actu abſolvuntur, ut ſunt privationes offi-
ciorum, vocis activæ, & paſſivæ, eſſe perpetuas ;
ita cum Panormitano, & aliis Sanctorus *ubi ſuprà*
338 *q.* 5. *dicto* 1. Ratio eſt, quia forma ſemel à ſubje-
cto ablata nihil ſui, niſi privationem importat :
quod tamen non eſt dicendum in ſuſpenſione;
nam hæc non aufert totaliter officium, ſed execu-
tionem ſuſpendit.

Idem dicendum eſt, de aliis pœnis, quæ ad ſui
executionem tractum temporis requirunt, & quæ
uno actu non conſummantur; ut eſt pœna carceris,
triremium, jejunii, & aliæ ſimiles, nam hæ, ſi in-
definitè à lege ponuntur, attendenda ſunt delicta
pro quibus imponuntur, & ſi delictum fuerit capi-
tale dignum pœna perpetua, pœna à lege aſſignata
perpetua declaranda eſt, hoc eſt, per decennium ;
pœna enim perpetua decennio finitur *l. ſine definito*
ff. de pœnis, ut cum communi ſententia docet San-
ctorus *dicto* 2. *ibid.*

Secus dicendum eſt, ſi delictum non fuerit capi-
tale, nam tunc juxta qualitates delictorum mode-
randum eſt tempus pœnæ, non à quocumque, ſed
à judice ordinario, cui ſaltem pœnam imponere
ex lege competit ; ita Sanctorus *ibid.* & colligitur
ex lege noſtra 4.*p.noſtrarum Conſtitutionum, cap.*7.
*num.*3. & idem dicendum eſt de pœnis, quarum de-
terminatio non ſolum quoad tempus, ſed etiam
quoad quantitatem arbitrio Prælati committitur ; 339
nam illius prælati arbitrium exſpectandum eſt, cui
punitio delicti jure ipſo committitur, ut *ibi* nota-
vit Sanctorus.

Si autem quæras, quomodo Judex arbiter in
pœnis infligendis ſe debeat habere ? Reſpondeo, 340
arbitrium quod judici committitur in delictis pu-
niendis debere duci, & reſtringi ad jus ſpeciale, ſi
adſit, præſertim in noſtra Religione, ut patet ex 4.
*p. noſtrarum Conſtitutionum cap.*7.*n.*7. vel ſi hoc de-
ficiat ad jus commune : nimirum à ſimilibus ad ſi-
milia, interpetrando, & ſupplendo per juriſdictio-
nem, quæ deſiderantur; ut dicitur *l. non poſſe l. nam*
ut ff. de arbitris, ita cum communi ſententia Cla-
rus *lib.*5.*§.fin.q.*31.*§.arbitrio.* Hinc fit, judicem ar- 341
bitrum teneri obſervare ordinem juris, ut alii ju-
dices regulares, & ſolum illi liberum eſſe augere,
vel diminuere pœnam, quam tamen ſemper debet
minuere, niſi qualitas delicti aliud poſtulaverit.
Alexand. *conſ.*121.*n.*9. *ultimo fol.*

An autem Judex ordinarius poſſit pœnam à le- 342
ge taxatam minuere, vel augere? Reſpondeo ex ju-
re noſtro poſſe attentis perſonis, delictis, & eorum
circumſtantiis, ut patet ex 4.*p. noſtrarum Conſtitu-*
*tionum cap.*7.*n.*4. & hoc ſive Prælatus ſit inferior,
ſive ſuperior, quod eſt conforme *l. hodie ff. de pœ-*
nis; ita Sà, Pellizz. *Tractatu* 7. *cap.* 1. *num.* 28.
ſecus dicendum eſt, ſi nulla ſubſit cauſa pœnam
alterandi, ut tenet Cujacius *lib.*9.*tit.*47. Simancas
in Epiſtolis.

Sed quid, ſi lex alternativè loquatur, *imponа-* 343
tur talis vel talis pœna, an eligenda ſit arbitrio ju-
dicis, an Rei ? Reſpondeo eligendam eſſe arbi-
trio judicis, judicis enim eſt conſiderare circum-
ſtantias, loci, temporis, & perſonæ ; *l. reci-*
piendum ff. de pœnis; Tabiena *verbo* pœna *num.*12.
Armilla *ibidem n.* 8. & cum aliis Sanctorus *ſuprà*
cit. loc. verſu *at quid ſi lex.* Quod ſi lex dicat, quod 344
qui tale crimen commiſit carceri mancipetur Su-
perioris arbitrio, vel pane, & aqua veſcatur, vel

graviori pœna subjaceat Superioris arbitrio? Respond. non esse intelligendum quod possint Superiores liberè disponere, sed attentis circumstantiis debent judicare; in his enim statutis, non illis committitur libera dispositio puniendi, vel non puniendi, sed tempus durationis, si statutum declarat qualitatem pœnæ, vel ipsa qualitas pœnæ pro qualitate delicti, quando pœna à statuto non declaratur, ut cum multis latè probat Sanctorus *ubi suprà* versu *Ex quibus omnibus*.

345 Dico IV. In pœnis non datur extensio de casu ad casum, vel de persona ad personam, etsi eadem vel major ratio procedat in casu, vel persona de quibus lex non loquitur; pœnæ enim leniendæ sunt, non extendendæ; in pœnis enim facienda est
346 stricta interpretatio *l. interpret. ff. de pœnis*, ita Laiman, Portel, Castro, Miranda, quos refert, & sequitur Lezana *verbo* lex *numero* 42. Sanchez, Salas, & alii multi, quos refert, & sequitur Delbene *Tomo* 2. *cap.* 16. *dubio* 24. *sect.* 3. *num.* 6.

347 Excipe *primo*, nisi aliàs lex redderetur frustranea, ut cum Felino, Tiraquello, Navarro, Suarez, Valentia docet Delbene *ubi suprà n.* 37. *sect.* 1. *num.* 19.

348 Excipe *secundo*, quando lex pœnalis est lata in favorem animarum. Sanchez, Farinacius, Lessius, Suarez, quos refert, & sequitur Delbene *ibi num.* 20.

349 Excipe *tertiò*, quando lex lata est in favorem ecclesiæ, Farinacius & cum aliis Delbene *ibidem*.

350 Excipe *quartò*, quando delicta sunt contra bonum commune; nam publicus favor extendit pœnas; ita cum Hostiensi & aliis Sanctorus *ubi suprà quæst.* 6.

351 Excipe *quintò*, in correlativis, in quibus eadem ratio subsistit, tamen non è contra, ut pœna inflicta danti ad usuras non comprehendit recipientem, quia utriusque est diversa ratio, scilicet in dante peccatum usuræ, in recipiente vexationis redemptio. Secus si utrobique sit eadem ratio, ut si prohibeatur vendere frumentum, ne civitas fame pereat, tunc tam vendens, quam emens incurrunt pœnam, quia tam ex venditione, quam ex emptione civitas patitur famem, quæ est ratio legis, ita cum communi sententia Sanctorus *loc. cit.*

352 Dico V. Pœna imposita delicto per statutum non potest infligi, nisi delictum cum effectu conjunctum sit, & conatus non potest puniri, nisi id lege cautum sit, aut deventum sit ad actum 353
proximum, & tunc non pœna ordinaria, sed extraordinaria pro majori, vel minori approximatione ad actum; nam cum lex ponat pœnam ei, qui delictum adæquatè commisit, non debet intelligi de eo, qui non perfecit, licet attentaverit, cum in pœnis mitior facienda sit interpretatio; ita Clarus §. *ultimo q.* 92. ubi quamplurimos refert, & cum aliis Delbene *Tomo* 2. *cap.* 17. *dubio* 1. *num.* 39. Lezana *Tomo* 2. *cap.* 6. *num.* 13.

Excipe delicta atrocissima, verbi gratia, læsæ 354
majestatis divinæ, vel humanæ, impugnatæ Patriæ, simoniæ, sodomiæ, conspirationis volentis dare venenum, tentatæ necis in Generalem, nam in his, & similibus in foro externo punitur affectus & conatus, etiam si non sequatur effectus, ut benè advertit Lezana *ubi suprà*, præsertim, si ita ferat Patriæ consuetudo, non tamen puniuntur pœna ordinaria, sed extraordinaria secundùm judicis arbitrium, ut etiam fit in actibus proximis ad delictum, qui etiam non eadem delicti pœna ordinaria, sed extraordinaria, juxta illorum approximationem ad delictum, puniuntur, ut cum multis latè probat Sanctorus *de pœnis in genere cap.* 2. *q.* 6.

Dico VI. Mandans fieri aliquod delictum, te- 355
netur ad pœnam ordinariam, etiamsi de mandante non fiat mentio; ita communior sententia, quam tenet cum Molina, Mantica, & aliis multis Sanctorus *ubi suprà q.* 7. nam ille est causa principalis delicti, non minus obligatus ad restitutionem, quam exequens, ut cum communi sententia docet Lugo *de justitia disputatione* 19. *n.* 23. 356

Idem dicendum est de consulente, ut cum mul- 357
tis tenet Clarus *q.* 88. Et idem de consentiente per 358
viam authoritatis admittit Clarus *q* 87.

Idipsum de non impediente delictum dicendum est, quando illi ex officio illud impedito incumbebat. Clarus *q.* 87. versu *dictum est*.

Dico VII. Pœna statuta à lege ipso jure non ex- 359
tenditur ad delictum commissum ante tale statutum; nam cum delictum jam commissum sit, non potest comprehendi a tali lege, si tamen pœna non 360
sit ipso jure, sed imponenda à judice pro delicto non punito, tunc etsi pœna per legem novam imposita sit convenientior delicto commisso, quod semper præsumendum est, secundum illam judicandus est delinquens, nam quoad imponendam pœnam regulariter attenditur tempus senten-

sententiæ, *l. penultima, ff. si ex noxali causa agatur*; ita ex Bartolo, Farinacio, & aliis Palaus *Tract.* 3. *disp.* 5. *part.* 3. §. 5. *num.* 11.

361 Dico VIII. Regulares non subjacent pœnis jure comuni latis contra Clericos; ita Pellizzarius *Tract.* 7. *cap.* 1. *num.* 37. & à fortiori debet tenere cum Sanchez, & aliis Diana *part.* 1. *tract.* 10. *resolutione* 26. *& part.* 5. *tract.* 10. *resolutione* 81. qui probabiliter sustinet, legem pœnalem non esse extendendam ad casum, vel personam, in qua militat eadem ratio, nisi exprimatur in ipsa lege; quia Religiosi in odiosis, qualis est pœna, non veniunt nomine Cleri, ut cum Layman. Portel. & aliis docet Diana *part.* 5. *resolutione citata.*

§. 2.

De pœna privationis vocis activæ, & passivæ, & loci.

362 *Quid importet privatio vocis activæ, & passivæ?*

363 *Quid importet in nostra Religione?*

364 *Privatus voce indefinitè de jure nostro, intelligitur de voce activa, & passiva.*

265 *Secùs dicendum est seclusa lege nostra.*

366 *In nostra Religione privatus voce activa, & passiva, non potest eligi in Superiorem, vel Vicarium, nec jure antiquitatis potest præsidere in Communitate.*

367 *Idem dicendum est de officio Definitoris, sive Generalis, sive Provincialis.*

368 *Idem dicendum est de officio socii, sive discreti pro Capitulo Provinciali, sive Generali.*

369 *Idem dicendum est in nostra Religione de officio Clavarii.*

370 *Idem dicendum est de officio Magistri Novitiorum.*

371 *Idem dicendum est de officio visitatoris, & Commissarii.*

372 *Privatus voce activa & passiva potest esse Confessor, & Lector, dummodo Lector votum non habeat ex jure in approbatione Scholasticorum.*

373 *Qui sint, qui in nostra Religione possunt voce activa, passivaque privari, tam in electionibus, quàm in Capitulis conventualibus.*

374 *Si aliquis Religiosus committat crimen dignum privationis vocis activæ, & passivæ, si ipse non habeat vocem, non potest privari pro eo tempore, quo eam habuerit, sed debet alia pœna puniri.*

375 *Quid per privationem loci in nostra Religione intelligatur?*

376 *Si aliquis sit privatus loco, non propterea amittit vocem activam in Capitulo Conventuali.*

377 *Privatus loco amittit jus præsidendi.*

378 *Referuntur casus, in quibus Religiosi nostri contrahunt punitionem vocis activæ, & passivæ, & loci.*

De hac pœna non pauca dixi *Tractatu præcedenti, disp.... sect.... n...* ubi enumeravi omnes privationes, quæ secundùm jus commune possunt contrahi à Regularibus: nunc de his pœnis, quæ secundùm nostras Constitutiones multoties possunt contrahi à nostris Religiosis, specialiter pro illis agendum nobis est.

Dico I. Privatio vocis activæ, & passivæ importat, 362 quòd Religiosus tali pœna affectus non possit in Capitulo collegialiter coacto, sive Generali, sive Provinciali, sive Conventuali dare proprium suffragium ad ullum actum ibi tractatum, quicumque demum is sit, nec in eodem Capitulo eligi, aut nominari ad aliquid, quod sit honoris, aut præeminentiæ; ita cum Portel. Navarro, & aliis Pelliz. *Tract.* 7. *cap.* 6. *num.* 3. Imò in nostra 363 Religione privatus voce activa, & passiva, tenetur statim post Choristas non Sacerdotes suas culpas dicere, & statim è Capitulo exire; ut decernitur *in* 4. *part. nostrarum Constitutionum cap.* 7. *num.* 1.

An autem idem dicendum sit, si aliquis privetur voce indefinitè? Respondeo affirmativè, loquendo de jure nostro; nam privatus voce indefinitè intelligitur de voce activa, & passiva, ut patet ex *loco cit. nostrarum Constitutionum.* Secùs dicendum esset, 364 si non datetur talis declaratio legis, nam in pœnis non est facienda extensio, & cùm vox in principaliori significatione pro activa stet, pro 365 illa tantum erit intelligenda; ita cum Garcia, Palao, & aliis Diana 5. *part Tract.* 13. *resol.* 91.

Hinc fit in nostra Congregat. privatum voce 366 activa, & passiva, non posse eligi in Superiorem, vel Vicarium Conventus; imo, nec jure antiquitatis posse præsidere in Communitate; nam, ut *suprà* diximus, Supprior, seu Vicarius, vel Præses in absentia Prioris per unum diem naturalem, habet jurisdictionem ordinariam super Communitatem,

nitatem, qua tamen privatus voce activa, & passiva, est incapax; ita Santorus *de pœnis, cap. 3. quæst. 2.*
367 *difficultate* 1. Idem dicendum est de officio Definitoris, sive Provincialis, sive Generalis, est enim hoc officium magnæ authoritatis in Religionibus, & licèt absolutè non sit dignitas, est tamen quædam super alios eminentia, sive præcedentia, aut præeminentia, ratione cujus dicitur personatus; imò, si habeant votum decisivum, aliquo modo officium Generalis, vel Provincialis participant; quatenùs nihil definiri potest absque eorum voto in negotiis gravioribus, in quo sensu dici etiam potest ipsos Definitores jurisdictionem habere, quia & ipsi jus dicunt consentiendo, assistendo, judicando cum Generali, vel Provinciali occurrentes causas Religionis, aut Provinciæ: ut benè notavit Sanctorus *de pœnis, cap. 3. quæst. 2. difficultate* 4. quia etiam ipsi Definitores in nostra Religione votum habent decisivum in multis negotiis, quo caret privatus voce activa.

368 Idem dicendum est de officio Socii sive Discreti pro Capitulo Provinciali, vel Generali; nam cùm his Discretis competat ferre suffragium in electionibus, licèt hoc dignitas non sit: est tamen quædam præcedentia, quam alii non habent, qua privatus voce activa, & passiva, caret; Sanctorus *ubi suprà, difficultate* 3.

369 Idem dicendum existimo in nostra Religione de officio Clavarii, sive Discreti Conventus: nam hi etiam multoties votum habent decisivum in multis casibus cum Priore, ut patet *ex* 1. *Part. nostrarum Constitutionum, Cap. 9. num. 9.* & ex 2. *part.* 3. *Cap.* 15. *per totum:* ubi etiam ordinatur *num.* 1. quòd Clavarii eligantur à Priore simul cum Provinciali, non quidem ex antiquioribus, sed ex Sacerdotibus dignioribus, in quo casu etiam nostram resolutionem admittit Sanctorus *suprà cit. difficultate* 3.

370 Idem dicendum est de officio Magistri Novitiorum, cùm ex lege in multis casibus habeat votum decisivum in expulsione Novitiorum, ut patet ex *secunda Parte nostrarum Constitutionum, cap. 2. num. 2.* ubi in aliquo casu gravi potest Novitius expelli de solo consensu Prioris, & Magistri cum consilio Provinciali: habent etiam votum in examine informationum, ut patet ex *eodem capite, num.* 5. quibus omnibus incapax est privatus voce activa: quia Magister Novitiorum est officium ex gravioribus Religionis, & qui in maximo honore habetur, ac per consequens privatis voce activa, & passiva, dari non licet.

Idem dicendum est de officio Visitatoris, & Commissarii; nam delegatio jurisdictionis electio est, siquidem alicujus personæ idoneæ ad dignitatem canonicam vocatio est, quæ electio salvari in uno potest, quando tota potestas eligendi in uno consistit, ut *infrà* dicemus. Inde est, quòd privatus voce activa & passiva incapax est horum officiorum; Sanctorus *suprà cit. difficultate* 8. 371

Si tamen quæras, an privatus voce activa, & passiva, possit esse Confessor, sive Sæcularium, sive Regularium, aut etiam Lector? Respondeo affirmativè, dummodo Lector non habeat ex jure suffragium in approbatione Scholasticorum, ita loquendo de privatione actuum legitimorum docet Pellizzar. *Tract. 7. cap. 6. num. 9.* & illius ratio etiam in præsenti casu procedit, nam sicut privatio actuum legitimorum est pœna concernens forum externum, ac proinde non debet ampliari ad actus proprios fori interni, qualis est auditio confessionum, nec etiam ad actus docendi, qui ad intellectum instruendum diriguntur, ut benè *ibid.* notat Pelliz. ita etiam privatio vocis activæ, & passivæ est pœna concernens forum externum, ac proinde eodem modo non debet ampliari: in pœnis enim facienda est mitior interpretatio. Hinc fit, quòd cùm primus Lector Theologiæ, & Lector Artium in nostra Religione ex jure nostro habeant votum decisivum in approbatione Scholasticorum, ut patet ex 2. *Part. nostrarum Constitutionum, cap.* 4. *num.* 9. non posse carentem voce activa habere tale officium; ita in simili casu Pelliz. *ubi suprà, num.* 9. 372

SED QUÆRES, qui sint Religiosi, qui in nostra Religione voce activa & passiva privari possunt? Respondeo, apud nos duplicem posse Religiosos habere vocem, aliam ad electiones in Capitulo, tam Generali, quàm Provinciali, sive Definitorio, aliam ad loquendum in Capitulo Conventuali circa res ac contractus Conventus & culpas Religiosorum: si de prima voce activa loquamur, solùm qui illam habent, ea privari possunt, ut sunt omnes Prælati canonicè electi, Definitores, & socii Capituli Generalis: cæteri enim Religiosi nullam prorsus vocem habent activam ad Capitula electionum. Si verò de secunda voce loquamur, omnes, & soli Sacerdotes à die, qua sacerdotio initiati sunt, ea possunt privari, cùm ab illo die eam habere incipiant, nisi aliàs ad habitum fuissent admissi, 373

admissi, cùm jam essent Sacerdotes; nam tunc completis duobus annis post suam professionem, habent vocem in Capitulo Conventuali. Vocem verò passivam ad electiones habent ad Generalatum, qui duodecim, ad Provincialatum, qui decem, ad Definitorium Generalium & Prioratus munus, qui octo annos à sua professione, cum Sacerdotio, & doctrina sufficienti habuerint: ut patet ex 3. *Part. nostrarum Constitutionum, cap. 2. num. 10. & seqq.*

An verò, si quis Religiosus committat aliquod crimen dignum privatione vocis activæ, & pas-
374 sivæ, ipse autem ob ætatis defectum, prædicta voce, sive activa, sive passiva careat, possit privari pro tempore, quò ad acquisitionem talis vocis pervenerit, vel debeat puniri alia pœna? Respondeo, non posse, sed debere alia puniri pœna, juxta qualitatem delicti, si aliàs in lege non fuerit determinata; ita Clarus & Marsilius, quos refert, & sequitur Sanctorus *de pœnis, cap. 3. quæst. 2. dif. 9.* & patet ex 4. *part. N. Constit. cap. 7. num. 5.* Ratio verò est, quia pœna præsens emendat delictum præsens: ergo si delictum factum est in hac ætate, puniri debet in illa, & in aliam non reservari.

375 DICO II. Per privationem loci, (quam alii privationem geniture vocant,) in nostris Constitutionibus aliquibus delictis impositam, intelligitur jus prælationis unicuique Religioso competens ratione antiquitatis professionis: qui enim tali pœna punitur, amittit locum suæ antiquitatis, & sedet post juniorem Sacerdotem, vel in alio loco inferiori à suo, si Prælato videbitur; ut patet ex
376 *eadem 4. part. N. Constitut. cap. 7. num. 1.* Adverte tamen, quòd si aliquis sit privatus loco, non propterea amittit vocem activam in Capitulo
377 Conventuali, cùm privatio vocis activæ & passivæ gravior sit pœna, amittit tamen jus præsidendi in Communitate jure antiquitatis, si Prior & Subprior absint; nam cùm hoc jus illi competat ratione antiquitatis, si per privationem amisit jus prælationis ratione antiquitatis, consequenter amisit jus præcedentiæ; ita Peyrinis, & cum Sanchez Pellizz. *Tract. 7. cap. 6. num. 6.*

378 SED QUÆRES, in quibus casibus Religiosi nostri contrahant privationem vocis activæ & passivæ, ac loci, secundùm nostras Constitutiones? Respondeo, juxta 1. *part. nost. Constitut. cap. 9. num. 2.* contrahere pœnam privationis vocis & loci per unum mensem, qui cellam alterius de nocte intraverit absque licentia: & juxta easdem Constitut. 2. *Part. cap. 6. num. 5.* Similem pœnam incurrit simplex Sacerdos, qui alterius, etiam Sacerdotis confessionem audit: & qui tali confitetur. Contrahunt etiam ex earundem Constitut. decreto 1. *Part. cap. 16. num. 5.* privationem vocis activæ & passivæ, & loci, qui ad balnea tendunt sine licentia. Et ex 2. *Part. cap. 6. num. 8.* contrahunt privationem vocis, & loci, per duos menses, qui loquuntur cum nostris Monialibus, vel illarum munuscula recipiunt, vel illarum confessiones audiunt, ubi datur Conventus Ordinis nostri.

Præterea ex 2. *part. cap. 6. num. 9.* incurrunt pœnam privationis vocis, & loci, per sex menses subditi, qui non custodiunt circumstantias in ingressu clausuræ nostrarum Monialium à nostra lege stabilitas. Et ex *eadem 2. part. cap. 7. num. 3.* privantur voce, & loco per sex menses, qui prædicant sine licentia Ordinarii. Similiter ex 3. *part. cap. 17. num. 12.* privantur voce activa, & passiva, qui ab Indiis in Hispaniam sine Definitorii licentia veniunt. Et ex 1. *part. cap. 7. num. 10.* privantur voce activa, & passiva proprietarii.

Præterea privantur voce, & loco per sex menses, qui per unam noctem extra Conventum permanserint, ex 1. *part. cap. 11. num. 1.* & ex *cap. 12. num. 1.* privatur voce passiva per tres annos Prælatus, qui carnes comedit, cum Sæcularium scandalo, vel qui eas majori parti Communitatis sine necessitate præbet.

Privantur ex 1. *part. cap. 9. num. 9.* voce activa, & passiva, & loco, qui ad propriam patriam tendunt absque Generalis licentia. Et ex *eadem 1. part. cap. 11. num. 5.* privatur voce, & loco per sex menses, qui ad regalem curiam, vel juxta eam per unam leucam proficiscitur absque licentia. Et *ex 2. part. cap. 7. num. 14.* privatur voce, & loco per unum mensem, qui officium Parochi exercet. Item ex 3. *part. cap. 8. num. 10.* privatur voce activa, & passiva, per duos annos, qui libros imprimit absque licentia. Et ex eadem 3. *part. cap. 2. num. 4.* privatur voce, & loco in perpetuum, qui declarationi à nostro Definitorio Generali factæ circa controversias ortas, in electione Generalis contradixerit. Item ex eadem 3. *part. cap. 2. num. 7.* privantur voce activa & passiva per tres annos, subornantes, vel inducentes directè, aut indirectè aliquos ad dandum suffragium pro aliquibus personis in electionibus. Et ex 3. *part. cap. 12. num. 8.* privantur voce, & loco per sex menses, qui exercuerint officium Judicis Conservatoris, nisi de expresso

presso Papæ mandato, vel qui f cerint Testamentarii officium absque licentia P. N. Generalis, vel aliquam litem inceperit absque Provincialis licentia.

Item ex 2. *part. cap.* 4. *num.* 15. privantur voce & loco in perpetuum, qui se Cathedræ opposuerint, aut in provisione illius auxilium, vel consilium dederint, vel qui aliquem gradum Doctoratus, vel Bacalaureatus, vel alium quemcunque susceperint. Et 4. *part. cap.* 4. §. 1. *num.* 1. privantur voce & loco per unum annum, qui se inebriaverint, vel taxillis, vel cartis lusoriis luserint. Et ex eodem *cap.* §. 5. *num.* 3. privantur voce activa, & passiva per tres annos, qui alterum infamaverint. Denique ex 1. *part. cap.* 10. *num.* 5. privantur voce passiva Priores, qui in Capitulo Provinciali non ostenderint è testimonio Clavariorum, quomodo Missis receptis satisfecerint, & quomodo plures eleemosynas non acceperint, quàm quibus per tres menses possent Conventus satisfacere.

§. III.

De pœna suspensionis ab officio.

379 *Quid sit suspensio ab officio, explicatur.*

380 *Per hanc suspensionem non impeditur quis ab officio Ordinis.*

381 *Nec ab officio Concionatoris aut Confessoris, sed ab officio habente aliquam superioritatem.*

382 *Sub nomine officiorum ex consuetudine nostræ Religionis, venit etiam officium Lectoris, non tamen stando in jure communi.*

383 *Prælatus suspensus ab officio, adhuc habet vocem in Capitulo.*

384 *Prælati suspensi ab officio regulariter, secundùm nostras Constitutiones, debent permanere in suis Conventibus pro tempore suæ suspensionis.*

385 *Prælati suspensi ab officio, non propterea suo loco privantur.*

386 *Non possunt reprehendi à Præsidente sui Conventus.*

387 *Non potest Præses Conventus illis signum facere.*

388 *Prælatus suspensus potest exire è Conventu, absque licentia Præsidentis, tamen petendo socium.*

389 *Non potest socium sibi ipsi eligere.*

390 *Prælatus suspensus etiam per totum triennium, non amittit suum officium, sed tantùm executionem illius.*

391 *Prælatus suspensus verè est Prior, & immediatè subditur Provinciali, & non Præsidi Conventus.*

392 *Idem non potest duos Prælatos immediatos habere.*

393 *Referuntur casus, in quibus Religiosi nostri incurrunt pœnam suspensionis ab officio secundùm nostras Constitutiones.*

Dico I. Pœna suspensionis ab officio, quæ 379
multoties in nostris Constitutionibus pro aliquibus culpis infligitur, est quædam censura Ecclesiastica, per quam quis impeditur, ne exerceat officium, quod habet: per hanc tamen suspensionem non impeditur quis ab officio Ordinis, sed tantùm ab officio habente adjunctam aliquam 380
superioritatem, ut esse Generalem, Provincialem, Definitorem, Priorem, aut Superiorem localem, non tamen ab aliis officiis, qualia sunt esse Concionatorem, Confessarium; ita cum Sanchez, Ro- 381
driguez, Sousa, Sorbo, Filiutio, Bonacina, Diana, & aliis Pelliz. *Tract.* 7. *cap.* 6. *num.* 5. contra Lezanam *Tom.* 1. *cap.* 10. *num.* 32. Et ratio est, quia in pœnis benignior interpretatio facienda est, sed in Religionibus nomine officiorum communi modo loquendi non venit munus Concionatoris, Confessoris, &c. ergo idem dicendum est in ordine ad suspensionem.

An autem sub nomine officiorum, compre- 382
hendatur etiam officium Lectoris? Respondeo, quòd licet stando in jure communi, sub nomine officiorum non veniat officium Lectoris, ut cum aliis probat Pelliz. *ubi suprà*, ex consuetudine tamen nostræ Religionis existimo venire; nam juxta 2. *part. nostrarum Constitutionum, cap.* 4. *num.* 6. imponitur pœna privationis ab officio Lectoribus, qui non docuerint doctrinam D. Thomæ, ergo sub nomine officii comprehendit nostra Religio officium Lectoris; & ita tenet etiam de sua Religione Portel. *in additionibus, ad dubia regul. verbo* Officia Ordinis, *num.* 2. Et ego illud circa quendam Lectorem Theologiæ moralis vidi in nostra hac provincia practicari ann. 1649.

Dico II. Prælatus suspensus ab officio adhuc 383
habet vocem in Capitulo Provinciali, vel Generali, aut locali: cùm ferre suffragium in Capitulo per

per se non sit exercitium Ordinis, utpote competens etiam Monialibus, nec sit usus alicujus jurisdictionis Ecclesiasticæ: ut cum Palao notavit Pellizzar. *Tract.* 7. *cap.* 3. *num.* 20.

384 Adverte etiam, Prælatos suspensos ab officio, regulariter juxta nostras Constitutiones debere permanere in suis Conventibus pro tempore suæ suspensionis, ut patet ex 4. *part. nostrarum Constit. cap.* 7. *num.* 5.

Adverte secundò, quod licèt Prælati suspensi ab officio non possint in aliquo suum officium exercere, non per hoc tamen suo privantur loco,
385 nec à Præsidente sui Conventus possunt reprehen-
386 di, nec Præses Conventus potest signum illis face-
387 re in locis Communitatis; imò ipse Prior potest
388 Conventu exire, absque licentia Præsidentis, so-
389 lùm ei manifestando suum exitum, ut ei socium præbeat, quem tamen ipse sibi ipsi non potest eligere: & ratio omnium horum est, quia sic ab officio suspensus, etiamsi per totum triennium esset suspensus, non amisit per talem suspensionem to-
390 taliter suum officium, sed executionem illius;
391 unde sic suspensus verè manet Prior, ut cum Ledesma, Panormit. Toleto, & aliis notavit Sanctorus *de Pœnit. cap.* 2. *quæst.* 5. *dicto* 1. Sed Prior immediatè subjicitur Provinciali; ergo nullo modo potest subjici immediatè Præsidenti Conventus; nam idem non potest duos Prælatos immediatos
392 habere: Unde cum tali sic suspenso, existimo in omnibus philosophandum esse, sicut cum Definitoribus generalibus, qui, licèt habeant aliquas præeminentias ratione officii, non possunt tamen se ingerere in regimine Monasterii, & ita semper vidi practicari.

SED QUÆRES, in quibus casibus Religiosi nostri incurrant suspensionem ab officio secundùm no-
393 stras Constitutiones? Respondeo *ex* 1. *part. nostrar. Constitutionum, cap.* 11. *num.* 1. contrahere talem pœnam per sex menses illos, qui per unam noctem remanent sine licentia extra Conventum in loco, ubi est Ordinis Conventus, & ex *eadem* 1. *part. cap.* 12. *num.* 1. incurrit prædictam suspensionem per duos menses Prælatus, qui clam, aut horis insolitis carnes vescitur, vel illas absque necessitate majori parti Communitatis exhibet. Item ex 1. *Part. cap.* 9. *num* 6. incurrit eandem suspensionem per duos menses Prælatus, qui permittit mulieres tempore Processionum claustra nostra ingredi. & ex *eadem part. cap.* 7. *num.* 9. incurrit pœnam suspensionis ab officio per quindecim dies Prælatus immediatus, qui cellulas, & utensilia suorum subditorum bis in anno non visitat. & ex *cap.* 9. *ejusdem part. num.* 10. incurrunt suspensionem ab officio per unum mensem, qui ad suam patriam absque socio tendunt, & illi, qui mittunt, si ibi non sit Conventus Ordinis, absque licentia Patris Generalis, &c.

Præterea ex 1. *part. cap.* 16. *num.* 4. ab officio suspenduntur per duos menses Prælati, qui non recipiunt cum charitate hospites infirmos nostri Ordinis. Et ex 2. *part. cap.* 2. *num.* 9. suspenduntur ab officio Prælati, quorum negligentiâ aliquid omissum fuit ex illis, quæ in Pontificum Bullis pro informationibus Novitiorum præcipiuntur. Item ex *eod. cap. num.* 19. incurrit pœnam suspensionis ab officio per unum mensem Provincialis, vel alius quicumque Prælatus, qui à domo noviciatus recenter professum, ante sex elapsos menses à sua professione, in alium Conventum mittit. Et 1. *part. cap..... num.* 14. suspenditur ab officio per unum mensem, qui officium Parochi exercuit. Item ex *cap.* 7. *ejusdem part. num.* 5. suspenditur ab officio, qui per totam, vel majorem partem Quadragesimæ manet in aliquo loco, ubi non est Ordinis Conventus ad prædicandum: atque etiam Prælatus, qui duos Prædicatores mittit eadem die ad prædicandum in loco, ubi non est Ordinis Conventus. Et 1. *part. cap.* 9. *num.* 5. suspenditur ab officio per duos menses Prælatus, qui Religiosos mittit ad sepeliendos mortuos, vel ad alia pro mortuis officia, nisi pro Regibus, & Episcopis Diœcesanis, & pro Prælatis, vel aliis gravibus viris ex Regularibus. Et 3. *part. cap.* 14. *num.* 20. suspenditur ab officio Prælatus, qui aliquem Religiosum mittit ex India absque Definitorii nostri generalis licentia.

* * *

§. 4.

De pœna privationis officii.

394 *Quid per privationem officiorum intelligatur?*
395 *Non intelligitur officium* Confessarii, Concionatoris, *&c.*
396 *Sub nomine officiorum, de jure nostro, comprehenditur etiam officium Lectoris, non tamen de jure communi.*
397 *In quo distinguatur privatio officii à suspensione?*
398 *Referuntur casus, in quibus hujusmodi pœna à Religiosis nostris de jure nostro contrahitur.*

394 DIco I. Per privationem officiorum intelligitur privatio earum dignitatum, vel officiorum ac administrationum, quæ habent conjunctam aliquam superioritatem, ut esse Generalem, Provincialem, Definitorem, Priorem, Suppriorem, non tamen aliorum officiorum, qualia sunt esse Concionatorem, & Confessorem; ita
395 contra Lezanam Pelliz. *Tract.* 7. *cap.* 6. *num.* 6. ubi alios citat, & nos jam *suprà* diximus; in pœnis enim semper mitior interpretatio amplectenda est, & cùm ista munera propriè communi modo loquendi inter Regulares non veniant nomine officiorum, non sunt prædictæ pœnæ ad ea ampliandæ.
396 An autem sub nomine officiorum comprehendatur etiam officium Lectoris? Respondeo, de jure communi non comprehendi, ut cum aliis docet Pellizz. *ubi suprà*, contra Lezanam, benè tamen de jure nostro, ut patet ex 2. *part. nostrarum* Constitutionum, Congreg. *Hisp. cap.* 4. *num.* 6. ubi ponitur pœna privationis officii lectoribus,
397 qui doctrinam Divi Thomæ non docuerint. Distinguitur autem privatio officii à suspensione, quòd privatus officio ampliùs non remanet Prælatus; nam forma semel à subjecto ablata, nihil sui, nisi privationem relinquit, benè tamen suspensio, ut *suprà* diximus; ita cum aliis Sanctorus de *pœnis, cap.* 2. *quæst.* 5. *dicto* 1. Unde hæc pœna gravissima est.
398 Sed quæres, quoties, & in quibus casibus hujusmodi pœna à Religiosis nostris contrahatur secundùm nostras Constitutiones? Respondeo, in diversis casibus imponi hujusmodi privationem officii à Constitut. nostris Congreg. Hisp. *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 9. privantur officio Prælati non observantes dispositum à nostris Constitutionibus circa ingressum in clausuram nostrarum Monialium: quam pœnam etiam incurrit Priorissa, si aperiat fenestram Communionis ad aliud, quàm ad id, ad quod in suis Constitutionibus est ordinatum. Et 1. *part. cap.* 12. *num.* 1. incurrit eandem pœnam Prior, qui cum Sæcularium scandalo carnibus vescitur, aut majori parti Communitatis sine necessitate ministrat. Et 3. *part. cap.* 8. *num.* 10. qui imprimit libros sine licentia.

Et 3. *part. cap.* 2. *num.* 4. qui contradixerit declarationi factæ à Definitorio generali circa controversias ortas in electione P. N. Generalis. Et *eodem cap. num.* 7. subornatores, & directè vel indirectè inducentes ad suffragandum, &c. Et 3. *part. cap.* 12. *num.* 5. exercentes officium Judicis Conservatoris absque expresso Papæ mandato: vel aliquam litem sine licentia Provincialis incipientes; & facientes officium Testamentarii absque licentia P. N. Generalis. Et 1. *part. cap.* 7. *num.* 10. vasa sacra nimis sumptuosa contra institutum nostræ paupertatis facientes. Et 2. *part. cap.* 3. *num.* 8. Beatas sub obedientia protectione nostra recipientes. Et 4. *cap. num.* 15. alicui Cathedræ se opponentes, vel in illa suffragium ferentes, aut ad illam obtinendam auxilium, vel consilium dantes. Et 2. *part. cap.* 11. §. 3. *num.* 9. exeuntes noctis tempore à clausura in eremis, vel permittentes mulieres illam ingredi. Et 3. *part. cap.* 9. *num.* 11. Visitator intrans clausuram nostrarum Monialium, præterquam in casibus à jure præmissis. *Et* 2. *part. cap.* 4. *num.* 6. Lectores non docentes doctrinam D. Thomæ.

* * *

§. 5.

De pœna carceris.

quæ apostasia, etiam vim inferendo custodibus, carcerem infringendo, &c. dummodo recta via tendat ad Superiorem.

435 *Si injustitia est notoria, possunt alii Religiosi eum adjuvare ad fugiendum, præbendo instrumenta, arma, &c. & hoc non obstante quocumque præcepto Superioris.*

436 *Secùs dicendum est de justè carcerato, nam hic, si fugit, reputabitur fugitivus, & apostata.*

437 *Justè damnatus ad mortem vel triremes, potest fugere à carcere, si inveniat occasionem opportunam, non tamen custodi vim inferendo, & tunc debet ad Superiorem majorem confugere.*

438 *Idem dicendum est, si sit damnatus ad carcerem perpetuum.*

439 *In prædictis casibus non tenetur Reus aufugere.*

440 *Injustè carceratus potest semper appellare, etiam post decem dies à tempore capturæ.*

441 *Prælatus detrudens subditum in durissimũ carcerem, in quo intra paucos dies est moriturus, reputatur homicida, & irregularis.*

442 *Peccat graviter custos carceris, quando non defert fideliter carceratis illa, & sola fercula, quæ Prælatus eis dari jubet.*

443 *Non debet custos permittere, ut aliquis absque licentia cum carcerato loquatur, vel ei epistolas deferat.*

444 *In diebus, in quibus carceratus jubetur jejunare in pane, & aqua, non potest custos ei alios cibos ministrare sub peccato mortali*

445 *Si justè carceratus culpa custodis aufugiat, eadem pœna puniendus venit custos, qua puniendus erat carceratus.*

446 *Quid, si absque illius culpa aufugiat?*

447 *Custos solùm tenetur de culpa lata seu crassa.*

448 *Qua pœna custos sit puniendus de jure nostro, si culpa sua Reus fugiat.*

449 *Quæ delicta in nostra Religione puniantur pœna carceris?*

PRo hujus §. dilucidatione suppono pœnam carceris pro multis criminibus à N. Congreg. Hispan. Religiosis imponi: Unde statuitur 4. *part.*
399 *cap.* 4. *num.* 2. ut in quolibet Conventu sit locus carceri deputatus, undique munitus, & tutus, non tamen ita inhumanus, ut Religiosorum salus spiritualis, vel corporalis periclitetur, in quo sint instrumenta necessaria ad majorem securitatem, & pœnam delinquentium, his suppositis.

DICO I. Carcer importat privationem liberta- 400
tis in usu membrorum corporis, sine violentia membris adhibita, & sine custodia viva, sicut ligatio, aut compeditio importat idem cum violentia, & captivatio cum custodia viva; ita Sylvester *verbo* Carcer, *num.* 1. Hinc fit, quòd si Præ- 401
latus aliquem Religiosum mitteret in cellam, & præciperet, ne ab illa eo inconsulto exiret, non posse talem dici carceris pœnam subiisse, quia de essentia carceris est obseratio, & quòd privet physicè libertate exeundi, qua tamen talis Religiosus privatus non est, cùm è cella possit physicè egredi, nec Prælatus ita Religiosum in sua cella 402
recludens, incurret pœnas indebitè carcerantis; ita Sanctorus *de pœnis, cap.* 4. *de pœna carceris in principio*: tunc tamen haberetur cella pro carcere, quando simul tali Religioso vincula corpori applicarentur, ita ut non posset exire è cella; unde formaliter carceratus dicitur, qui 403
intra duos parietes, vel vinculis detinetur, *l. succurritur, ff. ex quibus causis.* Clarus *quæst.* 46. *initio.*

DICO II. Dupliciter accipitur carcer, vel ad 404
custodiam, vel ad pœnam, ut patet ex *Cap.* Quamvis, *de pœnis, in 6.* & cum aliis docet Felin. in *Cap.* Cùm sit, *de foro competenti,* & Cap. *Tua de nobis.* Differunt autem inter se hujusmodi carcerationes: nam quando carcer tantùm imponitur ad custodiam, quia adhuc Reus convictus non est de crimine, & suspectus est de fuga, non au- 405
fertur ab illo habitus Ordinis, vel corona, imò ei permittitur Missæ sacrificium quotidie celebrare in oratorio ad hoc juxta carcerem constituto.

Quando verò aliquis convictus de crimine 406
conjicitur in carcerem in pœnam delicti, juxta nostras Constitutiones pro gravi delicto privatur habitu Ordinis, scilicet Scapulari, & Caputio, imo & corona, si Prælatis videbitur expedire, ut patet ex 4. *part. nostrarum Constitutionum, cap.* 4. *num.* 3. Permittitur tamen ei celebrare, si pœni- 407
tens suam pœnitentiam humiliter, & obedienter adimplet, at si contumax à delicto nolit converti, vel illud pertinaciter neget, cùm aliàs de illo convictus sit, vel si suspectus vehementer sit de car- 408
ceris fractione, tunc compeditio adhibeatur, & aliæ pœnæ jejunii, panis, & aquæ, disciplinæ in Capitulo, & aliæ similes ei injunguntur, ut patet ex communi praxi & usu Religionis.

409 Dico III. Hujusmodi carcer licet munitus de-
bet tamen esse humanus, ut dictum est supra ; non
enim decet viros religiosos sævire in delinquentes,
& eos in carceres plane obscuros ac crudeles detru-
dere , ut benè advertit Sanctorus *de pœnis cap* 4.
410 *quæst*.10. Hinc fit mortaliter peccare Superiores ,
qui nimis rigidi sunt in delinquentium punitioni-
bus, & præcipuè in carceratorum custodia , si ul-
tra sancitas regulas , victus abstinentia macerent,
lumine privent , commoditatem recitandi horas
411 Canonicas denegent, libros spirituales legendi oc-
casiones præripiant, humidis, squallidis, inhuma-
nisque carceribus Reos mancipent, quia ipsis ultra
statuta Ordinis sæviendi authoritas non concedi-
tur, & agitur de re gravissima , & de violatione
præcepti charitatis, ut cum Rodriguez, Portel, &
aliis notavit Sanctorus *ubi suprà cit.*
412 Dico IV. Carcer apud Religiosos est maximum
dedecus, & irreparabilis jactura. Rodriguez *Tom.*
2.quæst.17.art.4. Peyrin. *de subdito qu.1.cap 15.no-*
413 *tabili* 2. Et ideo tardè adhibendus est à Prælatis,
cum maximo consilio , & regulariter tunc solum
quando duo aut tres Testes contestes testimonium
tulerint contra Religiosum , siquidem accusatio
414 contra Religiosos non debet recipi, nisi cum duo-
bus, aut tribus testibus, ut cum Navarro , notavit
Pellizz. *Tract.9.cap.4.num.*123. & cum aliis Ema-
415 nuel à Monte Oliveti *part.2.art.1.num.*88. Quia
si sola ex suspicione,aut semiplena probatione sub-
ditos in carcerem detrudant, & deinde innocentes
eripiant , licet absolutoria sententia eos liberet à
carcere , nunquam tamen eos à jactura per carce-
rem recepta liberabit ; objicitur enim semper tali-
bus Religiosis à malignis , quod tali tempore , à
tali Superiore fuerint carcerati , & cum homines
naturaliter sint procliviores ad malum suspician-
dum de punitis quam de punitoribus , non ita fa-
cile talis macula abstergitur , ita cum aliis Peyrin.
ubi suprà cit.
416 Adverte tamen hujusmodi assertum non habere
locum, quando datur semiplena probatio, & Reus
suspectus est de fuga , nam tunc potest recludi in
carcerem, vel in aliqua cellula benè munita, & cu-
stodita, ut advertit Pellizz. *ubi suprà*, & cum Fari-
nacio, & aliis notavit Megala *verbo* carcer *n.*2. &
417 15. Et cum Spatario, & aliis Bord. *Tom.* 2. *resol.* 58.
*n.*37. Emanuel à Monte Oliveti *parte* 2.*art.n.*330.
Suspicio autem fugæ ex duobus capitibus oriri po-
418 test. Primò ex cōditione personæ. Secundò ex qua-
litate delicti, non enim hìc est locus experimento
aliàs facto; quasi suspectus de fuga ille sit, qui aliàs
fugit, quia hac ratione in primo delicto non dare-
tur fugæ suspicio, quod est falsum ; ex conditione
igitur personæ, fugæ suspicio oriri potest ; quan-
do persona fuerit juvenis, indevotus, parum hone-
stus , dissolutus & minus spiritualis : aliter enim
præsumendum est de sene, aliter de juvene , aliter
de Patre gravi & qui multum æstimat suum hono-
rem, aliter de perditæ vitæ & famæ.
Ex qualitate vero delicti oritur suspicio quando
crimen est enorme , & gravissimum, ut si sit homi-
cidii, hæresis, veneficii, sodomiæ, fornicationis ,
conspirationis , &c. tunc enim nulli dubium est,
quod recta ratio in suspicionem fugæ inducit , ita
cum communi sententia Clarus *quæst.* 28. versu
scias autem. Hinc fit carceratum propter atrocia de- 419
licta, non esse è carceribus liberandum, etiam post
appellationem, quia esset illum ad fugam instrue-
re, secus si delictum non esset tale , quod apostasiæ
gravissimæ non præponderet , quia non debemus
suspicare , quod ad fugiendam minorem pœnam,
velit quis incidere in majorem ; ita Sanctorus *ubi*
suprà folio mihi 160. *quæsito* 2.
Dico V. Prior in quatuor tantum casibus po- 420
test in nostra Congregatione Religiosos incarce-
rare.
Primo, quando subditus ejus præcepto forma-
li in ejus præsentia noluerit obedire , suam inobe-
dientiam defendendo ; ita cum Spatario, Peyrino,
& aliis Bordon. *Tom.2.resol.58.n.37.*
Secundò, quando officium Prioris usurpaverit 421
contra eum rebellando, vel suorum officiorum ex-
ecutionem impediendo, ut patet ex 4.*parte nostra-*
rum Constitutionum cap.4.§.2.n 1.
Adverte tamen hanc inobedientiam , vel rebel- 422
lionem, aut usurpationem officii debere esse noto-
riam notorietate facti, quæ notorietas si desit, car-
ceratio erit nulla , ut benè Sanctorus *ubi suprà fol.*
167.*quæsito* 4. non enim potest Prior delictum oc-
cultum Fratris publica pœna propalare. 423
Secundò adverte quod licèt Prior in prædictis ca-
sibus possit Religiosum carcerare, non tamen po-
test eum è carcere liberare, sed prius debet Provin-
cialem monere, nisi inveniat se in tali carceratione 424
illegitimè, & absque ratione processisse; nam tunc
potest retractare actum illegitimè factum : puni-
endus tamen omnino est , ob iniquam carceratio-
nem pœna indebitè carcerantium ; nam cum hoc
spectet ad suum officium, & damnum irreparabile
inferat, & ipse tanquam judex ordinarius procedat,

nullam excusationem habet; ita Sanctorus *ubi suprà cit.*

425 Tertiò potest Prior carcerare Religiosum ad custodiam in aliquo casu gravi, & notorio, si Reus sit suspectus de fuga, & statim Superiorem monere, ut benè advertit Emanuel à Monte Oliveti *part. 2. art. 9. n. 510.* In hoc tamen casu non potest Prior ab eo auferre habitum Ordinis, sed tantum illum in tuto detinere: Unde si solum in cella maneat securus, non potest eum in carcerem detrudere, ut *suprà* diximus, cum Pellizz.

426 Quartò potest carcerare Religiosum fugitivum, ubicumque illum invenerit, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis; ita cum Peyrino Belasius *verbo* fugitivus *n. 2.*

427 Dico VI. Nemo carcerari potest, nisi pro delicto enormi, probato in judicio; ita colligo ex pluribus locis nostrarum Constitutionum, in quibus pœna carceris solum pro atrocibus, & gravioribus delictis imponitur, ut *infra* videbimus, ut patet ex *4. parte cap. 4. n. 2.* & cum Abbate, Grafio, Peyrino, & aliis notavit Peyrinis *ubi suprà notabili 5.* Bord. *Tom. 2. resolut. 58. n. 37.* Hinc fit, quod si quis po-

428 testati Superiorum resistere non valens, pro levi culpa talem culpam non merente incarceretur, non per hoc incurrere infamiam; nam quando dicitur de carcere, quod per eum irrogatur infamia, intelligitur de carcere ad pœnam justè dato, licet macula etiam injuste tolerata non facile abstergatur: ita cum Claro, Manso, Bajardo, Peyrin. *ubi suprà citat.*

Quod autem delictum debeat esse probatum, patet; nam, ut *suprà* diximus, in criminalibus ut judex imponat pœnam ordinariam, pro delicto etiamsi sit enorme, debent dari ad minus duo testes contestes delicti, omni exceptione majores, & non sufficiunt indicia quantumvis violenta, & vehementia, ut cum multis latè probat Sanch. *lib. 6. consiliorum cap. 3. disp. 4. n. 4.* Bordon. *ubi suprà n. 37.* contra alios.

429 Excipe casum fornicationis, vel criminis nefandi, nam in his casibus de jure nostro ad imponendam pœnam carceris sufficiunt indicia vehementia, ut patet ex *4. parte nostrarum Constitutionum cap. 4. §. 3. n. 1. & cap. 6 n. 4.*

430 Dico VII. Prælatus injustè carcerans Religiosum, incurrit ipso facto excommunicationem *Cap. si quis suadente*; carcerans namque Religiosum vim illi infert, & violenter detinet in custodia sine causa legitima. Rodrig. *Tom. 2. quæst. 16. & 42. art. 2.* ejus compilator *resol. 43.* Abbas, quem refert, & sequitur Corsetus in *repertorio* versu *detinens clericum in custodia publica.* Sanctorus *ubi suprà folio mihi 175 quæsito 6.* Addo non solum prælatos incur- 431 rere prædictam excommunicationem, sed omnes illos qui manus injecerunt in Religiosum, ut illum 432 caperent, & ducerent ad carcerem; imò mandantes, auxilium favorem, vel consilium præstantes, vel ratum habentes, incurrunt prædictam excommunicationem, ut cum communi sententia notavit Megala *verbo* carcer *n. 15.* & hoc, etsi præcedat præceptum Superioris, etiam cum excommunicatione, Peyrin. *ubi suprà notabili. 4.*

Adverte tamen, quod si detur causa legitima 433 carcerationis, non debere prælatum ab illa abstinere, ob interpositam appellationem, si carceratio fiat ad custodiam, quando Reus suspectus est de fuga; nam si appellatio admitteretur, omnes delinquentes appellarent, & eluderent judicium; ita cum communi sententia Clarus *quæst. 46.* non enim per hanc incarcerationem infertur damnum irreparabile, quia ad illam nulla sequitur infamia, vel pœna, sed solum datur ad tuendum jus publicum, secus si carcer detur in pœnam per sententiam diffinitivam, nam tunc suspenditur per appellationem, cum à diffinitiva sententia possit appellari: ita Clarus *ubi suprà cit.*

Dico VIII. Injustè, & per vim incarceratus, 434 cum sui honoris, & famæ jactura potest fugere absque apostasiæ nota, etiam vim inferendo custodibus, carcerem infringendo, atque assumendo arma ad hoc faciendum; dummodo properet recta 435 via ad Superiorem illius, qui eum injustè carceravit, etsi injustitia est notoria, possunt alii Religiosi eum adjuvare ad fugiendum, præbendo arma, & instrumenta, quibus carcerem infringat, rumpat vincula, &c. & hoc non obstante quocumque Superiorum formali præcepto, etiam cum excommunicatione; nemo enim injusto præcepto tenetur obedire: ita Cajetanus, Baldus, Cardinalis, Grafius, & alii quos refert, & sequitur Peyrin. *ubi suprà notabili 4.* contrariam tenet sententiam nost. Petrus ab Angelis *Cap. 23 part. 1. judic. Regul.* & Thom. à Jesu ab illo citatus.

Secus dicendum est de justè carceratis: ita cum 436 communi sententia Clarus *lib. 5. §. finali quæst. 21. versu 3.* nam hic cum sit justè damnatus, non habet jus tuendi suum honorem, unde si fugiat reputabitur fugitivus, vel apostata: ita cum Ledesma, Sayro, Belasius *verbo* carcer *n. 10.*

An

An autem justè damnatus ad mortem, vel triremes
437 possit justè è carcere fugere? Respondeo posse, si inveniat occasionem opportunam fugiendi, non tamen custodi vim inferendo, ut benè advertit Megala *verbo* carcer *n.* 25. imò debet tunc ad Superiorem, scilicet Papam confugere, vel ad Superiorem Ordinis, nunquam enim Religiosis vagari licet Megala *verbo* carcer *n.* 22. Et idem dicendum
438 est de damnatis ad carcerem perpetuum: ita cum Banh. Rodrig. Belasius *verbo* carcer *n* 11. Non ta-
439 men tenetur in prædictis casibus Reus aufugere, cum possit velle fortiter illa tormenta subire propter scelera sua, ita cum Soto, Molina, & aliis Sanctorus *ubi suprà fol.* 195. *quæsito* 9.

440 Dico IX. Injustè carceratus potest semper appellare, etiam post decem dies à tempore capturæ, quia gravamen est continuum: ita cum Bajardo, Bertach. & alils Belasius *verbo* carcer *n.* 5.

Adverte tamen, quòd prælatus mancipans subditum durissimo carceri, in quo verosimiliter inter
441 paucos dies est moriturus, reputatur homicida, & irregularis: ita cum aliis Belasius *verbo* carcer *n.* 9.

442 Dico X. Peccat graviter custos carceris, quando non defert fideliter carceratis illa, & sola fercula, quæ prælatus jubet: ita cum Rodrig. & Peyrino Belasius *ubi suprà n.* 12. imò non debet custos per-
443 mittere, ut aliquis absque licentia cum carcerato loquatur, vel ei deferat nuntia, vel epistolas, vel in diebus in quibus carceratus jubetur jejunare in pa-
444 ne, & aqua alios cibos ei ministrare ex compassione, quæ omnia si faciat peccat mortaliter: ita Peyrin. *in formulario cap.* 4. *n.* 5.

445 Dico XI. Si justè carceratus culpa custodis aufugiat, eadem pœna puniendus venit custos, qua puniendus erat carceratus: secus si absque ejus culpa aufugiat.

446 Adverte tamen, custodem solum teneri de culpa lata, seu crassa, quod tunc accidit, quando carceratus aufugit, eo quod carcerem reperit apertum: ita cum aliis Peyrinis *in formulario litera C. cap.* 4. *n* 4.
447 In nostra tamen Religione, si carceratus fugiat culpa custodis aut alterius Religiosi, custos, vel Reli-
448 giosus, cujus culpa Reus aufugit, carceri mancipatur secundùm qualitatem culpæ; imò si aliquis carceratis dederit instrumenta ad carcerem infringendum, aut altero modo eorum fugam procuraverit, etiam si fuga non habeat effectum, per viginti dies carceri mancipatur, quod si de facto fugerit, tunc per totum tempus, quo Reus erat detinendus in carcere, ipse detinetur, fugienti vero carcer duplicatur, ut patet ex 4. *parte nostrarum Constitutionum cap.* 4. §. 1. *n.* 4.

Sed quæres, quæ delicta in nostra Religione puniantur pœna carceris? Respondeo ex nostris Congreg. Hisp. Constitutionibus præcipi incarcerari: Primum carceris custos, vel ille, cujus culpa Reus fugit ut *supra* diximus, & patet ex 4. *parte nostrarum Constitutionum cap.* 4. §. 1. *n.* 4.

Secundò, qui carnibus vescitur absque licen- 449
tia, si secunda vice fuerit deprehensus, punitur pœna carceris per unum mensem, ut patet ex 1. *parte cap.* 12. *n.* 1.

Tertio qui convictus, vel vehementer fuerit suspectus de peccato carnis, per dimidium annum, præter alias pœnas, carceri mancipatur, & si fuerit cum scandalo sæcularium, per integrum annum eadem pœna, præter alias, punitur, ut patet ex 4. *parte cap.* 4. §. 3. *n.* 1.

Adverte tamen per peccatum carnis intelligi, in hoc Statuto omnes species hujus peccati, excepta sodomia, de qua est specialis lex, nam cum lex non distinguat, nec nos destinguere debemus, & in pœnis mitior amplectanda est interpretatio: Unde sub hac lege comprehenditur, non solum fornicatio, adulterium, sacrilegium, raptus, incestus, sed etiam pollutio, sive secum, sive cum altera vel altero, ut benè advertit Sanctorus *folio mihi* 352. *qu.* 4.

Adverte etiam pro majori gravitate horum delictorum pœnam carceris esse augendam. Portel. *in dubiis regularibus* verbo *pœna n.* 6.

Quarto imponitur pœna carceris, ad arbitrium Prioris illi, qui convictus, vel vehementer fuerit suspectus de non recitando officio Divino à die suæ professionis, ut patet ex 1. *parte cap.* 2. *n.* 12.

Quintò imponitur illi, qui alteri imposuit falsum testimonium præter alias pœnas, ut patet ex 4. *parte cap.* 4. §. 5. *n.* 2.

Sextò, imponitur pœna carceris per duos menses illi, qui se inebriaverit, vel taxillis aut chartis lusoriis luderit, cum scandalo præter alias pœnas, ut patet ex 4 *parte cap.* 4. §. 1. *n.* 1.

Septimò imponitur pœna carceris secundùm gravitatem delicti illi, qui malitiosè epistolas Superiorum ad inferiores, vel inferiorum ad Superiores aperuerit, vel detinuerit, ut constat ex 1. *parte cap.* 5. *n.* 3.

Octavò incarceratur per 20. dies transgrediens aliquod superioris præceptum formale ex 1. *parte cap.* 5. *n.* 4. præter aliàs pœnas.

Nono imponitur pœna carceris per quindecim dies,

dies, præter alias pœnas, illi, qui ex alio loco veniendo, per duas noctes extra Conventum dormierit in loco, ubi est Ordinis Conventus, ut constat ex 1. *parte cap.* 11. *n.* 1.

Decimo imponitur pœna carceris secundùm gravitatem delicti proprietario ex 1. *parte cap.* 7. *num.* 10.

Undecimò imponitur pœna carceris, secundùm qualitatem delicti illi, qui prælato minatus fuerit cum aliquo instrumento, & si aliquem Religiosum vulneraverit, carceri per unum annum mancipatur ex 4. *parte cap.* 4. §. 4. *n.* 1. Et tandem imponitur pœna carceris perpetui vehementer suspecto de peccato sodomiæ ex 4. *parte cap.* 6. *n.* 4. Circa materiam hujus §. non sine fructu consulere poteris Thom. à Jesu *Tract.* 3. *de Visit. Regul. cap.* 12. & *Tract.* 4. *cap.* 5. & 6. ac Petrum ab Angelis *cap.* 23. *part.* 1. *judicis Regul.*

§. 2.

De pœna expulsionis.

450 *Prælati regulares possunt ejicere, & habitu expoliare religiosos ob sua demerita.*

451 *Stando in jure communi, prima causa ad imponendam hujusmodi pœnam est incorrigibilitas.*

452 *Quis dicatur in jure incorrigibilis?*

453 *Quid de hoc sentiant Doctores?*

454 *Quis dicatur incorrigibilis de jure nostro?*

455 *Non solum propter incorrigibilitatem potest Religiosus à Religione expelli, sed etiam propter alia delicta, quibus jure communi in sæculo pœna mortis, vel triremium in perpetuum respondet.*

456 *Generales possunt per se solos adhibito tantum consilio seniorum expellere Religiosos, ex privilegio Pii V.*

457 *De jure nostro expellere Religiosos pertinet ad Generalem cum suo Diffinitorio.*

458 *Decretum* Urbani *VIII. de non ejiciendis Regularibus, nisi ob incorrigibilitatem, ibi solum debet servari, ubi fuit receptum.*

459 *In multis Religionibus non fuit receptum.*

460 *Prælati religionum, ubi tale decretum non est usu receptum, non tenentur Ejectos quærere, & reducere ad religionem.*

461 *Religio non tenetur iterum Ejectos ad se reducere, vel admittere, etsi redeant emendati.*

462 *Quomodo Ejecti iterum de jure nostro possint admitti?*

463 *Ejectus non tenetur se corrigere, & emendare, ut iterum in Religionem admittatur, etsi Religio eum velit admittere.*

464 *Ejecti si non fuêre habitu regulari spoliati, tenentur illum in sæculo portare, secus si semel habitu fuêre spoliati.*

465 *Si fuêre habitu spoliati, quamdiu vivent in sæculo, debent in habitu clericali incedere, nisi aliàs sint laici, vel nullo sacro Ordine insigniti.*

466 *Subsunt Ordinario loci, in quo habent domicilium, & non Episcopo originis.*

467 *Ejectus, si velit, potest mutare domicilium, & illud mutando subjici alteri Episcopo si locus sit in alio Episcopatu.*

468 *Non tenetur Ejectus ex vi voti obedientiæ obedire Episcopo sui domicilii, sed solum ut alii clerici.*

469 *Probabile est teneri obedire Papæ ex vi voti.*

470 *Tenetur ex vi voti esse paratus ad obediendum prælatis suæ Religionis, quando ab ipsis fuerit vocatus.*

471 *Non tenentur ingredi aliam Religionem, nec tenentur obedire suis superioribus jubentibus, ut transeant ad aliam religionem, nisi forte sub hac conditione fuerint ejecti.*

472 *Potest ejectus, si velit, ingredi aliam Religionem sive arctiorem, sive æqualem, sive laxiorem, absque ulla licentia superiorum sui Ordinis.*

473 *Ejecti manent veri Religiosi cum obligatione trium votorum essentialium.*

474 *Non tenentur ad observantias regulares sui Ordinis, ut sunt jejunia, abstinentia à carnibus, &c. quas etiam in sæculo possent observare.*

475 *Non habent dominium alicujus rei, benè tamen usum facti rerum sibi necessariarum.*

476 *Si aliquid inutiliter in actus turpes expendant, non peccant contra votum paupertatis.*

477 *Non possunt de bonis acquisitis testari.*

478 *Res illorum post mortem acquiruntur monasterio.*

479 *Ejecti si crimen ob quod expelluntur non inducit irregularitatem, vel si ante quam ejiciantur, à prælatis Ordinis dispensetur, possunt stando in jure communi exercere ordines susceptos, & ad ulteriores ascendere, vel de novo sacris Ordinibus insigniri, si nondum fuerint in sacris constituti.*

480 *A quo Episcopo, & quo titulo hoc fieri debeat?*

481 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

482 *Ejecti, stando in jure communi, non sunt privati munere prædicandi, docendi, vel confessiones audiendi, benè tamen ex privilegiis.*

483 *Prælati possunt dispensare cum Ejectis in munere prædicandi, & confessiones audiendi.*

484 *A quibus Prælatis hæc dispensatio concedatur de jure nostro?*

485 *Ejecti non sunt incapaces beneficii simplicis sive pensionis.*

486 *Non sunt incapaces beneficii curati, si sacros Ordines exerceant.*

487 *Ejecti sunt infames infamia facti, non juris.*

488 *Per emendationem aufertur infamia facti.*

489 *Infamia facti præcisè non impedit exercitium Ordinum susceptorum, nisi crimen inducat irregularitatem.*

490 *Ejecti, dum extra Religionem vivunt, non gaudent privilegiis sui Ordinis, ac Indulgentiis.*

491 *Gaudent privilegio Canonis.*

492 *Si in sæculo delinquant, debent ab Episcopo sui domicilii puniri, non verò à judice Laico, vel Regulari.*

493 *Si in morte non eligant sepulturam, debent in Ecclesia Parochiali, non verò regulari sepeliri.*

494 *Ejectus non auditur, si velit invalidare renuntiationem factam ex causa ingressus Religionis.*

495 *Ejecti propter crimen falsum, quod ipsi sibi ipsis imposuère, non sunt tuti in conscientia, sed verè apostatæ.*

496 *Tenentur detegere fraudes, & redire ad Religionem.*

497 *Quid si talia crimina commiserint eo fine, ut à Religione ejicerentur.*

498 *Religio ejicere potest Religiosum, qui interrogatus in professione celavit morbum gallicum, vel defectum sanguinis, &c. in pœnam peccati occultando talem defectum.*

499 *Si in aliqua Religione fiat novitiis protestatio, quod si tale habeant impedimentum, non esse intentionem Religionis illos recipere, professio aliter secuta irrita erit.*

500 *Ejecti, si emendati revertantur ad Religionem, non amittunt gradum suæ antiquitatis, nisi forte in pœnam sint illo in perpetuum privati, ex speciali Religionis statuto.*

501 *Talis expulsus, si iterum recipiatur potest eligi ad prælaturas Ordinis, stando in jure communi.*

502 *Idem dicendum est, si transeat ad aliam Religionem.*

503 *Enumerantur casus, in quibus de jure nostro Religiosi plectendi sunt pœna expulsionis.*

DICO I. Certum est posse prælatos regulares eji- 450
cere ab Ordine, & habitu spoliare religiosos
ob sua deme[illegible]; ita communiter DD. apud Pey-
rinum *de subdito qu.1. cap 25.* & patet non solum ex
privilegiis ALEXAND. IV. INNOC. IV. SIXTI IV.
PII V. & aliorum Pontificum, quæ *ibi* refert Pey-
rin. sed etiam ex jure communi *c. fin. de Regularibus*
ex *c. cum ad monasterium,* & cap. fin. *eodem titul.* &
tenent communiter DD.

DICO II. Stando in jure communi primus titu- 451
lus ob quem Prælati regulares possunt Religiosos
ejicere est incorrigibilitas; ita communiter DD. In 452
jure autem dicuntur *incorrigibiles*, qui ter moniti
non resipiscunt *c. contingit, & 2. de sententia excom-
municationis, &c. constituit. eodem tit. in 6.* ita cum
aliis Peyrin. *ubi suprà dicto 3;* D. autem Thom. 2. 2.
quæst. 186. art. 10. ad 3. eos vocat *incorrigibiles*, qui 453
ad hoc perveniunt, ut non ex fragilitate, vel igno-
rantia, sed ex contemptu peccent; Alii verò apud
Peyrin. *ubi suprà* dicunt illum censeri *incorrigibi-
lem,* qui bis à Monasterio fugerit, vel qui in eisdem,
aut æqualibus delictis permanet, nec ulla extat
spes de illorum emendatione.

De jure verò nostro ille dicitur *incorrigibilis,* qui 454
culpas graves non veretur amittere, & tamen pœ-
nas ferre recusat, vel ille de cujus correctione non
est aliqua probabilis spes, propter obstinationem,
seu inveteratam mali consuetudinem, vel delicti
atrocitatem, vel aliàs circumstantias: præterea il-
le dicitur *incorrigibilis,* qui ter convictus, & puni-
tus de aliquibus gravibus delictis, etiam distinctis,
nunquam fuit emendatus: & tandem ille, qui per
sententiam damnatus ad pœnam gravioris culpæ
pro aliquo peccato mortali, pœnam tamen recusat
adimplere; ut patet ex 4. *parte nostrarum Constitu-
tionum cap. 6. num. 2.*

DICO III. Non solum propter incorrigibilita- 455
tem potest Religiosus à Religione expelli, sed etiam
propter illa delicta, quibus jure communi in sæ-
culo pœna mortis, vel triremium in perpetuum re-
spondet; ita nostræ Constitutiones *parte 4. cap. 5.
num. 1.* & habetur ex Concessione Pii V. in Bulla,
quam refert Peyrin. *ubi suprà dicto 4.* [illegible]tione cujus
possunt Generales per se solos delinquentes à Reli-
gione expellere adhibito solo Consilio Seniorum,
licet illud sequi non teneantur, quod tamen non
possun[illegible]cere Provinciales, ut ibi cum Rodrig.
notavit Peyrin. Portel. *verbo* ejicere *n. 3.* Dixi *ra-* 456

tione illius privilegii, nam de jure nostro expellere
Religiosos pertinet ad Generalem simul cum suo
457 Diffinitorio per vota secreta, ut patet ex *3. parte no-
strarum Constitutionum cap. 7. num. 2.* & ex 4. *parte
cap. 6. num. 2.*

An autem hæc sublata sint per decretum Sacræ
Congregationis editum jussu URBANI VIII. 21.
Septembris anno Domini 1624. quod refert nost.
458 Petrus ab Angel. *cap. 26.* & Peyrin. 2. *Tom. privile-
giorum ad const.* 10. in quo decernitur, ut nullus è
Religione ejiciatur, nisi titulo *incorrigibilitatis*, &
quod nullus censeatur *incorrigibilis*, nisi non so-
lum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris
communis dispositione requiruntur, verum etiam
unius anni spatio in jejunio, & pœnitentiis probe-
tur in carceribus, & si elapso anno adhuc in sua du-
ritia persistat, à solo Generali de consensu sex patrũ
graviorum eligendorum in Capitulo Generali ex-
pellatur? Respondeo, quod ubi tale decretum fuit
459 receptum, & in usu, absque dubio obligare. Existi-
mo tamen in multis Religionibus non fuisse usu
receptum, nec de illo aliquando constitisse authen-
ticè, sæpè enim video Religiosos ab Ordine aliquo
expelli absque observatione hujus decreti, sed solo
attento jure communi, & ejus privilegiis & Con-
stitutionibus; ita etiam Vidal. *tit. de horis Canonicis
inquisitione 3. n. 35.*

460 Hinc fit prælatos Religionum, ubi tale decre-
tum non est usu receptum, non teneri prædictos
Apostatas, &c. quærere, & ad Religionem redu-
cere, ita cum Azor. Navarro, Lessio, & aliis Vidal.
loc. cit. num. 28.

SECUNDÒ sequitur non teneri prædictos ejectos,
iterum ad Religionem admittere, etsi redeant cor-
461 recti, & emendati; ita Vidal. *ibid.* & cum Sancto-
rello, Sanchez, Diana, & aliis Tamburinus *Tom. 3.
disp. 8. quæsito 8. n. 12.* Basseus *verbo* Religio 6. *n* 3.
cum quibus etiam concordat Pellizz. *Tract.* 8. *cap.*
7. *num.* 18. in casu quo in Religione detur statu-
tum, quod Ejecti in perpetuum iterum non recipi-
antur, quod statutum datur in nostro ordine, nam
462 4. *parte nostrarum Constitutionum cap.* 6. *n.* 8. statui-
tur, quod semel ab Ordine Ejectus iterum non re-
cipiatur, nisi in Capitulo generali, concurrentibus
una ex tribus partibus vocalium. Nec obstat *Cap.*
ne relig. *de regular.* nec decretum sacræ Congrega-
tionis, nam prædicta decreta, vel loquuntur de E-
jectis cum habitu ad tempus, vel fuere contrario
usu abrogata: ita Vidal. *ubi suprà n. 35.*

463 An autem justè Ejectus teneatur se corrigere, &
emendare, ut iterum in Religionem admittatur,
maximè si Religio velit eum iterum recipere, dum-
modo redeat correptus, & emendatus? Affirmant
communiter DD. quos refert Vidal. *ubi suprà n. 36.*
semper enim Ejectus tenetur auferre impedimenta,
quæ illum impediunt vivere usque ad mortem in
Religione: verum contraria sententia tuta, & pro-
babilissima est, hanc tenent Sair. Rodrig. Azor. Sà,
Villalobos, Diana, & alii apud Pasqualigum *in* 9.
moral. sent. 2. quæst. 114. n. 2. Vidal. *ubi suprà n.* 38.
Novarius *in lucerna Regularium* verbo *ejecti n. 3.*

DICO IV. Ejecti, si non fuère habitu regulari 464
spoliati, tenentur illum in sæculo portare: ita cum
Rodrig. Azor. & aliis Tamburin. *ibid. n.* 10. secus
si simul habitu fuère spoliati; nam tunc quamdiu 465
vivunt in sæculo, debent portare habitum clerica-
lem, nisi aliàs sint Laici, aut nullo Ordine etiam
minori insigniti; nam si tales sint, non tenentur in-
cedere in habitu clericali: Lezana *verbo* ejicere *n.*
8. contra Pellizz. *ubi suprà.* Subsunt tamen omnes 466
Ordinario loci in quo habent domicilium, & non
Episcopo originis, ut benè advertit Pellizz. *ubi su-
prà n.* 8. & alii communiter, & patet ex decreto sa-
cræ Congregationis. Hinc fit posse tale Ejectum, 467
si velit mutare domicilium, & illud mutando sub-
jici alteri Episcopo, si locus, sit in alio Episcopatu,
nullum enim de hoc datur præceptum in contra-
rium: ita cum Suar. Pellizz. *ubi suprà n. 9.*

Non tenetur tamen talis Ejectus, ex vi voti obe- 468
dientiæ obedire Episcopo sui domicilii, sed tan-
tum tenebitur ei obedire, ut alii clerici ratione ge-
neralis jurisdictionis, quam habent in sua diœcesi;
ita cum Sanctorello, Rodrig. & aliis Tamburinus 469
ubi suprà n. 11. Probabile tamen est, teneri obedire
Papæ cum sit supremus Religionum prælatus,
Tamburinus *ibidem.* Tenentur tamen ex vi voti
obedientiæ esse parati ad obediendum prælatis Re-
ligionis, quando ad ipsum fuerint vocati: ita cum
Mol. Rodrig. & aliis Lezana *Tomo* 1. *cap.* 23. *n.* 12. 470
non tamen tenentur ingredi aliam Religionem,
nec tenentur obedire Superioribus jubentibus, ut
transeant ad aliam Religionem: ita cum Lessio 471
Rodrig. & aliis Lezana *ibi n.* 13. nisi forte sub hac
conditione ejecti sint, nam tunc ex fidelitate tene-
buntur: ita cum Suar. Navarro, Pellizz. *ubi suprà
num.* 13. Potest tamen Ejectus, si velit, transire ad 472
aliam Religionem sive arctiorem, sive æqualem,
sive laxiorem, absque ulla prorsus licentia Superio-
rum sui Ordinis: ita Pellizz. *ubi suprà n.* 17.

DICO IV. Ejecti manent vere Religiosi cum 473
onere trium votorum essentialium, sicut antea,
alias ex suo delicto commodum reportarent: ita
com-

communiter DD. ratione tamen obedientiæ non
474 tenentur ad observantias regulares sui Ordinis, quas etiam in sæculo possent observare (ut sunt jejunia, abstinentia à carnibus, recitatio Horarum Canonicarum, si non sint sacris ordinibus initiati, secus si tales sint) sed tenentur adesse parati ad obediendum prælatis, si requirantur, ut *suprà* diximus, ita cum aliis Lezana *Tomo* 1. *cap.* 23. *n.* 17. & cum
475 aliis Basseus *verbo* Religio 6. *num.* 9. Ratione vero voti paupertatis non habent dominium cujusvis rei, benè tamen usum facti, rerum sibi ad victum, vestitum, habitationem necessariarum, Lezana *loc. cit. num.* 14.

476 Imò si aliquid inutiliter expendant, aut ad actus turpes, & inhonestos insumant, non peccant contra votum paupertatis, quia tota commoditas interim dum vivunt, ita eis relinquitur, ac si religiosi non essent, ut experientia constat: ita cum Moli-
477 na, Lessio, Sanch. Basseus *verbo* Relig. 6 *n.* 8. Non tamen possunt de bonis acquisitis testari, quia jure ad hoc inhabiles sunt cum re ipsa bonorum illorum
478 dominium non habeant. Unde tales res acquiruntur monasterio, nam monasterium per ejectionem non debet privari jure acquisito in omnia bona à suo professo acquisita: ita cum Molina, Lessio, Basseus *ibid.* quidquid alii dicant acquirere Ecclesiæ Romanæ, ut docet Lezana *ubi suprà n.* 16.

479 Dico VI. Ejecti à Religione, si crimen ob quod ejiciuntur non inducat irregularitatem, vel si antequam ejiciuntur à prælatis Ordinis dispensetur super irregularitate, quod ferè semper debent facere, possunt exercere Ordines susceptos, stando in jure communi, etsi in sacris sint promoti possunt ad Superiores ab Episcopo suæ originis promove-
480 ri, imò si nullis sint sacris Ordinibus insigniti, possunt à prædicto Episcopo ad sacros Ordines promoveri, non ad titulum patrimonii, cum illius sint incapaces, sed titulo aliquorum redditum, qui sint in proprietate Episcopi, assignati ad usum Religiosi ejecti, non enim adest aliquis textus id prohibens, ut benè notavit Sanch. *lib.* 7. *Consiliorum cap.* 1 *disp.* 24. ita Rodrig. *Tom.* 1. *quæst.* 30. *art.* 24. Pellizz. *Tract.* 8. *c.* 7. *n.* 16.

Nec obstat *suprà* dictum decretum sacræ Congregationis in quo decernitur, ut Ejecti ab Ordine sint perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum? Respondetur namque 1. tale decretum, non fuisse usu receptum, ut *suprà* diximus. *Secundo* respondetur, talem suspensionem esse cominatoriam, & inferendam, utpote quæ lata est per verbum futuri temporis *sint perpetuo suspensi*, nam verbum, *sit*, est futuri temporis; Sanch. *lib.* 2. *moralium cap.* 38. *num.* 90. & ita explicat hoc decretum cum Cespedes, Pellizz. *Tract.* 8. *cap.* 7. *num.* 26. Dixi *stando in jure* 481
communi, nam de jure nostro tales privandi sunt à Diffinitorio generali exercitio Ordinum secundum gravitatem delicti, ut patet ex 4. *parte nostrarum Constitutionum cap.* 6. *n.* 8. raro tamen talis pœna imponitur, ut experientiâ cernimus.

An autem prædicti Ejecti sint privati munere 482
prædicandi, docendi, & confessiones audiendi? Respondeo de jure communi non esse, benè tamen ex privilegio Innocentii IV. concesso Minoribus, relato à Casarubio *verbo* ejicere *num.* 1. nisi de licentia suorum prælatorum, quod tamen omnibus communicantibus privilegia Minorum communicatur, ut cum Rodrig. notavit Pellizz. *Tractat.* 8. *cap.* 7. *num.* 26. Hinc fit, quod cum in tali privilegio dicatur quod prædicti Ejecti dicta munera exercere non præsumant, nisi de licentia suorum prælatorum regularium, sequitur quod de licentia prædictorum prælatorum possint talia munera exercere: ita cum Miranda, Portel. *verbo* ejicere *n* 10. *in dubiis regularibus.* De jure tamen nostro tales de- 483
bent à Diffinitorio Generali privari munere præ- 484
dicandi, confessiones audiendiendi, & docendi, considerata gravitate suorum criminum, ut patet ex 4. *parte nostrarum Constitutionum cap.* 6. *n.* 8. Raro tamen talis pœna eis imponitur, ut experientia constat.

Dico VII. Ejecti non sunt incapaces beneficii 485
simplicis sive pensionis: Unde ratione illius possunt ad Ordines modo dicto promoveri; ita cum Bonacina Lezana *verbo* ejicere *n.* 7. Basseus *verbo* Religio 6. *num.* 11. An autem sint etiam capaces 486
beneficii curati, negat Lezana & Basseus supponentes tales Ejectos esse suspensos ab executione Ordinum. Verum si supponamus tales posse Ordines exercere, ut supponimus, existimo non esse incapaces beneficii curati, ita debent concedere Lezana, & Basseus *loc. citat.*

Nec obstat, si dicas tales Ejectos esse infames, 487
ac per consequens irregulares, & incapaces cujuscumque beneficii sive simplicis sive curati. Respondeo namque, quod licet tales sint infames, ut docet cum Lezana, Portel, Rodrig. & aliis Pellizz. *Tract.* 8. *cap.* 8. *n.* 34. esse tamen infames, non infamia juris, sed facti, quamdiu in sæculo incorrecti vixerint, ut bene advertit Peyrin. *de subdito quæst.* 1. *cap.* 2. [illegible] *dicto* 7. Basseus *verbo* irregularitas 10. *num.* 6.

num. 6. per emendationem vero aufertur infamia
488 facti, & irregularitas; Basseus *ibid.* deinde infamia ipsa præcisè non impedit exercitium Ordinum susceptorum, nisi crimen tale sit, ut impediat etiam exercitium Ordinum susceptorum, & inducat irregularitatem, quale est homicidium: ita cum Sairo, Toleto, Suario, Bonac. Basseus *ibid.* ergo ratione
489 hujus infamiæ, non sunt inhabiles ad quodcumque beneficium, si alias non habent crimen inducens irregularitatem: quia ipsi in opinione Lezanæ, & Bonacinæ non obstante prædicta infamia sunt capaces beneficii simplicis: ergo etiam Curati in casu, quo non sint suspensi ab exercitio Ordinum.

490 Dico VIII. Ejecti è Religione, dum extra Religionem vivunt, non gaudent privilegiis, ac indulgentiis Ordinis: ita cum aliis Pellizz. *Tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 35. Gaudent tamen privilegio Cano-
491 nis. Unde si in sæculo delinquant, debent ab Epis-
492 copo sui domicilii puniri, non vero à judice laico, nec à prælato regulari, cum tam à jurisdictione lai-
493 ca quàm a prælato regulari sint exempti: ita Pellizzarius *ibid. num.* 39. in casu vero quo è vita decedant, si non eligant sepulturam, ut possunt, debent in Ecclesia parochiali, non vero regulari sepeliri; Pellizz. *n.* 38.

494 Dico IX. Ejectus non auditur si velit invalidare renunciationem bonorum factam, ex causa in-
495 gressus Religionis: ita cum Navarro Belasius *verbo* Ejectus *num.* 7. Lezana *verbo* ejicere *num.* 9. Imò Ejecti propter crimina falsa, quæ ipsi sibi imposuêre, non sunt tuti in conscientia extra Religionem, sed veri apostatæ: ita cum Sanchez, Bonacina, & aliis Belasius *loc. cit. n.* 8. Lezana *ubi suprà n.* 10. talis enim ejectio est involuntaria, ut-
496 pote falsitatibus extorta. Unde tenentur detegere fraudes, & redire ad Religionem; Secus dicendum est, quando commiserunt crimina eo animo, ut ejicerentur, etsi enim intentio illa peccaminosa
497 fuerit, posita tamen ejectione liberi sunt, sicuti alii; Lezana & Belasius *locis citatis.*

498 Sed quæres, an Religio ejicere possit Religiosum, qui interrogatus in sua professione, celavit morbum gallicum, vel defectum sanguinis, vel aliam infirmitatem incurabilem, vel impedimentum substantiale in pœnam peccati occultando talem defectum? Respondeo affirmativè: ita cum Vechio, Sorbo, & aliis Peyrinus *de prælato quæst.* 3. *cap.* 1. *§.* 2. *num.* 68. Ratio illius est, quia in sua regula prohibetur, ut nullus infirmitate incurabili laborans admittatur; sed hoc statutum datur etiam in nostra, Religione ergo. Quia dolus dedit causam admissioni, ac proinde monasterium, non tenetur. Imò addo, quod si in aliqua Religione fiat 499
novitiis potestatio, quod si talem morbum, vel impedimentum habeant, non habere Religionem animum eos ad professionem recipiendi, professio secuta erit irrita; ita cum Vechio, & aliis Basseus *verbo* Religio 6. *n.* 5. Lezana noster *Tom. qq. Reg. cap.* 2. *num.* 23. *& cap.* 24. *num.* 26. *& Tom.* 4. verb. *Neophytus num.* 6. sed de his vide, quæ diximus agentes *de professione novitiorum Tractatu præcedenti.*

Dico X. Religiosi ejecti, si emendati iterum ad- 500
mittantur ad Religionem, non amittunt gradum suæ antiquitatis, sed debent restitui ad eundem locum ac antea, nisi forte in pœnam sint perpetuò tali loco privati, ex speciali Religionis statuto: ita cum Suarez Sanch. & aliis Pellizz. *Tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 24. Imò talis expulsus, si iterum recipiatur 501
potest esse prælatus, & eligi ad prælaturas, & officia Ordinis, non enim aliquod jus extat, tale quid prohibens, nisi in aliqua Religione detur aliquod statutum in contrarium; ita cum Azor. Bonacina, & aliis Pellizz. *Tract.* 9. *cap.* 2. *n.* 159. Idem dicen- 502
dum est, si transeant ad aliam Religionem, dummodo non transeant a Mendicante ad non mendicantem, ut *suprà* diximus: ita cum aliis Pellizzarius, *ibid. num.* 161.

Si tandem quæras, in quibus casibus Religiosi 503
nostri plectendi sint pœna expulsionis secundum nostras Constitutiones? Respondeo *primum* puniendos esse pœna expulsionis incorrigibiles ex 4. *parte nostrarum Constitutionum cap.* 6. *num.* 2. Secundo, qui tertia vice apostataverit, vel qui per annum integrum in apostasia perseveraverit *ibid. num.* 3. Tertiò, qui tertia vice peccatum incontinentiæ commiserit, vel semel cum sæcularium notabili scandalo *ibid.* Quartò, qui peccatum sodomiæ commiser[illegible] cui & aliæ pœnæ injungantur *ibid. num.* 4. Qui[illegible]ò puniuntur pœna expulsionis, qui aliquod c[illegible]en commiserit, cui jure communi pœna mortis, vel triremium in perpetuum imposita sit ex 4. *parte cap.* 5. *n.* 1. Sextò, qui libellum infamatorium evulgaverit, vel gravissimum dederit scandalum sæcularibus, vel sigilla Superiorum falsificaverit, vel eorum officium usurpaverit, *ibid. num.* 2.

§. 7.

§. 7.

De pœna exilii, & triremium.

504 *Prælati regulares possunt Ejectum mittere in exilium.*
505 *Talis pœna, ut possit Ejectis imponi, debet ab illis acceptari ad fugiendam majorem pœnam.*
506 *Episcopus, & Judex sæcularis tenetur facere Reos exequi hujusmodi sententiam exilii latam à Prælatis, & ab Ejectis acceptatam.*
507 *Enumerantur casus, in quibus de jure nostro Religiosi pœna exilii puniuntur.*
508 *Prælati regulares possunt damnare suos Religiosos ad triremes.*
509 *Pro quibus criminibus talis pœna possit imponi?*
510 *Religiosus damnatus ad triremes, non potest ab illis fugere.*
511 *Possunt illos ministri triremium verberare.*
512 *Dum sunt in eo supplicio, non tenentur Horas recitare.*
513 *Referuntur casus, in quibus Religiosi ad hoc supplicium damnantur de jure nostro.*

DIco I. Ejectos ab Ordine potest Prælatus mittere in exilium, sic enim praxis observat; ita Portel. *verbo* Pœna, *num.* 18.
504 Adverte tamen, talem pœnam exilii non posse ejecto imponi, nisi ille acceptet ad evitandum
505 graviorem pœnam; nam cùm post expulsionem eximatur Reus à subjectione Prælatorum, non potest ampliùs eorum præceptis obligari, tenebitur tamen vinculo fidelitatis, & justitiæ; ita cum Suario, Rodriguez, & aliis Pelliz. *Tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 80. Imò Episcopus, vel Judex sæcularis tenentur hujusmodi sententiæ executionem
506 procurare, ut effectum habeat, & Episcopus potest tali ejecto præcipere sub excommunicatione, ne à tali Regno, vel Provincia recedat; ita cum Portel. Pelliz. *ibid. num.* 81.

Si quæras, in quibus casibus imponatur pœna exilii nostris Religiosis? Respondeo, pœnam
507 exilii remanere ad arbitrium Definitorii generalis, inspecta gravitate, & qualitate delicti, ut patet ex 4. *parte nostrarum Constitutionum, cap.* 6 *num.* 8.

DICO II. Prælati regulares possunt damnare suos Religiosos ad triremes, ut patet experientia; ita cum Navarro Pelliz. *Tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 79. & 508
constat ex privilegio Pii V. quod refert Portel. *in dubiis regularibus, verbo* Ejicere, *num.* 3. ubi concedit, quòd pro uno tantùm crimine, cui jure communi pœna mortis imponitur, possint Religiosos expellere, & ad triremes damnare.

Advertit tamen benè cum Rodriguez, Portel. 509
hoc non deberi intelligi in aliquibus criminibus, quibus jure civili pœna mortis imponitur, ut si vinctum de manibus justitiæ ductum ad patibulum auferret, &c. benè tamen pro homicidio, gravissimo furto, crimine nefando, &c. Imò PAULUS V. concessit Canonicis regularibus S. Crucis Conimbricensis, ut Monachum incorrigibilem puniant, vel pœna carceris perpetui, vel ut ad triremes relegetur, prout testatur Portel. *ubi suprà, num.* 4. quod privilegium à communicantibus participatur, ut benè *ibid.* advertit Portel.

DICO III. Religiosus damnatus ad triremes, 510
vel perpetuò, vel ad tempus, non potest ab eis tuta conscientia fugere; ita Sanchez *in Decalog. cap.* 8. *num.* 16. & alii, quos refert, & sequitur Peyrin. *de subdito, quæst.* 1. *cap.* 27. *dicto* 6. licèt Banh. & alii apud ipsum Peyrinum contrarium non improbabiliter teneant, propter pœnæ acerbitatem, & ignominiam.

An autem, dum in eo supplicio durant, possint eos ministri triremium verberare? Respondeo affirmativè; ita cum communi sententia Peyrin. *ubi suprà, dicto* 4. ubi de hoc plura.

An autem damnati ad triremes, si sint in sacris 511
constituti, teneantur Horas Canonicas persolvere, dum perseverant in eo supplicio? Respondeo negativè; ita Sanchez, Lessius, Homobonus, & cum aliis Diana, quos refert, & sequitur Vidal. *titulo de Horis Canonicis, inquisitione* 3. *num.* 5. licèt alii contrarium teneant, sed de his vide suprà dictos DD.

An autem in nostra Religione aliquando secun- 512
dùm nostra Statuta alicui crimini imponatur pœna triremium? Respondeo, hoc remanere judicio Definitorii, sicut & alias pœnas pro varietate cri- 513
minum imponere, nullam tamen legem specialem de hoc invenio.

***

DISPVTATIO IV.

De officio, dignitate, & obligationibus Prioris localis.

SECTIO I.

De Superioris localis dignitate.

1 *Prioratus est propriè dignitas, & Prælatura.*
2 *Unus & idem Religiosus non potest plures Prioratus habere, etiam ex dispensatione Generalis.*
3 *In omnibus Conventibus debet esse Prælatus aliquis immediatus, sive nomine Prioris, sive alio quocumque nuncupetur.*
4 *Fratres debent Priorem, ut Christum honorare.*
5 *Eligendus in Priorem, de jure communi debet habere ætatem 25. annorum.*
6 *Ex jure nostro ad minùs debet habere 30. annos.*
7 *Debet esse Sacerdos quando eligitur, vel saltem intra annum debet Sacerdotio insigniri, de jure communi.*
8 *Si quis ordinetur Ordine Presbyteratus ante vigesimum quintum annum, non propterea potest esse Prior, sed debet ætatem 25. annorum habere.*
9 *Debet esse professus in eadem Religione, professione expressa, & non sufficit tacita.*
10 *Debet esse sufficientis literaturæ.*
11 *Debet esse vir bonæ famæ.*
12 *Infames sunt incapaces Prælaturæ regularis.*
13 *Idem dicendum est de excommunicatis, suspensis, & interdictis ac irregularibus.*
14 *Qui in Priores eligendi sunt, debent eam habilitatem corporis habere, quæ ad tale munus exercendum necessaria sunt.*
15 *Ad hoc munus sunt inhabiles cæci, omnino surdi, phtysi laborantes, Lunatici, energumeni, podagrici, paralitici, morbo gallico laborantes, si simul habeant aliquam deformitatem.*
16 *Illi, qui semper defectum sanitatis patiuntur, ita ut sint impotentes ad sustinenda onera hujus officii, sunt ineligibiles ad Prælaturas.*
17 *Si post electionem fiant impotentes, non propterea privandi sunt inviti, sed debet ei dari coadjutor, stando in jure communi.*
18 *Quid dicendum sit de jure nostro?*
19 *Priores non tenentur facere Fidei professionem.*
20 *Priores, & alii Prælati regulares possunt alloqui Moniales, non obstante prohibitione Ordinarii.*
21 *Quid dicendum sit stantibus aliis decretis hac de re à Romana Sede emanatis?*
22 *Priores in multis casibus habent velle, & nolle, etiam contra voluntatem Generalis.*

DIco I. Prioratus est propriè dignitas, & Præ- 1
latura; ita communiter DD. apud Tamburi-
num *Tom.* 2. *disp.* 1. *quæsito* 2. *num.* 2. nam ad
veram Prælaturam hæc tria requiruntur: *primum,*
quòd habeat administrationem rerum Ecclesia-
sticarum, cum jurisdictione sibi assignata: *se-
cundò*, quòd habet nomen dignitatis, & præ-
rogativas in Ecclesia, tam in Choro, quàm in
Capitulo: *tertiò*, quòd ex consuetudine Ecclesiæ
habeatur pro dignitate, ut cum aliis Doctoribus
notavit Archidiaconus in *Capite* 1. *de consuetudine
in* 6. *num.* 2. Sed Priores, & Guardiani, sive Re-
ctores, vel quocumque alio nomine nuncupen-
tur, habent administrationem rerum Ecclesiastica-
rum, cum jurisdictione ordinarii fori interni, &
externi, ut infrà dicemus, habent etiam nomen
dignitatis, & prærogativas, tam in Choro, quàm
in Capitulo, ergo sunt veri Prælati dignificati; ita
omnes DD. Unde unus, & idem Religiosus non 2
potest plures Prioratus habere intra proprium
Ordinem, stando in jure communi, etiam cum
dispensatione Prælati regularis; nam habere plu-
res Prælaturas prohibitum est, in *Cap. de multa
prebend.* Cap. 1. *de consuetudine in* 6. Prioratus
autem

autem sunt veræ Prælaturæ, ut dictum est, ergo;
ita Miranda 2. *part. quæst.* 3. *art.* 3. Pellizzar. *Tract.*
4. *cap.* 1. *num.* 26.

3 DICO II. In omnibus Conventibus debet esse
Superior, qui alios regat, eisque præsit. Unde ait
Sapiens in Proverbiis: *Ubi non est gubernator, po-*
pulus corruet. Cujus persona tantæ dignitatis est,
ut in illa debeant subditi DEUM ipsum considerare.
Unde, quod ille præcipit, accipere debent, ac si
DEUS ipse præciperet, ut rectè notavit D. Bernard.
in Opusculo *de præcepto, & dispensatione, cap.* 12. &
4 D. Ignatius in Epistola *de Obedientia*, ait: Christum
Dominum in Superiore quolibet agnoscere de-
beatis, in eoque Divinæ Majestati obedientiam,
ac reverentiam, cum Religione præstare. Unde
nostris Religiosis 1. *part. nostrarum Constitutionum*
cap. 5. *num.* 1. præcipitur, *ut Superiores non ut ho-*
mines, sed loco Christi Domini habeant, eorum uni-
versa mandata compleant, tanquam si à Deo cælitùs
fuissent emanata.

5 DICO III. Eligendus in Priorem, præter quali-
tates, quæ secundùm jura particularia Religionum
necessariæ sunt, de jure communi debet habere
legitimam ætatem, ad minus annorum XXV.
juxta *Cap.* Cùm in cunctis, *de electione.* confirma-
tum à Trident. *seß.* 24. *cap.* 12. *de reformatione*;
6 juxta nostræ autem Religionis leges debet habere
ad minùs triginta annos, ut patet ex *nost. Constitut.*
3. *part. cap.* 2. *num.* 14.

7 Debet quoque esse Sacerdos ex *Cap.* 1. *de ætate,*
& qualitate: quod intellige, vel quòd sit Sacer-
dos, quando eligitur, vel saltem postea intra an-
num fiat, juxta *Cap.* Licet. Suarez *Tom.* 4. *de Re-*
lig. Tract. 8. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 23. quòd si accidat,
ut quis ex privilegio vigesimò secundo ætatis an-
no Sacerdotio insigniatur, non propterea potest
8 ad dignitatem Prioris assumi, cùm jus non solùm
requirat Sacerdotium in persona eligenda, sed
9 etiam ætatem XXV. annorum, ut *suprà* diximus.
Peyrin. *de Prælato, quæst.* 2. *cap.* 1. *num.* 22. Deinde
requiritur, quòd sit professus professione expressa,
& non tantùm tacita in eadem Religione, ex *Cap.*
Cùm ad nostram, *de electione.* Cap. *Nullus de eject.*
in 6. & ex Trident. *seß.* 14. *cap.* 19. *de reformatione,*
10 *& seß.* 25. *de regular.* debet etiam esse sufficientis
literaturæ pro qualitate sui officii, ut colligitur ex
Cap. Cùm in cunctis, *de electione*; & ex Trident.
seß. 22. *cap.* 2.

11 DICO IV. Eligendus in Priorem, sive etiam
in aliam Prælaturam curam animarum habentem,
debet esse vir bonæ famæ. Unde sunt incapaces
talium officiorum, infamis, illegitimus, ex-
communicatus majori excommunicatione, sus- 12
pensus, interdictus, aut irregularis; Suarez *Tom.* 4.
de Relig. Tract. 8. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 24. & 28. De- 13
bent etiam esse præditi ea habilitate corporali, 14
quæ est necessaria ad exercendum munus susce-
ptum; Lessius, Peyrin. quos refert, & sequitur
Lezana *verbo* Prælatus, *num.* 3. Unde sunt in- 15
habiles ad hoc munus, cæci, omnino surdi, phtysi
laborantes, continuò podagrici, paralitici, morbo
comitiali, seu caduco subjecti, leprosi, furiosi,
lunatici, energumeni, fatui, muti, morbo gallico
laborantes, qui carent naso, seu capillis, ita,
ut sint abominabiles, non tamen, si non ha-
beant talem deformitatem; Lezana *ibid.* cum
aliis.

Idem dicendum est de valetudinariis, qui malo 16
corporis habitu, & affectu, semper se malè habent,
& sunt impotentes ad munera Prælaturæ exercen-
da; nam si adhuc habiles sint, & solùm aliquo
modo impediti, non propterea excludendi sunt;
Ita cum Peyrino, Lezana *ubi suprà,* & cum aliis
Pellizzar. *Tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 67. & 68.

Adverte tamen, quòd si Prælato post acceptam 17
Prælatiam adveniat aliquod ex prædictis impedi-
mentis, non propterea est invitus removendus,
sed dandus est ei coadjutor, juxta *Cap. penult.*
& ult. de Clericis ægrotis, & Cap. *Scripsit mihi.* Cap.
Quamvis triste, 7. *quæst.* 1; ita ex Peyrin. Lezana 18
ibid. De jure tamen nostro, qui ratione alicujus
ægritudinis non potest assiduè Choro interesse,
vel à carnibus abstinere, eo ipso manet inhabilis
ad officium Generalis, Provincialis, Prioris, Re-
ctoris, aut Supprioris, & jam electi ob prædictas
causas, à suis officiis removeri præcipiuntur,
ut patet ex 3. *parte nostrarum Constitutionum, cap.* 2.
num. 8.

DICO V. Priores non tenentur facere Fidei 19
professionem, cùm tale munus suscipiunt; nam
Trident. *seß.* 24. *cap.* 11. non loquitur de Regula-
ribus, & Motus Pii IV. licèt in genere loquatur
de Prælatis immediatis, in hoc Regno Lusitaniæ
legitima consuetudine fuit abrogatus, vel non fuit
receptus; Portel. *in dubiis regularibus, verbo* Profes-
sio Fidei, *num.* 1. ut de aliis Religionibus testatur
cum Sanch. Naldo, Peyrin. Lezana, & aliis Pellizz.
Tract. 5. *cap.* 10. *num.* 9.

DICO VI. Prior, & alii Prælati regulares 20
tuta conscientia possunt accedere ad loquendum
cum

cum Monialibus, etiam non subditis, non obstante prohibitione Ordinarii loci, sub pœna excommunicationis; ita Vidal. *titulo de Monialibus, inquisit. 2. num. 14.* Ratio est, quia ideo talis accessus esset malus, quia prohibitus, sed nullibi est prohibitus prædictis Prælatis; nam *Cap.* Periculoso, *de statu reg. in 6.* Et Trident. *sess. 25 cap. 5. de reg.* non loquuntur de Prælatis: *& Cap.* Monasterium, *de vita, & honestate Clericorum.* loquitur de Clericis, quorum nomine in odiosis non veniunt Prælati.

Non etiam obstat prohibitio Episcopi; nam hæc solùm est respectu subditorum, non verò exemptorum.

21 Nec obstat etiam decretum SIXTI V. anno Domini 1590. Nonis Maji; nam tale decretum non loquitur de Prælatis, sed de Religiosis particularibus, & dato, quòd loqueretur, non est præceptivum, etiam respectu Religiosorum particularium, nec fuit receptum, ut testatur Vidal. *ubi suprà, num. 51.* Unde in hoc Regno, nec à Prælatis, nec ab aliis Regularibus observatur, teste experientia, ergo.

22 DICO VI. Priores, licèt subdantur Generali, & Provinciali, adhuc tamen in multis habent velle, & nolle, potissimùm in his, quæ spectant ad regimen monasterii, & ideo possunt de multis disponere validè, & licitè, etiam contra voluntatem Generalium, vel Provincialium, concernentibus tamen bonum commune Religionis, quia dum in Conventu habent immediatam, & directam jurisdictionem, possunt illa secundùm prudens judicium uti validè, & licitè, etiam contra voluntatem Superioris supremi, cui Regula tantùm concedit potestatem super Prælatos inferiores, juxta exigentiam boni communis, & subsistente justa causa; ita Vidal. *titulo de prælatis regularibus, inquisitione unica, num. 69.*

* * *

SECTIO II.

De potestate Priorum localium.

23 *Priores habent super suos subditos potestatem non solùm dominativam, sed etiam jurisdictionis, tum directivæ, tum coërcitivæ, tum dispensativæ, tum absolutivæ.*

24 *Hæc jurisdictio respectu Religiosorum est ordinaria.*

25 *Respectu Monialium est delegata à Provinciali.*

26 *Hæc jurisdictio est quasi Episcopalis.*

27 *Priores Episcopis in dignitate comparantur.*

28 *Hæc jurisdictio est limitabilis à Provinciali.*

29 *Quando hæc potestas in Prioribus finiat, & incipiat?*

30 *Prælatura superioris regularis promoti in Episcopatum, non vacat per confirmationem, sed per illius consecrationem.*

31 *Priores possunt exercere jurisdictionem voluntariam, & contentiosam extra suum territorium.*

32 *Prior, si declaretur excommunicatus, amittit hanc jurisdictionem.*

33 *Non tamen officio privatur, nisi excommunicationi annexa sit officii privatio.*

34 *Prior incurrens aliquem casum habentem annexam privationem officii, non tenetur hanc pœnam subire ante Judicis sententiam.*

35 *Subditi tenentur obedire, donec à Judice privati, & inhabiles per sententiam declarentur.*

DICO I. Priores locales habent potestatem non solùm dominativam, seu œconomicam 23 super omnes suos subditos, ex voto obedientiæ illis competentem, sed etiam potestatem jurisdictionis, tum directivæ, tum coactivæ, tum dispensativæ, tum absolutivæ illis à Superiore majori communicatam; Suar. *Tom. 3 de Religione, lib. 2. cap. 18. num. 6. & sequentibus.* Bassæus *verbo* Prælatus, *num. 2.* & alii communiter. Est autem hæc 24 jurisdictio respectu Religiosorum ordinaria, utpote illi competens ex officio, ex perpetua commissione: ita cum aliis Bassæus *ubi suprà, n. 3.* Dixi, *respectu Religiosorum,* nam respectu Monialium tan 25 tùm est delegata; nam ordinaria solùm competit Generali-

Generalibus, & Provincialibus, & per delegationem postea committitur Priori locali, ut possint in casibus ordinariis, & frequenter contingentibus præsto esse monialibus sibi subjectis. Unde in nullo casu etiam hic, & nunc occurrenti eam possunt subdelegare; ita cum aliis à se consultis Pellizz. *Tract.* 10. *c.* 10. *n.* 36 *&* 37.

26 Dico II. Hæc jurisdictio competens Prælatis localibus est quasi Episcopalis, imò ipsis Episcopis comparantur, ut *supra* diximus; ita com-
27 muniter DD. apud Pellizzarium *Tract. cap.* 3. *numero* 6. Est tamen minor non solùm extensivè, sed etiam intensivè quam illa, quæ reperitur in Provincialibus, tanta tamen quanta sibi necessa-
28 ria est pro gubernatione sui monasterii in his, quæ expresse non prohibentur à suis majoribus; cum enim Prælati inferiores majoribus subjiciantur, necesse est unum habere majorem altero potestatem, alias unus alteri inferior non esset: ita Bord. *Tom.* 2. *res.* 66. *n* 6.

29 Dico III. Hæc potestas incipit in Prioribus seclusis specialibus Statutis à die, qua personaliter possessionem Conventus pro quo electi sunt acceperunt; ita cum Lessio Pellizzarius *Tract.* 9. *cap.* 1. *num.* 37. & colligitur ex *Cap. ad hæc de officio Archidiaconi*, non expirat autem de jure communi hæc potestas, nisi postquam advenit successor, & legitimè acquirit possessionem prælaturæ sibi commisso modo dicto. Unde successor post completum tempus suæ administrationis debet adhuc jus dicere usque dum adveniat ejus successor in officio, & Bullæ fuerint exhibitæ, juxta *leg. meminisse ff. de officio proconsul.* ita cum Nald. Pelliz. *Tract.* 9. *c.* 1. *n.* 39.

30 Si tamen quæras, quando vacet Prælatura superioris regularis, qui fuit promotus ad Episcopatum? Respondeo non vacare à die confirmationis ipsius, ut putat Villalobos, 2. *parte, tract.* 35. *dif.* 41. *num* 5. Sed post consecrationem; ita Peyrinis *in formul. lit. G. cap.* 6. *num.* 5. Pellizzarius *Tract.* 9. *cap.* 1. *n.* 40. & patet ex *Cap.* in cunctis §. *cum verò de elect.* Ratio est, quia solum tunc eximitur à jugo monasticæ disciplinæ, juxta *caput* statutum 18 *quæst.* 1. ergò tunc tantum desinit esse Caput Religionis, vel Provinciæ, vel Conventus.

31 Dico IV. Priores possunt exercere jurisdictionem voluntariam non solùm in suo territorio, verùm etiam extra, sive ipse Prælatus sit cum subdito extra territorium, sive unus sit intra, & alter extra territorium; ita communiter DD. nam hæc jurisdictio non requirit causæ cognitionem, & fit sine judicii strepitu.

Imò addo, posse etiam extra suum territorium exercere cum suis subditis jurisdictionem contentiosam, est enim judex personarum independenter à loco, ut *supra* diximus *de Generali, disput.* 1. *sectione* 3. *numero* 52. *& de Provinciali disput.* 2. *sectione* 4. *num.* 85; Ita Rodrig. Megala, Sayrus, Bonac. Diana, quos refert, & sequitur Bord *Tomo* 2. *resolut.* 78. *num.* 57. Contra Portel, & Pellizzarium *Tract.* 9. *cap.* 3. *n.* 11.

Dico V. Prior, si declaretur excommunica- 32
tus omnem hanc amittit jurisdictionem quoad usum, non tamen privatur officio, nisi illi excom-
municationi annexa sit ipso facto officii etiam 33
privatio; ita cum Silvestro, Anton. Peyrinis *de* 34
Prælato quæst. 1. *cap.* 4. *num.* 84. Imò adverte, quod si Prior, vel alius Prælatus incidat in aliquem casum, qui ipso facto privet illos Prælatura, & jurisdictione, nō teneri subire pœnam ante judicis sen-
tentiam. Unde licitè in eo gradu superioritatis re- 35
manent, & subditi obligantur eis obedire, donec à judice privati, & inhabiles declarentur; ita cum aliis Diana 2. *parte, tractatu* 17. *resol.* 67. Vidal. *de subdito inquisitione* 2. *num.* 61.

SECTIO III.

Ad quæ se extendat potestas directiva Prioris localis?

36 *Prior nec per se solum, nec cum consensu sui Capituli potest de jure communi facere leges perpetuas.*

37 *Potest imponere suis subditis præcepta, & censuras sive in communi, sive in particulari.*

38 *Non debet esse facilis ad imponenda præcepta sub mortali.*

39 *Imponens sine magna causa præcepta sub mortali graviter peccat.*

40 *Nullus Prælatus potest actus purè internos præcipere, benè tamen si habeant connexionem cum actibus externis.*

41 *Prælatus nunquam intendit subditos sub præcepto obligare, ubi est probabile vitæ periculum, si illud per se non est materia rei præcepta annexum.*

42 *[illegible] aliquando potest præcipere subdito, ut se*

exponat probabili vitæ periculo, & quando hoc eveniat?

43 *Potest suo subdito præcipere, ut inserviat Religioso peste laboranti.*

44 *Non tamen ut sæculari ministret, etiam spiritualia, si adsint clerici sæculares, qui hoc efficere valeant.*

45 *Quid si alii non adsint & Religiosi sint Mendicantes?*

46 *Prior suo præcepto non potest suum subditum obligare, ut opinionem ejus probabilem sequatur, suam etiam probabilem relinquendo.*

47 *Prior potest præcipere subdito, ut acceptet Superioris munus, vel quodcumque beneficium, etiam Parochiale consuetum regi per sæculares suæ Religionis, etiamsi sit ad nutum amovibile.*

48 *Non potest ei præcipere, ut acceptet Episcopatum.*

49 *Prior simpliciter mandans fieri aliquid, etiam per verba imperativi modi, non obligat, nisi eo modo, quo obligant Statuta Ordinis.*

50 *Si aliud intendat debet illud explicare, nisi dentur contraria Statuta.*

51 *Quando obligent in Congregatione nostra mandata Prioris ad mortale?*

52 *Prior non potest aliquid præcipere cum scandalo.*

53 *Si præcipiat non obstante scandalo, ejus præceptum non obligat.*

54 *Idem dicendum est, si aliquid injustum præcipiat.*

55 *Prior non potest unum subditum reformare, nisi alii reformentur.*

56 *Potest subditum suo præcepto obligare ad juramentum præstandum de dicenda veritate omnium, quæ scit fieri in sua domo contra leges Ordinis.*

57 *Habet jus applicandi omnia subditorum sacrificia pro oneribus Conventus.*

58 *Potest subditos obligare præcepto ad sacrificandum quotidie.*

59 *Prior potest suum subditum dare in pignus, & obsidem, & ad hoc eum præcepto obligare, si id necessarium sit pro necessitate, & utilitate Monasterii.*

60 *Secus si id faciat pro pace, vel simili causa reipublicæ.*

61 *Prior potest dare licentiam ingrediendi clausuram monialium sibi subjectarum, si hæc facultas illi à Generali, vel Provinciali, vel à lege delegata sit.*

62 *Si tale monasterium auctoritate Pontificia sit subjectum soli Priori, ipse, non verò Generalis potest dare talem licentiam.*

63 *Ad alienanda bona immobilia, & mobilia pretiosa Conventus, si cætera adsint conditiones de jure requisitæ, sufficit Prioris consensus.*

64 *Consensus Generalis, vel Provincialis solùm jure speciali requiritur in alienationibus.*

65 *Quomodo possit Prior donationem renuntiare, & legatum & hæreditatem repudiare.*

66 *Prior potest hæreditatem relictam Monacho repudiare, etiam invito Monacho, cui relicta est.*

67 *Prior de consensu Capituli ex justa causa potest remittere summam debitam Monasterio.*

68 *Prior etiam cum suo Conventu non potest renuntiare privilegio exemptionis à decimis.*

69 *Ad Priorem cum suo Conventu spectat remittere injuriam factam suo subdito, non verò ipsi Religioso.*

70 *Hanc remissionem potest Prior cum Conventu præstare, etiam invito ipso Religioso læso.*

71 *Prior per se solum non potest contrahere de bonis, & his, quæ directè sunt de jure Monasterii, sed semper debet procedere cum consensu Capituli, aliàs gesta erunt invalida.*

72 *Priores possunt, & debent facere eleemosynas de bonis superfluis Conventus.*

73 *Etiam de non superfluis possunt facere eleemosynas arbitrio prudentis viri.*

74 *Priores possunt efficere benefactores participes orationum suorum subditorum.*

75 *Priores de jure antiquo poterant ex justa causa suis subditis concedere peculium.*

76 *Idem possunt efficere de jure novo. Quid dicendum sit de jure nostro?*

77 *Priores non ministrantes suis subditis necessaria, ita ut necessarium sit eis peculium permittere, peccant mortaliter.*

78 *Quomodo hoc sit intelligendum?*

79 *Prior potest præbere licentiam ad expendendum peculium ad libitum ad quoscumque usus in genere.*

80 *Recipiens pecuniam à subdito habente talem licentiam generalem, etsi illicitè illam recipiat propter usum turpem, non tenetur ad restitutionem.*

81 *Idem dicendum est, si ipse Superior aliquid tribuat, de proprio peculio ob finem turpem.*

82 *Ut Prior tale peculium illicitè expendat, non sufficit,*

ficit, quod illud tribuat personæ, cum qua actus turpes habuit, sed requiritur, ut propter hunc finem tales res illi tribuat.

83 *Si tribuat aliquid personæ, cum qua alias peccavit, ob paupertatem, vel alium honestum finem, non peccat contra justitiam, nec contra paupertatem.*

84 *Quid dicendum de donationibus inter Religiosos, & moniales sibi devotas &c.*

85 *De jure communi recipere novitios ad professionem, pertinet ad Priorem de consensu Capituli.*

86 *Licet ex regula recipere novitios ad professionem pertineat ad Prælatos superiores, non propterea denegatur Prioribus, nisi positivè excludantur.*

87 *Prior sine consensu Capituli non potest recipere novitios ad professionem, nec è contra Conventus sine consensu Prioris.*

88 *Si novitius approbetur per vota secreta sufficit, quod major pars Capituli eum approbet, & si Prior sit de numero eorum, qui votum reprobativum tulerunt.*

89 *Prior validè recipit professionem, etsi sit excommunicatus, suspensus & interdictus.*

90 *Prior validè recipit novitium ad professionem, etsi hoc illi à suo Superiore sit prohibitum, si prohibitioni non sit annexum decretum irritans.*

91 *Si Capitulum postquam approbavit novitium, cognitis de novo aliquibus novitii defectibus, capitulariter statuit, ut iterum de novitio fieret scrutinium, Prior tenetur dictum scrutinium exspectare.*

92 *Si tamen Prior de facto non exspectet, sed admittat novitium statim ante novum scrutinium ad professionem, professio est valida.*

93 *Prior recipiens novitios ad habitum, tenetur ante illorum receptionem curare fieri de illis informationes.*

94 *Prior omittens prædictas informationes non incurrit pœnas impositas illas omittentibus, nisi à parte rei novitius receptus sit ligatus aliquo impedimento ex contentis in Constitutione* SIXTI V.

95 *Prior non tenetur perquirere, neque recipere ad Religionem ejectum in perpetuum, etsi sit emendatus, & petat iterum admitti.*

96 *De jure communi Prior potest approbare confessarios respectu suorum subditorum.*

97 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

98 *Cui competat præsentare Religiosos Episcopo pro confessionibus sæcularium.*

99 *De jure communi deputare Religiosos ad prædicandum verbum Dei non solùm Generalibus & Provincialibus, sed etiam Prioribus convenit.*

100 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

101 *De jure communi ad Priores pertinet Religiosos ad Ordines Sacros promovere.*

102 *Quid dicendum sit de jure speciali.*

103 *Quid de jure nostro?*

104 *Mortuo Provinciali, si antequam provideatur de Superiore in ejus locum, immineat tempus Ordinationis, Prior potest mittere suos subditos ad recipiendos Ordines.*

105 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

106 *Priores de jure antiquo, & seclusis specialibus Statutis, poterant suis subditis concedere licentiam, ut possent ad beneficia curata promoveri extra Ordinem.*

107 *Secundum jus novum in Trid. non possunt promoveri ad beneficia curata absque Papæ dispensatione.*

108 *Non possunt eligi ad beneficia simplicia sæcularia, nec de licentia Prioris, nec alterius Prælati Superioris Ordinis.*

109 *Mendicantes non possunt assumi ad Episcopatum sine Pontificis dispensatione.*

110 *Concessa Pontificis dispensatione, Mendicantes non indigent alia licentia ad acceptandum Episcopatum.*

111 *Religiosi non Mendicantes possunt promoveri ad Episcopatum, etiam sine Pontificis dispensatione.*

112 *Non mendicantes indigent licentia sui Superioris ad acceptandum Episcopatum.*

113 *Sufficit licentia Prioris localis, si aliud speciale non sit statutum.*

114 *Prior potest sibi, & suis subditis eligere sepulturam.*

115 *Non potest eligere sepulturam extra Conventum sui Ordinis pro se, vel pro subdito, si ibi sit locus, ubi commodè sepeliri possit.*

116 *Prior potest jure communi nominare Conservatorem pro suo Conventu.*

117 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

118 *Priores omnium Religionum exceptis Minoribus, & Capucinis, possunt de jure communi præbere suis subditis licentiam acceptandi munus Executoris testamenti.*

119 *Prior potest esse Executor testamenti sine alia licentia Provincialis.*

Q 2 Mino-

120 *Minoribus, & Capucinis jure communi prohibitum est esse Executores testamentorum.*

121 *Possunt institui à Testatoribus nominatores Executorum suorum testamentorum.*

122 *Nullus Religiosus nostræ Congr. sive sit Prior, sive etiam Provincialis, potest dare licentiam, vel acceptare pro se officium testamentarii, absque licentia Patris nostri Generalis.*

123 *Prior potest in suo Conventu creare unum, vel plures Notarios pro intimandis mandatis, privilegiis, &c. quibuscumque personis, sive Ecclesiasticis, sive sæcularibus.*

124 *Potest creare notarios etiam pro causis criminalibus suorum Religiosorum, quoties debet formare processus.*

125 *Si inciderit jejunium Ecclesiæ in die magnæ solemnitatis Ordinis, potest Prior illud anticipare, & observare facere die præcedenti illud solemne festum.*

126 *Prior potest suorum Religiosorum missas applicare.*

127 *Si subditis præcipiat, ut juxta suam intentionem celebrent, non celebrantes, vel celebrantes, cum alia intentione peccant mortaliter, sacrificia tamen valent pro illis, quibus Sacerdos applicavit.*

128 *Si Prior pro talibus Missis acceperat stipendium, vel applicavit pro aliqua capella, non solum peccat subditus mortaliter Missam non celebrando juxta intentionem Prælati, sed tenetur ad restitutionem.*

129 *Prior coactus paupertate potest reducere Missarum acceptarum congrua stipendia ad taxam communem.*

130 *Idem dicendum est de missis relictis in aliqua capella, si augeatur stipendium commune decursu temporis.*

131 *Prior, & alii Prælati non excommunicati possunt licitè, tum suis subditis etiam novitiis excommunicatis non toleratis communicare in omnibus etiam in sacris, recitando cum eis officium Divinum, &c.*

132 *Subditi non excommunicati possunt eodem modo cum suis Prælatis excommunicatis non toleratis communicare etiam in divinis.*

133 *Idem dicendum est de magistro novitiorum respectu novitiorum, & è contra.*

36 DICO I. Licet Prior per se solus de jure communi non possit condere leges perpetuas, nò neque cum consensu sui Capituli, ut rectè cum Suario docet Lezana *Tomo* 1. *cap.* 18. *num.* 90. & 37 alii communiter, potest tamen suæ Communitati imponere præcepta, & censuras, sive in communi, sive in particulari duratoria pro tempore sui officii; ita Lezana *ibidem*, & quoad nos patet ex 1. *parte nostrarum Constitutionum cap.* 5. *numer.* 5. 38 Non debent tamen Priores esse faciles ad imponenda præcepta obligantia sub mortali, etiam in materia gravi, cum experientia constet eorum frequentia magis contemni, quam formidari authoritatem *&c.* Bassæus *verbo* Prælatus *numer.* 12. 39 Unde Priores imponentes sine magna causa præcepta obligantia sub mortali, sive materia sit gravis, sive levis peccant mortaliter, abutuntur namque potestate, quæ eis data est non in perniciem, & animarum laqueum, sed in bonum subditorum; ita & solidè cum Reginaldo Giragus *part.* 3. *dub* 50. *num.* 300. Unde in nostris Constitutionibus *loco citato* Prælatis præcipitur, ne, nisi in casu gravi, summaque cum maturitate, & in scriptis præcepta, vel censuras imponant.

ADVERTE tamen PRIMO, nullum Prælatum 40 posse actum purè internum secundùm se præcipere; benè tamen si habeat connexionem cum actibus externis: nam tunc etiam actus internus per accidens imperatur, quatenus actus externus sine interno, vel non est actus moralis, vel non habet malitiam quam Prælatus vitare intendit; Basseus *verbo* Prælatus *num.* 5. & 6.

SECUNDO adverte Prælatum nunquam intendere subditos obligare suis præceptis, ubi est probabile vitæ periculum, si illud non est per se materiæ præceptæ annexum; nemo enim emittens obedientiæ votum habet intentionem se obligandi cum vitæ periculo, nec cum maximo detrimento proprio; ita cum Suario, Azor, Sanch. & aliis Basseus *n.* 13. 41

DIXI, *si illud non est per se materia rei præceptæ annexum*, nam aliquando potest Prior præcipere 42 subdito, ut exponat se probabili periculo vitæ, quando scilicet hoc est necessarium ad bonum commune Religionis, ut si tempore pestis præcipiat, ut aliquis præbeat aliis Religiosis peste infectis necessaria; ita cum Rodriguez, Sanchez, & aliis Basseus *loco citato.* 43 Non tamen eis poterit præcipere, ut inserviant extraneis etiam in spiritualibus, si adsint Parrochi, qui id efficere possint, quod si deficiant, & Religiosi sint Mendicantes, tunc 44 præcipi potest à Prælato, ut Fidelibus in spiritualibus succurrant, cùm sint coadjutores Parochorum; ita cum D. Thom. & aliis Delbene *Tom.* 2. 45

capite

capite 19. *dub.* 3. *section.* 2. *numer.* 52. *& sequentibus.* Rutil. Sanchez, Faustus, quos refert, & sequitur Pellizzarius *Tractatu* 5. *cap.* 12. *numer.* 30. Ubi ait in casu quo desint Parochi & clerici, qui bono spirituali fidelium peste laborantium succurrant teneri Prælatos Mendicantes mittere Religiosos ad loca Diœcesis peste infecta, ut Fidelibus succurrant in spiritualibus. Vide circa dicta nostros Gabrielem à S. Vincent. *de censuris disputatione* 3. *num.* 247. & Franciscum Bonæ-spei *Tom.* 5. *Tractatu* 2. *disp.* 9. *dub.* 1.

46 Dico II. Prior non potest suo præcepto subditum obligare, ut opinionem suam probabilem sequatur, propriam etiam probabilem relinquendo; ita multi DD. quos citant & sequuntur Palaus *Tom.* 1. *tract.* 1. *disput.* 2. *parte* 6. *num.* 1. *&* 5. Sanctius *in selectis disput.* 33. *num.* 28. Vidal *titulo de* pœnitentiæ Sacramento *inquisitione* 6. *num.* 54. contra Salas, Layman. Vasquium, quos, & alios refert & sequitur Thomas Hurtado *Tractat.* 3. *capite* 5. *num.* 193. Ratio nostræ resolutionis est, Tum, quia licet Superior habeat jus præcipiendi, ut subditus operetur id quod certè & indubitabiliter est bonum & licitum, & secundùm suam regulam, attamen non idem evenit quando subditus habet probabilem opinionem, vel non esse bonum, aut licitum, id quod præcipitur, vel esse quid excedens suam jurisdictionem: ergò in tali casu, cùm solùm probabiliter obliget Superior suo præcepto, etiam solùm probabiliter obligabitur subditus: ergò cùm opinio dicens subditum non manere in hoc casu obligatum sit probabilis, subditus illam potest sequi in praxi. Tum, quia quando datur opinio probabilis rem præceptam esse illicitam, vocatur in dubium jurisdictio Superioris, cùm nunquam fuerit in possessione præcipiendi rem illicitam, vel suam jurisdictionem excedentem, ergò subditus non tenetur ei obedire, cùm habeat etiam opinionem probabilem. Sed videantur, quæ circa hæc diximus 2. *p. disp.* 6. §. 5. de obedientia agendo.

47 Dico III. Prior potest præcipere suo subdito, ut acceptet Supprioris munus, vel quodcumque beneficium, etiam Parochiale consuetum regi per Regulares suæ Religionis, etiamsi sit manuale, & ad nutum amovibile; ita cum Rodriguez, & aliis Delbene *Tom.* 2. *c.* 19. *dub.* 3. *sect.* 2. *num.* 43. hoc enim spectat ad bonum commune Religionis.

48 Non tamen poterit etiamsi sit Generalis ei præcipere, ut acceptet Episcopatum, nam potestas quam habent Prælati regulares non est ad bonum commune Ecclesiæ, sed ad bonum commune Religionis, vel Religiosi; Delbene *ubi supra num.* 34. & N. Gabriel à S. Vinc. *loc. cit. n.* 236.

Dico IV. Prior simpliciter mandans fieri aliquid, etiam per verba imperativi modi, non obligat, nisi eo modo, quo obligant Statuta Religionis, non enim videtur Prælatum plus velle obligare, nisi eo modo, quo obligant alia Statuta; ita cum Ledesma Peyrin. *de subdito quæst.* 1. *c.* 5. §. 4. *dicto* 1. Quod si aliud Prælatus intendit, debet illud explicare; Videnda tamen sunt de hoc Religionum Statuta, & consuetudines, in nostra namque Congregatione nunquam mandata Prælatorum obligant ad mortale, nisi in scriptis, & certa forma proferantur, ut patet ex 1. *p. nostrarum Constitutionum cap.* 5. *num.* 5. 49 50 51

Dico V. Prior non potest aliquid præcipere cum scandalo. Unde si præcipiat non obstante scandalo non tenetur ei subditus obedire; Graffius, Rosella, quos refert, & sequitur Peyrin. *de subdito quæst.* 1. *cap.* 7. 52 53

Idem dicendum est, si aliquid injustum præcipiat, ut si ex odio velit omnes res meas mihi eripere, ut sibi eas usurpet, vel alii tribuat; Rosel. Angel. quos refert, & sequitur *ibidem* Peyrinis, quod verum est etiamsi id faciat animo me reformandi, nam Prælatus non potest unum Monachum aut subditum reformare, nisi reformentur alii; Peyrinis *ubi supra.* 54 55

An autem Prior possit sub præcepto, imò & excommunicatione, suspensione, & interdicto suum subditum ad juramentum præstandum obligare, ut ei dicat omnia, quæ sunt contra regulam aut Statuta Religionis, vel leges Ecclesiasticas, quidquid novit, vel credit, vel fama est committi ab aliis Religiosis? Respondeo affirmativè; ita ex Rodrig. Tamburin. *Tom.* 2 *disput.* 21. *quæsito* 3. *n.* 1. non enim transit limites suæ jurisdictionis, ut *supra* diximus. 56

Dico VI. Prior habet jus applicandi omnia subditorum sacrificia, ut satisfiat oneribus, & obligationibus, quas Conventus habet ortas ex Religiosorum convenienti sustentatione; Hurtado *Tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 162. Unde si nolint quotidie celebrare, potest eos cogere præcepto, imò & excommunicatione, non tamen reservata, ad quotidie juxta suam intentionem celebrandum; Ita Thom. Hurtad. *Tract.* 2. *c.* 2. *resol.* 3. *num.* 26. est enim hoc præceptum de re licita, & honesta, & concernit Communitatis bonum, & rectum regimen Regularium, imò de re debita ex justitia. 57 58

59 Dico VII. Poteſt Prior præcipere ſuo ſubdito, quod maneat in certo loco ad tempus, ſeu poteſt eum dare in pignus & obſidem, ſi id neceſſarium ſit pro utilitate, & neceſſitate monaſterii, ſecus ſi id faciat pro pace, vel ſimili cauſa reipublicæ; ita cum aliis Delbene *Tom.* 2. *cap.* 10. *dub.* 3. *n.* 55.
60 Ratio prioris partis eſt, quia illud eſt neceſſarium pro bono communi Religionis, ergò optimè præcipi poteſt à Prælato; Ratio verò ſecundæ partis eſt, quia poteſtas Prælati non eſt data in bonum commune Reipublicæ, ſed Religionis: ergò licèt in bonum commune Religionis poſſit Religioſus dari in pignus à ſuo Prælato, non tamen in bonum commune Reipublicæ.
61 Dico VIII. Prior poteſt dare licentiam ingrediendi clauſuram monialium ſibi ſubjectarum, ſi hæc facultas illi à Generali, vel Provinciali, vel à lege non ſit ablata; ita contra Suarium, & Confectium Delbene *Tom.* 2. *cap.* 19. *dubio* 33. *numero* 1. Ratio verò eſt, quia jura abſolutè, & generaliter tradunt, id ad Superiorem pertinere, ſed Prior reſpectu illius Conventus eſt Superior, ſive ſit ordinarius, ſive delegatus, hoc enim per accidens eſt, ergò optimè dare poterit talem licentiam. Imò addo, quod ſi tale Monaſterium ſit authoritate Pontificia ſubjectum ſoli Priori Conventuali,
62 ſolùm ipſum, non verò Generalem, vel Provincialem, poſſe dare talem licentiam, ſiquidem ſolus Prior tunc habet juriſdictionem ſuper illud Monaſterium, niſi aliàs velit illam alteri delegare; ita Delbene *ſupracit. num.* 2.
63 Dico IX. De jure communi ad alienanda bona immobilia, vel mobilia precioſa Conventus ſufficit Prioris conſenſus, ſi cæteræ adſint conditiones requiſitæ ad alienationem, nullum enim jus extat, aut decretum Sacræ Congrega-
64 tionis poſtulans contrarium. Unde quod requiratur conſenſus Generalis, vel Provincialis eſt de jure ſpeciali Religionum, vel ex Conſtitutionibus diverſorum Pontificum, qui conceſſerunt facultatem alienandi, cum licentia Provincialis, vel Generalis, vel etiam Definitorii generalis, ut nobis Carmelitis Excalceatis conceſſit Paulus II. Unde in hoc ſtandum eſt Religionum Statutis, & privilegiis; Bord. *Tom.* 1. *reſ.* 27. *n.* 28. Pelliz. *Tract.* 6. *cap.* 8. *numero* 115. Sed de his vide, quæ diximus in Tractatu 2. *de privilegiis diſp.* 1. *ſect.* 4. *§. per totum.* Ubi etiam invenies *n.* 183. quomodo poſſit Prior
65 ſine ſolemnitatibus validè donationi renuntiare, legatum, & hæreditatem repudiare. An autem
66 Prior poſſit etiam repudiare hæreditatem relictam Monacho invito ipſo Monacho? affirmat cum Sanchez Pelliz. *Tract.* 9. *c.* 7. *n.* 88.

Dico X. Prior de conſenſu Capituli, intercedente juſta cauſa, poteſt remittere ſummam debitam Monaſterio; ita cum Sanchez, Alphonſo de Leone & aliis Pelliz. *Tract.* 4. *cap.* 2. *nu.* 329 Lugo *de juſtitia diſp.* 3 *n.* 168. Ratio verò eſt, quia Prior licèt non ſit dominus bonorum Monaſterii, eſt tamen illorum adminiſtrator, ſed adminiſtrator data juſta cauſa poteſt diſponere de bonis, quæ adminiſtrat, etiam dando intra tamen limites ſuæ poteſtatis, ergò idem poterit facere remittendo, nam remiſſio quædam donatio eſt. 67

Dico XI. Prior etiam cum ſuo Conventu non poteſt renuntiare privilegio exemptionis à decimis; ita Suarez *Tomo* 1. *de religione, Tractatu* 2. *libro* 1. *cap.* 20. *num.* 3. & cum aliis communiter Delbene *Tom.* 2. *cap.* 9. *dub.* 34. *ſect.* 1. *num.* 10. Et ratio eſt, quia talis renuntiatio cederet in præjudicium principis, ſcilicet Papæ, qui eos à jure Ordinariorum liberos ſuæ gubernationi, & protectioni immediatè ſubjecit, ut colligitur ex *c. cum tempore de arbitris.* 68

Dico XII. Ad Priorem cum ſuo Conventu pertinet remittere injuriam factam ſuo ſubdito, non verò ipſi Religioſo, imò hanc remiſſionem poteſt Prior cum Conventu præſtare, etiam invito ipſo Religioſo percuſſo; ita Bordonus *in deciſionibus deciſione* 27. & cum Sanchez Pellizzarius *Tractatu* 6. *cap.* 12. *numero* 31. Ratio verò eſt, quia remiſſio injuriæ debet fieri à parte læſa, ſed illa injuria facta Religioſo redundavit in totam Communitatem, arg. eorum, quæ de injuria filii redundare in patrem dicitur *leg.* 1. *§. injuria, leg. eum qui §. fin. de injuriis*, *§. patitur, inſt. de injur.* ergò à tota Communitate fieri debet, etiam invito Religioſo offenſo, nam ille totam ſuam voluntatem tranſtulit in Monaſterium, ac per conſequens non habet velle, ac nolle. 69 70

Dico XIII. Prior per ſe ſolus contrahere non poteſt in iis, quæ directè ſunt de jure Monaſterii, ſed debet ſemper procedere cum conſenſu Capituli *Cap. quod quibuſdam de fidejuſſ.* Capite *novit de his quæ fiunt à Prælatis*; aliàs geſta erunt invalida, & nullo modo juribus Monaſterii præjudicialia; ita Vidal. *tit de ſubdito inquiſitione* 1. *n.* 57. 71

Dico XIV. Priores poſſunt, & debent facere eleemoſynas de bonis ſuperfluis Conventus, imò etiamſi ſuperflua non ſint, poſſunt arbitrio prudentis viri competentes, & moderatas facere; ita Vaſq. Molina, Rodrig. Graffius, quos 72 73

quos refert, & sequitur Peyrinis *de subdito, quæstione 2. capite 2. §. 8. dicto* 1. Vidal. *titulo* de paupertate *inquisitione unica num.* 128. Ratio verò est, quia Prior habet generalem administrationem bonorum Conventus: ergò potest ea in usus licitos distribuere, & quos legitima eorum administratio postulat, sed hujusmodi distributio eleemosynarum est licita, & prudens, si moderato modo fiat, ergò. Adverte tamen Provinciales majores posse facere eleemosynas Prioribus: Vasq. opusculo *de eleemosynis cap.* 4. *n.* 11.

74 Dico XV. Priores possunt facere benefactores, & alios fideles participes satisfactionum, & orationum suorum subditorum, illorumque opera meritoria aliis applicare, antequam constituantur & reponantur in thesauro Ecclesiæ: ita communiter DD. apud Basseum *verbo* suffragia *num.* 1. Et hoc non solùm ex privilegio, ut probat Miranda *Tom.* 2. *quæst.* 49. *artic.* 1. Sed etiam de jure communi, ex decreto Pelagii Papæ, in *Cap.* nullam 18. *quæst.* 2. Et hoc etiam à fortiori possunt Prælati superiores efficere. Et ratio in utroque casu est, quia Prælati regulares ratione voti obedientiæ habent dominium voluntatum suorum subditorum, ergò poterunt, cui voluerint, eorum meritoria opera applicare.

75 Dico XVI. Priores de jure communi antiquo poterant suis Religiosis ex causa legitima concedere peculium, id est, redditus annuos ad nutum Superiorum revocabiles ad quoscumque usus honestos, & pios; ita Rodriguez, Azor, Sanchez, Navar. quos refert, & sequitur Basseus *verbo* paupertas religiosa *numero* 9. Thom. Hurtado *Tom.* 2. *tractat.* 8. *cap.* 8. *section.* 7. *num.* 826. *resolut* 84. licet alii apud ipsos contrarium teneant. Et ratio est, quia talis Religiosus nihil habet contra licentiam Prælati, ergò non delinquit contra paupertatis votum.

76 An verò de jure novo Trident. *sess.* 25. *cap.* 2. *de Regularibus*, hoc Prior adhuc efficere possit? majus est dubium; negant Rodriguez, Lessius, Molina apud Sanchez *lib.* 7. *moralium cap.* 22. *num.* 11. Contraria tamen sententia probabilior videtur; ita Sa, Navar. Graffius, Sanchez, Diana, quos refert & sequitur Basseus *ubi supra num.* 10. Et ratio est, quia Trident. nihil novi juris induxit, sed solùm declaravit jus quo semper prohibitum fuit Religiosis habere superflua, vel aliqua à voluntate Prælati independenter, & irrevocabiliter; sed prædictum peculium conceditur prædictis Religiosis ex justa causa, & revocabiliter à Prælato, ergò. Videnda sunt tamen specialia Religionum Statuta; nam in nostra Religione Prælati, etiam Generales 77 tale peculium minimè concedere possunt, ut patet ex 1. *p. nostrarum Constitut. cap.* 7. *num* 7. & C. 8. *num.* 3.

Adverte tamen, Priores non ministrantes suis 78 subditis necessaria, ita ut necessarium sit subditis permittere peculia, peccare mortaliter. Hoc tamen limitandum est, quando introductum est, ut Conventus tribuat omnibus Religiosis necessaria, 79 tum ad victum, tum ad vestitum, tum tempore sanitatis, tum in infirmitate: secus dicendum est, quando introductum est, ut Conventus de justitia nihil tribuat, vel ut solum tribuat amictum exterius in certis temporibus, & de victu parum, vel tantum communem refectionem nimis limitatam tribuat, & nihil, aut parum de infirmis cogitetur, ut fit in pluribus monialium Conventibus; nam tunc non solùm possunt prælati, sed etiam tenentur subditis concedere peculia, & semel concessa non possunt tollere, nisi aliunde eis Superior provideat; ita cum Sanch. Peyrinis, & aliis benè notat Thom. Hurtado *Tom.* 2. *c.* 8. *tract.* 8. *resol.* 84. *sect.* 12. *num.* 858.

Si tamen inquiras, an Prior possit concedere 80 licentiam ad expendendum prædictum peculium ad libitum, ad quoscumque usus in genere, prout comprehendit usus licitos, & illicitos; Respondeo affirmativè; ita Lugo *de justitia disp.* 3. *n.* 139. Pelliz. *Tract.* 4. *c.* 2. *n.* 432. & probabile putat Alcozer, Angles, Lopez, Medina, Rebellus, & Lessius, quos refert, & sequitur Salas *Tract. de Ludo disp.* 21. *n.* 4. licet ipsi contrarium teneant. Ratio autem est, quia Prior dans talem licentiam generalem, non dicitur cooperari peccato subditi tale peculium illicitè expendentis, cum præstet solum concursum generalem indifferentem, sicut nec DEUS dicitur cooperari peccato hominis similem concursum generalem præstando.

Unde in hoc casu recipiens pecuniam à subdito, 81 habenti talem licentiam generalem, etsi illicitè illam recipiat propter usum turpem, ludum illicitum, vel aliam rem illicitam, non tenetur ad restitutionem; ita prædicti DD. quibus adde Fagund. *in* 2. *præcepto Ecclesiæ lib.* 8. *c.* 6. *n.* 416. Hurtado *Tom.* 2. *c.* 8. *tract.* 8. *resol.* 87. §. 2. *nu.* 880. Idem dicendum est, si ipsemet Prior aliquid expendat de proprio peculio ob finem turpem, nam re- 82 cipiens non tenetur restituere, siquidem Prior voluntate tacita Capituli administrationem

veram

veram concedentis expendit; ita Hurtado *ubi supra num.* 888.

Adverte tamen, ad hoc, ut subditus, vel Prior
83 tale peculium illicitè expendant non sufficere quod illud tribuant personæ, cum qua actus turpes exercent, sed requiri, ut propter hunc finem ta-
84 les res illis distribuant. Unde si aliquam quantitatem dedissent alicui personæ, cum qua aliàs inhonestè peccarunt, non in stipendium exercitii prohibiti, sed ex motivo honesto, ut v. g. propter illius paupertatem, propriam utilitatem, vel ad quid simile, non peccant contra justitiam, nec contra votum paupertatis; ita Hurtado *To.* 2. *tra-*
85 *ctatu* 8. *cap.* 8. *resol.* 87. §. 1. *n.* 878. Et sic existimat, cum Navar. ipse Hurtado *ibidem*, donare posse Religiosos ordinariè loquendo suis devotis monialibus, & istas illis, imò & sæcularibus mulieribus illustribus, & honoratis, & sic excusantur, ut in plurimum à restitutione Religiosæ accipientes à Religiosis, & isti ab illis, quia ordinariè ad hoc habent tacitam licentiam donandi, accipiendi, & retinendi, solus enim modus, & non substantia in his donationibus displicet Superioribus.

86 Dico XVII. De jure communi recipere Novitios ad professionem pertinet ad Priorem, cum Consilio Fratrum, est tamen consuetudine introductum, ut requiratur etiam Fratrum consensus; ita Sanchez, Suarez, Vechius, Faustus, & alii, quos refert, & sequitur Peyrin. *de Prælato quæst.* 3. *cap.* 1.
87 §. 5. *numer.* 135. Pellizzarius *Tractatu* 3. *cap.* 3. *n.* 8. & nos jam diximus in *Tractatu antecedenti*, & licèt ex regula recipere novitios ad professionem pertineat ad Prælatos superiores, non propterea denegatur Prioribus, nisi positivè ipsi excludantur: ita cum Bordono Pellizzarius *ibidem num.* 14. & hinc
88 fit in nullo casu posse Priorem recipere novitium ad professionem sine Capituli consensu, nec è contra Conventus sine Prioris, vel alterius Prælati superioris consensu; ita Rodrig. Vechius, Navarra, & Miranda, quos refert, & sequitur Pellizzar. *Tractatu* 3. *cap.* 3. *num.* 12. de valore enim professionis est, ut interveniat tam Prælati, quam monasterii consensus.

89 Unde si Prior mortuus sit, si loco defuncti non sit alius, qui monasterio præsit, minimè potest Conventus recipere novitios ad professionem.

Adverte tamen, quod si novitius approbetur per suffragia secreta, si major pars Capituli eum approbaverit, etsi Prior sit ex illis, qui votum reprobativum dederunt, non propterea novitium manere reprobatum, sed Prælatus tenetur cum suo tempore admittere ad professionem; ita Peyrines *de subdito quæst.* 1. *capite* 26. §. 2. versu *si verò suffragia*.

An autem Prior, si sit excommunicatus vitandus, vel suspensus denunciatus validè recipiat professionem novitiorum? Respondeo affirmativè; nam recipere novitios ad professionem non est actus jurisdictionis, sed superioritatis: ita cum Sanch. Roseila, Peyrin. *supracitat.* 90

An autem Prior validè recipiat novitium, ad professionem, si hoc illi à suo Superiore sit prohibitum? Respondeo affirmativè: si alias probibitioni non fuerit annexum decretum irritans; Tum, quia multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent *Cap.* ad Apostolicam *de regulis.* Tum, quia talis prohibitio, cùm sit simplex, solùm reddit actum illicitum, non tamen nullum; ita Vechius, Bord. quos refert, & sequitur Pellizzarius *Tract.* 3. *c.* 3. *n.* 23. 91

An autem, si Capitulum postquam dedit consensum ad professionem, postea cognitis aliquibus novitii defectibus, capitulariter statuat, ut iterum de novitio fiat scrutinum, poterit ne tunc Prior non exspectare dictum scrutinium, & statim validè recipere novitium ad professionem sine tali scrutinio timens fore, ut novitius expellatur? Respondeo, Priorem teneri exspectare novum scrutinium, etsi nolit Capitulum illud posse efficere sine Priore, siquidem Capitulum aliqua efficere potest absque Prælato, ex titulo *de his quæ fiunt*, non enim potestas data est Prælato in destructionem, sed in ædificationem; ita Pellizz. *tract.* 92
3. *cap.* 3. *num.* 29. Si tamen Prior ante quam dictum scrutinium à Capitulo habeatur admittat novitium ad professionem, professio absque dubio tenet, nam primus consensus Capituli non fuit revocatus per illam determinationem capitularem, quod iterum de eo fieret inquisitio: ita Lessius, Bordonus, quos refert, & sequitur Pellizzarius *ubi supra num* 28. 93

Dico XVIII. Prior recipiens Novitios ad habitum, tenetur ante illorum receptionem curare de illis fieri solitas informationes, juxta Constitut. Sixti V. prout moderata à Clemente VIII. sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ in perpetuum, dignitatum, officiorum seu graduum, & inhabilitatis perpetuæ, tum ad ea, tum ad alia in posterum obtinenda, ut constat ex eadem Bulla: quæ pœnæ non à Provinciali, qui dedit licentiam ad aliquem novitium recipiendum, sed à Prioribus, quibus Provincialis commisit, ut informa- 94

formationes faciant, si eas omittant, incurruntur, ut cum Portel notavit Pellizz. *Tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 16.

95 Adverte tamen Priorem omittentem prædictas informationes non incurrere prædictas pœnas, nisi à parte rei novitius receptus sine prædictis informationibus sit ligatus aliquo impedimento, ex contentis in prædicta Constitutione SIXTI V. ita Portel. Rodrig. Bartholomeus de Vechiis, Diana, quos refert, & sequitur Tambur. *Tom.* 3. *disput.* 6. *quæsito* 5. *n* 3. & ratio est, quia Bulla solùm ligat recipientes criminosos, *&c.*

96 DICO XIX. Prior, aut alius Prælatus superior non tenetur iterum recipere ad Religionem ejectum in perpetuum, etsi sit emendatus, & petat iterum admitti; ita Sanch. Azor. Rodrig. Sanctarel. Miranda, & cum pluribus Diana, quos refert, & sequitur Vidal. *titulo* de horis Canonicis *inquisitione* 3. *num.* 27. licet alii contrarium teneant. Ratio est, quia talis Religiosus fuit condemnatus per sententiam diffinitivam, ut vivat extra Religionem sine habitu, ergò Religio non potest cogi ad illum iterum recipiendum; patet consequentia, quia sicut judex datâ sententiâ diffinitivà contra reum, non potest cogi, ut revocet talem sententiam: ita neque Religio datâ sententia diffinitivà expulsionis, potest cogi, ut revocet illam. Tum, quia Prælati de jure communi non tenentur recipere infames, sed tales ejecti sunt infames, ut patet ex privilegio INNOCENTII IV. concesso Minoribus; ut cum Lugo, & Rodrig. notavit Vidal. *ubi supra n.* 32. ergò. Tum quia, ut ait Miranda *Tomo* 2. *quæst.* 7. *artic.* 7. nec ipsa Religio tales ejectos, licet emendatos, potest iterum recipere sine licentia Papæ. Et ratio est, quia tales Religiosi comparantur clericis actualiter degradatis, sed clerici degradati sine authoritate pontificia non possunt ab Episcopo iterum restitui, ut communiter tradunt DD. ergò idem dicendum est de Religiosis ejectis. Nec obstat decretum sacræ Congregationis de Ejectis ab URBANO VIII. nec etiam *cap.* ne religiosi *de regul.* in quibus præcipitur, ut Prælati annuatim fugitivos, & ejectos requirant, & ad Ordinem reducant, nam tam textus Gregorianus, quam decretum sacræ Congregationis loquuntur de Ejectis verbaliter, & ad tempus, sine spoliatione habitus, etsi aliud intendat, fuisse usu abrogatum; ita Vidal. *ubi supra num.* 35.

97 DICO XX. Secluso speciali jure Prior de jure communi potest approbare confessores respectu suorum Religiosorum; ita Suarez *Tom.* 4. *de Religione, tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 15 *num.* 4. Bordon. *Tom.* 1. *resol.* 4. *num.* 15. Pellizzarius *Tract.* 8. *cap.* 2. *numero* 30. Ratio est, quia Priores habent jurisdictionem quasi Episcopalem super suos subditos, etiam in foro externo, ergò nullum est inconveniens quod possint pro suis subditis confessores approbare. Hæc tamen approbatio non extenditur ultra suos subditos; Bordonus *ibidem num.* 14.
Dixi, *secluso speciali jure*, nam ex jure speciali vi- 98
deat quisque sua Statuta, apud nos namque hujusmodi approbatio, etiam pro Religiosis solùm potest fieri à Generali, vel Provinciali, ut patet ex 2. *parte nostrarum Constitutionum cap.* 6. *numero* 2.

Si tamen quæras, an Prior possit etiam præsen-
tare Religiosos Episcopis pro confessionibus sæ- 99
cularium, stando in jure communi, & seclusis specialibus Statutis? Respondeo in Religione Minorum, & Prædicatorum talem præsentationem de jure communi deberi fieri à Generali, vel à Provinciali, ut patet ex *Cap.* dudum *de sepulturis*, & tenet Bord. *Tomo* 1. *resol.* 36. *num.* 90. Portel 1. *Tom. casuum. casu* 29. *num.* 1. De aliis verò Regularibus nihil in jure communi invenio dispositum, nam Trident. *sess.* 23. *cap* 1. *de reformatione* agens de approbatione Confessorum regularium nihil specificat, vel requirit circa modum, quo Confessor regularis, ex parte sui Ordinis debeat præsentari Episcopo, pro confessionibus sæcularium audiendis. Unde circa hoc videnda sunt particularia Statuta, in nostra Congregatione hoc solùm spectat ad Generalem, vel Provincialem, ut patet ex 2. *p. nostrarum Constit. cap.* 6. *n.* 2.

DICO XXI. De jure communi deputare reli- 100
giosos ad prædicandum verbum Dei, pertinet non solùm ad Generales, & Provinciales, sed etiam ad Priores locales; ita Pellizzarius *Tract.* 8 *cap.* 4. *n.* 27. Ratio est, quia in Trid. *sess.* 5. *cap.* 2. *de reformatione* talis potestas committitur Superioribus Religionum, non exprimendo, an id committatur Superiori generali, aut Provinciali, aut locali, ergò ad quemlibet illorum indifferenter pertinet. Dixi, *de jure communi*, nam de jure speciali
videnda specialia Statuta, in nostra namque Reli- 101
gione ad hoc munus Religiosos deputare, pertinet ad solum Generalem, vel Provincialem, ut patet ex 2. *parte nostrarum Constitutionum cap.* 7. *num.* 1.

DICO XXII. De jure communi ad Priorem 102
pertinet Religiosos suos ad sacros Ordines promovere,

vere, ut patet ex *Cap.* nullus 1. *Cap.* si quis 2. *dist.*
58. & ex aliis textibus, quos latè refert Bord. *in de-*
cisionibus, decisione 1. *n.* 1. Quæ jura cùm sint anti-
quissima, & antequam fuissent Provinciales, lo-
quuntur de Prioribus localibus: ita Bord. *ubi sup. n.*
4. De jure tamen speciali ferè in omnibus Religio-
103 nibus hoc spectat ad Provinciales, & de N. Reli-
gione constat ex 3. *parte nostrarum Constitutionum*
cap. 9. *n.* 9.

104 An autem mortuo Provinciali, si antequam
provideatur de Superiore in ejus locum immineat
tempus Ordinationis, possit Prior mittere adhuc
hodie suos subditos ad Ordines? Affirmat Bord.
ibid. n. 5. & ita factum fuisse anno 1644. testatur;
reditio enim ad jus antiquum est multum favora-
bilis. Sed in N. Religione existimo hoc evenire
105 non posse, siquidem mortuo Provinciali primus
Definitor Capituli Provincialis, ex vi legis statim
in Provincia præsidet, quo usque à Definitorio
generali alius eligatur, ut patet ex 3. *part. nostrarum*
Constit. cap. 9. *n.* 7.

106 Dico XXIII. Stando in jure communi anti-
quo, & seclusis specialibus Statutis, poterant Prio-
res suis subditis concedere licentiam, ut possent
ad beneficia curata promoveri, extra suum Ordi-
nem; ita Palaus *Tract.* 13. *disp.* 1. *part.* 3. §. 1. *n.* 19.
Pelliz. *Tract.* 8. *cap.* 6. *n.* 240. & patet ex *Cap.* si Re-
107 ligiosus *in princ. de electione in* 6. Dixi, *stando in ju-*
re antiquo, nam secundùm jus novum in Trid. Re-
gulares non possunt promoveri ad beneficia curata
absque Pontificis dispensatione, ut ex declaratione
GREGORII XIII. & ex aliis pluribus DD. latè pro-
bat Palaus *ubi supra n.* 10.

108 An autem de licentia Prioris, vel saltem Gene-
ralis possint Regulares eligi ad beneficia simplicia
sæcularia? Respondeo negativè, nec jure quidem
antiquo, patet ex *Cap. cum & de beneficio de præben-*
dis in 6. & ex Cap. *Monachi de statu regulari*, & *Cap.*
super eo de Regularibus, & cum multis latè probat
supra n. 5. Nec etiam jure novo, nam Trid. nihil
circa hoc disposuit, sed jus antiquum reliquit in
suo robore, imò illud amplius restrinxit, etiam ad
beneficia curata, ut *supra* vidimus.

Excipe Religiosos Ordinum militarium, etiam
D. Joannis, nam hi sunt capaces, tam beneficii sim-
plicis, quàm curati, non solùm regularis, sed etiam
sæcularis; ita cum Sanch. Lezana, & aliis Pellizz.
Tract 8. *cap.* 6. *n.* 234. ubi plura de his videre po-
teris, si placeat.

109 Si tamen quæras, an Religiosi ad hoc, ut promo-
veantur ad Episcopatum, requiratur etiam licentia
sui Superioris? Respondeo Mendicantes non posse
assumi ad Episcopatum sine dispensatione Ponti-
ficis, ut patet ex Extravaganti *dispendiis de post Præ-*
lat. & tenet Sanch. *lib.* 7. *moral. cap.* 2. *n.* 33. Pelliz.
Tract. 8. *cap.* 3. Unde concessa Pontificis dispensa- 110
tione non indigent alia licentia, cùm ipse sit supre-
mus Religionum Prælatus; ita cum Sanc. Palaus
Tract. 13. *disp.* 1. *part.* 3. §. 1. *n.* 16. Religiosi verò 111
non mendicantes cùm possint promoveri ad Epi-
scopatum, etiam sine dispensatione Pontificis, pro-
ut docet Suar. *de Relig. Tom.* 4 *tract.* 8. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 1.
& cum aliis Palaus *ubi sup. n.* 7. indigent licentia 112
suorum Superiorum, sufficit tamen Prioris licentia
si aliud speciali jure non sit stabilitum: ita cum 113
Sanc. Palaus, & aliis Pelliz. *ubi supra n.* 139.

Dico XXIV. Prior potest sibi, & suis subditis
eligere sepulturam; ita Rodr g. Francus, Sanc. Le- 114
zana, & alii, quos refert, & sequitur Pasqualig.
Tom. 2. *decisione* 384. *n.* 2.

An autem Prior possit eligere sepulturam extra
Conventum sui Ordinis pro se, vel pro suo subdi- 115
to, si aliàs habeat Ecclesiam, ubi commodè sepeliri
possit? majus est dubium, affirmat Pasqualig. *ibid.*
n. 5. Sed contrarium omnino tenendum est; ita
Bord. *Tom.* 2. *res.* 51. *n.* 215. turpe enim est Reli-
gioso, & signum ingratitudinis nolle communica-
re mortuis, cum quibus dum in Religione viveret
Fratribus communicavit.

Dico XXV. Prior potest de jure communi no- 116
minare Conservatorem pro suo Conventu, & ad
hoc non indiget licentia Provincialis, nisi in ali-
qua Religione speciali jure postuletur; ita cum
Rodr. Portel *in dubiis regularibus* verbo *conserva-*
tores n. 1. Pelliz. *Tract.* 8. *n.* 86. ubi addit debere
adhibere consensum suæ Communitatis. Dixi, *de*
jure communi, nam in N. Religione nullus Præla- 117
tus inferior potest movere litem coram Conserva-
tore, nisi de licentia Provincialis, ut patet ex 3. *p.*
nostrarum Constit. cap. 14. *num.* 5.

Dico XXVI. Priores omnium Ordinum exce- 118
ptis minoribus de observantia, & Capucinis pos-
sunt præbere suis subditis licentiam acceptandi
munus executoris testamenti, nisi speciali jure
prohibeantur: Et ratio est, quia *Cap.* 2. *de testa-*
mentis in 6. & Clement. *unica, eodem tit.* solùm Su-
perioris licentiam postulant, sed Prior Conventus
est verè superior, ergò; ita communiter DD. quos
refert, & sequitur Sanch. *in Decalog. lib.* 6. *cap.* 11.
num. 15.

An autem ipse Prior possit secluso speciali jure 119
esse executor testamenti sine licentia Provincialis?
Respon-

Respondeo affirmativè, nam si ille hanc licentiam aliis concedere valet, multò magis poterit ea uti: ita Sanchez *ubi supra*; Bord. *in decisionibus, decisione* 20.

120 Dixi, *exceptis Minoribus, & Capucinis*, nam id eis prohibetur in *Clement.* Exivi *de verborum significat.* ut cum multis notat Bordonus *ubi supra*,
121 possunt tamen institui à Testatoribus nominatores Executorum suorum testamentorum, cum id eis nullo jure prohibeatur; ita cum Sanchez Ro-
122 drig. & aliis Bord *ubi supra decis.* 201. Dixi, *nisi id eis speciali jure prohibeatur*, nam Priores N. Religionis, nec etiam Provincialis, nec alius Religiosus possunt esse testamentarii, nisi de licentia patris nostri Generalis, sub pœna privationis officii, & vocis, & loci per sex menses, ut constat ex 3. *p. nostrarum Constit. c.* 12. *n.* 6.

123 Dico XXVII. Priores possunt in suo Conventu creare unum, vel plures notarios Religiosos pro intimandis mandatis, privilegiis, & indultis Apostolicis Ordini concessis, quibuscumque personis, sive Ecclesiasticis, sive sæcularibus, etiam Regibus: id concessit Pius V. Dominicanis; ita cum Peyrino, nostri Thomas à Jesu *Tractatu* 3. *de Visitat. Regul. capite* 2. Petrus ab Angelis 5. *part. Judic. Reg. capite* 13. & Lezana *Tomo* 1. *cap.* 18. *num.* 95. Imò addo non solùm pro inti-
124 mandis prædictis mandatis, privilegiis, *&c.* posse Priores creare notarios religiosos, sed etiam pro causis criminalibus suorum Religiosorum, quoties debent formare processus; cum enim causæ Religiosorum non possint tractari coram judice sæculari, nec processari sine notario, sequitur necessariò, quod in causa criminali gravi possint Priores creare notarios; ita Portel *in dubiis regularibus verbo notarius num.* 2.

125 Dico XXVIII. Si inciderit jejunium Ecclesiæ in die magnæ solemnitatis propriæ Ecclesiæ seu Religionis, potest Prior jejunium anticipare, & observare facere die præcedenti illud solemne festum; ita Bordonus *Tom.* 2. *resol.* 58. *n.* 16. Et ratio est, quia ut *supra* diximus, Episcopus id potest efficere, ut tenent Bonacina, Fagund. Navar. & alii, quos refert, & sequitur Pasqualig. *de jejunio decisione* 180. ergò idem poterit facere Prior in suo Conventu, cum Fratrum suorum consilio, ad imitationem Episcopi, cùm etiam habeat jurisdictionem quasi Episcopalem, licèt melius faciat, si ab hujusmodi facultate abstineret; ita Bord *suprac.*

126 Dico XXIX. Prior potest suorum Religiosorum missas applicare, & si præcepto eis imperet, ut juxta suam intentionem celebrent, non celebrantes, vel celebrantes cum alia intentione peccant 127
mortaliter; sacrificia tamen tenent pro illis, pro quibus sacerdotes applicarunt; ita Silvester, Henriq. Angel. Fagund. Villalobos, & alii quos refert, & sequitur Diana 2. *p. tract.* 14. *resol.* 72.

Imò si Prior acceperat stipendium pro talibus missis, vel Conventus eas tenebatur celebrare pro 128
eleemosynis acceptis, aut ratione alicujus capellæ, tunc non solùm peccant mortaliter, sed etiam tenentur ad restitutionem; nam cùm monasterium sit obligatum ad ea onera implenda, ipsi Religiosi sunt obligati, nam nomine monasterii certum est venire Religiosos pro eo tempore in illo degentes; ita cum Filliutio Pelliz. *Tract.* 5. *c.* 9. *n.* 6.

An autem Prior possit reducere ad minorem nu- 129
merum missas, quas coactus paupertate (quia alias non habebat unde Communitatem sustentaret) pro tenuiori eleemosyna accepit, quam sit taxata, reducendo illas ad taxam communem non obstanti decreto sacræ Congregationis de celebratione missarum? Affirmat Peyrin *de privilegiis Tom.* 3. *cap.* 1. *n.* 26. Vidal *titulo* de justitia *inquisitione* 2. *n.* 28. Et ratio est, nam postulans tales missas, cùm adeò exiguo stipendio, rem injustam postulat, ergò licet Prior, paupertate coactus, promiserit tot missas celebrare, non tenetur, sed potest injuriam sibi compensare, & se indemnem servare, sicut famulus, aut operarius, cui merces justa non tribuitur, potest damnum suum resarcire, quamvis à principio ob paupertatem coactus sit pacisci pro inæquali stipendio: & sicut ille, qui ob necessitatem cogitur emere triticum, aut alias merces injusto pretio, potest sine ulla injustitia alia via se indemnem servare, ut expressè docent Suar. Miranda, Tamburinus, Abb. & alii, quos refert, & sequitur Peyrin. *supra citat.*

Nec obstat prædictum decretum sacræ Congregationis, nam decretum est intelligendum de eo, qui liberè, non verò paupertate coactus, talia incongrua stipendia accepit; ita Peyrin. *ubi supra* & Vidal.

Et idem dicendum existimo de missis, quæ relictæ fuêre in aliqua Capella, nam si stipendium 130
missarum fortè augeatur decursu temporis, vel minuatur, potest Prior missas pro qualitate stipendii taxati reducere, non enim credendum est Testatores velle illas missas pro incongruo stipendio celebrari, & si hoc velint, vellent quid injustum, non est de hac eorum voluntate curandum; ita Vidal. *ubi supra num.* 23.

DICO XXX. Prior, & alii Prælati non ex-
131 communicati possunt licitè cum suis subditis, etiam novitiis excommunitatis non toleratis communicare in omnibus, etiam in divinis, divinum
132 officium cum illis privatim recitando: & è contra subditi etiam novitii, non excommunicati possunt eodem modo cum suis Prælatis excommunicatis non toleratis communicare, etiam in divinis; ita cum Avila, Soto, & aliis Peyrinis *de Prælato quæst.* 1. *capit.* 4. §. 4. *numer.* 83. Est enim Prælatus Pater spiritualis suorum subditorum, & ipsi habentur tanquam filii: Unde sicut filii possunt cum suo patre excommunicato non tolerato communicare, & è contra *&c* ut tenent commu-
133 niter DD; ita Religiosi cum suo Prælato, & è contra. Et idem dicendum est, de magistro novitiorum excommunicato non tolerato respectu novitiorum, & è contra: ita citati supra DD.

SECTIO IV.

De potestate coercitiva Prioris localis.

134 *Prior habet perfectam potestatem coercitivam quasi Episcopalem, moderatam tamen secundum Leges, & Statuta cujuslibet Ordinis.*

135 *Prior habet potestatem excommunicandi, suspendendi, & interdicendi singulos Religiosos sui Conventus, licet hoc non sit in usu.*

136 *Non potest ponere alicui novam irregularitatem.*

137 *Non potest suspendere, vel interdicere totum suum Capitulum.*

138 *Prior in ponendis censuris debet observare juris formam.*

139 *Si formam juris non servet, peccat mortaliter, censuræ tamen valent, secluso speciali jure, dummodo præcedat aliqua monitio.*

140 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

141 *Prælati publicè excommunicati, non possunt suos subditos excommunicare.*

142 *Si occultè tantum sint excommunicati, licet peccent subditos excommunicando, censuræ tamen sunt validæ.*

143 *Prior existens in suo Conventu, potest exercere hanc potestatem coercitivam contentiosam cum suo subdito, existenti in alieno Conventu, ibi eum excommunicando, & sub præceptis, & censuris obligando.*

144 *Episcopi non possunt exercere hanc potestatem coercitivam extra suum territorium, benè tamen Prælati regulares, & cur?*

145 *Prior potest punire suum subditum, qui deliquit in altera Provincia, cum ad suum Conventum redit.*

146 *Prior non solùm pœnis spiritualibus, sed corporalibus potest suos subditos punire, juxta consuetudinem Ordinis.*

147 *Potest suum subditum punire per manum alicujus laici, quando id per se, vel per alium Religiosum fieri non posset.*

148 *Prior Religiosum hospitem in suo Conventu delinquentem potest punire, si delinquat contra jus commune, vel totius Ordinis.*

149 *Secus si delinquat contra præceptum ipsius Prioris, vel leges municipales ipsius Conventus.*

150 *Excipe, nisi detur statutum quod statim hospes fiat subditus Prælati illius Conventus.*

151 *Si subditus in proprio Conventu incepit delictum, & in alieno illud consummavit, potest puniri, vel ab uno, vel ab alio Priore.*

152 *Si Religiosus in uno Conventu committat aliquod delictum, & postea mutet domicilium, potest puniri propter delictum commissum, in eo Conventu à Priore novi domicilii.*

153 *Prior potest apprehendere suos subditos apostatas, & fugitivos ubicumque existant, etiam extra territorium, & etiamsi detineantur ab Episcopis, invocato etiam ad hoc auxilio brachii sæcularis.*

154 *Prior tenetur suos Religiosos apostatas quærere, & reducere ad Conventum.*

155 *Prior huic obligationi satisfacit, si faciat diligentiam moralem statim ac constat religiosum apostatasse, & non tenetur singulis annis specialem inquisitionem facere, sed sufficit invigilare, & juxta occurrentes occasiones diligentiam moralem adhibere.*

156 *Etiamsi constet experimento Religiosum apostatam esse incorrigibilem, vel Religioni nocivum, adhuc tenetur Prior illum requirere.*

157 *Prior in casibus, in quibus ex consuetudine, vel statuto potest procedere contra suum subditum, non potest licitè impediri à Provinciali, quin procedat usque ad sententiam diffinitivam.*

158 *Provincialis non potest prædictam causam ad se advocare, nisi ob gravem, & justam causam, consuetudine, vel lege permissam.*

159 *Quid*

159 *Quid dicendum sit de jure nostro?*
160 *In quibus casibus possit de jure nostro formari processus?*
161 *In casibus, in quibus formatur processus de jure nostro, pertinet ad Priorem incipere processum, facere informationem, & à Reo accipere confessionem, si superior aliud non determinaverit, non tamen ultra progredi potest, sed tenetur processum informativum superiori remittere.*
162 *Si aliquis scandalosus casus evenerit, potest Prior de jure nostro statim de remedio opportuno providere, etiam carcerando delinquentem, & superiorem statim monere.*
163 *Prior potest ob alia crimina Religiosos subditos incarcerare, & quæ sint ista crimina?*
164 *Non debet esse facilis in incarcerando subditos.*
165 *Excepto casu formalis inobedientiæ, non debet Prior carcerare Religiosum, absque processu informativo.*
166 *Ad carcerandum non sufficit suspicio delicti, aut præsumptio, aut semiplena probatio præcedens.*
167 *Prælati debent advertere se Patres esse, & non dominos, & quomodo cum subditis se gerere debent?*
168 *Non debent sedulo inquirere quod reprehendere possint, sed sufficit vigilantia communis.*
169 *Prior tenetur inquirere in mores subditorum.*
170 *Non debet ponere vigiles seu custodes, ut si quid viderint correctione dignum, ei denuncient.*
171 *In puniendis subditorum defectibus, non debet esse nimis sollicitus ac zelotypus.*
172 *Interdum à superioribus dissimulanda sunt aliqua peccata leviora, ut postea correctio cedat in majus bonum spirituale subditorum.*
173 *De jure nostro non potest Prior in suo Conventu facere inquisitionem generalem præcepta, & censuras imponendo.*
174 *Quando Prior habet suspicionem nimis vehementem de parum honesta familiaritate, quam habet subditus, quando foras egreditur, potest ei prudentem fidelemque dare socium, qui ejus actiones observet, & referat ipsi superiori, ut eum fraternaliter corrigat, non tamen judicialiter.*
175 *Potest Prior ipsi socio vigilantiam commendare, dummodo ei non manifestet se aliquam de subdito habere suspicionem.*
176 *Si hoc non sufficiat, & non detur saltem unus testis oculatus, debet Prior ibi sistere, & orare pro illo, nec ad aliud genus inquisitionis procedere, sed potest illum sub conditione in secreto monere.*
177 *Non potest Prior à subdito auferre officium, etiam amovibile ad nutum, eo quod sit de aliquo delicto indiciatus, si subditus de tali delicto non fuit convictus, & ex ablatione officii subditi fama periclitetur, secus si ejus fama non periclitetur.*
178 *Si Priori aliquod delictum suorum subditorum, ut patri reveletur, non potest reum punire, nec eum juridicè interrogare, sed tantum monere, & terrere, ut cautius vivat.*
179 *Si se solo potest delinquentem à recidivivo præservare, non potest Provinciali, aut consultoribus, vel alteri delictum revelare sine peccato mortali.*
180 *Si ipse solus non potest subditum à recidivivo præservare, sed pro remedio indiget consilio, tunc licitum ei est Provinciali tantum, sub eodem secreto revelare, si defectus non fuerint gravissimi.*
181 *Quid si res sit gravissima, & dimissione è Religione digna?*
182 *Quid si agatur de promovendo aliquem ad prælaturam, officium, vel beneficium?*
183 *Priusquam Prior ad prædicta procedat, debet animum delatoris investigare, & quomodo cum delatore se debeat habere?*
184 *Ex unius dicto non concurrentibus aliis præsumptionibus, non debet Prior subditum à sua occupatione amovere, etiam sine nota, & infamia, sed eum eodem modo ac antea tractare, sed cautè.*
185 *Quid si delator sit persona insignis.*
186 *Quid si denunciatus sit persona vilis?*
187 *Si denunciatus sit persona insignis, per multos annos in sua Religione benè probatus, non est acceptanda contra eum denunciatio à quocumque fiat.*
188 *Si denunciatus non sit persona adeò insignis, & deferens sit persona fide digna, tunc Prior potest denunciatum secretò corrigere, & fraternaliter corripere coram duobus testibus.*
189 *Si subditus nullam admonitionem admittat in hoc casu, & delictum non est probabile in judicio, nec vergit in damnum Communitatis, Prælatus ibi sistere debet, & orare pro illo,*

 illum

illum in alterum Conventum mittendo, vel à munere amovendo, si hoc sine scandalo, vel periculo infamiæ fieri potest.

190 *Si delictum sit in damnum Communitatis, vel tertii, & correctio fraterna sit frustranea, potest Prælatus ad correctionem judicialem transire.*

191 *Delator in hoc casu tenetur judicialiter denuntiare, nisi timeat grave damnum.*

192 *Judex potest ipsum delatorem, ut testem interrogare hoc casu*

193 *Quæ delicta sint in damnum delinquentis?*

194 *Quæ in damnum tertii?*

195 *Quæ in damnum Communitatis?*

196 *Quomodo se debeat habere Prior, cum aliquæ literæ orbæ, contra aliquem Religiosum fuerint missæ.*

197 *Literæ orbæ nullam faciunt fidem in judicio contra denunciatum.*

198 *Quomodo se debeat habere Prior, quando accepit aliquas literas subscriptas ab authore, in quibus referuntur alicujus sui subditi delicta?*

199 *Quando ei aliquid contra suum subditum dicitur, vel scribitur, semper illud debet accipere in bonam partem, si aliquo modo potest, de remedio tamen semper providendo.*

200 *Si Prior audiat aliquem graviter detrahentem subdito suo, & ei nõ resistat, peccat mortaliter.*

201 *Si detrahens famam in hoc casu læso non restituat, Prior qui audivit detractionem, & non impedivit, in ejus defectum tenetur ad restitutionem.*

202 *Prior potest sine fractione sigilli punire suum subditum, qui non animo confitendi sua crimina, sed animo illi metum inferendi, ad eum accedit fictæ confessionis causa, & facto Crucis signo, quærimonias & injurias in eum jactat, minaturque ei mortem, & percussionem, nisi desistat ab eo persequendo.*

203 *Melius faciet Prior, si talem causam Provinciali remittat, ut puniat delinquentem.*

204 *Prior non potest punire suum subditum, approbatum ab Ordinario, audientem confessiones sæcularium tempore jubilæi, aut virtute Cruciatæ, contra suam voluntatem, vel Provincialis, aut etiam Generalis.*

205 *Prior non potest revocare licentias, vel dispensationes à se subditis gratis datas, sine justa causa.*

206 *Prior aut alius Prælatus non potest subditum impedire, ne utatur dispensatione, vel licentia, quam inscio Prælato impetravit à Sede Apostolica, si ad illa utendum sit idoneus.*

207 *Si impediat, incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ.*

208 *Prior non potest impedire licentiam, quam eo inscio subditus impetravit à Provinciali, etiam ad eum mortificandum.*

209 *Subditus non tenetur petere licentiam à suo Prælato ad recurrendum ad Sedem Apostolicam.*

210 *Prior, & alii Prælati possunt punire suos novitios, non solùm si delinquant contra Regulam, aut Ordinis Leges, sed etiam, si committant delicta capitali pœna digna.*

211 *Si delictum exigit quod Reus torqueatur, possunt Reum torquere, ac si esset professus, etiam per sæculares.*

212 *Novitius committens aliquod delictum, potest puniri à Prælato regulari, etsi à Religione velit exire.*

213 *Nullus Prælatus regularis potest punire subditum secundùm allegata, & probata, si ei constet scientia privata, esse innocentem, & hoc non solùm in causis gravissimis, sed etiam in minoribus.*

214 *Prælatus in hoc casu tenetur non solùm ex charitate, sed etiam ex justitia quærere medium ad ostendendam innocentiam subditi accusati.*

215 *Prior, aut alius Prælatus non potest punire suum subditum, quem scientia privata cognovit nocentem, si aliàs non dantur probationes legitimæ.*

216 *Si Prior inveniat multos ex suis subditis commisisse aliquod delictum, non debet omnes punire, sed sufficit, quod incipiat à principalioribus.*

DICO I. Prior in suo Conventu, ratione juris- 134
dictionis Ecclesiasticæ, habet perfectam po-
testatem coërcitivam quasi Episcopalem, modera-
tam tamen secundùm Leges, & Statuta cujuslibet
Religionis, ut patet ex usu, & privilegiis omnium
Religionum exemptarum; ita Suar. *Tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 9. num. 3. & cap. 2. nu. 10. & seqq.* & alii communiter apud Lez. *Tom. 1. c. 1. n. 2.*
Unde Priores habent potestatem excommunican- 135
di, suspendendi, & interdicendi singulos Religio-
sos sui Conventus, licet hoc non sit in usu; ita ex-
presse Suar. *ubi su. c. 9. n. 6.* & alii communiter DD. 136
apud Pelliz. *Tr. 9. c. 3 n. 55.* non tamen possunt ali-
cui imponere novam irregularitatem, quia hoc ne-
mini præterquam summo Pontifici conceditur.

Imò

137 Imò neque possunt suspendere, vel interdicere totum Capitulum, aut Conventum, quia non habent Capitulum à se ipsis condistinctum, & sibi subjectum. Undè cùm Prior sit caput ipsius Capituli, in nulla re potest ipsum Capitulum peccare, quod ipsi præcipuè non imputetur, ac proinde non potest ipse esse judex criminis commissi à tali Capitulo, ut Capitulum est, ergò nec potest illud punire per suspensionem, aut interdictum; ita Suar. *loc. cit. n.* 4. Pell 2. *n.* 55.

Eidem dicendum est de interdicto locali, nam cùm tale interdictum redundet in personas non subditas, non est eis data talis facultas, sicut nec Generali, vel Provinciali ut *supra* diximus

138 Adverte tamen, Prælatum in ponendis censuris debere observare juris formam scilicet, quod præcedat trina monitio ante excommunicationem, & quod fiat in scriptis, & si talem juris formam non servet, peccat mortaliter, censura tamen est valida,
139 secluso speciali jure Religionis, dummodo præcedat aliqua monitio: ita enim interpretata est consuetudo jus canonicum; Sotus, Suar. & noster sapientissimus Petrus Cornejo, quos refert, & sequitur
140 Lez. *To.* 1. *c.* 18. *n.* 22. Dixi, *secluso jure speciali*, nam in N. Religione, si censuræ non proferantur in scriptis, & in certa forma, non tenent, ut patet ex 1. *parte nostrarum Constit. c.* 5. *n.* 5.

141 Secundò adverte, Prælatos publicè excommunicatos, vel suspensos non posse suos subditos excommunicare, quia habent ligatam jurisdictionem; idem Cornejo *Tom.* 2. *in* 3. *partem*, *Tractatu* 5. *disp.* 2. *dub.* 4. si tamen talis defectus fuerit occultus, licet peccent mortaliter ferendo cen-
142 suras, ipsæ tamen valent; ita cum Bonac. Cornejo, & aliis Lezana *supra citat.*

143 SED QUÆRES, an Prior existens in suo Conventu possit exercere hanc jurisdictionem coërcitivam, & contentiosam extra illum cum subdito existente in alieno Conventu, ibi eum excommunicando; præceptis, & censuris, sive per Statutum, & ordinationem, sive per sententiam, in quovis loco ligando? negat cum Portel, & Sanch. Pellizzar. *Tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 11. & noster Joannes à SS. Sacramento in Priore Claustrali 1. *part. numero* 76. *& seqq.* Contraria tamen sententia probabilior est, hanc tenent Rodrig. Megal. Sair. Bonacina quos refert, & sequitur Bord. *Tom.* 2. *resol* 78. *n.* 53. Coninch. & alii, quos refert, & sequitur Delbene *Tom.* 2. *cap.* 12. *dub.* 1. *sect.* 1. *n.* 21. & nos jam *supra* diximus. Et ratio est, tum, quia Prior est Judex personarum simpliciter, & independenter à loco, ergò in quovis loco sui subditi peccaverint, puniri poterunt, & incurrent pœnas inflictas transgressoribus. Tum, quia Religiosi delinquentes, extra claustra adhuc puniri possunt à suis Prælatis, ergò & censuris ligari, antecedens est Trid. *sess.* 25. *capite* 14. ergò.

Nec obstat, quod Episcopi non possunt hanc 144
potestatem exercere extra suum territorium. Respondetur namque Religiosos non ratione loci esse subditos suorum Prælatorum, ut sunt fideles subditi Episcoporum, sed ratione sui sunt subditi suis Prælatis regularibus, sicuti uxor marito, & filii parentibus. Unde sicut pater potest ubique terrarum suum filium punire, ita Prælati regulares: jurisdictio enim Ecclesiastica ad ferendas censuras, data est eorum Prælatis regularibus à Pontifice juxta mensuram potestatis dominativæ quam habent. Hinc fit à fortiori posse Priorem suum subditum punire, qui deliquit in alio 145
Conventu, vel Provincia, cùm ad suum Conventum redit; ita in simili casu Portel *Tomo* 1. *casu* 19. *numero* 1.

DICO II. Prior non solùm potest punire suum 146
subditum pœnis spiritualibus, sed etiam corporalibus, illum per se ipsum, vel per alium Religiosum flagellando, carcerando, & alias pœnas corporales, cum moderatione tamen, & servato ordine justitiæ vindicativæ infligendo, juxta consuetum modum Religionis, sine incursu excommunicationis *si quis suadente*; ita cum Suar. Pelliz. *Tract.* 8. *c.* 6. *n.* 156. hoc enim necessarium est ad conservationem disciplinæ regularis.

An verò possit suum subditum etiam per ma- 147
num alicujus sæcularis punire? Majus est dubium. Respondeo tamen, posse in his, quæ commodè fieri non possunt per Religiosos, vel per seipsum, quod tamen rarò eveniet, non enim decet, quod hoc fiat per laicum, nisi quando aliter fieri non posset, & ita patet ex usu omnium Religionum; ita Suar. Palaus, quos refert, & sequitur Pellizzarius *ubi supra* n. 158.

SED QUÆRES, an Prior Religiosum hospitem in 148
suo Conventu delinquentem possit punire? Hæc quæstio in nostra Religione solùm habet locum in illo spatio 24. horarum ab adventu ipsius hospitis, nam transacto uno die naturali ab ejus adventu, fit statim subditus ipsius Prioris, & tenetur omnibus legibus, & præceptis, sicut alii Religiosi, ut patet ex 1. *parte nostrarum Constitut. capite* 11. *nu.* 6. Quæstio igitur est, an in illo tempore, quo hospites sunt, possint puniri à Prælato, si in suo

Conven-

Conventu delinquant? Respondeo affirmativè, si delinquant contra jus commune, sive proprium totius Ordinis, nam ratione delicti fiunt subditi illi Prælato, in cujus domo deliquerunt juxta
149 *Cap. 1. de rapt.* Secus si delinquant contra præcepta ipsius Prioris, vel leges municipales illius Conventus; non enim potest dici delinquere contra legem, qui non tenentur eam observare, atqui peregrinus non tenetur servare leges proprias loci, per quem transit, ut cum pluribus Layman *lib. 1. tract. 14. cap. 12. num. 4.* & alii multi, ergò: ita Pelliz. *Tract. 7. c. 1. n. 21.*

Excipe, nisi detur statutum, quod statim ho-
150 spes fiat subditus Prælati loci, per quem transit, ut datur in Societate, & in nostra Religione transacto uno die naturali post ejus adventum.

151 Sed quid si Religiosus in proprio territorio inchoavit delictum, & in alio Conventu consummavit, à quonam Priore erit puniendus? an à proprio, vel ab alio, in cujus Conventu consummavit delictum? Respondeo posse, vel ab uno, vel ab alio puniri, ut cum communi sententia tenet Pellizzarius *ubi supra num. 23.* quia ex una parte ratione delicti inchoati factus est subditus illi Prælato, in cujus domo incepit delinquere: ex alia verò parte ipse absolutè erat subditus alterius: & dato quod non esset nisi Prioris, ratione consummationis delicti factus est etiam illi subditus. Unde puniendus est à primo occupante.

152 Sed quid, si Religiosus deliquit in uno monasterio, ibique nullo modo fuit punitus, si postea mutet domicilium, poteritne puniri à Priore monasterii, in quo de novo incipit habitare? Respondeo affirmativè, nam judex novi domicilii potest cognoscere de delictis suorum subditorum, etiam alibi commissis, quia alias delicta religiosorum manerent impunita, cum facile commisso crimine possent mutare domicilium; ita in simili casu Portel *de dubiis regularibus* verbo *præscribere n. 3.* Pellizzarius *ibidem n. 25.*

Dico III. Prior potest comprehendere suos
153 subditos apostatas, & fugitivos, ubicumque existant, etiam extra territorium, etiamsi detineantur ab Episcopis, ut patet ex constitutione Pii V. quam refert Lezana *Tomo 1. cap. 16. n. 16.* & ex aliis privilegiis, quæ refert Rodrig. *Tom. 1. quæst. 3. artic. 6.* invocato etiam ad hoc auxilio brachii sæcularis: & judices sæculares tale auxilium præbere tenentur, & ad hoc cogi possunt per judices Conservatores, ut notant Peyr. *Tom. 1. privileg. ad Constitut. 1.* Julii II. *n. 97.*

Imò Priores tenentur suos Religiosos apostatas, & fugitivos inquirere, & cogere, ut redeant 154
ad Religionem, ut patet ex *Cap. fin. de Regularibus*, tum ex declaratione sacræ Congregationis, quam refert Pellizzarius *Tractatu* 8. Satisfacient 155
tamen huic obligationi, si faciant diligentiam moralem, statim ac constat aliquem Religiosum apostatasse, aut fugisse, quod si tunc capi non potest, non tenentur singulis annis specialem inquisitionem facere, sed sufficit invigilare, & juxta occurrentes occasiones prudenti arbitrio diligentiam moralem adhibere: ita Suar. *Tom. 4. de Relig. tract. 8. cap. 3. num. 17.* addens, quod si experimen- 156
to constet Religiosum apostatam esse incorrigibilem, aut perniciosum Religioni, Prælatos excusari ab onere inquirendi illum, quem si non sponte abiisset, potuisset demittere: sed hæc assertio Suarii non mihi placet, daretur namque magna licentia apostatis: Unde semper requirendi sunt, ut benè advertit Pellizzarius *loc. cit. n. 57.*

Dico IV. Prior in casibus, in quibus, ex con- 157
suetudine, vel Statuto potest procedere contra suum subditum, non potest licitè impediri à Provinciali, quin procedat contra illum usque ad sententiam diffinitivam, vel interlocutoriam, habentem vim diffinitivæ, cujus gravamen per appellationem reparari non possit. Nec prædictam 158
causam potest ad se advocare, nisi ob gravem, & justam causam, consuetudine, vel lege permissam; ita Portel *in dubiis regularibus in additionibus verbo* Prælati potestas *num.* 8. Ratio est, quia repugnat recto regimini, ut Superioris officio se ingerat, & hinc oriuntur plures perturbationes, inimicitiæ, &c. Præterea in Trid. *sess. 24 capite 2. de reformatione* præcipitur, quod causæ modo dicto omnes in prima instantia terminentur coram ordinariis, ergò cum Prior habeat in suo Conventu jurisdictionem ordinariam quasi Episcopalem, & possit causas suæ jurisdictioni subjectas terminare, non potest Provincialis, vel Generalis prohibere, quin Prior in prima instantia præfatas causas solvat.

Adverte tamen, dicta procedere in illis Reli- 159
gionibus, in quibus Priores possunt formare processus contra subditos usque ad sententiam diffinitivam, nam in nostra Religione cum processus non possit formari, nisi in causa culpæ gravissimæ, vel gravioris, vel ad deponendum aliquem ab of- 160
ficio in quod fuit canonicè electus, vel ad privandum aliquem voce activa, & passiva per sex menses, quando hæc pœna in Constitutionibus non assigna-

assignatur, & crimen est notorium, ut patet ex 3.
161 *parte, N. Constitut. cap. 10. num. 8.* aut alias puni-
tio harum culparum reservetur Prælato superio-
ri: Prior solùm potest, quando talis casus in suo
Conventu evenerit, incipere processum, & face-
re informationem, & a reo accipere confessio-
nem, non potest tamen ulterius progredi, sed
omnia debet sic disposita mittere Superiori, cui ex
lege competit, ut patet ex antiquo stylo Religio-
nis, in illis tamen casibus, qui non excedunt su-
162 am jurisdictionem, vel qui cum scandalo Reli-
giosorum, vel sæcularium committuntur, pote-
rit Prior, si opus fuerit, aliquo opportuno, & ce-
leri remedio occurrere, illudque adhibere, tam in
suo Conventu, quàm in suo districtu, statimque
certiores facere Superiores, ad quos talis causa
spectat, ut patet ex 3. *parte nostrarum Constitutio-
num cap. 14. num. 2.* Unde poterit in his casibus
etiam delinquentes carcerare, si opus fuerit, ne fu-
giant, ut patet ex 4. *parte nostrarum Constitutio-
num cap. 3. num. 3.*

163 An autem Prior possit etiam ob aliqua crimina
incarcerare Religiosos? Respondeo affirmativè,
ut patet ex *loc. cit. nostrarum Constitutionum*, & te-
nent communiter DD. apud Bord. *Tomo 2. reso-
lut. 58. numero 33.* Unde si subditus in facie Præla-
ti renuat ejus præcepto formali obedire, statim e-
um in carcerem conjicere potest, & Superiorem
de crimine monere, ut patet ex 4. *parte nostrarum
Constitutionum cap. 4. num. 1. §. 2.* nam licet pœ-
164 na carceris non possit dari, nisi post sententiam, ut
probat Bordonus *ubi supra numero 37.* Pellizzari-
us *Tract. 9. cap. 3. n. 71.* hoc tamen non militat,
quando subditus formaliter resistit in faciem Præ-
lato, ei nolendo obedire; Bord. *ibidem.* non de-
bent tamen Prælati in hac re esse nimis faciles,
165 cùm captura sit gravissima pœna, & non debet
fieri, prædicto casu excepto, absque processu sal-
tem informativo; ita cum Suar. Lugo, Rodrig.
Bossio, Gom. & aliis Pelliz. *loc. cit. n. 71.* Unde ad
166 incarcerandum non sufficit sola suspicio delicti,
aut præsumptio, aut semiplena probatio præce-
dens, ut benè *ibidem* notavit Pellizz.

167 ADVERTANT igitur Priores, se Patres esse suo-
rum subditorum non dominos, & ideò tanquam
patres dilectis filiis salutarem adhibeant castiga-
168 tionem. Unde non debent sedulò inquirere, quod
reprehendant, hæc enim inquisitio generat scan-
dala, & odiis occasionem præbet, & injuriam
præbet proximo, adversatur enim honori, & exi-
stimationi, quam de se habere omnes cupiunt, suf-
ficit igitur vigilantia communis; ita Lezana, Cor-
duba, Soto, Sanch. quos refert, & sequitur Gira-
gus *parte 3. dub. 13. num. 100.* Et licet Prælatus 169
teneatur corrigere, non solùm peccata, quæ vidit
committi à propriis subditis, aut aliunde cogno-
scit, sed etiam inquirere in mores subditorum, ut
videat num committant aliqua digna correctio-
ne; ut ait D. Thom. 2. 2. *quæst. 33. art. 2. ad 4.* &
alii, cavendum tamen illi maximè est, ne regulas
prudentiæ excedat.

Unde pro tuenda regulari disciplina nullo mo- 170
do vigiles seu custodes imponat, ut actiones suo-
rum subditorum explorent, ut si quid videant
correctione dignum, ei denuntient, ut eos etiam
fraternaliter corrigat, inde enim magna odia, &
dissensiones inter vigiles, & subditos possunt ori-
ri, non debet igitur esse in inquirendis suorum sub-
ditorum defectibus nimis solicitus; ut advertit D.
Benedictus *in regula 164.* ubi loquens de Abbate
ait: (*non sit turbulentus, aut anxius, non sit nimius,* 171
non sit zelotypus, & nimis suspiciosus) sic enim mo-
lestum ac odibilem se redderet subditis, nec pro-
pterea intentum finem consequeretur, cùm potius 172
prudentia, & charitas dictent, interdum à Supe-
rioribus dissimulanda esse aliqua peccata leviora,
ut postea correctio cedat in majus bonum spiri-
tuale subditi correcti. Unde in *nostris Constit. c. 32.
par. 3. num. 10.* prohibetur Prioribus, ne in suo 173
Conventu inquisitionem generalem faciant, præ-
cepta, vel censuras imponendò.

SED QUÆRES, quid debeat facere Prior, quando 174
habet suspicionem nimis vehementem de parum
honesta familiaritate, quam habet subditus, quan-
do extra Conventum progreditur? Respondeo
posse ei dare socium fidelem ac discretum, qui ejus
actiones observet, & referat ipsi Superiori, ut eum
fraternaliter non tamen judicialiter corrigat; ita
Bannes, Torres, Palaus, quos refert, & sequitur
Giragus *parte 3. dubio 7. numero 72.* hoc enim
medium sufficiens est ad remedium illius sub-
diti.

Imò poterit Prior ipsi socio vigilantiam com-
mendare, dummodo ei non manifestet, se aliquam 175
de subdito habere suspicionem: ut benè cum Pa-
lao advertit, Giragus *ubi supra num. 73.* quod si
nec hoc sufficiat, nec detur alia probatio, saltem u-
nius testis oculati, debet Prior sistere, & orare pro 176
illo, neque aliud ad genus inquisitionis procede-
re, sed potest illum sub conditione monere, ut si
fortè tale crimen commisit, emendet: ita Pasqual.
Tom. 2. decis. 461. n. 78. & 9.

177 An autem Prior possit auferre à subdito ministerium quod habet, eo quod apud ipsum sit indiciatus de aliquo delicto? negat Pasqualig. *Tomo 2. & loc. cit.* & hoc etiamsi distributio illius officii dependeat à voluntate Prælati, si aliàs subditus de tali delicto non fuit convictus: nam licet Prior absolutè posset auferre ab illo illam occupationem v. g. munus janitoris, aut sacristæ, si janitor, vel sacrista foret, concurrente tamen tali circumstantia, quod fuerit inquisitus, vel suspectus, magnum gravamen inferret subdito, quia videretur intuitu delicti auferri, atque adeò esset confirmatio quædam delicti, quæ injusta est, dum de illo non constat. Hæc tamen doctrina Pasqualig. debet intelligi, quando ex tali amotione subditi fama periclitatur; ita Rodr. Peyrinis, Torres, quos refert, & sequitur Giragus *parte 3. dubio 6. num. 66.* unusquisque enim tenetur bonam famam proximi non lædere, quando tamen ex tali amotione ejus fama non periclitatur, potest eam Prior à tali munere amovere, in hoc tamen maximâ prudentiâ debet procedere; ita Torres, Palaus, quos refert, & sequitur Girag. *ubi supra n. 67.*

178 Advertere etiam debet Prior, quod si ei aliquod delictum suorum subditorum, ut patri reveletur, non posse reum punire, nec juridicè interrogare, sed tantum monere, ut cautius vivat; ita cum Angel. Peyrin. *de subdito quæst. 1. cap. 16. dicto 2.* Vers. *notandum est etiam.*

179 Imò si se solo potest delinquentem à reincidentia præservare, non potest, nec Provinciali, vel Consultoribus revelare sine peccato mortali, nam illa revelatio nullum finem bonum habere potest, cum subditus absque illa sit emendandus; ita cum Palao Girag. *parte 3. dubio 6. numero 68.*

180 Si tamen ipse solus non potest subditum à reincidentia præservare, sed pro remedio indiget consilio aliquo, tunc licitum ei est Provinciali tantum, vel alicui ex ejus Consiliariis, non verò pluribus, sub eodem secreto revelare, quia unius prudentis viri consilium sufficit. Dixi, *in rebus ordinariis*, nam si res sit gravissima, & dimissione à Religione digna, tunc poterit hoc etiam, ut patri omnibus Consiliariis revelare, ut ipsi de occulto, & opportuno remedio provideant; ita & benè probat Girag. *p. 3. dubio 47. n. 282.* Vel nisi agatur de promovendo quopriam ad aliquam Prælaturam, officium, vel benefi-

181 cium, nam tunc licitum est Prælato ejus vitia manifestare Electoribus, imponendo eis secretum; ita Less. *de justitia lib. 2. capite 11. dub. 9.* Lugo *de iust.*

182 *disp. 14. sect. 7. num. 118.* bonum enim commune particulari præferendum est, quod si alia via obviari posset damno communi, non est crimen occultum patribus electoribus revelandum, vel si jam est emendatum; ita Ledesma, Aragon. quos refert, & sequitur Girag. *parte 3. dubio 47. numero 284.*

Secundo adverte, quod priusquam Prior ad 183 prædicta accedat, debet animum delatoris investigare, ne fortè invidia odioque motus falsum crimen innocenti imponat, & si delator ei non revelet crimen tanquam patri, ut paternaliter corrigat, sed deferat tanquam judici, ut judicialiter puniat, tenetur Prior ab eo inquirere, an præmiserit correctionem fraternam, etsi deferens sit persona insignis, & si non præmisit, tenetur præcipere denuncianti, ut indebitè omissa, charitativè adhibeat, ut minus lædatur, & confundatur subditus; ita cum Spartario, Rodriguez, Basseus *verbo* denunciatio *numero 3.* Quod si denunciator dicat se jam adhibuisse correctionem fraternam, & non profecisse, non debet Prior esse facilis ad credendum, nec ob unius di- 184 ctum, non concordantibus aliis præsumptionibus, subditum, etiam secluso periculo notæ, & infamiæ, à sua occupatione amovere, sed eodem modo ac antea tractare, nisi aliàs delator sit persona, 185 insignis de cujus veritate minimè esset dubitandum, ut benè cum Suar. & Palao advertit Girag. *3. p. dub. 6. num. 77.*

Hæc tamen doctrina limitanda est, si denun- 186 ciatus non sit etiam persona insignis, nam si denunciatus esset vir eminens vita, & moribus, per plurimos annos in sua Religione probatus, nequaquam acceptanda esset contra eum denunciatio à quocumque fieret, vel pari, vel etiam ma- 187 gis eminenti; nam sæpe Angelus tenebrarum in Angelum lucis se transformat, & viri, alias piissimi, aliquando passione aliqua perciti præcipites se dant, in proximi præsertim eminentis depressionem, ut benè advertit Basseus *verbo* correctio *n. 3.* si tamen denunciatus non sit persona adeò insignis, & deferens sit persona fide digna, tunc 188 Prior poterit fraternaliter subditum denunciatum secretò corripere, vel coram duobus, vel tribus testibus, si id judicaverit expediens ad eum confundendum, vel minis eum terrere, vel illi sub excommunicatione præcipere, ne talem locum suspectum adeat, neve cum tali persona loquatur, ut benè cum Palao, & Suario advertit Girag. *part. 3. dub. 7. n. 24.*

Quod si subditus nullam admonitionem ad- 189 mittat,

mittat, & delictum non sit notorium, nec proba-
bile in judicio, nec vergat in damnum Communi-
tatis, Prælatus sistere debet, & orare pro illo,
occasiones vitando, & super illum invigilando,
vel illum in alium Conventum mittendo, vel
à munere amovendo, si hæc sine scandulo, vel
periculo infamiæ fieri possunt, quia nequit Præ-
latus ob delictum occultum subditum infamare;
190 ita Girag. *parte 3. dub. 7. num. 7.* cum Suar. & Lu-
go *de justitia disputat. 14. sect. 7. num. 117.* Dixi,
nisi delictum vergat in damnum Communitatis:
nam si vergat in damnum commune, vel tertii,
& frustra fraterna correctio adhibita fuit, quia
subditus obstinatus delictum negat, & emenda-
tionem non promittit, poterit Prælatus ad judicia-
lem correctionem transire, quia bonum commu-
192 ne, & tertii innocentis particulari nocentis præfe-
rendum est: quare delator producere debet dela-
tionem (nisi ob grave periculum imminens excuse-
tur) & judex eum acceptare, ipsumque delatorem,
tanquam testem examinare, qui veritatem tenetur
193 fateri; videatur Suarez *Tom. 4. de relig lib. 10. c. 12.*
n. 44. Girag. *parte 3. dub. 7. n. 71.*

194 Si autem inquiras, quæ delicta sint in dam-
num Communitatis, quæ in damnum tertii,
vel delinquentis? Respondeo delicta in dam-
num delinquentis esse v. g. fornicationem, Sodo-
miam ebrietatem, & similia: in damnum tertii
esse v. g adulterium, homicidium, furtum, detra-
195 ctionem: In damnum verò Communitatis esse v.
g. in temporalibus proditionem, institutionem
falsæ monetæ, subornationem ad officia, quatenus
indignus præfertur digno, & dignus digniori: in
spiritualibus, v. g falsam doctrinam, qua fides, vel
mores corrumpuntur; ita ferè omnes DD. ut ait
Palaus *de charitate disputat. 3. puncto 13. nume-
ro 2.* Unde non sunt audiendi, qui dicunt forni-
cationem, Sodomiam, ebrietatem, & similia esse
in damnum Communitatis: nam licet hæc pecca-
ta aliquo modo, & indirectè lædant Communi-
tatem, hoc non est sufficiens, ut talia peccata cen-
seantur esse in damnum Communitatis, ut tan-
quam de proditione, vel hæresi sit de illis judi-
candum; nam hoc modo nullum est peccatum,
quod in damnum commune non vergat, cùm fe-
rè nullum sit, quo non læditur aliqua Communi-
tas, in qua peccans vivit, ut benè cum aliis nota-
vit Palaus *Tract. 6. disputat. 3. parte 13. num. 2.* Gi-
ragus *parte 3. dubit. 47. numero 279. & dub. 37.
num. 228.*

196 Sed quæres, quomodo se debeat habere Prior,
cùm aliquæ literæ orbæ, id est, sine authore, vel
ficto nomine, contra aliquem suum subditum
fuêre missæ, etiamsi in talibus literis notati
sint aliqui Testes de delicto? Respondeo Præ-
latum non solùm non posse procedere judiciali-
ter, contra talem subditum accusatum, sed ne-
que tanquam pater eum in secretò monere, ut si
vera sunt, quæ sibi fuêre scripta abstineat, sed
omnino debet tales litteras tradere igni, & nul-
lam fidem eis adhibere; ita noster Thomas à Je-
su, Mansus, Miranda Rodriguez, & alii, quos re-
fert, & sequitur Peyrin. *in formulario littera P. ca-* 197
pite 17. tales enim litteræ nullum faciunt indici-
um contra denuntiatum; ut habetur in *Cap. in-
quisitionis, §. tertiæ dubitationis.* imò quilibet pro-
cessus fabricatus super hujusmodi litteris, est ipso
jure nullus, ut habetur in *d. cap.* ut tenet cum Sal-
zedo, & Ghisil. Peyrin. *ibidem.* Videantur cir-
ca hoc & prædicta omnia Thomas à Jesu,
in suo opere *de Visitat. Regularium. Tractatu 1.*
& Petrus ab Angelis *1. parte Judicis Regular.* va-
riis in locis & capitibus, qui enucleatius de his
disserunt.

Si tamen Priori aliqua persona scribat, illi re-
ferens crimen sui subditi, & ejus nomen sit no- 198
tum, & non fictum, tunc debet ab illa inquire-
re, an dictas litteras scripserit, quod si invenerit
verè ipsas scripsisse, tunc procedat, ut de jure,
habent enim se hæ literæ loco denuntiationis,
ut cum Josepho à sancta Maria, notavit Peyrin.
ibidem numero 20. Unde si non sint aliæ proba-
tiones, debet se habere Prælatus modo *supra* di-
cto, illam tamen doctrinam D. Thomæ *2. 2. quæ-
stione 6. articulo 4. ad 3.* semper præ oculis haben- 199
do, scilicet, quod quando ei aliquod crimen sui
subditi dicitur, vel scribitur, semper illud
sumat in bonam partem omninò credendo esse
mendacium (quia aliàs faceret injuriam suo
proximo (excusando subditum suum, vel ne-
gando delictum, vel interpretando in bonam par-
tem, si aliquo modo potest, per hoc tamen non
tollitur, quod de remedio opportuno provideat,
dummodo famæ proximi non noceat; ita Peyrin.
ubi supra n. 21.

Imò addo, quod si Prior audiat aliquem detra- 200
hentem graviter subdito suo, & ei non resistat
peccare mortaliter; ita D. Thom. *2. 2. quæstione
74. artic. 4. in corp.* Aragon. Sot. Salas, Mo-
lina, Valentia, Navarrus, Naldus & alii quos re-
fert, & sequitur Peyrin. *de Prælato quæstione 1. ca-
pite* §. 11. *num*, 107. & ratio est, quia non obstat

damno famæ proximi ad quod tenetur ex officio.
201 Unde si detrahens famam detracto non restituat, tenebitur ipse Prælatus in ejus defectu restituere; ita omnes DD. citati cum Peyrino *ubi supra*, & si subditus læsus ab ipso Priore postulet, ut compellat detrahentem ei famam suam restituere, tenetur Prior sub mortali eum compellere ad famæ restitutionem; ita cum Molina, & Lessio, Peyrin. *ibidem numero* 108. Tum, quia Superior tenetur ex officio justitiam administrare subditis: Tum, quia tenetur compellere furem, ut restituat, ergò multò magis famam, cùm deteriores sint, qui famam nostram, quam qui bona nostra tollunt *Cap. deteriores* 6. *quæst.* 1. quod si non faciat, tenetur ipse restituere; ita cum Lessio, & Mol. Peyrin. *ibidem*.

Sed quæres, an Prior possit punire suum sub-
202 ditum, qui non animo confitendi sua crimina, sed animo illi metum inferendi ad eum accedit, fictæ confessionis causa, & cum ante illum est, facto signo Crucis quærimonias, & injurias in ipsum jactat, minaturque ei mortem, & percussionem, dicendo, nisi à me persequendo absistas, juro te à me occidendum? Respondeo posse Prælatum in hoc casu absque periculo frangendi sigillum hoc factum propalare, & ea notitia uti in foro externo, ad dictum subditum puniendum, eo ipso modo quo posset illum punire, si extra illum actum fictæ confessionis dicta verba in eum effudisset; hæc enim confessio non est, sed sacrilega inventio; ita Graffius 1 *parte, decis. cap.* 23. *numero* 18. Fagund. *in secund. præcepto Ecclesiæ lib.* 6. *capit.* 4. *num.* 22. Peyrin. *de Prælato quæst.* 2. *cap.* 3. §. 11. *num.* 106. melius tamen faciet Prior, si ta-
203 lem causam Provinciali remittat, ut puniat delinquentem: sic enim vitabit murmurationes, & occasionem vindictæ, quam amor sui posset incutere.

204 Dico V. Prior non potest licitè, & justè punire suum subditum, approbatum ab Ordinario, audientem confessiones sæcularium tempore jubilei, vel virtute Bullæ Cruciatæ, contra suam voluntatem; ita cum Sanctio *in selectis* Diana, & alis Vidal *titulo* de pœnitentia *inquisitione* 6. *numero* 72. Ratio est, quia pœna datur propter culpam, sed subditus nullam culpam commisit excipiendo tales confessiones, contra voluntatem sui Superioris, vel Provincialis, aut etiam Generalis, siquidem ex delegatione Papæ, qui est supremus omnium Regularium Prælatus, eas audivit, ergò nullo modo commisit culpam contra obedientiam suo Prælato debitam, ergò neque ulla potest puniri pœna.

Dico VI. Prior non potest revocare licentias, 205
vel dispensationes à se subditis gratis concessas sine justa causa; ita communiter DD. quos refert, & sequitur Vidal *titulo* de censuris *inquisit.* 2. *numero* 31. Ratio est, tum, quia neque summus Pontifex licitè hoc efficere potest, siquidem verbum Principis debet esse ex se validum, & firmum. Tum, quia cum ex justa causa, ut supponitur, talis dispensatio, vel licentia fuerit concessa, neque res sit mutata, abutitur Prælatus potestate, dum absque causa revocet dispensationem, vel licentiam concessam, ergò nullo modo poterit tales facultates revocare.

An autem Prior, vel alius Prælatus possit suum 206
subditum impedire, ne utatur dispensatione, vel licentia, quam inscio Prælato impetravit à Sede Apostolica, si aliàs ad illa utendum sit idoneus, ut supponimus? Respondeo negativè, & si impediat, incurrit Excommunicationem Bullæ Cœ- 207
næ, tanquam impedientem executionem literarum Apostolicarum; ita & benè Vidal *titulo* de censuris *inquisitione* 2. *num.* 7. Ratio est, quia authoritativè impedientes executionem literarum Apostolicarum incurrunt censuras Bullæ Cœnæ, ut patet ex *Canone* 13. & 14. illius, sed Prælatus authoritativè impedit executionem hanc literarum, ob eam solùm rationem, quia absque ejus licentia fuêre impetratæ, ergò.

Dices Prælatum regularem impediendo licentiam, vel dispensationem subdito non intendere impedire executionem literarum Apostolicarum, sed tantum subditum mortificare, quia eo inscio illam impetravit. Sed contra, quia Prior non potest impedire subditi licentiam, quam eo inscio à Provinciali impetravit, ad eum mortificandum: ergò neque licentiam à Papa concessam.

Confirmatur, tum, quia subditus non teneba- 208
tur petere licentiam à suo Prælato ad recurrendum ad Sedem Apostolicam, cùm sit prælatus superior, ergò talis licentia erat superflua, ergò propter de- 209
fectum illius non potest subditus impediri. Tum, quia Prælatus regularis nihil juris, & jurisdictionis habet super talem dispensationem, ergò non erat opus ejus licentia, ergò quia eo inscio illam impetravit, non potest impediri, ac per consequens, qui illam impedit, impedit executionem literarum Apostolicarum.

Dico VII. Prior sive Provincialis, vel Gene- 210
ralis possunt punire suos novitios, non solùm si delin-

delinquant contra Regulam, aut Statutum Religionis, sed etiam, si committant alia delicta, capitali pœna digna, v. g. homicidium, si velint ma-
211 nere in Religione; ita cum Sanch. & aliis Peyrin. *de Prælato quæst. 3. cap. 1. §. 7. num. 192.* Et si delictum exigit quod reus torqueatur, potest torqueri ac si esset professus, etiam per sæculares, ut docet Suar. *de censuris disput. 22. sect. 1. num. 44.* Co-
212 ninch. *de censuris, disput. 14. num. 191.* & alii contra Peyrinum *loco citato*, quod si novitius committeret aliquod delictum, quod mortem mereretur v. g. furtum, adulterium, *&c.* posset puniri à Prælato regulari, etiamsi vellet egredi è Religione, talia enim delicta minus sufficienter puniuntur per solum habitus dimissionem à Religione; & multum interest Religioni, quod delicta non maneant impunita.

Nec obstat, quod sic videatur impediri libertas novitii ad exeundum, contra *Cap* statuimus, *& cap.* non solùm *de regulis*, siquidem hi textus non loquuntur in casu, quo novitius ratione delicti fiat subditus Prælato regulari juxta *legem 1. Cod. ubi de crimine agi oportet*: ita Pellizzarius *Tract. 7. c. 1. num. 12.*

213 Dico VIII. Nullus Prælatus regularis, sive inferior, sive superior potest punire Religiosum subditum juxta allegata legitimè probatum no-
214 centem, si ipse ex scientia privata sciat ipsum esse innocentem, & hoc non solùm in causis gravissimis, sed neque in minoribus, imò tenetur non solùm ex charitate, sed etiam ex justitia ratione officii adhibere media opportuna ad manifestandam illius innocentiam, eumque liberare, & hoc etiam ad superiorem Prælatum recurrendo, qui valeat cognitâ Rei innocentiâ, eum ex suprema sui potestate liberare; ita cum aliis à se consultis tenet Pellizzarius *loc. cit. n. 14.* & N. Urbanus ab Ascensione in sua Theologia morali ac Canonica *Tract. 3. cap. 10.* & à fortiori debent tenere Less. Navar. Silv. & alii, quos refert, & sequitur Diana *parte 5. tractatu 4. resolut. 22.* qui, ut probabile sustinent, nec judicem sæcularem posse in tali casu Reum punire, quanto magis Prælatos regulares, qui in causis suorum subditorum apices juris non tenentur servare, sed inspecta veritate judicare. Contrariam tamen sententiam acriter tuetur Petrus ab Angelis in Judice Regulari 1. *part. cap. 25.* & pro illa, præter complures exteros è nostris producit Joannem de Bachone in 2. *dist. 40 q. unica art 2.* & Gerardum de Bononia, atque è recentioribus Philipp. à SS. Trinit. *Tom 3. curs. Theolog. Tract. 2. disp. 8. qu. 67.* Francisc Bonæ-spei *Tom. 5. Tract. 1. disp. 4. dub. 1.* & Stephanum à S. Paulo *Tract 4. Theolog. moral. disp. 10. dub. 1.* quid verò Prælatus in tali casu ad liberandum Reum, seu potius innocentem, facere possit, aut debeat, tradunt fusiùs, enucleatiùsque præfati Joan. de Bachone *loco cit. art. 1.* & Philip. *loc. cit. dub. 2. ad art. 2.*

Dico IX. Prior, aut alius Prælatus non po- 215
test punire suum subditum, quem scientia privata cognovit nocentem, si aliàs non dentur probationes legitimæ, & Reus citetur, & audiatur, nam hæc omnia sunt de jure naturali, poterit tamen illum punire non servatis juris apicibus, ut *supra* diximus; ita Peyrin. *in formulario lit. P. capite 16. num. 2.*

Sed quæres, an si Prior inveniat multos ex suis 216
subditis commisisse aliquem excessum debeat punire omnes, an possit aliquos punire aliis relictis? Respondeo non debere omnes punire, sed sufficere, ut incipiat à principalioribus, nimirum ab illis, qui ex circumstantiis concurrentibus in eo genere excessus censentur plus deliquisse, idque, ut alii eorum exemplo magis à similibus excessibus retrahantur; ita Nald. *verbo* delictum *num. 1.* Pelliz. *Tract. 7. cap. 1. n. 27.* Ratio est, quia sic ex una parte delicta non manent impunita, & ex altera melius paci, & tranquillitati consulitur monasterii, quæ multum læderetur, si omnes, & singuli punirentur, debet tamen Superior in hoc casu esse valde circumspectus, ne videatur acceptor personarum.

SECTIO V.

De potestate absolutiva Prioris localis.

217 *Prior habet potestatem ordinariam absolvendi omnes suos subditos, etiam novitios.*

218 *Hæc potestas est limitabilis per superiores Prælatos. dum tamen non limitatur, extenditur ad omnes casus, à quibus possunt Generales, & Provinciales absolvere.*

219 *Prior potest absolvere ab omnibus casibus, à quibus potest absolvere Episcopus, etiam virtute Trid. imò, & ab aliis gravioribus.*

220 *Si Generalis, vel Provincialis aliquos casus ex assignatis à* Clemente VIII. *sibi reservaverint, Prior ab illis non potest ab-*

solvere, nisi absolutio ei à Prælato reservante committatur.

221 *Expedit, ut hæc facultas semper ei committatur.*

222 *Priores de jure communi possunt potestatem ordinariam, quam habent aliis delegare.*

223 *Parochi jure antiquo poterant suam jurisdictionem delegare, non verò de jure novo.*

224 *De jure nostro Priores non possunt hanc jurisdictionem ad absolvendum sacerdoti simplici nostri Ordinis delegare, benè tamen sacerdoti sæculari, vel alterius Ordinis extra Conventum.*

225 *Prior existens in ultimo articulo sui officii, non potest sibi hanc jurisdictionem delegare pro tempore, quo non sit Prior, stando in jure communi.*

226 *Prior non indiget approbatione Episcopi ad audiendas confessiones monialium sibi jure, vel per delegationem Provincialis commissarum.*

227 *Tempore jubilæi possunt Moniales eligere Religiosum approbatum à suo Prælato ad confessiones Fratrum, etsi non sit approbatus ab Episcopo, sive tales Moniales sint subjectæ Episcopis, sive Regularibus.*

228 *Prior de jure communi potest sibi reservare casus, ex his quos* CLEMENS VIII. *limitavit.*

229 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

230 *Prior nec etiam stando in jure communi potest casus sibi ad libitum reservare, etiam in casu particulari præter ibi assignatos à* CLEMENTE VIII.

231 *Prior potest casus sibi pro novitiis reservare.*

232 *In Religionibus, in quibus Priores possunt casus reservare, tenentur deputare duos, vel tres confessores pro subditorum majori, vel minori numero, qui à non reservatis absolvant, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit.*

233 *Idem dicendum est de alio Superiore reservante.*

234 *Expediens est, ut Prior committat dictam potestatem alicui Confessorio ordinario, in casibus in quibus non potest recurri ad illum pro licentia, ut si foras exeat, &c.*

235 *Si reservatio fiat à Prælato superiori, tenetur hanc potestatem alteri committere, si ille sit absens.*

236 *Si Generalis, vel Provincialis aliquos casus reservent, si non limitaverint expressè jurisdictionem Prioris, quam possunt limitare, censentur illam relinquere expeditam, ac per consequens ab eisdem potest casibus Prior ac antea absolvere.*

237 *Si Capitulum generale aliquos casus ultra assignatos à* CLEMENTE VIII. *reservaverit, & illorum absolutionem in casu contingenti commiserit Priori, non potest Generalis, vel Provincialis talem potestatem ab eo auferre.*

238 *Qui de jure speciali potest reservare casus, non tenetur semper concedere licentiam confessatio, vel pœnitenti ad absolvendum à reservatis, sed aliquando potest cogere pœnitentem ad comparendum.*

239 *Si Prior, vel alius Superior hoc faciat sine justa causa, peccat mortaliter.*

240 *Si Prælatus cognoscat adesse justam causam talem licentiam denegandi, si postea sciat subditum nolle sibi confiteri, tenetur sub mortali dare illi talem licentiam.*

241 *Excipe, si inde sequatur grave damnum aliorum.*

242 *Si subditus nollet confiteri Confessoribus ordinariis deputatis, & alium petat, aliquando tenetur Superior illum ei concedere sub mortali.*

243 *Prælatus qui difficilem se præbet in danda hac facultate, peccat mortaliter.*

244 *Si Prior pio, & prudenti Confessario injustè negaverit licentiam, pro aliquo casu absolvendo, potest nihilominus Confessarius pro illa vice pœnitentem absolvere, imò toties, quoties.*

245 *Si Religiosus extra Conventum ægrotans indiget viatico, & extrema unctione, ad Priorem Conventus pertinet, prædicta Sacramenta ei præbere, per se, vel per alium ab eo deputatum.*

246 *In tali casu potest deferri Religioso ægrotanti Eucharistia solemniter ad domum, in qua est ægrotans.*

247 *Si Religiosus ægrotet, ubi non est Conventus Ordinis, nec adest alter Religiosus, qui Sacramenta prædicta tribuat, hoc parocho competit.*

248 *Secus dicendum est, si adsit Religiosus ejusdem Ordinis, qui prædicta Sacramenta ei præbere possit.*

249 *Prior potest sibi eligere Confessorem, etiam non approbatum ab Ordinario, etiam in præsentia majoris Prælati.*

DICO

DIco I. Prior habet potestatem ordinariam,
217 ad absolvendum omnes suos subditos etiam
novitios; Pellizzarius *Tractatu 9. capite 3. nume-*
ro 196. Et licèt hujusmodi potestas sit limitabi-
218 lis per superiores Prælatos, ut latè probat Lugo
de *pœnitentia disputat.* 20. *sect.* 1. *num.* 6. dum ta-
men non limitatur, extenditur ad omnes casus, à
quibus possunt Generales, & Provinciales absol-
vere, tum jure communi, tum ex privilegiis; Ro-
drig. *Tom.* 1. *quæst.* 17. *art.* 4. Bordonus *Tomo* 1. *re-*
solut. 28. *num.* 54. unde possunt absolvere ab om-
nibus casibus, à quibus possunt Episcopi, etiam
219 virtute Trident. *sess.* 24. *capite* 6, imò, & ab aliis
casibus gravioribus, ex multis privilegiis, quæ re-
tulimus in nostro Tract. 2. *de privilegiis, disputat.* 1.
sectione 1. *per tot.* ubi hæc videnda sunt, ne eadem
220 sæpe repetamus. Dixi, *dum tamen illis non limita-*
tur, nam si in aliqua Religione Generalis, vel
Provincialis aliquos casus ex assignatis à CLEMEN-
TE VIII. sibi reservaverint, Prior ab illis non po-
test absolvere, cùm jam ejus jurisdictio per supe-
riorem Prælatum sit restricta, nisi absolutio eo-
rum illi à Prælato reservante committatur; ita
Lugo *de pœnitentia, disp.* 20. *sect.* 1. *num.* 5. *&* 6.
Quintanadvennas *Tract.* 3. *singulari* 9. *num.* 2. Ex-
221 pedit tamen, ut hæc facultas semper prædictis
Prælatis committatur.

222 DICO II. Priores stando in jure communi,
possunt hanc potestatem, quam habent ad absol-
vendum suos subditos aliis delegare; ita Tambu-
rinus *de jure Abbatum Tomo* 2. *disputat.* 6. *quæsito*
88. Basseus *verbo* confessarius *num.* 5. Bordonus
Tom. 1. *resolut.* 4. *num.* 16. & alii. Ratio verò est,
quia omnis, qui habet jurisdictionem Ordinari-
am illam potest delegare, per textum in *Cap. à quo*
de conjecrat. Eccles. vel altar. sed, ut *supra* diximus
hæc Priorum jurisdictio est ordinaria, ergò eam
possunt delegare.

Nec obstat, quod Parochi jurisdictio in suas o-
ves sit ordinaria, & tamen eam non potest Sa-
cerdoti non approbato ab Episcopo delegare, er-
gò licèt jurisdictio Prioris sit ordinaria eam ta-
223 men Sacerdoti non approbato à Provinciali, non
poterit delegare. Respondetur namque Paro-
chum, ex vi juris communis antiqui *Cap. omnis*
utriusque sexus, de pœnitentia, & remissione. vali-
dè, & licitè posse etiam delegare suam jurisdi-
ctionem cuicumque Sacerdoti, etiam non appro-
bato ab Episcopo, dummodò, secundùm jus com-
mune, idoneus esset, ut cum Ledesma, Suarez, &
aliis advertit Basseus *verbo* Confessarius 3. *num.* 2.

At nunc hujusmodi jus antiquum *Capite, omnis*
utriusque sexus fuit restrictum, & limitatum ad i-
doneum & ab Episcopo approbatum per Trident.
sess. 23. *capit.* 15. quæ restrictio, & limitatio cum
tantum sit pro confessionibus sæcularium, non ve-
rò Regularium, ut patet ex tenore ipsius Concilii
sequitur, quod si Priores jure communi antiquo
ex *cap. omnis utriusque sexus.* id poterant facere si-
cut & Parochi, id etiam nunc posse efficere, cùm
jure novo tale jus illis non sit ablatum, vel limita-
tum; ita Basseus *ubi supra num.* 5.

Dixi, *jure communi*, nam de jure nostro, no- 224
stri Priores, nec licitè, nec validè possunt delega-
re Sacerdoti simplici nostri Ordinis (hoc est non
approbato à Provinciali ad confessiones Fratrum)
suam jurisdictionem, ut patet ex *nostrarum Consti-*
tut. 2. *parte, capit.* 6. *numero* 5. possunt tamen
eam delegare alicui Sacerdoti sæculari, etiam sim-
plici, ut in casu quo suus subditus existens extra
Conventum non habeat Ordinis confessorem, e-
um possit absolvere, nam quoad hoc non est illi
talis potestas restricta, sed quoad Sacerdotes sim-
plices nostri Ordinis.

An autem Prior existens in ultimo instanti sui
officii possit, stando in jure communi, pro tem- 225
pore, quo non erit Prælatus, sibi delegare licenti-
am ad audiendas confessiones suorum Religioso-
rum? Respondeo negativè, nam delegans, & de-
legatus debent esse inter se distincti, cum actus ju-
risdictionis, non possit exerceri in se ipsum, *leg. qui*
jurisdictioni, ff. de jurisdictione omnium jud. ita Bor-
donus *resolut.* 2. *num.* 10. Lugo, quem refert, & se-
quitur Pelliz. *Tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 31.

An autem Prior ad audiendas confessiones mo- 226
nialium sibi jure, vel per delegationem Provin-
cialis subjectarum indigeat speciali approba-
tione Episcopi? affirmat cum aliis Pellizzarius
Tract. 9. *cap.* 6. *num.* 14. ex Constitutione GRE-
GORII XV. sed ut dixi in Tractatu 2. *de privilegiis,*
disp. 2. *sect.* 5. §. 1. *num.* 213. Hæc constitutio GRE-
GORII XV. in regnis Hispaniæ est suspensa, ita Le-
zana *Tomo* 5. *in mari magno Carmelitarum n.* 371.
Belasius *verbo* confessor monialium *num.* 1. Unde
Prælati possunt audire confessiones prædictarum
Religiosarum. Imò addo, quod stante etiam præ-
dicta Constitutione GREGORII XV. posse monia- 227
les tempore jubilei eligere, non solùm Priorem, sed
etiam quempiam alium Religiosum, non appro-
batum ab Episcopo, dummodò sit approbatus à
suo Prælato ad confessiones Fratrum, sive tales
moniales sint subjectæ ipsis Regularibus, sive ex
alia

alia Religione; ita cum Peyrino, & Bordono Basseus *verbo* confessarius 3. *numero* 17. ubi hoc probat ex Bulla URBANI VIII. quæ incipit: *Pacificæ solicitudo*, ubi Pontifex monialibus concedit, ut tempore jubilei possint sibi eligere confessorem approbatum ab Ordinario, quo nomine venit etiam approbatus à Prælato regulari.

228 DICO III. Prior in suo Conventu, stando in jure communi, potest sibi reservare casus ex his, quos CLEMENS VIII. limitavit; ita & benè Moronius *responso* 86. *n.* 6. Et ratio est, quia in prædicto Clementis decreto conceditur Superioribus regularibus, ut possint sibi aliquos casus ex assignatis reservare, sed Prior etiam venit nomine Superioris regularis, ergò.

229 Dixi de jure communi, nam de jure nostro hoc solùm competit Generali de consensu Definitorii, ut *supra* diximus.

230 Adverte tamen, quod etiam stando in jure communi, Priorem non posse ad libitum, nec etiam in casu particulari aliquem casum præter *ibidem* assignatos à CLEMENTE VIII. reservare; Pelliz. *Tract.* 6 *cap.* 1. *num.* 5.

231 An autem possit Prior pro novitiis, etiam stando in jure communi casus sibi reservare? affirmavit Corduba, Tamburinus, Layman, Vechius, Coucers, & cum aliis Thomas Hurtado *Tomo* I. *tract.* 5. *cap.* 4. *resolut.* 21. *num.* 180. contra alios, quos citat, & sequitur Diana 3. *part. tra.* 2. *resol.* 4. & alibi: cujus ratio sumitur ex privilegio PAULI V. Nec obstat tale privilegium fuisse oraculum, nam cùm sit concessivum, & alterius Bullæ declarativum censetur revocatum haud esse per URBANUM VIII. esto talis revocatio stetisset, ut *ibidem* latè probat Hurtadus.

232 DICO IV. In Religionibus, in quibus Priores possunt casus sibi reservare, tenentur deputare duos, vel tres, aut quatuor confessores pro subditorum numero majori, vel minori, qui à non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, ut patet ex decreto CLEMENTIS VIII. apud Pelliz. *Tract.* 6. *c.* 1. *num.* 47.

Et idem dicendum est de Provinciali, vel de a-
233 lio Superiore, cui casuum reservatio in aliqua Religione sit commissa, imò expediens maximè erit,
234 quod Prior concedat dictam potestatem alicui confessario ordinario pro casibus, in quibus non potest recurri ad illum pro licentia, ut si foras exeat, vel sit occupatus, &c. Ita Quintanadvennas
235 *Tract.* 3. *singulari* 10. *num.* 4: Imò, si reservatio facta sit à Generali, vel Provinciali tenentur absolutionem reservatorum, vel Prælato cujuscumque domus, ubi ipsi non assistunt, vel aliis ab eis assignatis committere, cùm ad eos pro absolutione reservatorum non possit recurri.

Adde, quod si Generalis, vel Provincialis ali- 236
quos casus sibi reservent, si non limitaverint expressè jurisdictionem Prioris, quam tamen possunt limitare, censentur illi relinquere expeditam omnem suam jurisdictionem, unde cùm Prior ex multis privilegiis habeat æqualem jurisdictionem ad absolvendum suos subditos, ac Generalis, vel Provincialis, si ei non limitetur, poterit etiam à prædictis casibus, sine speciali commissione absolvere, quia per non limitationem jurisdictionis censetur Superior Prælatus ei committere facultatem; Bord. *Tom.* 2. *resol.* 28. *n.* 54.

Imò addo, quod si Capitulum generale aliquos 237
casus ultra assignatos à CLEMENTE VIII. in aliqua Religione reservet, ut potest, & illorum absolutionem in casus contingentia committat Priori Conventus non posse Generalem, vel Provincialem ab eo talem facultatem auferre, etiam in casu particulari, cùm hoc sit reservare casus de novo ex parte, seu magis ampliare reservationem factam in Capitulo, quod Prælatis regularibus est prohibitum; ita Lugo *disp.* 20. *de pœnitentia sect.* 4. *nu.* 43. Pelliz. *Tract.* 6. *c.* 1. *num.* 9.

Adverte tamen Priorem, vel alium, qui de jure
speciali potest prædictos casus reservare, non sem- 238
per teneri concedere Confessario, vel pœnitenti licentiam ad absolvendum à reservatis, sed aliquando posse etiam cogere pœnitentem, ut sibi
confiteatur, aliàs reservatio nullius esset momen- 239
ti; ita cum communi sententia Vidal *de jurisdictione, inquisitione* 6. *n.* 129. si tamen hoc faciat sine gravi causa (puta, quia talis concessio vergit in damnum pœnitentis, vel Communitatis, vel tertiæ personæ) peccat mortaliter; ita cum D. Thom. Suario, & aliis Pelliz. *Tract.* 8. *c.* 2. *n.* 57.

Imò si Prælatus judicet adesse justam causam
denegandi præfatam facultatem subdito, & po- 240
stea cognoscat subditum nullo modo velle illum adire, tenetur sub mortali, illi talem facultatem
concedere (excepto si inde sequatur grave dam- 241
num aliorum) Pelliz. *ibid.* Imò addo, quod si sub- 242
ditus nolit confiteri alicui ex Confessariis deputatis pro absolutione reservatorum, & alterum postulet, aliquando teneri Superiorem sub mortali eum illi concedere; ita Vidal *de monialibus, inquisitione* 3. *num.* 9. ut enim ait D. Thom. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.*

quæst. 3. art. 3. q. 4. ad 6. Superior, qui difficilem
243 se præbet in danda hac facultate peccat mortaliter, non enim hæc potestas illi data est in destructionem, sed in ædificationem.

244 Unde merito PAULUS V. statuit, quod si Superior pio, & prudenti confessario injustè negaverit licentiam petitam pro aliquo casu absolvendo, possit nihilominus Confessarius pro illa vice pœnitentem absolvere, quod etiam statuit CLEMENS VIII. ut tradunt communiter DD.

An autem Confessarius, id tantum possit efficere pro prima vice, vel toties quoties, affirmat Vidal *de jurisdictione, inquisitione 6. n. 121.* Bord. & alii quos retulimus in nostro *Tractatu 2. de privilegiis disput. 2. sect. 1. §. 2. n. 76.* licet alii contrarium teneant.

245 DICO V. Si aliquis Regularis sive professus, sive novitius, in ægritudinem forte incidat extra Conventum, in domo alicujus consanguinei, & sit necessarium ei præbere viaticum, vel extremam unctionem, ad Priorem Conventus pertinet, prædicta Sacramenta ei tribuere per se, vel per alium à se delegatum: Sacramenta namque debent recipi à proprio Pastore, qui utique respectu regularis ægrotantis extra Conventum, non est Parochus parræciæ intra quam ægrotat, sed Prælatus
246 regularis. Unde in tali casu potest deferri Eucharistia solemniter ad domum, in qua est Religiosus ægrotans; ita Pellizz. *Tract. 8. cap. 5. n. 138.* ubi dicit, sic fuisse practicatum per quatuor vices Ferrariæ nemine contradicente. Et ego ipse illud practicavi anno 1654. in Civitate Portuensi, ex commissione Patris Alberti à sancta THERESIA illius Conventus Prioris, non solùm absque contradictione, sed cum magno populi plausu, & concursu etiam Parochorum. Unde quod ait Bord. *Tom. 2. resol. 51. n. 170.* Sacram Congregationem declarasse prædicta Sacramenta administranda esse à Parocho in cujus Parochia deget infirmus, non est usu receptum, nec nobis constat authenticè de tali declaratione.

Et estò quod constaret, debet intelligi in defe-
247 ctu proprii Prælati, ut si accidat aliquem Regularem ægrotari, ubi non est Conventus, vel saltem aliquis Religiosus suæ Religionis, qui prædicta Sacramenta ei tribuat, nam si adsit saltem aliquis Regularis proprii Ordinis, etsi Prior non adsit, ad eum & non ad Parochum pertinet horum Sacramentorum administratio: præsumitur namque hîc tacita Prælati licentia, quæ sufficit ad ad-
248 ministranda prædicta Sacramenta, ut cum Soto, Silvestro, Lezana, & aliis diximus *in 2. Tractatu de privilegiis, disputat. 3. sect. 3. §. 2. n. 104. & §. 3. num. 107.*

DICO VI. Prior potest sibi eligere Confesso- 249
rem, etiam non approbatum ab Ordinario, atque extraneum, & hoc etiam in præsentia majoris Prælati; ita Basseus *verbo* Confessarius 2. *nu.* 11. Pasqualig. *Tom. 2. decis. 97.* ubi dicit esse communem. Et ratio est, quia privilegium *Cap. fin. de pœnitentia*, est pro omnibus Prælatis exemptis, etiam minoribus, ut clarè constat ex textu, sed Superiores regulares minores Generali, vel Provinciali, sunt verè Prælati, qui habent jurisdictionem in utroque foro, ergò participant hoc privilegium.

SECTIO VI.

De potestate dispensativa Priorum.

250 *Priori competit tum jure communi, tum ex privilegiis, potestas dispensandi cum suis subditis.*

251 *Hæc potestas extenditur ad omnes casus, in quibus potest Episcopus, etiam ex vi Tridentini dispensare.*

252 *Prior majorem potestatem habet ad dispensandum cum suis subditis, quam Episcopus, tum in irregularitatibus, & pœnis, tum in votis, juramentis & præceptis, tam Regulæ, quam Ecclesiæ.*

253 *Potest Prior data justa causa dispensare cum subditis in præcepto audiendi Missam, & dies Festos observandi.*

254 *Idem dicendum est de præcepto jejunii.*

255 *Potest dispensare, ut comedant ova, & lacticinia in quadragesima.*

256 *Si dies Patroni Ordinis inciderit in diem jejunii Ecclesiæ, potest Prior de consensu Communitatis tale jejunium anticipare.*

257 *Potest Prior dispensare cum subditis, ut celebrent cooperto capite propter infirmitatem.*

258 *Potest dispensare in præcepto frequentandi chorum, stando in jure communi.*

259 *Idem dicendum est stante decreto* CLEMENTIS VIII *confirmato ab* URBANO VIII

260 *Quomodo decretum* URBANI *sit intelligendum?*

261 *Tale decretum non fuit receptum in hoc regno.*

262 *Potest Prior dispensare cum suis subditis ut horas Canonicas una, vel altera vice recitent in choro*

choro extra tempus constitutum, non tamen in perpetuum.

263 *Potest indirectè dispensare cum suis subditis in delatione habitus religiosi ad tempus, non verò in perpetuum.*

264 *Dispensatio directa in hoc casu solùm Pontifici competit.*

265 *Prior solùm potest declarare in tali casu posse subditum habitum relinquere, & alterum assumere.*

266 *Hic casus in nostro Ordine rarò, aut nunquam accidere potest.*

267 *Idem dicendum est de præcepto ferendi tonsuram religiosam.*

268 *Prior non potest dispensare cum subdito ad transeundum ad arctiorem Religionem, & cui hæc competat?*

269 *Prior licet non possit irritare votum sui subditi transeundi ad arctiorem Religionem, potest tamen dispensare.*

270 *Potest dispensare, etiam cum sæculari volenti ingredi suam Religionem, habente votum assumendi strictiorem Religionem.*

271 *Licet Prior non possit dispensare cum suis subditis in votis Papæ reservatis, potest tamen talia vota Papæ reservata irritare.*

272 *Prior non tenetur semper concedere suis subditis ea omnia, quæ authoritativè potest erga illos, sed quæ judicaverit prudenter illis esse necessaria.*

273 *Prior non potest dispensare cum Religioso ad chorum destinatum, ut transeat ad Ordinem Conversorum.*

274 *Quis possit talem transitum concedere?*

275 *Quæ causa ad illum requiratur, & sufficiat?*

276 *Hic translatus ad statum Laicalem non tenetur ad recitandum Officium divinum, sed tantum Officium Laicorum*

277 *Prior potest dispensare in observantiis regularibus in casibus levibus, & ordinariis, in quibus recurrere ad Superiorem, difficillimum foret.*

278 *Non potest dispensare secluso speciali Statuto, in observantiis substantialibus, v.g in votis specialibus, nec in legibus, & præceptis obligantibus ad mortale.*

279 *Nec in aliis observantiis, quæ licet non obligent ad mortale, habentur tamen in aliqua Religione pro gravioribus, ut inter nos carnium abstinentia, oratio continua, &c.*

280 *Excipe, nisi in aliquo casu lex licentiam ei concedat, vel nisi præceptum sit de rebus non adeò Religioni substantialibus, & sit necessitas specialis, & non detur recursus ad Superiorem.*

281 *Nullus Prælatus potest cum tota Communitate, vel aliquo Religioso dispensare absolutè in observantiis, quæ in tali Religione habentur pro substantialibus.*

282 *Data legitima causa de jure communi, & secluso speciali Statuto, Prior potest dispensare cum suo subdito in pœnis, jure Religionis impositis, non reservatis.*

283 *Non potest tamen dispensare in pœnis ab homine latis, nisi detur urgentissima causa, & defectus recursus ad Superiorem.*

284 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

285 *Prior non potest dispensare cum Religioso ejecto, nisi in illis casibus, in quibus cum sæcularibus potest dispensare.*

286 *Prior potest dispensare cum Religioso facto Episcopo, ac cum aliis Religiosis, si ei subdatur.*

287 *Religiosi facti Episcopi non solùm passivè, sed etiam activè potiuntur omnibus privilegiis Ordinis, quæ concernunt bonum animæ, & Religioni non sunt onerosa.*

288 *Possunt absolvere, & dispensare juxta privilegia sui Ordinis, si quando assumpti fuerint ad Episcopatum, habeant usum eorum privilegiorum à Prælato regulari concessum.*

289 *Prior potest uti erga seipsum omnibus facultatibus, & dispensationibus, quibus potest erga subditos, nisi contrarium in aliqua Religione statutum sit.*

DICO I. Prioribus regularibus competit potestas ordinaria dispensandi cum suis subditis, 250
tum jure communi, tum ex privilegiis, prima pars probatur ex *Cap.* cum ad Monasterium *de statu Monachorum*, ubi dicitur: *nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare*: ergò super aliis potest Prior dispensare, quia uno negato aliud censetur concessum; *Cap. qualis tunc* 4. *dist.* 23. & *ibid.* Glossa *verbo negatur, Cap. ex eo quod* 215. *quæst.* 3. juncta Glossa *verbo colligitur*; ita Bord. *Tom.* 1. *res.* 10. *n.* 1. quod verò possint dispensare jure privilegiorum constat, tum ex privilegis BONIFACII IX. GREGORII XI. SIXTI IV. PII V. quæ latè refert Bord. *ubi sup.* tum ex aliis privilegiis, quæ retulimus in nostro *Tractatu* 2. *de privilegiis disp.* 1. *sect.* 2. *per totam.*

Si tamen quæras, quantum extendatur hujusmodi 251

modi potestas dispensandi in Prioribus? Respondeo inprimis extendi ad omnes casus, in quibus potest Episcopus dispensare, sive jure communi, sive ex Trid. per *Cap.* liceat *sess.* 24. *c.* 6. sive ex quacumque alia facultate, ut patet ex privilegio Pii V. quod refert Rodrig. in suo Bullario *in Con-*
252 *stitutionibus* Pii V. *in ordine* 13. deinde ex aliis privilegiis ampliorem habent facultatem ad dispensandum cum suis subditis, quàm Episcopi, tum in omnibus irregularitatibus; & omnibus pœnis contractis ex quibuslibet delictis, quales sunt inhabilitates ad officia, privationes Officiorum, tum in votis, & juramentis, & præceptis, tam Ecclesiæ, quàm Regulæ, & Constitutionum, ut latè diximus in *Tract.* 2. *de privil. disp* 1. *sect.* 2. *per totam.*

253 Quibus adde posse Priorem etiam stando in jure communi, & secluso quovis privilegio, data legitima causa dispensare cum subditis in præcepto audiendi Missam, & dies festos observandi, cùm habeat jurisdictionem quasi Episcopalem Pelliz. *Tract.* 5. *c.* 4. *num.* 70. & idem dicendum
254 est de præcepto jejunii; Pelliz. *Tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 65. *& Tract* 9. *c.* 3. *nu.* 171. & cum eo communiter DD. *Tract.* 9. *c.* 3. *n.* 171. *& Tract.* 9. *cap. num.* 169.
255 Imò ex privilegiis Eugenii IV. & Clementis VII. possunt dispensare cum suis subditis, ut ova, & lacticinia comedant in Quadragesima, quæ privilegia, ut non sint inutilia, debent explicari, ut possint prædicti Prælati dispensare etiam in casibus, in quibus ejus potestas ordinaria non extendebatur; Pelliz. *ibidem.* imò si dies jejunii Ec-
256 clesiæ inciderit in die Patroni Ordinis probabile est, posse Priorem cum consensu suæ Communitatis tale jejunium anteponere ipsi solemnitati; Bord. *resol.* 58. *num.* 16. & cum Layman. Pellizz. *Tract.* 9. *c.* 3. *n.* 172.
257 Possunt etiam dispensare cum suis subditis, stando in jure communi, ut celebrent cooperto capite ob infirmitatem capitis; Rodriguez, & alii, quos refert, & sequitur Pellizz. *Tractat.* 9. *cap.* 3. *num.* 173.

Nec obstat quædam declaratio sacræ Congregationis, quam refert Gavantus in *Coment. rubric. missal. part.* 2. *tit.* 2. *lit. F.* in qua hujusmodi dispensatio Papæ reservatur; nam de tali declaratione nobis non constat authenticè, nec sufficienter fuit promulgata.

258 Idem dicendum est, de præcepto frequentandi Chorum, stando in jure communi; Pelliz. *Tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 10.

Imò etiam stante decreto Clementis VIII. confirmato ab Urbano VIII quod refert Pelliz. *ibid.* quidquid contradicat idem Pellizz. nam tale 259
decretum solùm prohibet exemptiones, quas aliqui Religiosi à Choro habebant ratione alicujus Superioritatis, vel officii, non tamen exemptionem 260
à Choro ratione alicujus causæ necessariæ, imò in ipso decreto conceditur Prælato, ut cum infirmis, studentibus, Lectoribus, & Prædicatoribus possint dispensare, ergò idem poterunt efficere ex alia legitima causa, ut ex se patet.

Adverte etiam tale decretum non fuisse in hoc 261
regno à Religionibus receptum, sed fuisse contrario usu abrogatum, ut patet ex contrario usu omnium Religionum. Possunt etiam Priores dispensare, 262
cum suis subditis, ut Horas Canonicas unâ, vel altera vice; recitent in choro extra tempus constitutum, non tamen in perpetuum; ita cum Tabienna, Navar. Sanchez, & aliis Pellizz. *Tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 11.

Possunt etiam indirectè cum suis subditis dispensare in delatione habitus religiosi ad tempus, 263
non verò in perpetuum. Dixi, *indirectè*, nam dispensatio directa in perpetuum in hoc præcepto solùm ad Pontificem spectat, & Prælatus regu- 264
laris solùm potest declarare ad tollendos scru- 265
pulos, in aliquo casu urgenti non adesse præceptum gestandi habitum regularem, ut si necesse sit, ut Religiosus ad aliquod grave negotium Religionis peragendum mutet habitum ad securius incedendum; ita Suarez *Tom.* 4. *de Relig. tract.* 266
cap. 5. *lib.* 1. *num.* 16. Hic tamen casus raro, aut nunquam potest accidere Prioribus, præsertim in nostro Ordine, cùm Priores non possint præbere licentiam suis subditis ad eundum ad conversiones, nec ultra duodecim leucas à suo Conventu, in casu tamen quo aliqua gravis necessitas, ex alio capite accidat, in qua ad arbitrium prudentis ad bonum Religionis necessarium sit incedere habitu mutato: poterit, tunc Prior talem licentiam præbere modo dicto.

Et idem dicendum est, de obligatione deferendi tonsuram religiosam, nam data etiam legitima causa, poterit indirectè in tali obligatione ad 267
tempus modo dicto dispensare; Pellizzar. *Tract.* 5. *c.* 7. *num.* 56.

An autem Prior dispensare possit cum suo subdito, ut transeat ad strictiorem Ordinem, seclusis 268
Statutis specialibus? affirmat Pellizzarius *Tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 178. ubi hoc colligit ex *Cap.* licet *de Regul.* ubi indistinctè dicitur, quod talis licentia petenda sit à Prælato Religionis, quo nomine venit

etiam Prior. Ego tamen existimo hanc facultatem, seclusis specialibus Statutis, solùm competere Generali, vel Provinciali, ut cum Rodrig. tenet Peyrin. *de subdito quæst.* 1. *cap.* 24. *sub initio*: siquidem solum illis competit mutare religiosos de uno ad alium Conventum, ergò à fortiori dare licentiam ad transgrediendum de una ad aliam Religionem.

Dixi, *seclusis specialibus Statutis*, nam hoc in N. Ordine existimo pertinere ad solum Capitulum Generale, ut *supra* dixi, agendo de potestate directiva Provincialis.

Dico II. Licet nec Prior, nec alius Prælatus possit irritare vota suorum subditorum transeundi ad strictiorem Religionem, ut cum Navar. Clavi Regia, & aliis docet Portel *in dubiis regularibus*
269 *verbo* votum *num.* 67. Potest tamen cum illis in tali voto dispensare; ita cum Azor. Lessio, Suarez, & aliis Pelliz. *Tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 133. Imò po-
270 test dispensare cum sæculari volente ingredi suam Religionem, habente votum assumendi strictiorem, ex Bulla EUGENII IV. cum hac tamen conditione, quod si dispensatus ab Ordine decesserit, dispensatio sit nulla; ita Casarrubius in *compendio* verbo *dispensatio n.* 28.

271 Dico III. Licet Prior non possit dispensare cum suis subditis in votis Papæ reservatis, ut cum aliis notavit Tamburinus *de jure Abbatum Tomo* 2. *disput.* 18. *quæsito* 13. *num.* 4. potest tamen talia vota irritare, siquidem super eos habet potestatem ordinariam; ita latè cum Rodriguez, Suar. Sanch. & aliis Tamburinus *ubi supra num.* 3.

Adverte tamen, Priorem aut alium Prælatum non teneri semper concedere subditis ea omnia, quæ authoritativè erga illos potest, sed solùm illa, quæ secundùm prudentiæ dictamen judicaverit hîc & nunc esse concedenda, alias dispensatio
272 non esset gratia, sed actus justitiæ; Vidal *de jejunio inquisit.* 2. *n.* 65.

Dico IV. Prior non potest dispensare cum
273 Religioso ad Chorum destinato, ut transeat ad Ordinem Conversorum; ita Sanchez *lib.* 6. *moralium cap.* 7. *num.* 81. Pellizz. *Tract.* 9. *cap.* 3. *numero* 180. est enim res gravior, quam mutare Religiosum de uno ad alium Conventum? sed Prior hoc non potest efficere, ergò neque illud; poterit
274 tamen hoc facere Generalis, vel Provincialis, de consensu tamen Conventus, seclusis specialibus Statutis, requiritur tamen justa causa, ut v. g. pu-
275 nitio alicujus delicti, ardor eximius humilioris vitæ, vel ineptitudo ad Sacerdotium, & studia: dummodo in his duobus casibus Religiosus consentiat, sic tamen translatus non amplius obligatur 276
ad recitandum Officium divinum, sed tantùm Officium Laicorum; Sanchez *ubi supra*.

Dico V. Licèt Prior possit dispensare in ob- 277
servantiis regularibus in casibus levibus, & ordinariis, in quibus recurrere ad Superiorem difficillimum foret, ut diximus in *Tract* 2. *de privil. loc. cit.* & tenet cum aliis Lez. *To.* 1. *c.* 8. *n.* 23. Non potest
tamen secluso speciali Statuto dispensare in ob- 278
servantiis substantialibus, v. g. in votis specialibus, quæ fiunt in aliquibus Religionibus; neque in legibus, & præceptis obligantibus ad mortale, quæ in aliqua Religione habentur pro gravioribus illius, & quæ maximè conducunt ad assequendum
finem intentum, ut est inter nos continua medita- 279
tio, & divinorum contemplatio, carnium abstinentia, *&c.*

Excipe, nisi in aliquo casu, lex talem licentiam Priori concedat, vel nisi præceptum sit de rebus non adeò Religioni substantialibus, & sit specialis
necessitas dispensandi in aliquo casu, pro aliquo 280
actu particulari cum aliqua persona, & non sit recursus ad Superiorem: nunquam tamen ullus Præ-
latus poterit cum tota Communitate, vel cum ali- 281
quo Religioso dispensare absolutè in observantiis, quæ in tali Religione habentur pro substantialibus, nam hoc non esset dispensatio, sed dissipatio, ut latè probat Suarez *Tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 28. & sequentibus; Pellizz. *Tract.* 9. *capite* 3. *num.* 189.

Idem dicendum est, de pœnis impositis à Præla- 282
to ordinario superiore, nam licet Prior, stando in jure communi, & secluso speciali statuto, possit data justa causa dispensare cum suo subdito in pœnis jure Religionis impositis non reservatis, non
tamen in pœnis ab homine, nisi detur urgentissi- 283
ma causa, & defectu recursus ad Superiorem; ita Pelliz. *Tract.* 9. *c.* 3. *n.* 186.

Dixi, *secluso speciali Statuto*, nam apud nos Pri- 284
or, non potest dispensare in omni pœna à jure nostro imposita, sed tantùm in parte illius infrà dimidium, & in pœnis à superioribus Prælatis impositis in nullo casu potest dispensare, sed si Religiosus pœnam impositam exequi incœperit, tenetur Superiorem, qui pœnam imposuit monere, & tunc talis Superior potest illi infra dimidium pœnæ dimittere, ut patet ex 4. *p. nostrarum Constit. cap.* 7. *num.* 3.

Dico VI. Prior in nullo casu potest dispensa- 285
re cum Religioso à Religione ejecto, nisi in illis casibus,

casibus, in quibus potest cum aliis sæcularibus; ita communiter DD. apud Delbene *Tom.* 2. *c.* 14. *dub.* 19. *num.* 3. Et ratio est, quia ejectus per ejectionem amisit subjectionem ad Religionem, & tantum sit subditus Episcopi.

286 An autem idem dicendum sit de Religioso facto Episcopo? affirmat propter eandem rationem, cum aliis Delbene *ubi supra*, sed contrarium dicendum existimo, cum Suario, & Pellizz. *Tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 217. si aliàs ei Episcopus subjiciatur, nam licet talis Religiosus sit exemptus à Religio-

287 ne, si tamen ejus Prælatis subjiciatur, possunt uti cum eo omnibus privilegiis sui Ordinis. Imò tales Episcopi non solum passivè, sed etiam activè potiuntur omnibus privilegiis Ordinis, quæ concernunt bonum animæ, & Religioni non sunt onerosa.

288 Unde possunt absolvere, & dispensare, juxta privilegia sui Ordinis, si alias, quando assumpti fuère ad talem dignitatem, habebant jam usum horum privilegiorum, saltem à Prælato regulari concessum; ita cum Naldo, Cespedes, & aliis Pellizzar. *Tract.* 8. *c.* 1. *n.* 65.

289 Dico VII. Prior potest uti erga seipsum omnibus facultatibus, & dispensationibus, quibus uti potest erga suos subditos, nisi contrarium in aliqua Religione specialiter statutum sit; ita Armilla, Sanch. Suar. Pasqualig. Pontius, quos citat, & sequitur Delbene *Tomo* 2. *capit.* 15. *dub.* 7. *sect.* 2. *num.* 36. Et ratio est, quia cùm in dispensatione non sit de substantia distinctio personarum, Prior non debet esse pejoris conditionis ac sui subditi. Poterit etiam Prior hanc facultatem alicui Religioso committere, ut secum dispensetur; Pellizzarius *Tract.* 9. *cap.* 3. *n.* 107.

SECTIO VII.

De obligationibus Prioris localis.

290 *Integritas præsidentium est salus subditorum.*

291 *Prior omnibus virtutibus debet esse ornatus, & cur?*

292 *Priores sunt, à quibus principaliter cura subditorum petenda est in tremendo Dei judicio, & cur?*

293 *Quæ virtutes magis necessariæ sint in Prioribus, referuntur.*

294 *Quomodo Prior debeat miscere pietatem & misericordiam cum justitia?*

295 *Prior proclivior debet esse in pietatem, quam in justitiam.*

296 *Non solùm virtutibus, sed & pluribus aliis dotibus Prior debet esse ornatus.*

297 *Ornatus in primis debet esse prudentia.*

298 *Nullum negotium aggredi debet, nisi omnibus, quæ illud circumstant consideratis.*

299 *Debet esse docilis in mutando Consilium, si id expediens fuerit.*

300 *Non debet esse facilis ad credendum.*

301 *Nihil faciat sine Consilio.*

302 *Debet esse silentiarius.*

303 *Delatores non debet audire, etsi aliquando hoc bono communi fuerit necessarium, non eis debet dare plenam fidem, etsi sint personæ insignes.*

304 *Non debet cum subditis habere nimiam familiaritatem.*

305 *Debet esse liberalis.*

306 *Maximè conservationi pacis debet intendere.*

307 *Debet esse bonis artibus, & litteris instructus.*

308 *Variis debet talentis & dotibus pollere.*

309 *Maxima illius obligatio est procurare bonum spirituale, prius Religionis, deinde singularum personarum Communitatis.*

310 *Debet Religiosis subministrare media necessaria ad acquirendam perfectionem.*

311 *Hæc sunt; diligens instructio, opportuna correctio, vigilans gubernatio.*

312 *Tenetur suis subditis Sacramenta ministrare, quoties ea rationabiliter postulant, si hoc sine gravi incommodo facere potest.*

313 *In probabili mortis periculo subditorum, tenetur Prior sub mortali sive per se, sive per alium, etiam cum periculo vitæ, subditis Sacramenta ministrare.*

314 *Hæc obligatio est respectu Sacramenti pœnitentiæ, & Eucharistiæ, si aliàs infirmus non potest confiteri.*

315 *Quid dicendum sit de Sacramento extremæ unctionis?*

316 *Prior tenetur sub mortali procurare observantiam Regulæ, & Constitutionum, etiamsi non obligent ad mortale, vel veniale.*

317 *Priores non reprehendentes subditos ob malas consuetudines Religioni contrarias, seu dissimulantes aliquam Regulam, seu consuetudinem bonam in desuetudinem ire, peccant mortaliter, licet subditi in prædictis non peccent, nisi tantum venialiter, vel nullam culpam committant.*

318 *In hoc dari potest parvitas materiæ.*

319 *Quid in his sit materia gravis, quid levis?*

320 *Prior non reprehendens peccata venialia Religioni nociva, peccat mortaliter.*

321 *Prior non tenetur ad correctionem, quando non speratur correctio fore multum utilis, sed differenda est correctio ad tẽpus, in quo erit utilis.*

322 *Defectus rectæ intentionis in Prælato, qui proprio commodo potius, quam charitati attendit, est radicalis pernicies Prælato in suo regimine.*

323 *Quæ mala inde oriantur, & quomodo ab illis possit Prior se liberare?*

324 *Prior, qui utitur subditorum personis, vel eorum actionibus, & toto regimine pro sua utilitate, & commoditate, peccat.*

325 *Hoc verum est, etsi hoc minus principaliter intendat.*

326 *Prior non solùm verbo, sed etiam suo exemplo tenetur subditos in observantia regulari continere, & perficere.*

327 *Prælatus faciens aliquid malum, vel bonum, vel indifferens, sed secundùm apparentiam malum, eo intuitu, ut aliis sit occasio peccandi, peccat mortaliter.*

328 *Prælatus peccat peccato scandali, si faciat aliquid, quod sit subditis occasio peccandi, & ruinæ, etsi ille talem intentionem non habeat.*

329 *Prior, qui habitum ex pannis pretiosis gerit, peccat mortaliter.*

330 *Idem dicendum est de Prælatis, qui ornamenta, & supellectiles habent extraordinarias, & sumptuosas.*

331 *Prior licet primo loco tenetur bonum spirituale procurare, tenetur etiam ex officio bonum temporale subditorum procurare, tribuendo eis omnia ad victum, & vestitum necessaria liberaliter, & non parcè.*

332 *Religiosus in professione se obligavit Religioni ad ei inserviendum, & Religio illi ad tanquam filium tractandum.*

333 *Conventus non tenetur præbere alimenta justè ejectis.*

334 *Injustè expulsus potest compellere Conventum ad præbenda ei alimenta, non solùm futura, sed etiam præterita, si ea mutuò accepit, secus si ea aliunde accepit.*

335 *Prior non tenetur alimenta præstare apostatis, aut fugitivis.*

336 *Non tenetur Conventus expensas à prædictis factas solvere.*

337 *Tenetur Conventus solvere expensas, quas aliquis fecit retinendo apostatam, vel fugitivum ad eum Religioni tradendum.*

338 *Tenetur etiam solvere expensas à die, qua pœnitentiâ ductus, apostata reversus est.*

339 *Tenetur ad expensas factas, factas à justè fugiente ad suum Superiorem.*

340 *Tenetur Religio alere Religiosum in senectute, qui diu apostatavit, & plura mala commisit.*

341 *Tenetur alere Religiosos ineptos ad servitium Religionis ob infirmitatem, vel aliam causam.*

342 *Ad quem Priorem pertineat hæc obligatio?*

343 *Prior tenetur alere Religiosum transeuntem ad aliam Religionem in anno novitiatus.*

344 *Idem dicendum est de Religioso relegato in aliud Monasterium, ob suo flagitia.*

345 *Non tenetur Prior dare alimenta Religioso, facto Episcopo, si Episcopatum dimittat, nisi redeat ad Religionem.*

346 *Idem dicendum est de Religioso, qui aliunde habet abundanter alimenta.*

347 *Tenetur Prior ministrare Religiosis infirmis medicinas ordinarias, non tamen extraordinarias.*

348 *Aliquando tenetur etiam ad extraordinarias, si Religiosus esset valde utilis, & Religioni necessarius.*

349 *Idem dicendum est de Religioso captivo.*

350 *Prior non tenetur solvere debita contracta à suo Religioso post professionem absque debita licentia, sive ex delicto, sive ex contractu, nisi quatenus Conventus factus ditior, vel cedant in ejus utilitatem.*

351 *Si debita erant contracta ante professionem, & Religio successit in bonis Religiosi, tenebitur illa solvere juxta vires hæreditatis.*

252 *Prior tenetur solvere debita, quæ suus Religiosus contraxit existens in scholis, cum licentia sui Prælati, dummodo sint justa, & rationabiliter contracta.*

353 *Si debita non fuerint de rebus ordinariis, & justa, sed extraordinaria, ad illa non tenebitur Prior, sicut si degit in scholis sine debita licentia.*

354 *Prior tenetur ex justitia succurrere etiam parentibus Religiosi, qui ante ejus professionem graviter indigebant, vel dimittere filium, ut parentibus succurrat.*

355 *Si indigentia subsecuta fuit professionem, non tenetur Prior ex justitia alere parentes Religio-*

Religiosi, tenetur tamen ex charitate, aut dimittere Religiosum, aut sublevare necessitatem illorum, si absque notabili præjudicio id facere possit.

356 *In nullo casu tenetur Prior ex justitia alere Fratres Religiosi, aliquando tamen tenebitur ex charitate.*

357 *Prior tenetur ex charitate, & pietate, non tamen ex justitia alere filios, non emancipatos sui Religiosi, qui etiam post ejus professionem in necessitatem inciderunt*

358 *Prior tenetur non solum ex pietate, & charitate, sed quasi ex justitia solvere suffragia pro suo subdito defuncto, juxta Leges Ordinis.*

359 *Prior tenetur ex justitia solvere expensas factas pro sepeliendo suo subdito, vel pro deferendo corpore ad ejus Conventum.*

360 *Prior tenetur bona Conventus dividere subditis attentâ meritorum, & non personarum ratione.*

361 *Subditi juxta proportionem meritorum habent jus ad omnia bona Religionis.*

362 *Prior non potest distribuere sibi, vel alteri meliorem cellam, vestem, cibum, vel potum,* &c. *sed hæc omnia juxta merita, & necessitates singulorum, & non secundùm dignitates debent dividi.*

363 *Ex bonis Communitatis, nulli etiam Prælato aliqua portio assignanda,* &c.

364 *Ordo servandus in distributione bonorum ille debet esse, quem necessitas exegerit.*

365 *Si major in dignitate, vel ætate æqualiter indiguerit, ac minus dignus præferendus illi est.*

366 *Si inferior in dignitate plus indiguerit, præferendus est majori in dignitate.*

367 *Prælati sunt dati, non in commodum & utilitatem ipsorum, sed subditorum.*

368 *Priores non procurantes magis utilitatem communem subditorum, quam propriam, peccant mortaliter.*

369 *Priores, qui ferè omnia meliora bona seu commoda Conventus in proprium usum convertunt, peccant mortaliter contra justitiam, paupertatem, charitatem, & peccato scandali.*

370 *Affectus proprii commodi in Priore, est radix omnium relaxationum, quæ in suo Conventu exurgunt.*

371 *Prælatus, qui in bonum privatum cuncta refert, & non in bonum commune, non Prælatus, sed Tyrannus censendus est.*

372 *Prior tenetur sub mortali, procurare suos subditos vivere vita communi absque peculio, & illis omnes usus superfluos vetare.*

373 *Si Conventus non habeat, unde tribuat Religiosis necessaria, tunc potest, imò tenetur illis permittere peculium.*

374 *Semper tenetur Prior superflua vetare.*

375 *Quæ dicantur Religiosis superflua?*

376 *Quid si in aliqua Religione hæc superflua ex antiqua consuetudine permittantur?*

377 *Priores Religionum reformatarum, tenentur sub mortali procurare, ut nulla mala consuetudo contra votum paupertatis, in suam Religionem introducatur.*

378 *In multis Religionibus negligentiâ Prælatorum, malæ consuetudines fuêre introductæ.*

379 *Prælati negligentes, quæ necessaria sunt pro conservatione disciplinæ regularis, sunt fontes relaxationis.*

380 *In nullo casu possunt Priores certam portionem redituum Monasterii deputare ad victum hujus, vel illius Religiosi.*

381 *Concedentes jura, redditus, vel pensiones ad certum tempus, ut iis fruantur ad victum, incurrunt suspensionem ab officio.*

382 *Potest Prior alicui Religioso committere curam alicujus prædii, ea conditione, ut tantum summam tribuat Conventui, & residuum maneat ipsi.*

383 *Reformatio Religionis principaliter debet intendi in Capitulis Generalibus, & Provincialibus.*

484 *Ad Priores etiam spectat insistere, ut in suo Conventu Regula observetur, & eam collapsam restaurare.*

485 *Ad hunc effectum potest ponere præcepta pro suo triennio, & transgressores Regulæ punire.*

386 *Ut facile Prior reformationem introducat, debet incipere à seipso, & Religiosis tribuere necessaria.*

387 *Prior tenetur sub mortali vitam in periculo ponere pro tuenda observantia suæ Religionis, juxta occurrentes occasiones.*

388 *Tenetur exponere vitam pro spirituali salute subditorum, non solùm in communi, sed etiam in particulari, etiam citra extremam necessitatem.*

389 *Tenetur vitam exponere, non solùm pro bono spirituali subditorum, sed etiam pro vita corporali subditorum.*

390 *Non tenetur vitam exponere pro vita unius subditi*

428 *Prior tenetur certiorem facere Episcopum, non solùm de sententia data, sed etiam de illius executione, nisi pœna multum tempus duret.*

429 *Si Prior aliquid receperit à personis Ecclesiasticis, ratione excessuum à subditis suis commissorum, si requisitus intra mensem non restituat, incurrit suspensionem ab officio.*

430 *Si recipiat propter eandem rationem aliquid à Laicis, non incurrit prædictam pœnam, etsi non restituat.*

431 *Priores non possunt recipere Religiosos Ordinis itinerantes, absque litteris dimissoriis proprii Prælati.*

432 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

433 *Priores, qui à Sede Apostolica promoventur, vel confirmantur, tenentur accipere litteras authenticas illius, antequam recipiant administrationem monasterii commissi, aliàs incurrent suspensionem ab administratione.*

434 *Prior tenetur procurare, ut Communitas vadat ad processiones juxta Trid. nisi ex privilegio Religio exempta sit.*

435 *Si unus alterve desit, non est mortale, dummodo sufficiens numerus pergat ad processionem, ubi quomodo nostri Religiosi non teneantur ire ad processiones.*

436 *Prior non potest admittere fœminas intra clausuram monasterii.*

437 *Si eas admittat absque ullo prætextu, non incurrit aliquas pœnas.*

438 *Quid si eas admittat prætextu facultatum?*

439 *Idem de mulieribus dicendum est, sublata circumstantia mali finis, scandali, violentiæ, aut injuriæ illatæ monasterio.*

440 *Quid dicendum sit de jure nostro in hoc casu?*

441 *Priores secluso jure speciali, possunt admittere fœminas intra claustra cum reliquo populo in processionibus, & ad alia officia, quæ ibi fieri solent.*

442 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

443 *Prior aut alii Prælati non possunt ingredi monialium monasteria, quibus præsunt, citra casus necessitatis, sub certis pœnis.*

444 *In casu necessitatis possunt ingredi Monialium monasteria.*

445 *Si intrent sine comitatu personarum habentium conditiones requisitas à* GREGORIO XIII. *non incurrunt pœnas illius Constitutionis.*

446 *Idem dicendum est de Prælato cum causa ingrediente, ibi se detinente, ad videndas officinas monasterii.*

447 *Prior concedens licentiam subdito exeundi è monasterio absque necessitate, vel utilitate, ad minus peccat venialiter.*

448 *Prior non potest negare licentiam subdito exeundi è monasterio, ex scientia habita in confessione, aut socium admonere, ut invigilet ad personas cum quibus loquitur, vel janitorem monere, ut videat, quæ persona eum inquirunt.*

449 *Ex prædicta notitia non potest claudere fenestras dormitorii, muros erigere, aut janitorem ab officio amovere.*

450 *Prior tenetur suos subditos honorare.*

451 *Etsi Prælatus subditum non honoret eum salutando, ob varias causas, quæ etiam justè dari possunt, subditi tamen eum tenentur salutare & honorare.*

452 *Quid si Prælatus hoc faciat ex arrogantia*

453 *Quam periculosum & grave sit Officium Prioris declaratur.*

DICO I. Cum integritas Præsidentium sit salus subditorum, ut habetur in *Cap. miramur. dist.* 61. manifestè patet Priores non posse suum munus benè exercere, nisi sint iis virtutibus ornati, quas in subditis suis tenentur ex officio procurare: nam quemadmodum caput, supremum corporis membrum, & quasi illius Prælatus, omnes sensus per corpus dispersos, & insuper alios in se habet, sic Prælatus omnes virtutes subditorum, & alias eminentiores debet habere, non enim solo verbo, sed factis ipsis debet suis subditis prædicare, & licet hoc omnibus Prælatis conveniat, maximè Prioribus localibus, tanquam propriis immediatisque Patribus, incumbit; ipsi enim sunt à quibus principaliter subditorum salus, & profectus pendet, & à quibus subditorum sanguis, si negligenter se gesserint exquiretur, & quibus terribile judicium in die Domini fiet; ut huic ergò oneri satisfaciat, primùm spiritualem subditorum vitam suo exemplo sustentare debet, deinde doctrina perficere, ut habetur in *nostr. Constitut.* 3. *p. c.* 11. *n.* 4. 291 292

Virtutes autem magis necessariæ Prælatis sunt *primùm* justitia, quæ semper illis præ oculis habenda est, bonum commune semper affectando, proprio commodo etiam postposito, pro regulari observantia vitam, si opus fuerit, in periculum con- 293

constituendo. *Secundò*, necessaria est illi fortitu-
do, justitia enim sine fortitudine terga nonnun-
quam vertit. *Tertio*, inesse illis debet pietas & mise-
ricordia, non nimia tamen, sicut nec nimia justi-
294 tia, sed miscenda est lenitas misericordiæ, cum se-
veritate justitiæ, ut neque nimia severitate exaspe-
rentur subditi, nec nimia benignitate solvantur,
quamvis in plurimum debeant Prælati proclivio-
res esse in pietatem & benignitatem, maximè in
295 parvis, vel vulgaribus culpis, non enim conducit
quaslibet & omnes simpliciter punire; Peyrinis *de
Prælato q. c. 1. n. 15.*

Dico II. Non solùm virtutibus omnibus Prior
296 debet esse ornatus, sed insuper pluribus dotibus na-
turalibus debet pollere: hoc enim maximè con-
ducit ad bonum regimen, majorem namque sic si-
bi conciliat authoritatem, tum in subditis, tum in
297 extraneis. Unde inprimis ornatus debet esse pru-
dentia, pro prudenti autem subditorum regimine,
hæc monita debet observare.

298 Primum, quod nullum negotium aggrediatur,
nisi omnibus, quæ illud circumstant, considera-
tis, *qui enim festinus est, pedibus offendet. Proverbio-*
299 *rum 19.*

Secundo, quod non vereatur consilium muta-
re, si negotium id exigat. Unde Seneca dixit: *vis
tibi omnia subjicere, subjice te rationi.* Unde homi-
nes, qui quod semel apprehendunt, nunquam di-
mittunt, procul ab officiis sunt arcendi.

300 Tertio, quòd non sit facilis ad credendum
juxta illud Sapientiæ: *qui cito credit, levis est corde.*

Quarto, quod nihil sine consilio faciat, ut ait
301 Ecclesiast. cap. 32. *Fili, sine consilio nihil facias, & post
factum non pœnitebis.* maximè tamen procuran-
dum, ut consiliarius sit bonus, senex & expertus
in ea re, de qua petitur consilium.

Quinto, quod linguam maximè cohibeat,
302 verba enim Prælati notantur attentè, & circumfe-
runtur velociter, & multam faciunt in animis sub-
ditorum impressionem.

Sexto, quod delatores non audiat, juxta illud
303 Prov. 4. *detrahentia labia sint procul à te*: licet enim
illi, qui zelo charitatis ducti de malefactis Supe-
riorem monent, ut provideat de remedio, audien-
di sint, quando id bono communi est necessarium,
his tamen quantumvis gravibus, Prælatus non de-
bet plenam adhibere fidem, nec judicium formare,
sed solùm cautus reddi.

Septimo, quod nimiam cum subditis familia-
304 ritatem vitet, parit enim ea contemptum, & Præ-
latum multum decet gravitas, ita ut ex quacum-
que re levi non moveatur ad ridendum, loquen-
dum, murmurandum, &c. & de hac gravitate lo-
quitur Apostolus, cùm ait ad Titum 17. cap *In
omnibus præbe te exemplum bonorum operum, in do-
ctrina, in integritate, in gravitate.*

Octavo, quod sit liberalis in subdito, sic enim 305
corda rapiet subditorum.

Tandem conservare pacem maximè allaboret,
& intendat, dissipando illos, qui eam perturbant,
juxta Psalmistam 67. *Dissipa gentes, quæ bella vo-* 306
lunt, discordiæ enim inter Religiosos sunt radix, &
origo omnium relaxationum.

Debet insuper esse bonis artibus, & litteris in- 307
structus, ut aliquando, si fortè necessarium sit,
possit, sive confessionario, sive pulpito loco sub-
diti repugnantis, vel impediti subvenire, ut sic
ostendat subditis se, etiam sine eorum opera, posse
præstare, quæ præstanda sunt: & tandem cum
Prælatus sit in suo Conventu, tanquam anima ra-
tionalis in homine, quæ tota est in toto, & tota
in qualibet parte corporis, varia munera exercen- 308
do, sic Prælatus variis talentis ac habilitatibus de-
bet esse ornatus, ut necessitatibus variis occurren-
tibus succurrere possit.

Prædictis igitur Prior ornatus virtutibus & do- 309
tibus, pro certo habeat principalem ejus obliga-
tionem, quæ etiam omnibus Prælatis superiori-
bus incumbit, esse totis viribus procurare bonum
spirituale prius Religionis & Communitatis in
communi, deinde singularum personarum de
Communitate, ut benè cum Rodriguez notavit
Peyrin *de Prælato q. 1. c. 7. n. 13.* cum enim finis 310
status religiosi sit acquisitio perfectionis, Prælatus 311
debet Religiosis subministrare media spiritualia
necessaria, ad illam consequendum, ut sunt dili-
gens instructio, regularis disciplinæ conservatio,
Sacramentorum administratio, opportuna corre-
ctio, & vigilans gubernatio.

Unde tenentur suis subditis Sacramenta mini-
strare, quoties ea rationabiliter postulant, si hoc 312
sine gravi incommodo facere possunt; Bord. *To. 1.
resol. 2. num. 25.* Imò in probabili mortis periculo 313
subditorum, ut tempore pestis, vel alio simili, te-
netur Prior sub mortali, sive per se, sive per alium,
etiam cum periculo propriæ vitæ Sacramenta suis
subditis ministrare, est enim illorum immediatus
pastor, & Prælatus, cui hæc obligatio ex officio in-
cumbit, ut de Parocho respectu Parochianorũ do-
cent communiter DD. apud San. *l. 6. mor. c. 2. n. 52.*

Hæc

Hæc autem obligatio est respectu Sacramenti
314 pœnitentiæ, vel etiam Eucharistiæ, si aliàs infirmus non potuit confiteri; ita Silv. Rodrig. & alii relati à Diana 3. *parte, tractatu* 4. *resolutione* 144.
315 licet oppositum teneat Molphesius, quem refert Diana *ibidem.* & idem dicendum est, de Sacramento extremæ unctionis, nam illud non tenetur Parochus ministrare, cum periculo vitæ, si aliàs infirmus sit confessus, vel communicârit, secus si neutrum Sacramentum recepisset, nam tunc Sacramentum unctionis extremæ esset Sacramentum necessitatis, ut patet.

Dico III. Priores tenentur sub mortali pro-
316 curare observantiam Regulæ & Constitutionum proprii Ordinis, etiam in casu, quo illæ non obligent ad peccatum, vel tantum ad veniale; ita cum Baldo, Peyrinis *de Prælato quæst.* 1. *cap.* 7. *n.* 15.
317 Unde Priores non docentes, non monentes, non reprehendentes subditos ob malas consuetudines Religioni contrarias, & dissimulantes Regulam aliquam, seu Consuetudinem in desuetudinem ire, & non attendentes ad promovendos subditos ad perfectionem, quam status & Ordo assumptus postulant, peccant mortaliter, licèt subditi ex se, ea transgrediendo, tantùm peccent venialiter, vel etiam nullum committant peccatum; ita Lugo *de justitia, disput.* 9. *Tomo* 1. *sect.* 2. *num.* 21. quia in hac negligentia Prælati graviter deficiunt in obligatione, qua ex officio tenentur consulere potissimum bono spirituali & profectui subditorum, & observantiæ regulari, quæ per hujusmodi defectus labefactatur.

318 Debet igitur Prior invigilare, & adhibere omnem vigilantiam moralem in his damnis præcavendis, & licet in hoc dari etiam possit parvitas materiæ, erit tamen materia gravis v. g. si permitteret ire in desuetudinem, Ordinationem prohibentem ingredi in cellulas alienas, observantiam silentii debitis temporibus, horam consuetam matutini, chori frequentiam, asperitatem, ac rigorem in vestitu, ac fabricis, aliisque rebus secundùm Ordinis statum; si permitteret, ut introducatur notabilis negligentia in rebus spiritualibus, vel ut subditi se addicant rebus temporalibus & sæcularibus, vel ut ambitio prævaleat, vel ut unusquisque quærat proprium bonum, & commune negligat, & alia similia, quæ Religionem inficiant; ita communiter DD. præsertim Soto, Suarez, Lorca, Torres, Palaus, Lug. Turrianus, Layman. Calpensis,
319 & alii, quos refert & sequitur Giragus *parte* 3. *dub.* 39. *num.* 238. dabitur tamen parvitas materiæ, quando hæc non ita frequenter, sed aliquando fie-
rent; Lug. *de justitia, disp.* 39. *sect.* 2. *n.* 22. cùm e- 320
nim rarò fiunt, non ita inficiunt, nec lædunt bonum commune Religionis, quod Prior curare debet & attendere. Idem dicendum est, si Prior non corrigeret aliqua peccata venialia Religioni nociva, ut sunt impudica verba, consuetudo jurandi, aut usus chartis ludendi, aut similia; ita Lu. *ubi su. n.* 22.

Adverte tamen, Prælatum non teneri ad correctionem subditorum, quando correctio non speratur multum utilis, sed tunc secundùm regulas prudentiæ differenda est correctio ad commodum tempus, ne correctio, & Prælati authoritas contem- 321
natur: regulandum igitur est, hoc negotium per charitatem, & non per passionem, defectu enim rectæ intentionis majus, & quasi radicale periculum ac malum Prælati in suo regimine oritur; quia nimirum officio utitur potissimum ad seipsum quærendum, suaque commoda procuranda: ideò enim parvos aliquorum subditorum defectus severè ar- 322
guit, vitia verò magna aliorum dissimulat, ut illos contemnat, & hos non offendat, & adversarios reddat: ideò promovet minus dignum relicto digniori: ideò permittit multa, quia dependet à multis ad propriam in suo officio conservationem, ad honorem, vel quid simile; quare si Prælatus rectè & sincerè desiderat suo muneri satisfacere, nec in eo quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi facilè vitabit prædicta pericula, quia optima regula est affectus charitatis, & zelus interior circa bonum subditorum, quod si aliquando ex imprudentia excesserit ad unum, vel alterum extremum vitiosè declinando, non facilè deputabitur ei error ad culpam mortalem, cùm sit homo, qui difficulter potest omnia perfectè examinare & ponderare; ita Lugo *ubi supra n* 26. 323

Adverte secundo, Priorem sive alium Supe-
riorem Prælatum, qui utitur subditorum personis, 324
vel eorum actionibus & toto regimine pro sua utilitate, commodis, & conservatione, peccare mortaliter, quia invertit finem sui officii ex propria am-
bitione; ita cum Valent. Cajet. & aliis Gir. 1. *p. dub.* 325
4. *n.* 31. quod verum est, etiamsi hoc intendat minus principaliter, est enim hoc quidam prætextus ad celandum ambitionem; ita cum aliis Girag. *ibid. n.* 32. & quamvis revera velamen ambitiosus non sit, adhuc peccat lethaliter, utitur enim actionibus subditi sine jurisdictione, nam Prælatus solùm habet jurisdictionem utendi actionibus subditi in bonum commune, non verò in proprium commodum; ita Giragus *n.* 33.

326 ADVERTE TERTIO, Priorem non solùm verbo, sed & exemplo suo teneri subditos in observantia regulari perficere ac retinere, parum enim prodest, quod Prior multa dicat ad continendos subditos, si quæ dicit non facit, imò contrarium facit, ut benè cum aliis notavit Peyrinis *de Prælato quæst.* 2.
327 *c.* 7. §. 4. *num.* 48. Unde Prælatus faciens aliquid malum, vel bonum, vel indifferens, sed secundum apparentiam malum eo fine & intuitu, ut aliis sit occasio peccandi, peccat mortaliter; Peyri-
328 nis *ibidem num.* 13. Imò addo peccare Prælatum peccato scandali, si faciat aliquid, quod sit subditis occasio peccandi & ruinæ, etsi ille talem intentionem non habeat; nam cùm Prælatus sit, & esse debeat veluti exemplar aliorum, tenetur vitare omne illud, quod etiam sine sua intentione potest esse subditis occasio ruinæ; ita cum Navarro Pey-
329 rinis *ubi supra num.* 53. Hinc fit peccare mortaliter Prælatum, qui habitum ex pannis preciosis gerit, & quibus alii non utuntur in Religione: & i-
330 dem dicendum est de Prælatis, qui utensilia selecta habent ac extraordinaria & sumptuosa; ita cum aliis Peyrinis *de Prælato quæst.* 2. *cap.* 3. §. 24. *num.* 242.

331 DICO IV. Licet primariò & primo loco teneatur Prior ex officio bonum spirituale subditorum procurare, juxta illud Matthæi: *Primum quærite regnum Dei*, tenetur tamen secundariò etiam ex officio bonum temporale subditorum procurare, tribuendo illis necessaria ad victum & vestitum, non tenaciter & parcè, sed liberaliter, juxta cujuscumque Religionis modum & statum, quæ obligatio non solùm est ex charitate, sed ex justitia, ut benè cum Navarra & Fagund. notat Peyri-
332 nis *de Prælato q.* 1. *c.* 5. *n.* 59. In professione namque Religiosus se obligavit ad inserviendum Religioni, seque ei per omnia subjecit in perpetuum, Religio verò se obligavit ad illum alendum, regendum, retinendum, & tanquam filium tractandum.

333 Et ex hac resolutione plures deducuntur casus: *Primùm* Conventum non teneri præbere alimenta justè ejectis à Religione, quia ab hoc contractu inito in professione defecerunt & aliàs ex malitia sua commodum reportarent; Fagund. in 7. *præce-*
334 *pto decalogi cap.* 6. *num.* 5. è contra verò injustè expulsus potest compellere Conventum ad ei præstanda alimenta, non solùm futura, sed etiam præterita, si ea mutuò accepit, siquidem jure suo injustè fecit spoliatus; ita Surd. *de aliment. titulo* 6. *q.* 35. *n.* 6. Molina *Tom.* 1. *disp.* 140. Sanch. *lib.* 6. *moralium c.* 9. *n.* 8. Dixi, *si ea mutuo accepit*, nam si opere suo, vel alterius donatione se aluit, non tenetur Conventus ad alimenta præterita, nam cùm Monachus quidquid acquirit, Monasterio acquirat, hoc ipso quod talis expulsus ex propria industria, aut alterius donatione se sustentavit, in rigore loquendo præsumitur se alere ex sumptibus Monasterii; ita ex Navarro & aliis Sanchez *supra citat.*

SEQUITUR SECUNDO, non teneri Prælatum ali- 335
menta præstare apostatis, aut fugitivis, quia frangenti fidem fides est frangenda; ita Sanchez *ubi supra num.* 21. Santarelus *de apostatis c.* 3 *num.* 22.
Bonac. *q.* 2. *de clausura p.* 11. §. 3. *n.* 4. Peyrinis *de* 336
Prælato q. 1. *c.* 5. *n.* 6c. aliique penes ipsos, qui hinc benè inferunt, non teneri Conventum expensas factas à prædictis apostatis, seu fugitivis solvere, ut si mutuo pecunias accepit, vel credito obtinuit cibos à caupone, vel aliis, eos bona fide præstantibus. Et ratio est, quia Monasterium non tenetur ex contractu, aut delicto monachi, nisi quatenus ipsum factum est ditius, aut saltem contractus cessit in ejus utilitatem, sed Conventus nihil horum recepit, sed potius reportavit damnum, eo quod, si hæc illi non tribuerentur, fortasse citius ad suum Conventum reverteretur, ergò. Tenebitur tamen Conventus solvere expensas, si apo-
stata, aut fugitivus ab aliquo capiatur reducendus 337
ad Monasterium. Aut, si ipsemet pœnitentia du- 338
ctus redeat: cùm in priori casu alter ex tunc utiliter gerat negotium Religionis, in secundo verò ipse prævenit obligationem Religionis, quæ tenebatur eum revocare; ita Sanch. *ubi supra n.* 22. ad-
dens teneri etiam Priorem ad expensas factas à Re- 339
ligioso justè fugiente ad Superiorem, siquidem Monasterium tenetur dare Religioso expensas necessarias ad litem.

SEQUITUR TERTIO, teneri Priorem alere suum 340
Religiosum in senectute, qui diu apostatavit, plura commisit scandala, nam cùm jam se commiserit Religionis castigationi, satisfecit suæ obligationi, licet Peyrinis *ubi supra num.* 60. existimet tantum teneri eum alere ex charitate, non verò ex justitia: in omni tamen opinione tenebitur Prior
alere Religiosos inhabiles ad servitia Religionis, 341
ob infirmitatem, aut aliam causam; hæc tamen obligatio pertinebit in illis Religionibus, in quibus
Religiosi habent speciales filiationes, ad Priorem 342
domus cujus est filius: in aliis verò Ordinibus ad illum Priorem, in cujus domo à Provinciali factus est Conventualis.

Idem

Idem dicendum est de Religioso translato ad
343 arctiorem Religionem pro anno novitiatus, ubi est
consuetudo, ut dentur alimenta novitiis pro anno
Novitiatus. Et idem dicendum est, de Religioso
344 relegato ob sua flagitia in aliud Monasterium :
nam in his omnibus casibus Prælatus domus, ubi
talis Religiosus est Conventualis, tenebitur ei
dare alimenta, nisi specialia Statuta aliud dispo-
nant.

345 Non tenetur tamen Prior talia alimenta Reli-
gioso facto Episcopo, si Episcopatum dimittat,
nisi redeat ad Religionem; nam ex vi promotio-
nis amisit jus ad alimenta, cùm exierit à subjectio-
ne Religionis, quam subjectionem per renuntia-
tionem non recuperat, nisi ad Religionem rever-
tatur; Ita Rodriguez, Sanchez, Portel, quos refert
& sequitur Peyrinis *in Formulario lit. G. capite 6.
num. 2.*

346 Idem dicendum est de Religioso, qui aliun-
de habet abundanter alimenta, v. g. ex cathedra,
aut ex peculio sibi à Prælato concesso, nam hoc
ipso, quod Prælatus finit eum uti illo stipendio,
vel peculio, censetur eum alere, cum hæc omnia ex
jure ad Religionem pertinerent; ita Pelliz. *Tra. 3.
cap. 6. num. 30.*

347 Sequitur quarto, Teneri Prælatum mini-
strare Religiosis infirmis medicinas ordinarias,
non tamen extraordinarias; nam cùm Religiosi
profiteantur paupertatem, non debent uti rebus
ita preciosis; nam pauperes non solent facere ex-
pensas adeò extraordinarias ad sanitatem recupe-
randam. Aliquando tamen tenebitur Prælatus il-
las facere, ut si Religiosus esset valde Religioni ne-
cessarius.

Idem dicendum est de Religioso captivo; nam
348 si moderatis expensis Prælatus eum posset redime-
re, ad id tenetur, tum ex charitate, tum ex pietate;
349 secus dicendum est, si debeant fieri expensæ immo-
deratæ, nisi aliàs Religiosus sit majoris lucri Reli-
gioni; ita Pelliz. *ibidem n. 35.*

350 Sequitur quinto, Priorem non teneri solve-
re debita contracta à suo Religioso absque legiti-
ma licentia post suam professionem, sive ex deli-
cto, sive ex contractu, nisi quatenus Conventus
factus est ditior, vel cedit in ejus utilitatem; ita
communiter DD. apud Sanch. *ubi supra num. 11.*
Ratio verò est, quia delictum personæ non est
convertendum in Ecclesiæ damnum, *Cap. si Episc.*
351 *dist. 6. q. 6.* Nec pater, aut Dominus tenetur ex
contractibus initis per filiosfamilias, aut servos
absque eorum licentia, ergò idem de Religiosis di-
cendum erit. Dixi, *debita contracta post professio-
nem*, nam si erant contracta ante professionem &
Religio successit in bonis Religiosi, tenebitur jux-
ta vires hæreditatis, non tamen ultra; ita cum Ro-
sella, & aliis Lezana *Tom. 2. c. 24. n. 30.*

Sequitur sexto, è contra teneri Priorem sol- 352
vere debita, quæ suus Religiosus contraxit exi-
stens in scholis, cum licentia sui Prælati, dummo-
do sint justè & rationabiliter contracta, nam Præ-
latus tenetur dare alimenta suis Religiosis degen-
tibus legitimè in scholis. Dixi, *dummodo sint justè
& rationabiliter contracta in rebus ordinariis*, quia
alioquin ad ea non tenebitur Prior, utpotè contra-
cta absque ejus licentia; Sanchez *lib. 7. moral. cap.* 353
31. num. 17. Dixi quoque, *degentibus legitimè in
scholis*, nam si absque legitima licentia degant in
scholis, non tenetur Prior eorum debita solvere
propter eandem rationem.

Sequitur septimo, teneri Priorem ex justitia 354
succurrere etiam parentibus Religiosi, qui ante ejus
professionem graviter indigebant, vel illum di-
mittere, ut eis succurrat, nam dando professionem
tali Religioso, ejus parentibus fecit injuriam, & li-
cet ratione bonæ fidei Prælatus non peccasset, te-
nebitur tamen ratione injuriæ materialis, vel di-
mittere filium, ut parentibus succurrat, vel eis
subvenire alimentis necessariis. Si tamen indigen-
tia subsecuta fuit professionem, tunc non tenetur 355
Prælatus ex justitia alere parentes Religiosi, tene-
tur tamen ex charitate, aut dimittere Religiosum,
aut sublevare necessitatem parentum, si absque no-
tabili præjudicio, id facere possit; ita Ang. Silve-
ster, Navarr. Toletus, Lessius, quos refert & se-
quitur Suar. *Tomo 3. de Relig. lib. 6. cap. 9. n. 6. 7.
& 8.* Peyrinis *de Prælato quæst. 3. c. 1. n. 70.*

Adverte tamen, in nullo casu teneri Prælatum 357
ex justitia alere Fratres sui Religiosi, tenebitur ta-
men aliquando ex charitate; Suarez *loc. cit. n. 31.*
Tenebitur tamen non solùm ex charitate, sed et- 357
iam ex pietate, non tamen ex justitia alere filios
nondum emancipatos sui Religiosi, qui etiam post
ejus professionem in necessitatem inciderunt; ita
Suar. *supra cit. n. 30.*

Tandem sequitur non solum ex charitate & 358
pietate teneri Priorem solvere consueta suffragia
pro suo subdito defuncto, sed quasi ex justitia,
quatenus ipse Religiosus solvendo, dum viveret
suffragia pro defunctis, qui eum antecesserunt,
juxta Leges Ordinis, virtualiter Conventus obli-
gatur etiam ei post mortem eadem persolvenda
sint suffragia ei applicanda. Tenebitur etiam 359

Prior ex justitia solvere expensas factas pro sepeliendo suo subdito, vel mortuo deferendo ad ejus Conventum; ita Sanc. *lib. 6. moral. c.14. n.5.*

360 Dico V. Priores non solùm tenentur ex justitia alimenta modo huc usque dicto ministrare, sed illa, & alia bona Communitatis tenentur suis subditis dividere, attenta meritorum, & non personarum ratione; ita Lug. *de justitia disp. 1. sect. 3. Tom. 1.*
361 subditi namque juxta proportionem meritorum habent jus ad omnia bona Religionis; Lessius *de*
362 *justitia cap. 22. dub. 3. n. 15. lib. 2.* Unde Prior non potest ad libitum sibi, vel alteri meliorem cellam, vestem, cibum, vel potum tribuere, sed hæc omnia & alia, juxta merita, & necessitates singulorum, & non secundùm dignitates, maximè in Religione
363 reformata debent dividi; ex bonis enim Communitatis nulli etiam Prælato aliqua portio assignatur, ut ex Abbate existimavit; Navar. 3. *comment. de regul. n. 6.* sed sunt omnia destinata indivisè pro omnibus alendis & sustentandis; & licèt in Religione aliquis ordo sit servandus, iste ordo talis debet esse, quem necessitas exegerit. Unde si dignior
364 in dignitate æqualiter indigeat ac inferior, tunc præferendus est dignior, non tamen si inferior majorem habuerit necessitatem: nam ordo charitatis
366 tunc postulat, ut inferior, sive in ætate, sive in dignitate superiori præferatur, imò cùm Prælati sint
367 dati in Religionibus non in commodum & utilitatem ipsorum sed subditorum, ut cum communi sententia ait Peyrinis *de Prælato q. 1. cap. 7. nu. 2.*
368 Priores non procurantes magis utilitatem communem & particularem subditorum, quàm propriam, peccant mortaliter; lædunt enim justitiam operando in re gravi contra finem Prælaturæ; Peyrinis *ubi supra n. 14.*

369 Hinc fit, Priores, qui ferè omnia meliora bona seu commoda Conventus in proprium usum convertunt peccare mortaliter, non solùm contra justitiam, sed etiam contra paupertatem, & charitatem. Prima pars probatur, nam secundùm justitiam distributivam tenentur bona Communitatis dividere secundùm merita singulorum, ut *supra* diximus, sed ipsi omnia meliora sibi accommodant, aliis solùm viliora concedendo, vel illos cogendo penuriam pati, ergo: Quod verò etiam peccent contra paupertatem patet, quia usurpant res aliis debitas ex justitia ut proprias. Quod verò peccent contra charitatem etiam patet, quia de ratione charitatis est, ut Superiores distribuendo bona Communitatis incipiant aliis subvenire prius, quam sibi.

Præterea Prælatus sub peccato mortali tenetur præbere bonum exemplis subditis, ut dicunt communiter DD; sed si meliora bona Communitatis sibi applicat & usurpat, dat eis malum exemplum, nam possent ejus subditi meritò dicere, præpositus meus sic vivit, ego quid sum, qui non faciam quod ille facit, ut notavit D. August. 370
in lib. de pastor. cap. 4. Ergò tenetur Prior præcedere subditos bono exemplo justitiæ distributivæ, distribuendo bona Conventus, juxta necessitates, & non dignitates singulorum, alias ejus affectus proprii commodi erit radix omnium relaxationum & turbationum, quæ in suo Conventu inde exurgent, ut benè notavit Rodriguez *Tom. 3. quæst. 34. art. 5.* Unde talis Prælatus, non Prælatus, sed tyrannus censendus est; ut ait D. Thom. *lib. 3. de regimine Principum cap. 19.* quæ satis dura diffinitio est; consentiunt tamen Sotus *de* 371
justitia lib. 1. 9. 8. art. 3. & cum Decio Farinacius *de crimine læsæ Majestatis q. 113. in insp. 5.* & ratio est, quia inter Regem, & tyrannum hoc solùm est discrimen, quod ille in commune bonum, hic autem in privatum cuncta refert, sed hic Prælatus omnia in privatum commodum refert, ergò non Prælatus, sed tyrannus censendus est.

Dico VI. Priores tenentur sub mortali procurare suos subditos vivere vita communi, atque absque peculio, & illis omnes usus superfluos vetare: 372
tum, quia votum paupertatis hoc requirit: tum, quia summi Pontifices & Concilia id præcipiunt, ut patet ex Trid. *sess. 25. c. 1. de reg.* & ex decreto sacræ Congregationis, quod refert Girag. *p. 3. dub. 5.* 373
n. 58. quod si Conventus non habeat, unde tribuat Religiosis necessaria, tunc nec peccabit Prior permittendo peculium, imò potius tenebitur illud permittere, ut *sup.* diximus, semper tamen tenebitur superflua in se & in aliis vitare, ut sunt vasa aurea, gemmæ, annuli, serica, picturæ preciosæ, scriptoriola curiosa, & alia similia, quæ maximè dedecent virum religiosum, ut habetur in citata Declaratione Cardinalium, quæ etiam debent intelligi, 376
nisi hæc omnia in aliqua Religione nimis relaxata communi & antiquissimo usu permittantur; nam in his Religionibus possunt Prælati permittere, ut sui subditi habeant superflua & preciosa, eò quod id non est contra substantiam voti paupertatis, sed tantum contra accidentalia illius, in quibus possunt Superiores dispensare, cum non sit dispensare in proprio, nec proprium permittere, sed accidentalia voti relaxare; quia sicut Prior potest administrare superflua pro toto Conventu in communi,

muni, ita & concedere in particulari hanc superfluitatem.

Nec obstat authoritas Tridentini, & sacræ Congregationis, nam restringuntur ad solas Religiones reformatas; ita Bord. *Tom.* 1. *res.* 53. *n.* 45. Quanquam meritò alii multi apud ipsum contrarium
377 probabilius teneant. Unde Priores Religionum reformatarum tenentur sub mortali procurare, ne aliqua mala consuetudo contra votum paupertatis in suam Religionem ingrediatur, ne fortè, si postea radices mittat, extirpari non valeat, ut multis Religionibus in suo principio maximè reformatis, ex Prælatorum negligentia evenit, existentibus ipsis Prælatis, à quibus debebat manuteneri observan-
378 tia, ut plurimum relaxationis fontibus, eo quod
379 neglexerunt, quæ necessaria erant pro conservatione disciplinæ regularis, ut benè advertit Giragus 3. *parte, dub.* 26. *num.* 180.

Adverte tamen, in nullo casu posse Priores
380 certam portionem redditum monasterii deputare ad vitam hujus, vel illius Religiosi, hoc enim esset distruere vitam communem, & religiosam paupertatem. Unde concedentes jura, redditus, vel pensiones ad certum tempus Religiosis, ut iis fru-
381 antur ad vitam, incurrunt suspensionem ab officio latam, in Clementina *de rebus Ecclesiasticis non alienandis.* Poterit tamen Prior committere alicui Re-
382 ligioso, sive laico, sive Sacerdoti, curam alicujus prædii ea conditione, ut quotannis tribuat certum reditum, & residuum maneat pro ejus expensis; ita Pellizzar. *Tract.* 9. *cap.* 7. *num.* 13. & sic in multis Religionibus practicatur, ut ipse testatur.

383 Dico VII. Licet reformatio Religionis debeat principaliter intendi in Capitulis Generalibus & Provincialibus, ut supra diximus, ad Prio-
384 res etiam spectat insistere, ut in loco sibi subjecto Regula observetur, & eam collapsam restituere, sicque ad hunc effectum possunt ponere præcepta pro suo triennio; ita ex Silvestro, Rosel-
385 la, & aliis Sanchez *lib.* 6. *moralium capit.* 1. *numero* 37. Suavius tamen medium ad hujusmodi reformationem inducendam erit, si transgressiones Regulæ occurrentes puniat, salutares pœnas imponendo transgressoribus, illud tamen semper præ oculis Prælatis habendum, quod si volunt inducere reformationem, seipsos primùm refor-
386 ment, ut eorum exemplo cæteri reformentur, deinde Religiosis tribuant necessaria ad victum, vestitum, & alia necessaria, ex defectu namque harum rerum relaxantur omnes Religiones; unde in Religionibus, in quibus omnia necessaria tribuuntur Religiosis, ipsi liberaliter de necessariis provisi alacriter laborant in vinea Domini, teste experientia; ita communiter DD.

Dico VIII. Priores tenentur sub mortali, ob 387
observantiam suæ Religionis vitam, juxta occurrentes occasiones, in periculo constituere; ita cum Baldo, Sayro, Rodriguez, & aliis Giragus 1. *parte, dub.* 15. *num.* 89. nam cum observantia regularis sit bonum commune & spirituale, & vita Prælati sit aliquid temporale, & particulare, pro ejus conservatione tenetur prælatus ex justitia illam periculo exponere: imò addo, quod non solùm pro observantia Religionis, & pro spirituali salute subditorum, non solùm in communi, sed etiam in particulari tenetur vitam exponere, etiam 388
exrra extremam necessitatem, bonus enim pastor animam suam dat pro ovibus suis; ita cum multis 389
Peyrinis *de Prælato q.* 2. *cap.* 7. *num.* 16. Imò non solùm pro bono spirituali, sed etiam pro vita corporali subditorum, tenetur Prælatus vitam propriam mortis periculo exponere ex justitia, ut pars enim debet se exponere periculo pro toto servando: 390
ita Soto, Valentia, Navarrus, & alii, quos refert, & sequitur Peyr. *ubi sup. n.* 17. non tamen tenetur vitam exponere pro vita unius particularis subditi, nisi aliàs ejus vita plus conferat Religioni, quam vita Prælati; nam eo casu, bono communi attento, pro vita dicti subditi servanda teneretur mortis periculo se exponere; ita cum Suar. Felin. Navarro, & aliis Peyrinis *ibid. n.* 18.

Hinc fit, Priorem teneri sub mortali, etiam cum periculo vitæ, purgare domum suam à vitiis, non 391
solùm præteritis, sed & ventura arcere: ita Miranda & Rodrig. quos refert, & sequitur Girag. *p.* 392
2. *dub.* 1. *num.* 1. Unde tenetur discordias, factiones, & seditiones omninò evertere, hæc enim sunt vitia vitiorum, ex quibus, imperia, urbes, populique evertuntur; ut docet Nazianzenus 393
Orat. 12. *de pace.* Unde D. Th. 3. *de regimine principum cap.* 5. vult dominium esse concessum pro pace, & justitia servanda, & jurgiis, ac discordiis 394
resecandis, sine pace enim nulla Religio potest subsistere: siquidem unitas est forma essentialis Congregationis, Conventus enim, & Congregatio nihil aliud est, nisi multitudo hominum in unum vinculum redacta concordiæ, ut colligitur ex D. Aug. *Epist.* 4. *ad Marcellum.*

Advertere tamen oportet, ad hujusmodi unita- 395
tem, & pacem conservandam, consequendam, & tuendam non semper Priorem debere omnia Religiosorum vitia propalare, & punire, nec

etiam

etiam ea permittere, & celare, sunt enim Prælati, qui pacem Communitatis existimant esse, quando nulla delicta apparent in foro exteriori, cùm tamen plura sint perniciosa bono communi, quæ debebant in judicio propter bonum commune puniri, alii verò sunt per aliud extremum peccantes, qui singulis subditis insidiantur per media extraordinaria, unde evenit, ut multa veniant in notitiam ipsorum, quæ relinquenda erant judicio Dei, & quæ fraternaliter poterant corrigi, cupiunt sub prætextu boni communis ad judicium deferre, ut cæteri timorem habeant & semetipsos magnificent, & dum Communitati dicunt se prospicere, potiùs illi nocent, quam prosint. Debet igitur bonus Prælatus mediâ viâ incedere, vitia publica publicè, cum omni tamen charitate puniendo, non se rigidum & severum nimis ostendendo, sed mitem, & misericordem, nimia enim justitia in Prælato à Spiritu sancto damnatur, juxta illud Salomonis: *noli esse justus nimis.* Vitia verò occulta occultè expiando, si potest, vel Dei judicio committendo.

396 Dico IX. Priores tenentur in suis monasteriis residere, ut patet ex decreto Tridentini *sess.* 23. *capite* 1. nam licet tale decretum solùm loquatur de Episcopis, & aliis habentibus beneficium parochiale, quales non sunt Prælati regulares, quia tamen respectu suorum monasteriorum habentur velut Parochi, absque dubio ad hanc residentiam tenebuntur; Sanctius *lib. 6. moralium cap. 2. nu-*
397 *mero* 55. occurrente tamen aliqua occasione, minori scrupulo poterunt abesse à proprio monasterio per aliquod tempus, quàm Parochi; ita Pelliz. *Tract. 9. cap. 5. n.* 14.

398 Dico X. Priores tenentur sub mortali conservare bona temporalia suorum monasteriorum, eaque licitis modis amplificare, acceptando eleemosynas fidelium, legata, ac hæreditates, quæ fortè à Testatoribus monasterio relinquuntur; cùm enim sint administratores bonorum Conventus, tenentur ea fideliter conservare & augere, si valent, quod non faciunt repudiantes hæreditates, nisi aliqua urgens & gravis causa intercedat; ita Pel-
399 lizzar. *Tract. 9. cap. 5. n. 16.* Lezana *Tom. 2. c. 19. num.* 60.

Adverte tamen, quod si de facto sine causa re-
400 pudient legata, & hæreditates monasterio relictas, non incurrere pœnas Extravagantis *Ambitiosæ*, vel decreti sacræ Congregationis, etiam ubi sunt in usu, nam prædicta Decreta solùm prohibent alienationem, non acquisitio autem non est alienatio; Lezana *ibidem.* ex Riccio, Quaranta, Barbosa & aliis, & ex hac resolutione plures deducuntur casus.

Primus quod Prior non potest augere familiares Conventus pro servitio domus ultra reddi- 401
tus monasterii, hi enim etiam prohibentur in decreto sacræ Congregationis de celebratione missa- 402
rum, ut probat Pelliz. *Tract. 9. c. 6. n. 7.* & licet tale decretum non sit in usu, non satisfaciet tamen Prior suæ obligationi, si absque causa plures famulos retineat, quam redditus monasterii possunt sustentare, ut patet.

Secundus, quod non potest Prior alienare bo- 403
na immobilia seu mobilia pretiosa Conventus, aut bona relicta cum onere perpetuo missarum, sine certis solemnitatibus juxta Extravagantem *Ambitiosæ*, sed circa hoc vide quæ dixi in Tract. *de privilegiis secundo, disp.* 1. *sect.* 4. §. 1. *per totum.*

Tertius, quod tenetur Prior stare contracti- 404
bus factis à suis antecessoribus in bonum ipsius Conventus, quando non excesserunt limites propriæ administrationis; ita cum communi sententia tenet Portel *Tomo 1. casuum, casu 35. numer.* 2. & habetur *Cap.* dilecti *de foro competenti*; similiter tenetur solvere debita à suo antecessore facta in bonum Communitatis; Portel *ibidem n.* 3. secùs si nec contractus, nec debita fuêre facta in bonum Communitatis; nam cùm Prælatus excesserit suam potestatem, quæ solùm est ad bonum commune, successor non tenetur stare ab illo illicitè actis; ita cum multis Sanchez *in Decalogum cap. 31. numero* 10. & 13.

Quarto sequitur, quod Prælatus tenetur ex 405
justitia adimplere onera missarum, & aliorum officiorum relicta monasterio ex piis fidelium dispositionibus, ratione contractus initi inter Conventum, & Fideles, qui talia onera reliquerunt; nam cùm Prior sit caput monasterii, tenetur ex justitia curare, ut prædictis oneribus satisfiat; Pellizzar. *Tract. 9. cap. 5. n.* 20.

Quinto sequitur teneri Priorem stare locatio- 406
ni antea factæ de rebus monasterii, ab ejus antecessore, si fuit facta in commodum monasterii, quod si monasterium læsum inveniatur, competit 407
ei jus restitutionis in integrum: ita cum Silvestro, Molina, Sà, & aliis Basseus *verbo* locatio 2. *numero* 5.

An autem Prior, qui subdito promisit se ejus 408
bona post ejus mortem distributurum, juxta ejus mentem ei manifestatum, teneatur stare promissioni in foro conscientiæ? Respondeo affirmativè, nisi

nisi promissio facta sit alicui subdito suo, quo casu, sicut rem ei datam potest auferre, sic & potest alteri dare; ita Sanchez *lib. 7. moralium cap. 9. numero* 13. & ratio est, quia sicut servus potest pacisci cum Domino, & supposito pacto Dominus tenetur ex justitia adimplere promissum; ita Religiosus potest cum suo Prælato pacisci, ut sinat talem rem donari Petro, quod si admittat, tenetur stare pacto cum suo Religioso, dum adhuc viveret, inito.

409 Dico XI. Priores tenentur ex charitate de bonis, quæ supersunt decenti subditorum sustentationi, facere eleemosynas. Ratio est, quia lex charitatis æqualiter obligat Religiosos, ac Sæculares, ergò sicut sæculares de superfluis naturæ tenentur facere eleemosynas; ita Prælati regulares.

410 Adverte tamen, hanc obligationem non esse sub mortali, nisi quando proximus esset in gravi, vel extrema necessitate, ut cum multis Doctoribus notavit Diana 5. *p. tr.* 8. *resolut.* 14. Unde cùm in Conventibus vix suppetant necessaria naturæ, nec adsint superflua statui, & necessitates pauperum regulariter sint communes, & non extremæ, aut graves, raro Prælati tenebuntur sub mortali facere eleemosynas.

411 An autem possit Prior de bonis Conventus facere aliquas donationes? Respondeo affirmativè: quantum autem Priores possint dare de bonis Conventus diximus Tract. præcedenti agentes *de*

412 *voto paupertatis disp.* 4. *sect.* 6. Nec obstant decreta Clementis VIII. *de largitione munerum*, & Urbani VIII. nam hujusmodi decreta non fuère usu recepta, ut latè probat Vidal *titulo* de paupertate *inquisitione unica num.* 94. & nos *ibidem* latè diximus. Imò addo, quod etiam stantibus prædictis decretis possunt Priores facere prædictas eleemosynas; ita cum Valero, & aliis Vidal. *ubi supra numero* 100. Imò possunt facere donationes remunerationis; ita cum Filliucio, Azor. & aliis Diana

414 1. *p. tract.* 6. *resol.* 15. & donationes ad redimendam vexationem; Peyrinis *de subdito q.* 2. *capit.* 2. §. 6. vel si per tales donationes non dissipentur bona Conventus, vel non detur occasio ambitionis;

415 ita cum Granado, Megala, & aliis Diana *ubi supra resol.* 33. Non possunt tamen sine peccato mortali dare ad usus profanos, ut ad locupletandos consanguineos, ad ambiendas & consequendas dignitates, ad colludendum meretrici, aut concubinæ; & qui ab eis acceperint, tenentur ad restitutionem; Basseus *verbo* donatio *n.* 6.

416 Dico XII. Prior tenetur curare, ut in suo monasterio lectio sacræ scripturæ habeatur, si hoc commodè fieri possit, ut patet ex *Trid. sess.* 5. *cap.* 1. satisfaciet tamen huic præcepto, si lectio Theologiæ scholasticæ, vel moralis habeatur; ita cum Rodrig. & Peyrino, Lezana *Tom.* 1. *cap.* 9. *n.* 48. 417

Hæc autem obligatio major est quoad monachos, quam quoad alios regulares, nam monachi, si illam lectionem non habeant, possunt ab ordinariis ad id cogi per censuras, non tamen alii Regulares, ut patet ex eodem decreto; ita Pelliz. *Tract.* 8. *cap.* 6. *n.* 59. 418

Dico XIII. Priores tenentur denunciare inquisitoribus Religiosos sibi subditos hæreticos, vel suspectos de hæresi, & secùs facientes incurrunt excommunicationem Papæ reservatam; ita statuit Paulus V. in Bulla *Romanus Pontifex* edita anno 1606. 419

Adverte tamen ex vi hujus Bullæ solùm teneri suos subditos denunciare, non tamen alienos, nec etiam sæculares.

An autem teneantur etiam Priores curare, ut in suis monasteriis publicè legantur decreta sacræ Congregationis *de celebratione missarum*, & Bulla Clementis VIII. *de largitione munerum*, commonere suos subditos de observantia, & executione 420 literarum Apostolicarum, Constitutionum, ac Decretorum ad sanctum officium inquisitionis pertinentium certis anni diebus, & notificare suis subditis revocationem oraculorum vivæ vocis factam à Gregorio XV. & ab Urbano VIII. ampliatam? Respondeo affirmativè, idque sub variis privationum pœnis, quas refert Pellizzarius *Tractatu* 9. *cap.* 7. *num.* 19. *& sequentibus*. Quia tamen hujusmodi Decreta non sunt in usu, præsertim 421 in hoc regno, ideò ab illis explicandis abstineo. Vide, quæ dixi *Tract. præcedenti disp.* 6. *sectione* 10. *num.* 319.

Adverte tamen Priores, vel alios Prælatos regulares non posse se immiscere in judicandis causis suorum subditorum pertinentibus ad sanctum 422 officium inquisitionis, & secùs facientes incurrunt privationem quarumcumque dignitatum, 423 Prælaturarum, vel officiorum suorum Ordinum, ac vocis activæ, & passivæ, perpetuæque inhabilitatis ad eosdem, ut patet ex Bulla Pauli V. hac 424 de re edita, & relata in Bullario *Tom.* 3. *est in ordine* 26. & easdem pœnas incurrunt, si promoveant ad Prælaturas punitum à sancto officio.

Dico XIV. Priores moniti ab Episcopo, de 425 crimine scandaloso facto à suo subdito extra Conventum, tenentur intra tempus designatum ab ipso

ipso Episcopo, eum severè punire & ipsum Episcopum de punitione certiorem facere, sub pœna privationis ab officio; ita habetur *in Trident. sessione* 25. *capite* 14. quod postea in virtute obedientiæ, & aliis pœnis præcipit CLEMENS VIII. in suo Motu proprio, quem refert Lezana *Tomo* 1. *cap.* 16. *n.* 26.

426 Circa quæ præcepta, ADVERTE PRIMO, quod si crimen excedat potestatem Prioris, tunc ipsum teneri Superiorem Prælatum admonere, ad quem talis punitio spectat, & de hoc facere Episcopum certiorem; Lezana *verbo* delinquens regularis *numero* 5.

427 SECUNDO adverte, Prælatum regularem non teneri statim ad primam monitionem Episcopi subditum punire, sed posse exspectare, ut sæpius moneatur, quia prædicta decreta utuntur verbo instante Episcopo, quod denotat urgente cum quadam importunitate; ita cum Rodrig. Lezana *ubi supra num.* 3.

428 TERTIO adverte, Priorem teneri certiorem facere Episcopum, non solùm de sententia lata contra subditum, sed de ejus executione, nisi pœna per multum tempus durasset, nam tunc sufficit certiorem facere Episcopum de sententia, & qualiter incœpta sit, ut constat ex declaratione sacræ Congregationis, quam refert *ibidem* Lezana *num.* 4.

429 QUARTO adverte, quod si Priores eò deveniant perversitatis, quod aliquid à personis Ecclesiasticis recipiant ratione excessuum à subditis commissorum, si requisiti intra mensem non restituant omne illud, quod acceperunt, incurrunt suspensionem ab officio, & beneficio usque dum plenè satisfaciant; ut constat ex Clementina

430 1. §. *quibus, de privilegiis.* Dixi, *si aliquid recipiant à personis Ecclesiasticis*, nam si recipiant à laicis, non incurrunt prædictam suspensionem, quæ etiam per solam accepti restitutionem aufertur; Pellizz. *Tract.* 7. *cap.* 3. *n.* 77.

431 DICO XV. Priores non possunt excipere religiosos Ordinis itinerantes, absque litteris dimissoriis proprii Superioris; ita statuit SIXTUS V. Constitutione, quæ incipit: *Ad Romanum Pontificem*, non comprehenditur tamen in prædicta Constitutione Religiosus notus Prælato monaste-

432 rii quem divertit; Pelliz. *Tract.* 9. *cap.* 6. *n.* 8. In N. tamen Religione, Religiosus accedens ad aliquem Conventum, si litteras testemoniales statim non exhibeat, Prælatus eas postulat, quod si non ostendat, Prælatus potest eum recludere usquequo constet de ejus legitimo egressu, ut patet ex 1. *p. nostrarum Constitutionum c.* 11. *n* 4.

DICO XVI. Priores, qui à Sede Apostolica promoventur, vel confirmantur, tenentur recipere litteras authenticas illius, antequam monasterii commissi recipiant administrationem, & secus facientes incurrunt suspensionem ab administratione, non est tamen hæc suspensio reservata; Pelliz. *Tract.* 7. *cap.* 3. *n.* 54. 433

DICO XVII. Priores tenentur sub mortali procurare, ut Communitas Religiosorum vadat ad processiones, ad quas tenentur ire, juxta decretum Trident. *sess.* 25. *cap.* 13. nisi speciali privilegio eximantur: Priori enim incumbit procurare, ut ejus Communitas satisfaciat obligationibus, ad quas tenetur. 434

Dixi, *procurare, ut ejus Communitas vadat ad processiones*; nam quod unus, vel alter desit etiam sine necessitate, non est mortale, dummodò adsit sufficiens Religiosorum numerus ad Communitatem, non enim præceptum Trid. singulos Religiosos obligat, sed tantum Conventum in communi; Pelliz. *Tract.* 5. *cap.* 11. *n.* 3. 435

Dixi, *nisi aliquo privilegio eximantur*; nam Religiosi nostri non tenentur ire ad ullas processiones, ut patet ex privilegio CLEMENTIS VIII. quod refertur à nostr. Constitution. 1. *part. cap.* 9. *num.* 6.

DICO XVIII. Prior nullo modo potest admittere fœminas intra clausuram sui monasterii, imò si eas admittat, prætextu alicujus facultatis à Sede Apostolica, incurret excommunicationem reservatam, & privationem dignitatum, officiorum & beneficiorum, ac inhabilitatum ad illa, & alia in posterum obtinenda, ut patet ex Motu PII V. quem refert Delbene *Tomo* 2. *cap.* 19. *dub.* 72 *n.* 2. Non tamen peccat mortaliter, nec incurrit aliquam pœnam, si eas, sine prætextu alicujus facultatis admittat, quod etiam de ipsis mulieribus dicendum est, sublata circumstantia pravi finis, scandali, violentiæ, vel injuriæ monasterio datæ, cùm non sit lex, vel textus tale quid prohibens, ut cum Rodrig. Suario, Philiarco, & aliis tenet Delbene *ubi supra dub.* 76. *nu.* 1. Quidquid alii in contrarium teneant, quos refert idem Delbene *n.* 4. 436 437 438 439

Nec obstat quædam declaratio PII V. quæ communiter pro contraria sententia affertur, nam de illa nobis non constat authenticè, ut benè cum Rodriguez advertit Delbene *num.* 5. videnda sunt tamen specialia Religionis Statuta; 440

nam

nam in N. Religione hoc non solùm Prælatis, sed etiam aliis Religiosis sub præcepto formali prohibetur, imò Prioribus additur pœna suspensionis ab officio per sex menses, ut patet ex 1. *p. nostrarum Const. c.* 9 *n.* 7.

ADVERTE tamen, quod Priores secluso jure speciali possunt admittere fœminas intra claustra cum reliquo populo in processionibus, & ad alia divina officia, quæ ibi fieri solent, ut patet ex Bulla PII V. & tenent communiter DD. & nos latè diximus, agentes de hac obligatione *Tractatu præcedenti disput.* 6. *sect.* 4. *n.* 666. Ubi etiam invenies, an Priores possint ad libitum has processiones, & officia instituere, ut eo titulo mulier ingrediatur claustra monasterii, & alios casus, in quibus licitè possunt prædictas mulieres intra clausuram admittere, quæ omnia *ibidem* videnda sunt, ne eadem repetamus.

441 (margin)

442 Dixi, *secluso speciali jure*, nam hoc etiam prohibetur nostris Prioribus, & aliis Prælatis sub pœna privationis ab officio per duos menses, ut patet ex *p.* 1. *nostrarum Const. c.*9. *n.*6.

DICO XIX. Prior, aut alii Prælati regulares

443 non possunt ingredi monasteria monialium, quibus præsunt, citra casus necessitatis, & si ingrediantur absque necessitate, pro prima vice manent interdicti ab ingressu Ecclesiæ, pro secunda vice manent suspensi à divinis: pro tertia verò, & deinceps incurrunt excommunicationem non reservatam, ut patet ex Const. GREGORII XIII; ita Bonacina *de clausura q.* 4. *p.* 5. *n.* 11. ex Llam. probabile putat Delbene *To.* 2. *cap.*19. *dub.*68. *n.*8. Licet, Pelliz. *Tract.* 7. *cap* 2. *n.*166. existimat prædictam Excommunicationem in primo ingressu, extra casum necessitatis incurri à Prælatis regulari-

444 bus. Dixi, *citra casus necessitatis*, nam in casu necessario possunt earum Superiores ingredi earum mo-

445 nasteria. Imò si intrent sine comitatu personarum habentium conditiones petitas in prædicta Constitutione; ut si incedant comitati non religiosis, nec senibus, non incurrunt illius pœnas, nam hæ solùm imponuntur ingredientibus citra casus necessarios, ut tenet Sanch. *in decalog. lib.* 6. *c.*16. *num.* 110.

446 Idem dicendum de Prælato, in casu necessitatis ingrediente, & ibi se detinente videndo officinas monasterii curiositatis gratia; Pellizzarius *ubi supra num.* 167.

447 DICO XX. Prior concedens licentiam subdito exeundi è monasterio absque necessitate, vel utilitate, ad minus peccat venialiter, & similiter subditi, qui talem licentiam precibus extorquent; ita cum Navarro, & Miranda Peyrinis.

ADVERTE tamen, Priorem non posse negare 448
subdito licentiam exeundi è monasterio ex sola notitia habita in confessione, aut socium admonere, ut invigilet, & attendat, quæ sint personæ cum quibus loquatur, vel janitorem monere, ut videat, quæ personæ eum inquirunt, nec etiam potest ex prædicta notitia confessionis claudere fe- 449
nestras dormitorii, muros erigere, aut janitorem ab officio amovere, etiamsi sit ad nutum ejus amovibilis; ita Hurtado *Tomo* 2. *tract.* 6. *cap.* 11. *resolutione* 32. §. 14. & patet ex decreto CLEMENTIS VIII. ab URBANO VIII. confirmato, in quo illis prohibetur, ne notitia habita in confessione utantur ad externam gubernationem, quod præceptum, cùm sit in re gravissima obligat sub mortali; ita cum Palao, Lugo, Diana, & aliis Giragus *p.* 3. *dub.* 58. *n.* 357.

DICO XXI. Prior tenetur suos subditos honorare, ut dicitur Cap. *Esto subjectus distinct.* 95. 450
Peyrinis *de subdito q.* 1. *cap.* 28 *in fine*, esto tamen, quod Prælatus subditum non honoret, eum scilicet salutando, quod etiam licitè facere aliquando potest, nam sicut pater ob filii crimina potest eum non aspicere, nec salutare, nec interro- 451
ganti respondere, ut sibi iratum patrem credens, se emendet, sic Prior id aliquando poterit efficere respectu subditorum: in hoc igitur casu adhuc subditi eum tenentur salutare, & honorare; quod si hoc ex superbia, & arrogantia faciat, & ducat in consuetudinem, licet subditi melius faciant e- 452
um salutando, siquidem honor in honorante est; ad hoc tamen non tenentur, siquidem subditi non indifferenter, sed cum decore ut Religiosi debent tractari; vide Peyrinum *supracitat.*

De his, aliisque Prioris obligationibus, ac modo, methodoque quam tenere debet in suo regimine, ut non solùm præsit, verùm etiam prosit quam maximè subditis suis, præclarè, licet compendiosè scripsit supracitatus sapientissimus ac pientissimus P. JOANNES â JESU-MARIA in suo Tractatu de *Regimine Monastico* 4. *parte*, *per* 52. *capita* & noster item Alphonsus â JESU-MARIA in quodam Tract. quem *utilem gubernandi methodum* inscripsit.

Ex prædictis verò omnibus facilè colligere 453
est, quam durum, difficile ac periculosum sit Prælatorum Officium, his maxime temporibus, in quibus quodlibet quisque sibi

 licere

licere putat, de quibus videtur fuisse locutus B. Petrus Damianus in Epistola ad quendam Monachum, qui Abbat. munus resignaverat, & abdicaverat, dum inquit: *Dic Pater, dic inquam, ut expertus, quis potest hoc ferreo sæculo monasterium sine sui capitis periculo regere?* si enim Prælati juxta muneris sui districtissimam obligationem, tueri velint Regulæ ac Legum monasticarum exactam observationem, irrepentes defectus ac transgressiones corrigendo atque extirpando, insurgunt discoli, ira excandescunt, & tot oriuntur perturbationes, murmurationes, calumniæ, & cavillationes subditorum, ut Prælatos etiam sapientes perturbent: *Calumnia* enim *conturbat* etiam *sapientem*, ut testatur Ecclesiast. Unde doctissimus P. Peyrinis sub gravissima Prælaturæ sarcina ingemiscens *in Prælat. Re. quæst. 3. cap. 9. num. 6.* ait: *vitam Prælatorum esse vitam bajulorum, afflictionum pelagus*, & post plures similes Prælaturæ recensitos fructus atque effectus, concludit inquiens, *verè & benè illum dixisse*, qui asseruit: *si fuissem de numero Prælatorum, non fuissem de numero Electorum.* Et alius quidam Præsul sanctissimus sæpius contremiscens ingeminare solebat: *Timeo esse de numero damnatorum, quia sum de numero Prælatorum.* Nec id mirum videri debet, cùm sanctus Chrysostomus in *Epistola ad Hebr.* dicat: *Miror, an fieri possit, ut aliqis ex Rectoribus salvus fiat.* Qui etiam *homil. 56. in Genes.* hæc habet: *Cæteris negotiis magis periculosum est regimen animarum, atque ad illud, prout oportet ministrandum*, DIFFICILLIME *quisque reperitur idoneus.* Notandum benè illud verbum *difficillimè*, cujus rationem reddere videtur S. GREGORIUS Nazianzenus in Apol. inquiens: *Revera mihi videtur ars artium, & disciplina disciplinarum hominem regere, qui est inter animantes maximè & moribus varius, & voluntate diversus.*

Videant igitur Prælati, quam grave onus in suos humeros suscipiant, & quod non quærenda & ambienda sit Prælatura, sed fugienda potius & pertimescenda, quasi facies colubri, & animæ præcipitium, & ruina. Præclarè de his disserit inter alios noster Lezana in suo *Tractatu* de Reformatione Regularium *cap. 13. & 15.*

DISPUTATIO V.

De Commissariis, & Vicariis, tam generalibus, quàm Provincialibus, ubi etiam de Vicariis localibus, & Subprioribus.

SECTIO I.

De Commissariis, tam Generalibus, quàm Provincialibus.

1 *Unde dicatur Commissarius?*
2 *Non solùm Generalis, sed etiam Provincialis, & Prior, possunt suas vices, sive in toto, sive in parte aliis committere.*
3 *Commissarii alii sunt per electionem, & jura Ordinis, alii per delegationem.*
4 *Commissarius generalis per electionem habet in sua Familia eandem jurisdictionem ac Generalis, in toto Ordine.*
5 *Tales Commissarii sunt veri Prælati.*
6 *Habent jurisdictionem ordinariam, & eam possunt delegare.*
7 *Sunt subjecti immediatè Generalibus.*
8 *Generalis absque causa, se solo, non potest eum à suo officio amovere, nec ejus authoritatem minuere.*
9 *Ex causa rationabili de consensu Capituli generalis, potest ejus authoritatem minuere, aut in toto auferre.*
10 *Dum ejus authoritas non limitatur, potest ea omnia in sua Familia efficere, ac Generalis.*
11 *Commissarii, qui fiunt per delegationem, alii sunt Genera-*

Generales, alii Provinciales, alii Conventuales.

12 *Omnes prædicti habent jurisdictionem delegatam.*

13 *Generalis,* Provincialis, *& Prior possunt suam jurisdictionem delegare.*

14 *Commissarii delegati, sunt amovibiles à delegante.*

15 *Non possunt subdelegare, nisi hoc etiam eis committatur, vel sint delegati ad universitatem causarum.*

16 *Non debent se ingerere in jurisdictionem ordinariam Prælatorum, nisi in gradu appellationis.*

17 *In rigore non sunt Prælati, benè tamen lato modo.*

18 *Eorum potestas regulanda est per litteras Commissionis.*

19 *Quantumcumque eorum Commissio sit generalis, non extenditur ad ea, quæ requirunt speciale mandatum.*

20 *Quid si in litteris apponatur clausula,* cum plenaria, & libera potestate?

21 *Quid si apponatur clausula,* etiamsi requirant speciale mandatum?

22 *Quid si adjungatur,* etiamsi majora essent expressis?

23 *Commissarius si excedat finem Commissionis, non est ratum quod gerit.*

24 *Tum observatur finis Commissionis, cùm illud quod est de natura actus commissi.*

25 *Commissio extenditur ad vicina, & præparatoria ipsi commissioni, etiam in his, quæ sunt stricti juris.*

26 *Quando in Commissione datur aliqua certa forma, illa debet observari.*

27 *Gesta contra talem formam, vel præter, vel citra, sunt nulla.*

28 *Hæc debent intelligi, si forma non servata fuerit substantialis.*

29 *Quid si in commissione nulla detur forma.*

30 *Si intentio mandantis extendatur ad injusta, & irritationabilia, commissio est nulla.*

31 *Hujusmodi Commissarii debent à Fratribus honorari, non tamen eodem honore ac illi, à quibus missi sunt.*

32 *Stando in jure communi, & secluso speciali statuto, in loco debent præcedere omnes, quos præcedunt illi, à quibus missi sunt, non tamen debent sedere in loco illorum, sed aliquantulum infra.*

33 *Quid si mittantur pro aliquo casu particulari?*

34 *Provincialis non potest mutare illa, quæ Commissarius generalis ordinavit, nisi de speciali licentia Generalis.*

35 *Provincialis contrafaciens mandatis Commissarii generalis, incurrit excommunicationem latæ sententiæ.*

36 *Eandem excommunicationem incurrunt Religiosi ei resistentes, vel se opponentes.*

37 *Generales vel Provinciales, qui tales Commissarios instituunt, debent esse vero, & legitimo impedimento detenti, aut ita impediti, ut per se non possint tale munus exercere.*

38 *In litteris Commissionis debent tale impedimentum exprimere.*

39 *Non possunt ad libitum instituere Commissarios, ut ipsi maneant in Provinciis absque causa.*

40 *Data legitima causa possunt Commissarios instituere.*

41 *Si Prior est inexpertus, & aliàs bonæ vitæ, sustineri potest in officio, adjuncto coadjutore.*

42 *Si subditus appellet in gravi causa à Priore, vel Provinciali, datur Commissarius.*

43 *Si lis sit inter Provincialem & Priores, datur à Generali Commissarius ex alia Provincia.*

44 *Constituentes Commissarios non debent esse ligati aliqua censura.*

45 *Prælatus excommunicatus, quantumvis toleratus, non potest Commissarium instituere.*

46 *Si de facto instituat, si erat toleratus, factum tenet.*

47 *Qui sunt in Commissarios eligendi, non debent esse affecti aliqua censura.*

48 *Horum Commissariorum potestas expirare potest, vel ex parte ipsorum, vel ex parte delegantium, vel ex parte ipsius Commissionis.*

49 *Ex parte Commissariorum cessat morte ipsorum, si commissio fuit personalis.*

50 *Quid si fuit realis personalis.*

51 *Quando commissio intelligatur facta personæ, quando verò officio?*

52 *Ex parte delegantium cessat morte ipsorum delegantium, & cessatione, seu remotione ab officio, vel si delegans incidat in aliquam censuram, si res sit integra.*

53 *Quid requiratur, ut res dicatur integra?*

54 *Quando est communis error, vel ignorantia cessationis ab officio delegantis, sive delegatus id sciat, sive non, gesta per eum sunt valida.*

55 *Ex parte commissionis cessat, quando fuerit limitata ad certum tempus, vel ad talem conditionem.*

Pro

1 PRo faciliori intelligentia hujus sectionis
notandum est, Commissarium dici à Com-
missione, sæpe enim propter magnam Religio-
nis dilatationem, vel ob aliquod impedimen-
tum occurrens, non solùm Generales, & Provin-
2 ciales, sed etiam Priores consuevêre suas vices, sive
in totum, sive in partem, sive pro Religione,
Provincia, vel Domo aliis committere. Hi au-
tem Commissarii sunt in duplici differentia, alii
3 fiunt per electionem, & jura Ordinum, ut contin-
git in Ordine Minorum, in Familiis cismontanis,
& ultra montanis: alii verò fiunt per delegatio-
nem Generalis. His suppositis.

Dico I. Commissarius generalis, qui fit per
4 electionem, & jura Ordinis, habet in sua Fami-
lia eandem jurisdictionem, quam habet Gene-
ralis in toto Ordine; ita Rodrig. *Tomo* 1. *q.* 51. *art.*
2. & patet ex Bulla Leonis X. quam *ibidem* refert
Rodrig. *art.* 1. Hujusmodi autem jurisdictio non
5 est delegata, sed ordinaria; Lezana *Tr.* 2. *c.* 13. *n.*
16. Rodrig. *ibid. art.* 3. Unde ipsi sunt veri Prælati
6 utpote ordinariam jurisdictionem habentes, & e-
am possunt delegare; Lezana *loco citato.* Est ta-
7 men ipse Commissarius generalis subjectus imme
diatè ipsi Generali, & ei tanquam cæteri Prælati
in omnibus tenetur obedire, non potest tamen
Generalis absque causa, se solo, sine authoritate
8 Capituli generalis eum à suo officio amovere, nec
ejus authoritatem limitare, aut diminuere, sed te-
netur ei committere vices suas, sine ulla limita-
tione, respectu totius Familiæ, super quam consti-
tuitur Commissarius generalis, ut patet ex prædi-
cta Bulla Leonis X.

Potest tamen Generalis ex causa rationabili, de
9 consensu Capituli generalis, ejus authoritatem
diminuere, vel limitare, imò propter culpas totam
ab eo jurisdictionem auferre; Lezana noster *To.* 3.
qq. Reg. verbo Commissarius *n.* 1. & *Tom* 2. *cap.* 13.
n. 16. Rod. *ubi sup. art.* 4. Dum tamen ejus authori-
10 tas non limitatur, omnia illa potest efficere in sua
Familia, quæ Generalis in toto Ordine. Unde de
his nihil restat dicendum. Vide quæ diximus de
Generalibus.

Dico II. Commissarii, qui fiunt per nomina-
11 tionem, alii dicuntur Commissarii Generales, a-
lii Provinciales, alii Conventuales: omnes tamen
prædicti tantum habent jurisdictionem delega-
12 tam, à Generali, Provinciali, vel Priore, cùm e-
nim hi omnes habeant jurisdictionem ordinari-
am, eam sive in totum, sive in partem aliis possunt
delegare, & hujusmodi delegati dicuntur Com-
missarii, sive Vicarii, ut *infra* dicemus, de quibus
omnibus respectu suæ delegationis, vel Commis- 13
sionis idem est judicium; Lezana *verbo* Commis-
sarius *n.* 7. omnes enim sunt amovibiles à delegan- 14
te, cùm ipsorum authoritas ab eo pendeat, in esse,
fieri & conservari, nec possunt subdelegare, cùm
delegatus non possit subdelegare, nisi forte in com- 15
missione id ei committatur, vel ipse sit delega-
tus ad universitatem causarum, & non pro causa
aliqua determinata, quia delegatus ad universita-
tem causarum potest subdelegare, ut tradit
cum Silvestro Rodrig. & aliis Lezana *Tom.* 2. *cap.*
13. *n.* 16. & noster Joannes à SS. Sacramento 1. *p.*
Prioris claust. 132. & *seqq.* 16

Et hinc plura deducuntur: primum non debere
tales Commissarios se ingerere in jurisdictionem
ordinariam Prælatorum, nisi in gradu appellatio-
nis, prout declaravit sacra Congregatio, ut testatur
Lezana *loc. cit. Tom.* 2.

Secundo, prædictos Commissarios in rigore 17
non esse Prælatos, cùm solùm tales dicantur, qui
jurisdictionem habent ordinariam, tales tamen
lato modo dici possunt Prælati, quatenus omnes
illi, qui curam habent animarum, sive ordinari-
am, sive delegatam dici possunt Prælati; Lezana
Tom. 3. *v.* Commissarius *num.* 8. Belasius *verbo*
Commissarius *n.* 2.

Tertio, prædictos non habere suffragium ele-
ctivum in electionibus Priorum, sive Abbatissa-
rum, & similium, quia hoc solis Prælatis habenti-
bus jurisdictionem ordinariam competit; nisi in
literis Commissionis Generalis, id ei etiam com-
mittatur; in tali tamen casu, si Generalis in Capitu-
lo forte adesset, Commissarius non posset etiam
habere votum, nam ut *infra* dicemus, Generalis
non potest suam jurisdictionem, vel etiam suum
suffragium alteri delegare, nisi quando per seipsum
eam non potest exercere; Portel *in additionibus ad
dubia regularia* verbo *Commissarius n.* 2.

Dico III. Horum Commissariorum delega- 18
torum potestas regulanda est per litteras suæ Com-
missionis, quantumcumque tamen eorum Com-
missio sit generalis, nunquam extenditur ad ea, 19
quæ requirunt speciale mandatum; ita enim ha-
betur expressè in C. qui ad agendum *de procurato-
ribus in* 6. & C. *qui generaliter eodem tit. etiam in* 6.
Unde etiamsi in litteris Commissionis ponatur 20
clausula *cum plena potestate,* seu *libera potestate*, hu-
jusmodi clausula solùm intelligi debet in or-
dine ad finem commissionis, non ad alia,
quæ ad talem finem, non spectant. Et ita cum
aliquis

aliquis à Generali, vel Provinciali mittitur visitator ad aliquam Provinciam, vel Conventum, & in commissione ponitur dicta clausula, solùm intelligi debet in concernentibus dictam visitationem, & non in aliis ad eam non pertinentibus; Portel *in dubiis regularibus* verbo *Commissarius Provinciæ n.* 1. Lezan *Tom.* 4. *verbo* mandatum
n. 4. Imò si in commissione ponatur ista clausula:
21 *etiam si requirerent speciale mandatum*, adhuc talis commissio non debet extendi, nisi ad similia, seu inferiora expressis, non autem ad majora; Barbosa *in cap.* 2. *de officio Vicarii in* 6. *num.* 8. Peyrinis *in formulario, lit. P. cap.* 8. *num.* 6. nisi fortè Supe-
22 rior dans talem commissionem, adjungat verba ista, *etiamsi majora essent expressis*; nam sic tolleretur omnis difficultas; Peyrinis *ibidem.* & Lezana.

Hinc fit finem commissionis esse diligenter ob-
23 servandum, alias si excedatur, non erit ratum quod fiet; Azor *Tomo* 3. *lib.* 9. *cap.* 6. *quæstione* 4. tunc autem servantur fines commissionis, quan-
24 do fit illud, quod est de natura actus commissi; Azor. *loco citato. q.* 5. Naldus *in summa* verbo *mandatum n.* 7.

25 Adverte tamen, quod commissio extenditur etiam ad vicina, & præparatoria ipsi commissioni, etiam in his, quæ sunt stricti juris; Azor. & Baldus *loc. cit.*

Secundò adverte, quod si in commissione detur
26 aliqua certa forma, illam deberi observari. Unde gesta contra talem formam, vel præter; vel
27 citra illam, sunt omninò nulla, nam quando ad actum datur certa forma, paria sunt agere contra, præter, vel citra illam. *Cap.* sicut *de elect. in* 6. *Cap. prudentia de officio delegati*; ita cum aliis Bonacina *de contractibus disp.* 1. *q.* 2. *p.* 6. *n.* 12. Hæc ta-
28 men debent intelligi si forma non servata fuerit substantialis; Lezana *verbo* mandatum *n.* 8. Si ta-
29 men in commissione nulla detur forma, tunc Commissarius tenetur exequi negotium prudenter, & rationabiliter, quia ista præsumi debet inten-
30 tio mandantis, intentio enim mandantis non potest extendi ad injusta, & irrationabilia, & si de facto extendatur, talis commissio, & mandatum est nullum. *l. renumerandi* §. *si pàssus ff. mandati & ff. illud quosque in tit. eodem.* Sylvester *verbo* mandatum *q.* 2. Azor *ubi sup c.* 4. Molina *de contractibus disputat.* 538. *n.* 2.

31 Dico IV. Hujusmodi Commissarii missi à Generalibus, vel Provincialibus debent à patribus honorari, non tamen illis tantus honor debetur, ac illis, à quibus missi sunt; ita cum aliis Peyrinis *Tom.* 1. *de subdito q.* 1. *cap.* 28. *conclusione* 2. Lezana *verbo* Vicarius *n.* 5. quoad locum verò, stando in jure communi, & seclusis specialibus Statutis, si eorum commissio fuerit generalis, licet non possint sedere in eodem loco, in quo personæ, quas repræsentant sedent, sed in aliquantu- 32
lum inferiori, ut latè probat Lezana in *consiliis Tomo* 6. *qq. consil.* 28. *n.* 10. debent tamen in omnibus præcedere, quibus præsunt Generales, vel Provinciales, à quibus missi sunt, cùm gerant vices illorum *Cap.* Pastoralis §. *præterea de officio Ordinarii*; Peyrinis *in formulario lit. V. c.* 5. *n.* 4.

Secus dicendum est, si tantum mittantur pro 33
aliquo casu emergenti, quia tunc non debent præcedere prædictos, nisi quando actualiter exercent suum munus, & illo terminato sedent in loco suæ antiquitatis, & si foras velint egredi, debent à Priore benedictionem petere, & si delinquant possunt à Priore puniri sicut cæteri Fratres, quia tunc nullam jurisdictionem habent, ut suppono, & cùm talis deputatio sit vulnerativa potestatis ordinariæ, strictè est interpretanda, juxta regulas communes; Peyrinis *in formulario lit. R. c.* 5. *n.* 4. Lezana *Tom.* 4. *v.* Vicarius *n.* 5.

Adverte tamen, Provinciales non posse mutare 34
illa, quæ Commissarius à Generali missus ordinavit, nisi de speciali licentia Generalis, ut patet ex Bulla GREGORII XIII. quam refert Portel *in additionibus ad dubia regularia* verbo *Commissarius n.* 5. ubi ait Pontifex, quod factum in contrarium sit irritum, imò talis Provincialis contra faciens man- 35
datis Commissarii generalis, incurrit excommunicationem latæ sententiæ, & eandem incurrunt omnes Religiosi ei resistentes, vel se opponentes, ut 36
patet ex eadem Bulla; Porrel *ibid.* Belasius *verbo* Vicarius generalis *n.* 3.

Dico V. Generales & Provinciales, qui ta- 37
les Commissarios instituunt, debent esse vero, & legitimo impedimento detenti, aut ita impediti, 38
ut non possint per se tale munus exercere, & in litteris Commissionis debent tale impedimentum exprimere, Peyrinis *in formulario lit. V c.* 5. *n.* 6. Lezan. *loc. cit. v.* Vicarius *n.* 5. Unde non possunt ad libitum constituere Commissarios, ut permaneant 39
in Provinciis absque causa; Bord. *To.* 2. *res.* 66. *n.* 32. Cùm enim Provincia suum habeat Provincialem, & Conventus suum Priorem, frustraneus est talis Commissarius, frustra enim fit & dicitur, quod jure fieri non potuit; Barbosa *verbo* frustra *n.* 57. item, quia delegatio non potest fieri sine causa

ex Cap.

ex Cap. inter cætera *de officio ordin.* Cap. *si pro debilitate, de officio delegati*, sed hic nulla est legitima causa, cùm Provincialis & Priores suum munus rectè exerceant, ut suppono, ergò Generales, nec Provinciales, tales Commissarios non possunt instituere.

40 Secus dicendum est, si detur legitima causa, nam tunc possunt Superiores majores Commissarios, occasione data nominare pro hac, vel illa
41 causa & negotio occurrenti, ut si Prior est inexpertus, & alias bonæ vitæ, sustineri potest in officio adjuncto coadjutore, si subditus appellet in
42 gravi causa à Priore ad Provincialem, datur Com-
43 missarius, si lis sit inter Provincialem & Priores, à Generali committitur causa tertio, qui sit alterius Provinciæ; Bord. *ubi supra n.* 33. quæ omnia debent intelligi, nisi detur aliquod statutum in contrarium.

44 Dico VI. Jurisdictio talium Generalium, vel Provincialium Commissarios instituentium non
45 debet esse impedita, aut suspensa per Excommunicationem, aut aliam censuram, unde Prælatus excommunicatus, quantumvis toleratus, & occultus non potest Commissarium instituere, seu delegare suam jurisdictionum, quia Excommunicatus privatur omni usu jurisdictionis, *Cap.* audivimus 24. *q.* 1. delegatio autem jurisdictionis
46 est usus illius *l. imperium ff. jurisd. omnium judic.* Suarez *Tomo* 4. *in tertiam partem disp.* 26. *sect.* 3. *n.* 2. N. doctissimus Cornejo *Tom.* 2. *Tract.* 5. *de Excommunicatione disp.* 10. §. 5. *dub.* 1.

Si tamen de facto committat, si fuerit excommunicatus toleratus factum tenet, ut colligitur ex
47 lege *Barbarius ff. de officio prætoris.* Suar. Sanc. quos refert, & sequitur Lezana *verbo* Excommunicatio *num.* 34.

Tandem requiritur, quod tales Commissarii eligendi, excommunicatione, vel alia censura affecti non sint, excommunicatus enim est incapax jurisdictionis suscipiendæ, qualis datur per commissionem; Peyrinis *in Formulario lit. V. c.* 6. *n.* 12. Lezana *verbo Commissarius n.* 5.

48 Dico VII. Horum Commissariorum potestas ex triplici capite expirare potest: vel ex parte ipsorum Commissariorum, vel ex parte Delegantium, vel ex parte ipsius Commissionis: ex parte Com-
49 missariorum cessat morte ipsorum, si aliàs commissio fuit personalis, nam cùm commissio inhæreret personæ tanquam subjecto, ea extinctâ deficit commissio; Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 27. *n.* 2. Bonac. *de legibus disp.* 1. *q.* 3. *p.* 8. §. 1. *n.* 1.

Dixi, *si alias commissio fuit personalis*, nam si fuit 50
realis, hoc est, facta non personæ, sed dignitati, vel officio, cùm dignitas & officium perpetuum sit, & non expiret, nec etiam periit commissio, sed mortuâ personâ transit ad ejus successorem; Sanc. & Bonac. *loc. cit.*

Si tamen quæras, quando Commissio intelli- 51
gatur facta personæ, quando verò officio vel dignitati? Respondeo hoc deberi colligi ex litteris Commissionis: si enim in Commissione solùm nomen personæ exprimatur, ut si dicatur: *Committimus tibi Petro*, tunc censebitur commissio personalis: si verò exprimatur solùm officium, ut si dicatur: *Tibi Priori* est realis: si verò exprimatur utrumque, scilicet nomen personæ & officii, ut si dicatur, *Tibi Petro Priori*, tunc censebitur personalis, nam cùm nomen personæ sit speciale, limitat nomen officii, quod est generale; nam genus per speciem limitatur. Si verò dicatur: *Committimus Priori Conventus Ulyssipponensis ob singularem prudentiam & probitatem ipsius*, tunc commissio est personalis, cùm hæ qualitates solùm afficiant personam, & non officium. E contra verò si dicatur: *Committimus hoc negotium Priori Conventus Ulyssipponensis ob gravitatem & authoritatem sui officii*, tunc commissio est realis, cùm hæ qualitates non personam, sed officium afficiant; Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disputatione* 27. *num.* 3. Tamburinus *de jure Abbatum, Tom.* 1. *disp.* 16. *quæsito* 11. *nu.* 2. & alii apud ipsos.

Ex parte verò delegantium cessat commissio: 52
Primò, morte ipsorum delegantium; *secundò*, cessatione seu remotione ab officio: *tertiò*, si delegans incidat in aliquam censuram; nam cùm in his tribus casibus cesset jurisdictio delegantis, sic etiam & delegati, cùm pendeat ab illa, hæc tamen debent intelligi re integra manente, id est, si talis Commissarius non cœpit exercere munus suum, ut tradunt communiter DD.

Quid verò requiratur ad hoc, quod Commissarius dicatur incepisse exercere suum munus? Re- 53
spondeo sufficere publicationē Edicti, ut pars citetur, si negotium habeat partem citandam, si tamen negotium commissum non habeat partem citandam, ut si alicui Religioso committatur visitatio alicujus Provinciæ, illicò sufficere, quod litteræ commissionis sint publicatæ in aliquo Conventu, & si commissio fuit ad aliquam informationem faciendam, sufficit vocasse testem, etiamsi eum nondum audierit, nam in his omnibus casibus jam res est inchoata; ita cum Sanch. Portel *in addi-*

in additionibus ad dubia regularia verbo *Prælati potestas n. 15. & sequentibus.*

Idem dicendum est, si delegatio fuerit ad universitatem causarum, & unam jam inceperit, nam tunc potest ad omnes alias procedere; Portel *ibidem.*

54 Adverte tamen, in prædictis casibus, quando est communis error, vel ignorantia mortis, vel cessationis ab officio delegantis commissionem, sive delegatus id sciat, sive non haud expirare, sed valere gesta ab ipso, *per l. Barbarius ff. de officio prætoris*; Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 22. n. 59.* Lezana *verbo* commissio *n. 5*

55 Ex parte autem ipsius commissionis cessabit quando fuerit limitata & determinata ad certum tempus, vel solùm posita tali, vel tali conditione, nam habens talem commissionem non habet facultatem ad utendum, nisi juxta modum illi præscriptum; Suarez *Tom. 4. in 3. partem disput. 26. sect. 3. num. 2.*

SECTIO II.

De Vicariis Regularium.

56 *Vicarius est, qui vices alterius gerit.*

57 *Unde dicatur Vicarius?*

58 *Vicarii possunt esse Generales, Provinciales, & Conventuales.*

59 *Alii habent jurisdictionem ordinariam, alii delegatam.*

60 *Quatuor dantur genera Vicariorum?*

61 *Alii sunt, qui per electionem & jura Ordinum perficiuntur immediatè Superiores in locum promoti, vel amoti, vel absoluti ab officio, vel quia in tali domo non consuevit alius præfici Prælatus.*

62 *Alii qui loco absentis, vel suspensi à lege constituuntur.*

63 *Alii qui loco promoti, vel impediti, à Generalibus, vel Provincialibus constituuntur.*

64 *Alii, quibus ipsi Prælati delegant suas vices.*

65 *Vicarii, qui per electionem & jura Ordinum perficiuntur immediatè Superiores in locum promoti, vel amoti, vel absoluti ab officio, vel quia in tali domo non consuevit alius præfici Prælatus, sunt veri Prælati.*

66 *Habent jurisdictionem ordinariam, ac illi quorum vices gerunt.*

67 *Eam possunt aliis delegare, nisi obstent specialia Statuta.*

68 *Vicarii in capite habent jurisdictionem ordinariam.*

69 *Primus Definitor Provinciæ in nostro Ordine, & in ejus defectu secundus, qui mortuo Provinciali præsidet toti Provinciæ, habet jurisdictionem ordinariam, dum à definitorio Generali de Vicario non providetur.*

70 *In illis, in quibus à lege non limitatur, eandem potestatem habet, ac Provincialis*

71 *Nostri Suppriores mortuo Priore habent jurisdictionem ordinariam.*

72 *Ad eos devolvitur omnis cura Monasterii.*

73 *Hujusmodi Vicarii non possunt à Generali ad nutum amoveri, sed juxta dispositionem legum.*

74 *Licet Provincialis de jure nostro mortuo Priore possit in Conventibus ponere Vicarium, talis tamen Vicarius non debet ire ad Capitulum Provinciale, sed Supprior Conventus.*

75 *In quo differant hujusmodi Vicarii à Commissariis?*

76 *Quibus gaudeant privilegiis, & quousque extendatur eorum potestas, tam absolvendi, quàm dispensandi, quàm benedicendi.*

77 *Possunt eligere in Confessorem etiam simplicem Sacerdotem.*

78 *Possunt uti omni potestate coercitiva, & directiva erga subditos ac Prælati, quorum vices gerunt.*

79 *Vicarii, qui loco Superioris suspensi, vel absentis à lege præficiuntur toti Religioni, vel Provinciis, aut Conventui, sunt veri Prælati.*

80 *Habent jurisdictionem ordinariam.*

81 *Suppriores nostri absente Priore per unum diem naturalem, habent in Conventu jurisdictionem ordinariam, si Prior Vicarium non instituit.*

82 *Idem dicendum est de antiquiore Sacerdote, qui quando Supprior abest, per unum diem naturalem præsidet in Conventu.*

83 *Vicarii, qui loco absentis, vel mortui, aut impediti per multum tempus à Generalibus, vel Provincialibus pro aliqua domo, vel Provincia instituuntur, non sunt delegati.*

84 *Habent jurisdictionem ordinariam.*

85 *Potiuntur omnibus privilegiis & potestate, ac illi quorum officia gerunt.*

86 *Idem dicendum est de Vicario Generali pro tota Religione, qui loco Generalis absentis ponitur à definitorio Generali.*

87 *Vicarius Generalis quem P. noster Generalis simul cum definitorio eligit, quando Generalis ab Hispania abesse cogitur, habet jurisdictionem ordinariam.*

88 *Gaudet omnibus privilegiis, ac ipse Generalis.*

89 *Idem dicendum est de Vicario Generali, vel Provinciali, aut Conventuali instituto à Sede Apostolica.*

90 *Vicarius institutus à Papa, non habet majorem jurisdictionẽ, quàm si talis Vicarius fieret à Generali, vel Provinciali, & de lege ordinaria.*

91 *Inferior tamen Papa non poterit cognoscere de institutione talis Vicarii, aut illam in dubium revocare, nisi titulo subreptionis.*

92 *Non potest ab inferioribus Papa revocari sine causa.*

93 *Cum causa potest revocari, & puniri à deputatis à Regula & Constitutionibus.*

94 *Jurisdictio horum Vicariorum non expirat morte Generalis, vel Provincialis, ac Prioris.*

95 *Quando jurisdictio est delegata expirat morte Delegantis.*

96 *Vicarii, quibus Prælati suas vices committunt, tantum habent jurisdictionem delegatam, amovibilem ab eisdem Prælatis, qui eam delegant.*

97 *Non possunt subdelegare, nisi specialiter habeant commissionem.*

98 *Possunt delegare pro aliquo casu particulari, si sint delegati ad universitatem causarum.*

99 *Isti Vicarii sunt veluti Commissarii delegati.*

100 *Omnes, qui habent jurisdictionem ordinariam, eam possunt de jure communi delegare.*

101 *De jure nostro Generalis non potest constituere Vicarium Generalem pro tota Religione, vel Provincialis pro tota Provincia, vel pro majori parte illius.*

102 *Provincialis, si aliquem Conventum non poterit visitare, aut aliud ministerium sui officii gerere, potest suas vices alicui Religioso suæ Provinciæ pro tali casu committere.*

103 *Prior recedens à Conventu, potest de jure nostro Vicarium instituere.*

104 *Non potest Prior Vicarium instituere, si adsit ipse in Conventu, nisi ratione infirmitatis gravis.*

105 *Quando Priores sunt in civitate, ubi est Ordinis Conventus, qui loco eorum præsident in eodem Conventu, possunt ea omnia efficere in casibus occurrentibus, ac Priores, nisi detur lex, aut consuetudo in contrarium.*

106 *Idem dicendum est de tempore, quo Prior est celebrans in altari, ita ut ad eum non possit accedi, & casus urgeat.*

107 *De jure nostro Superiores, aut præsidentes non possunt ponere præcepta Communitati, vel alicui in particulari, nisi transacto uno die naturali.*

PRo faciliori intelligentia hujus sectionis nota 56
PRIMO, Vicarium generaliter loquendo esse illum, qui vices alterius gerit, sive in officio contentioso, sive non contentioso. Unde ejus Ethymologia sumitur à vice quam gerit; ita com- 57
muniter DD. & sumitur ex *C. de offic. ejus, qui vices alterius gerit.* Possunt autem Vicarii esse Generales,
Provinciales, & Conventuales, ex his autem alii 58
habent jurisdictionem ordinariam, alii delegatam, in quibus omnes conveniunt.

SECUNDO nota, quatuor genera Vicariorum re- 59
periri inter Regulares: *Primum* illorum, qui per e- 60
lectionem & leges Ordinis præficiuntur immedia- 61
ti Superiores in locum præmortui, vel amoti ab officio, vel absoluti ab officio, vel quia in tali do-
mo non consuevit alius provideri Prælatus. *Secun-* 62
dò illorum, qui loco absentis, vel suspensi à lege & Statutis constituuntur. *Tertium* illorum, qui loco 63
præmortui absentis, vel impediti à Generalibus, vel Provincialibus constituuntur in aliqua domo, vel Provincia. *Quartum* illorum, quibus ipsi Præ-
lati pro eodem munere quod gerunt, respectivè 64
delegant suas vices, his suppositis.

DICO I. Vicarii, qui per modum provisionis
per electionem, vel jura Ordinum præficiuntur im- 65
mediati Superiores in locum emortui, vel amoti ab officio, vel absoluti ab officio, vel quia in tali domo non consuevit alius provideri Prælatus, sunt veri Prælati, & habent eandem jurisdictionem ordinariam, quam habent Prælati quorum locum
tenent, unde eam possunt aliis delegare, nisi spe 66
ciale lege prohibeantur; ita Suar. *Tom.* 4. *de Relig.* 67
tract. 8. *lib.* 2. *c.* 22. *n.* 5. Rodr. *Tom.* 3. *q.* 76. *art.* 1. Sigismundus *de electione dub.* 78. *n* 5. Bord. *Tom.* 1. *ref.* 34. *n.* 19. Miranda, Silvester, quos refert, & sequitur Peyr. *de Prælato q.* 1. *c.* 4. §. 4. *n.* 14. Leza. *Tomo* 2. *c.* 13. *n.* 17. Belasius *verbo* Vicarius *n.* 1.

Hinc fit, *Vicarios in capite* habere jurisdictionem 68
ordinariam; Rodrig. *Tom.* 3. *q.* 76. *art.* 3. Lezana
To. 1. *q.* 18. *n.* 3. Portel in *additionibus ad dubia regu-* 69
laria verbo Vicarius in cap. *n.* 3. Et idem dicendum est in nostro Ordine de primo Definitore Provinciæ, & in ejus defectu de secundo, & sic de cæteris, qui

qui mortuo Provinciali toti Provinciæ præest, usquedum à definitorio Generali de Vicario, vel Provinciali provideatur, nam licet hæc jurisdictio
70 multum illi restricta sit, ut patet ex eadem lege, in cæteris tamen, quæ illi per legem non limitantur eandem potestatem ordinariam habet ac Provincialis defunctus, cùm jurisdictio hæc illi competat ex lege ex 3. *p. nostr. Constit. c.* 8. *n.* 7.

71 Et idem propter eandem rationem dicendum est de nostris Supprioribus, quando Prior è vita excedit, nam tum de jure nostro ad illos devolvitur omnis cura Monasterii usquequo à Provinciali de Vicario provideatur, ut patet ex 3. *part. nostrarum Constitutionum c.* 14. *num.* 13. *& cap.* 4.
72 *n.* 11. juxta declarationem nostri Capituli generalis, quæ habetur *in fine earundem Const.* & ita in tota Religione practicatur.

ADVERTE tamen, hujusmodi Vicarios, sic desti-
73 natos non posse à Generali, vel Provinciali sine causa ad nutum amoveri, nam cùm sint per electionem, vel ex vi legis constituti, non possunt ab inferioribus destitui, nisi juxta ejusdem legis dispositionem: Generalis autem & Provincialis sunt legibus inferiores, cùm hæc procedant à Capitulo Generali; ita ex Miranda & Rodr. Peyr. *de Præla-*
74 *to q.* 1. *c.* 4. §. 4. *n.* 75. Hinc fit, quod licet noster Provincialis possit loco Prioris defuncti providere Conventui de Vicario, talis tamen Vicarius, non debet ire ad Capitulum Provinciale, sed Supprior Conventus, cùm hoc illi competat ex lege ex 3. *p. nostr. Const. c.* 4. *n.* 11. quo jure sine causa non potest à Generali, vel Provinciali privari.

75 Differunt autem hujusmodi Vicarii à Commissariis, qui fiunt per electionem & jura Ordinis in eo, quod Commissarii, etsi sint Ordinarii, ut accidit in Commissariis Minorum, semper in eodem officio habent socium magis principalem, cui in omnibus tenentur obedire, at verò prædicti Vicarii in officio, quod gerunt, nullum habent socium, sed illam tantùm dependentiam, vel independentiam habent, quam haberet Prælatus, cujus vices gerunt, si adesset: quia Commissarius, etsi potestatem ordinariam habeat, eam tamen suscipit ab eo, cujus est Commissarius, at verò prædicti Vicarii eam suscipiunt ab Universitate, à qua eliguntur, vel à lege, ex cujus vi præficiuntur.

76 Gaudent autem hujusmodi Vicarii, sive sint Generales, sive Provinciales, sive Conventuales, omnibus privilegiis, quibus potiuntur Prælati, quorum officia gerunt in sua Religione; tum, quia in re sunt ipsi Prælati; tum, quia privilegium non solùm censetur concessum personis, quæ illo exprimuntur, sed etiam illis, quæ propter vocis significationem in ipsis comprehenduntur; ita Suarez *ibid. n.* 5. Lezana *ubi supra n.* 4.

Hinc fit prædictos Vicarios posse absolvere & dispensare cum suis subditis in omnibus, in quibus possunt Prælati, quorum vices gerunt; Suarez *ibidem.*

Possunt etiam sibi eligere confessorem, etiam 77
Sacerdotem simplicem eo modo, quo de aliis Prælatis diximus; Bord. *ubi sup n.* 20. possunt vestes sacras, corporalia & alia benedicere, quæ possunt Prælati, ut latè diximus in *Tractatu de privilegiis disp.* 1. *sect.* 1 *n.* 9. *& sequentibus.*

Et tandem possunt erga suos subditos uti omni potestate directiva & coërcitiva, tam pro foro 78
interno quàm externo, qua utuntur Prælati quorum locum tenent, in quo omnes DD. conveniunt & quoad nostros patet ex 3. *p. nostrarum Constit c.* 12. *n.* 10.

DICO II. Vicarii, qui loco Superioris suspen- 79
si, vel absentis, à lege, vel Statuto præficiuntur toti Religioni, vel Provinciæ, aut Conventui, sunt veri Prælati habentes jurisdictionem ordinariam, ac illi quorum officia gerunt: hanc conclusionem debent tenere omnes authores antecedentis resolutionis; Bordonus *Tom.* 1. *resol.* 78. *nu-* 80
mero 40. Molina *Tom.* 6. *de justitia, tract.* 5. *disputat* 10. *n.* 14. Portel *in additionibus ad dubia regularia* verbo *Provincialis n.* 4. & verbo *Prælati potestas n* 1. Et ratio est, quia habent potestatem à lege & non ab homine.

Hinc fit Suppriores nostros absente Priore per unum diem naturalem, habere in Conventu to- 81
tam jurisdictionem ordinariam, si Prior Vicarium non instituerit, siquidem hoc illis competit ex lege 3. *parte nostrarum Constitut. cap.* 14. *n.* 12. ita expressè de omnibus Supprioribus tenet Peyrinis *de privilegiis ad Constitutionem* 4. SIXTI V. §. 6. *numero* 29. Belasius *verbo* Vicarius *nu.* 4. Lezana *Tomo* 2. *cap.* 1. *n.* 41. & verbo *Vicarius n.* 8. Sanch. *de matrim. lib.* 8. *disp.* 3. *n.* 9. Pontius *de matrim. l.* 8. *c.* 4. *n.* 12. Delbene *Tom.* 2. *c.* 15. *dub.* 7. *sect.* 1. *n.* 35. Bart. quem refert, & sequitur Pasqual. *decis.* 99. *numero* 2. Veracrux, quem refert, & sequitur Rodriguez *Tomo* 1. *q.* 20. *art.* 3. Naldus, quem refert, & sequitur Pellizzarius *Tract.* 8. *c.* 2. *n.* 50. Vidal. *tit. de Prælatis, inquisitione unica n.* 72. *& sequentibus.* Bord. *Tom.* 2. *res.* 78. *n.* 40.

Et idem dicendum est, de antiquiore Sacer- 82

 dote,

dote, qui etiam, quando Supprior abest, ultra u-
num diem naturalem, præest in Conventu, siqui-
dem ei etiam jurisdictio competit ex lege, ut patet
ex eadem *Const. loc. cit.* non possunt tamen Sup-
priores, aut alii præsidentes in absentia Prioris a-
liquid innovare, ut patet ex eadem lege *loco ci-
tato.*

83 Dico III. Vicarii, qui loco absentis per mul-
tum tempus, vel mortui, aut impediti, aut amoti
ab officio, á Generalibus, vel Provincialibus pro
aliqua domo, vel Provincia constituuntur non
84 sunt delegati, sed habent authoritatem ordinari-
am eodem modo, quo diximus de antecedentibus,
& potiuntur omnibus privilegiis, ac Prælati, quo-
85 rum vices gerunt; ita cum Bartolo, Alexandro, Al-
ciato & aliis Rodr. *Tom. 3. qu. 76. artic.1.* Belasius
verbo Vicarius *n.1.* Bord. *Tom. 2. resol.78.n.41.* Mo-
lina *Tom. 6. tract. 5. disp. 10. n.14.*

86 Et idem de Vicario Generali dicendum, qui pro
tota Religione loco Generalis absentis constitui-
tur à Generali simul cum definitorio generali di-
cendum est; nam etiam in hoc casu talis Vicarius
constituitur à Superiore, siquidem definitorium
87 generale est superius ipsi Generali. Hinc fit Vicari-
um Generalem, quem nostrum definitorium gene-
rale eligit, simul cum Generali, quando Generalis
ab Hispania abesse cogitur, juxta *nostras Constitu-
88 tiones c.6. n.10.* habere jurisdictionem ordinariam,
& omnibus gaudere privilegiis, ac ipse Generalis,
ut etiam constat ex eadem Constitutione, ubi di-
citur *Patre etiam Generali ex Hispaniæ finibus egre-
diente, ab ipso & à definitorio Vicarius Generalis eli-
gatur, qui suas vices in omnibus gerat*; quia talis Vi-
carius fit per electionem & jura Ordinis, ergò ha-
bet jurisdictionem ordinariam, & est veluti Com-
missarius Generalis, qui fit per electionem & jura
Ordinis, & idem de aliis respectivè dicendum exi-
stimo.

Idem dicendum est de Vicario Generali, vel
89 Provinciali, aut Conventuali immediatè consti-
tuto à Sede Apostolica, vel quia electio devoluta
est ad Pontificem, vel quia jure proprio illum eli-
git; ita cum Silvestro & aliis communiter Por-
tel *in additionibus ad dubia regularia* verbo *Prælati
potestas num. 1.*

90 Advertetamen, hujusmodi institutionem fa-
ctam à Papa talis Vicariatus nullum majus jus,
nullum majus privilegium, prærogativam, aut
præeminentiam illi præbere, quàm si talis Vicarius
fieret à Generali, vel Provinciali & de lege ordina-
ria; Lezana *in Consiliis consilio 28. n. 36.* Peyrinis
de privilegiis in additamentis ad Const. Clementis
VIII. *c.9.n.72.* & cum aliis Sanch. *lib.7. in decalog.
c.29.n.133.* quia nec plus, nec aliter confert sup-
plens, quàm negligens debebat conferre, cùm non
tanquam principalis, sed tanquam substitutus il- 91
lius conferat; solùm tunc tamen talis Vicarius ha-
bebit prærogativam hanc, quod inferior non pote-
rit cognoscere de tali institutione, aut in dubium
revocare, nisi titulo subreptionis juxta *c. 1. & 2. de
confirmat. util. & inutil.* eo quod, ubi Pontifex
manum apponit in aliquo negotio, censetur ad se
illud advocare, ac subinde inferioribus auferre po-
testatem cognoscendi de illo. Unde talis Vicaria- 92
tus solùm habebit majorem firmitatem, ita ut ab
inferioribus Papâ, non possit revocari saltem sine
causa; ita cum aliis Lezana *ubi supra.*

Dixi, *sine causa*, nam cum causa potest revocari 93
& puniri à deputatis à Regula & Constitutioni-
bus, cùm talis Vicarius subjaceat omnibus, quæ
disponit Regula, siquidem Pontifex non videtur
velle alterare naturam Generalatus, vel Provin-
cialatus; Peyrinis *loc. cit.* & cum aliis Sanchez *su-
pra citat.*

Adverte tamen, prædictorum Commissario- 94
rum, sive etiam Vicariorum authoritatem, quan-
do ipsi jurisdictionem ordinariam habent, non ex-
pirare morte Generalis, vel Provincialis, aut Prio-
ris, ordinaria enim jurisdictio non expirat morte
concedentis, sive alterius cujuscumque; Lezana
Tom. 2. c.13. n. 18. benè tamen quando jurisdictio 95
tantum fuerit delegata, ut *infra* dicemus, & cum
Rodr. & Portel tenet Lezana *ibid.*

Dico IV. Vicarii, quibus Prælati suas vices 96
delegant, sive sint Vicarii Generales, sive Provin-
ciales, sive locales tantum habent jurisdictio-
nem delegatam, amovibilem ab eisdem Prælatis,
qui eam delegarunt, nec eam possunt subdelega-
re, nisi pro casu, quo ipsis id ab eisdem Præla- 97
tis esset commissum, aut pro causa aliqua deter- 98
minata, si ipsi essent delegati ad universitatem 99
causarum: & tandem hujusmodi Vicarii sunt ve-
luti Commissarii delegati. Unde quæ de illis di-
ximus *sectione antecedenti*, eis applicanda sunt; Le-
zana *verbo* Vicarius *n. 5.* cùm enim omnes sint de-
legati, de omnibus idem est judicium, vide quæ
diximus de Commissariis.

Si tamen quæras, qui Prælati possint Vicarios 100
per delegationem constituere? Respondeo de jure
communi hoc competere omnibus illis, qui juris-
dictionem habent ordinariam, ut patet ex *leg. pa-
storalis de officio jud. ord.* & cap. *cum Episcopus de offic.
Ordin.*

Ordin. in 6. & tenet Peyrinis *de privilegiis ad Con-*
101 *stit.* 14. *Leonis X. n.* 4. Dixi, *de jure communi*, nam de jure nostro Generalis, non potest constituere Vicarium Generalem pro tota Religione, ut patet ex 3. *p. nostr. Const. c.* 6. *n.* 10. nec Provincialis pro tota Provincia, vel pro majori parte illius, sed totum hoc reservatur nostro definitorio generali, ut patet ex eadem 3. *p. nostr. Const. c.* 9. *n.* 7.

102 Poterit tamen Provincialis, si propter aliquam infirmitatem, vel aliam urgentem necessitatem, non poterit per seipsum aliquem Conventum visitare, aut aliud ministerium sui officii perficere, vices suas alicui Religioso suæ Provinciæ committere, ut patet ex eadem *Const. loc. cit.*

103 Poterit quoque Prior recedens à Conventu Vicarium relinquere, etiam in præsentia sui Supprioris, quod tamen præstare non potest, si ipse Prior in Conventu adsit, nisi ratione infirmitatis
104 gravis, quæ eum ab exequendo suo munere impediat, ut patet ex eadem 3. *p. nost. Const: c.* 14. *n.* 4.

105 Si tamen quæras, quæ possint facere hujusmodi Vicarii, sive Suppriores, quando eorum Priores sunt in civitate, vel oppido, ubi sunt Monasteria? Respondeo, quod licet in hoc attendenda sit Religionis consuetudo & Constitutiones: Existimo tamen ea omnia posse efficere in casibus occurrentibus, quæ ipsi Priores, si essent præsentes, facere possent, nisi aliqua eis lege speciali prohibeantur; ita Lezana *Tom.* 2. *c.* 13. *n.* 41.

Ratio verò est, quia eo tempore prædicti præsidentes Monasteriorum, vel sunt Prælati, vel quasi Prælati, vel gerentes munus Prælati, non enim pro illo tempore Monasteria sine capite sunt, ergò omnia, quæ facere possent Prælati possunt facere ipsi: & colligitur clarè ex Bulla SIXTI IV. *Dum attenta*, quæ est *Mare magnum Ordinis nostri*, ubi concedens facultatem absolvendi venientes ad Ordinem à censuris, ipsam tribuit Generalibus, Provincialibus & Prioribus & vices eorum gerentibus, & similis commissio pro absolutione Fratrum à censuris reperitur in *Mari magno Prædicatorum*, ergò supponit Pontifex vices gerentes Prælatorum Conventuum, in quacumque eorum absentia authoritate Prælatorum fulgere.

Et idem dicendum existimo, si Prior sit in alta- 106
ri, ita ut ad eum non possit accedi, & casus urgeat. Dixi, *nisi aliqua speciali lege prohibeantur*, nam
in nostro Ordine Suppriores, aut alii præsiden- 107
tes non possunt ponere præcepta formalia, nisi transacto die uno naturali, ut patet ex 1. *p. nostrarum Constit. c.* 5. *n.* 9.

De his Vicariis, maximè de localibus, seu Priorum copiosissimè atque eruditissimè scripsit noster JOANNES à SS. SACRAMENTO in suo opere, inscripto *Prior Claustralis*, sive *Disquisitiones Regulares de officio & potestate Prioris Claustralis & de Vicario Religioso*, &c. quod primum excusum in Hispania, deinde auctius recusum fuit Coloniæ; in quo Lector solidè dilucidèque discussa reperiet, quæcumque materiam hanc de Vicariis concernere videntur.

DISPUTATIO VI.

De Definitoribus & Definitoriis, tam Generalibus, quàm Provincialibus.

SECTIO I.

De Definitoribus Generalibus.

1 *Regimen omnium ferè Religionum à principio fuit Monarchicum.*

2 *Ob naturæ fragilitatem loco Monarchiæ modo simul Aristocratiam amplexi sunt, ita ut alii Patres simul cum Generali Religionis regimen administrent.*

3 *Hi Patres vocantur Definitores, aut aliis nominibus, secundùm diversum modum Religionum.*

4 *Apud nos vocantur Definitores, & quando absolutè nominantur definitores, intelliguntur Generales, & non Provinciales.*

5 *Quid sit præcipuum horum definitorum munus?*

6 *In aliquibus Religionibus definitores Provinciales simul cum Provinciali actuali, & immediatè præterito, eligunt Prælatos immediatos Conventuum.*
7 *Ad quem horum electio spectet de jure nostro?*
8 *Definitorum munus non est dignitas, sed personatus.*
9 *Suprema jurisdictio competit Generali & definitoribus non seorsim, sed simul in unum Congregatis.*
10 *Definitores extra definitorii locum & tempus, nullam habent jurisdictionem, nec administrationem.*
11 *Hujusmodi munus non potest conferri illegitimis, sine dispensatione.*
12 *In aliquibus Religionibus definitores tantùm habent votum consultivum, in aliquibus verò decisivum.*
13 *In quo differant habere votum consultivum & decisivum?*
14 *Qua scientia debeant hujusmodi definitores pollere.*
15 *Non potest tuta conscientia eligi in definitorem generalem, qui non habuerit scientiam sufficientem ad Officium Generalis.*
16 *Definitores, si voce tenus suffragium ferant, incipiendum est à junioribus.*
17 *In N. Religione suffragantur semper in secreto.*
18 *Generalis non potest aliquod negotium pertinens ad definitorium definire, nisi omnes sint in unum congregati.*
19 *Quid si separatim sumat uniuscujusque consensum?*
20 *Quando consensus definitorum postulatur, in nullo casu potest Generalis, sine tali consensu aliquod negotium grave validè definire.*
21 *Definitores tenentur sub mortali in definitorio liberè & clarè suam proferre sententiam, & his, in quibus nolunt consentire tenentur expressè contradicere.*
22 *Non sufficit, quod taceant, & postea ferant suffragia secundùm suam conscientiam, sed tenentur expressè veritatem aperire, etsi intelligant suam sententiam ægrè à Generali esse ferendam.*
23 *Si contrarium sentiant, ac Generalis, tenentur sub mortali illud definire, & nullo modo ei consentire.*
24 *Si unus, vel plures in votis vincantur in definitorio, hi, qui votum reprobativum dederunt, tenentur subscribere sententiæ à majori parte definitorii datæ.*
25 *Definitores sunt subditi Generalis.*
26 *Definitores tantùm habent jurisdictionem in unum congregati.*
27 *Non sunt pares Generali, nec in dignitate, nec jurisdictione.*
28 *Jurisdictio definitorum non seorsim, sed simul congregatis convenit.*
29 *Generalis non est Superior definitorio simul congregato, nec potest illud punire.*
30 *Generalis est Superior cuilibet definitori seorsim sumpto, & potest eum punire.*
31 *Si totum definitorium delinquat, non à Generali, sed à subsequenti definitorio, vel à Capitulo generali debet puniri.*
32 *De jure nostro hæc punitio spectat ad definitorium subsequens.*
33 *Si definitor generalis aliquem accuset coram suo Provinciali, & accusatus illum reconveniat de alio delicto, coram eodem Provinciali, tenetur definitor Provinciali respondere, & Provincialis potest causam sententiare.*
34 *Definitor delinquens in aliquo Conventu non potest à Priore illius puniri.*
35 *Si delictum fuerit atrox, & detur periculum fugæ, potest Prior definitorem comprehendere quousque Generalis moneatur.*
36 *Si definitor publicè peccet coram Priore, vel Provinciali, potest ab illis puniri.*
37 *Definitor generalis tenetur observare præcepta, quæ imponuntur à Priore Conventus, in quo residet.*
38 *Non subjicitur pœnis impositis ab ipso Priore.*
39 *Definitores generales non possunt cogi à Prioribus ad testificandum coram seipsis in causis, sive civilibus, sive criminalibus.*
40 *Definitores de jure nostro, non possunt esse plures, nec pauciores quàm sex.*
41 *Quomodo debeant eligi definitores de jure nostro?*
42 *Omnes in potestate & præeminentiis sunt æquales.*
43 *In locis ubi adest Generalis, sedent immediatè post Generalem.*
44 *Ubi non adest Generalis, sedent post Priorem domus.*
45 *Possunt epistolas ad se missas independenter aperire, & eis respondere.*
46 *Possunt cum sæcularibus absque alicujus licentia loqui, & cellas Religiosorum quocumque tempore ingredi, excepta domo, ubi sunt Conventuales.*
47 *Possunt alloqui nostras moniales, & earum confessiones audire.*

48 Possunt

48 *Possunt è domo, quando ipsis videbitur exire; non possunt tamen exire ultra illos, quos lex permittit, tenetur tamen Prior monitus eis locum relinquere.*

49 *Non possunt se intromittere in gubernatione Conventus.*

50 *Eorum electio spectat ad Capitulum Generale.*

51 *Eorum confirmatio ad nostrum definitorium simul cum Generali spectat.*

52 *Eorum antiquitas à Capitulo Generali determinatur.*

53 *Non possunt reeligi in definitores, nisi transacto triennio.*

54 *Non possunt eligi in Provinciales, nisi transacta majore parte triennii.*

55 *Definitores noviter electi, possunt eligi in Provinciales in eodem Capitulo generali, primo & secundo definitore exceptis.*

56 *Qua virtute & ætate hi Patres debeant gaudere.*

57 *Tenentur in omnibus, in quibus definitorium secretum imponit, illud servare sub juramento secreti & fidelitatis quod faciunt.*

58 *Tenentur omnes, etiam non vocati ad definitorium accedere, nisi fortè aliquis ab ipso definitorio fuerit occupatus.*

59 *Definitorium potest unum, vel duos definitores intra Hispaniam occupare, non tamen Generalis.*

60 *Generalis non potest alicui definitori præbere licentiam ad non interessendum definitorio.*

61 *Si aliquis definitor è vita discesserit tenetur unusquisque Religiosus in toto Ordine, præter suffragia consueta pro aliis Religiosis, dicere unam Missam privatam, & quilibet Conventus tam Fratrum, quàm Monialium unum officium & unam Missam Conventualem.*

62 *Omnes Religiosi tenentur definitores Patres nostros appellare, etiam Provincialis.*

63 *Definitores utuntur proprio sigillo, & quali?*

64 *Quomodo, & à quibus visitentur?*

65 *Defuncto Generali, prior Definitor præest toti Ordini, dum Vicarius non eligitur.*

66 *Si aliquis definitor moriatur, ad definitorium spectat alium eligere.*

67 *Si omnes moriantur, simul electio aliorum spectat ad solum Generalem.*

68 *Si Generalis cum quinque definitoribus moriatur, electio Vicarii Generalis spectat ad definitorem superstitem, in tali tamen casu talis definitor non potest seipsum in Vicarium Generalem eligere, sed debet alium eligere.*

69 *Electo Vicario Generali, ad ipsum Vicarium simul cum definitore spectat electio aliorum definitorum.*

PRo hujus sectionis explicatione notandum 1
est, quod licet ferè omnium Religionum regimen à principio fuisset Monarchicum, tamen ob naturæ humanæ corruptionem factum est, ut Religiones loco Monarchiæ absolutæ, cum ea simul Aristocratiam amplexæ sint, imò ferè
omnes Religiones, tam Mendicantium, quàm 2
non Mendicantium regimen Aristocraticum elegerunt relicto Monarchico; ita ut simul cum Generali, vel Provinciali alii Patres electi sint, qui simul cum illo totius Religionis regimen administrent, ut patet ex usu omnium ferè Religionum. Hi autem Patres in aliquibus Religionibus vocan-
tur definitores, in aliis Socii, aut Assistentes, in aliis 3
Consiliarii, vel Collegæ prout disponunt unius
cujusque Ordinis Statuta, in nostra tamen Reli- 4
gione vocantur definitores, tum generales, tùm provinciales, prout Generali, vel Provinciali assistunt, quoties tamen in nostris Constitutionibus absolutè & sine addito nominantur definitores, intelliguntur generales, ut patet ex 3. *p. nostrarum*
Constitutionum cap. 6. *nu.* 4. horum autem defini- 5
torum præcipuum munus est, in Capitulo Gene-
rali, vel Provinciali graviores Religionis causas 6
definire. Unde in aliquibus Religionibus definitores Provinciales, simul cum Provinciali actuali & immediatè officio functo eligunt Prælatos imme-
diatos Conventum, in nostra tamen Religione 7
hujusmodi electio pertinet ad definitorium generale cum aliis adjunctis, ut *infra* suo loco dicemus, & constat ex 3. *p. nostrarum Constit. c.* 2. *in novis constit. n.* 12. His suppositis.

Dico I. Definitorum, sive Generalium, sive 8
Provincialium munus non est dignitas, & Prælatura, sed personatus, non enim definitores habent administrationem cum jurisdictione, in quo consistit dignitas & Prælatia, sed tantùm habent præsidentiam, seu præeminentiam sine jurisdictione, in quo consistit personatus; Lezan. *Tom.* 2. *cap.* 13 *num.* 2.

Nec obstat, quod ipsi definitores, si habent votum decisivum, sint participes potestatis Generalis, suprema enim jurisdictio non est apud solum Generalem, sed simul penes definitores, ac per consequens videtur propriè illis competere offici-

officium Prælatorum, cùm habeant supremam
9 potestatem, non minus, quàm ipse Generalis. Respondetur namque hanc jurisdictionem non illis competere seorsim, sed ut congregatis in loco &
10 tempore definitorii. Unde pro tunc in rigore sunt veri Prælati, repræsentant enim supremum tribunal Religionis, apud quod residet plena potestas, extra definitorium verò nullam habent jurisdictionem, nec administrationem, unde absolutè non potest dici nisi personatus, cùm solùm habeant certas præeminentias & prærogativas respectu a-
11 liorum. Licet autem hujusmodi munus non sit dignitas, non potest tamen conferri illegitimis sine dispensatione, ut habetur in cap. 1. *& ff. de filiis Presbyterorum*; ita Lezana *Tom.* 2. *c.* 13. *n.* 50. Licet contrarium teneat Sigism. *de electione dub. n.* 72.

Dico II. Definitores generales in aliquibus
12 Religionibus, cum Generali tantum habent votum consultivum, ut in Societate; Suarez *Tom.* 4. *de Relig tract.* 10. *lib.* 10. *c.* 1. *n.* 6. in aliis verò Religionibus habent votum decisivum, ut in nostra Religione ex Bulla Clementis VIII. quæ incipit: *Pastoralis ocffiii.* anno 1593. & patet ex 3. *p. nostrarum Constit. c.* 6. *n.* 1. *&* 2.

Differunt autem maximè habere votum consultivum & decisivum; habere namque votum consultivum cum Generali est, quod tota rei decisio à Generali fiat, consultis tamen & auditis Assistentibus, habere autem votum decisivum est, quod rei decisio dependeat etiam à sententia & consensu definitorum; Lezana *Tom.* 2. *c.* 13. *num.* 21.

Hinc fit hujusmodi Definitores generales debe-
13 re habere eandem scientiam, quam ipse Generalis, quia sunt cum illo in gravioribus casibus conjudices; Ita Peyrinis *de Prælato q.* 2. *c.* 2. *n.* 31.

14 Hinc fit, non posse tuta conscientia eligi in definitorem generalem, qui dicta scientia non fuerit præditus, sub prætextu quod alii quinque definitores sint doctissimi, & quod ipse illorum opinioni semper adhærebit, nam licet hoc in concordi sententia fortè sustineri posset ex hoc capite, in discordi tamen, si indoctus sit, non poterit inter eorum sententias judicare; ita Peyrinis *ibid.* Et idem dicendum est, de Consiliariis in hac nostra Provincia Lusitaniæ his temporibus, cùm faciant officium definitorum generalium.

15 Dico III. Hi definitores, si voce tenus suffragium ferant, à junioribus incipiendum est, nam majoribus incipientibus periculum est, ut illorum authoritate minores moti loquantur non secundùm propriam sententiam, sed juxta seniorum placitum; Rodrig. Portel, quos refert & sequitur Lezana *ubi supra n.* 22. In N. tamen Religione defi- 16
nitores semper suffragantur per vota secreta, ut patet ex 3. *parte nostrarum Constitutionum capite* 7. *num.* 2.

Dico IV. Generalis nullum negotium, quod 17
ad definitorium secundùm Religionis Statuta spe- 18
ctat, sine definitoribus, qui votum decisivum habent, collegialiter & simul congregatis definire potest, etsi singuli separatim consentirent, actus prorsus esset irritus & nullus, ut patet ex C. *in gen. de electione.* & tenet cum Decio & Barbosa, Tamburinus *Tomo* 3. *disputat.* 1. *quæsito* 2. *num.* 15. quod verum est non solùm in electionibus, sed in omnibus, quæ ad definitorium spectant. Felin. Panormitan. Sigismund. quos refert & sequitur Tamburinus *ibidem.* & quoad nostros patet ex 3. *p. nostrarum Constitutionum c.* 6. *n.* 4. sunt enim conjudices cum Generali.

Secus dicendum est, si definitores tantùm habeant votum consultivum, nam tunc si Generalis eorum consilium non postulaverit, peccabit quidem negotia gravia decernens, cùm operetur contra finem Religionis tales Assistentes constituentis, factum tamen erit ratum, nam non petere consilium, non est contra formam substantialem sententiæ; Rodrig. quem refert & sequitur Lezana *Tomo* 2. *cap.* 13. *num.* 23.

An autem, quando consensus definitorum expostulatur, possit Generalis aliqua negotia gravia expedire, sine tali consensu, imminente aliqua necessitate, & periculum sit in mora? Affirmat cum Sigismundo, Tambur. *de jure Abbatum Tomo* 3. *disp.* 1. *qu.* 2. *n.* 26 Verùm contrarium existi- 19
mo dicendum, cum Sanch. Rebuffo & aliis quos *ibid.* citat Tamburin. nam cùm talis consensus sit de forma substantiali, actus sine illo erit irritus, sicut professio novitii sine Capituli consensu, ut *Tract. præcedenti* diximus.

Dico V. Definitores tenentur in definitorio 20
sub mortali liberè & clarè suam sententiam proferre, secundùm suæ conscientiæ dictamen, & si his, quæ *ibidem* tractantur, consentire nequeant, tenentur expressè contradicere, nam definitorum munus ad hoc instituitur, ut suum consensum præbeant, vel negent. *arg. c.* 1. *de his quæ fiunt à majori part.* Cap. Ille autem, qui tenetur loqui, & tacet, habetur pro consentiente. *l. de ætate* §. 9. *tacuit ff. de interrogation. c. si præstitum de confess. lib.* 6; ita cum Archidiacono, Rivio, Felino & aliis Tambur. *ubi supra quæsito* 3. *n.* 2.

Unde

21 Unde non sufficit definitores tacere, seu caput
Superiori majori inclinare & postea suffragium
secundum suam conscientiam præbere, sed tenen-
tur veritatem aperire, etiamsi intelligant à Genera-
li ægrè ferendam; debent tamen in hoc casu pro-
22 priam sententiam omni, qua possint reverentia, ac
verborum lenitate propalare, quod si Generalem à
sua non possint avertere sententia, tenentur sub
mortali contrarium definire, & nullo modo tunc
Generali possunt consentire. Ita ex multis Tambu-
rinus *ubi suprà num.* 4. Lezana *num.* 24. & cum a-
23 liis Giragus *p.* 3. *dub.* 20. *num.* 136. Si tamen acci-
dat quod unus, vel plures definitores in votis vin-
cantur in definitorio, hi qui votum reprobativum
dederunt, tenentur subscribere sententiæ à majori
parte definitorii datæ, ut cum Rodrig. benè nota-
vit Portel *in dubiis regularibus* verbo *definitores n.*
4. & idem de electionibus, in quibus major defi-
nitorii pars concordavit, dicendum est.

24 Dico sexto: Definitores sunt subditi Genera-
lis, & illum tanquam superiorem tenentur recog-
noscere: hæc assertio est cōtra Pasqualigum *decisio-
ne* 385. & contra Peregrin. quem citat *ibid.* ipse
Pasqualigus; illam tamen expressè tenet Peirinis
de prælato q. 1. *cap.* 2. §. *unico n.* 36. & quoad nostros
patet ex 3. *parte nostrarum Constitutionum cap.* 6. *n.*
9. ubi dicitur, quod definitores immediatè ipsi
Generali subjiciuntur. Ratio verò est, quia defini-
tores non sunt pares Generali, neque in dignitate,
quia nullam formaliter habent, neque in jurisdi-
ctione, quia multa facere potest Generalis, quæ ta-
men definitores efficere non possunt, ergo sunt in-
feriores Generalibus. Confirmatur, quia alias mul-
ta essent capita in Religione, & Religio quoddam
monstrum septem capitum esset, quod dicendum
non est.

25 Nec obstat, si dicas definitores habere supremam
in Ordine jurisdictionem, non enim suprema ju-
risdictio est solum apud Generalem, sed etiam a-
pud definitores, ergo Generalis nullam habet supe-
riorem jurisdictionem super ipsos definitores, qui
sunt veluti socii cum illo in dignitate. Confirma-
tur, quia definitores generales sunt comparticipes
officii cum Generali, sed par in parem non habet
imperium. *Cap.* inferior. *Cap.* denique *dist.* 21. *Cap.*
26 Innocentius §. *quanvis de elect.* ergo. Respondetur
namque definitores non habere absolutè in Ordi-
ne jurisdictionem sicut Generalis, sed tantum in
27 judiciis, & sententiis de rebus gravibus ferendis, &
in negotiis magni momenti expediendis. Unde
non sunt pares Generali, neque in dignitate, quia
nullam formaliter habent, neque in jurisdictione,
cum jurisdictio Generalis ad plura alia extenda-
tur, tunc quia jurisdictio definitorum non compe-
tit cuilibet seorsim, sed definitorio, ut simul con-
gregato.

Hinc fit, quod licet Generalis non sit superior
definitorio simul congregato, nec illud, si delin- 28
quat, possit punire, cum ipse sit caput illius, & ni-
hil malè definire possit, quod ipsi Generali præci-
pue ut capiti non imputetur, potest tamen punire
quemlibet definitorem, si delinquat extra res perti-
nentes ad definitorium. Tum quia præses punit
æqualém sibi, *leg. si quis fortes* §. *Si quos ff. de pœnitent.* 29
cap. placavit 6. *q.* 3. Tum, quia definitores per deli-
ctum fiunt inferiores Generali, & omnem digni-
tatem, si quam habent, amittunt. *l. quicumque eod.
ubi Senatores vel clerici.* Et illa regula, *par in parem
non habet imperium* fallit, quando agitur de puni-
tione, quæ publicam concerneret utilitatem, ut
hic; ita cum D. Th. Peyrinis *suprà citat.*

Sed quæres, à quo sint puniendi definitores,
si totum deffinitorium in rebus pertinentibus ad 30
definitorium delinquat? Respondeo in hoc casu
non posse ab ipso Generali definitorium puniri,
cum ipse sit caput illius, & delictum definitorii
non minus definitoribus, quam ipsi Generali im-
putetur. Unde in hoc casu debet puniri, vel à subse-
quenti definitorio, nam licet par in parem non ha-
beat imperium, hoc solum locum habet quando
non agitur de punitione, quæ publicam concerne-
ret utilitatem, ut *suprà* diximus, vel debet puniri à
Capitulo generali, utpote superiori, hoc secundum
jus commune existimo dicendum, nam de jure 31
nostro, hujusmodi punitio spectat ad diffinitori-
um subsequens, ut patet ex 3. *p. nostrarum Consti-
tutionum cap.* 10. *n.* 1.

Sed quæres, an si definitor aliquis generalis 32
accuset subditum alicujus Provincialis, apud eun-
dem Provincialem de furto, vel percussione, &
accusatus dictum definitorem apud eundem Pro-
vincialem reconveniat, accusando definitorem de
alio sibi facto furto, seu data percussione, an in
hoc casu definitor generalis teneatur de justitia
respondere coram Provinciali, & Provincialis pos-
sit utriusque rationes audire, & deinde finaliter
sententiare? Respodeo affirmativè: ita Peyrinis *de
privilegiis cap.* 10. *in additam. ad Constitutionem pri-
mam alias secundam VRBANI VIII. n.* 7. Quod si
definitor noluerit respondere coram Correctore
super reconventione facta; provincialis debet ei
justitiam denegare, nec ipsum audire in sua causa,
ut

ut multis probat glosa in *c.1.& 2.de mut.petit.* verbo *respondere.*

33 An autem definitor generalis peccans in aliquo Conventu, vel Provincia possit à Priore illius, vel à Provinciali puniri? Respondeo negativè, & constat.ex *cap.*pater noster,16.*q.*1.*Cap.* Sicut nobis §.*nolentes de negligentia prælatorum. Cap. fin. de statu monachorum* §. *hæc eadem.*Nec obstat *Cap.* volentes *de privilegiis in 6.* in quo statuitur, quod ratione delicti quis sortiatur forum non suum, nam intelligitur de exemptione reali, ratione scilicet loci,non de exemptione personali, qualis est ex-

34 emptio definitorum:ita cum aliis Peyrinis *suprà n.* 8. Si tamen delictum fuerit atrox, & periculum sit fugæ,potest Prior, seu Provincialis definitorem generalem comprehendere, & carcerare ad custodiam,usquequo Generalis moneatur:ita cum aliis Peyrinis *ubi suprà n.*8.

35 Adverte tamen,quod si definitor generalis peccet publicè coram Provinciali,vel Priore,ut si v.g. graviter percuteret aliquem Religiosum,tunc posse talem definitorem puniri à Priore, vel à Provinciali,quia exemptus ratione delicti notorii potest ab Ordinario puniri:ita habetur in *Cap.patentibus.* & in *cap.Tuam,de privilegiis,*& cum Hostiensi docet Peyrinis *ibid.*

36 Sed quæres, an definitores generales teneantur observare præcepta imposita in bonum commune à Priore illius domus, vel à provinciali ejus provinciæ,in qua sunt Conventuales? Respondeo affirmativè;ratio est, quia quilibet tenetur observare mores illorum,cum quibus vivit.*Cap. quibus rebus d.* 41.*Cap.illa autem de* 12. & turpis est pars, quæ non congruit suo toto *Cap. quæ contra mores d.*8.Tum,quia,ut *suprà* diximus, Generalis tenetur consuetudines, & statuta laudabilia Conventuum,per quos transit observare.Tum,quia Ecclesiastici tenentur observare leges civiles in cōmunē utilitatem editas,ut cum Vasquez, Cruz, & aliis docet Peyrinis *Tom.*1.*privilegiorum ad Const.*2.*Iulii II.n.*151.*& To.*3.*in additamento ad Const.* 1. *alias* 2. *VRBANI VIII.n.*19.*& Tom.*2.*Prælati q* 2.*cap.* 2.*n.* 102 ubi alios citat,ergo idem dicendum erit de definitoribus generalibus;nam licet sint exempti, tenentur tamen se conformare cum Communitate in qua vivunt.

37 Adverte tamen,definitores talia præcepta violantes non subjici pœnis impositis à dicto Priore, vel Provinciali,sed debere puniri à proprio judice, scilicet à Generali pœna arbitraria, habendo considerationem ad pœnas à Priore, vel Provinciali impositas:ita in simili cū Vasq.Cruz,quos refert,& sequitur Peyrinis *ad Const.*2.*IVLII II. n.*151.*in fine.*

Sed quæres,an definitores generales cogi possint à Priore vel Provinciali illius domus vel Provinciæ, in qua resident,ad testimonium ferendum coram ipsis,in aliquo casu sive civili,sive criminali?Respondeo negativè: nam cum sint exempti ab eorum jurisdictione, illis competit declinatoria fori ordinarii,ac proinde coram illis jurare non tenentur, & habetur expresè in *l.tutor* §.*fin.ff.de jurejur* ita Peyrinis *in additamento ad Const.* 1. *alias* 2. *VRBANI VIII. T.* 3.*privilegiorum n.*10. 38

Quare si casus evenerit, erit prius obtinenda licentia Generalis,vel Diffinitorii, ut possit examinari juridicè:ita cū Farinatio, & aliis Peyrinis *suprà*,nisi alias ipse definitor ultro velit testificare, nā tunc depositio ejus valida erit,etiam non obtenta licentia à Generali,ut colligitur ex *Cap.quanquam* 14.q.2.ita cum Farinatio, &aliis Peyrinis *suprà cit.*

Dico septimo: Definitores generales de jure nostro non possunt esse plures, nec pauciores quā sex,&si Provinciæ multiplicentur: ex diversis tamen debent Provinciis assumi, ita ut singuli eorum sint actu Conventuales in illa Provincia, pro qua electi sunt; nisi alias officium Generalis, vel Provincialis in provincia pro qua electus est, exercuerit: pro provincia tamen Indiarum potest eligi ex toto Ordine Religiosus idoneus. Non possunt tamen simul esse Priores, vel Provinciales, omnes in potestate,& præeminentiis sunt æquales; sunt patri nostro Generali immediatè subjecti, & ipse eis designat Conventus pro habitatione,& in locis Communitatis eis signum facit, & in locis, in quibus Capitulum generale celebratur,& ubi adest Generalis,sedent immediatè post Generalem, ubi tamen non adest Generalis sedent post Priorem domus. 39 40 41 42 43

Possunt omnes epistolas ad se missas absque licentia etiam Generalis recipere, & eis respondere, & ad qualcumque personas voluerint scribere, cū sæcularibus loqui,& in cellulas Religiosorum ingredi,& ipsi in cellulas eorum, excepto Conventu,ubi fuerint Conventuales,extra tempus tamen definitorii, si ibi definitorium fortè celebretur. Possunt loqui cum nostris monialibus, & earum confessiones audire,quoties sibi visum fuerit: possunt è domo,quando ipsis videbitur,exire; tenentur tamen prius Priori manifestare, ut eis socium assignet:non possunt tamen exire, ultra illos, qui secundū leges possunt exire. Prior tamen illis postulantibus tenetur eis locū reservare;tandem eandem 44 45 46 47 48

dem reverentiam eis tenentur omnes Religiosi ex-
hibere, ac suis prælatis; ipsi tamen non se possunt
immiscere in gubernatione Conventus, nec Capi-
tulo Conventuali assistere, nec Prior, aut alius eo-
rum culpas in refectorio animadvertere, quæ om-
nia habentur in *3.p. nostr. Const. C. 6. n. 1. sect. 9. & 12*

49 DICO OCTAVÒ: Nostrorum definitorum gene-
ralium electio spectat ad Capitulum generale, eo-
rum vero confirmatio ad definitorium simul cum
Generali, eorum verò antiquitas à Capitulo gene-
rali determinatur, ut constat ex *3.p. nostrarum Con-*
50 *stit. cap. 1. n. 7.* Non possunt tamen reeligi in defi-
nitores, nisi triennio transacto, nec in Provinciales,
nisi transacta majori parte triennii? noviter tamen
51 electi in definitores, possunt elegi in Provincia-
52 les in eodem Capitulo generali primo, & secundo
53 definitore exceptis, ut constat ex *3. p. nostrarum*
54 *Const. cap. 2. n. 18.* Debent autem hi patres esse vir-
tute, & prudentia prædìti, & qui saltem triginta, &
tres annos ætatis, & octo annos Religionis com-
55 pleverint ex *3.p nostrarum Const. cap. 2. n. 11. & cap.*
6. n. 1. Tenentur etiam in omnibus negotiis secre-
56 tum servare, in quibus definitorium determinave-
rit secretum deberi observari, & ad hoc illis datur
sacramentum secreti, & fidelitatis. Omnes te-
nentur etiam non vocati ad definitorium accede-
57 re, nisi fortè aliquis ab ipso definitorio fuerit oc-
cupatus, potest namque definitorium unum, vel
58 duos intra Hispaniam occupare, quod tamen fa-
cere non potest Generalis, nec eis præbere licenti-
59 am ad non interessendum definitorio, ut patet ex *3.*
p. nostrarum Const. cap. 6. n. 3. 5. & 6.

Adverte tamen, quod si aliquis definitor è vita
discesserit, teneri unumquemque sacerdotem in to-
to Ordine, ultra suffragia pro aliis Religiosis assig-
60 nata, pro eo unam missam privatam dicere, quem-
libet Conventum, tam Fratrum, quam Monialium
unam missam Conventualem, & unum integrum
officium defunctorum, ut patet ex *1.p. nostr. Const.*
cap. 17. n. 4.

61 DICO NONÒ: Omnes Religiosi nostri, etiam
Provinciales, tenentur definitores generales, Pa-
62 tres nostros appellare ex *1.p. nostrarum Constitutio-*
num cap. 15. num. 4. ipsi vero utuntur Sigillo Ordi-
nis, adjecta tamen in circuitu hac circumscriptio-
63 ne definitorii, ex *3.p. nostrar. Constitut, cap. 10. num.*
4. Non possunt visitari, nisi in Capitulo generali
à definitorio, & Generali noviter electis, & ad
hanc visitationem tenentur Generales, cum tem-
pus Capituli generalis advenit, facere definitori-
bus examen in domibus, ubi resederunt; & totum
definitorio noviter electo committere; & si quis ex
toto ordine habuerit aliquid contra definitores, te-
netur illud scriptum definitorio mittere per Pro-
vincialem, vel socium illius Provinciæ, qui ad Ca-
pitulum generale accedunt, ipsum tamen defini-
torium tenetur eorum causas intra duos dies deci-
dere, & eis pœnitentias imponere, nisi defectus et-
iam majorem diligentiam expostulaverint. Nam
tum tenetur definitorium intra tres menses post
Capitulum Generale talem diligentiam per se, vel
per alios facere, & eos charitativè, & prudenter 64
punire ex *3.p. nostrar. Constitut. c. 10. n. 1. 2. 3 & 4.*

DICO DECIMÒ: defuncto Generali primus defi-
nitor tenetur alios convocare, & quamprimùm
Vicarium Generalem eligere, ex *3. p. nostrarum*
Constitutionum cap. 6. num. 10. pro illo tamen tem-
pore, quo Vicarius non eligitur, primus definitor
præsidet in toto Ordine, & debet habere sigillum
Generalis, ne dicamus manere totum Ordinem si-
ne Capite: ita de sua Religione testatur Peyrinis
Tom. 3. privilegiorum ad Const. 1. alias 2. VRBANI
VIII. n. 1.

Si tamen aliquis definitor generalis è vita deces-
serit, ad definitorium spectat, alium definitorem
suo loco eligere ex *3.p. nostr Const. cap. 2. n. 15.* Sed 65
pone casum, quod omnes definitores simul mori-
antur, in hoc casu existimo electionem prædicto-
rū definitorum tunc remanere apud solum Genera-
lem. Nam jus totius definitorii in prædicto casu in 66
solo Generali, reliquis mortuis, privatis, suspensis,
vel excommunicatis, remanere potest; quamvis e-
nim nulla Ecclesiastica Communitas, vel Colle-
gium in uno constitui possit, postquā tamen semel
in pluribus est constitutum, potest totum ipsius jus
ad unum reduci, & in eo conservari, aliis mortuis.
l. sicut, ff. cujusq. univers. Glossa *in Cap.* gratū, *Verbo*
pauciores *de postulat. Prælator, &* in d. Cap *verb. di-*
co, quam sequuntur communiter DD. cum Rota,
quos refert, & sequitur Tamburin. *de jure Abbatum*
T. 1. disp. 5. quæsit. 8. n. 5. Barbosa, quem refert, & se-
quitur Lezana *verb.* election. 4.

Hinc fit, quod si Generalis cum quinque defi- 67
nitoribus moriatur, & unus tantum definitor
generalis remaneat, ad eum pertinere electionem
Vicarii generalis; non tamen potest se ipsum in 68
Vicarium eligere, quia hoc esset evidens signum
ambitionis. Rodrig. quem refert, & sequitur Leza-
na *Tom. 1. cap. 15. n. 6.* Electo verò Vicario generali
ad ipsos simul congregatos pertinet electio aliorū
definitorū generalium, juxta supradictam doctri- 69

 nam

69 nam; nisi dicere velis, quod Vicarius generalis simul cum definitorio superstite, unum definitorem eligant, & confirment, & postea ipsi duo definitores simul cum Vicario generali tertium definitorem eligant, & tunc tres definitores alterum eligant, & sic de cæteris. Hoc enim ego etiam non inficior.

SECTIO II.

De definitorio generali, & de rebus ad illud pertinentibus.

70 *Quoties & quando definitorium generale congregandum sit?*

71 *Quæ Generalis, vel præses in absentia Generalis teneatur in definitorio proponere, quoties illud congregatur.*

72 *Quoties definitorium congregatur, ad minus debent adesse cum Generali quatur definitores, & absente Generali ad minus debent adesse quinque.*

73. *Non possunt pro definitoribus admitti substituti.*

74. *Definitores separatim, vel absentes nihil possunt decidere, sed omnia fieri debent per suffragia seu vota secreta, in uno loco congregatis.*

75 *Definitorium non potest suas vices Generali committere, exceptis aliquibus casibus, quando Generalis tendit ad visitandam aliquam provinciam, sed hoc cum aliqua limitatione,*

76 *Potest definitorium Generale suas vices committere definitorio Provinciali Indiarum.*

77 *A quibus debeant subscribi decreta definitorij?*

78 *Decreta definitorii tenetur Generalis executioni mandare.*

79 *Quid agendum? si noluerit executioni mandare.*

80 *Epistolæ missæ definitorio, debent legi in ipso definitorio.*

81 *Ad definitorium generale spectat omnium prælatorum, etiam Generalis renunciationes admittere.*

82 *Ad illud pertinet gremiales Capituli Generalis non venientes ante tempus punire, & illorum inhabilitates declarare.*

83 *Ad idem spectat omnes controversias, & dubia circa electionem Generalis decidere.*

84 *Potest omnes Prælatos, data causa, officiis privare.*

85 *Si Generalis aliquem Prælatum officio privet, tenetur de eo rationem reddere definitorio.*

86 *Potest mittere Religiosos ad Romanam, & Regiam Curiam.*

87 *Potest etiam aliquando Patrem Generalem punire, & quomodo, & quando, & quibus circunstantiis hoc fieri debeat?*

88 *Si definitorium dederit alicui definitori aliquam commissionem; ad idem spectat declarare modum, quem in eius executione debet habere.*

89 *Referuntur varia, quæ soli definitorio reservantur.*

90 *Referuntur alia, quæ non potest efficere absente Generali.*

Dico Primò: Definitorium generale de jure 70
nostro quarto quoque mense, scilicet decima quinta die Januarii, Maii, & Septembris debet convenire, & ipsius definitorii arbitrio dissolvitur. Ultra tamen prædictas vices potest Generalis, quoties sibi visum fuerit, definitorium congregare, & illud dissolvere: tenetur etiam illud congregare, quoties quatuor definitores illud postulaverint, & quoties definitorium convocatur, tenetur Generalis, & in absentia Generalis primus definitor omnia negotia tunc occurrentia definitorio
proponere; postea verò potest quilibet ex definito- 71
ribus proponere quod voluerit, & petentibus aliquid quatuor definitoribus, tenetur deffinitorium illud decidere, & quoties definitorium diebus à lege assignatis convocatur, tenetur definitorium omnes electiones in toto Ordine vacantes efficere. Durat autem in his casibus definitorium ad arbitrium Generalis, quæ omnia constant ex 3, p. *nostrarum Const. cap. 6. n. 3. & 4.*

Dico Secundò: Quoties definitorium Genera- 72
le congregatur, debent de jure nostro ad minus in illo simul assistere cum Generali quatuor definitores, & absente Generali, debent ad minus semper 73
esse quinque; numquam pro definitoribus possunt admitti substituti, nec ipsi definitores possunt aliquid separatim, vel absentes per litteras decidere, sed cuncta omnes simul in unum congregati defi- 74
nire debent per vota secreta, scilicet calculis albis, vel nigris, electionibus exceptis, quæ per schedulas debent celebrari, juxta Trid. Imò nec ipsum de- 75
finitorium simul congregatum potest suas vices absolutè committere Generali, sive soli, sive cum aliis adjunctis, exceptis aliquibus casibus particularibus,

laribus,quando Generalis tendit ad visitandum a-
liquam Provinciam,vel domum,juxta ejus indi-
gentiam,& negotia, quæ probabiliter in ea pos-
sunt occurrere, exceptis Conventuum fundatio-
nibus,aut eorum derelictione, depositione Pro-
vincialis,& Fratrum ab Ordine expulsione, & le-
gum,sive Constitutionum nostrarum dispensatio-
76 ne:ita habetur in *3.p.cap.6.n.4.& 5. & 11.* Potest
tamen definitorium Generale suas vices absolutè
committere definitorio Provinciali Indiarum ex *3.
p.nostr.Const.c.7.n.13.*
77 DICO TERTIÒ: Omnia decreta definitorii de-
bent subscribi à Patre Generali, & primo definito-
78 re,& Secretario: & illa statim tenetur Generalis
executioni mandare;si tamen Generalis negligens
fuerit, & humiliter monitus non se emendaverit,
tunc duo primi definitores ea possunt executioni
79 mandare subscribendo ea nominibus suis, & Se-
cretarii,& sigillo definitorii;ut patet ex *3.p. nostr.
Const.c.6.n.14.* Omnes etiam Epistolæ missæ ad
definitorium,non possunt nisi in definitorio co-
80 ram omnibus definitoribus aperiri ex *3.p. cap. 7.
num.7.*
81 DICO QUARTÒ: Ad definitorium generale de
jure nostro spectat omnium prælatorum, etiam
Patris Generalis renunciationes admittere ex *3.
82 p.nostr.Const.cap.7.n.7.& 14.*gremiales ante tem-
pus ad Capitulum generale accedentes punire, &
83 eorum inhabilitates declarare ex *3.p. nostr. Const.
cap.1.n.2.*Omnia dubia circa electionem Genera-
lis sine ulla contradictione intra diem naturalem
84 decidere ex *3.p.c.2.n.4.*Omes prælatos data legi-
tima causa officiis privare,& si Generalis aliquem
officio privavit,de eo teneatur definitorio reddere
85 ratione ex *3.p.c.7.n.7.*Occurrente aliquo gravi ne-
gotio potest aliquẽReligiosum ad Romanã,vel re-
giam Curiam mittere, & si pater Generalis (quod
86 DEUS avertat) notabiliter fuerit scandalosus,& re-
laxatus,aut prolongationem sui officii, vel regi-
men in *nostr Const.* præfixum in totum, vel in
partem mutare intentaverit, potest definitorium,
87 convocatis omnibus Hispaniæ Provincialibus, &
octo votis ex omnibus concurrentibus contra il-
lum procedere,& eum ab officio deponere, & in
hoc casu potest definitorium ponere præcepta, &
censuras in toto Ordine,& ipsi Generali,ut in do-
mo à definitorio definita consistat, & munus su-
um non exequatur,quousque ejus causa judicetur,
& tunc faciunt plenam fidem decreta definitorii
subscripta à primo,& secundo definitore, & Se-
cretario ex *3.p nostr.Const.c.6.n.3.*

DICO QUINTÒ: Ad definitorium Generale et- 88
iam spectat de jure nostro,si alicui definitori de-
dit aliquam commissionem, declarare illi mo-
dum, quem in ejus executione debet habere ex *3.
p.nostr.Const.c.6.n.13.* & mittere instructiones
Provincialibus,leges nostras declarare, dispensare
in Constitutionibus ad mores tamen pertinenti-
bus: Patronatus jus, fenestras sive ostia in nostris
Ecclesiis pro vita alicujus personæ, non tamen in
perpetuum: Altaria collateralia, & sepulturas in
majori Capella: fundationes admittere, & illas re-
linquere: concedere in Conventibus Monialium
duo loca perpetua: Religiosas de uno ad alium
Conventum,in casibus de jure concessis, mutare:
dare consensum aliquibus Brevibus pontificiis ad
hoc,ut fœminæ ingrediantur clausuram nostra-
rum Monialium, in casu, quo in illis consensus
prælatorum postuletur: facere distributiones pro
expensis communibus in toto Ordine: applicare
Conventus unius Provinciæ alteri: concedere li-
centiam ad libros imprimendos, concedere licen-
tiam ad eundum ad conversiones,vel Romam, &
de professionum nullitatibus judicare, & culpam
gravissimam punire, quæ omnia constant ex *3.p.
nostr.Const.cap.7.per totum.*

DICO SEXTÒ: Ad definitorium etiam spectat 89
admittere ad habitum Eunuchos,& illegitimos,&
uxoratos,utroque conjuge Religionem ingredien-
te,aliquos ad statum Fratrum Laicorum recipere
ex *2.p.nostr.Const.cap.2.n.6.& 7.* concedere licen-
tiam ad professionem solemnem nostrarum Do-
natorum ex *2.p.cap.3.n.5.* Secundam novitiatus
domum pro aliqua Provincia designare *2.p. cap.
7.n.2.*Eremorum Priores ad tempus pro suo arbi-
trio eligere ex *2.p.cap.7.n.2.*Declarare quando E-
remi habeant congruam sustentationem ad hoc,
ut non possint pro missis recipere stipendia ex *2.p.
c.11.n.1.*Religiosos ab Ordine expellere, & iis di-
missorias tribuere, & eorum carceres abbreviare
ex *4.p.c.6.n.4. & 8.*In carcere perpetuo alicui as-
signato,ob præsumptionem peccati nefandi dis-
pensare *4.p.cap.6.n.4.*Aliquos Capitulo Generali
proponere, ut eos ad aliqua Ordinis officia eli-
gant:per hoc tamen non tollitur, quod quis eli-
gat,quem maluerit ex *3.p.cap.2.n.5.*

DICO SEPTIMÒ: Absente Patre Generali non po- 90
test definitorium admittere, aut relinquere ali-
quam fundationem, aut aliquem ab Ordine ex-
pellere,nec aliquam electionem, excepta electione
Vicarii Generalis,ob mortem Generalis, efficere:
Ita habetur in *3.p.nostr.Const.c.6.n.13.* Imò etiam

præsente Generali non potest dispensare in Constitutionibus regiminis, nec dispensare in numero monialium, nec ut aliqua puella ante decimum quintum annum pro moniali recipiatur, aut ut aliqua mulier sæcularis in earum Conventu vivat ex *3.p.c.7.n.6* Nec ut mulieres in nostras eremos ingrediantur, ex *2.p.cap.11.§.3.n.9.* Nec potest studia aut Ordines Fratribus laicis concedere ex *2.p. c.4. n.25.* & tandem id, quod à definitorio fuit decretum non potest iterum revocare, nec illud iterum definitorio proponere, nisi adsint omnes, qui illud decrevêre, ex *3.p.cap.7 n.16.*

SECTIO III.

De definitoribus, & Definitorio Provinciali.

91 *Definitores Provinciales de jure nostro solum possunt esse quatuor.*
92 *A quibus tales Definitores eligantur?*
93 *Quo loco sedeant tempore Capituli Provincialis, & quo extra tempus Capituli?*
94 *Ad Capitulum Provinciale spectat determinare, quis eorum habiturus sit primum locum.*
95 *Non possunt reeligi ad idem officium in sequenti Capitulo.*
96 *Habent vocem activam in sequenti Capitulo.*
97 *Nemo, nec etiam Pater Generalis eos à sua Provincia amovere potest, ita ut Capitulo Provinciali non intersint.*
98 *Possunt à Provincia amoveri ad aliquod officium exercendum, vel ad eorum petitionem.*
99 *Quæ spectant ad definitorium Provinciale?*
100 *Finito Capitulo Provinciali expirat officium horum definitorum usque ad Capitulum venturum.*
101 *Nullam amplius habent præeminentiam, vel jurisdictionem illo finito.*

DICO PRIMÒ: Definitores Provinciales de jure 91
nostro tantum possunt esse quatuor; hi autem eliguntur à Capitulo Provinciali, & sedent 92
tempore Capituli Provincialis, tam in ipso Capi- 93
tulo, quam extra statim post Provincialem, & cum eo præsident in Capitulo Provinciali.

Ad Capitulum verò Provinciale etiam spectat 94
determinare, quis inter eos sit habiturus primum locum & vocem, aliorum verò loca regulari debent à majori numero votorum, quæ in prima electione quilibet eorum habuerit.

Non possunt tamen reeligi ad idem officium in sequenti Capitulo, in eo tamen habent vocem, si 95
adhuc fuerint Conventuales illius Provinciæ: & nemo, nec etiam Pater Generalis aliquem illorum 96
à sua Provincia potest amovere: ita ut Capitulo Provinciali non intersit, nisi ad aliquod officium, 97
vel munus exercendum, vel ad eorum petitionem. 98
Quæ omnia habentur in *3.p.nostr. Const. cap.4.n. 4.& 15.*

DICO SECUNDÒ: Ad definitorium Provinciale simul cum Provinciali spectat regulare suffragia ac 99
nominationes, quæ in Capitulo Provinciali fiunt, ad Capitulum Generale: ut patet ex *3.p.nostr.Const. c.4.n.6.* Lectores artium eligere, & Scholasticos designare ex *2.p c.4. n.5.* Distributiones pro tota Provincia facere ex *3.p. cap. 8.n.6.* Domum Pro educatione Novitiorum designare ex *2.p.c. 2.n.2.*
Finito tamen Capitulo Provinciali expirat offici- 100
um horum definitorum usque ad Capitulum 101
venturum, & nullam amplius habent præeminentiam, aut jurisdictionem.

DISPV-

DISPVTATIO VII.

De Procuratoribus Regularibus.

SECTIO I.

De officio Procuratoris Conventualis.

1 *Munus Procuratoris Conventualis non est dignitas, vel personatus, sed merum officium.*
2 *Potest illegitimis conferri sine dispensatione.*
3 *Quæ ad officium Procuratoris spectent?*
4 *Superiores non debent hoc munus exercere*
5 *Administratio bonorum Conventus pertinet ad Procuratorem.*
6 *In Ordine Minorum Fratres non possunt esse Procuratores Monialium.*
7 *Hoc officium auferri potest ad nutum superiorum localium.*
8 *Procuratoris electio spectat ad superiorem monasterii.*
9 *Procurator nostrarum Eremorum designatur à patre nostro Generali.*
10 *Procuratores Conventuales de jure nostro non habent aliquam præeminentiam.*
11 *Possunt tamen exire è Conventu de licentia Prioris.*
12 *Hoc privilegio gaudet etiam Procurator Eremorum.*

PRo hujus sectionis notitia notandum est Procuratores esse in multiplici differentia: alii enim sunt pro uno Conventu, alii pro tota una Provincia, alii pro tota Religione: & hi etiam sunt in duplici differentia, alii enim sunt Procuratores generales in Romana Curia, alii in Curia Regia, his suppositis. 1

DICO PRIMÒ: Munus Procuratoris Conventualis non est dignitas, vel personatus, cum nullam
2 jurisdictionem, aut præeminentiam habeat, sed tantum est merum officium, undè illegitimis conferri potest absque dispensatione. Lezana nost. *Tom. 4. sum. qq. Regul. verbo,* Procurator, *num. 3.* Ad hujusmodi autem Procuratores solum pertinet bonorum ac redituum monasteriorum exigendorum cura. Unde ipsi pecunias, aut res collectas conservare, aut expendere non possunt, ut statuit
CLEMENS VIII. in decretis pro *reformatione* 3
Regularium, quæ habentur inter Bullas hujusmodi pontificis *T. 3. Bullarum n. 60.* & postea confirmata sunt à sacra Congregatione jussu URBANI VIII. in decreto *de regular. eiectis, & apostatis,* quod
refert Lezana *Tom. 2. cap. 13. n. 43.* & quo ad no- 4
stros patet ex *1. p. nostr. Const. c. 7. n. 7.* Imò ex
prædicto decreto Sacræ Congregationis habetur, 5
nullum ex Superioribus locorum posse exercere munus Procuratoris, aut habere per se ipsum administrationem bonorum monasterii; quia hæc spe-
ctant ad ipsum Procuratorem Lezana, *ibid.* in Or- 6
dine tamen Minorum non possunt Fratres esse Procuratores suarum Monialium, id enim est illis prohibitum, ut notavit Portel *in dub. Regularib.* verbo, *Procurator monialium.*

Hujusmodi autem Procuratores monasterio-
rum amoveri possunt ad nutum Superiorum, tum 7
ex Trid. *sess. 25. cap. 2.* tum ex declaratione sacræ
Congregationis apud Barbosam in *Collectan. Bul-* 8
larum, verbo *officiales,* illorum vero electio spectat ad superiores Monasterii, etiam in casu, quo Monasterium subjectum sit Episcopo: ita cum Laurentio de Franchis Lezana *T. 2. cap. 13. n. 44.* & quo ad nostros patet *ex 3. p. nost. const. cap. 11 n. 7.* Excipe, nisi aliud disponant specialia statuta, ut accidit in nostra Religione: nam Procurator Eremorum non fit à Priore Conventus, sed à Patre nostro Genera-
li, ut patet ex *2. p. nostr. Const. c. 11. §. 3. n. 3.* 9

Si tamen quæras, an hujusmodi Procuratores 10
Conventuales in nostro Ordine habeant aliquas præeminentias? Respondeo negative, sed tantũ ha-
bent facultatem exeundiè Conventu cũ Socio, de 11
licentia tamen Prioris ex *1. p. nostr. Const. cap. 9. n. 4.* Ubi statuitur, quod nullus excepto Priore, & Procuratore, vel alio, loco illius foras exeat, nisi forte sit ad prædicandum, vel Confessiones infir-

infirmorum audiendum. Hoc autem privilegio exeundi è Conventu pro negotiis Conventus gaudet etiam Procurator Eremi constitutus à Generali pro illis negotiis, quæ aliter expediri non possunt, debet tamen ad hujusmodi negotia peragenda solus exire: nam alii Religiosi, & etiam Prior, in nullo casu ab Eremo possunt exire, ut patet ex 2.*p.nostr.Const.cap.*11.§.3.*n.*2.

SECTIO II.

De officio Procuratoris Provincialis,

13 *Hoc munus in Ordine nostro, non est dignitas, aut personatus, sed merum officium.*

14 *Potest sine dispensatione illegitimis conferri.*

15 His *Procuratoribus competit cura omnium bonorum, & redituum omnium Conventuum Provinciæ.*

16 *Vt possint agere lites omnium Monasteriorum, debent eligi à Capitulo, vel definitorio Provinciali.*

17 *Procurator sic electus à Provincia non expirat morte Provincialis, vel etiam omnium Provinciæ Prælatorum.*

18 *Procurator Provinciæ electus à solo Provinciali, expirat mortuo Provinciali.*

19 *Procurator Provinciæ electus à Provinciali, nomine dignitatis, vel officii, non expirat morte Provincialis.*

20 *Idem dicendum est de Procuratore electo ex vi statuti, & legis.*

13 DIco PRIMÒ: Munus Procuratorum Provinciarum in Ordine nostro non est dignitas aut personatus, sed merum officium, siquidem nullam jurisdictionem, aut præeminentiam habet; Unde de illis eodem modo philosophandum
14 est ac de Procuratoribus Monasteriorum; Unde potest sine dispensatione conferri illegitimis. In illis tamen Religionibus, in quibus Procuratores Provinciarum habent aliquam jurisdictionem,
15 vel præeminentiam, eorum munus dicetur, & erit dignitas, vel personatus, sed de his videnda sunt specialia statuta: ita Lezana *verbo*, Procuratores, *n.*5. Competit autem his Procuratoribus bonorum, aut redituum omnium Monasteriorum Provinciæ exigendorum cura.
16 Vt autem ii Procuratores Provinciæ possint lites, & causas totius Provinciæ agere in judicio, non solum à Provinciali, sed à toto Capitulo Provinciali, saltem ab illis, qui repræsentant totam Provinciam, scilicet à Provinciali cum suo definitorio debent eligi, & Ratio prioris partis est, quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, sed hic Procurator omnium Conventuum Provinciæ causas agit: ergo ab omnibus approbari debet. Deinde quod sufficiat, si eligatur à definitorio cum Provinciali, etiam liquet, quia definitorium totam Provinciam repræsentat: ergo qui habet speciale mandatum à definitorio, censetur illud habere à tota Provincia: ita Lezana noster *Tom.* 4. *seu* 6.*in conf.*13.*num.*27.*& sequentibus.*

Hinc fit Procuratorem Provinciæ sic electum à 17 definitorio, vel Capitulo non expirare per mortem, vel amotionem ab officio Provinciali, vel etiam omnium Provinciæ prælatorum. Nam cum isti sint constituti Procuratores à tota Provincia, cum Provincia eadem perseveret, censetur perseverare ejus mandatum. Secus dicendum est de Procuratore Provinciæ electo à solo Provinciali: nam hic mortuo, vel amoto ab officio Provinciali, cessat illius authoritas propter oppositam rationem: ita cum Naldo, Lezana *verbo*, mandatum 18
n 14.

Excipe, nisi talis Procurator institutus fuerit à Provinciali nomine dignitatis, vel officii, in illis Religionibus, in quibus id facere possunt, sine Conventibus Provinciæ: Nam cum dignitas, vel officium talis prælati, non cesset, sed eadem censeatur manere in successore, censetur ejus mandatum permanere; & idem dicendum existimo de 19
Procuratore electo à Provinciali simul cum Priore alicujus Conventus ex vi legis, vel statuti, ut accidit in Procuratore hujus nostræ Provinciæ Lusitaniæ. Nam cum hic Procurator eligatur à 20
Provinciali ex vi statuti, non expirat morte Provincialis, sed durat pro tempore à tali statuto stabilito, vel dum perseverat statutum.

SECTIO III.

De officio Procuratoris Generalis, tam Curiæ Romanæ, quam Regiæ.

21 *Munus Procuratorum Generalium, sive Romanæ Curiæ, sive Regiæ, si habent jurisdictionem annexam,*

annexam, est dignitas, si verò tantùm habeat aliquas praeminentias est personatus.

22 *Non potest sine dispensatione conferri illegitimis.*

23 *Munus Procuratoris Romanæ Curiæ, de jure nostro est dignitas.*

24 *Munus Procuratoris Generalis Curiæ regiæ de jure nostro tantùm est personatus.*

25 *Procuratores Generales utriusque Curiæ, de jure nostro eliguntur à definitorio Generali.*

26 *Definitorium eis præbet potestatem ad omnia negotia Religionis peragenda.*

27 *Eorum officium ut plurimum durat per triennium.*

28 *Possunt ab eodem definitorio reeligi in officium, & ab eo amoveri absque eo, quod alicui teneatur reddere rationem.*

29 *Ipsi Procuratores post eorum electionem tenentur facere juramentum fidelitatis.*

30 *Electio Procuratorum generalium, de jure communi pertinet ad totam Congregationem.*

31 *Aliquando fit per nominationem Generalis, juxta varia Religionum Statuta.*

32 *Procurator Generalis potest agere quosvis casus, etiam speciale mandatum requirentes omnium Provinciarum, & Conventuum, & personarum Ordinis.*

33 *De jure nostro non potest Procurator Romanæ Curiæ aliquam Bullam circa gubernium universale Ordinis, vel quid simile impetrare absque consensu Capituli generalis.*

34 *In aliis tenetur stare obedientiæ definitorii Generalis.*

35 *Absque ejus mandato non potest quidquam agere in rebus pertinentibus ad Religionem in communi.*

36 *Procurator Generalis Curiæ regiæ, non potest extraneorum negotia, nec personalia cujuscumque Religiosi, nisi à Provinciali illius Provinciæ fuerint commissa expedire.*

37 *Non potest per seipsum sæcularium tribunalia adire ad lites, vel negotia personalia.*

38 *Munus Procuratoris Generalis est magnæ praeminentiæ.*

39 *Ad eum pertinet orare in Capella Papæ, & eidem Capellæ debito tempore interesse.*

40 *Sedet in Capella Papæ post Episcopos, & Generales Ordinum.*

41 *Inter Procuratores Ordinum Minorum datur præsidentia Procuratori Observantiæ respectu Conventualium.*

42 *De jure nostro Procurator Romanæ Curiæ, ubicumque sit, sedet immediatè post Provincialem illius Provinciæ, & Priorem Conventus, & definitores Generales.*

43 *Procurator Curiæ Regiæ sedet immediatè ante Suppriorem Conventus, non potest tamen in ejus præsentia præsidere in locis communibus.*

DIco I. Munus Procuratorum generalium, 21
sive Romanæ Curiæ sive Regiæ, si aliquam
habeat annexam jurisdictionem, est dignitas;
si verò tantùm habeat aliquas præeminentias sine
jurisdictione, est personatus. Unde sine dispensatione
non potest conferri illegitimis; Lezana *verbo* Procurator *n.* 3.

An autem nostri Procuratores Generales, sive 22
Curiæ Romanæ, sive regiæ sint dignitates, vel
personatus? Respondeo Procuratorem Romanæ
Curiæ esse non solùm personatum, sed digni- 23
tatem; siquidem habet superioritatem, & jurisdictionem
super omnes, qui ad Romanam Curiam tendunt. Omnes enim illuc accedentes, statim
tenentur ei suas litteras obedientiæ præsentare, & causam sui adventus aperire, & in omnibus
negotiis ei obedire, & illuc accedentes sine debita licentia comprehendere potest, & carceri mancipare,
vel alio cum eis uti remedio opportuno, & potest Apostatas à censuris absolvere, ut patet ex
3. *p. nostr. Const. cap.* 11. *num.* 3. quæ omnia, ut debitè fiant, cùm jurisdictionem requirant, procul
dubio hæc illi à lege censetur concessa, ac per consequens ejus munus erit dignitas; Lezana *Tra.* 2.
cap. 13. *num.* 25. Econtra verò Procurator Curiæ 24
regiæ, cùm nullam jurisdictionem habeat super alios Religiosos, sed tantùm aliquas præeminentias,
ut patet ex *nostr. Constitut. cap.* 11. *numer.* 4. Ejus munus personatus est, & non dignitas; Lezana *ibidem*.

Dico II. Procuratores Generales, sive Romanæ Curiæ, sive Regiæ, de jure nostro eliguntur à 25
definitorio Generali, & illis præbet definitorium juridicam potestatem ad peragendum omnia negotia
totius Ordinis, tam in Romana Curia, 26
quam regia. Durat verò eorum officium ut plurimum per triennium, possunt tamen ab eodem de- 27
finitorio reeligi, vel ab officio amoveri absque eo quod definitorium teneatur sui facti rationem
reddere: ipsi verò postquam electi sunt, tenentur prius facere juramentum fidelitatis, ut patet ex 28
prædicta lege *n.* 1. & 4.

Dixi, *De jure nostro*, nam de jure communi eorum electio pertinet ad totam Congregationem;
30 cùm enim sint Procuratores, non solùm pro Ordine, & singulis eis personis, sed & pro singulis ejus Provinciis & Conventibus, æquum & rationi congruum est, ut eorum electio ad solam Congregationem generalem pertineat. Unde in omnibus ferè Religionibus à Vocalibus Capituli Generalis fieri solet; ita Samuelius *de electione Tractatu 3. disput. 1. controvers. 5. num. 6. & 7.* licet a-
31 liquando fieri etiam possit per nominationem Generalis secundùm Religionum Statutum; ita Lezana *T. 2. cap. 13. n. 25.* & ita fit in Religione Dominicanorum ex indulto Martini V. prout testatur Samuelius *ubi suprà n. 5.*

Dico III. Licet de jure communi Procurator Generalis minimè censeatur Procurator pro sin-
32 gulis Conventibus, cùm ei data sit ei pro Ordine potestas, & pro singulis personis de Ordine, attamen ex concessione diversorum Pontificum facta diversis Ordinibus, agere potest Procurator Generalis quasvis causas, etiam speciale mandatum requirentes omnium Provinciarum, Conventuum, & personarum Ordinis, ac si plenum, liberum & speciale mandatum ad hujusmodi causas accepisset, ut patet ex privilegio Bonifacii IX. concesso Generali Ordinis Prædicatorum; quod refert Lezana *Tom. 4. qq. Reg. verbo* Procuratores, *num. 5.* in quo privilegio concedit Pontifex ipsi Generali, ut possit talem Procuratorem eligere, & quoties sibi videbitur liberè amovere, & quod vacante officio Generalis, minimè officium talis Procuratoris censeatur cessare, donec super hoc à Generale successore aliter ordinetur; & quod dictus Procurator possit, & valeat quascumque causas tam civiles, quàm criminales, Ecclesiasticas, sive mundanas, quas voluerit assumere pro dicto Ordine, locis, & ipsorum Conventibus, & officialibus, & personis ipsius; prout latius in prædicta Bulla, quam refert Lezana *supracitat. loc.* continetur

33 De jure tamen nostro, non potest Procurator Generalis Curiæ Romanæ aliquam Bullam circa gubernium universale Ordinis, vel quid simile impetrare, absque consensu Capituli Generalis, & in aliis tenetur stare obedientiæ definitorii Genera- 34
lis, & absque ejus mandato non potest quidquam agere in rebus pertinentibus ad Religionem in communi, & si de hoc aliquam Epistolam alicujus Religiosi receperit, tenetur eam statim sub præ- 35
stito juramento definitorio manifestare. Procurator verò Curiæ regiæ non potest extraneorum ne- 36
gotia, nec personalia cujuscumque Religiosi; nisi a Provinciali suæ Provinciæ fuerint commissa, expedire, & si tale negotium difficultatem aliquam habuerit, tunc debet consulere Patrem nostrum Generalem, ut patet ex eadem lege *num. 4.*
Nec potest per seipsum judicum sæcularium tri- 37
bunalia, aut alios Regis Ministros adire ad lites, seu negotia merè temporalia alicujus Conventus, vel cujuscumque illa sint, sed hoc per sæcularem Procuratorem exequi debet, ut patet ex eadem lege *num. 7.*

Dico IV. Procuratoris generalis munus ma- 38
gnæ præeminentiæ est in Religionibus Mendicantibus, in quibus ad eum pertinet orare in Ca- 39
pella Domini Papæ, & eidem Capellæ debito tempore interesse, quasi totius Ordinis, vel Generalis personam repræsentando; Rodrig. *To. 1. q. 13. artic. 2.* Lezana *Tomo 2. cap. 13. num. 25.* Ejus ve- 40
rò locus in Capella est post Episcopos, & Generales Ordinum; & quo ad Procuratores Ordinis Minorum præcedentia datur Procuratori Observan- 41
tiæ respectu Procuratoris Fratrum Conventualium, ut declaravit Sacra Congregatio anno 1602. & cum Barbosa & Navar. testatur Lezana *verbo* Procurator *num. 4.* De jure verò nostro Procura- 42
tor Generalis Romanæ Curiæ ubicumque sit, immediatè sedet post Provincialem illius Provin- 43
ciæ, & Priorem Conventus, & post definitores Generales. Procurator verò Curiæ regiæ sedit immediatè ante Suppriorem Conventus, non potest tamen in ejus præsentia præsidere in actibus communibus.

***

DISPUT.

DISPVTATIO VIII.

De potestate Capitulorum Regularium.

SECTIO I.

De Capitulo in Communi.

1 *Quid intelligatur per Capitulum Regularium?*
2 *Quomodo dividatur?*
3 *Quæ personæ ad unumquodque Capitulum vocentur?*
4 *A quo debeant Capitula convocari?*
5 *Capitulares non vocati tenentur ire ad Capitulum.*
6 *Quem locum in Capitulis debeant habere Capitulares?*
7 *In quibus consistat potestas Capituli.*
8 *Quid, si Capitulum delinquat?*
9 *Quos actus possint Capitula exercere?*
10 *Capitulum Generale de jure nostro ampliorem habet potestatem, quàm Generalis.*
11 *Ad Capitulum non requiritur certus numerus Vocalium, sed ab illis, qui accedunt, celebrandum est suo tempore.*
12 *Vocales Capituli Generalis, aut Provincialis, sine causa non possunt abesse à Capitulo.*
13 *Si sine causa non accedant, graviter puniuntur.*
14 *Quid dicendum sit de jure nostro?*
15 *Ad quem pertineat judicare, an causa non accedendi sit legitima?*
16 *Vocales Capituli Conventualis possunt suæ voci, si velint, renuntiare, nisi ob aliquam circumstantiam contrarium expostuletur.*
17 *Qui voci suæ renuntiavit, potest eam reassumere.*
18 *Qui vocatus noluit accedere, si postea mutata voluntate accedat, possunt cæteri vocales eum iterum admittere, non tamen tenentur.*
19 *Excusatus legitimè à Capitulo, non potest suum votum alteri committere, nec illud mittere per scriptum.*
20 *Si loco impediti alius jure speciali substituatur, & postea veniat proprietarius, admittendus est, & substitutus excludendus.*
21 *Quid, si accedat, peractâ jam parte electionis, vel tota electione?*
22 *Quid si aliquis Vocalis accedat, inchoato jam Capitulo?*
23 *Quid, si Vocalis accedens inchoato jam Capitulo fuit contemptus?*
24 *Capitulum non Congregatum à proprio Prælato est acephalum.*
25 *Ut gesta per Capitulum sint valida, non requiritur, quod omnes ad sonum cymbali sint vocati, sed sufficit, quòd omnes Vocales assistant, quomodocumque convenissent.*
26 *Quid, si in aliqua materia aliud jure speciali sit dispositum.*
27 *Omnia tractanda in Capitulis debent decidi per majorem partem Capituli.*
28 *Ut aliqua res dicatur decisa, debent omnes consentire simul in unum Congregati, & non sufficit, quod separatim consentiant.*
29 *Quantum debeant Capitula durare?*
30 *Ante Capitulum quomodo Præsidens debeat Capitulares absolvere à censuris.*

DIco I. Per Capitulum hic intelligimus adunationem Regularium pro negotiis spectantibus ad statum Religionis ipsorum: Dividitur autem in *Generale, Provinciale, & Conventuale,* seu *locale.* Capitulum *Generale* est pro negotiis totius Ordinis: *Provinciale* pro negotiis Provinciæ: *Conventuale* pro negotiis Conventus; ad unumquodque autem eorum Capitulorum diversæ personæ sunt vocandæ pro diversitate illorum, quos in unoquoque Capitulo explicabimus. 1 2 3

Debent autem Capitula convocari in tempore à lege statuto ab eo, qui in illis debet præsidere; quod si Præsidens Capituli Capitulares non vocaverit, ipsi ad tempus secundùm Statuta Religionis determinatum, possunt convenire in locum, ubi præsens morari consuevit, vel in locum, à lege statutum; ita Samuelius *de elect. Tr.* 1. *disp* 2. *contr.* 4. 4 5

num. 8. & est conforme nostr. Constitut. 3. *p. c.* 1. *n.* 1. & *C.* 4. *n.* 1.

6 Dico II. In his Capitulis debent Religiosi sedem habere secundùm gradum suæ dignitatis; quod si sint æquales, ut accidit in Capitulis Conventualibus, debent sedere secundum antiquitatem suæ professionis; ut patet ex 3. *p. nostr. Constitut. c.* 13. *n.* 1. nisi in aliis Religionibus tempus receptionis ad habitum inspiciatur, ut docet Peyrin. *Tom.* 3. *privilegiorum, c.* 2. *n.* 33.

7 Dico III. Potestas Capituli consistit in majori, ac saniori parte eorum, qui sunt vocati; ita habetur in Silvestro *verbo,* Capitulum, *num.* 1. Sanior autem pars illa dicitur, quæ est major respectu totius Capituli; ita communiter DD. apud Tam-
8 burin. *Tom.* 1. *q.* 6. *disput.* 1. *num* 25. hoc tamen non habet locum in casu, quo Capitulum delinquat, ideòque privetur potestate ipsi competente ex *cap. bonæ memoriæ, & cap. cum nobis, de electione.* Siquidem tunc tota potestas remanet in minori parte, quæ non delinquit; Abbas in *cap.* 1. *de his quæ fiunt à majori parte num.* 12. Rodriguez, & cum aliis Belasius *verbo* Capitulum *num.* 2. Imò si major pars Capituli faciat aliquid reprobatum à jure, potest minor pars illi resistere, protestando; ita cum Riccio Belasius *verbo* Capitulum, *num.* 3. si tamen fiat à duabus partibus Capituli, dicitur fieri à toto Capitulo, Belasius *ibidem num.* 6. Limita nisi id, quod factum est tangat omnes de Capitulo singulariter, & non tantùm collegialiter; Belasius *ibid.*

9 Possunt autem hujusmodi Capitula exercere omnes actus jurisdictionis, quos sive jure communi, sive ex privilegio possunt exercere Præsidentes illorum respectivè. Unde Capitulum Generale potest sicut Generalis imponere censuras, & ab illis absolvere, commutare, & dispensare vota, concedere facultates, & alia efficere, ac ipse Generalis, quod verum est, etsi ipsi Generales, vel Provinciales in eis assistant; ita cum Silvestro, & aliis Lezana *verbo* Capitulum, *num.* 5. imò alia potest
10 nostrum Capitulum Generale efficere, quæ tamen facere non potest, ipse Generalis per se solus, ut patet ex 3. *parte nostrarum Constitut cap.* 1. *nu.* 16. & ex aliis locis, in quibus plura reservantur Capitulo Generali.

Dico IV. Ad Capitulum non requiritur cer-
11 tus numerus Vocalium, sed si tempore præfixo omnes, qui debent illi interesse, non accedant, Capitulum ab illis, qui convenerunt, aliis minimè exspectatis celebrandum est, ut patet ex his, quæ *infra* dicemus de electione; & quoad nostros ex 3. *p. nostrarum Const. cap.* 1. *n.* 8.

Adverte tamen, Vocales Capituli Generalis, aut 12
Provincialis, non posse absque justa causa abesse à Capitulo, quia jure regulæ, & officii ad id tenentur: Statutis enim pro bono communi inductis non potest quis renuntiare; ita cum Sigismund. Felino, & aliis Peyrin. *Tom.* 3. *privilegio-* 13
rum, cap. 9. *num.* 28. Unde si de facto non acce- 14
dant graviter puniuntur. Existimo tamen in nostra Religione non accedentes non peccare mortaliter, cùm nostræ Constitutiones non obligent ad mortale, nisi ex defectu alicujus Capitularis bonum publicum grave damnum pateretur; Peyrin.
loc. cit. Judicare autem, an detur legitima causa 15
non accedendi, spectat de jure communi ad Prælatum, qui Capitulo præfuturus est; Pelliz. *Tractatu* 9. *c.* 8. *n.* 15. nisi aliter Constitutiones propriè disponant.

An autem vocales Capituli Conventualis pos- 16
sint renuntiare voci suæ? Respondeo posse, nisi inde bonum Conventus, vel commune aliquod grave damnum pateretur; est enim illud jus proprium, cui unusquisque potest renuntiare; Peyrin. *ubi supra.*

Adverte tamen, quod si quis renuntiet voci, & 17
ante acceptationem eum pœniteat, ac velit eam iterum resumere, potest id facere, & ab aliis debet admitti; ita cum Lavorio, Sigismund. & aliis Peyrin. *num.* 29.

An autem debeat admitti ad Capitulum Gene- 18
rale, sive Provinciale, sive locale Religiosus, qui vocatus noluit accedere, si postea, mutata voluntate, accedat? Respondeo, de jure communi posse illum admitti à Vocalibus, non tamen teneri: quod possint illum admittere, patet, quia Capitulares, si velint possunt ad Capitulum, non vocalem admittere, nisi obstent specialia Statuta; quod autem non teneantur etiam patet, quia renuens vocatus accedere ad Capitulum, facit se à Capitulo alienum: ergò alii eum non tenentur recipere; ita Pellizzarius *ubi supra n.* 22.

Dico V. Religiosus legitimè excusatus à Ca-
pitulo, non potest alicui vocem suam delegare; ita 19
Pelliz. *loc. cit. num.* 16. cederet enim id in præjudicium illorum, qui juxta ordinem antiquitatis jure suo admittendi sunt, & quoad nostros patet ex 3. *p. nostr. Const. cap.* 2. *num.* 6. Imò nec potest suum votum mittere in scriptis, quidquid dicat cum Azor. Portel 2. *p. casuum, casu* 1. *num.* 5. ita Pelliz. *num.* 17. Talis enim modus suffragandi est expo-

expositus maximis periculis, & non est necessarius, cùm alii sint, qui suffragari possint.

An autem ægrotante aliquo Religioso in loco Capituli sit petendum ab illo suum votum, & quomodo id faciendum sit? agentes *de Electione* dicemus.

20 Sed quæres, an si loco Religiosi Vocalis impediti, alius ex lege substituatur, si postquam substitutus accessit ad Capitulum, eveniat, quod proprietarius jam non impeditus ad Capitulum veniat, quis illorum sit admittendus? & hic casus accidere potest in nostris Capitulis Provincialibus, in quibus loco Prioris impediti accedit Sup-
21 prior. Respondeo, quod si jam electiones sint peractæ, non debet proprietarius jam admitti, secus si non sint peractæ, & si aliquæ sint factæ, quædam verò non, Proprietarius debet admitti ad illas electiones, quæ remanent faciendæ; ita & benè Pelliz. *ubi supra n.* 39.

22 An autem, si aliquis Vocalis ad Capitulum accedat, inchoato jam Capitulo, debeat ad illud admitti? Respondeo deberi admitti ad illas electiones, quæ remanent faciendæ, quod si aliqua sit inchoata, non debet repeti, sed continuari, si aliàs Religiosus de novo accedens, non fuerit contemptus; cùm in hoc casu vota jam data fuerint legi-
23 tima; secus si talis Religiosus fuerat contemptus; nam tunc cùm priora vota cassanda sint ad petitionem de novo ingredientis, si talis Religiosus velit illa cassare; absque dubio repetenda sunt, utpote invalida; secùs si Religiosus de novo admissus prædicta verba rata habeat; ita Fabian. *verbo* Electio *num.* 13.

Dico VI. Capitulum non Congregatum à
24 proprio Prælato est acephalum, & gesta per id non valent, cùm enim sit sine capite, non potest corpus mysticum Religionis repræsentare, nec in virtute Religionis operari; ita Lezana *Tom.* 2. *capite* 12. *num.* 6. Palaus *Tract.* 4. *disputat.* 1. *parte* 5. §. 7. *num.* 1.

25 An autem, ut gesta per Capitulum sint valida, requiratur etiam, quòd omnes sint vocati ad sonum cymbali, vel alio signo ad tale quid tractandum? Respondeo negativè, sed sufficere quod omnes, qui vocem habent in tali Capitulo adsint cum suo Capite, etsi ad illud sint vocati v. g. ad recitandum, vel ad recreationem: & ratio est, quia si omnes simul adsunt, qui de jure ad talem actum sunt vocandi, Capitulum verè est Congregatum: ergò non est necesse, quod ad talem actum in specie sint vocati.

Excipe, nisi in alia peculiari materia, aut causa contrarium jure sit dispositum, quod pro- 26
cedit, etsi in Religione detur lex, quod ad Capitulum vocetur ad sonum campanulæ, datis tot ictibus in specie, hoc enim non pertinet ad substantiam convocationis Capituli, sed ad accidentalem solemnitatem; Pellizzarius *ubi sup. n.* 4.

Dico VII. Tam Electiones, quam omnia alia 27
negotia, quæ in Capitulo tractantur debent decidi per majorem partem Capituli, ut patet ex 2. *p. nostr. Const. cap.* 9. *n.* 1. licet aliàs hoc in aliis negotiis præter Electiones non sit decisum de jure communi. Unde de hoc videnda sunt Religionum specialia Statuta.

Adverte tamen, quod ut res in Capitulo dicatur 28
decisa, non sufficere ut Religiosi de ea sigillatim suum suffragium ferant, sed ultra requiri, ut omnes Vocales simul congregentur, nam quæ dicuntur fieri Capitulariter, dicuntur fieri ab Universitate, ut universitas est; quæ autem fiunt ab universitate, ut universitas est, debent fieri per Congregatos in unum more solito; ita Panormit. in *Cap. in genesim de electione*, *n.* 12.

Dico VIII. De jure communi non est dispo- 29
situm quanto tempore debeant Capitula durare; ideoque pro conditione rerum, quæ ibi tractantur, possunt continuari arbitrio ipsorum Capitularium, & non tantùm arbitrio Præsidentis; ita Pelliz. *loc. cit. n.* 39.

Tandem antequam incipiatur Capitulum, Præ- 30
ses illius debet omnes absolvere ab omnibus censuris, suspensionibus, & inhabilitatibus, vel alio quovis impedimento, ut electio nullo modo reddatur nulla, ut patet ex 3. *p. nostrarum Constitutionum c.* 1. *num.* 6. Quod etiam alii Regulares debent observare juxta modos cujuscumque Religionis; Pellizzarius *ibidem num.* 24. Lezana *loc. cit. num.* 55.

SECTIO II.

De potestate Capituli Generalis.

31 *Quid sit Capitulum Generale?*
32 *A quo Congregandum sit?*
33 *Qui ad illud debeant vocari de jure communi?*
34 *Qui de jure nostro?*
35 *Quis sit finis hujus Capituli?*

36 *Quæ sit illius potestas?*
37 *Capitulum Generale est super Generalem Ordinis, & potest illum deponere & punire.*
38 *Potest condere novas leges, & Statuta perpetua pro conservatione Regulæ.*
39 *Tales Leges statim à Papa censentur confirmatæ.*
40 *Quam vim tribuat legibus hæc confirmatio?*
41 *Capitulum Generale potest ferre Leges perpetuas, etiam repugnante ipso Generali.*
42 *Potest suis legibus ipsum Generalem obligare, etiam quoad vim coactivam.*
43 *Generalis non potest tales leges revocare.*
44 *Generalis potest dubia circa illas occurrentia declarare.*
45 *Hæc declaratio est juridica, & legalis.*
46 *Generalis finito suo officio punitur ob defectus, commissos contra leges factas, à Capitulo Generali.*
47 *Capitulum Generale, vacante Sede Generalis, idem potest efficere, ac si Generalis Sedes non vacaret.*
48 *Potest revocare leges factas ab alio Capitulo Generali, etiamsi à Papa fuissent confirmatæ.*
49 *Quid si fuissent confirmatæ ex certa scientia, & per modum decreti, & mandati?*
50 *Capitulum Generale non potest aliquid statuere contra jus commune.*
51 *Potest Statuta juris communis declarare, innovare, & ubi deest pœna, illam imponere.*
52 *Non potest facere Statuta arctiora supra Regulam.*
53 *Quid, si Regula præcipiat, ut obediatur Prælatis, & si præcipiant supra Regulam?*
54 *Si necessarium fuerit, ad impediendam gravem Regulæ relaxationem, possunt condere Statuta suprà Regulam.*
55 *Quid si profitentes solùm habuissent intentionem profitendi Regulam sic relaxatam?*
56 *Capitulum Generale potest auferre à subditis privilegia concessa à Pontifice, eorumque usum restringere.*
57 *Posita tali restrictione, vel ablatione, non possunt subditi illis uti licitè, nec validè.*
58 *Capitulum Generale potest aliquos casus reservare, non solum ex enumeratis à* CLEMENTE VIII. *sed etiam alios.*
59 *Potest adhuc hodie reducere onera perpetua Missarum.*
60 *Potest dispensare eum suis subditis illegitimis ad honores, gradus, & dignitates Ordinis, si detur legitima causa.*
61 *Quæ sit ad hoc causa legitima, explicatur.*
62 *Non est necesse, ut explicetur qualitas illegitimationis in dispensatione ad hoc, ut sit valida.*
63 *Si in Capitulo Generali, vel Provinciali eligatur aliquis Religiosus illegitimus ad aliquam Prælatiam, eo ipso saltem in foro conscientiæ censetur dispensatus, si aliàs Capitulares sciebant illum esse illegitimum.*
64 *Quid dicendum sit in foro externo in hoc casu?*
65 *Quomodo Religiosi tempore Capituli Generalis possint absolvi, & à quibus casibus & censuris?*
66 *Quomodo eis, & Familiaribus indulgentia plenaria concedatur?*

DIco I. Capitulum Generale est Congregatio Religiosorum facta ex præscripto Generalis ad tractanda negotia totius Ordinis. Ad 31
hujusmodi autem Capitulum vocandi sunt à Generali, vel ejus Vicario, vel eo mortuo ab eo, 32
qui loco ejus succedit secundùm Leges cujuscumque Religionis illi, qui secundùm Regulam, 33
& Constitutiones Religionum deputati sunt: de hoc enim nihil disponit jus commune, sicut etiam nihil disponit de loco, & tempore, quo celebranda sunt Capitula Generalia, sed totum hoc Religionum dispositioni committitur: Unde in Congregatione nostra Hispanica triennio in triennium convocatur à Patre nostro Generali Capitulum Generale, quod regulariter celebratur in Conventu D. Petri de Pastrana. Ad hoc autem Capitulum tantùm vocantur Provinciales omnium 34
Provinciarum, unusquisque cum duobus sociis suæ Provinciæ, & Definitores Generales, ut patet ex 3. *parte nostrarum Constitutionum, cap.* 1. *numer.* 1. *&* 6. Quod etiam in aliis pluribus Religionibus observatur.

Dico II. Finis principalis Capituli Genera- 35
lis est correctio morum, controversiarum occurrentium decisio, totius Ordinis reformatio; ita cum Rodriguez, Lezana *Tomo* 2. *capite* 12. *numero* 13. Ubi etiam deplorat corruptelam temporum præsentium, in quibus in Capitulis solùm principaliter agitur de electionibus, & parum de his, quæ pertinent ad reformationem; in quo absque dubio Generales, sive Provinciales negligentes mortaliter peccant, cùm in re gravissima pervertant finem illius amplissimæ Congregationis; Lezana *ibidem*.

Dico

36 Dico III. Capituli Generalis potestas est suprema, illi enim competit non solùm tota potestas, quæ residet in Generali etiam cum suo definitorio, sed etiam major alia, quam non habet Generalis, nec ipsum definitorium Generale: cùm enim in Capitulo Generali repræsentetur tota Religio, tanquam persona quædam moralis, ei sine dubio debetur suprema potestas in suos subditos, illa tamen potestate uti debet juxta modum præscriptum in Constitutionibus uniuscujusque Ordinis: ut benè advertit Suarez *Tom.* 4. *de Religione, tractatu* 10. *lib.* 10. *cap.* 4. *n.* 16. Hinc fit Capitulum Generale esse super ipsum Generalem
37 Ordinis, & posse illum deponere ab officio, & illius authoritatem minuere, & augere, & ejus defectus punire; ita Suarez *ibid.* Lezana *Tom.* 2. *cap.* 12. *num* 7. Belasius *loc. cit. n.* 14. & quoad nostras patet ex 3. *p. nostrarum Constitutionum*, *c.* 6. *n.* 5. *& cap.* 1. *num* 16.

38 Dico IV. Capitulum Generale potest condere novas Leges, & Statuta perpetua pro conservatione Regulæ; ita concessit Innocentius VIII. Martinus V. Eugenius IV. & Leo X. apud Rodrig. *To.* 1. *qu.* 41. *art.* 2 Debet autem Capitulum hac potestate uti, juxta modum præscriptum in suis Constitutionibus; Suarez *lib.* 4. *de legibus, cap.* 6. *num.* 21. & quod ad nostros patet ex 3. *p. nostrarum Constitutionum cap.* 3. *num.* 2 Ubi modus, quo debeant fieri leges perpetuæ, sive ad tempus, proponitur.

39 Adverte tamen, hujusmodi leges perpetuas à Capitulo Generali factas, statim censeri authoritate Apostolica confirmatas ex variis Pontificum privilegiis; præcipuè ex Bulla Pauli III. quam refert Suarez *Tom.* 4. *de Religione, tract.* 10. *lib.* 1. *c.* 4. *num.* 12.

40 Ubi advertit hanc confirmationem solùm dare hujusmodi legibus vim obligandi, non verò illas declarare ut opportunas, & convenientes; cùm Pontifex non usus fuerit Verbo *approbandi*, quod pertinet ad intellectum & clavem scientiæ: sed Verbo *confirmandi*, quod pertinet ad clavem jurisdictionis, per quam jus obligandi communicatur.

41 Dico V Capitulum Generale potest facere leges perpetuas, etiam repugnante ipso Generale, si major pars Capituli consentiat; Generalis namque in Capitulo Generali tantùm concurrit, ut unus ex habentibus suffragium, & est inferior ipso Capitulo; Lezana *Tomo* 2. *capite* 12. *numero* 6. Secus de Papa dicendum est respectu Concilii Generalis; nam cùm Papa sit supra Concilium, non tenet lex facta à Concilio, Papa renuente; Lezana *ibidem.*

Hinc fit Capitulum Generale posse suis legibus ipsum Generalem obligare, non solùm quoad vim directivam, sed etiam coactivam, & ipse Generalis tales leges non potest revocare stando in jure communi; Suarez *Tom.* 4. *de Religione, lib.* 10. *tract.* 10. *c.* 14. *n.* 14. Poterit tamen declarare omnia dubia occurrentia in quibuscumque Statutis proprii Ordinis, ex Bulla Clement. VIII. ita Cruz *lib.* 2. *de statu Relig. c.* 2. *n.* 22. Hujusmodi autem declaratio non solùm erit doctrinalis, sed etiam juridica; Peyr. *Tom.* 2. *privilegiorum ad Constit* 10. Urbani VIII. *num.* 6. 42 43 44 45

Hinc fit, quod finito officio Generalatus, Generales de delictis commissis contra leges puniuntur, imò etiam durante Generalatu aliquando possunt puniri, & deponi, Congregato Capitulo Generali, ut benè notavit Suar. *Tom.* 4. *de Relig. tractat.* 8. *lib.* 2. *c.* 8. *n.* 19. Quod quomodo, & in quibus casibus debeat fieri, de jure nostro disponunt nostræ Constitutiones 3. *p. c.* 6. *n.* 5. 46

An autem Capitulum Generale Sede vacante Generalis, possit eodem modo leges perpetuas ferre ante electionem novi Generalis? Respondeo affirmativè; ita Suarez *ubi supra numero* 9. Nam Capitulum Generale etiam ante electionem Generalis habet supremam potestatem immediatè à Papa, nec tunc omninò caret capite cùm habeat Vicarium, seu Præsidentem simul cum toto Capitulo, sicque non potest dici Acephalum, hoc est, sine capite. 47

An autem Capitulum Generale possit revocare leges & Statuta facta ab alio Capitulo Generali? Respondeo affirmativè, etsi aliàs authoritate Pontificia fuerint confirmata: Quamvis hoc rarò fieri debeat; ita Peyrinis *Tom.* 1 *privilegiorum ad Constitutionem* 8. Julii II. *numero* 3. Rodriguez *Tomo* 1. *quæst.* 68. *artic.* 5. & patet ex Bulla Pauli III. 48

Adverte tamen, Capitulum Generale solùm posse revocare Constitutiones à Papa confirmatas, quando fuêre confirmatæ in forma communi, non tamen si fuêre confirmatæ ex certa scientia, ac per modum decreti, aut mandati. Nam cum tunc tales leges faciat proprias, inferior, qualis est Capitulum illis, inconsulto Papa derogare non potest; ita cum aliis Lezana *Tomo* 4. seu juxta alios 6. *sum. qq. Reg. consult.* 6. *n.* 48. *& sequentibus.* Pellizzarius *c.* 8. *Tract.* 9. *num.* 71. & eadem 49

ratione non potest Capitulum Generale aliquid statuere contra jus commune; ita Portel *in dubiis Regularibus verbo*, lex, *num.* 10. Lezana *Tomo* 2.
51 *qq. Reg. cap.* 12. *num.* 3. & alii communiter. Potest tamen Capitulum Generale Statuta juris communis declarare, innovare, & ubi deest pœna illam imponere.

52 Dico VI. Capitulum Generale non potest facere Statuta arctiora supra Regulam, sed tantùm secundùm Regulam; ita cum aliis Lezana noster *eodem Tomo*, *cap.* 12. *num.* 9. Religiosi namque ex voto obedientiæ tantùm tenentur obedire secundùm Regulam.

Excipe, nisi in Regula determinetur, quod obe-
53 diatur Prælatis, etsi præcipiant supra Regulam: Nam tunc si aliquid præcipiatur, præcipitur secundùm Regulam; Lezana *ibidem.* Potest tamen Capitulum Generale reformare Regulam jam collapsam, obligando subditos ad observantiam illius, sic restitutæ. Hujusmodi enim restitutio non est supra regulam, sed secundùm Regulam; ita cum Corduba, Peyrin. & aliis Lezana *ubi supra num.* 10.

54 Imò, si necesse sit ad impediendam gravem relaxationem Regulæ, condere novas leges, duriorem observantiam continentes supra Regulam, adhuc illas potest Capitulum Generale ferre, talis enim lex simpliciter non esset supra Regulam, sed simpliciter secundùm illam, cum necessaria sit ad perfectam Regulæ observantiam; ita cum D. Thoma Vidal. *de subdito inquisit.* 1. *n.* 31.

55 Excipe, nisi profitentes talem Regulam habuerint intentionem profitendi Regulam sic collapsam: nam tunc non potest eos Capitulum Generale obligare ad observandam Regulam in suo primævo vigore; Sanchez *lib.* 6. *moralium capit.* 38. *num.* 39.

Dico VII. Capitulum Generale potest aufer-
56 re à Religiosis subditis privilegia concessa à summis Pontificibus, eorumque usum restringere, qua ablatione, vel restrictione posita, non possunt subditi nec licitè, nec validè uti talibus privilegiis; ita Sanchez *ubi supra cap.* 18. *num.* 13. Lezana *nu-*
57 *mero* 11. Rodriguez *quæst.* 17. *Tom.* 1. *art.* 5. aliique communiter, & patet tum ex privilegio Leonis X. quod refert Rodriguez *ibidem.* & ex alio Gregorii XIII. concesso per Bullam Societati; tum, quia liberum est renuntiare suo juri, *Cap.* si de terra *de privilegiis*: privilegia autem concessa Regularibus, sunt concessa toti Ordini, ac proinde cum in Capitulo Generali tota repræsentetur Religio, poterit eis renuntiare, si illi videbitur expedire.

Dico VIII. Possunt Capitula Generalia ma- 58
tura discussione præmissa casus aliquos, & censuras reservare, non solùm ex enumeratis à Clemente VIII. in decreto *de reformatione Reg.* sed etiam alios, ut patet ex ipso decreto, in quo Pontifex talem potestatem non adimit ipsi Capitulo Generali; ita Lezana *Tomo* 2. *capit.* 12. *num.* 12. & alii communiter.

An autem adhuc hodie possit Capitulum Gene- 59
rale reducere onera perpetua Missarum ex concessione Concil. Trident. *sess* 25. *cap.* 4. *& sess.* 21. *de reformatione?* Respondeo affirmativè, sed de his vide, quæ latè diximus in *Tractatu* 2. *de privilegiis disputat.* 1. *sect.* 3. *num.* 139. ne eadem sæpè repetenda sint.

Dico IX. Potest Capitulum Generale dispen- 60
sare cum suis subditis illegitimis ad honores, gradus & dignitates Ordinis ex Constitutione Gregorii XIV. requiritur tamen justa causa; causa autem justa erit, si Religiosus dispensandus esset 61
nobilis, litteratus, bonus, ac Religioni admodum utilis, ut benè advertit Lezana *ubi supra numer.* 21. non tamen est necesse, quod exprimatur qualitas illegitimitatis: An scilicet sit spurius, naturalis, 62
sacrilegus aut incestuosus: ut benè notat Rodriguez *Tom.* 1. *q.* 13. *artic.* 6 quidquid contradicat cum Portel, Peyrin. Lezana *ubi supra.* Ratio autem est, quia Capitulum cum tali illegitimo dispensans intendit dispensare cum tali Religioso quocumque modo illegitimus sit; ita Pelliz. *Tract.* 9. *cap.* 8. *num.* 10.

Addo, quod si in Capitulo Generali, vel Pro- 63
vinciali aliquis Religiosus eligatur ad aliquam Prælatiam, eo ipso, saltem in foro interno, censetur cum illo dispensare, si aliàs Capitulares sciebant ipsum esse illegitimum; ita cum Rodr. Portel, & aliis Lezana *n.* 21.

Dixi, *saltem in foro interno*, nam in foro externo 64
plures D. D. quos refert Lezana, existimant non remanere dispensatum; contrarium tamen non reputo improbabile cum Lezana *ibid.* quia aliàs cogeremur dicere ipsos Capitulares in foro externo peccare mortaliter, quod tamen non admittit Lezana. 65

Quomodo autem Capituli Generalis Religiosi, interessentes illi, etiamsi sint Novitii, Donati, & servitores possint absolvi ab omnibus casibus, delictis & censuris, etiam si talia forent, propter quæ Sedes Apostolica esset consulenda, & quomodo

modo super irregularitatibus possint dispensare, latè diximus in nostro secundo *Tract. de privilegiis disputat.* 1. *sect.* 1. Ubi etiam diximus, quomodo eis possit concedi indulgentia plenaria, sed de his vide, quæ *ibidem diximus.*

De modo celebrandi, maximo cum emolumento boni communis, comitia seu Capitula generalia, scripsit breviter, perspicuè & appositè ad praxim Venerab. P. JOANNES à JESU-MARIA libro *de Regimine Monastico parte* 1. per totam, qui extat *Tom.* 4. *operum ejus*, juxta alteram editionem Coloniæ factam anno 1650. Idem præstitit minus feliciter noster item ALPHONSUS à JESU-MARIA in præclaro illo suo Tractatu *de modo celebrandi Capitulum.*

SECTIO III.

De potestate Capituli Provincialis.

67 *Quid sit Capitulum Provinciale?*
68 *A quo debeat convocari?*
69 *Quæ personæ ad illud vocandæ sint de jure communi, & quæ de jure nostro?*
70 *Si Provincialis Vocales suo tempore non vocaverit, ipsi tenentur in tempore statuto accedere.*
71 *Quis sit finis hujus Capituli?*
72 *Quæ fiant in hoc Capitulo de jure nostro?*
73 *Quæ possint de jure communi fieri in hoc Capitulo?*
74 *De jure communi potest facere leges perpetuas pro Provincia.*
75 *De jure nostro non potest facere leges perpetuas, sed tantùm Statuta pro suo triennio.*
76 *Hujusmodi Statuta ut obligent, debent à definitorio Generali confirmari.*
77 *Capitulum Provinciale de jure communi potest casus reservare, non solùm quos* CLEMENS VIII. *designavit, sed & alios.*
78 *Quid dicendum sit de jure nostro?*
79 *Potest dispensare cum illegitimis ad dignitates eodem modo, ac Capitulum Generale.*
80 *Potest restringere, & auferre à Religiosis usum privilegiorum.*
81 *Potest de jure communi eligere, & deponere suum Provincialem, & alios Prælatos locales.*
82 *Potest facere omnia, quæ potest facere Provincialis.*
83 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

DICO I. Capitulum Provinciale est Congre- 67
gatio Regularium unius certæ Provinciæ ad 68
peragenda negotia ipsiusmet Provinciæ; debet 69
autem convocari à Provinciali, nisi aliud disponant propria Statuta, quæ etiam inspicienda sunt circa personas, quæ vocari debent, & circa locum, & tempus, in quo celebrandum est Capitulum, de jure tamen nostro vocandi sunt à Provinciali, vel eo mortuo, à primo Definitore, de triennio in triennium omnes Priores Conventuum, vel si impediti fuerint, eorum Suppriores, & Conventuum Vicarii electi à definitorio, ac definitores Provinciæ & Socii Capituli Generalis præcedentis ad locum designatum à Definitorio in Capitulo Provinciali præcedenti, ut patet ex 3. *parte nostrarum Constitutionum, cap.* 4. *num.* 1. & 3. quod 70
si Provincialis eos non vocaverit, ipsi tempore statuto, quod est Dominica III. post Pascha tenentur ad locum designatum se conferre, ut patet ex eadem *lege n.* 1.

DICO II. Sicut finis principalis Capituli Ge- 71
neralis est totius Ordinis reformatio, & correctio, & negotiorum totius Ordinis decisio; ita finis Capituli Provincialis est reformatio morum propriæ Provinciæ. Unde ad hunc finem principaliter debent Prælati attendere in eis. In eo etiam in aliquibus Religionibus fit electio Provincialis; in nostra tamen Congregatione Hispanica in
eo solùm eliguntur quatuor definitores ex gremia- 72
libus pro ipso Capitulo Provinciali, & duo Socii juri in Capitulum Generale cum Provinciali: eliguntur etiam eodem modo duo Substituti pro dictis sociis, ut si quis ex primò electis moriatur, vel non possit ad Capitulum Generale accedere, alter ejus locum suppleat; nominantur etiam duplicatæ personæ ex dignioribus pro officio Provincialis, & Priorum, per vota secreta à Provinciali cum suo definitorio, per modum scrutinii regulanda, quæ nomina signata, & observata à definitorio traduntur Provinciali, & illorum transumptum traditur etiam primo socio, ut anno sequenti ea præsentent in Capitulo Generali, & Capitulum Generale ex ibi nominatis eligat Provincialem & Priores, nisi in aliquo casu sibi aliud videatur expedire, ut patet 3. *parte nostrarum Constit. c.* 4. *num.* 6.

DICO III. Capitulum Provinciale de jure com- 73
muni potest facere omnia, quæ potest facere tota Provincia, non respectu totius Ordinis, sed respectu Provinciæ, in qua Capitulum celebratur, nisi obstent specialia Statuta, quæ quoad hoc sunt

varia

varia secundùm varietatem Religionum; Lezana
74 *Tomo 2. capite 12. num. 4.* Unde de jure communi potest facere leges perpetuas, obligantes tamen solùm in Provincia, in quâ fiunt; ita Lezana *ubi supra num. 18.*

Dixi, *de jure communi*, nam de jure speciali vi-
75 denda sunt specialia Statuta; in nostra namque Religione Capitulum Provinciale non potest fa-
76 cere leges perpetuas, sed tantùm quasdam determinationes, sive Statuta pro suo triennio, dummodo non contradicant nostræ Regulæ, & Constitutionibus, quæ etiam non obligant, nisi à definitorio Generali prius confirmentur, ut patet ex *3. p. nostr. Constit. c 4. n. 12.*

Dico IV. Capitulum Provinciale; seclusis
77 specialihus Statutis, potest casus reservare pro eadem Provincia, non solùm eos, quos Clemens VIII. in suo decreto exprimit, sed & alios, ut *supra* diximus, de Capitulo Generali.

Dixi, *seclusis specialibus Statutis*: Nam in nostra
78 Religione hujusmodi potestas solùm residet in Capitulo Generali, vel in Generali simul cum suo definitorio, ut patet ex *1. p. nostrarum Constitutionum, cap. 4. num. 5.*

An autem Capitulum Provinciale possit cum
79 illegitimis ad gradus, & dignitates Ordinis dispensare? Respondeo in hoc eodem modo philosophandum esse, ac de Capitulo Generali, nisi detur lex aliqua in contrarium; ita Lezana *ubi supra num. 21.*

An autem possint etiam à Capitulo Provincia-
80 li tolli, & restringi privilegia, & usus illorum à Fratribus ejusdem Provinciæ? Respondeo affirmativè, & patet ex his, quæ diximus *sectione antecedenti.*

Dico V. Capitulum Provinciale de jure
81 communi potest eligere suum Provincialem, & alios Prælatos locales, & eorum authoritatem
82 minuere, & eos punire, & omnia facere, quæ ipse Provincialis facere potest; ita Lezana *ibidem num. 18.*

83 Dixi, *de jure communi*, nam de jure nostro Capitulum Provinciale non potest eligere, nec deponere Provincialem, aut alios Prælatos, sed totum hoc Capitulo Generali, vel nostro definitorio Generali reservatur, ut patet ex *3. p. nostrarum Constit. cap. 7. n. 7. & cap. 2. n. 1.*

Formam ac modum celebrandi Capitulum Provinciale, maximè in Ordine Carmelit. refert Lezana *Tom. 2. qq. Regul. cap. 12. num. 55.* ex nostro Reverendissimo Theodoro Stratio Priore Generali, *&c.* Vide etiam supracitatos Joannem & *Alphonsum* à Jesu-Maria *loc. cit.*

SECTIO IV.

De potestate Capituli Conventualis.

84 *Quid sit Capitulum Conventuale?*
85 *A quo debeat convocari?*
86 *Qui ad illud sint vocandi?*
87 *De jure communi habent vocem in Capitulo Conventuali omnes Religiosi professi.*
88 *Quid dicendum de specialibus Statutis, & de jure nostro?*
89 *Quid dicendum sit de Laicis, & Donatis & Religiosis nondum Sacerdotibus?*
90 *Quibus diebus debeat hoc Capitulum convocari de jure communi?*
91 *Quid dicendum sit de jure nostro?*
92 *Quam authoritatem habeat hoc Capitulum, ubi etiam declaratur, qui Religiosi requirantur, & sufficiant ad constituendum hoc Capitulum Conventuale.*
93 *Si Provincialis in Monasterio assistat, potest præsidere in hoc Capitulo de jure communi.*
94 *De jure nostro nihil circa hoc dispositum est.*
95 *Prior non potest ullum celebrare contractum, absque consensu Capituli Conventualis.*
96 *Quando dicatur talis contractus approbari à Capitulo.*
97 *Quid, si contractus sint de rebus modicis, quæ pertinent ad vestitum & victum Religiosorum?*
98 *Quid in hoc dicendum sit de jure nostro?*
99 *Conventus tenetur stare contractui facto de consensu Prælati, & majoris partis Capituli, etsi cedat in damnum Monasterii?*
100 *Quid, si contractus factus fuit à Vicario posito loco Prælati mortui, vel absentis simul cum Conventu?*
101 *Quid, si contractus fuit celebratus à Conventu, Præsidente Suppriore, loco Prioris absentis?*
102 *Si Prælatus, nomine Conventus absque ejus consensu, mutuas accepit pecunias ad usum Monasterii, si ille eas non consumpsit in commodum Conventus, sed in proprios usus, Conventus ad illas solvendas non tenetur.*
103 *Quid, si Prior postularet in Capitulo consensum à Capitularibus, & illi omnes tacerent?*

104 *Quid, si pecunia recepta fuit nomine Conventus ad sublevandam ejus indigentiam, si postea à Prælato malè fuit consumpta?*

105 *Quomodo consensus Capituli ad alienandum res immobiles, & mobiles pretiosas sit necessarius?*

106 *Quomodo etiam requiratur ad Novitios recipiendos, & admittendos ad professionem?*

84 DIco I. Capitulum Conventuale est Congre-
85 gatio Religiosorum uniuscujusque Monaste-
86 rii particularis, facta à Prælato immediato illius ad
87 tractanda negotia ipsius Monasterii; qui autem sint ad hoc Capitulum vocandi, videndum est ex uniuscujusque Religionis Statutis: Nam licet de jure communi omnes Religiosi professi habeant vocem in negotiis tractandis Conventus, ut benè
88 cum Bord. notavit Pelliz. *Tr. 9. c. 7. n.* 113. Ex specialibus tamen Statutis ferè omnium Religionum aliter fit; unde in N. Congr. Hisp. solùm habent vocem in Capitulo Conventuali Sacerdotes, nisi in illis Conventibus, in quibus Capitulares quinque non fuerint: nam tunc debet hic numerus impleri ex Fratribus, Sacris Ordinibus initiatis; ita ut præferatur Diaconus Subdiacono, & in eodem Ordine antiquior in professione: hi verò, qui tempore receptionis habitus Sacerdotio jam fungebantur, non admittuntur ad Capituli suffragia, ni-
89 si duobus annis transactis à sua Professione, ut patet ex 2. *p. nostr. Constit. c.* 5. *n.* 1. Cæteri verò Fratres, & Donati & Laici solùm admittuntur in Capitulo ad audiendam spiritualem exhortationem, quam Præses tenetur facere, & ad culpas deponendas, vel eos de defectibus arguendos, ut patet ex 2. *p. nostr. Const. c.* 10. *n.* 1.

Si tamen quæras, de quibus defectibus in hoc Capitulo Religiosi arguendi sint, & quomodo puniendi? Respondeo de hoc satis me dixisse in expositione Regulæ, Tractatu præcedenti, & ideò videnda sunt, quæ *ibidem* diximus, ne eadem repetamus.

90 Dico II. Capitulum Conventuale debet convocari diebus statutis juxta cujuscumque Religionis Leges; in nostra tamen Religione debet congregari singulis Dominicis diebus, ut latè di-
91 ximus in *Expositione Regulæ*: poterit tamen etiam in aliis diebus Congregari, quoties occurrerit res aliqua necessaria & conveniens communi bono
92 Monasterii, sive spirituali, sive temporali. Hujusmodi autem Capitulum sic congregatum habet omnem authoritatem, quam habet ipsum Monasterium, quod repræsentat, vel quam ei concedunt propriæ Constitutiones, quæ proinde consulendæ sunt, si tamen quæras, quot Religiosi requirantur, & sufficiant ad constituendum Capitulum Conventuale, ita ut gesta ab eis, dicantur fieri à Capitulo? Respondeo sufficere quod duo, vel tres capitulariter congregentur; ita Lezana *ubi supra num.* 14. Peyrinis *Tomo 3. privilegiorum, capite* 13. *num.* 46.

An autem Provincialis, si sit in Monasterio 93
possit præsidere Capitulo Conventuali præsidendo proprio Prælato Monasterii? Respondeo de jure communi posse, siquidem tota potestas Prælati inferioris residet eminenter in Provinciali, & Provincialis est proprius Pastor ipsorum Regularium.

Excipe, nisi in aliqua Religione contrarium sit 94
dispositum; quod tamen non video in nostra Religione; ita Pellizz. *loc. cit. n.* 116.

Dico III. Prior non potest ullum celebrare 95
contractum alicujus momenti absque consensu sui Capituli, ut patet, tum ex *Cap. ea noscitur de his, quæ fiunt à Prælat.* Tum, quia quod omnes tangit ab omnibus approbari debet, atqui contractus, qui fiunt de rebus Monasterii, omnes Religiosos tangunt: ergò ab illis debent approbari; tunc autem dicitur talis contractus approbari à Communitate, quando approbatur à majori parte Capituli.

Excipe, nisi aliud in aliqua Religione sit dispo-
situm, ut est in Societate Jesu, ubi omnes faculta- 96
tes celebrandi contractus remanent penes Generalem; ut advertit Pelliz. *ubi supra n.* 120.

Excipe secundò, nisi contractus sint de rebus
modicis, quæ pertinent ad victum & vestitum 97
Religiosorum, nam potestas ad hæc emendum censetur commissa à Capitulo Prælato locali, quia durissimum esset, quod quoties aliquid emere vellet ad usum Religiosorum, teneretur Capitulum convocare, quod est conforme nostris Constitutionib. 2. *p. cap.* 9. *num.* 1. In quibus di- 98
sponitur, quod Priori sine determinatione trium Clavariorum, sive seniorum à Priore simul cum Provinciale ex gravioribus Patribus eligendorum, non liceat expendere, recipere, alienare quidquam, sive alio modo contrahere in rebus gravibus Monasterii, quod si res aliqua adhuc majoris ponderis se offerat, nulla ratione Priorum & Clavariorum arbitrio tantùm, sed per majorem partem Capituli expediatur.

Sed quæres, An teneatur Conventus stare 99

contractui facto de consensu Prælati, & majoris partis Capituli, si talis contractus cedat in damnum Monasterii? Respondeo affirmativè: Nam delictum Prælati, & Capituli nocet Ecclesiæ *c. 2. de ordin. cognit.* tum, quia cùm Monasterium consenserit in talem contractum & damnum, nulla ei facta est injuria; volenti enim & consentienti nulla fit injuria, quod verum est, etiamsi tale Monasterium careat proprio Prælato, & tantùm ha-
100 beret Vicarium, loco Prioris mortui, vel absentis, cum omni illius potestate: Nam tunc omnes contractus celebrari à Capitulo à tali Vicario, etiamsi sint in damnum Conventus essent validi; siquidem talis Vicarius omnem potestatem jurisdictionis habeat ac Prior: ergò si simul cum Capitulo contrahat, valet contractus; Bordonus *resolut. 53. q. 12.*

101 Et idem dicendum est de Suppriore Conventus, quando Prior per multum tempus abest à Monasterio: nam tunc æquiparatur Præsidenti, ac si Conventus vacaret, & esset sine Prælato; & Supprior in absentia Prioris per multum tempus habet eamdem potestatem cum Prælato, teste Miranda *Tom. 2. q. 20. art. 2.* ita Bordon. *ubi supra num. 72.* Pelliz. *supracit. loco n. 123.*

Sed quæres, an Prælatus nomine Conventus,
102 sed sine ejus consensu mutuas accipiens pecunias ad usum Monasterii, obliget Conventum, si ille absque commodo Conventus in suos usus illas expendat? Respondeo negativè; Nam cùm Conventus ex tali mutuo commodum non reportet, iniquum est reportare incommodum; ita Tapia,
103 & Bordon. *ubi supra q. 8.* Imò addo, quod si Prior à Capitulo postularet consensum ad petendam prædictam pecuniam mutuam, & totum Capitulum taceret, adhuc, si Prior eas in suum commodum expendit, Conventum non manere obligatum; nam in præjudicialibus ex taciturnitate & non resistentia, consensus non inducitur; ita & benè Pasqualig. *Tom. 2. decis. 195.*

Secus dicendum est, si illa pecunia recepta sit nomine Conventus ad sublevandam ejus indi- 104
gentiam, & Conventus in tale mutuum verè consensit, & si postea malè à Prælato expenderetur: nam cùm acceptatio mutui legitimè facta fuerit, remanet Conventus obligatus; Sanchez *lib. 7 moralium cap. 31. num. 13.* quomodo autem 105
etiam requiratur consensus Capituli ad alienandas res immobiles, & mobiles pretiosas Conventus latè diximus *in Tract. 2. de privilegiis disputatione 1. sect. 4.* & qualiter requiratur ad Novitios recipiendos, & illorum professiones acceptandas, dixi- 106
mus latiùs *Tract. præcedenti disp. 2. sect. 1.* Ubi, si placet hæc omnia videre poteris, & hæc de tota hac materia sufficiant.

Lubet hanc disputationem de Capitulis Regularium claudere opportuno valde documento, quod nobis tradidit *Cap. ultimo supracit. Tractatu de Regimine Comitiorum generalium.* Sapientissimus P. Joan. à Jesu-Maria his verbis: *Consessus Monachorum piè ac sincerè celebrati,* Deo *acceptissimi, Ordinumque Monasticorum saluti congruentissimi sunt: at ubi eò ventum est, ut Cœtus illi, genere quidem suo casti, humanis affectibus vitientur, in pessimam peccatorum sentinam degenerant; quod utinam non adeò vulgatum foret. Considerent ergò, qui boni communis zelo flagrant, quam sit accuratè studendum Cœnobiticorum consessuum puritati, & juxta ea, quæ præscripsimus animum & linguam moderentur. Caveant, ne quod Athenienses Paulo,* &c. & paucis interjectis concludit: *Qui gravissimorum consessuum sanctitatem tanquam intemeratæ Virginis pudorem tueri curarint, sperent sanè laborem eâ de causa susceptum, à* Deo *ampla mercede repensandum.*

***

TRACTA-

TRACTATUS V. DE ELECTIONE PRAELATORUM REGULARIUM.

Postquam in superiori Tractatu egimus de Regimine Prælatorum, de eorum varietate, & jurisdictione, restat ut de eorum electione, de eorum, & de eos eligentium qualitatibus breviter agamus, ut sic totum hoc opus, undequaque maneat absolutum, sit igitur

DISPUTATIO I.

De forma, & essentia electionis Canonicæ.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit Canonica electio?

1 *Quid sit electio Canonica?*
2 *Quotuplex sit modus electionis Canonicæ?*
3 *Quid sit electio per quasi inspirationem?*
4 *In quo differat electio per quasi inspirationem ab electione per communem inspirationem?*
5 *Quæ requirantur ad electionem per quasi inspirationem?*
6 *Quando detur electio per compromissum?*
7 *Electio per compromissum duplex, vel absolutè, vel limitatè.*
8 *Quid sit electio per compromissum absolutè?*
9 *Si electores absolutè alicui committant electionem, si seipsum eligat, electio est valida.*
10 *Quid sit electio per compromissum limitatè?*
11 *Quæ conditiones ad electionem per compromissum limitatè requirantur.*
12 *Electio per compromissum limitatè, si sit de persona non idonea, revocari potest.*
13 *Compromissarii indignum eligentes suspenduntur à beneficiis.*
14 *Compromittentes, acceptantes scienter electionem indigni, privantur ea vice jure eligendi, secus si illum respuerint.*
15 *Potestas concessa in compromissariis non potest revocari, si res jam sit incepta, secus si res sit integra.*
16 *Si unus ex compromissariis dignum elegerit, & alii elegerint manifestè indignum, electio ab uno facta est valida.*
17 *Quando detur electio per scrutinium?*
18 *Quæ essentialiter ad electionem per scrutinium desiderentur.*
19 *Alii duo modi electionis præter assignatos in Cap.* quia propter *dantur de jure communi.*
20 *Qui sint hujusmodi modi?*
21 *Electio non potest fieri per sortes.*
22 *Si sortes fiant, non circa electionem, sed super eligendum electio secuta est valida.*
23 *Talis electio debet de facto à judice irritari*

1 DIco I. Electio est alicujus personæ ad dignitatem Canonicè facta vocatio ; ita Peyrinis *de subdito quæst.* 1. *cap.* 31. *notabili* 1. dicitur autem : Canonicè facta vocatio, quia in ea observari oportet formam à Sacris Canonibus præscriptam, cùm enim omnium Prælatorum Ecclesiæ ad Pontificem pertineat; ad ipsum spectat, vel illos eligere, vel modum quo eligantur tradere, triplicem autem modum eligendi prælatos regulares, de quibus in præsenti est sermo, Sacri Canones nobis præscribunt : scilicet, *scrutinii, compromissi, & quasi inspirationis*, ut patet ex C. *quia propter de electione*. 2

3 Dico II. Electio per quasi inspirationem est, quando subitò, & repentè, aliquo tamen ordine servato, inter Electores, nempe unum post alium sine intervallo, omnes quempiam eligunt: differt autem hic modus electionis ab electione per communem inspirationem in hoc, quod in electione per communem inspirationem non unus post alium, sed omnes simul, nullo præcedente tractatu, unanimiter una voce aliquem repentè eligunt, quasi divinitus afflati, ut accidit in electione Divi Ambrosii, Martini, & Nicolai ad Episcopatum. Unde hic modus non est forma electionis, sed est via Spiritus Sancti, quæ non subjacet legi, aut Regulæ, quæ requiritur in electione *Cap. quia propter* : electio verò per quasi inspirationem est forma nobis tradita in *Cap. quia propter* : dicitur tamen quasi per inspirationem, quia aliquam habet similitudinem cum electione per communem inspirationem; quia tamen non constat, an fuerit vera inspiratio, nec ne, licet talis præsumatur ratione unionis, legi subjacet, & eget confirmatione : ut tradunt communiter Doctores relati à Sigismundo *de electione, dubio* 2. *capite* 1. *numero* 5.

(4 at line "fert autem hic modus electionis")

5 Ad electionem autem per quasi inspirationem quatuor requiruntur conditiones : *Prima*, ut nulla præcedat nominatio : *Secunda*, ut nullus specialis tractatus sit præhabitus, benè tamen generalis ; potest enim Præses Capituli commonere electores prævia exhortatione ad idoneum prælationi eligendum. *Tertia*, ut omnes nemine discrepante consentiant. Unde si elector contemptus, id est, vocandus & non vocatus, postea electioni pro bono pacis consentiat, talis electio non censetur per quasi inspirationem celebrata. *Quarta*, ut unus nomine omnium eligat, & tunc censebuntur omnes unanimiter elegisse ; ita Joannes Andreas in *Cap. quia propter num.* 39. Sigismundus 1. *part. cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 6. Miranda *qu.* 23. *art.* 42. *num.* 2. *concl.* 2.

Dico III. Electio per compromissum tunc datur, quando omnes è Capitulo potestatem eligendi idoneum Pastorem committunt uni, vel pluribus, sive isti sint de Capitulo, sive non ; dummodo sint clerici, qui sic electi *Compromissarii* vocantur, & hi congruentiùs erunt in numero impari, ne fortè in duas partes æquales dividantur, si forè discordaverint. Potest autem compromissum fieri, vel simpliciter, & absolutè, vel limitatè : simpliciter tunc fit, quando omnes de Capitulo committunt alicui, vel aliquibus, ut eligant quem voluerint, qui modus est inusitatus, quia pauci sunt, qui velint sua voce privari, & aliis committere. 6 7 8

Si tamen de facto alicui committant, ut eligat quem maluerit, licet iste Commissarius licitè non possit seipsum eligere, siquidem meritò argui posset ambitionis, & facit contra Cap. *Per nostras* : Si tamen de facto seipsum eligat, electio est valida ; ita Pellizzarius *Tractatu* 9. *cap.* 2. *num.* 10. contra Pasqualig *Tomo* 1. *decisione* 254. *num.* 3. Bordon. & alios. Et ratio est, quia non datur jus talem electionem irritans, & aliàs multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent, & actus in dubio debet interpretari ut valeat, ut ex vulgaribus juribus patet. Nec obstat, quod in *Cap. Per nostras de jure patronatus* dicatur, quod nullus se potest ad personatum alicujus Ecclesiæ præsentare, nam illa dictio *non potest*, non facit actum nullum, nec aufert potestatem, sed tantùm hæc dictio, non *possit*, quæ tamen in prædicto capite non usurpatur : ut cum Bart. Jasone & aliis notavit Sanch. *de matrimonio disp.* 38. *n.* 20. 9

Limitatè compromissum tunc fit, quando scilicet committitur alicui, vel aliquibus, ut votis omnium secretè scrutatis eum eligere adstringantur, in quem major pars Capituli consenserit quæ forma quasi composita ex scrutinio, & compromisso cæteris melior, & expeditior est ; ita cum Silvestro, Angelo, Menochio, Layman, & aliis quos refert, & sequitur Basseus *verbo* electio *numero* 4. 10

Requiruntur tamen ad hujusmodi electionem aliquæ conditiones. *Prima*, ut compromissum ab omnibus simul congregatis, habentibus jus eligendi nemine discrepante fiat. *Secunda*, ut Compromissarii eligant eum, in quem major pars Capituli consenserit, & non sufficit ut eligant illum, in quem plures consenserint per Cap. *Si cui eligendi*, 11

de electione in sexto. *Tertia*, quod compromis-
sum non fiat de eligenda certa persona. *Quarta*,
quod in electione compromissaria serventur om-
nia, quæ debent servari in electione generaliter
sumpta. *Quinta*, quod electio fiat per verba nume-
ri singularis, etsi compromissarii sint plures. *Sex-
ta*, quod non excedatur forma compromissi. *Septi-
ma*, quod omnes expresse consentiant. Unde non
valet compromissum factum ab uno nomine, &
vice omnium aliis præsentibus, & non contradi-
centibus; nam quod omnes tangit, ab omnibus
debet approbari. *Octava*, quod electio fiat de per-
12 sona idonea, unde si eligatur non idonea revocari
potest, & non acceptari, quia compromissum in-
telligitur semper factum de eligenda persona ido-
nea. Unde compromissarii indignum eligentes
13 ipso jure suspenduntur à beneficiis, quæ obtinent
in Ecclesia, quam offenderunt, & compromitten-
14 tes indignam electionem acceptantes, scienter pri-
vantur ea vice jure eligendi, & compromittendi,
secus si illam respuerint: ut habet *ff.* C. *si compro-
missarii de electione*. Ita Sigismund. *dub.* 58. *n.* 13.
Layman *Cap.* 12. *n.* 7. & alii.

Adverte tamen primò, quòd potestas conces-
15 sa Compromissariis non potest revocari: glossa in
Cap. in causis de electione; debet tamen hoc intelli-
gi, si res jam sit incepta, ut si jam Compromissarii
cœperunt de persona eligenda habere tractatum;
16 secus re integra; ita Silvest. Ostiensis, Sigismund.
& alii quos refert, & sequitur Basleus *ubi supra* ver-
bo *electio n.* 4. contra prædictam glossam.

Secundò adverte, quod si contingat unum ex
Compromissariis eligere dignum, alios verò ma-
nifeste indignum, electionem factam ab uno ex
Compromissariis valere, nam per culpam aliorum
non devolvitur potestas ad Capitulum, sed ad
compromissarium non delinquentem; ita cum
Panormit. Pelliz. *loc. cit. n.* 11.

17 Dico IV. Electio per scrutinium tunc dicitur,
quando per scrutatores deputatos exquiruntur
suffragia omnium illorum, qui possunt, volunt &
debent concurrere ad electionem, servatis aliis de
jure servatis. Ad hanc autem electionem per scru-
tinium plura desiderantur essentialiter.

Primum, ut electio cum libertate fiat; unde il-
la sublata ruit electio *Cap. ubi periculum* §. *caterum
de elect. in* 6.

18 Secundo, quod omnes, qui debent, possunt, &
volunt interesse electioni simul in unum locum
ad hoc designatum congregentur. *Tertiò*, quod ex
his simul congregatis assumantur tres, aut etiam
duo (si pauci sint electores) qui singulorum suf-
fragia scrutentur. *Quartò*, quod in secreto sigilla-
tim exquirant omnia suffragia, nullo prætermis-
so. *Quintò*, quod singuli Electores per se, vel per
Notarium scribant propria suffragia. *Sextò*, quod
suffragia sic scripta in continenti publicentur to-
ti Capitulo, nullo actu contrario interjecto. *Se-
ptimò*, quod facta publicatione suffragiorum fiat
collatio numeri ad numerum. *Octavò*, quod facta
illa collatione fiat communis electio per unum de
Collegio ab ipso destinatum ad talem effectum
his, vel similibus: *Ego nomine meo, & omnium Ele-
ctorum præsentium, qui mecum consentiunt: eligo in
Generalem P. N. in nomine Patris, & Filii, & Spi-
ritus Sancti*; Ita ex aliis Peyrinis *subdito q.* 1. *c.* 13.
sed de his sigillatim iterum redibit sermo.

Præter autem has conditiones, quæ essentiali-
ter ad electionem per scrutinium desiderantur, a-
lia pro illius solemnitate requiruntur, scilicet
Tractatus de electione, præfixio diei, fidelitas scru-
tatorum, locus in quo fiat electio, quòd electio
non fiat in casu mortis, antequam Prælatus de-
functus sepeliatur, quod vocentur absentes, invo-
catio & Missa de Spiritu Sancto: hæc non sunt
de substantia electionis, nec illam ipso jure an-
nullant, sed sunt de ejus solemnitate: reddunt ta-
men illam irritandam, si fiat oppositio; ita com-
muniter Doctores.

Dico V. Præter triplicem modum electionis 19
assignatum in *Cap. quia propter*: alii duo dantur in
jure communi, quibus Regulares uti etiam pos-
sunt, si illos jam habent, vel velint illos de novo
introducere, si non obstent eorum particularia Sta-
tuta à Sede Apostolica approbata. *Primus* est per
viam postulationis, qui habetur in *Cap. unico, de
postulatione Prælatorum in* 6.

Secundus verò est per nominationem, qui habe- 20
tur in *Cap. quod sicut de electione*; ita Lezana *To.* 2.
cap. 12. *n.* 52. Pelliz. *Tr.* 9. *cap.* 2. *n.* 13. & 15. Quæ
autem ad hujusmodi electionum modos conditio-
nes requirantur? Consule Lezanam loco citato.
Ego enim ab eis referendis abstineo, quia regula-
riter non sunt in usu apud Regulares.

Dico VI Electio nunquam potest fieri per sor- 21
tes; ita habetur in C. *fin. de sortileg.* Tum, quia ele-
ctio per sortes est cœca, cùm non discernat inter
merita & demerita, sed quasi fortunæ committi-
tur; ita ex Castelino Lezan. *loc cit. n.* 44. Portel *in
additionibus ad dubia regularia* verbo *electio n.* 4.

An

22 An autem, si Electores conveniant, ut per suffragia eligatur ille super quem ceciderit sors, & missis sortibus eligant per suffragia illum super quem cecidit sors, talis electio sit valida, majus est dubium? Respondeo tamen talem electionem de facto non fuisse nullam, deberi tamen irritari, & Electores puniri; ita Lezana *ibidem*. Pellizzarius
23 *n.* 17. Prima pars probatur, quia talis electio in se formaliter non fuit facta per sortes, cùm sortes illam antecesserint. Confirmatur, quia in dicto *C. de sort.* dicit Papa se confirmare electionem factam per sortes ipsam antecedentes, sed non dicitur confirmari id quod est nullum; ergò talis electio fuit valida. Quòd autem irritari debeat etiam liquet, quia talis electio fuit à sortibus dependens, licet fuerit in se libera, quia in *dicto Cap. de sortileg. V. ad gratiam* dicitur, quod electio facta per sortes antecedentes debet cassari.

SECTIO II.

Utrum post Decretum Tridentini *Sess.* 25. de Regularibus, *Capite 6.* omnibus prædictis modis electionum possint uti Regulares in electione suorum Prælatorum?

24 *Etiam stante decreto Tridentini electio Prælatorum regularium fieri potest per scrutinium, sive per quasi inspirationem, vel compromissum, per postulationem, vel nominationem.*

25 *Frequentior modus eligendi est per scrutinium.*

26 *Si electio fiat per Nominationem, vel postulationem, quæ in ea debeant observari?*

27 *Electio aliter celebrata, quàm disponitur in Capite* quia propter, *& in Tridentino, est nulla.*

28 *Electio celebrata contra formam Canonicam est valida in foro conscientiæ, si cætera de jure naturali adsint.*

29 *Qui est electus servato jure naturali, etsi non fuisset servata forma Canonica, si fuit confirmatus, est verus Prælatus, nec tenetur in foro conscientiæ resignare.*

30 *Quid dicendum sit in foro externo?*

31 *Electores, qui eligunt contra formam Canonicam privandi sunt jure eligendi.*

32 *Dum per sententiam non privantur, possunt electionem iterare.*

33 *Regulares in electionibus non tenentur observare apices juris.*

34 *Quoties electio ad Superiores devolvitur, tenentur observare formam Capitis* quia propter, *& Tridentini.*

DICO I. Stante etiam decreto Tridentini *sess.* 25. *de Regularibus, capite 6.* electio Prælatorum regularium fieri potest sive per scrutinium, vel quasi inspirationem, vel compromissum, per postulationem, vel nominationem; ita Miranda *To.* 2. *q.* 23. *art.* 4. Pelliz. *Tra.* 9. *c.* 2. *n.* 4. Lezana *Tom.* 1. *c.* 15. *n.* 11. *& T.* 2. *c.* 12. *n.* 52. *&* 53. Et ratio est, quia Tridentinum non derogat Cap. *quia propter*, nec alia juris capitibus, quæ retulimus, nec præcipit, ut electio non fiat per communem inspirationem, compromissum, nominationem, aut postulationem, sed supposito, quòd electio per scrutinium facienda sit, tradit formam servandam in ferendis suffragiis, ergò non est cur dicamus Tridentinum tantùm velle observari modum electionis per scrutinium; sed quælibet Religio potest uti quolibet ex prædictis modis electionis, prout in illa fuerit ex lege, vel consuetudine stabilitum. 24

ADVERTE tamen, quod ferè in omnibus Religionibus frequentior modus eligendi est per scrutinium; Lezana *Tom.* 1. *c.* 15. *n.* 11. Tambur. *Tomo* 2. *disp.* 5. *quæsito* 5. *n.* 9 & quoad nostros patet ex 3. *p. nostrarum Constit. c.* 2. *n.* 2. 25

DICO II. Si in aliqua Religione electio per postulationem, vel nominationem celebraretur in 26 tali postulatione, vel nominatione debet observari forma data in Capite *quia propter*, ut scilicet procedatur per formam scrutinii, & cum aliis requisitis in eodem capite; ita Panormit. apud Silvest. *verbo* postulatio *n.* 2. unde electio aliter celebrata erit 27 nulla, ut habetur in dicto Cap. *quia propter*. Imò cùm talis postulatio, vel nominatio debeat fieri per scrutinium, debet observari forma data in Tridentino *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 6. aliàs electio erit irrita, ut habetur in eodem capite.

SED QUÆRES? An electio celebrata contra for- 28 mam Canonicam sit valida? Respondeo esse validam in foro conscientiæ, si cætera jure Divino, & naturali requisita concurrant, licet sint omissa substantialia de jure humano: secùs dicendum est in foro externo. Primam partem nostræ resolutionis

tionis tenet cum aliis multis à se citatis Samuell. *de electione Tractatu* 1. *controv.* 6. *num* 2. nam forma naturalis est consensus omnium electorum, vel majoris partis illorum, fictione enim juris quod fit à majori parte Communitatis attribuitur toti Corpori in *Cap.* 1. *de his, quæ fiunt à majori parte Capituli*: unde qui taliter est electus secundùm jus naturale, etsi sit contra jus Canonicum, si confirma-
29 tus fuit, est verus Prælatus, nec tenetur in foro conscientiæ resignare: Et ratio est, quia jus Canonicum ideò adinvenit prædictas solemnitates, ut animarum pericula, & seditiones tollerentur, sed hæc omnia cessant in hoc casu, cùm major pars Capituli verè consenserit: ergò de illarum defectu
30 non est curandum; ita cum Panormit. Silvest. Felino, & aliis Samuellius *ubi supra n.* 4. Peyrinis *de subdito q.* 1. *cap.* 31. *sect.* 6. *dicto* 5.

Alteram verò partem nostræ resolutionis tenent noster Joannes Bacconius, dictus *Doctor resolutus*, in 4. *distinct.* 7. *art.* 2. Marta *de clausulis* 1. *p. clausula* 192. *n.* 6. cum multis DD. allegatis; Roth. Jason & alii, quos refert, & sequitur Samuel *ubi supra contr.* 7. *n.* 5. Ratio verò est, quia omnis actus, qui est contra juris dispositionem, quæ continet decretum irritans, est ipso jure nullus; *Cap.* cùm cessant *appellat.* leg. 1. §. *Si quæsita de verb. obligat*, sed in Cap. *quia propter*, quod debet in omni electione Canonica observari, ponitur clausula, *electio aliter facta non valeat*, quæ cùm ponatur in fine omnium, quæ requiruntur ad electionem, refertur ad illa omnia, quæ attentantur contra prædictam formam Capitis *quia propter*, ut docent communiter DD. apud Samuell. *ibid. n.* 5. ergò.

31 ADVERTE tamen electores, qui eligunt contra prædictam formam Capitis *quia propter*, & contra Tridentinum esse privandos jure eligendi; dum
32 tamen per sententiam judicis non privantur, possunt reiterare electionem, cùm adhuc habeant jus eligendi, dum per judicis sententiam non privantur; ita Tabiena, Silvester, Sigism. & alii, quos refert, & sequitur Samuell. *n.* 9.

SECUNDO ADVERTE, Regulares in eligendis propriis Prælatis non teneri observare apices juris
33 spectantes ad electiones Prælatorum: ita concessum est Minoribus, qua concessione gaudent omnes cum illis in privileg. Communicantes. Unde sufficit, quod servent ea, quæ diximus esse de essentia electionis; ita Portel, quem referr, & sequitur Pelliz. *Tract.* 9. *cap.* 2. *n.* 19.

34 DICO III. Quoties electio justis de causis per Statuta, & ordinationes Regularium devolvitur ad Generalem, Provincialem, vel Definitores: tales Superiores tenentur omninò formam præscriptam observare in Cap. *quia propter de electione in* 6, & in Tridentino *sess.* 25. *cap.* 6. aliàs erit prorsus irrita electio ab illis facta; ita decrevit PIUS V. in sua Bulla pro Minoribns, quam refert Samuel *Tractatu* 1. *controvers.* 13. *num.* 11. & idem decrevit CLEMENS VIII. & confirmavit PAULUS V. prout testatur ipse Samuel *ubi supra numer.* 12. Ratio verò est, quia Statuta particularia taliter debent interpretari, ut quantum fieri possit evitetur juris communis correctio; ut cum Rota Felino, Navarro, Sigismundo, & aliis docet *ibidem* Samuel *num.* 10. Sed talia Statuta possunt intelligi, ut tantùm corrigant jus commune circa electores, & non circa formam electionis, siquidem hoc in eis expresse non habetur, ergò non debent amplius extendi; & ita tenet Rota, Sigismundus, Suar. & alii multi, quos refert, & sequitur Samuellius *ubi supra num.* 13.

SECTIO III.

De Tempore, loco, & aliis circumstantiis requisitis ad Canonicam electionem.

35 *Quo loco debeat fieri electio?*
36 *Locus non est de substantia electionis.*
37 *Electores intra menses à die vocationis, tenentur Prælatum eligere, aliàs electio ad proximum Superiorem devolvitur de jure communi.*
38 *Si proximior Superior, electionem intra tres menses non celebraverit, devolvitur ad alium Superiorem immediatum, & sic usque ad Papam.*
39 *Quid dicendum sit ex specialibus privilegiis?*
40 *Quid dicendum sit de jure nostro?*
41 *Ad quem spectet electio de jure nostro, si aliquis Prælatus intra triennium è vita decesserit?*
24 *Quid si moriatur Generalis?*
43 *Ante mortem, vel vacationem Prælati regularis, non possunt Electores procedere ad electionem.*
44 *Idem dicendum est de renuntiante, ante acceptationem renuntiationis.*
45 *Si ante acceptationem renuntiationis fiat electio est irrita.*

46 *Electio facta antequam Prælatus defunctus sepulturæ tradatur, licet sit illicita, est tamen valida.*
47 *Electio præcipuè per scrutinium debet fieri de die.*
48 *Quid per noctem intelligatur?*
49 *Quid si necessitas urgeat?*
59 *Quando detur urgens necessitas?*
51 *Si non detur necessitas urgens, vel periculum in mora, electio incepta protrahitur ad diem sequentem.*
52 *Quid si electio non fiat per vota secreta, vel detur consuetudo faciendi electionem, etiam de nocte?*
53 *Electio fieri potest diebus festis.*
54 *Electio debet celebrari ordinariè mane, post Missam de Spiritu sancto, nisi urgeat necessitas.*
55 *Hæc circumstantia tantùm est accidentalis.*
56 *Electio ut sit valida, debet fieri convenientibus omnibus electoribus in unum locum, qui volunt & possunt.*
57 *Ex electoribus, qui adsunt sufficit, quòd duæ partes concurrant ad eligendum, & quod major pars præsentium consentiat in personam idoneam.*
58 *Quid si plures nolint interesse tempore statuto à jure?*
59 *Si instet terminus electionis à jure statutus, possunt procedere ad electionem, qui adsunt, etsi pauci sint, imò etsi unus tantùm adsit.*
60 *Si detur periculum in mora, minor pars Capituli, quæ adest, potest procedere ad electionem.*
61 *Si congregatis Capitularibus sine necessitate major pars Capituli recesserit à loco Capituli, & instet terminus electionis, vel periculum sit in mora, minor pars manens procedere ad electionem potest.*
62 *Quid si non instet terminus electionis, nec detur periculum in mora?*
63 *Si minor pars Capituli sine necessitate à conclavi recedat, cæteri possunt ad electionem eis amplius non exspectatis procedere.*
64 *Antequam electores accedant ad electionem possunt & debent habere Tractatum consultorium de Religiosis pro unoquoque officio eligendis.*
65 *Quid si in aliqua Religione prohibeatur tractatus ante electionem?*
66 *Electio in qua non præcedit debitus tractatus, est nulla.*
67 *Præses tenetur electores instruere, & suadere ad personas digniores eligendas.*
68 *Idem possunt facere alii electores, aliorum virtutes ostendendo.*
69 *Electores, si ignorent qualitates aliquorum, possunt se conformare cum informatione præsidentis.*
70 *Electores ante electionem tenentur jurare se digniores electuros.*
71 *Hoc juramentum non est de substantia electionis.*
72 *Stante prædicto juramento possunt electores aliquando minus dignum eligere, quando scilicet major pars Capituli in unum inclinat.*
73 *Electores omittentes prædictum juramentum, non peccant mortaliter.*
74 *Quomodo debeat prædictum juramentum assumi.*
75 *In nostra Religione non fit tale juramentum ante electionem.*

DICO I. Electio debet fieri in Choro, aut 35
Capitulo, aut alio honesto conclavi, juxta cujuscumque Religionis Statuta, & non in cubiculo, aut alio loco clandestino; ut patet ex *Cap. quia propter, §. electiones* & cap. 2. *dist.* 79. & tenent communiter DD.

Adverte tamen electionem celebratam in lo- 36
co non consueto, etiamsi talis locus fuisset interdictus, talem electionem esse validam; nam locus non est de substantia electionis, sed tantùm de ejus solemnitate; ita Panormit. Miranda, Tabiena, Sigismundus, & alii communiter quos refert, & sequitur Samuellius *Tract.* 1. *disp.* 2. *controversia* 16. *n.* 13.

DICO II. Electores cujuscumque electionis, 37
intra tres menses à die vocationis, tenentur de jure communi eligere Prælatum pro Religione, Provincia, vel Conventu, aliàs electio de- 38
volvitur ad proximum Superiorem, qui si intra præfatum terminum non elegerit, vel non providerit devolvitur ad alium Superiorem immediatum, & sic usque ad Papam; ut patet ex *Cap. ne pro defectu de electione*, & ex aliis textibus de electione; Peyrinis *de subdito quæst.* 1. *capit.* 31. versu *noto* 9. & alii communiter DD. apud Samuel. *ubi supra controversia* 17.

Dixi, *de jure communi*; nam ex multis Pontificum privilegiis Electoribus regularibus non currit tempus à jure statutum, ut patet ex Bulla CLE- 39
MENTIS IV. & GREGORII I. & PAULI III. & ex Clementina *Exivi de verborum significat.* quas refert Samuel. *supra cit. n.* 5.

Unde

40 Unde de hoc videnda sua specialia Statuta, in
nostra namque Religione definitorium generale
quarto quoque mense quolibet anno, in quo con-
gregatur tenetur facere, omnes electiones va-
41 cantes intras illos quatuor menses, & si contingat
mori ipsum Generalem, tenetur definitorium eli-
gere quamprimum Vicarium generalem, quid si
transactus jam fuerit annus cum dimidio à Ca-
42 pitulo Generali præcedenti, perdurabit usque ad
proximum Capitulum Generale, si verò transa-
ctus non fuerit intra quatuor menses tenetur defi-
nitorium Capitulum Generale congregare pro e-
lectione novi Generalis, ut patet ex *3. p. nostrarum
Constit. cap. 6. n.* 1.

Adverte, quòd ante Prælati mortem, vel Præla-
43 turæ vacationem, nõ possint electores, etiam regu-
lares ad successoris electionem Canonicam proce-
dere *Cap. bona memoriæ.* ubi Panorm. de elect. *Cap.
obeuntibus* 63. *dist.* & cum Layman Pelliz. *tract.* 9.
c. 2. *n.* 49. Et idem dicendum est de Prælato re-
44 nunciante, nam si antequam ejus renunciatio ac-
ceptetur à Superiore fiat electio successoris est irri-
rita; Riccius, Parisius, & alii quos refert, & sequi-
tur Tambur. *Tom.* 2. *disp.* 5. *q.* 7. *n.* 4. sicuti nec
45 debet fieri antequam Prælati corpus sepulturæ tra-
datur *Cap. bonæ memoriæ.* Si tamen antequam Cor-
46 pus sepeliatur electores successorem eligant; tenet
electio; ita communiter DD. apud Tamburinum
T. 2. *disp.* 5. *quæsito* 7. *n.* 2.

47 Dico III. Electio Canonica præcipuè si per
scrutinium fiat, necesse est, ut de die fiat, & non de
nocte; Navarrus, Peyrinis *de subdito q.* 1. *cap.* 31.
sect. 6. *dicto* 7. per noctem autem intelligitur non
48 crepusculum sed intelligitur, quando jam tenebræ
sunt super terram; ita cum Navar. Peyr. *ubi supra.*

49 Hoc tamen debet intelligi, nisi aliàs necessitas
urgeat, in quo casu potest etiam electio de nocte
celebrari: dummodo ad minus tria adsint lumina-
ria; In hoc conveniunt omnes DD.

Urgens autem causa erit, si ita sit statuta dies e-
50 lectionis, ut eà finita electio ad Superiorem de-
volvatur; nam in hoc casu potest protrahi electio
usque ad mediam noctem; ita Peyrinis *de subdito
q.* 1. *cap.* 31. §. 6. versu *dico* 7. Navarro, Sigismun-
do, Rodrig. & alii, quos refert & sequitur Samu-
ellius *Tract.* 1. *disp.* 2. *controvers.* 9. *n.* 6. quod si
51 talis non fuerit necessitas, vel non sit periculum
in mora, tunc electio de die inchoata protrahitur
usque ad vesperam, & si durante solis luce non
finitur, relinquitur absolvenda sequenti die; ita
cum Layman. Pelliz. *Tr.* 9. *cap.* 2. *n.* 48. quod re-
gulariter intelligi debet de electione per scrutini-
um, ne fraudes immisceantur; secus dicendum 52
est, si electio non fiat per vota secreta, sed aliter v.
g. per compromissum; Rodr. *Tom.* 2. *q.* 51. *art.* 51.
Pellizz. *ibidem.* Basseus *verbo* electio *n.* 2. versu *sed* 53
circa. Vel si detur consuetudo faciendi electionem
etiam de nocte; Lezana *Tom.* 1. *c.* 15. *n* 19.

An autem electio fieri possit diebus festis? Re- 54
spondeo affirmativè, hoc enim nullo jure prohi-
betur; Basseus *ibidem.*

Adverte etiam, electionem ordinariè post Mis-
sam de Spiritu sancto debere celebrari, nisi, ut su-
pra diximus, necessitas eam aliter celebrandi ur-
geat, per hoc tamen quòd prædicta missa non præ
mittatur, electio non irritatur, ut cum aliis nota- 55
vit Tambur. *ubi supra n.* 8.

Dico IV. Electio Canonica, ut sit valida de-
bet fieri convenientibus in unum locum omnibus 56
Electoribus, qui volunt, & possunt interesse, ut
colligitur ex *Cap. in genesi de electione.* Unde ele-
ctio aliter celebrata, quam in communi congre-
gatione est irrita, & nulla; ita cum Suar. Panor-
mit. & alii Pelliz. *Tract.* 9. *cap.* 2. *n.* 22. ex his au-
tem electoribus, qui volunt, & possunt interesse
electioni, requiritur, & sufficit, ut duæ partes con-
currant ad eligendum, & quod major pars præ-
sentium consentiat in personam idoneam, nam
duæ partes totius Ordinis Curiæ vicem repræsen- 57
tant: *Cap. cum nobis* 19. *de electione*, & quod fit à
majore parte Capituli, fit à toto Capitulo.

Dixi, debere congregari duas partes electorum,
qui volunt, & possunt interesse, nam si aliqui, et-
si simul major pars Capituli, & ferè omnes tem- 58
pore statuto à jure nolint convenire, cæteri acce-
dentes possunt procedere ad electiones, nam in
ipsos translatum est totum jus Congregationis, ut
supra diximus, & patet ex *Cap. bonæ electionis* 2. *de
postulat. Prælatorum.* 59

Adverte tamen, in aliquibus casibus posse ele-
ctores procedere ad electionem, etiamsi non adsint
duæ partes electorum. *Primum*, si instet terminus
electionis statutus à jure, in quo casu etiamsi unus
tantum adsit potest potest procedere ad electio-
nem: ut *supra* diximus.

Secundò, si detur speciale periculum in mora;
Laym. *in quæst. Canonicis n.* 37. Pelliz. *loc. cit. n.* 74.

Tertiò, si Congregatis electoribus major pars si-
ne necessitate recedat, & instet terminus electio- 60
nis, vel periculum sit in mora: Nam tunc minor
pars remanens potest ad electionem procedere; 61
Layman. *ubi sup. n.* 42. Pelliz. *loc. cit.* Secus dicen-

 dum

dum est, si major pars Capituli à conclavi sine ne-
62 cessitate recedat, si non sit periculum in mora, nec instet terminus electionis. Nam tunc censentur prædicti dissolvere Conventum, & alii tenentur
63 eis obtemperare; Layman. Pelliz. *ibidem*. Si tamen minor pars Congregatorum recedat, cæteri eis minimè exspectatis ad electionem procedere possunt, ut patet ex *Cap.* 1. *de his quæ fiunt à majori parte Capituli*; ita Layman. *n.* 42. Pelliz. *n.* 78.

64 Dico V. Antequam Electores accedant ad electionem, possunt, & debent inter se aliquos habere Tractatus de Religiosis pro unoquoque officio eligendis, non quidem ambitiosos, factionales, ac pactionales, seu conditionales; sed consultorios ad cognoscenda merita eligendorum, idque etiamsi in ea Religione, in qua facienda est electio, extet prohibitio sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, ne ante electionem Prælatorum ullus tractatus de illa habeatur; Ita ex mul-
65 tis Diana 2. *p. tract.* 16. *resolut.* 37. Giragus 1. *p. dubio* 6. *num.* 42. Pelliz. *Tract.* 9. *c.* 2. *n.* 20. Peyrinis *in formulario littera F. n.* 14. Samuël *Tract.* 2. *disp.* 1. *controvers.* 1ª. *conclusione* 1. Lezana *Tom.* 1. *c.* 15. *n.* 24. *&* *Tom.* 2. *c.* 12. *n.* 32. & prima pars patet ex decreto Sacræ Congregationis de mandato Clementis VIII. & Urbani VIII. quod *ibidem* refert Lezana. Secunda verò pars constat, quia hoc est conforme juri naturali, quomodo enim electores justè procedent ad electionem, si ignoraverint virtutes vel vitia eligendorum.

66 Unde cum multis, ait Pasqualigus *Tom.* 1. *decisione* 253. *n.* 3. contra Sigismund. electiones in quibus non præcedit debitus tractatus esse nullas, ex Cap. *in genesi de electione, &* Cap. *in nomine Domini* verbo *tractantes dist.* 23. deficit enim illis aliquid substantiale, scilicet cognitio qualitatum eligendorum, quæ sine tractatu haberi non potest, quam etiam sententiam tenet Belasius *verbo* electio *nu-*
67 *mero* 7. Tenebitur igitur præcipuè præses, cui bona electionis directio ex officio incumbit, electores instruere, hortari, & monere, imò etiam charitativè, & suaviter suadere, & inducere ad personas digniores eligendas, earum virtutes ostendendo;
68 Castelin. *de electione c.* 3. *n.* 68. Lezana *Tom.* 2. *c.* 12. *n.* 32. Quod etiam alii electores facere possunt, si aliquorum vitia vel virtutes norint aliis ignotas.

Adverte tamen, quod licet Doctores his informationibus tam Præsidentis, quàm aliorum non teneantur stare, præcipuè si sibi contrarium constet, vel credant ipsos ignorantia vel passione duci, 69
in re tamen dubia possunt se præsidenti conformari, utpote personæ qualificatæ, & melius de eligendorum meritis informatæ; ita cum Sigismundo Lezana *ibidem*.

Dico VI. Omnes electores in Capitulo Congregati, antequam procedant ad electionem, tenentur jurare se secundum veritatem suarum conscientiarum probiores & magis idoneos electuros; Ita habetur in Concilio Coloniensi 1. *p. c.* 7. *&* 8. in Consilio Basiliensi *sect.* 20. *&* 38. & in decreto Clementis VIII. confirmato ab Urbano VIII. quod refert Peyrinis 2. *Tom. privilegiorum in Conclusione* 10. Urbani VIII. §. 53. 70

Adverte autem, hoc juramentum non esse de 71
substantia electionis; illa enim decreta non sunt præceptiva, sed tantùm directiva; Peyrin. *ubi supra n.* 7. Pelliz. *Tract.* 9. *c.* 2. *n.* 92.

Secundo adverte, etiam stante tali juramento 72
posse electores eligere aliquando minus idoneum, scilicet, quando major pars Capituli in illum inclinat; in hoc enim casu minus dignus censetur magis dignus, utpotè electoribus magis acceptus; Sanchez *lib.* 2. *Consiliorum c.* 1. *disp.* 4. *n.* 6. Sylvester *verbo* electio 3. *q.* 2. Peyrinis *loc. cit. n.* 10. Diana 3. *p. tract.* 5. *resol.* 110.

Tertio adverte, Electores omittentes prædi- 73
ctum juramentum etiam ubi talia decreta sunt recepta, non peccare mortaliter; ita Bord. *Tom.* 2. *resol.* 61. *n.* 27. nam tale præceptum solùm ponitur per verbum imperativum, scilicet, *jurent*, quod verbum non habet vim obligandi sub mortali, ut cum aliis probat Diana 4. *parte, tract.* 4. *resolut.* 5. §. *sed restat*.

Quarto adverte, prædictum juramentum debere fieri tangendo tantùm pectus, ut solent Sa- 74
cerdotes, & non est necesse, quod præstetur ad Sacra Dei Evangelia; Ita cum Sigismundo, & Lavorio, Peyrinis *ubi supra n.* 8.

Quinto adverte, talia decreta non obligare, ubi non sunt usu recepta; Bord. *ubi sup. n.* 26. Samuël *Tr.* 1. *disp.* 4. *contr.* 1. *num.* 6. Basseus *verbo* electio *n.* 2. Unde cùm in nostra Religione tale juramentum nunquam fuerit in usu, ut patet ex nostris Constitutionibus, ubi nusquam præcipitur, ut tale juramentum adjiciatur, non est cur de novo introducatur; Samuell. *suprac. loc.*

DISPU-

DISPVTATIO II.

De his, quæ ex parte Eligentium requiruntur, ut electio Canonica sit valida.

SECTIO I.

Quæ habilitas requiratur ex parte Eligentium, ut electio sit valida?

1 *In Electoribus requiritur habilitas.*
2 *Electores, qui scientes se esse inhabiles concurrunt ad electionem, peccant mortaliter.*
3 *Si omnes fuerint inhabiles, electio est nulla.*
4 *Si unus tantùm fuerit habilis, ad illum devolvitur jus electionis.*
5 *Si constet de aliorum inhabilitate per sententiam judicis, hic habilis potest eos ab electione repellere.*
6 *Si habiles electionem celebraverint inhabilibus non vocatis, electio est valida.*
7 *Quid si sint inhabiles tempore vacationis, non verò tempore electionis?*
8 *Inhabilitas unius, vel aliquorum non irritat electionem, quando alii non consenserunt, nec voluntariè inhabilem admiserunt.*
9 *Quid si conscii alicujus inhabilitatis, cujus defectum supplere non poterant, aliquem admiserunt?*
10 *Quid si defectum supplere potuerunt?*
11 *Etiamsi scienter admitteretur aliquis inhabilis, cujus defectum supplere non poterant, electio est valida.*
12 *Quid si admittatur carens voce activa, etiam post alicujus Capitularis protestationem?*
13 *Quid si admittantur vota incerta?*
14 *Quid si admittantur vota inutilia?*
15 *Schedulæ sunt aperiendæ, si constet dari aliquas inutiles.*
16 *Non sunt aperiendæ ad videndum, an electus pro se votaverit, nisi quando nomen eligentis scribitur in schedula.*
17 *Ut aliquis sit habilis ad eligendum, debet esse professus ejusdem Religionis.*
18 *Debet esse Clericus in sacris.*
19 *Sufficit quod tempore electionis sit professus, vel Sacro Ordine insignitus, etiamsi ex privilegio, vel furtivè fuerit ordinatus.*
20 *In Religionibus laicorum, laici possunt esse electores.*
21 *Idem dicendum est in Ordine Minimorum.*
22 *Electores non debent esse excommunicati majori excommunicatione.*
23 *Si unus tantùm scienter notoriè excommunicatus admittatur, electio est nulla.*
24 *Quid si excommunicatio fuerit occulta?*
25 *Si excommmunicati non tolerati ex ignorantia admittantur ad electionem, si excommunicatis exclusis, adhuc major pars aliorum in aliquem consentiat, electio est valida.*
26 *Electores ex communi consensu possunt admittere etiam scienter excommunicatum, toleratum ad electionem.*
27 *Si unus, vel duo se opponant, ut excommunicatus non admittatur, electio secuta est irritanda.*
28 *Electores non debent esse absolutè suspensi, sive à jure, sive ab homine ab officio.*
29 *Qui tantùm suspensus est ab officio, licet voce careat in Capitulo Conventuali, non tamen in Provinciali.*
30 *Idem dicendum est de Electore suspenso ab aliquo officio in particulari, nisi vox ei competat ratione beneficii, benè tamen si ei competat ex alio capite.*
31 *Idem dicendum est de suspenso ab Ordine, & à divinis.*
32 *Electores non debent esse interdicti eligere absque Superioris licentia, vel quod non celebraverint scienter in loco interdicto.*
33 *Irregulares non privantur voce activa.*
34 *Infamis infamia juris, vel facti legalis privatur*

 vatur

vatur voce activa, non tamen infamis meri facti.

35 *Electores eligentes scienter indignum, vel illum postulantes, privantur jure eligendi in prima electione immediatè sequenti.*

36 *Eligentes indignum ante publicationem scrutinii variare possunt, & alium eligere.*

37 *Si major pars Capituli in indignum consentiat potest continuò antequam publicetur, repetere scrutinium, & alium dignum eligere.*

1 DIco I. In Electoribus requiritur habilitas ad eligendum. Unde Electores, qui scientes se esse inhabiles concurrunt ad aliquam electionem, sive inhabilitas proveniat ex aliqua censura, sive ex delicto, sive ex alio titulo, sive
2 sit publica, sive occulta, peccant mortaliter; Pellizzarius *Tractatu* 9. *capite* 2. *numero* 86. & si omnes fuerint inhabiles, electio est nulla, tanquam
3 facta à non habentibus potestatem: si verò unus tantùm fuerit habilis ad eum devolvitur jus electionis; Rodriguez, quem refert, & sequitur Belasius *verbo* Elector *numero* 9. & si de aliorum inha-
4 bilitate constet per sententiam judicis potest, & debet hic alios ab electione repellere, tanquam injustos usurpatores juris alieni: ita Pellizzarius *loco citato.* imò si habiles electionem celebraverint,
5 non vocatis iis qui sunt privati, vel inhabiles ad eligendum, electio est valida, etiamsi nondum sit discussum, an sint privati: satis enim est quod postea possint convinci tempore electionis fuis-
6 se inhabiles, quia si non habeant potestatem eligendi, non erat necesse eos vocare: secus autem esset si essent privandi, quia privandus antequam privetur justè possidet; ita cum aliis Peyrinis *de subdito q.* 1. *cap.* 31. §. 6. vel si solum essent
7 inhabiles tempore vacationis, non verò tempore electionis, ita cum Tamburin. Belasius *verbo* Elector *num.* 17.
8 Dico II. Inhabilitas unius, vel aliquorum electorum non irritat electionem, quando alii non consenserunt, nec voluntariè admiserunt inhabilem, *utile* enim *per inutile non vitiatur*; Pellizzarius *numero* 88. Secus dicendum est, si con-
9 scii alicujus inhabilitatis, cujus defectum supplere non poterant, eum ad electionem admiserunt, nam tunc illa conspiratio reddet vitiosam totam electionem; Suar. *Tom.* 4. *de Religione tr.* 8. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 9.
10 Dixi, *cujus defectum supplere non poterant*, nam si poterant eo ipso quod eos scienter admiserunt censentur eorum defectum supplere; ita cum Suar. & Lezana Pelliz. *supra cit. n.* 88.

Imò non desunt aliqui teste Lezana *T.* 2. *c.* 12. 11
n. 29. qui sustinent electionem non vitiari ex eo, quod aliqui inhabiles scienter ab Electoribus admittantur, etiamsi cum eis in inhabilitate non possit dispensare, nam jura in quibus vitiatur electio concursu inhabilium non loquuntur universaliter, sed in specie de excommunicatione: & constat ex *Cap. fin. de procuratoribus*, & Cap. Massana *de electione*, ideoque nec debent extendi ad casus non expressos; unde separari possunt suffragia inhabilium ab habilibus, & cum solis habilibus facere electionem, quam opinionem maximè sibi arridere fatetur; Pelliz. *ibidem.* Et ideò dicendum est de electione facta post protestationem ali- 12
cujus Capitularis, quod unus ex electoribus careret voce activa, nam si constet tale suffragium fuisse superfluum concurrentibus ad electionem omnibus aliis suffragiis de jure requisitis, electio est valida, nam sicut ille, de quo protestatus est non poterat prodesse electo, sic ne poterat abesse electioni, quæ sine eo sequi poterat valida; ita Bord. *Tom.* 2. *resol.* 61. *n.* 38 Pellizzar. *loc. cit.*

Et idem dicendum est de votis incertis, con- 13
ditionalibus, & alternativis, in quibus scilicet persona certa, determinata, & una non designatur, ut si dicat, *Eligo quem Petrus elegerit*, vel *Eligo Petrum, si major pars Capituli consenserit*, vel *Eligo Petrum, vel Paulum*; vel si sit de personis notoriè ineligibilibus, ut si dicat, *Eligo Petrum, qui aliàs carebat voce passiva*, vel si vota 14
fuerint inutilia, ut si dicat, *Eligo in Priorem summum Pontificem*, vel si schedula omninò alba reperiatur, in omnibus enim his casibus, illa suffragia habentur ac si non essent de Capitulo, nec in numero vocalium computanda sunt, sed electio consurget ex majori parte suffragiorum, quæ his demptis remanserunt; ut si Capitulum ex decem constet Electoribus, quorum quatuor in aliquem consenserint, & tres in alium, & reliqui tres inutiliter, vel conditionaliter, incertè, aut alternativè, aut si non eligibili sint suffragati; tunc quatuor habens vota censetur electus à majori parte, cùm tres inutiliter suffragantes non sint in numero electorum commutandi: ex *Cap in electione, de elect. in* 6. ut cum Sigismundo, & aliis docet Samuell. *Tract.* 1. *disp.* 4. *controversia* 12. & 13. Bord. *resol.* 26. *n.* 1.

Imò addit Bordonus, in his casibus schedu- 15
las esse aperiendas, ad videndum, quis modis dictis

dictis sit suffragatus, cum aliàs electio prædictis
16 votis inutilibus exclusis sit valida. Et idem fieri poterit, ait ipse Bord. *resolut.* 61. *n.* 37. cum Bonacina quem sequitur Pellizz. *Tr.* 9. *cap.* 2. *n.* 88. ad inspiciendum, an electus sibi vocem dederit, quod tamen solum habet locum, quando in schedulis scribitur nomen eligentis, ut fit in electione Papæ, in aliis verò electionibus in quibus electio per schedulas fit cum solo nomine electi, non debent schedulæ aperiri, sed votum electi non debet computari in numero; nam quando electio fit per scrutinium consensus electi numerum non auget; ut patet ex *Cap. communio,* & Cap *quia propter,* & tradit cum Turrecremata Megala *verbo* Electio *num.* 53. *in fine.*

17 Dico III. Ad hoc ut Electores habeant habilitatem requisitam ad suffragandum in electionibus plures conditiones requiruntur: PRIMA, ut sint professi ejusdem Religionis, cujus Prælatus est eligendus, sive professio fuerit expressa, sive tacita: *Cap. Ex eo §. in Ecclesiis de electione.*

Limita; nisi alicui extraneo ex privilegio, vel consuetudine competat jus eligendi, vel aliquis princeps admittatur ad defendendum electores ab oppressoribus; Tamburinus *T.* 1. *disp.* 5. *quæsito* 8. *num.* 7.

SECUNDO requiritur, ut sint Clerici in sacris Or-
18 dinibus constituti ex *Cap. Ex eo §. in Ecclesiis,* & ex Clement. *ut ii de ætate, & qualitate*: ubi prohibetur, ut nemo possit ad Canonicam electionem admitti, qui non sit in Subdiaconatus Ordine constitutus, etiamsi hoc ab aliis sibi liberè concedatur: non requiritur tamen, quod tempore vacationis officii sit jam sacro Ordine insignitus, sicut nec
19 professus, sed sufficit, quod tempore electionis sit professus, vel Sacro Ordine insignitus, etiamsi ante legitimam ætatem ex privilegio, vel furtivè fuerit ordinatus; ita cum multis Pelliz. *Tract.* 9. *c.* 2. *num.* 91. *& sequentibus.*

20 Limita tamen in Religionibus merè Laicorum ut est Religio S. Joannis Dei, in qua Laici electores, & Prælati esse possunt.

21 Secundò limita, in Religionibus, in quibus id Laicis, lege ita disponente, conceditur, quòd Statutum de facto datur in Ordine Minimorum; ita cum aliis Pelliz. *ubi supra n.* 92.

TERTIO requiritur, quod Electores non sint ex-
22 communicati, majori excommunicatione, quod si unus tantum excommunicatus scienter admittatur, electio est irrita; *Cap. ad evitandum* Cap. *constitutus*; Cap. *fin. de prec.* & Cap. *ad probandum*; ita communiter DD. apud Sigismundum *dub.* 66.
num. 5. hoc autem procedit, quando excommu- 23
nicatio est notoria, nam si tantùm esset occulta, licet electores eum possent repellere, non tamen tenentur; ita communiter DD. apud Tamburin. *ubi supra n.* 12.

Adverte tamen, quod si excommunicati non
tolerati ex ignorantia probabili, vel invincibili 24
admittantur ad electionem, si excommunicatorum suffragiis exclusis, adhuc major pars aliorum in aliquem consentiat, electio est valida, nam tunc vota excommunicatorum habentur pro non
adjectis; ita Suarez, Sigismund. & alii, quos re- 25
fert, & sequitur Samuell. *Tract.* 2. *disp.* 5. *controversia* 2. *n.* 21.

Secundò adverte, Electores posse ex communi consensu, etiam scienter admittere ad electionem excommunicatum toleratum, in quo casu electio non solùm esset valida, sed etiam licita, ut patet ex Extravagaganti *ad evitanda*: ita communiter DD. quos refert, & sequitur Samuell. *n.* 22.

Dixi, *ex communi consensu*; nam quilibet de
Capitulo ante electionem potest exceptionem 26
objicere, & talem excommunicatum à Capitulo repellere, quod si unus, vel duo se tantùm opponant, ut talis excommunicatus repellatur, cæ-
teri autem eum nolint repellere, electio secuta e- 27
rit irritanda, nam in ea admissus est aliquis, qui non erat admittendus, contra unius voluntatem, quia jus eligendi spectat ad singulos de Capitulo pro parte sua: unde singulorum interest, ne admittantur extranei; ita cum aliis Peyrinis *de Prælato quæst.* 2. *cap.* 5. *n.* 16. *&* 17.

QUARTO requiritur, quòd non sit suspensus ab
officio absolutè sive à jure, sive ab homine, sive 28
per suspensionem, sive per interdictum Cap. *cum dilect. de consuetud.*

Dixi, *suspensus absolutè*, nam si Prior, qui jure habet suffragium in electione Provincialis, sit
tantùm suspensus ab officio, licet voce careat in e- 29
lectione Discreti Conventualis, non tamen in Capitulo provinciali, vel generali, quia suspensus ab officio non est suspensus à beneficio; ita Sigismund. Sanch. Sayrus, & alii communiter apud Samuell. *supra cit. contr.* 3. *n.* 4.

Idem dicendum est, si tantùm sit suspensus à be- 30
neficio, nisi aliàs vox ei competat ratione beneficii, benè tamen si ex alio capite vox ei competat; Ita Suar. Sigismund. Henriq. & alii communiter apud Samuel. *ubi sup. n.* 14.

Idem dicendum est de suspenso ab Ordine, & 31

de

de suspenso à divinis: vox namque non competit ratione Ordinis, sed beneficii; ita cum aliis Samuell. *n.* 17. & 23.

32 Quinto requiritur, quod non sint interdicti eligere absque Superioris licentia *Cap. fin de electione*, vel quod non celebraverint scienter in loco interdicto, nisi super hoc habeant privilegium *Cap. Is, cui de sententia excommunicat. in 6.* ita communiter DD. apud Tamburinum *ubi supra numero* 17.

33 An autem irregulares priventur etiam voce activa? Affirmant Silvester, Azor. Contrarium tamen probabilius est; Filliucius, Suar. Navar. Bonac. Sigismund. & alii communiter quos refert, & sequitur Tamburinus *num.* 15. Irregularis namque non privatur jurisdictione ob irregularitatem supervenientem, cui annexum est jus eligendi.

An autem infamis privetur voce activa? Respondeo privari, si infamia fuerit juris, vel facti legalis, id est, quod cavetur à lege, secus si infamia tantùm sit meri facti; ita Suarez, Sigismund. & alii, quos refert, & sequitur Samuell. *controversia* 29. *num.* 26. *ubi supra.* Ratio prioris partis est,
34 quia infamibus interdicti sunt actus legitimi, *leg. actus ff. de regulis juris in 6.* eligere autem est actus legitimus: ergò. Quoad secundam verò partem etiam constat, quia infamia meri facti solùm pendet ex hominum æstimatione: ergò de illa non est curandum.

35 Sexto requiritur, quòd Electores scienter non elegerint, vel postulaverint indignum scientia, moribus, ætate: *Cap. gratum de postulat. Prælatorum: Cap. cùm in cunctis.*

Adverte tamen, eligentes indignum tantùm esse privatos jure eligendi in prima tantùm electione immediatè sequenti, etiamsi illa non sortiretur effectum: non autem in tota vacantia, per Cap. *cum Vintoniens.* Ita Tamburinus *ubi supra numero* 18.

36 Adverte secundo, eligentes indignum ante publicationem scrutinii variare posse, ut *supra* diximus: imò si major pars Capituli alicui indigno suffragata fuisset, si ex scrutinii publicatione appareat electionem mox pronunciandam esse nullam, possunt, antequam nulla pronuncietur electio, repetere scrutinium, & alium eligere, qui nihil vitii patiatur: ex Cap. *perpetuo de electione in 6*; Ita Joannes Andreas, Panormitan. Biax, Sigismund. quos refert, & sequitur Samuelius *Controversia* 36. *tract.* 1. *disp.* 4. *num.* 8.

SECTIO II.

De numero Electorum ad Canonicam electionem per scrutinium celebratam requisito.

37 *Ut electio Canonica Prælatorum inferiorum summo Pontifice sit valida, debet concurrere major pars suffragiorum.*

38 *Illa dicitur pars sanior, quæ est major respectu totius Capituli.*

39 *Si suffragia sint paria electio est irrita de jure communi.*

40 *In electione Summi Pontificis, & Abbatissarum, debent concurrere duæ partes Capituli.*

41 *Si major pars Capituli in primo scrutinio in aliquem non consenserit, de jure communi iterandum est scrutinium, usque quo consentiat.*

42 *In aliquibus Religionibus, si iterato aliquot vicibus scrutinio, major pars Capituli in aliquem non consentit, electio devolvitur ad Superiores.*

43 *Quid dicendum sit de jure nostro? & quomodo dispositio nostræ Constitutionis sit maximè conformis juri communi?*

44 *In casu discordiæ electio devolvitur ad Superiores.*

45 *Si in Religione detur de hoc specialis lex vel statutum illi absque dubio standum est.*

Dico I. Ut electio Canonica Prælatorum summo Pontifice inferiorum, sit valida debet concurrere major pars suffragiorum non respectu minoris partis, sed respectu totius Capituli Congregati, ut patet ex *Cap. quia propter*, & licet jure antiquo in dicto *C. quia propter*, requireretur, quod etiam sanior pars Capituli concurreret, hodie tamen post Tridentinum, illa dicitur pars sanior, quæ est major respectu totius Capituli, si persona electa indigna non sit; Ita communiter DD. apud Tambur. *Tom.* 1. *quæsito* 6. *disp.* 5. *n.* 25. Hinc fit, quod si vota sint paria electio est irrita, quia debet fieri à majori parte suffragiorum: *Cap. in genesi*, & Cap. *Ecclesia vestra.*

Dixi, *Prælatorum summo Pontifice inferiorum.* Nam in electione summi Pontificis & Abbatissarum non solùm major pars Capituli, sed duæ partes Capituli debent concurrere, ut patet ex *Cap. indemni-*

indemnitatibus §. *sanè de electione in 6*. & ex Bulla Gregorii XV. pro electione Pontificis. Megala *verbo* Electio.n. 53. & alij communiter.

41 *Dico secundò*; si major pars vocalium in unum non consentit in primo scrutinio, de jure communi iterandum est scrutinium quousque major pars Capituli in unum consensisse reperiatur: *Argu-*
42 *mento cap. cum terra*. Tamburinus *ubi suprà num*. 28. nisi alius speciali jure Religionum terminus præfigatur Electoribus, quo termino elapso, electio ad præsidem, vel ad patres provinciæ devol-
43 vitur, ut notavit cum Rodriguez, Samuel. *Tract*. 1. *disput*. 8. *controversia* 30. *num* 17. & 18. De jure autem nostro, si in primo, & secundo scrutinio electio non fuerit celebrata per majorem partem Capituli, ille censetur Canonicè electus, qui in tertio scrutinio habuerit plura vota, quam alij sigillatim, ut patet ex 3. *p. nostrarum Congregat. Hispanicæ Constitutionum, cap*. 2. *num*. 2. Quod etiam observatur apud religiosissimos Patres nostros Carmelitas Calceatos, prout testatur Lezana *Tom*. 2. *cap*. 12. *in modo celebrandi Capitulum in suo Ordine versu, deinde prælectis Constitutionibus*, quæ dispositiones sunt conformes juri communi in Clement. *Exivi* §. *demum de verborum signif*. in qua decernitur, quod celebrata electione Provincialis minorum in discordia, illa censeatur valida, quæ à majori parte respectu minorum fuerit celebrata, per quam Clementinam derogatur; *Cap. quia propter*, ut notat cum aliis Samuel. *suprà n*. 14. & in casu, quo vota sint paria *Cod*. 1. 35. *q*. 6. præcipitur quod ille præferatur, qui est antiquior, seu ille, qui diutius militavit in Ecclesia. *Cap. quid pro-*
44 *dest dist*. 61.

Deinde cum in hoc casu discordiæ, electio devolvatur ad Superiores, prout cum multis resolvit Sanch. *in præceptis Decalogi lib*. 2. *c*. 38. *n*. 74.
45 Sigismundus, & alij communiter, quos refert & sequitur Samuel. *supra n*. 19. Si specialis lex extet in Religione dispositioni illius standum est, juxta decreta pro reformatione Regularium edita à *Clemente* VIII. & à Sacra Congregatione sub *Vrbano* VIII. confirmata, illis verbis *in Superiorum, & officialium omnium electionibus forma præscripta in Trid. & Ordinis Constitutionibus inviolabiliter observetur*, ut notavit Lezana *Tom*. 4. *seu* 6. *in Consiliis, Consilio* 10. *num*. 14.

SECTIO III.

De secreto, quod Electores debent necessario in Electione Canonica observare.

46 *Scrutatores non possunt sub mortali unquam electorum vota manifestare.*

47 *Si vota ante, vel post scrutinij publicationem manifestaverint, electio est irrita, licet aliqui contrarium probabiliter teneant.*

48 *Si post electionem in decreto pro illa confirmanda Superior scribat nomina eligentium, electio est irrita.*

49 *Electores, nec ante, nec post scrutinij publicationem, possunt absque mortali sua vota, vel aliena alteri manifestare, licet aliqui contrarium non improbabiliter teneant.*

50 *In casu, quo electores sua vota alteri manifestent ante, vel post scrutinij publicationem, etiam stando in prima sententia, electio est valida.*

51 *Si unus electorum in actu scrutinij publicè manifestet suum votum permittente Capitulo, electio est nulla.*

52 *Hoc procedit, etsi elector per ignorantiam votum publicaret.*

53 *Si quis attentaret dare votum publicè, ut indignus debet à Capitulo repelli pro illa vice.*

54 *Non solum qui sic suffragium publicum dedit, sed etiam electores audientes, & tacentes debent repelli ab electione.*

55 *Non solum, quando elector publicat in actu scrutinij suum votum, electio est irrita, sed etiam, si taliter dicit, ut de facto aliqui, vel aliquis illud audiat præter scrutatores.*

56 *Idem dicendum est, si electio fiat per schedulas, & schedula ab aliquibus, vel ab aliquo videtur.*

57 *Idem dicendum est, si mittat schedulam aliquo patenti signo signatam, ut innotescat scrutatoribus, vel uni ex illis, pro quo suffragati sint.*

58 *Idem dicendum est, si aliquis ex electoribus recipiat unam schedulam à scriba unico nomine scriptam, & nomen electi notum scribæ, vel alteri reponat in capsula.*

59 *Vel quando recipiunt duas schedulas de manu scribæ, & unam reponunt in Capsula.*

60 *Si elector in actu electionis suam schedulam ostendat uni dumtaxat ex electoribus, electio subsecuta est irrita, licet alij probabiliter contrarium teneat.*
61 *Elector ostendens suam schedulam alteri in actu electionis, in prima opinione peccat mortaliter, non tamen in secunda.*
62 *Si aliquis elector suam schedulam alteri ostendat in actu electionis id permittente* Capitulo, *electio secuta est valida.*
63 *Si unus elector, vel plures ex illis manifestent suum votum alteri in fraudem, ut electio secuta sit irrita, per hoc non irritatur electio.*
64 *Idem dicendum est, si alteri in fraudem ostendat suam schedulam.*
65 *Quomodo fraus in hoc casu probetur?*
66 *Si unus ex electoribus det suam schedulam plicatam alteri, ut illam reponat in capsula non frangit secretum electionis,*
67 *Sed quid si ille qui schedulam plicatam accepit eam inspiciat?*
68 *Quid dicendum est, si postquam illam inspexit, aliis manifestavit.*
69 *Qui dedit schedulam plicatam alteri ponendam in capsula non peccavit mortaliter.*
70 *Qui schedulam accepit si ex curiositate eam inspexit, peccavit tantum venialiter.*
71 *Si eam inspexit ad aliis revelandum, peccavit mortaliter.*
72 *Si electio tantum à tribus celebretur non obest scientia, qua habetur de suffragiis horum trium eligentium,* ut *electio non dicatur secreta secundum formam* Trid.
73 *Quando duo tantum sunt electores & unus de Collegio eligendus est, potest sequi electio Canonica.*
74 *Quomodo hoc fieri possit?*
75 *Consensus electi non auget numerum, quando electio fit per scrutinium.*
76 *Quid si fiat per compromissum?*
77 *Quando duo tantum sunt electores, & unus ex illis alterum elegit, electio est per modum communis inspirationis.*
78 *Sic electionem de se ipso factam acceptans non est censendus ambitiosus.*

46 Dico primò: Scrutatores, aut Compromissarij, non possunt sub mortali unquam Electorum vota manifestare: sic enim eis præcipitur in Trid. *sess.* 25. *c.* 6. de Regularibus: *singulorum eligentium nomina nunquam publicentur*, quod præceptum, cũ sit de re gravi obligat sub mortali. Ita communiter DD. apud Peyrinum *Tom.* 3. *privilegiorum in additamento ad Constitutionem* Clementis VIII. *c.* 9. *n.*
24. Imò plures DD. addunt, quod si Scrutatores, 47
vel unus eorum, ante, vel post scrutinij publicationem vota manifestaverint, electionem manere irritam. Ita Garcias, Suar. Sigismund. quos refert & sequitur Peyrinis *ubi suprà*. Navarr. Ripa, Castelinus, quos refert, & sequitur Samuël. *Tract.* 1. *disp.* 5 *controversia* 1. *n.* 4. Secretum enim in electione requiritur pro forma. Unde cum forma sit indivisibilis, unus solus sufficit eam vitiare.

Contrariam tamen sententiam ut probabilem tenent Navarrus, Miranda, Rodriguez, quos ibi refert Peyrinis *ibid.*

Adverte etiam, quod si post electionem in de- 48
creto pro illa confirmanda à Superiore scribantur nomina eligentium, electionem remanere irritam. Ita communiter DD. apud Samuel. *loc. cit. n.* 10.

Dico secundò: non solum scrutatores, sed etiam electores, nec ante, nec post electionem, possunt
sine mortali sua vota, vel aliena alteri manifesta- 49
re. Ita Suar. quem refert & sequitur Peliz. *Tract.* 9. *cap.* 2. *n.* 27. Garcias, Barbosa, Sigismund. & alij quos refert, & sequitur Samuelius *ubi suprà controversia* 2. *num.* 4. Peyrinis *suprà n.* 23. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 15. *n.* 17. & colligitur ex Tridentino loco citato, ubi præcipit quod vota eligentium nunquam publicentur, quod præceptum ait cum Suar. Peliz. cum sit indefinitum, & finis prohibitionis subsistat etiam post electionem confirmatam, consummatam, & publicatam. Ita etiam hoc præceptum obligare· licet Pasqualigus *decis.* 226. *n.* 3. quem sequitur Basseus *verbo* Electio *n.* 6. non improbabiliter existiment, quod si quis eligentium ante, vel post electionem aliis dicat, cui votum suum tribuit non peccare mortaliter; nam præceptum Trid. tantum est de servando secreto in actu scrutinij.

An autem in hoc casu electio maneat irrita et- 50
iam in prima sententia? Respondeo negativè: ita Garcias, Sigismund. quos refert, & sequitur Pasqualigus *decisione* 262. *n.* 2. Castelinus, Navarrus, Lavorius, quos refert, & sequitur Peirinis *ubi suprà n.* 23. Lezana *n.* 17. Samuelius *controversia* 7. *n.* 5. Basseus *loc. cit.* Et ratio est, quia præceptum Trid. tantum est de secreto in ipso actu scrutinij, quod non violatur per hoc quod quis post, vel ante scrutinium dicat se huic, vel illi suffragatum fuisse, cum posset contrarium efficere: ita etiam Lezana *verbo* Electio *num.* 11.

Dico

51 *Dico tertiò* : Si unus Electorum in ipso actu scrutinij publicè manifestaret suum votum, permittente Capitulo, electio foret nulla ; ita communiter DD apud Peirinis *n.* 23. licet contrarium teneat probabiliter Pasqualigus *decisione* 204. *n.* 1. Quod procedit etiamsi Elector per ignoran-
52 tiam votum publicaret : ut declaravit Sacra Congregatio apud Sigismund. *de electione dubio* 31. *n.* 1. Peirin. *ibid.* Unde si quis attentaret dare suum votum publice non debet id permitti, ne irritetur electio, sed tanquam indignus potest à præsiden-
53 te Capituli pro illa vice repelli. Garcias, Lavorius, Castelin. quos refert & sequitur Peirinis *ibid.* Imò adit Sigismundus *de electione dubio* 3. *num.* 7. quod non solum posset privari qui sic suffragium publicum dedit, sed etiam alij electores audientes, & tacentes, siquidem qui tacet consentire videtur : ita etiam tenet Samuel. *suprà controversia* 2. *num.* 22.

54 Limita tamen, nisi elector per ignorantiam publicaret ; nam licet decretum irritans liget etiam ignorantes, quo ad validitatem, vel nullitatem actus, non tamen quo ad pœnas. Castelin. quem refert & sequitur Peyrinis *ibid.*

55 *Dico quartò* : non solum est irrita electio, quando aliquis eligentium suum votum in actu scrutinij publicè manifestat ; sed etiam, si taliter profert vel dicit, ut de facto aliquis, vel aliqui illud audierint, præter scrutatores : vel si electio fiat
56 per schedulas, votum ab altero, vel pluribus videatur ex eligentibus : ita Sigismund. Garcias, Rota, quos refert, & sequitur Samuel. *suprà controversia* 2. *n.* 11.

Idem dicendum est, si electores mittant schedulam aliquo patenti signo signatam, ut innotescat scrutatoribus, vel uni ex illis, quod tales eligentes eligant illum nominatum in schedula: ita habetur
57 ex declaratione Sacræ Congregationis, prout testatur Barbosa in Collectan. Bullarum *verbo* Elector *n.* 207. Lezana *verbo* Electio *n.* 11.

Et idem dicendum est, quando aliqui ex electoribus unam schedulam recipiunt unico nomine scriptam; & nomen electi notum scribæ, vel al-
58 teri reponunt in capsula, vel quando accipiunt de manu scribæ duas schedulas, & unam quam voluerint reponunt, & alteram scindunt, quia potuit scriba revelare talem qui non habuit, nisi unicam schedulam, vel qui non habuit duas : ita de-
59 cidit Sacra Rota, prout referunt Garcia, Sigismund. Navarr. quos refert, & sequitur Lezana *verbo* electio *n.* 11.

Dico quintò : Si elector in actu electionis ostendat suam schedulam uni dumtaxat ex electoribus, 60
electio subsecuta est irrita : ita Castel. Sigismund. Garcia, & alij quos refert, & sequitur Samuelius *supra controversia* 4. *num.* 7. & probabilem putat etiam Pasqualigus *decisione* 263. *num.* 4. & Bord. *resolutione* 28. *n.* 5. Ratio est, quia Trid. præcipit, ut electio fiat per vota secreta, sed de secreti ratione est, ut nemini reveletur, ergo.

Adverte tamen, sententiam dicentem in hoc casu electionem esse validam satis probabilem esse. Hanc tenent Navarrus, Rodrig. & Miranda, quos refert, & sequitur Pasqualigus *suprà num.* 3. Samuel. *n.* 16. Peliz. *Tractatu* 9. *cap.* 2. *num.* 29. Nam Trid. solum decernit irritam electionem, in qua electorum nomina publicantur, non vero in qua unius electoris nomen publicatur.

An autem in hoc casu elector suam schedulam 61
alteri ostendens peccet mortaliter? Respondeo in opinione, quæ dicit electionem non manere irritam, satis probabile esse non peccare mortaliter, nam adhuc electio manet secreta, & finis legis, scilicet libertas in eligendo, per hanc revelationem non infringitur : ita Pasqualig. Bord. quos refert, & sequitur Samuel. *supra controversia* 8. *n.* 6.

Sed quæres : An si quis ostendat suam schedulam alteri electori, id permittente Capitulo, elec- 62
tio maneat irrita? Affirmant Gastelin. Sigismund. Garcia, Navarr. Rodrig. Miranda, Lavorius, Peirínis, quos refert, & sequitur Samuelius *suprà controversia* 5. *num.* 6. Sed ego nullam rationem firmam pro hac opinione invenio. Vnde contrariam sententiam quam tenet Pasqualigus *decisione* 264. *n.* 3. reputo probabilem, nam in Trid. non dicitur, ut numquam eligentis nomen publicetur, sed ut singulorum nomina non publicentur: deinde non prohibet Capitulo, quod permittat unum aliquem electorem publicare suum votum, & quod si publicet, electio sit irrita, sed de his vide Pasqualigum *ibid.*

Dico sextò : Si unus elector, vel plures manife- 63
staverint sua vota in fraudem, ut electio subsecuta sit irrita, per hoc non irritatur electio, sed manet rata, ac valida : ita communiter DD. apud Samuelium *suprà controversia* 2. *num.* 21. & *controversia* 6. *num.* 11. & idem dicendum est, si aliis in 64
fraudem ostendat suam schedulam. Bord. Barbosa, Rodrig. quos refert, & sequitur Samuelius *suprà controversia* 4. *n.* 1. & ratio est, tum, quia unius, aut aliquorum defectus eligentium minimè nocere debet toti Capitulo id ignorãti per textum *cap. fin.*

de procuratoribus, nam culpa unius, aut aliquorum
non eſt imputanda aliis omnibus de Capitulo.
Tum, quia alias aperiretur via fraudibus, & quiſ-
que poſſet quoties ſibi placeret ac videretur ele-
ctionem Canonicam irritare; quod eſſet abſurdiſ
65 ſimum : probatur autem fraus ex conjecturis, *leg.
filia ff. ſolut: matrim.* & Cap. 2. *de renunciatione in
6.* & leg. *dolo cap. de dolo.* quando enim inſolita
diligentia adhibetur, præſumitur fraus. Maſcard.
de probat. conſil. 825. *n.* 6. Riccius *conſilio* 448. *n.*
23. & quando actus, qui geritur nihil facienti pro-
deſt. Maſcard. *ſupra n.* 9.

66 *Dico ſeptimo* : Si unus ex Electoribus det ſuam
ſchedulam plicatam alteri, ut eam in unam depo-
nat, non frangit ſecretum electionis : ita Samuel.
ſuprà controverſia 6. n. 1. Paſcalig. *deciſione* 261. *n.*
2. Et ratio eſt, quia cum det ſchedulam plicatam,
qui accipit illam, neſcit pro quo ferat ſuffragium :
ergo ſecretum electionis manet inviolatum.

Nec obſtat, quod illam recipiens eam poſſit a-
perire, nam hoc licitè agere nequit; nam cum eam
plicatam acceperit, fidem pollicetur, eam ſic in ur-
nam mitendam : unde eam porrigens certus mo-
raliter eſt de ſecreto.

Sed quares, quid dicendum ſi is, qui ſchedulam
plicatam accepit eam inſpiciat? Reſpondeo, quod
67 ſi inſpicit, & non publicat aliis ſuffragium, tunc
electio adhuc retinet ſuum ſecretum ; quia res eo-
dem pacto ſe habet quo ad ſecretum, ac ſi eam non
inſpexiſſet; non enim tale ſuffragium dici poteſt
publicatum, cum ad publicationem requiratur
communicatio, in noſtro autem caſu, nec qui tra-
dit ſchedulam communicavit illam, cum eam de-
derit clauſam, neque qui eam inſpexit, ut ſuppo-
no : ita Paſcalig. *loco cit. n.* 5. Samuelius *ubi ſuprà*
68 *num.* 4.

Sed quid, ſi uni vel multis eam communicavit?
Reſpondeo, quod ſi uni tantum eam communi-
cavit, non infringere ſecretum ; nam, ut *ſuprà* di-
ximus, ſi unus alteri manifeſtavit ſuum ſuffragi-
um, non facit contra ſecretum electionis : ergo
69 nec in hoc caſu : ita Paſcalig. *ibid.* Contra Samue-
lium *loco cit. n.* 6. ſi vero multis eam communica-
vit, tunc proculdubio electio fit irrita, cum jam
non ſit ſecreta. Paſcalig. *n.* 6. Samuelius *ibid.*

An autem peccaverit qui dedit ſchedulam alte-
ri reponendam in urnam? Reſpondeo negativè,
cum non faciat contra ſecretum electionis, nec ex-
ponat ſuffragium periculo publicationis, cum ſit
certus moraliter, quod alter, qui eam in ſecretò
accepit, eam non fore aperturam. Paſcalig. *numero*
7. Samuelius *n.* 9.

An verò peccaverit, qui ſchedulam inſpexit? 70
Reſpondeo, quod ſi hoc fecit ex ſola curioſitate,
& non animo manifeſtandi, non peccaviſſe mor-
taliter, ſed tantum venialiter; ſi vero eam inſpe-
xit ad aliis revelandum mortaliter peccaviſſe : ita
Paſcalig. *num.* 8. Samuelius *num.* 10. Ratio eſt, 71
quia in primo caſu inſpectio ſchedulæ non eſt in
grave alicujus præjudicium, benè tamen in ſecun-
do, quia eſt in præjudicium electionis : ergo.

Dico octavò : Si in Capitulo tantum fuerint tres 72
electores non obeſt ſcientia, quæ habetur de ſuf-
fragiis horum trium eligentium, ut electio non
dicatur ſecreta ſecundum formam Tridentini *ſeſſ.*
25. *de Regularibus cap.* 6. ut decidit Sacra Rota, ſi
ita ſtatutum Religionis permittat. Ratio verò eſt,
quia lex non obligat, ubi de facto ſervari non po-
teſt juxta regulam juris 145. *impoſſibilium nulla ob-
ligatio eſt.* & altera 6. in 6. *nemo poteſt ad impoſſibile
obligari.* ita Samuel. *Tract.* 1. *diſput.* 5. *controverſia*
2. *num.* 30. Paſqualigus, *deciſione* 255. *num.* 11.

An autem, quando duo tantum ſunt electores, 73
& unus de collegio eligendus eſt, poſſit ſequi ele-
ctio Canonica? Negat cum Navarro, Miranda
quæſt. 23. *art.* 5. *concluſione* 21. & alij. Contraria ta-
men ſententia probabilior eſt. Hanc tenet cum
Ancharrano, Panormitano, Boich. Tuſco, & a-
liis Paſqualigus *deciſione* 253. Tamburinus *Tom.* 1.
diſp. 5. *quæſt.* 8. *numero* 2. Vidal. *titulo* de electio-
ne *inquiſitione unica numero* 25. Ratio verò eſt, quia
inter duos poteſt ſalvari vera ratio electionis Ca-
nonicæ, quæ definitur communiter à DD. *alicu-
jus perſonæ Canonicè facta vocatio*, poteſt namque 74
unus alterum Canonicè vocare ad id, ad quod eli-
gitur, præmiſſo prudenti & diſcreto judicio de e-
ligibilitate perſonæ. Hoc autem poteſt continge-
re, ſi unus utatur eligendi poteſtate, & alter cedat
juri ſuo eligendi, tunc enim ille hunc eliget, &
hic erit electus à toto Collegio, quia licet ad Col-
legium conſtituendum requirantur plures, poteſt
tamen ad unum devenire, ut *ſuprà* dictum eſt.

Secundò modo poteſt contingere, ſi unus ab a- 75
lio palam eligatur, & electus conſentiat ſuæ ele-
ctioni, & hoc pacto augeat numerum; nam in hoc
caſu obſervatur, *Cap cum in jure de electione*, in quo
ſtatuitur, quod electus conſentiendo electioni de
ſe factæ, à media parte eligentium auget nume-
rum, & electionem perfecit. Obſervatur etiam
Cap. quam 18. *quæſt.* 1. quod videlicet electio de-
beat eſſe concors, non enim eſſet concors, ſi ele-
ctus in alium conſentiret, unde talis electio erit à
toto Collegio.

Dices,

Dices, consensus electi non auget numerum suum. *Cap Cumana,* & cap. *quia propter:* ergo electus non potest consentire suæ electioni? Respondeo consensum electi non augere numerum suum, quando electio fit per formam scrutinij, in quo casu procedunt prædicta jura, ut docet cum aliis Megala *verbo* Electio *num.* 7. *prope finem.* Samuel. *Tract.* 2. *disp.* 1. *controversia* 2. *num.* 7. Secus, si fiat per compromissum, ut patet ex *Cap. cum in jure num.* 3. *in fine,* ut cum Ancharrano & aliis notavit *ibi* Megala. Vel si electio fiat per communem inspirationem, in quo casu totum Collegium nemine
77 mine discrepante debet consentire, in hoc autem casu, vel electio per nullam ex prædictis formis præscriptis in Cap. *quia propter,* fit, cum non possint observari, & ad impossibile nemo obligari potest, sed tantum servatur prædictum *Cap. quia propter,* quo ad hoc, quod electio fiat à majori parte Capituli, quod est juxta jus naturale: vel dicendum est, talem electionem fieri per formam communis inspirationis; nam omnes consentiunt in unum, unus eligendo, & alter ad se ipsum acce-
78 dendo. Vidal. *suprà num.* 44. Nec talis censendus est ambitiosus, quia non incipit suam electionem, sed ab alio inceptam complet.

SECTIO IV.

De libertate ab omni coactione, quam Electores debent habere, ut electio Canonica sit valida.

79 *De substantia electionis est, ut suffragia sint omnino libera.*

80 *Omnis electio, per metum cadentem in virum constantem celebrata, est nulla.*

81 *Metus levis, vel reverentialis, non irritat electionem in foro externo, benè tamen in foro interno.*

82 *Electores possunt compelli ad eligendum in genere, non tamen in individuo, hunc, vel illum.*

79 Dico primò: de substantia electionis est, ut suffragia sint omnino libera, ita ut facta aliter electio sit omnino irrita, ut patet ex Cap. *ubi periculum* §. *cæterum de electione in* 6. Hinc merito sacri Canones minimè cogunt electores, ut ad celebrandam electionem accedant, sed dicunt accedere posse, si velint, ut constat ex Cap. *quod sicut,* & Cap. *quia propter.*

Dico secundò: omnis electio per metum cele- 80
brata, si metus fuerit cadens in virum constantem, tam in foro interno, quam externo, est omnino irrita; si vero fuerit metus reverentialis, vel levis, non irritat electionem in foro externo, benè tamen in foro interno. ita Megala *Verbo* Electio *n.* 81
6. Samuelius *Tract.* 2. *disput.* 1. *controversia* 1. *num.* 1. & alij communiter. Prima pars conclusionis patet, quia non solum per violentiam actu illatam, sed etiam per metum gravem tollitur libertas, quæ essentialiter requiritur ad electionem, ut patet ex Cap. *Cum locum de sponsalibus,* quid autem sit metus cadens in virum constantem, declarat Sanchez *de matrim. lib.* 4. *disput.* 1. & in terminis Sigismund. *de elect. dubio* 54. *per totum.* Quoad secundam vero partem etiam liquet, nam cum metus reverentialis, & levis, ut plurimum in interiori actu consistat, solum in foro interno electionem annullat, non vero in externo; nam Ecclesia non judicat de occultis.

Dico tertiò: Electores licet possint compelli ad 82
eligendum, in genere, nequaquam autem in individuo, hunc, vel illum, alias foret electio irrita & nulla. ita cum aliis Megala *loc. cit.* Samuelius *ubi suprà num.* 7. & constat ex Cap. *publicat. de electione in* 6.

SECTIO V.

Vtrum Electio desinat esse libera, si electores arctentur ad eligendum certum genus, vel certum numerum personarum?

83 *Non est contra libertatem electionis, si Electores arctentur ad certum genus personarum.*

84 *Electores pro pacifico regimine possunt, imò tenentur eligere quatuor definitores, ex quatuor nationibus, dummodo personæ idoneæ ibi reperiantur.*

85 *Nostr. Constitut. quæ disponunt ut sex Definitores, unusquisque ex sua Provincia, assumantur, est tenenda.*

86 *Statutum, quo decernitur, quod Prælati alicuius*

Provinciæ ſint naturales illius, licitum eſt, ſi in ea Provincia perſonæ dignæ reperiantur.

87 *Noſtræ Conſtitut. quæ diſponunt quod Prælati cujuſcumque Provinciæ ſint naturales illius, juſtæ eſt.*

88 *Si electio arctetur ad duas, tres, vel quatuor perſonas, eſt ipſo jure irrita.*

89 *Si Electores eligant alium præter nominatos, electio eſt valida.*

90 *Si coarctatio ad duos, vel tres oriatur à voluntate eligentium, vel ex alio accidenti, electio facta eſt valida.*

91 *Quando hoc poſſit accidere declaratur?*

92 *Quando unus tantum ponitur, ut eligatur, ſi Electores poſſunt alium eligere, electio ſecuta, etiam de perſona propoſita eſt valida.*

93 *Noſtra Conſtitutio, quæ decernit, quod definitorium Generale poſſit aliquas perſonas idoneas Electoribus proponere eſt valida.*

94 *Statutum decernens, quod Generalis nequeat eſſe v. g. Germanus, Hiſpanus, Imperialis, &c. eſt iniquum.*

95 *Si omnes nationes annuant ob bonum pacis, ut in uno triennio eligatur v. g. Generalis ex Hiſpania, in altero ex Italia, &c. ſtatutum erit licitum.*

96 *Si in Religione ſint duæ factiones, tunc electores poſſunt, & tenentur duos definitores ex una factione, & duos ex alia eligere ad bonum pacis, dummodo ſint digni, licet ex una parte omnes quatuor inveniantur digniores.*

97 *Quando dantur duæ factiones, tenentur electores in uno triennio eligere Generalem ex una factione, & in altero ex alia ad bonum pacis.*

98 *Quid, ſi inveniantur alij neutrales?*

83 DIco *primò*: non eſt contra libertatem electionis, quod electores arctentur ad eligendum aliquod genus perſonarum, ut ſi jubeantur eligere ex Magiſtris, vel definitoribus, vel qui tot annos habuerint, vel ex Hiſpania, Gallia, vel ex talibus tantum Provinciis. ita Portel *in dubiis regularibus Verbo*, Electio, *num.* 4. Lezana *Tomo* 1. *cap.* 15. *num.* 21. & alij communiter DD. quos refert, & ſequitur Samuelius *Tract.* 2. *diſput.* 1. *controverſ.* 4. *n.* 32. ſic enim videmus Cardinales arctari ad eligendum in Papam unum ex ipſis: nec unquam poſſunt Electores arctari ad eligendum indignum, nam ſi non ſit ex iis quis dignus, tunc ceſſat ratio ſtatuti, ut benè cum aliis advertit Peliz. *Tractatu* 9. *cap.* 2. *numer.* 34.

Hinc fit poſſe Electores pro pacifico regimine 84
Religionis eligere quatuor definitores ex quatuor nationibus; imò teneri ad illos eligendos ad extirpanda odia, invidias, & ea omnia mala, quæ ex contrario uſu pullularent, ita, & benè Giragus 3. *p. dub.* 2. *num.* 22. quæ doctrina intelligenda eſt, dummodo inter illos perſonæ idoneæ reperiantur. Hinc fit optimam eſſe noſtram Conſtitutio- 85
nem, quæ decernit, ut ſex Definitores generales eligantur ex ſex Provinciis. ita ut ſinguli eorum ſint ex iis, qui actu ſunt in illis Conventuales, & pluſquam per integrum, & immediatum annum in ea Provincia, pro qua eliguntur cõmorati ſunt, vel ex iis, qui in ea nati ſunt, vel profeſſionem emiſerunt, vel in Religione fuêre Generales, vel in ea Provincia officium Provincialis exercuêre, ut patet ex 3. *p. noſtrar. Conſtitutionum c.* 7. *n.* 1.

Secundò ſequitur licitum eſſe ſtatutum, quo 86
decernitur, quod in Prælatos alicujus Provinciæ, naturales tantum aſſumantur, ſi in ea Perſonæ idoneæ reperiantur, ut patet ex Cap. *nullus diſt.* 61. & Cap. *manipolit. diſt.* 63. Vbi ſtatutum eſt, ut Epiſcopi non crearentur, niſi ex perſonis ejuſdem Eccleſiæ; naturales enim habentur pro dignioribus, ob majorem amorem, quem unuſquiſque habet ad propriam Eccleſiam, ita cum aliis Giragus *ubi ſupra num.* 20. Hinc fit licitam eſſe illam N. con- 87
greg. Conſtitutionem, quæ decernit, quod Capitulum Generale regulariter eligat ex Conventualibus, & nominatis â Capitulo Provinciali cujuſcumque Provinciæ, tam Provincialem, quam Priores, pro tali Provincia, niſi aliud neceſſarium judicaverit: nam in tali caſu non ſolum ex nominatis, ſed ex diverſa quoque Provincia eligere poteſt, tam Provincialem, quam Priores, ut patet ex 3. *p. cap.* 4. *n.* 6. *in Conſtitutionibus vulgaris editionis.*

Dico ſecundò: Si electio arctetur ad tres, vel qua- 88
tuor tantum perſonas, eſt ipſo jure irrita: ita communiter DD. apud Samuelium *Tract.* 2. *diſput.* 1. *controverſia* 4. *n.* 12. Peliz *loc. cit.* Giragus 1. *p. dub.* 24. *n.* 130. hujuſmodi enim coarctatio adverſatur bono regimini, & rectæ gubernationi; imò bono publico, poſtulanti libertatem eligentium. Vnde ſi Electores alium dignum extra tres, vel quatuor nominatos eligant, electio tenet, & eſt valida, ſiquidem habet omnia requiſita juxta Sacros Canones, ita communiter DD. apud Samuelium *Tract.* 2. *diſp.* 1. *n.* 37. *controverſia* 4.

Excipe, niſi coarctatio ex Electorum volunta- 89
te proveniat, vel ex alio accidenti, ut ſi electio

fieri

fieri debeat ex gremio, ex vi alicujus statuti, seu approbatæ consuetudinis, vel ex privilegio, & ibi non essent nisi duo idonei, tunc enim Electores compellerentur ad eligendum unum ex illis duobus, & valeret electio: ita communiter DD. apud Samuelium *supra num.* 14. Peliz. *loc. cit.* &
91 idem dicendum est, si in Collegio duo tantum sint electores, & unus ab alio sit eligendus? Nam etiam in hoc casu electio est libera quo ad exercitium, cum unus si vellet, posset alium non eligere: ita Vidal *de electione inquisitione unica n,* 52.

Limita etiam, quando ex vi alicuius statuti præses nominat aliquas certas personas, ex quibus necessario unus eligatur, nam hæc coarctatio provenit ex electorum voluntate, fuit enim facta à Capitulo, vel definitorio Generali, in quibus est consensus omnium Religiosorum; per quod cohonestantur electiones, quæ fiunt in Ordine Carmelitarum Calceatorum, ad quas faciendas aliqui Religiosi Electoribus proponuntur à Generali, ut notavit Lezana *Tom.* 1. *qq. Reg. cap.* 15. *num.* 21.

92 *Dico tertiò*: quando unus tantum proponitur, ut eligatur, si Electores possint alium, quem velint eligere: electio est valida, etsi fiat de persona proposita: ita Samuelius *loc. cit. Controv.* 3. *n.* 9. Nam cum Electores possint eligere, vel non eligere, libertas non tollitur, & hoc modo concedunt nostr. Constitut. 3. *p. Cap.* 2 *n.* 5. quod definitorium
93 Generale possit proponere Electoribus certas aliquas personas, dummodo tamen Electores liberi maneant ad eligendum, tam ex iis, qui propositi sunt, quam ex aliis quibuscumque: ac potestatem alio modo proponendi justissimè etiam ipsi Generali ademit.

94 *Dico quartò*: Statutum decernens, quod Generalis nequeat esse v. g. Germanus, Hispanus, Imperialis, &c. est iniquum, & injustum: Tum, quia, cum hujusmodi dignitas suprema sit, vix potest inveniri unus qui dignus illa sit: ergo si tres illæ nationes excludantur in maximo discrimine poneretur Religio, cum in alia natione fortè non daretur vir, adeo dignus ac idoneus atq; in illis. Tum, quia illæ tres nationes tenentur suis operibus Religioni inservire: ergo habent jus ad omnia ejus munera: ergo non possunt eis invitæ privari.

95 Dixi *invitæ*; nam si omnes nationes annuant ob bonum pacis, tunc posset statui, ut nunc ex una, nunc ex alia natione fieret electio Generalis, ita & benè Giragus *p. tertia dub.* 26. & 27.

96 Imò addo, quod si in Religione sint duæ factiones, tunc Electores posse, imò teneri, ob bonum pacis, & quietis totius Religionis, & Provinciæ, duos definitores ex una parte, & ex alia alios duos eligere, dummodo sint digni; licet ex una parte omnes quatuor inveniantur digniores.

Et idem dicendum est de Generali, vel Provinciali, nam in uno triennio tenentur illos eligere 97
ex una parte, & in alio ex alia, ut diximus de Definitoribus, ita Giragus, 1. *p. dup.* 23. *n.* 124. intellige, dummodo sint digni pro majori pace & 98
concordia factionum, ita Girag. 1. *p. dub.* 25. *n.* 13.

SECTIO VI.

Vtrum preces importunæ, timor vel abusus sæcularis potestatis irritent Electionem?

99 *Preces importunæ gravis personæ, vel superioris reddunt electionem irritam.*

100 *Si preces importunæ jungantur cum metu reverentiali, annullant electionem.*

101 *Electio, per abusum potestatis sæcularis scienter celebrata, est nulla.*

102 *Electores sic eligentes privantur jure eligandi per triennium.*

103 *Qui electioni hujusmodi de se factæ consentit, est ipso jure ineligibilis ad quamlibet dignitatē.*

104 *Quando dicatur eelctio per abusum potestatis sæcularis?*

105 *Laici non debent ad electiones Ecclesiasticas admitti, nisi metu cadente in virum constantem, & hoc cum protestatione.*

106 *Generales, vel Provinciales nostri, qui ad instantiam cujuscumque personæ extra Ordinem existentium concedunt officia, dignitates alicui Religioso, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ.*

107 *Religiosi nostri favore sæcularium, non solum officia, dignitates Ordinis, sed etiam studia, ordines, &c. prætendentes, incurrunt pœnam inhabilitatis, & privationis eorum.*

108 *Hujusmodi pœnæ non incurruntur ante sententiam judicis.*

Dico primò: Preces importunæ maximè personæ gravis, & Superioris, quæ non solum indu-

inducant ad eligendum, sed etiam ad non sponte, & liberè eligendum, reddunt electionem irritam: ita Diana 3. p. *tract.* 7. *resolut.* 20. & alij multi, quos refert & sequitur Samuelius *de electione Tract.* 2. *disp.* 1. *controversia* 7. *n.* 2. Portel *in responsis moralibus p.* 2. *casu* 16. *n.* 4. Lezana *Tom.* 2. *cap.* 12. *num.* 35. & patet ex Cap. *cum inter, D. de electione.*

100 Ratio est, quia preces importunæ promissionis, & similia vim coactionis habent, & metum cadentem in virum constantem inferunt ad effectum annulandæ electionis: sed electiones celebratæ per metum sunt nullæ, ut *suprà* diximus: ergo.

Et idem dicendum est à fortiori, si preces importunæ conjungantur cum metu reverentiali, qualis est Religiosi respectu sui Prælati, ita multi DD. quos refert Samuelius *ubi suprà n.* 7. Portel & Lezana *locis citat.* Debent tamen hæ preces non bis tantum, sed pluries fieri, ita cum Sanch. notavit Portel, *ibid.*

101 *Dico secundò*: Electio per abusum potestatis sæcularis sponte, ac scienter celebrata, est ipso jure nulla, & Electores sunt privati jure eligendi per triennium absque judicis sententia, & qui hujusmodi electioni de se factæ scienter consentit, est

102 ipso jure ineligibilis ad quamlibet dignitatem, ita

103 habetur in Cap. *quisquis de electione.* Dicitur autem electio per abusum potestatis sæcularis celebrata, quando Clerici præsentiam alicuius sæcularis pro tali electioni requirunt, vel ejus consen-

104 sum super certis personis eligendis, vel ut aliquod munus in ea exerceat, ut eligunt minis inducti alicujus sæcularis potentatus, vel quando electio fuit facta per interventum alicujus Principis, seu potestatis sæcularis, seu ad instantiam potestatis sæcularis. Bellamera Castelinus, quos refert & sequitur Lezana *Tom.* 2. *cap.* 12. *num.* 47. Samuelius *Tract.* 2. *disput.* 1. *controvers.* 9. *num.* 3. Tam-

105 bur. *Tom.* 1. *disput.* 5. *quæsito* 22. *num.* 12. Ad Ecclesiasticorum enim electionem non debent Laici ad coëligendum admitti, nisi se ingerant per violentiam, quæ caderet in constantem virum, quia tunc possent cum protestatione admitti; & electio erit valida, ut ex Cap. *Cumana*, & aliis DD. probat Tambur. *ibid.* Samuel. *suprà num.* 4.

106 *Adverte* tamen, quod Generales, vel Provinciales Ordinis nostri, aut alij Prælati, qui ad instantiam quarumcunque personarum quacumque dignitate, etiam Regali, vel Cardinalatus fulgentium, extra Ordinem existentium, conferunt Officia, & dignitates alicui Religioso, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, latam à *Clemente* VIII. pro Carmelitis, prout refert Lezana *Tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 82. & nos *suprà* diximus, ubi etiam alias prohibitiones quoad alias Religiones adduximus; imò seclusis prædictis Bullis Religiosi nostri prætendentes non solum officia Or- 107 dinis, sed etiam studia, Ordines, Conventualitates, aut quidquam aliud sæcularium favoribus, incurrunt pœnam inhabilitatis, & privationis eorum, quæ sæcularium favore consequi desiderant, ut patet ex 2. *part. nostrarum Constitutionum cap.* 4. *num.* 16.

Advertendum vero hanc pœnam inhabilitatis, 108 & privationis, quæ in hac nostra lege habetur, vel in Bullis Pontificiis, non incurri de facto, nec obligare in conscientia, nisi post sententiam judicis declaratoriam, ita cum aliis Peyrinis *de subdito quæstio* 2. §. 10. *dicto* 3.

SECTIO VII.

An Electio Canonica ut sit valida, Electores debeant esse liberi à subornationibus?

109 *Quid sit subornatio explicatur?*
110 *Quot sint subornationes?*
111 *Manifestare electoribus virtutes veras, quibus eligendi ornantur, vel vitia, quibus notantur, ut dignus indignis, & dignior dignis præferatur, est sanctissimum, & nullo jure prohibitum.*
112 *Constitutiones, quæ prohibent, etiam sub excommunicatione, tractatus ante electionem, non comprehendunt hujusmodi tractatus.*
113 *Religiosus publicans virtutes alterius, intendens acquirere vota, non est subornator malus, nisi laudatus sit factionarius, vel nisi publicatio fiat ex consensu ipsius eligendi, vel nisi electores deliberaverint de tali persona eligenda.*
114 *Cooperire eligendorum vitia, aut donis, minis, precibus, subvertere mentes Electorum, ut indignus digno, & dignus digniori præferatur, est impium, & reddit irritam electionem.*
115 *Religiosus tam factionarius, quam non factionarius, qui munusculis, gratiis, salutationibus, aliisque artificiis attrahit ad se vota in propriam utilitatem, peccat mortaliter.*

116 Reli-

116 *Religiosus non factionarius, qui intendit animos Electorum sibi conciliare, ex quo sequitur favor suffragiorum, non peccat mortaliter.*

117 *In decretis Pontificiis sola subornatio ad malum finem est prohibita.*

118 *Religiosus factionarius, qui intendit salutationibus & gratiis animos Electorum sibi conciliare, peccat mortaliter, & nemo potest in electione licitè uti subornatione contra subornationem.*

119 *Licitè potest uti quis monopolio, contra monopolium.*

120 *Subornantes directè, vel indirectè suffragia ad Electionem, vel illa procurantes, sive pro se, sive pro aliis, incurrunt privationem officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatem ad alia, & alias pœnas, quæ referuntur.*

121 *Religiosi nostri subornantes in quacumque electione, vel quocumque modo inducentes alterum, ut suffragetur, vel non suffragetur pro aliquo, incurrunt pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, & privationem irremissibilem officij per triennium*

122 *Hæ privationes non incurruntur, nisi post sententiam judicis.*

123 *Quid intelligatur per subornare?*

109 PRo hujus sectionis explicatione notandum est subornationem in communi esse suasionem, qua suadetur verum vel falsum in bonum, vel malum finem. Rodriguez *Tom. 2. quæst. 65. art. 5.* & alij communiter.

110 Dividitur autem subornatio in bonam, vel malam: bona est illa, qua in alicuius animum inducitur verum in bonum finem, mala est illa, qua falsum consulitur in malum finem; hæc autem mala iterum subdividitur in eam, quæ fit verbis, & in eam, quæ fit muneribus, ut Electorum benevolentia ad effectum consequendi eorum suffragia aucupentur. His suppositis.

111 *Dico primò*: Manifestare Electoribus virtutes veras, quibus eligendi ornantur, vitia ac defectus quibus notantur, ut dignus indignis & dignior minus digno præferatur, non est malum, imò sanctissimum, & nullomodo jure etiam humano prohibitum. ita Samuel. *de electione Tract. 2. disput. 12. controvers. 12. num. 5.* Guillelmus, Basilius, Mendegotus, Diana, quos refert & sequitur Giragus *1. p. dub. 6. num 24.* Peliz. *Tract. 7 cap. 6. num. 33.* Bord. *Tom. 2. resolut. 26. num. 24.* Licet esse prohibitum jure Canonico autumet Cousers, quem refert, & sequitur Basseus *Verbo, Electio, num. 14.* Ratio nostræ resolutionis est, quia hujusmodi tractatus ante electionem sunt omnino necessarij ad bonam electionem, sine notitia enim eligendorum non potest fieri bona electio; sed unusquisque tenetur jure naturæ cooperari bono Communitatis in eis, quæ spectant ad munus suum: ergo electores nullo jure humano prohiberi possunt, ne procurent bonum electionis.

Unde Constitutiones relatæ ab Basseo, & aliæ, 112
si quæ fuerint in Religionibus, etiamsi habeant annexam excommunicationem, ut nullus ante electionem habeatur tractatus, non de his tractatibus consultoriis: sed de ambitiosis, factionalibus, & conditionalibus sunt intelligendæ, ita citati DD. Hinc fit Religiosum publicantem virtutes 113
alterius, intendendo acquirere vota seu suffragia pro ipso, non esse subornatorem malum,

Limita, nisi laudatus sit factionarius, quia si talis est, ejus electio fit ad nutriendas factiones peccat mortaliter, quia ejus virtutes publicat ea intentione, ut foveat discordias, & est subornator malus, qui indignum sublevare intendit.

Limita *secundo*, nisi publicatio fiat ex consensu, seu opera ipsius eligendi, nam tunc talis tractatus, ut ambitiosus tenendus est. Cap. *per inquisitionem de electione.* Diana, Molphesius, quos refert & sequitur Giragus *suprà num. 47.*

Limitâ *tertiò*, si Electores, non solum habeant consilium de persona eligenda, sed deliberaverint de ea: Nam licet tractatus de eligenda persona sit semper permissus, at Conventio de tali eligendo est illicita, ita Bias, Sigismund. & alij, quos refert & sequitur Samuelius ubi *suprà controversia 12. num. 12.*

Dico secundò: Cooperire vitia eligendorum aut 114
donis, minis, precibus, & similibus subvertere mentes Electorum, quo indignus digno, & dignus digniori præferatur, est impium, & nullam redit & irritam electionem. ita cum aliis Girag. *ibid.* Samuellius *num. 7.* Ratio est, quia omnis tractatus ambitiosus prohibetur non solum jure positivo sed etiam jure naturali, cum sit ex se malum: sed hujusmodi tractatus est ambitiosus: ergo.

Hinc fit Religiosum; tam factionarium, quam 115
non factionarium, qui munusculis, gratiis, seu salutationibus, aliisque artificiis attrahit ad se aliorum suffragia seu vota in propriam utilitatem, & commodum, peccare mortaliter; siquidem dat temporale pro spirituali, in quo ex utraque parte committitur Simonia: ita Samuelius, Suarez, Peyrinis,

rinis, quos refert & sequitur Giragus *num.* 43.

116 Secus dicendum est, si Religiosus non factionarius non intendat ad se trahere vota, sed tantum Electorum animos, eorumque benevolentiam sibi conciliare, ex quibus sequitur suffragiorum favor; nam dare aliquod donum, vel obsequium præstare spe gratitudinis, & intuitu remunerationis, etiam pro dono spirituali, non est Simoniacum, nec illicitum: ergo talis Religiosus non peccat mortaliter. Suar. *Tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *c.* 45. *n.* 4. Giragus *loc. cit. n.* 44.

Nec obstat, quod in decretis tam Clementis
117 quam Urbani VIII prohibeatur omnis suffragiorum procuratio, tam per se, quam per alios, quocumque modo fiat, nempe precibus, promissionibus, & similibus, nam ut *ubi suprà* diximus in prædictis decretis illa sola subornatio prohibita est, quæ est ad malum finem, & quæ est ambitiosa, minimè verò, quæ justa est, & in bonum electionis: ita Samuelius *ubi suprà controvers.* 10. *n.* 3.

118 Dixi, *Religiosus non factionarius*, nam si sit factionarius tenetur sub mortali, etiam à prædictis abstinere: ita Giragus *loc. cit.* Ratio est, quia ad succurrendum Religioni in gravi necessitate constitutæ, tenetur unusquisque subire periculum, etiam propriæ vitæ: sed si talis factionarius prædictis artificiis eligatur in Generalem, Provincialem, Definitorem, &c. Religio constituitur in maximo discrimine, ut *infra* dicemus: ergo talis factionarius tenetur sub mortali à prædictis artificiis abstinere.

Sed quæres, an possit aliquis in Electione Canonica uti subornatione contra subornatorē. Respondeo negativè, ita cum aliis Pasqualigus *decis.* 251. *num* 2. Bonac. Villalob. Suar. & alij, quos refert, & sequitur Samuel. *Tr.* 2. *controv.* 11. *disp.* 1. Ratio est, quia subornatio non solum ordinatur ad repellandam vim ex parte contraria, sed ad malam electionem, electio enim facta, per subornationem est intrinsicè mala: ergo licet ex ea aliquando sequatur repulsio violentiæ, nunquam potest cohonestari propter malam electionem secutam: Non enim facienda sunt mala, ut veniant bona.

119 Nec obstat, quod liceat aliquando uti monopolio contra monopolium; nam monopolium moralem vim infert, quam tamen non infert subornatio, & ideò contra illud defensio licita est: sed unum ex mediis idoneis ad illius defensionem est alterum monopolium: ergo licet illud adhibere; una enim vis moralis, alia vi morali expellitur. Vide Samuelium *ubi suprà num.* 13.

Dico tertiò: Subornantes directè, vel indirectè 120
suffragiat, ad electiones, & illa procurantes, sive per se, sive per alios incurrunt privationem officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatem ad alia quæcumque in futurum. ita statuit *Clemens* VIII. in decretis pro reformatione Regularium; quod decretum fuit innovatum ab *Urbano* VIII. prout testatur Pelliz *Tract.* 9. *c.* 2. *n.* 180. Basseus *Verbo*. Electio, *n.* 14. in quo etiam decreto innovat alias pœnas latas contra hujusmodi ambientes per quas intelligit Naldus *Verbo*, Religiosus *n.* 42. illas, quæ jure communi latæ sunt contra Simoniacos. Vide Pellizz. *ibid.* Præter prædictas pœnas aliæ dantur pro particularibus Religionibus, & quoad nostram patet ex Bulla Sixti IV. in *Mari magno n.* 45. ubi Pontifex officia, vel beneficia ambientes, vel procurantes perpetuo inhabiles, ac ineligibiles facit. Aliæ etiam extant Bullæ *Clem.* VIII. pro eisdem Carmelitis, quorum meminit Samuel. *ubi suprà n.* 9. ubi etiam alias refert pro aliis Religionibus, quæ an sint in usu ipsi viderint.

Solum adverte, nostros Religiosos, etiam seclu- 121
sis prædictis Pontificiis prohibitionibus, si ausi fuerint in quacumque electione vocales subornare, vel inducere, precibus, pollicitationibus, minis, aut quocumque alio modo directè, vel indirectè, ut alteri suffragentur, vel non suffragentur incurrere pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, & privationem irremissibilem officij per triennium, ut patet ex 3. *p. nostrarum Constitutionū c.* 2. *n.* 7.

Adverte tamen, has privationes non incurri, ni- 122
si post sententiam judicis declaratoriam, tum quia non sunt ipso facto; tum, quia esto fuissent ipso facto, adhuc non incurrerentur, nisi post sententiam judicis: Nam illa verba, *ipso facto*, intelliguntur ipso facto, vel eo ipso, quod judex sententiā protulerit, ut constat ex praxi; ita cum Soto, Sanchez, Sorbo, & aliis Peyrinis *de subdito quæst.* 2. *cap.* 2. §. 10. *dicto* 3. & nos jam *suprà* tetigimus.

Adverte tandem, per subornare non intelligi conferre ad invicem, quis sit dignior, imò nec 123
simpliciter petere ab alio, ut det suffragium pro aliquo indigno, aut minus digno, nullis minis, aut precibus, aut muneribus adjunctis; nam cum subornare sit persuadere, simplex petitio non est persuasio, ac per consequens nec subornatio. Unde tales sic postulantes votum pro indigno, licet mortaliter peccent, non incurrunt tamen pœnas subornantium: ita cum Rodrig. Peliz *Tractatu* 7. *cap.* 6. *num.* 31. cum Portel Girag. *prima parte, dub.* 7. *num.* 49.

SECTIO

SECTIO VIII.

Vtrum in electione Canonica, ut sit valida, debeant Electores esse liberi à factionibus?

124 *Aliquando in Religionibus dantur factiones.*
125 *Hoc vitium in genere suo est peccatum mortale.*
126 *Principaliter pertinet ad eos, qui pacem dissolvere intendunt.*
127 *Secundario pertinet ad eos, qui Religionem scindentes sequuntur.*
128 *Qui bonum commune defendunt, non sunt dicendi seditiosi.*
129 *Quæ mala ex hac radice seditionis, & factionis oriantur?*
130 *Quæ sit radix seditionis, & factionum?*
131 *Electores, qui omnes Prælatos eligunt ferè ex suis, & eis præbent majorem partem officiorum, cum merita utriusque partis sint æqualia, peccant mortaliter contra justitiam distributivam.*
132 *Non est mortale conferre dignitatem amico, consanguineo, &c. si fiat sine pacis turbatione.*
133 *Benè tamen, si fiat causa factionis.*
134 *Factionarij sunt indigni & in malo statu.*
135 *Eligentes factionarios eligunt indignos.*
136 *Si ex una parte factionum omnes essent digniores; adhuc ex illa non essent eligendi omnes Prælati.*
137 *Generales, vel Provinciales sive factionarij, sive non, qui disponunt aliquarum domorum Familias, ut eligantur discreti, qui suffragia sibi, & amicis conferant peccant mortaliter.*
138 *Quid, si hoc faciant, ut aliqui Religiosi insignes, quorum merita, & non amicitia vota aliorum attrahant, eligantur?*
139 *Prælati factionarij, tenentur sub mortali, vel factiones abscindere, vel officia relinquere.*
140 *Tales Prælati, dum factionarij sunt, non possunt novitios ad habitum recipere.*
141 *Si illos recipiant peccant mortaliter.*
142 *Quando dicatur Religio deformata.*
143 *Religio divisa in factiones est deformata.*
144 *Etsi Religio, vel Provincia pereat, non sunt recipiendi novitij, dum Religio divisa est in factiones.*
145 *Prælati non recipientes, vel recipientes Novitios, dum Religio divisa est in factiones, quocumque se vertant, peccant mortaliter.*
146 *Prælati, dum Religio divisa est in factiones, dantes novitiis professionem, peccant mortaliter, & professio manet irrita.*
147 *Quid si Novitij resciant in Religione dari tales factiones, & adhuc velint profiteri?*
148 *Quid si non tota Religio, sed una tantum Provincia divisa sit in factiones.*
149 *Electiones Prælatorum factionariorum sunt illicitæ, non tamen nullæ, sunt tamen annullandæ?*

PRo hujus sectionis explicatione notandum est, aliquando in Religionibus dari aliquas factiones, sive seditiones, quibus unitas multitudinis dissolvitur, discordantibus inter se invicem partibus illius multitudinis: est autem hujusmodi vitium ex genere suo peccatum mortale, quia habet speciale bonum, cui opponitur, scilicet pacem, & unitatem multitudinis: principaliter pertinet ad eos, qui pacem, & multitudinis unitatem dissolvere intendunt, secundario vero ad eos, qui Religionem scindentes sequuntur; illi vero, qui bonum commune defendunt, non sunt dicendi seditiosi, sicut qui se defendunt, non dicuntur rixosi. ita pulchrè, & eleganter Girag. *prima parte, dub.* 25. *num* 134. 124 125 126 127 128

Quæ autem mala ex hac pessima radice seditionis oriantur, non est facile dictu: ex illa enim imprimis oritur injustitia, quia factionarij solum viros suæ factionis etiam depravatos reputant dignitatum dignissimos; & quamvis plura vitia, & scelera committant, eos semper innocentes proclamant: competitores vero, etiam innocentes, reputant sceleratos, & omni officio, & dignitate indignos. 129

Secundo oritur perfidia, quia factionarij adeo firmi, & stabiles sunt in suis factionibus, ut possit dici eos potius fidem negaturos, quam partem quam sequuntur.

Tertio oritur malevolentia, quæ continua est in mentibus talium hominum.

Et tandem oriuntur invidiæ, murmurationes, ambitiones, personarum acceptiones, Religionis turbatio, disciplinæ religiosæ eversio, animorum dissensiones, pacis amissio, & acquisitio discordiarum.

Horum quidem & aliorum malorum, radix est 130 seditio,

ſeditio, ſive factio: radix vero factionis, ſive ſeditionis eſt procuratio inordinatâ proprij commodi, & honoris, &c. nam cum ſolum quærant quæ ſua ſunt, & aliorum dignitates, & bona ſibi uſurpando, aliis vero labores imponendo, alios gravant, & cum eis non poſſunt habere concordiam. Unde dicebat Seneca, quod principium diſcordiæ eſt aliquid ex communi ſuum facere, ſed ex his vide latiſſimè, & eruditè Giragum *prima parte, dubio* 21. *& dubio* 16.

131 Ex hac autem doctrina plures ſequuntur reſolutiones. *Prima* eſt, Electores, qui omnes ferè Prælatos eligunt ex ſuis, & eis præbent majorem partem officiorum præſtantium, cùm merita utriuſque factionis ſint æqualia, peccare mortaliter: lædunt enim juſtitiam diſtributivam, quia multorum merita negligunt, & commutativam, quia non conſulunt bono communi, quod unitate propagatur, ſed quærunt proprium honorem, plauſum ac commodum, ſcilicet, ut ipſi conſerventur in dignitatibus, quod eſt contra proprium munus; ex qua injuſtitia mala ſuprà recenſita exoriuntur, ab ipſis ex officio vitanda.

132 Tum, quia indignos eligunt: nam licet probabile ſit non eſſe peccatum mortale conferre dignitatem amico, conſanguineo, concivi, &c. ut notavit Valentia 1. *part. quæſt.* 7. *cap.* 2. hoc tamen intelligitur, quando talis electio non fit cum pacis turbatione, & ex cauſa factionis, quæ nomine amicorum tegitur & palliatur. Quare ſi electores tales homines eligant eò, quia ſunt ex ſua factione, abſque dubio indignos eligunt:
134 Nam cum prædicti homines ſint factionarij, & partiales, ſunt in malo ſtatu, peſtiferos ſiquidem habent mores, quos latè refert Peyrinis *de Prælato*
135 *quæſt.* 2. §. 3. *cap.* 3. Giragus 1. *part. dub.* 2. *num.* 13. ergo ut tales, indigni ſunt ut eligantur.

136 Tum, quia, eſto tales digni eſſent illa dignitate, ex alia etiam parte dantur alij, vel digniores, vel æquè digni; ergo injuſtum eſt, ut omnes ex una factione eligantur; nam inde datur occaſio diſcordiæ, à qua oritur everſio totius Religionis.

Imò addo, quod etiamſi ex una parte factionis eſſent aliquantulum digniores, adhuc omnes Prælati ex tali factione non eſſent eligendi, quia dignior debet ſuſtinere, ut alter dignus ſibi anteponatur propter bonum communè, quod ſequitur ex electione concordi, ut cum D. Thom. & Salonio notavit Giragus 1. *part. diſp.* 2. *num.* 17. Tum, quia major dignitas non ſumitur ex perſonarum qualitatibus in ſe conſideratis, ſed in ordine ad utilitatem, ac neceſſitatem Eccleſiæ, & ad pacem, & bonum commune Religionis: In hoc caſu convenit, ut ex utraque parte Prælati eligantur, ergo non omnes unius partis cenſendi ſunt digniores, ut eligantur.

Secundo ſequitur Generales, vel Provinciales, 137
ſive factionarios, ſive non factionarios, qui diſponunt aliquarum domorum Familias, ut eligantur diſcreti ſive ſocij pro Capitulis, qui ſuffragia ſibi, & amicis pro Prælaturis in Capitulo conferant, peccare mortaliter. Nam, ut *ſuprà* diximus, ad ipſos ſpectat in Provincia pacem fovere, juſtitiam ſervare, ſed ex hac diſpoſitione Familiarum hæc omnia damna oriuntur, cùm inde ſequatur eligi omnes ex una tantum factione, cum invidia, & oppoſitione alterius, ut latè cum aliis probat Giragus *loc cit. dub.* 5. *n.* 38. ergo.

Excipe, niſi hoc faciant prædicti Prælati, ut 138
aliqui Religioſi inſignes, quorum virtutes, & merita attrahunt vota Electorum potius quam amicitia, eligantur, ut rectè etiam advertit Giragus ubi *ſuprà num.* 38.

Tertiò ſequitur hujuſmodi Prælatos factiona- 139
rios teneri ſub mortali, vel factiones abſcindere, & pacem, ac unionem introducere, vel officia dimittere. Ratio eſt, quia aſſumendo officium, ubi communiter violatur lex divina, aliaque præcepta, non intendens efficaciter emendationem, peccat mortaliter, non ſolum acceptando, ſed etiam permanendo in tali officio, cum teneatur vitare periculum probabile peccati, ut rectè notavit Corduba in *Regulam S. Franciſci cap.* 10. *q.* 7. *P.* 1. Giragus *parte* 1. *dub.* 15. *num.* 90. ſed impoſſibile eſt aſſumere Prælatiam in caſu jam dicto, & non violare in multis legem Dei, cum ipſimet factionarij (ut *ſupra* diximus) ſemper ſint in malo ſtatu: ergo Prælatus, qui talem prælatiam acceptavit, in quo maximè peccavit, tenetur vel ſtatim illam dimittere, ut à peccato factionariorum evadat, vel factiones omnino abſcindere, & pacem procurare.

Imò addo, tales Prælatos dum in miſerabili fa- 140
ctionum ſtatu perſeverant, non poſſe novitios recipere ad habitum, nec eos licitè inducere, ut talem Religionem ingrediantur; ſiquidem inducere aliquem, ut deformatam Religionem aſſumat eſt peccatum mortale, ut cum Ludovico Lopez notavit Giragus *parte* 1 *dub.* 10. *num.* 65. ſed hujuſmodi Provincia maximè eſt deformata

ob

ob radicatas factiones in electionis materia: ergo ad illam inducentes, & recipientes movitios, peccant mortaliter. Probatur minor, quia tunc
142 Religio est deformata, quando in ea parum exemplariter vivitur, & inter majores & minores est communis, & nimia relaxatio, ut docent Cajetanus, Cordub. Miranda, quos refert & sequitur Giragus *part.* 1. *dub.* 10. *numero* 61. sed talis Provincia, cum sit divisa in factiones in umbra
143 mortis ac malo statu, vitam degit, tum propter seditionem, tum propter alia scelera, quæ ab ipsa seditione oriuntur, quæ *suprà* retulimus: inducentes sæculares, ut talem intrent Religionem, & illos recipientes absque dubio peccant mortaliter, cum eos constituant in probabili periculo damnationis æternæ.

144 Nec obstat, quod si Novitij non recipiantur, Provincia periret cũ scandalo sæculariũ? Respondetur namque non esse facienda mala, ut inde veniant bona, : unde, ut Provincia conservetur, non sunt
145 cum peccato Novitij recipiendi, in hoc enim conflictu se ponunt Prælati factionarij, quod vel debent deponere factiones, vel quocumque se vertant peccabunt mortaliter: Nam si Novitios recipiant, peccant mortaliter, quia eos ad peccatum inducunt: si non recipiant peccant gravissimè, quia permittunt, ut pereat Provincia cum scandalo sæcularium, pro cujus conservatione debebant non solum dimittere factiones, sed officia, & propriam vitam: ergo, ut ab his vinculis liberentur, tenentur toto corde prædictas factiones extinguere, & illorum Capita resecare.

146 Addo præterea, quod si non tantum una Provincia, sed tota Religio divisa sit in factiones, non solum tales Prælatos peccare mortaliter ipsos Novitios ad habitum inducentes, vel recipientes,
147 sed si eos recipiant ad professionem, manere irritam, nisi alias ipsis Novitiis manifestent lamentabilem statum Religionis, & ipsi nihilominus eo cognito adhuc in ea velint profiteri, ita Giragus *part.* 1. *dub.* 11. *num.* 72. Ratio est, quia deceptio circa substantialia, vel quasi substantialia Religionis annullat professionem ut tradunt communiter DD. sed deceptio notabilis circa institutum, & substantialia Regulæ pertinet ad substantialia Religionis, ut tradunt DD. Sanchez, Suar. quos refert, & sequitur Giragus *ubi suprà*: ergo cum hic Novitij decipiantur in statu assumpto, cum putantes se suscipere statum, imaginem Paradisi putatum, ob concordiam, pacem, & charitatem, de facto assumunt statum plenum vitiis, discordiis ac invidiis: in quo rixæ, & seditiones paucis parcunt, in quo odia, quasi versa in naturam, à factionariorum cordibus nutriuntur, in quo calumniæ ac murmurationes ultrò, citroque excitantur, proculdubio eorum professio manet irrita.

Dixi, *si tota Religio, & non tantum una Provincia* divisa sit in factiones; nam cùm contractus 148
professionis non fiat cum una tantum Provincia, sed cum tota Religione, si alias corpus Religionis est sanum, etsi una Provincia, vel duæ sint hoc pestifero morbo infectæ, non inde annullabuntur professiones.

His ergo suppositis, & præceptatis, quæstio oritur, an electiones talium Prælatorum factionariorum non solum sint illicitæ, ut satis in superioribus manet probatum, sed etiam ipso jure nullæ?
Respondeo negativè, ita Giragus *p.* 1. *dub.* 19. *n.* 149
108. Ratio est, quia non invenitur textus invalidans eas ex eo, quod electi sint unius partis illius Provinciæ in factiones distractæ.

Nec obstat, quod Electus sit malus, & existens in peccato mortali, ac per consequens indignus, ut eligatur. Respondetur namque peccatum Electi si non sit ex eis, quibus in jure annectitur annullatio electionis, non reddere ipso jure nullam electionem, sed tantum illam reddere annullandam, & cassandam per sententiam, si delictum sit publicum, & notorium, ut notavit Peyrinis *de subdito q.* 1. *cap.* 31. §. 3. Quare cùm impossibile moraliter sit probare hujusmodi delictum factionum esse notorium propter infinitas tergiversationes, duæ pro ejus velamine adduci possunt, ideo ex hoc solo capite non sunt tales electiones annullandæ, sed debent confirmari à Superiore, ita & benè cum aliis Giragus *p.* 1. *dub.* 12. *num.* 112.

SECTIO IX.

Vtrum, ut electio sit valida, Electores debeant esse liberi à vitio Simoniæ?

150 *In multis casibus potest admitti Simonia in electionibus.*

151. *Primo admittitur Simonia, si Religiosi dent aliquod munus temporale, vel à manu, vel à lingua, vel ab obsequio pro consequendis dignitatibus.*

152 Secundo si dent aliquid ex assignatis pro obtinendo alterius suffragio in electionibus.

153 Tertio, si pro suffragio offerendo beneficium, vel res spiritualis promittatur.

154 Quarto, si aliquis privatus jure eligendi, det aliquod munus alicui, ne accusetur.

155 Quinto, si det pecuniam alicui, ne suffragetur, vel ne det votum alicui in electione.

156 Sexto, si cum duo sint electi, unus det alteri pecuniam, ut desistat à lite, quam justè sequi poterat, vel ne expensas justas opponat.

157 Septimo, si testes corrumpat pecunia, ut mediante eorum falso testimonio prælatiam assequatur.

158 Octavo, si Petrus petat à Paulo mediante pecunia, ut Electores inclinet, &c.

159 Nono, si subornatione subornationem destruere conetur.

160 Si media pecunia electores subornet, & si sciat ipsos subornatos esse à suo competitore.

161 Decimo, si antequam habeat jus in re det pecuniam Electoribus, ad redimendam vexationem injustam.

162 Vndecimo, si det pecuniam, ne elector opponat, etiam ex odio vera crimina, ne eligatur.

163 Duodecimo, si det pecuniam alicui, qui nec sit elector, nec confirmator, ne detegat ejus crimina, quæ volebat detegere zelo bonæ electionis.

164 Decimo-tertiò, si det alicui pecuniam, ut metum Competitori incutiat, ut desistat à concursu circa electionem.

165 Decimo-quartò, si det pecuniam pro cessione juris spiritualis, ad redimendam vexationem nolentis cedere.

166 Decimo-quintò, si contradicentibus Electoribus, non jure, sed de facto, electus det pecuniam, ne contradicant.

167 Decimo-sextò, si unus Electorum aliis dicat v. g. nunquam me vivente Antonius fiet Prior, nisi etiam fiat Petrus.

168 Decimo-septimò, si Electores conventionem inter se faciant, ut unus suffragetur uni in una electione, & alter alteri in altera.

169 Quid, si tantum declarent mentem suam non paciscendo?

170 In Electionibus non licet pacisci de commodis electionis.

171 Electoribus proponore mutuum commodum, non est Simonia, benè tamen de illo pacisci.

172 Si quis dicat, ego eligam amicum Petri, si ille eligat hunc amicum meum, non est Simonia.

173 Hic modus proponendi mutuum commodum est licitus, si ex malo fine non vitietur.

174 Qui sic suam mentem aliis declarant, non sunt dicendi ambitiosi.

175 Si eligendus diceret electoribus se non fore ingratum, non incurrit Simoniam.

176 Quando licitum est sine Simonia dare temporale pro spirituali, ut si detur ex gratitudine, vel benevolentia, &c. licitum est etiam de hoc ipso conventionem facere.

177 Praxis, quæ datur in aliquibus Religionibus, in quorum Capitulis Electores ante electionem inter se conveniunt, ut v g. Petrus eligatur in Generalem, & Franciscus in Provincialem, & sic de cæteris, non continet Simoniam.

178 Sic convenientes non se obligant ad standum promissis, sed adhuc possunt alios eligere.

179 Dantur aliqui casus, in quibus licitum est offerre pecuniam in electionibus absque labe Simoniæ.

180 Primò, si detur aliquod munus non solum, ut non eligatur indignus, sed etiam dignus in communi, in casu, quo electores essent determinati eligere indignum.

181 Si unus tantum reperiatur idoneus, & electores sint determinati ad eligend. alios, potest illis offerri pecunia, ut eligatur idoneus.

182 Secundo potest offerri pecunia illi, qui non est elector ad redimendam vexationem, ut si dares ei pecuniam, qui non est elector, ne te infamet, aut detrudat in carcerem.

183 Vel si dares pecuniam, ne contra te subornet electores.

184 Potest dari pecunia illi, qui non potest prodesse electioni, ut desistat ab oppositione veri criminis, quando is aperit crimen, ut prætendens beneficium impediatur, & loco ipsius alius dignus eligatur.

185 Vel quando valet ex odio objicere vera crimina, ad impediendam electionem alicujus.

186 Quid, si talis vellet objicere vera crimina ex zelo ad impediendam electionem?

187 Non incurrit Simoniam, qui offert pecuniam electori, ne injustè eum infamet.

188 Incurrit simoniam, si offerat pecuniam, ne vera crimina aperiat.

189 Non incurrit Simoniam, qui præbet pecuniam ad hoc, ut electio fiat juridicè.

190 Vel si præbeat pecuniam electoribus, ut consentiant, quod fiat electio ad redimendam vexationem, quam patitur Ecclesia.

191 Tertio

191 *Tertio potest dari pecunia, ut restituatur officium illi, qui injustè fuit illo privatus, ac suspensus.*

192 *Potest quis licitè dare pecuniam ad retinendam Prælatiam, in quam fuit electus, & confirmatus.*

193 *Vel ad recuperandam possessionem à qua fuit ejectus,*

194 *Non potest pecunia absque simonia dari ad redimendam vexationem, si electus vexetur per viam juris circa possessionem jam habitam, sive jus dubium sit, sive non.*

195 *Qui est in possessione beneficij, non potest illud alteri relinquere prætendenti, ob aliquod pretium absque Simonia.*

196 *Committit Simoniam, qui alteri dat pecuniam, ne opponat in electione exceptionem, quam jure potest opponere, vel concurrenti, ut à concursu desistat.*

197 *Committitur Simonia, si aliquis paciscatur cum alio, ne concurrat in hac electione, & ille non in subsequenti.*

198 *Omnis electio, provisio, & nominatio, & confirmatio beneficij Ecclesiastici, sive curati, sive simplicis simoniace facta, est ipso jure nulla.*

199 *Sic provisus simoniacè non incurrit ipso facto privationem aliorum beneficiorum, antea acquisitorum, nec inhabilitatur ad alia in futurũ, nisi simonia sit confidentialis, sed debet expectare judicis sententiam.*

200 *Tam conferentes quam acceptantes ac mediatores, non tamen non revelantes, simoniacè beneficia, incurrunt excommunicationem ipso facto Papæ reservatam.*

201 *Acceptantes beneficium per ignorantiam simoniæ commissæ, non incurrunt dictam excommunicationem.*

202 *Incurrunt tamen privationem, ipso jure, beneficiorum sic acquisitorum, & tenentur ea renuntiare, & hoc, etsi unus tantum ex electoribus commiserit Simoniam, aliis id ignorantibus, imò ipsomet electo inscio.*

203 *Quid si aliquis in fraudem corrumperet aliquem electorē pecunia, ne valida sequeretur electio?*

204 *Quid si suffragium illius, qui simoniam commisit, non fuerit necessarium?*

205 *Si electus scivit tractatum de dando pretio, & voluntatem depravatam electoris, & contradicit, valet provisio.*

206 *Quid, si scivit pecuniam de facto datam fuisse electori à tertia persona, eo ignorante.*

207 *Si nesciens delictum, quia tamen timuit contradixit, provisio est valida, sive pecunia fuerit data, ab amico ejus, sive inimico.*

208 *Si non obstante contradictione ante collationem scivit simoniam esse commissam, & adhuc beneficium accepit, nulla est collatio.*

209 *Quid, si ante collationem electus mutat animum?*

210 *Quid, si post collationem approbavit factum, etiam dando pecuniam, quam alius solverat.*

211 *Nomine beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ pœnis simoniæ subjecta sunt, si per simoniam completam recipiantur, stando in jure communi, probabile est non venire beneficia regularia sive habentia jurisdictionē, sive non.*

212 *Contraria sententia probabilior est.*

213 *Quid dicendum sit de jure nostro & aliarum Religionum?*

214 *In opinione, quæ ait officia Regularium venire nomine beneficiorum, ad incurrendas pœnas simoniæ, requiritur quod pecunia realiter sit data, & prælatia realiter acceptata.*

215 *Non datur Simonia, etsi datum sit instrumentum pecuniæ alteri, qui dedit beneficium.*

216 *Probabile est pœnam simoniæ non comprehendere committentes simoniam, jure tantum Ecclesiastico prohibitam, ut si detur conventio inter electores, elige me in Provincialem, & ego te eligam in priorem.*

217 *Tales convenientes peccant mortaliter, non tamen incurrunt privationem beneficiorum, aut excommunicationem, etiam stando in sententia, quæ asserit Prælatias Regulares comprehendi sub pœnis simoniæ, excepta simonia confidentiali.*

PRo hujus sectionis faciliori intelligentia, antequam ad illius principalem resolutionem deveniamus, prius congruum existimavi exponere, quæ electiones sint, vel non sint per Simoniam celebratæ, & deinde ad principale quæsitum, an scilicet electiones per simoniam celebratæ sint validæ? Respondebimus.

Dico igitur *primò*, Simoniam, de qua hic est sermo, in multis casibus posse committi à Religiosis. 150

Primo quando dant aliquod munus temporale, vel à manu, vel à lingua, vel ab obsequio pro consequendis dignitatibus Ecclesiasticis, v. g. Abbatio, Prioratu, Generalatu, Provincialatu, Definitoriatu, seu pro licentia audiēdi confessiones, prædicandi, 151

dicandi, Ordinis recipiendi, seu à casibus reservatis absolvendi: ita habetur in *Cap. non satis*, & in Cap. *mandato de simonia*: Ratio verò est, quia dare aliquod temporale pro re spirituali, simonia est: ita cum aliis communiter Peyrinis de *subdito q.* 1. *cap.* 31. §. 9. imò alij hoc etiam extendunt ad illos, qui dant aliquid temporale pro consequendo officio sacristæ, vel Procuratoris Ordinis; habetur hoc etiam expresse in Cap. *Salvator* 1. *q.* 3. Bonacina *de simonia q.* 5. *num.* 7. Lezana *Tom.* 1. *c.* 15. *num.* 28.

152 *Secundò*, quando dant aliquid ex assignatis pro obtinendo alterius suffragio in electionibus: ita Peyrinis *ubi suprà*.

153 *Tertiò*, Si pro suffragio ferendo beneficium aliquod, vel res spiritualis promittitur. *Azor. Tom.* 3. *lib.* 12. *cap.* 7. *q.* 1.

Quartò, Si aliquis privatus jure eligendi, det aliquod munus alteri, ne accusetur.

154 *Quintò*, Si det pecuniam alteri, ne consentiat in electionem, seu ne suffragetur alicui digno, seu ne repugnet juste alicui electioni: ita cum Peyrino, & aliis Lezana *ubi suprà n.* 30.

155 *Sextò*, Si cum duo sint electi in aliquod officium
alter eorum det alij pecuniam, ut desistat à lite,
156 quam justè sequi poterat. Peyrinis *de subdito q.* 31.
§. 9. Licet oppositum teneat, Ioannes Pontius, quem refert Diana 11. *p. tr.* 6. *resol.* 7.

157 *Septimo*, Si cum duo sint electi, unus det alteri pecuniam, ne exceptiones justas, vel defectus opponat, ita cum Suar. Tancred. *de Simonia tr.* 2. *lib.* 4. *disp.* 34. *quæsito* 1. *n.* 7.

158 *Octavo*, Si testes corrumpat pecunia, ut mediante eorum falso testimonio prælatiam assequatur. Navarrus, Suarez, quos refert, & sequitur Tancred. *ubi supra*.

159 *Nono*, Si Petrus petat à Paulo, pecunia mediante, ut etiam electores inclinet, ac propensos reddat: vel si subornationem subornatione destruere conetur, v. g. si sciat electores à suo competitore mediâ pecuniâ fuisse subornatos; & ipse mediâ pecuniâ electores subornet, ut pro se ferant suffragium: ita cum Suarez & aliis Tancred. *ibid. quæsito* 2. *n.* 9.

160 *Decimò*, si antequam habeat jus in re, det pecuniam electoribus ad redimendam vexationem injustam. ita cum aliis Tancred. *ibid. num.* 11. licet oppositum cum aliis, ut probabilius teneat Pasqualigus *decisione* 241. *n.* 3.

161 *Undecimò*, Si pecuniam det, ne elector etiam ex odio ei opponat vera crimina, ne eligatur. ita cum multis Tancred. *quæsito* 5. *num.* 31. contra Pasqualig. *decis.* 238. *n.* 2. ubi ait posse dari pecuniam electori, ne detegat crimina vera, si alias non tenetur ea opponere, & alias non sint crimina illum pro electione inhabilitantia.

Duodecimò, Si det pecuniam alteri, qui nec sit 162
elector, nec confirmator, ne detegat ejus crimina vera, quæ volebat detegere zelo bonæ electionis; nã hic non datur vexatio cum justa vexatio, non sit vexatio. ita cũ Suarez, Tancred. *ubi suprà n.* 2. Diana *Tom.* 11. *tr.* 6. *resol.* 31. contra Pasqual. *decis.* 237.

Decimo-tertiò, Si det alicui pecuniam, ut me- 163
tum competitori incutiat ad hoc ut desistat à concursu circa electionem ad beneficium; mediante enim pecunia parat sibi viam ad electionem. Tancred. *loc. cit. n.* 59. Diana 11. *p. tract.* 6. *resol.* 31.

Decimo-quartò, Si det alteri pecuniam pro ces- 164
sione juris spiritualis ad redimendam vexationem nolentis cedere. Tancred. *n.* 38. Diana 11. *p. tract.* 6. *resol.* 31. contra Pasqualig. *decis.* 241.

Decimo-quintò, Si contradicentibus electori- 165
bus non jure, sed facto det pecuniam, ne contra- 166
dicant Pelizz. *Tract.* 9. *c.* 2. *n.* 63.

Decimo-sextò, Si unus electorum aliis dicat *nun-* 167
quam me vivente Antonius fiet prior, nisi etiam fiat Franciscus, pro quo ego rogavi. ita Sylvester & alij, quos refert, & sequitur Samuellius *Tract.* 2. *disp.* 2. *controvers.* 3. *n.* 19.

Decimo-septimò, Si electores conventionem, seu 168
pactum inter se faciant in electionibus, ut unus suffragetur uni, in una electione, & alter in alià, ut si dicant: *si dederis mihi, vel amicis meis tuum votum, dabo tibi vel amicis tuis meum, vel placeat vobis meis suffragari & mihi placebit vestris, &c.* vel *Elige me in Generalem, & eligam te in Priorem.* ita habetur in *cap. quam pio.* 1. *q.* 2. *& cap. pactum de pactis*, ita Navarrus, Reginaldus, quos refert, & sequitur Lezana *Tom.* 1. *c.* 15. *n.* 29. & alij communiter.

Dixi, *Si faciant pactum, & conventionem inter se*; 169
nam si tantum declarent mentem suam in paciscẽdo, probabile est non committi Simoniam, cum alter maneat sui juris in ordine ad electionem, & illa conditio, quæ opponitur se habet per modum beneficij compensandi ex gratitudine. ita Rodriguez, quem refert, & sequitur, Pasqualigus *decis.* 226. *num.* 2.

Nec obstat, quod in electionibus non lice- 170
at pacisci de commodis electionis. Nam licet hoc verum sit, ut cum Cælestino, Villalobos, Diana, & alijs communiter docet Samuelius *Tract.* 2. *disp.* 2.

contro-

controversia 5. *n.* 3. aliud tamen est pacisci, & aliud
171 electoribus proponere mutuum commodum, si eligantur hæ, vel illæ personæ, seu si ostendat voluntatem eligendi aliquem, si talis tamen prius eligatur, ut si quis dicat: *ego eligam amicum Petri, si*
172 *ille eligat meum amicum.* Primo modo involvitur obligatio, quæ sequitur ex natura pacti; Unde in
173 hoc sensu rectè dicunt DD. non posse pacisci de commodis electionis: Posteriori verò modo non inducitur obligatio, sed solùm est quædam suasio, qua electores inducuntur ad eligendum aliquem, oblata spe alicujus commodi, quæ ex alterius electione sequatur: remanent tamen plenè undequaque liberi, qui modus est licitus, nisi ex malo fine, vel circumstantiis vitietur; ita ut probabile saltem speculativè, tenet Samuelius *Tract.* 2. *disp.* 2. *controvers.* 5. *n.* 5. & absolutè eam tenet Pasqual. *decis.* 225. *n.* 4.

174 Nec qui sic suam mentem aliis declarant, censentur ambitiosi, nam ipsi non intendunt quomodocumque eligi sive digni, sive indigni sint, ut suppono, in quo consistit ambitio: sed ex suppositione quod sint digni tantùm intendunt allicere ad electionem protestatione gratitudinis, in quo nulla reperitur ambitio, quia alliciunt se magis di-
175 gnos ostendendo; nam gratitudo est aliquis titulus propter quem redduntur digni, & fiunt digniores in comparatione illorum, qui carent gratitudine, & hac ratione, si eligendus electoribus diceret, se non fore ingratum, non incurreret Simoniam, ut cum Soto notavit Giragus *p.* 1. *dub.* 8. *n.* 56.
176 nam nil ex pacto promittit, sed tantùm gratitudinem, quæ ipsi actui inest.

Imò addo, quòd eo modo, quo licet sine labe Simoniæ dare temporale pro spirituali, licitum etiam esse de eo ipso conventionem facere, ut si detur ex gratitudine, vel benevolentia, vel ex justitia, non quidem pro re spirituali, ut spiritualis est, nec tanquam pretium, sed ob aliquam aliam rationem licitam, & à jure concessam; ita Vidal *titulo* de simonia, *inquisit.* 2. *num.* 45. Diana *p.* 11. *tract.* 6. *resolut.* 31.

177 Hac etiam ratione excusatur praxis, quæ datur in aliquibus Religionibus, nimirum quòd in Capitulis, in quibus fiunt diversæ electiones, Electores in tractatu electionis alicujus in Generalem
178 & Provincialem conveniunt, ut postea tales eligantur in Provinciales, vel Priores; nam per hoc non se intendit Generalis, vel Provincialis obligare, nec promittunt aliquid à sola sua voluntate dependens, siquidem quantumvis electus id promittat, adhuc possunt Electores alium eligere: Unde ista praxis potius est quædam convenientia, & concordatio electionum faciendarum ad terminandum tractatum electionis, quàm promissio; ita cum Peyrinis, Diana, Villalob. Navarro, & aliis Pellizzar. *ubi supra num.* 66. qui omnes advertunt, hæc deberi intelligi, dummodò nulla intercedat conventio, vel pactum, aut conditio.

Dico II. Dantur etiam aliqui casus, in qui- 179
bus licitum est offerre pecuniam in electionibus absque labe Simoniæ.

Primus est, si detur aliquod munus non solum, ut non eligatur indignus, sed etiam, ut eligatur dignus in communi, in casu quo Electores essent
determinati eligere indignum; nam hoc non est 180
dare pretium pro re spirituali, sed redimere vexationem, quæ fit Religioni, si illi præficiatur indignus; Sotus, Valen. Barb. quos refert, & sequitur Lezana *ubi supra n.* 31.

An autem possit offerri pecunia electoribus, ut dignissimum eligant, in casu quo vehementer timeatur, electores velle eligere minus dignum? negat cum aliquibus Tancred. excepta Summi Pontificis electione, *Tract.* 2. *lib* 4. *de Simonia disput.* 34. *quæsito* 4. *n.* 24.

Contraria tamen sententia probabilior est, quam tenent Toletus, Lessius, Valentia, Suar. Navarr. quos refert, & sequitur Palaus *disp.* 3. *de Simonia p.* 20. *num.* 8.

Imò, si tantùm unus reperiatur idoneus ad ta- 181
lem Prælatiam, & Electores sint inclinati in alios, potest illis offerri pecunia, ut ille idoneus eligatur; ita cum Lessio, Basilio, Soto, Navarro, Valent. Palaus *ubi supra n.* 9.

Secundus casus est, si detur pecunia alicui, qui 182
non habet suffragium in electione ad redimendum propriam vexationem v. g. si dares pecuniam, ne aliquis, qui non est elector te infamet, aut detrudat in carcerem, ne accedas ad Capitulum; vel si dares pecuniam, ne contra te subornet Electores; ita cum Peyrino, & aliis Pelliz. *Tract.* 9. *ca-*
pit. 2. *n.* 63. Vel si dares pecuniam alicui, qui non 183
potest prodesse electioni, ut desistat ab oppositione veri criminis, quando hic talem oppositionem parat ad hoc, ut prætendens beneficium impediatur, & loco ipsius alius, alioquin immeritus eli-
gatur: vel quando volet ex odio objicere vera cri- 184
mina ad impediendam alicujus electionem; ita
cum aliis Tancred. *ubi supra num* 30. Non tamen 185
si talis vellet objicere crimina ex zelo ad impedi-
endam electionem; ita Tancred *num.* 33. contra 186

Pasqualigum *decisione* 237. Vel si aliquis offerat pecuniam electori, ne injustè eum infamet; secus si præbeat pecuniam, ne vera crimina aperiat,
187 ne eligatur; Tancredus *num.* 13. *& num.* 30 Vel si aliquis det pecuniam ad hoc, ut electio fiat juridicè, hoc est, servata forma scrutinii, etiamsi fiat de personæ determinatæ electione; ita cum Sanchez
188 Tancredus *nu.* 37. Vel si Electoribus, qui volunt
189 impedire, ne fiat electio, detur pecunia, ut consentiant quod fiat electio ad redimendam vexatio-
190 nem, quam patitur Ecclesia, non habens Pastorem; Lezana *loc. cit. n.* 31.

191 *Tertius* casus est, si detur pecunia, ut restituatur officium illi qui injustè fuit illo privatus, aut suspensus; Lezana *ibidem.* Vel si quis sit electus ad prælaturam, & confirmatus, & injustè vexantibus solvat pecuniam ad retinendam Prælatu-
192 ram; Pelliz. *ubi supra n.* 63. Vel ad recuperandam possessionem, à qua injustè fuit ejectus; Tancre-
193 dus *n.* 18. & alii. Nam licet possessio sit annexa rei spirituali, illa tamen non redimitur secundùm talem annexionem, sed tantum secundùm se, prout est quid facti.

194 Sed quæres, quid dicendum sit, si electus vexetur per viam juris circa possessionem jam habitam? Respondeo nullo modo posse pecuniam dare absque Simonia ad redimendam vexationem, sive jus dubium sit, sive non; ita Tancred. *n* 44. Diana *part.* 11. *tract.* 6. *resolut.* 31. & alii communiter contra Pasqualigum *decisione* 244. *n.* 2. quia redimeretur possessio, ut annexa juri spirituali, & ex parte ipsum jus. Nam qui habet possessionem beneficii, & non habet jus stabile, si det pecuniam, nec hoc jus juridicè impugnetur, jam vult redimere jus intentius, cùm videat quod id, quod habet, est dubium & remissum, ita ut possit ab illo tolli.

195 An autem ille, qui est in possessione beneficii possit illud relinquere alteri prætendenti ob aliquod pretium ab illo receptum? Affirmat Joannes Pontius, quem refert Diana 11. *p. tr.* 6. *resol.* 7. Ego tamen parti adhæreo negativæ. Nam dando possessionem beneficii dat rem spiritualem cum tali possessione conjunctam pro pretio; Unde ab hac sententia recedit Diana *ibidem.*

Idem dicendum existimo, si det pecuniam alicui, ne illi in electione opponat exemptionem, quam jure potest opponere, vel concurrenti, ut à
196 concursu desistat; hoc enim pacto, mediante pecunia paratur via ad beneficium; sicut si daretur pecunia competitori, ut desistat à præsentatione; ita cum communi sententia Tancred. *loc. cit. n.* 47. contra Pasqualigum *decisione* 247. *&* 248.

An autem sit etiam Simonia, pacisci cum ali- 197
quo ne concurrat in hac electione, & tu non concurres cum eo in sequenti? Negat Pasqualigus *decisione* 249. Affirmat tamen Tancred. Nam per cessationem concursus alterius, paratur via facilius ad beneficium.

Dico III. Omnis electio, provisio, nomina- 198
tio, & confirmatio beneficii Ecclesiastici, sive Curati, sive simplicis, Simoniacè facta, est ipso jure nulla, ante omnem judicis sententiam, etiam declaratoriam nullumque jus, vel effectum confert, & qui sic electus est, tenetur in conscientia Prælaturam renuntiare, nec potest absolvi priusquam renuntiet; ita habetur in *Extravagant.* 2. *de Simonia*, & tenent communiter DD. etiamsi Simonia sit occulta, ut probat cum Suarez, Peyrinis *de subdito quæst.* 1. *cap.* 31. §. 9. *dicto* 18. non ta- 199
men incurrit ipso facto privationem aliorum officiorum, nec inhabilitatur ad alia in futurum (excipe, nisi Simoniam confidentialem commiserit) sed debet expectare sententiam declaratoriam judicis; ut cum multis DD. in utroque casu tenet Peyrin. *ibidem.* Tancred. *Tract.* 2. *lib.* 4. *de Simonia, disp.* 4. *num.* 1. Incurrunt tamen excommunicationem ipso facto Papæ reservatam, tam conferentes, quàm acceptantes, ac mediatores, non tamen 200
non revelantes ex Bulla Pauli II. quæ est 2. *de Simonia* in Extravaganti *Communes*, quæ postea fuit confirmata per Bullam Pii V. ut cum aliis notavit Peyrin. *ubi supra dicto* 2. Tancred. *disputat* 38. *num.* 12.

Adverte tamen, quod dictam excommunica- 201
tionem non incurrunt acceptantes Simoniacè beneficium ex ignorantia Simoniæ commissæ, cùm isti nullum peccatum commiserint, ut cum Aragonio notavit Peyrinis *ibidem*, incurrunt tamen 202
ipso jure privationem officiorum Simoniacè acquisitorum, & tenetur ea renuntiare: Idque etsi unus tantum ex Electoribus sit Simoniacus, aliis id ignorantibus, imò & ipsomet electo inscio, nisi fortè corruptores illum corrumpere studuissent in fraudem, ne eligeretur, ut habetur expressè in Cap. *nobis*, *de Simonia*; quin etiam hoc 203
idem verum est, etsi suffragium illius, qui per Simoniam fuit corruptus non fuisset necessarium; 204
Cap. *Matthæus de Simonia*; ita Peyrinis *ubi supra.*

Adverte etiam, quod si electus scivit tractatum 205
de dando pretium, & voluntatem depravatam Prælati, & contradixit, valet provisio; non ta- 206
men

men si scivit pretium jam fuisse datum à tertia persona, etiam eo ignorante, quia verè Simoniacè accepit; ita cum Suar. Palao, Filliucio & aliis Tancred. *ubi supra disp.* 39. *n.* 11.

207 Idem dicendum est, si nesciens delictum, quia tamen timuit contradixit, nam in hoc etiam casu valet collatio, sive pecunia data sit ab amico ipsius; sive ab inimico; ita cum prædictis DD. Tan-
208 cred. *num.* 16. Tamburin. *Tomo* 1. *disput.* 10. *quæsito* 3. *num.* 8. At si non obstante contradictione, ante collationem scivit Simoniam esse commissam, & nihilominus beneficium accepit, nulla est collatio, quia jam illud obtinuit Simoniacè; ita cum Suarez, Tancred. *ibid*; licet oppositum probabiliter etiam teneant Tolet. Bonac. Reginald. quos ibi refert Tancred.

209 Excipe, nisi aliàs ante collationem electus mu-
210 tet animum, secus si post collationem approbaverit factum, etiam dando pecuniam, quam alius solvit, nam licet in his casibus verum sit incurrere Simoniam, non tamen aliis pœnis, ipso jure subjacet; licet probabile sit posse per judicis sententiam beneficio privari; ita cum aliis Tancred. *ubi supra n.* 18. Vide Tambur. *loco citato n.* 9.

211 Dico IV. Stando in jure communi nomine beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ prædictis pœnis subjecta sunt, si per Simoniam realem completam conferantur, satis probabile est, non venire officia Regularium, sive habentia jurisdictionem spiritualem, sive non: ut Officium Generalis, Abbatis, Prioris, Procuratoris, Definitoris, Provincialis, Consultoris, Vicarii perpetui, *&c.* sed tantùm beneficia Ecclesiastica sive curata, sive simplicia, quæ sunt vera beneficia; ita Bonacina, Lessius, Navarrus, Azor. Barbosa, Peyrinis, quos refert, & ut probabile docet Tancred. *ubi supra disput.* 39. *num.* 31. Angelus, Rosella, Tabiena, Silvester, Salcedo, Summa Confessorum, quos refert & sequitur Peyrin. *loc. cit. dicto* 21. Lezana *Verbo* Simonia *num.* 29. Bordonus *Tom.* 1. *decis.* 26. *n.* 34. Sanchez, quem refert & sequitur Escobar in Examine Theologiæ moralis, *tract.* 6. *examine* 11 *de Simonia cap.* 6. *nu.* 44. licet contrarium cum aliis
212 doceat Suarez, Armilla, Reginaldus, quos refert Peyrin. *ubi supra*, & ut probabilius tenet Tancred. *loc. cit.* & cum multis etiam docet Tamburinus *Tomo* 1. *disputat.* 10. *quæsito* 5. *num.* 3. & loquendo de jure novo Samuellius *Tract.* 2. *disp.* 3. *controversia* 2. *n.* 6. Basseus *verbo* Simonia 6. *n.* 2.

Ratio verò est, quia prædicta officia regularia non sunt propriè beneficia, cùm non habeant præbendam, unde Constitutio pœnalis, non est extendenda; sed strictè interpretanda. Unde illa verba *in Ecclesiis & Monasteriis* addita, in dicta *Extravaganti* fuêre adjecta ad comprehendenda beneficia regularia, non verò dignitates & Prælatias regulares.

Dixi, *stando in jure communi*, quia in nostra, 213
& in aliquibus aliis Religionibus incurrunt privationem officiorum, & inhabilitatem; imò & excommunicationem, ut *supra* diximus, & notavit Bordonus *ubi supra*, sed de his vide Sigismundum *dub.* 56. *num.* 8.

ADVERTE tamen, quod stando in secunda sen- 214
tentia, quæ quidem probabilior est, ad incurrendas pœnas necessario requiri pecuniam acceptam esse, ac realiter datam, & Prælatiam realiter acceptatam, aliàs minimè eas incurreret, sic enim observat stylus Curiæ, & tenet cum Azor. Peyr. Navarro, & aliis communiter Samuellius *controv* 4. *n.* 3. Pelliz. *Tract.* 9. *c.* 2. *n.* 67.

Imò addo non esse Simoniam completam, et- 215
iamsi instrumentum pecuniæ factum sit & traditum alteri, qui dedit beneficium, nam scriptura non est pars pretii; ita cum Sanch. & Tancredo Diana 11. *p. tract.* 6. *resol.* 30.

ADVERTE SECUNDO, satis probabilem esse sen-
tentiam asserentem pœnas latas contra Simonia- 216
cos, non comprehendere illos, qui tantùm Simoniam jure Ecclesiastico, & humano prohibitam committerent, ut si detur Conventio inter electores, *Elige me in Provincialem, & ego eligam te in Priorem*, vel *elige meos, & ego eligam tuos*, &c. Nam licet tales peccent mortaliter, non tamen incurrunt 217
excommunicationem, vel privationem, etiam stando in secunda sententia, quæ asserit Prælatias regulares comprehendi sub pœnis Simoniacorum, excepta tamen Simonia confidentiali; ita cum Girago, Tancr. Soria, Escobar & DD. aliis Diana 11 *p. tr.* 6. *res.* 30. Delbene *loc. cit. n.* 23. & ratio est, nam hæc non est Simonia propriè dicta, cùm non detur temporale pro spirituali, sed tantùm lato modo vocatur Simonia: ergò quando jura loquuntur de Simoniacis non ad hanc, sed ad veram Simoniam debent extendi, cùm dispositio pœnalis restringenda, & non amplianda sit.

DISPUTATIO III.

De electione ac potestate scrutatorum.

SECTIO I.

Qui, & quales Scrutatores in electione Canonica exigantur?

1 *In electione Canonica debent esse tres scrutatores.*
2 *Non est de substantia electionis, quod scrutatores sint tantùm tres, & non plures.*
3 *Possunt esse quatuor, quinque vel sex.*
4 *Quod sex scrutatores assumantur, non est contra secretum electionis.*
5 *Si unus ex scrutatoribus recedat, alii possunt scrutari, dummodo adsint duo scrutatores.*
6 *Prædicti scrutatores, non sunt assumendi, quando in Collegio sunt tantùm duo, vel tres electores.*
7 *In scrutinio possunt assistere testis, & Tabellio*
8 *De substantia electionis est, ut scrutatio fiat sigillatim.*
9 *Si de substantia electionis sit, quòd tantùm dentur tres scrutatores, definitores in Ordine nostro non faciunt vices scrutatorum, sed compromissariorum limitate, ut electiones sint validæ.*
10 *Scrutatores necessariò debent esse de gremio Capituli.*
11 *Scrutatores debent fieri per electionem aliorum electorum, nisi per legem, vel consuetudinem sint assignati.*
12 *Si tres de Collegio incipiant scrutari cæteris videntibus, & tacentibus valet scrutinium.*

1 DIco I. In electione debent assumi tres Religiosi, qui singulorum electorum vota exquirant; ita habetur in Cap. *quia propter, de electione,* & in hoc conveniunt communiter DD.

An autem sit de substantia electionis, quod scrutatores sint plures, vel pauciores? affirmat cum aliis Basseus *verbo* Electio *num.* 2. Tamburin. *Tom.* 1. *disp.* 5. *quæsito* 6. *num.* 7. sed contraria sententia probabilior est, hanc tenet Lezana *To.* 2. *cap.* 12. *num.* 28. Pelliz. *Tr.* 9. *cap.* 2 *nu.* 24. Portel *in dubiis regularibus* verbo *Electio num.* 14. Paretque hæc sententia ex duabus declarationibus Cardinalium, quas refert Suar. *Tom.* 4. *de Religione, tract.* 8. *lib.* 2. *c.* 5. *n.* 10. ubi declarant dicti Cardinales, vota dici secreta, etsi quatuor vel quinque scrutatores vota omnium recipiant, juxta Cap. *quia propter.* 2

Deinde probatur, tum, quia licet *in Cap quia propter* dicatur, quòd *tres de Collegio assumantur fide digni*, qui secretò aliorum vota exquirant, non per hoc prohibetur, quod plures assumantur, cùm in dicto capite nulla clausula limitativa apponatur, sed ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: ergò cùm lex expressè non prohibeat, ut plures assumantur, non est cur dicamus tantùm tres, & non plures, vel pauciores posse assumi, tum quia cùm simus in materia pœnali, non est ita restringenda, ut solummodo tres, & non plures assumantur, si necesse fuerit. 3

Unde in Religione Dominicana aliquando etiam assumitur quartus scrutator, ut testatur Samuellius *Tract.* 1. *disp.* 3. *controversia* 1. *n.* 6. & Monachi Cassinenses assumunt quatuor scrutatores ex Bulla GREG. XIII. ut testatur Tamburinus *ubi supra num.* 8. & in Congregatione nostra Hispanica omnes sex definitores generales simul cum Generali sunt de jure nostro scrutatores in omnibus electionibus, quæ fiunt in Capitulo generali, ut patet ex 3. *p. nostrarum Constitutionum cap.* 2. *n.* 4. & in Capitulo Provinciali quatuor definitores simul cum Provinciali, ut patet ex eadem 3. *p. cap.* 4. *numero* 4. quod non est contra prædictum caput, *quia propter*, ut tenet Cardinal. Zabarel. in dicto capite, *quia propter*, *q.* 12. ubi dicit Abbatem Fulonum electum cum sex scrutatoribus fuisse per sedem Apostolicam confirmatum; & eandem sententiam 4

tenet

tenet Menochius *in Concil* 167. *num.* 37. Lezana *in Consiliis, Consil.* 13. *num.* 66. tum, quia nostræ Constitutiones quoad electiones jam sunt confirmatæ à Sede Apostolica, ut patet ex Bulla I. CLEMENTIS VIII. apud nostrum Ildephonsum à Jesu-MARIA in *scholiis privilegior. Apostolic. nu.* 10. vel dato, quòd non sint confirmatæ, jubentur tamen ab ipso CLEMENTE VIII. *Bulla* 9. apud eundem Auctorem *num.* 5. tam quoad electiones, quàm quoad alia inviolabiliter observari. Demum, quòd pauciores scrutatores, quàm tres possint assumi tenet cum aliis Tamburinus *ubi supra num* 8 & alii: ergò quòd hi scrutatores sint duo, tres, quatuor, vel plures non est de substantia electionis.

5 Nec obstat, si cum Suar. dicas tantam scrutatorum multitudinem esse contra secretum electionis adeò à Concilio Tridentino commendatum. Respondeo namque prædictam objectionem solùm posse habere locum, quando electio fit viva voce accedentibus scilicet electoribus ad scrutatores, & ibi sua vota viva voce promentibus, in quo casu opinioni Suar. non repugno, licet etiam in hoc casu, si scrutatores sint quatuor, vel quinque adhuc electio dicatur secreta à Sacra Congregatione, prout ex Garcia etiam notat Tamburinus *ubi supra num.* 10. ergò à fortiori dicendum est, quando electio fit per schedulas, nam cùm cesset periculum secreti, ut notavit Lezana in *Consiliis, Consil.* 13. *num.* 66. prædictorum scrutatorum multitudo utilior est ad fraudes tollendas, & majorem certitudinem suffragiorum. Nec inde sequitur posse omnes esse scrutatores, ut infert Suar. Nam hoc esset prædictam formam Capitis, *quia propter*, destruere, per hoc tamen, quod sex, aut septem ex triginta, aut pluribus assumantur, non destruitur forma prædicti Capitis, *quia propter*,
6 ut patet; & hinc fit, quod si unus ex scrutatoribus recedat, posse alios scrutari; ita ex Innocentio Baldus in dicto cap. *quia propter num.* 28. Nam cùm prædictus numerus non sit de substantia, dummodo adsint duo scrutatores, hoc sufficit, ut electio non fiat contra Cap. *quia propter*.

ADVERTE tamen, prædictos scrutatores non de-
7 beri assumi eo casu, quo in Collegio non essent, nisi tantùm unus, vel duo, aut tres Electores: Nam in hoc casu non tenentur servare aliquam formam, sed procedere possunt sine forma scrutinii, & compromissi, eligendo more antiquo, ut ex
8 Gofredo, Biaxio, Joanne Andrea, Baldo, docent Marcellus, Megala, *verbo* Electio, *num.* 32. Lex enim non obligat, quando de facto servari non potest *leg.* 1. §. *dies quando appellat.* Cap. *erit autem* 4. *dist.* ideoque post Innocentium dicit Zarabella in dicto *Cap. quia propter*, *num.* 11. dictum Cap. non habere locum, nisi ad minus sint quatuor electores, cùm enim præcipiat assumi tres ad minus debent esse quatuor.

SECUNDO ADVERTE, quod dato, quod sit de sub- 9
stantia electionis, quòd scrutatores sint tantùm tres, & non plures, vel pauciores, adhuc electiones in Ordine nostro validè fieri, etsi plures dentur scrutatores, tum propter rationes assignatas: tum, quia rectè dicere possumus sex definitores simul cum Generali, vel quatuor cum Provinciali in Ordine nostro, tam in Capitulo Generali, quàm Provinciali non solùm esse scrutatores, sed etiam Compromissarios non absolutè, sed limitatè, quatenus scilicet habent potestatem eligendi illum, in quem major pars Capituli consenserit. Religio enim in Capitulo Generali congregata, potest Constitutionem, & ordinationem generalem condere, quâ compromittat in prædictos definitores simul cum Generali, vel Provinciali potestatem eligendi alios, in quos major pars Capituli consenserit, ut notavit Rodrig. *T.* 2. *qu.* 53. *artic.* 6. & idem dicendum existimo de electione Priorum, quæ fit in Capitulo Generali ab undecim ex Gremialibus: Nam hi Gremiales sunt veluti compromissarii totius Capituli Generalis, virtute legis ab eodem Capitulo Generali dimanatæ, id statuentis, ut benè notavit Rodriguez *ubi supra*, & idem dicendum est de electionibus intermediis, quæ fiunt virtute legis à definitorio Generali propter eandem rationem.

DICO II. Dicti tres vel quatuor, aut plures
scrutatores, necessariò debent esse de Gremio Ca- 10
pituli, aliàs electio erit nulla ipso jure; ita communiter DD. apud Basseum *verbo* Elect. *num.* 2. licet Ancharranus, Imola, Zarabella, & alii apud Megalam *verbo* Electio *num.* 33. existiment sufficere, quòd scrutatores sint ex eadem Religione, licet non sint de corpore Capituli, siquidem possunt admitti extranei de communi consensu Capituli, ut cum communi sententia latè probat Megala *ibidem*.

An autem dicti scrutatores debeant fieri per ele-
ctionem aliorum electorum? Respondeo affirma- 11
tivè, nisi aliàs sint per consuetudinem assignati: imò eorum electio non est necesse, quod ab omnibus Gremialibus fiat, sed ex lege & consuetudine Religionis posse ad quatuor, vel quinque de

Collegio pertinere; ita cum Suarez, Pellizz. *Tr.9.*
12 *c.2.n.23.* imò addit cum Panormitano Tamburinus *ubi sup.n. 9* quòd si tres de Collegio incipiant scrutari aliorum vota, cæteris videntibus, & tacentibus, valere scrutinium sic peractum, cùm hoc à nullo jure annulletur.

SECTIO II.

Quomodo Scrutatores debeant vota omnium Electorum scrutari?

13 *Scrutatores postquam fuerint electi, debent facere juramentum fidelitatis.*
14 *Quid dicendum sit de jure nostro?*
15 *Hoc juramentum non est de substantia electionis.*
16 *Scrutatores debent prius vota ipsorum scrutatorum scrutari.*
17 *Quomodo hoc fieri debeat?*
18 *Quid, si electio per schedulas fiat?*
19 *Cæteri electores per scrutatores sunt scrutandi.*
20 *Dupliciter potest fieri scrutatio, vel viva voce, vel per schedulas.*
21 *Hi modi non sunt cortra Trid.*
22 *Modus eligendi per schedulas est magis usitatus.*
23 *De substantia electionis est, ut inquisitio suffragiorum fiat sigillatim in secreto.*
24 *Quod omnia vota, nullo excepto, suscipiantur.*
25 *Quod vota sigillatim exquisita, in scriptis redigantur.*
26 *Quomodo hoc fieri debeat?*
27 *Si plures schedulæ reperiantur, antequam aperiantur, debet iterari scrutinium.*
28 *Scrutatis sigillatim schedulis, mox fit suffragiorum publicatio in communi.*
29 *Quomodo hoc fieri debeat?*
30 *Hæ conditiones sunt de substantia electionis.*
31 *Publicato scrutinio, ampliùs variare non licet.*
32 *Facta publicatione votorum in communi; de substantia electionis est, ut statim fiat collatio numeri ad numerum.*
33 *Collatio meriti ad meritum, & zeli ad zelum, non est in usu.*
34 *Ut fiat collatio numeri ad numerum debent scrutatores manifestare omnibus electoribus simul Congregatis quot vota quisque habuerit?*
35 *In Congregatione nostra Hispanica, si electio in primo scrutinio non fuit facta, non publicantur personæ, quibus electores suffragati sunt, sed scrutatores tantùm declarant electoribus non fuisse factam electionem Canonicam, & tunc proceditur ad secundum scrutinium.*
36 *Si electores in secundo scrutinio non concordant, tunc Præses potest, si velit, illis indicare eos, qui vota habent, & suffragiorum numerum.*
37 *Hæc nostra Constitutio non est contra Cap.* quia propter.
38 *Collatio numeri ad numerum non est necesse quod fiat à toto Capitulo, sed potest compromitti in aliquo de Capitulo.*
39 *Nostra Religio compromittit in definitorium, ut hujusmodi collationem numeri ad numerum faciat.*
40 *Publicato scrutinio, & facta collatione numeri ad numerum, statim sine interruptione morali, publicanda est electio.*
41 *Hæc publicatio est de substantia electionis.*
42 *Debet fieri clara voce per verba, in numero singulari.*
43 *Si in plurali pronuntiaretur, & postea in singulari, electio irrita esset.*
44 *Quid, si illico fieret?*
45 *Hæc publicatio electionis spectat ad Præsidentem Capituli, si aliud lege non fuerit cautum.*
46 *Hæc publicatio electionis, si fiat ab uno de gremio, cæteris videntibus, & non contradicentibus tenet electio.*
47 *Cassata electione ex defectu publicationis electionis, manet cassatum scrutinium, & electores possunt illud iterare.*
48 *Quid, si publicatio electionis fuit omissa in fraudem electi ex malitia electorum?*
49 *Quando electores in fraudem electi omisère publicationem electionis, si nec compulsi facere volunt electionem, post collationem, & publicationem votorum, Superior tenetur providere de illo, qui per majorem partem Capituli fuit in scrutinio nominatus, etsi non sit de gremio Capituli.*
50 *Publicata electione, faciendum est decretum electionis.*
51 *Hoc decretum non est de substantia electionis absolutè, benè tamen ut confirmanda.*

52 Quo-

52 *Quomodo fieri debeat hoc decretum electionis?*
53 *Potest fieri à Secretario Capituli, vel à Religioso creato Notario, ex indulto* PII. V. *ad faciendum transumptum literarum Apostolicarum.*
54 *Hoc decretum facit fidem publicam, pro electo, illique standum est in utroque foro.*
55 *Quid, si ferè omnes electores dicant, se talem electum non nominasse.*
56 *Scrutatores sunt testes approbati à Capitulo, pro fide dignis.*
57 *Electores ante publicationem scrutinii variare possunt, non tamen post publicationem,*
58 *Idem dicendum est, si major pars Capituli appellet, & postulet, ut varietur scrutinium.*
59 *Quid, si minor pars appellet, & petat, ut varietur scrutinium?*
60 *Elector postquam in urnam misit suum suffragium, non potest illud iterum variare.*
61 *Quid, si talis elector præstitisset suffragium alicui inhabili.*

13 DIco I. Facta electione scrutatorum, & o-
14 nere scrutandi per ipsos suscepto, debent ipsi in manibus Præsidentis præstare juramentum fidelitatis, & secreti; ita Bais. 3. *p. de electione, capite* 24. *num.* 7. & ita apud nostros observatur, nam electo Generali & Definitoribus ac Secretario Capituli juramentum eis præstatur servandi secretum & fidelitatem, ut patet ex 3. *p. nostr. Consti-*
15 *tutionum c.* 7. *num.* 6. hoc tamen juramentum non est de substantia electionis. Unde si omittatur,
16 non per hoc irritatur electio, Megala *loc. cit. n.* 35. Facto igitur juramento prædicto, si de eo præstando, detur consuetudo; Primum ipsi scrutatores sua vota debent scrutari, si electio viva voce fiat, ne cognitis aliorum votis, electio ab ipsis pendeat; ita communiter DD. apud Megalam *ibi-*
17 *dem n.* 40. *in fine.* Hoc autem sic fieri debet, ut duo votum tertii scrutentur, & sic ad invicem; ita cum
18 aliis Megala *num.* 41. ubi etiam addit cum Joanne Andrea posse addi quartum scrutatorem, qui simul cum duobus, votum tertii scrutentur, quod tamen non est necesse, si electio fiat per schedulas, cùm omnes schedulæ in vase simul misceantur, ut ex se patet.
19 Dico II. Scrutatis scrutatorum votis, ab ipsis scrutanda sunt sigillatim cuncta aliorum vota, qui vocem habent in electione, quæ celebratur. Hoc autem dupliciter fieri potest: vel acce-
20 dentibus electoribus ad scrutatores, & ibi viva voce suum votum depromentibus: vel ipsis electoribus afferentibus schedulas à seipsis, vel à Scriba ad hoc deputato conscriptas, in quibus nomen electi contineatur; qui modi adhuc hodie, ut *supra* diximus, non sunt contra Trident. 21
& adhuc possunt observari, ut cum Suarez, docet 22
Tamburinus *loc. cit. n.* 10. Pellizzar. *loc. cit. n.* 28. licet modus eligendi per schedulas communiter in usu sit inter Regulares.

Dico III. De substantia electionis est, ut inquisitio suffragiorum fiat in secretò; secretum autem intelligitur respectu aliorum Electorum; 23
nam in scrutinio benè possunt intervenire Tabellio, & Testes, dummodo sint personæ Ecclesiasticæ; ita tenet Abbas in dict. Cap. *quia propter,* 24
n. 13. Mandagot *de elect. p.* 1. *c.* 22. *littera L. vers. adde,* ubi testatur de consuetudine Francisc. Marcus *in decis.* 1201. *n.* 5. Megala *loc. cit. num.* 35. est 25
etiam de substantia electionis, ut fiat sigillatim, & quod non scrutentur simul plura vota, etiam duo; ita communiter DD. apud Megal. *ibidem n.* 39. & quod omnia vota, nullo excepto, suscipi- 26
antur, & quod omnium electorum vota sigillatim exquisita in scriptis redigantur, ut patet ex C. *quia propter,* & tenent communiter DD. apud Tambur. *ubi supra n.* 13. & 14.

Hoc autem hoc modo fit, si vota ferantur viva voce, audito voto electoris à scrutatoribus, statim ab eis, vel ab uno eorum conscribitur nomen electi, non verò eligentis; si verò fiat per schedulas, collectis sigillatim omnibus schedulis in uno vase, postquam omnes suffragati sunt, numerantur schedulæ antequam aperiantur ad inspiciendum an tot sint, quot fuerint electores; nam si 27
plures reperiantur non tenet electio, sed alia denuo assumuntur vota; comperto tamen numero certo electorum, unaquæque schedula ab omnibus scrutatoribus sigillatim inspicitur, & ea lecta votum conscribitur à Scrutatoribus, quibus peractis mox sine ulla interpositione appellationis, vel alterius dilationis, ac sine ulla interruptione morali fit omnium suffragiorum publicatio in 28
communi, hoc autem fit ab uno Scrutatore aliis consentientibus, explicando scilicet solùm numerum eorum, qui suffragia tulerunt, non verò explicando in quorum favorem ea fuerint data, 29
vel quot ex illis in hanc partem, vel illam descenderint, quæ conditiones sunt omnes de substantia electionis; ita ut si aliter fiat, electio sit nulla. Pellizzarius *loc. cit. n.* 28. Tambur. *loc. cit. n.* 15. & 30
alii communiter. Publicato autem scrutinio am- 31
plius

plius variare non licet, *Cap. publicato de electione*, tum, quia electores jam functi sunt officio suo: tum, quia fraudibus via aperiretur, & tolleretur jus acquisitum electis, quod secundùm jus non licet; ita cum multis Tamburinus *supracitat. numero* 16.

32 Dico IV. Facta publicatione votorum in communi, de substantia electionis est, ut statim fiat collatio numeri votorum, & licet jure anti-
33 quo in Cap. *quia propter*, ista collatio debebat fieri non solùm numeri ad numerum, sed meriti ad meritum, & zeli ad zelum; hodie tamen de jure novo in Trident. *sess.* 25. *c.* 6. *de Regularibus*, collatio meriti ad meritum, & zeli ad zelum in electionibus Regularium amplius non est in praxi, nec in usu, sic communiter DD. post Trident. scribentes, quos refert, & sequitur Samuellius *Tractat.* 1. *disput.* 7. *controv.* 1. 13. Bordon. *Tom.* 2. *resol.* 61.
34 *num.* 60. facta igitur publicatione in communi deveniendum est statim ad collationem numeri ad numerum. Hoc autem fieri debet manifestando omnibus Electoribus, quot vota quisque habuerit, ut fiat collatio numeri ad numerum, non enim sufficit, quod soli scrutatores sciant, quot vota habuerint competitores, sed id totum notificandum est omnibus vocalibus simul Congregatis, ut colligitur ex eodem *C. quia propter*, & *C. publicato* 58. *de electione*, ut benè notat Bordonus *Tomo* 2. *resolutione* 6. *num.* 6. Megala *verbo* Electio *num.* 46.

35 In nostra tamen Congregatione Hispanica, si electio in primo scrutinio non fuit facta, non publicantur personæ, quibus Electores suffragati sunt, sed ipsi scrutatores, si invenerint, quod major pars Capituli in aliquem non consensit, declarant Electoribus non fuisse factam electionem Canonicam, & tunc proceditur ad secundum scrutinium: quod si nec tunc Electores concor-
36 dent, tunc Præsidentes possunt si velint eos, qui vota habent, simul & suffragiorum numerum manifestare, ut facilius in electione cæteri conformentur; quæ tamen dispositio non est contra di-
37 ctum caput *quia propter*: nam in eo solùm præcipitur, ut vota in communi publicentur, collatio autem numeri ad numerum non est necesse quod fiat à toto Capitulo, sed potest compromitti in aliquem, vel in aliquos de Capitulo, ut benè notavit cum Silvestro, Panormitano, & aliis Samuel-
38 lius *Tract.* 1. *disp.* 7. *controv.* 1. *num.* 9. ut autem *su-*
39 *pra* diximus tota Religio in Capitulo Generali congregata virtute Constitutionis universalis compromitit in definitorio, ad hoc ut hujusmodi collationem faciat, & illa facta electionem pronuntiet, ut rectè notavit Rodrig. *Tom.* 2. *q.* 53. *artic.* 6. versu *notandum est inquam.*

Dico V. Publicato scrutinio, & facta colla- 40
tione numeri ad numerum, statim absque interruptione morali, ut *supra* dictum est, de publicatione suffragiorum in communi, publicanda est electio, quæ est veluti unus actus totius Capituli, qui non intelligitur consummari, donec unus nomine totius Capituli eligat futurum Prælatum, quæ 41
conditio est de substantia electionis, imò substantia & ipsa forma electionis. Hæc autem communis electio fieri debet clara voce ex *Cap. Ecclesia* 42
vestra 1. sunt enim hæc verba de substantia electionis per dictum Cap. *Ecclesia vestra*, & Cap. *quia propter*. & tenent communiter DD. apud Samuellium *Tract.* 1. *disput.* 7. *controv.* 3 *num.* 2. debet etiam fieri per verba numeri singularis, non enim ab omnibus facienda est, sed ab uno nomine totius Capituli, ut patet ex *Cap. in Genesi in* 6. Unde si in plurali esset pronuntiata, & postea in sin- 43
gulari pronuntiaretur minimè teneret electio, quia jam est facultas consumpta in primo actu: Excipe, nisi illicò fiat correctio in singulari, nam tunc videtur tenere, ubi maximè dolus abest. Ol- 44
dradus, Tuscus, Sigismund. & alii, quos refert & sequitur Samuellius *loc. cit. n.* 14.

Hujusmodi autem electionis pronuntiatio, spe- 45
ctat ad Præsidentem Capituli, ei enim cæteri committunt tale munus, cùm ratio petat id fieri ab eo, qui præest Capitulo, vel qui primam vocem habet, quando nulli alteri commissum est à lege, vel ab ipso Capitulo; ita cum Suarez Pellizzar. *Tr.* 9. *cap.* 2. *num.* 31.

An autem hujusmodi electionis pronuntiatio 46
fieri etiam posset ab alio, sine speciali commissione, præsente Capitulo & non contradicente? Respondeo affirmativè, etsi pronuntians electionem esset extraneus, nam cùm agatur de re meritoria, videtur Capitulum consentire; ita cum Sigismund. Rodrig. Panormit. & aliis Samuellius *ubi supra n.* 9. & 10.

Adverte tamen, cassata electione ex de- 47
fectu illius pronuntiationis, scrutinium etiam manere cassatum. Unde electores possunt iterare scrutinium, & recedere à prima electione, & alium eligere: Ratio est, quia scrutinium & illius publicatio, collatio, & electio constituunt unam formam substantialem, sed forma de se est indivisibilis: ergò forma substantialis in uno non servata, debet

debet in totum cassari. Nec ex scrutinio quæsita est aliqua obligatio, etiam naturalis electo; nam antequam pronuntietur electio, scrutinium, publicatio in communi & collatio sunt veluti actus informes, & tantùm sunt actus præparatorii; ita & benè cum Panormitano, Cuccho, Sigismundo & aliis Samuellius *ubi supra n.* 18.

48 Secundo adverte, hanc doctrinam procedere quando ex ignavia, vel electorum ignorantia, aut electi malitia, prædicta electionis publicatio omissa, vel indebitè facta fuit, secus si in electi fraudem ex malitia electorum fiat; Nam is in quem apparuit ex scrutinii publicatione, majorem partem consensisse, non est privandus jure sibi quæsito, saltem ad implorandum Officium Superioris, ut compellat Electores compromissarios, vel Scrutatores ad publicandam electionem illius, in quem major pars Capituli consensit, nunquam tamen debet dicere majorem partem in eum consensisse, ne ambitionis vitio notetur; ita Mandagot. Navarrus, Sigismundus, Geminian. & alii, quos refert & sequitur Samuellius *Controv.* 2. *n.* 6. *& controvers.* 7. *n.* 22. Megala *verbo* Electio *num.* 52.

49 In casu verò, quod Electores nec compulsi electionem facere velint post collationem, & publicationem votorum, Superior ad quem in hoc casu devolvitur electio, tenetur providere de illo, qui à majori parte fuit in Capitulo nominatus, etiamsi non sit de gremio Capituli; ita Joannes Andreas, Baldus, Zabarel. Bellamera, quos refert, & sequitur Megala *ubi supra num.* 52. quia tunc Superior non eligit ex suo voto, sed perficit, quod ab aliis fuit inchoatum; non enim variatur qualitas actus ex persona succedente in actu, & tale debet esse subjectum, id est, electio, quale prædicta demonstrant, id est scrutinium, ut *ibidem* ex variis juribus colligit.

50 Dico V. Publicata electione formandum est decretum electionis, quod licet non sit de substantia electionis absolutæ, est tamen de illius substantia, ut confirmandæ, si confirmator ab-
51 sens est, cum sine prædicto decreto illi constare non possit de rectè facta electione; Lezana *Tom.* 2.
52 *cap.* 12. *n.* 49. debet autem hoc decretum continere formam electionis celebratæ, expresso nomine electi, ac numero eligentium; non verò eorum
53 nomina, aliàs irrita redderetur electio, ut patet ex Tridentin. *sess.* 25. *cap.* 6. in quo præcipitur, ut *nomina eligentium nunquam nominentur*, hoc autem decretum debet fieri manu alicujus Notarii, quo munere fungitur, etiam Capituli Secretarius; ita cum Lezana, Pellizzarius *Tract.* 9. *cap.* 2. *n.* 37. imò quilibet Religiosus creatus notarius, ex indulto Pii V. ad faciendum transumptum litterarum Apostolicarum, ut *ibidem* notavit Pellizz. ex N. Lezana *Tom.* 5. *qq. Reg. in Mari magno Eremitar. num.* 143.

Dico VI. Hujusmodi decretum publicatio- 54
nis scrutinii, & suffragiorum collatorum in scrutinio, factum à Scrutatoribus facit plenam fidem pro electo, illique standum est, & electus statim debet confirmari, nisi alias evidenter constaret de fraude aliqua ordinata inter Superiorem, & Scrutatores; ita cum Miranda, Pellizzarius *Tractat.* 9.
capite 2. *numero* 36. quod adeò verum est, ut si 55
publicato scrutinio, seu electione ferè omnes publicè profiteantur, etiam cum juramento, quod nullatenus electum nominârunt, si ex contraria parte tres scrutatores, seu duo ex ipsis juramento adstricti de veritate dicenda, dicant majorem partem Capituli in electum consensisse, ipsis Scrutatoribus credendum est, & electoribus contradicentibus silentium imponendum est, eo quod eorum probatio esset insufficiens, cùm singuli essent in suo testimonio singulares, per textum in
Cap. cum dilectus, §. *nos verò de electione, & leg. Car-* 56
men, ff. de testibus. Scrutatores verò sunt contestes approbati à Capitulo pro fide dignis, quoad manifestandam veritatem electionis, & ita tenent Butr. in *C. publicato n.* 16. *de electione*, Basseus *de electione, cap.* 28. *p.* 3. *num.* 3. Castelin. *de electione c.* 5. *n.* 62. Megala *verbo* Electio, *n.* 34.

Dico VII. Electores ante publicationem scru- 57
tinii variare possunt, non tamen post publicationem ex Cap. *publicato*, *in* 6. ita communiter DD. apud Samuellium *disp.* 4. *controvers.* 16. *n.* 2. *tr.* 1. Peyrinis *de subdito, quæstione* 1. *capit.* 31. §. 6. *dicto* 10.

Idem dicendum est, si major pars Capituli ap- 58
pellat, & petat, ut varietur scrutinium, secus si pars appellans sit minor; Peyrin. *ibidem.*

An autem, si unus tantùm elector ante scrutinii
publicationem velit votum, jam datum variare, 59
quia audivit vitium, vel defectum latentem, quem adhuc non audierat, admittendus sit? Re-
spondeo negativè, nam postquam elector posuit 60
suam schedulam cum aliis in urna, posset quis ex malitia sua in longum protrahere electionem: tum quia quod semel placuit, amplius displicere non

potest; tum, quia cùm in electione per scrutinium solum ponatur nomen electi, vel omnes schedulæ debent reassumi, vel iste non est audiendus; ita Miranda, Rodriguez, quos refert & sequitur Pelrin, *loc. cit.* licet hoc admittat Samuellius *loc. cit. n. 6.* in casu quo elector præstitisset suffragium in aliquem inhabilem, de quo si sequeretur electio, irritanda esset. 61

DISPVTATIO IV.

De conditionibus, tam positivè, quàm negativè requisitis ex parte eligendorum, ut eorum electio sit valida.

SECTIO I.

Utrum Regulares in electionibus suorum Prælatorum teneantur eligere digniorem?

1 *In electionibus ad beneficia Ecclesiastica tenentur electores digniores eligere.*
2 *In Prælaturis Regularibus electores tenentur eligere digniores.*
3 *Quid, si dignior occupetur in aliis ministeriis?*
4 *Quid, si pauci sint digniores?*
5 *Quid, si ob commune bonum expediat minus dignum ab aliquo Monasterio amoveri, & aliter amoveri non possit, nisi dando ei aliquam Prælaturam?*
6 *Quid, si reservetur dignior ad aliam aliquam dignitatem?*
7 *Quid, si meritum dignioris sit parvi excessus?*
8 *Quid, si beneficium sit parvi momenti?*
9 *Quid, si plura vota habuerit dignus, quàm dignior.*
10 *Quid, si electores inclinent in indignum?*
11 *Quid, si unus sit dignissimus, & alius dignus, & alius dignior, & electores inclinent in dignum?*
12 *Quid, quando electio debet fieri ex Religiosis alterius Provinciæ, vel Communitatis determinatæ.*
13 *Quid, si minus dignus ad majorem Prælatiam eligatur, & dignior ad minorem, eo quod major dignitas majorem exigat industriam, quam ille dignior non habet?*
14 *Quid, si timeatur, quòd dignior non residebit?*
15 *Quid, si elector de uno sciat, esse dignum, de alio verò tantùm habeat probabilitatem esse digniorem?*
16 *Electio digni omisso digniore, vel dignissimo est valida in foro externo, licet aliquando in foro interno sit illicita.*
17 *Statutum annullans electionem factam de digno, omisso digniore, est nullum, nisi à Summo Pontifice in speciali forma confirmetur.*
18 *Electus dignus, omisso digniore, potest licitè acceptare Prælaturam.*
19 *Qui dicantur digniores ad Prælatias?*

DIco I. Licet in electionibus ad beneficia Ecclesiastica, præsertim curata, vel simplicia pinguiora, communis sententia doceat teneri electores sub mortali, digniores semper eligere, ut tradit, aliis multis relatis, Lugo *de justitia Tom. 2. disp. 35. n. 10. & 11.* in Prælaturis tamen Regularibus, de quibus tantum nobis est sermo in præsenti, aliqui dicunt electores non teneri sub mortali eligere digniores, sed sufficere, si dignos eligant, seclusis specialibus cujuscumque Religionis Statutis, & juramento eligendi digniores, ita Joan. Valerus *in differentiis utriusque fori, verbo* electio, *differentia 1. num.* 1

num. 1. Palaus *Tr.* 13. *de beneficiis disp.* 2. *p.* 11. §. 2. *n.* 14. & universaliter de omnibus beneficiis Ecclesiasticis, sive sæcularibus, sive regularibus, Pedraza, Filliuc Alensis cum Sorbo, quos refert Samuell. *Tr.* 1. *disp.* 6. *controv.* 5. *n.* 7. asserentes esse solum peccatum veniale, non eligere digniores.

2 Contrariam tamen sententiam tenent alii communiter DD. ut testatur Lugo *ubi supra nu.* 14. Samuell. *ubi sup. n.* 6. Girag. 1. *p. dub.* 2. *n.* 11. & quoad nostros patet ex 3. *p. nostr. Constit. c.* 2. *n.* 9. Ratio verò est, quia electores tenentur consulere bono communi, & quantum fieri potest damna Communitatis impedire, sed si digniores non eligantur in electionibus Regularium, eadem damna oriri possunt, ac in aliis electionibus: ergò sicut in aliis electionibus electores tenentur digniores semper eligere, ita & inter Regulares.

Confirmatur: tenentur Electores, etiam inter Regulares ex justitia distributiva distribuere officia, & dignitates secundùm merita Religiosorum, siquidem ex vi professionis acquirunt jus ad omnia commoda & bona Religionis, sicut etiam ipsi obligantur ad Religioni inserviendum, quidquid cum Vasquez, dicat Lug. *de justitia disput.* 35. *Tomo* 2. *n.* 56. contra quos cum communi sententia meritò insurgit; Girag. *de Regim. Regul.* 1. *p. dub.* 3. *n.* 25. sed si Regulares non tenentur eligere digniores, majora merita negligerentur in maximum detrimentum justitiæ distributivæ, quæ ut diximus omninò servari debet inter Regulares: ergò, *&c.* Quæ sententia intelligenda est, non solùm de Prælaturis curam animarum habentibus, sed etiam de aliis, quæ non habent annexam curam animarum, ut sunt definitoriatus, Collegatus, Consiliaratus, & munus Procuratoris Generalis, vel alii gradus honorarii, si qui sunt in Religionibus; Bannes, Navarrus, quos refert & sequitur Peyrinis *de subdito qu.* 1. *c.* 31. §. 4.

3 Limita tamen hanc communem sententiam in multis casibus. Primo, nisi ille dignior occupetur in aliis ministeriis Religionis, v. g. in concionando, docendo, vel assistendo alicui Principi, à quo multum tota Religio pendeat. Tunc enim eligi potest dignus, quamvis in hoc etiam casu prudentia necessaria sit, cum periculum esse possit nè paulatim languescant studia, cum Magistri omnes, vel Concionatores ea de causa includantur à Prælaturis, adque ideo subditi laborem concionandi, vel docendi fugiant, nè inutiles reddantur à Prælatiis; unde aliquando hi etiam debent assumi ad Prælatias non quidem inferiores, sed superiores: nam cum majorem habeant doctrinam, facilius possunt gubernandi artem in gradu eminentiori occupare; ita Lug. *de justitia, ubi supra num.* 57.

Limita secundo, nisi pauci sint digniores, 4
quia multum expedit bono communi, ut Prælaturæ Regulares non remaneant solummodo apud paucos, sed opus est, ut multi apti fiant ad regendum, & varientur personæ, alioquin deficientibus illis dignioribus, Religio maneret viduata, & tunc necesse esset, ut de novo aliqui ad regimina eveherentur, quod solet maxima incommoda afferre; Lugo *ubi supra num.* 58. Giragus *p.* 1. *dub.* 2. *num.* 11.

Limita tertio, nisi minus dignum ob com- 5
mune bonum amoveri expediat ab aliquo Monasterio, exempli gratia, ab aula Principis, vel ab exercitio docendi, & non potest sine magna molestia, ac dedecore amoveri, nisi hoc prætextu; Lug. *num.* 59. Girag. *ibidem.*

Limita quarto, si digniorem ad majorem reservent Prælaturam in loco sublimiori, ubi major 6
necessitas est: Imò etiamsi Conventus sint pares, non est mortale eligere dignum, relicto digniori promovendum ad alium æqualem Conventum statim vacaturum; etiamsi hoc ex humano affectu elector faceret. Nam brevis illa anticipatio temporis parum nocet bono communi: Imò nec esset veniale, si aliqua alia causa intercederet, v. g. gratificandi alicui externo, benemerito de Religione, quia gaudebit hunc potius Prælatum, quàm illum præfici in tali Conventu: vel causa gratificandi tali Conventui, vel Collegio, ob ejus merita reservando illi meliorem Prælatum, quem ideò nunc omittit, ut possit postea in tali loco ponere, vel ob similes rationes; Lug. *supra cit. loc. n.* 60.

Limita quinto, quando meritum dignio- 7
ris est parvi excessus, licet Officium, seu munus magni momenti existat respectu meritorum digni; cùm enim in hoc parum bonum commune lædatur: hoc tantùm erit culpa venialis; Gutierrez, Bannes, Sigismund. Garcias, Sotus, & alii, quos refert, & sequitur Samuellius *Tract.* 1 *disput.* 6. *contr.* 5. *n.* 17. Quod verum est, etiamsi præcesserit juramentum eligendi digniorem: Basseus *verbo* Electio *n.* 10. & cum aliis Samuellius *loc. cit. n.* 20. Lug. *loc. cit. num.* 23.

Limita sexto, quando beneficium est parvi 8
momenti, vel parum excedit beneficium, quod datur digniori; Lug. *de justitia disp.* 35. *n.* 21.

Limita septimo, quando multò plures vota 9

Electorum conveniunt in dignum, quàm in digniorem: tum, quia in tali casu suffragium unius, vel alterius Electoris nihil prodest dignissimo, vel digniori: tum, quia electus communi consensu multò suavius & meliusreget, ac per consequens magis proficuus erit bono communi; ita cum Sanch. & aliis Lug. *ubi supra n.* 35. qui tamen hoc limitat in beneficiis sæcularibus, quæ cum concursu fiunt,

10 LIMITA OCTAVO, Si Electores inclinent ad eligendum indignum, tunc potest dari suffragium digno, prætermisso digniori ad evitandam electionem indigni; Sotus, Palaus, Turrian. & alii, quos refert & sequitur Lug. *n.* 30.

11 LIMITA NONO, quando sunt tres oppositi, alius dignissimus, & alius dignior & alius dignus, tunc dimisso dignissimo potest dari suffragium digniori, ne fiat electio digni, qui casus accidere potest, quando fiunt electiones per scrutinium; si enim in primo scrutinio vidit, quod electores recedunt à dignissimo, & inclinant in dignum; tunc in secundo, vel tertio scrutinio potest, & imò tenetur inclinare in digniorem, prætermisso dignissimo, ne fiat electio digni.

Dixi, *in secundo, vel tertio scrutinio*, nam in primo scrutinio debet tentare, ut eligatur dignissimus, nisi aliàs ante primum scrutinium haberet certitudinem moralem hoc esse impossibile; ita cum Soto, Bannes, Lessio, Lug. *ubi sup. n.* 54. Tambur. *Tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 13. *n.* 7. licet alii dicant in hoc casu posse digniorem eligi, prætermisso dignissimo, non tamen teneri electores, sed sufficere, si dignum eligant; Vasq. Turrian. Castro & alii, quos refert, & sequitur Lug. *ibidem.*

12 LIMITA DECIMO, quando electio facienda est ex Religiosis talis Provinciæ, vel Communitatis, tunc enim possent omitti digniores alterius Provinciæ, vel Communitatis; Lug. *ubi supra n.* 14. Samuellius *controv.* 6. *n.* 1.

13 LIMITA UNDECIMO, si minùs dignus ad meliorem Prælatiam eligatur, & dignus ad magis tenuem, eo quod major dignitas majorem exigat industriam, qualem ille minus dignus meliùs, quàm dignus potest præstare; Sanch. *ubi supra n.* 26. contra Ledesmam.

14 LIMITA DUODECIMO, in casu, quo timeatur prudenter, quod dignior non residebit, vel quia renuntiabit, vel ob alias Religionis occupationes, ut v. g. quia Romam sit mittendus &c. Nam tunc dignus debet eligi, dimisso digniori; ita Lug. *ubi supra num.* 27.

LIMITA DECIMO-TERTIO, quando elector certus est aliquem dignum esse, quia multam habet de illo experientiam, de alio verò tantum habet probabilitatem, esse digniorem, quia illa major certitudo, & experientia, quam habet de dignitate digni æquivalet, & præponderat majori dignitati alterius, non ita certo cognitæ; Lug. *ibid.* & cum aliis Samuel. *ubi supra n.* 5. 15

DICO II. In omni eventu electio digni, omisso digniori, vel dignissimo in foro externo semper est valida; licet aliquando in foro interno sit illicita: in hoc conveniunt communiter DD. cum D. Th. quos ad satietatem refert Samuel. *loc. cit. contr.* 5. Et ratio est, quia aliàs omnis electio posset habere calumniam. Unde Statutum annullans ele- 17
ctionem factam de digno, omisso digniore, non tenet, nisi à Papa in forma speciali sit confirmatum; Samuel. *ubi supra n.* 3. 16

Hinc fit electum dignum posse justissimè acceptare munus, seu dignitatem, ad quam fuit electus tuta conscientia: non enim se debet judicare meliorem, sed sufficit, quòd in se nihil inveniat, per quod reddatur indignus illius Prælatiæ; Samuel. *n.* 4. 18

SED QUÆRES, quis sit dignior censendus ad hoc, ut electores illum tuta conscientia possint eligere inter plures oppositores? Respondeo, omissis variis DD. placitis, quos refert Girag. *p.* 1. *de Regim. Regul. dub.* 2. *n.* 11. illos esse censendos digniores, ut in Pastores, & Prælatos assumantur, quorum comparatione cæteri sint, & esse videantur, veluti grex, & bruta pecora, sive animalia; quæ responsio fundatur in *Cap.* 1. *dist.* 24. Silvest. Peyr. Miranda quos refert, & sequitur Samuel. *loc. cit.* & pro nostris vide *part.* 3. *nostr. Const. c.* 2. *n.* 9. 19

SECTIO II.

Utrum possit aliquando eligi indignus, omisso digno?

20 *Indignus non potest eligi ad Prælaturas, omisso digno.*

21 *Quis dicatur indignus?*

22 *Indignus potest eligi, si alius dignus non inveniatur.*

23 *Indignus potest eligi, omisso digno, ad impediendam electionem indignissimi.*

24 *Elector potest ferre suffragium indigno, prætermisso digno, quando certò cognoscit omnes alios electores illum eligere.*

25 *Non*

25 *Non semper quodlibet peccatum, dummodo sit occultum, reddit personam indignam.*

26 *Eligens peccatorem occultum, aliàs cateris digniorem, non peccat mortaliter, nec electus talem electionem acceptans, etsi in peccato mortali existat.*

27 *Quid, si credatur electum perseveraturum in mortali?*

28 *Eligere peccatorem publicum est mortale, tam ex parte eligentis, quàm acceptantis, nisi forte alius dignus non inveniatur.*

29 *Elector non potest negare suffragium indigno, quem talem cognovit ex Sacramentali Confessione.*

30 *Elector sciens indignitatem sub secreto naturali, tenetur votum denegare.*

31 *Si electus futurus est perniciosus Religioni, ob peccata, qua ex solo secreto naturali cognovit, tenetur de hoc monere Electores, si aliter non possit ejus electionem impedire.*

32 *Quid, si electus non futurus sit perniciosus Religioni?*

33 *Si quis sub secreto naturali sciret aliquem esse inhabilem, vel irregularem, non potest illi suffragari, etiamsi inhabilitas sit occulta.*

34 *Non potest tamen talem defectum in Capitulo, vel Definitorio propalare.*

35 *Electio indigni est ipso jure nulla, quando electus habet aliquam juris incapacitatem.*

36 *Si indignitas sit ob mores pravos, electio est valida, venit tamen irritanda, nisi peccata secum afferant inhabilitatem, vel censuram, aut irregularitatem.*

37 *Eligentes scienter indignum sunt privati eligendi potestate pro illa vice.*

38 *Hac pœna non incurritur, quando electores eligunt, etsi de facto existiment eligere indignum.*

39 *Idem dicendum est, si electio intentata indigni non fuit secuta.*

40 *Electorum pœna, in eligendo indignum, ad alios casus non expressos non sunt extendenda.*

41 *Si electores ignoranter eligerent indignum, non incurrerent pradictam pœnam.*

20 DIco I. Certum apud omnes est indignum non posse eligi ad Prælaturas, omisso digno, hoc enim est intrinsicè malum; dicitur autem indignus, qui non habet ea, quæ jura in Prælatis re-
21 quirunt, nec morum honestatem, ac scientiam competentem ad tale ministerium, prudentiam denique & industriam rerum gerendarum, prout ad tale officium desiderantur: Nam cùm beneficium detur propter officium, qui non potest officium debitè præstare, frustra accipit beneficium.

EXCIPE, nisi alius dignus non inveniatur; nam 22
tunc ad evitandum majus malum potest dari beneficium indigno: in hoc casu tamen talis electus curare debet, ut studio, & industria reddat se aptum; ita cum Lessio, Filliucio, & aliis Lug. *de justitia disp.* 35. *n.* 5.

EXCIPE SECUNDO, Si electio indigni intermisso
digno, sit necessaria ad impediendam electionem 23
indignissimi, ut si tres essent oppositores, quorum unus solus esset dignus, sed ab omnibus aliis electoribus rejiceretur: secundus esset indignus, & tertius esset indignissimus, & qui suis pravis moribus turbabit Religionem, & fortasse relaxationem introducet in Provinciam; in hoc igitur casu licitum erit tali electori præbere suffragium indigno, omisso digno; nam licet indignus non posset jure eligi, quando digni inveniuntur; hic tamen non censetur dari dignus, cùm ille, qui dignus est, ab aliis rejiciatur; Lug. *loc. cit. n.* 29.

SED QUÆRES, An elector possit ferre suffragium 24
indigno, prætermisso digno, quando certò scit omnes alios electores illum eligere? Negat Peyrinis, Portel. Vasquez, Veig. Lessius, & alii quos refert Bordonus *Tom.* 2. *resolut.* 61. *num.* 31. electio enim indigni est intrinsecè mala. Affirmantem tamen sententiam, quam *ibidem* docet Bord. *num.* 32. existimo probabilem. Nam quando minor pars Capituli certò cognoscit majorem partem eligere indignum, prætermisso digno, conformando se in suis suffragiis cum ea nihil efficit, cùm electio à majori parte Capituli pendeat, & non à minori; sed tantum permittit malum aliorum, ex materiali votorum suffragatione, quod tamen nullum est peccatum.

DICO II. Non semper quodlibet peccatum 25
mortale reddit personam indignam, ut eligatur, etiamsi sit actuale, dummodo peccatum sit occultum, & speretur, quod statim resipiscat; hic enim simpliciter dicitur habere morum probitatem, Nam mores non ab uno actu, sed à modo ordina-
rio vivendi sumuntur. Unde eligens talem pecca- 26
torem occultum, aliàs cæteris digniorem in Prælatum; non peccat mortaliter, nec etiam peccat, qui in tali peccato existens suæ electioni consentit; ita Azor. Ledesm. Navar. quos refert, & sequitur Peyr. *de subdito q.* 1. *c.* 31. § 3.

Secus dicendum est, tam quoad electores, 27
quàm

quàm quoad electum, si credatur electum præseveraturum esse in tali peccato occulto; ita Peyrinis *ibidem*.

28 Dico III. Eligere peccatorem publicum est mortale, tam ex parte electoris, quàm electi acceptantis; ita communiter DD.

Excipe, nisi nullus alius reperiretur, qui esset idoneus ad Sacramenta ministranda; nam tunc possent electores illum eligere ad majora mala præcavenda; ita Rodr. Ledesm. & alii, quos refert & sequitur Peyr. *ibidem*.

29 Sed quæres, an possit quis negare votum indigno præcisè ex eo, quod illum cognovit indignum ex Sacramentali confessione? Affirmant Navarr. Sanc. Suar. & alii, quos refert & sequitur Samuel. *Tr.* 1. *disp.* 6. *contr.* 7. *n.* 1.

Verum negativa sententia prorsus tenenda est; ita Rodr. quem refert, & sequitur Bord. *Tom.* 1. *resol.* 61. *n.* 31. Bannes, Malderus, Fagund. Filliuc. Diana, Sigis. Coriol. & alii quos refert, & sequitur Basseus *verbo* confessio 7. *n.* 14. Ratio verò est, quia si homines scirent è confessione suorum peccatorum posse in ipsos malum in bonis externis redundare, maximè retraherentur à confessione, ac per consequens hoc Sacramentum odiosum redderetur, in magnum detrimentum animarum: quapropter Clemens VIII. in decreto casuum reservatorum id prohibuit Superioribus Regularibus, ut patet ex ipso decreto.

30 Sed quæres, an sit idem dicendum, quando ego scio indignitatem alterius ex secreto naturali? Respondeo negativè, sed teneri illi denegare suffragium.

An autem in hoc casu, si videat talem indignum, quia ab aliis reputatur dignissimus, eligi in Prælatum, possit, vel teneatur definitorio, vel Capitulo revelare ejus indignitatem, quam novit ex secreto naturali? majus est dubium.

31 Dico tamen, quod si eligendus est futurus perniciosus Communitati, nec Elector alia via potest ejus electionem impedire, & bono communi consulere; tunc tenetur ejus delicta revelare; si verò non est futurus perniciosus Communitati, sed uni
32 tantum, vel aliquibus, non tenetur, nec potest ejus delicta revelare. Nam cùm secretum sit de jure naturali, propter bonum aliquod particulare, non est violandum; ita Rodr. Navar. Castelin. Molina, quos refert & sequitur Peyr. *loc. cit.*

33 Sed quid dicendum? si quis ex Electoribus sciret sub secreto naturali aliquem esse inhabilem, vel irregularem? Respondeo talem electorem non posse pro illo suffragari, nec in ejus electionem consentire, non solùm quando talis inhabilitas est publica, sed etiamsi sit occulta, & ipse tantum sciat eam sub secreto naturali; ita cum Navarro, Peyrinis, & aliis Samuellius *Tr.* 1. *disp.* 6. *controv.* 16. *n.* 5.

Existimo tamen, non posse propalare talem 34
defectum Capitulo, vel Definitorio, cùm ex promotione illius in Prælatum nullum damnum Religioni oriatur, cum ille habeat titulum coloratum, & jurisdictionem: ergò cum aliud nocumentum Communitatis non detur, nisi quod inhabilis eligatur, ut suppono, existimo juxta dicta non esse causam sufficientem frangendi secretum naturale.

Sed quæres? An electio indigni sit omnino 35
irrita? Respondeo solùm esse ipso jure irritam, quando electus habet aliquam juris incapacitatem, ut si sit irregularis, vel non ordinatus, vel non habeat ætatem requisitam, vel ita sit illiteratus, ut nec legere & scribere Latinè sciat, &c. ita cum Navarro, Castro, Azor, Garcia, Barbosa, & aliis Lugo *de justitia disputat.* 33. *num.* 9. Verùm 36
si indignitas sit ob mores pravos, non est irrita electio, sed irritanda, nisi peccata afferant secum censuram vel irregularitatem, aut infamiam, quæ reddat inhabilem personam ad beneficia recipienda; ita Navarrus, Filliuc. & alii, quos refert & sequitur Lug. *ibidem*.

Dico IV. Eligentes scienter indignum, sunt 37
privati eligendi potestate pro illa vice; ita habetur in *Cap. cum cunctis, & nihil de electione in* 6. tenet cum Miranda, Silvestro, & aliis Samuellius *Tr.* 2. *disp.* 4. *contr.* 1. *n.* 6.

Adverte tamen, hujusmodi pœnam non in- 38
currere electores, quando dignum eligunt, etsi existiment eligere indignum, quia conatus non habuit effectum.

Idem dicendum est, si electio indigni intentata, non vero fuerit secuta, licet alias in utroque casu graviter peccaverint electores; Navar. Sair. Sigis- 39
mund. quos refert & sequitur Samuell. *ibid. n.* 12. propter eandem rationem.

Adverte etiam, Electorum pœnam in eligendo indigno, non extendendam ultra casus expressos in *Cap. cum in cunctis*, qui versantur circa tria 40
in dignitatibus, citra Episcopatum dumtaxat, videlicet ætatis maturitatem, litterarum scientiam, & morum gravitatem; ita cum aliis Samuellius *ubi supra num.* 15.

Adverte tandem, quod si Electores indi- 41
gnum

gnum eligant ignoranter, minimè amittunt jus eligendi, sed ad illos revertitur eligendi potestas; ita communiter DD. apud Samuellium *ibidem num.* 7.

SECTIO III.

Utrum requiratur aliqua habilitas corporalis in eligendis ad Prælatias regulares, ut electio sit valida.

42 *In Prælato eligendo debet dari ea habilitas corporalis, quæ est necessaria ad onus assumptum.*

43 *Valetudinarii, qui malè valent, frequenterque ægrotant, sunt inhabiles ad Prælatias, imò electi tenentur in conscientia renuntiare.*

44 *Leprosi sunt inhabiles.*

45 *Quid de morbo gallico laborantibus dicendum sit?*

46 *Tabidi, seu phtysi infecti, & laborantes morbo incurabili, sunt inhabiles.*

47 *Qui valde sunt à communi hominum statu alieni, sive excedant per magnitudinem, sive per parvitatem, sunt inhabiles.*

48 *Furiosi, Lunatici, & qui habent lucida intervalla, sunt inhabiles.*

49 *Qui faciem ita deformatam habent, ut risum moveant, sunt inhabiles.*

50 *Claudi, qui nec stare, nec ambulare possunt, sunt inhabiles.*

51 *Dæmoniaci, cæci, carentes manibus, vel digitis, vel naso, muti, surdi, Hermaphroditi, taliter gibosi, ut ad cœlos non possint oculos levare, stulti, stolidi, Fatui, nimium Senes, & qui ob senectutem, onus susceptum non possunt complere, sunt inhabiles.*

52 *Quid, si quis post electionem in aliquam ex prædictis infirmitatibus inciderit, ubi etiam quid dicendum sit de jure nostro?*

53 *Nostra Constitutio non comprehendit in hoc casu Officium Definitoris, Lectoris, vel Procuratoris.*

54 *Stando in jure nostro tales infirmi, si à Prælaturis non arceantur usque ad sex menses ante Capitulum, intra illos non possunt removeri eis renuentibus.*

55 *Prælatus ob infirmitatem supervenientem non est inhabilis.*

56 *De jure nostro infirmitas reddidit inhabilem, ut aliquis eligatur, non tamen post electionem.*

DIco I. In eligendis ad Prælaturas Regulares ad hoc, ut electio sit valida, debet dari ea habilitas corporis, quæ est necessaria ad exercendum munus Prælatiæ, ad quod assumuntur: 42
in quo conveniunt omnes DD. & hac ratione sunt inhabiles ad hoc munus valetudinarii, qui scilicet malo corporis habitu malè sæpe valent, frequenterque ægrotant; imò electi tenentur in conscientia renuntiare, nec aliter absolvi possunt, secus si ad pristinam redeant valetudinem. Item Leprosi, & illi, quibus ex nimia venere ceciderunt capilli è barba, secus si ob aliam causam: laborantes morbo Gallico notoriè: Tabidi seu Pthtysi infecti, & laborantes morbo insanabili: Paralysi laborantes, Podagrici continui, vel quasi continui: morbo commitali, seu caduco laborantes: qui nimium sunt à communi hominum statura alieni, sive excedant in magnitudine, sive in parvitate: Furiosi, Lunatici, & qui lucida intervalla patiuntur, qui faciem ita deformatam & monstrosam habent, ut risum moveant: Claudi, qui nec stare, nec ambulare possunt; secus de aliis. Dæmoniaci, cæci, non tamen lippi, strabones, lusci, & alii patientes in oculis defectum: carentes manibus, vel digitis, vel naso: Muti, Surdi, Hermaphroditi; taliter Gibosi, ut ad cœlos oculos levare non possint: Stolidi, Fatui: taliter Senes, ut munus susceptum exercere non valeant: de quibus omnibus latè Tambur. *Tom.* 1 *disp.* 5 *quæsito* 21. *per tot.* Peyrin. *de Prælato q.* 2. *c* 4.
(margin: 43 cet malo; 44 Item Le-; 45 profi; 46 capilli; 47 qui nimium; 48 vitate; 49 Claudi; 50 alii; 51 phroditi)

ADVERTE tamen, quod si quis post factam electionem, & post Prælatiam assumptam, inciderit in aliquam ex prædictis infirmitatibus, non deberi invitum removeri, nec ad renuntiandum cogi, sed in tali casu debetur ei coadjutor, stando in jure communi, ut patet ex *Cap. penultimo & ultimo de Clericis Ægrotantibus*, & ex Cap. *scripsit mihi*, & Cap. *quamvis triste* 7. 91. Tambur. *ibidem n.* 47. Peyr. *ubi supra num.* 23. 52

Dixi, *stando in jure communi*: Nam de jure nostro, qui ratione alicujus ægritudinis, non possunt continuo choro interesse, & ab esu carnium abstinere, eo ipso manent inhabiles ad officium Generalis, Provincialis, Prioris, Rectoris, aut Superioris, & ob prædictas causas jam electi à suis officiis removeri debent, ut patet ex 3 *p. nostr. Const. c.* 1. *num.* 8. Ubi nota hujusmodi Constitutionem non comprehendere officium definitoris, vel Lectoris, 53
vel

vel Procuratoris. Unde hi etiamsi sint ægroti; ita ut non possint Choro interesse, & à carnibus abstinere, sunt ad hæc officia eligibiles, ut etiam tenet Peyr. *de Prælato* 92. *c.* 4. *n.* 4.

54 An autem, si tales infirmi, stando in jure nostro ab officiis non arceantur usque ad sex menses ante Capitulum Generale, vel Provinciale, postea intra ipsos sex menses ante Capitulum possint adhuc amoveri, saltem à Definitorio? quæstio est de qua ab hinc paucis diebus in casu contingenti fui interrogatus; & respondi negativè: nam in eadem *tertia parte nostrarum Constitutionum, capite* 1. *numero* 3. decernitur *ut nullus per sex menses ante Capitulum Generale, vel Provinciale possit activa voce privari, nisi ratione suæ culpæ mereatur privationem officii, cui vox sit annexa: Si verò ob alias causas sit inhabilis, aut voce careat, decernatur id à definitorio Generali, vel Provinciali*

55 in Capitulo: atqui hujusmodi Prælatus non meretur privationem ob culpam, nec ob infirmitatem supervenientem est inhabilis, aut voce caret, nec jure communi, ut *supra* diximus, nec jure nostro, ut patet ex eadem *Const.* 3. *p. c.* 2. *n.* 8. ubi solùm taliter infirmos reddit inhabiles, ut eligantur;

56 non verò, si jam electi sint, sed tantùm addit, quòd jam electi ab officiis removeantur, quod debet intelligi, si sit ante sex menses à Capitulo, juxta illam legem universalem, *nullus sex mensibus ante Capitulum possit activa voce privari*: ergò nec definitorium Generale, nec Provinciale intra sex menses ante dictum Capitulum potest prædictos Prælatos ab officio amovere, vel saltem activa voce privare, salvo meliori judicio, & ita in facti contingentia factum fuit cum Patre Alberto à S. THERESA Priore &c. Convent. Portuensis anno Domini 1657. in hoc nostro Definitorio Lusitano ALEXAND. VII. authoritate celebrato.

SECTIO IV.

Utrum illegitimi sint habiles ad Prælatias regulares?

57 *Religiosi eligendi in aliquam Prælaturam, vel dignitatem, in qua habent aliquam praeminentiam, debent esse legitimi, vel dispensati, aliàs electio est irrita.*

58 *Illegitimi possunt constitui Procuratores Monasterii.*

59 *Illegitimi per professionem non manent dispensat ad Prælaturas, benè tamen ad Ordines.*

60 *Generales, vel Provinciales in suis Capitulis possunt dispensare cum illegitimis ad Prælaturas.*

61 *Dispensatus ad dignitatem inferiorem, non manet dispensatus ad Superiorem, bene tamen è contra.*

62 *Dispensatus ad omnia beneficia in sæculo, non manet dispensatus ad Prælaturas regulares in Religione.*

63 *Dispensatus ad beneficium curatum in sæculo, non manet dispensatus ad dignitatem.*

64 *Semel dispensatus ad unam Prælaturam, manet perpetuò dispensatus ad hanc, & alias ejusdem rationis.*

65 *Si Generalis, vel Provincialis in suo Capitulo eligant aliquem notoriè illegitimum ad aliquam dignitatem, censentur cum illo dispensare, etiam pro foro externo, si aliàs habeant legitimam causam dispensandi.*

66 *Prælati Regulares non possunt dispensare sine causa cum illegitimis.*

67 *Quæ sit justa causa dispensandi cum illegitimis?*

68 *In postulatione dispensationis debet explicari qualitas illegitimitatis.*

69 *Religiosus, cujus illegitimitas est omnino occulta, si dignitatem non possit recusare, non tenetur se infamare, sed potest etiam sine dispensatione acceptare Prælaturam.*

70 *Gesta ab hoc Prælato valent.*

71 *Electio illegitimi revalidatur per subsequens matrimonium contractum post acceptam Prælaturam sine nova collatione.*

72 *Prælati regulares non possunt dispensare cum Filio illegitimo alicujus Religiosi, ut in eadem Religione, in qua ejus Pater fuit Prælatus, assumatur ad Prælaturas.*

73 *Quid dicendum sit de filio illegitimo habito in sæculo?*

74 *Quid dicendum sit de nepote respectu Avi?*

75 *Quid de Filio legitimo, quem habuit in sæculo?*

DICO I. Religiosi eligendi in Generales, Provinciales, Priores, Rectores, Guardianos, Præ- 57
positos, Visitatores, Commissarios, Procuratores, Generales, Definitores, Assistentes, Superiores, aut Vicarios Conventuum, in quibus gaudeant aliqua præeminentia, aut in absentia Superiorum maneant Præsidentes Monasterii, debent esse legitimi, aut ad hujusmodi officia legitima potestate dispen-

dispensati, aliàs electio est irrita, ut colligitur ex C. 1. *de Filiis Presbyterorum*: ita ex Silvest. Rodrig. Portel. Lezan. & aliis communiter Pelliz. *Tr.* 9. *c.*
58 2. *n.*141. Tambur. *T.* 1. *disp.* 5. *quæsit.* 14. *n.* 6. Possunt tamen etiam sine dispensatione constitui Procuratores Monasteriorum, Sacristæ, Magistri Novitiorum, & possunt habere alia officia manualia, quæ nec dignitatem, nec curam animarum importent.

59 *Dico secundò*: Illegitimi per professionem religiosam, licet maneant dispensati ad Ordines, ut patet ex C. 1. *de Filiis Presbyterorum* non tamen ad Prælatias, & dignitates, & officia regularia: nec privilegium *Eugenij* IV. & *Iulij* III. per quod illis concedebatur, ut per professionem religiosam, non solum ad Ordines, sed etiam ad dignitates manerent dispensati, jam subsistit; sicut nec alia privilegia, quibus potestas dispensandi cum ille-
60 gitimis ad Prælatias concedebatur Generalibus, & Provincialibus, ut erat privilegium *Sixti* IV. quod refert Tambur. *ubi suprà n.*7. Nam hæc omnia, & alia privilegia revocavit *Sixtus* V. hujusmodi potestatem Sedi Apostolicæ omnino reservando. Verum hujusmodi Constitutio fuit postea limitata per Greg. XIV. qui concessit Clericis regularibus ministrantibus infirmis, ut eorum Generalis, vel Provincialis in suis Capitulis possent cum natalium defectum patientibus dispensare ad Prælaturas, & officia Regularia; quod privilegium aliis Religiosis commune est, si habeant privilegium communicationis, ut advertit Peyrin. *ubi suprà num.* 142.

61 *Dico tertiò*: Dispensatus ad dignitatem inferiorem, non manet dispensatus ad Superiorem, benè tamen è contra; ut colligitur ex C. *innotuit de electione*, ita cum Sorbo, Panormitanus, Tamburinus *ubi suprà quæsito* 19. *num.* 10. & cum Bordon. Pelizarius *ubi suprà n.* 143.

62 An autem dispensatus ad omnia beneficia in sæculo, maneat dispensatus ad Prælaturas in Religione, aut è contra? Respondeo negativè, cum Bordon. *resolut.* 12. *num.* 58. Quidquid cum aliis dicat Lezana *Tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 81.

63 Idem dicendum est de dispensato in una Religione ad dignitates, non manere in alia dispensatum, si ad illam transeat. ita cum Rodriguez, Sanchez, Peyrin. & aliis Tamburinus *loc. cit. n.* 9. sicut nec dispensatus ad beneficium curatum in sæculo, manet ad dignitates dispensatus, ut notavit cum aliis idem Tamburinus *n.* 1. Est enim dispensatio stricti juris & odiosa, & strictè est interpretanda, in C. *in fin. de filiis Presbyter.* & cum Sairo, Navarro, & aliis tenent Tamburin. *ibid. n.* 2.

Adverte tamen, quod semel dispensatus pro u- 64
na Prælatura, manet dispensatus in perpetuum ad hanc, & alias Prælaturas ejusdem rationis, ita Bord. *Tom.* 1. *resol.* 10. *n.* 21.

Dico quartò: Si Generalis, vel Provincialis cum 65
suo Capitulo, vel Definitorio elegerint aliquem notoriè illegitimum ad aliquam dignitatem regularem, etiamsi sit ipse Generalatus, censetur cum illo in hac inhabilitate dispensare, non solùm pro foro interno, ut voluêre Navaarus, Sair. Avila, quos refert & sequitur Tamburinus *ubi suprà quæsit.* 17. *n.* 7. sed etiam pro foro externo; Si alias constet Superiores habuisse legitimam dispensandi causam, ita Sanct. Salas, Sigismundus, Suarez, quos refert & sequitur Tamburinus *ibid.* Unde si res in examen deferatur, necessarium est in foro externo probare causam; in foro tamen interno sufficit non constare de causæ defectu, quia subditus præsumit Superiorem rectè agere.

Dixi, *si alias constet Superiores habuisse legitimam* 66
dispensandi causam: Nam Prælati regulares sine causa non possunt cum illegitimis ad dignitates, vel Prælaturas dispensare. ita cum Portel. Rodriguez, Sigismundus, & aliis Peyrin. *de Prælato*
quæst. 2. *c.* 5. *num.* 145. Justæ autem causæ sunt 67
utilitas, scandalum, litterarum scientia, morum honestas, Vitæ virtus, fama personæ, & aliæ, quas enumerat Sigismundus *dub.* 78. *n.* 4.

Adverte tamen, in postulatione dispensationis, 68
etiam inter Regulares, debere explicari qualitates illegitimitatis: An scilicet fuerit ex adulterio, incestu, &c. alias corruet dispensatio. ita Miranda, quem refert, & sequitur Peyrin. *loc. cit. n.* 145. Quidquid in contrarium dicat Rodrig. *Tom.* 1. *q.* 13. *art.* 14.

Dico quintò: Religiosus, cujus illegitimitas est 69
omnino occulta, si cogatur accipere prælaturam, & dispensationem petere non posset, absque sua, & suorum parentum infamia, potest accipere talem prælaturam absque dispensatione. Nam jus 70
naturale conservandæ famæ prævalet juri positivo annullanti electionem. Unde in tali casu gesta à tali Prælato valerent, ut notant communiter DD. ita Pelizarius *ubi suprà n.* 147.

An autem electio illegitimi revalidetur per sub- 71
sequens matrimonium inter ejus parentes, ita ut absque dispensatione, aut nova collatione exercere possit prælaturam, ad quam antea electus est? Respondeo affirmativè, ita cum Bordono, Pelizarius

rius *n.* 145. Sicut enim irregularitas quoad exercitium Ordinum in illegitimo ordinato, sine dispensatione tollitur per subsequens matrimonium, ita & istainhabilitas ad prælaturas,

72 *Dico sexto:* Regulares prælati non possunt dispensare cum filio illegitimo alicujus Religiosi, ut in eadem Religione, in qua ejus pater fuit prælatus ad prælaturam assumatur. ita Peyrin. *de Prælato q.* 2.*c.*5.§.9.*n.*137. & habetur expresse in Constitutione *Clementis* VII. & *Greg.*XIV. in quibus concedunt Generalibus & Provincialibus, ut possint dispensare cum illegitimis ad Religionem; dummodo eorum patres non sint professi eandem Religionem & adhuc vivant. Unde à fortiori sequitur eorum patribus viventibus minimè posse ad dignitates dispensari, non solum in eodem Conventu, in quo pater fuit prælatus, sed neque pro altero ejusdem Religionis, quidquid dicat Rodrig. *Tom.*1.*q.*13.*art.*7. Imò nec pro altero ejusdem provinciæ. ita Tambur. *ubi supra quæsito* 15.*n.*1. quidquid contradicat cum aliis Peyrin. *ubi supra n.*135.

73 An autem idem dicendum sit de filio illegitimo, quem quis habuit antequam professionem emiserit in eadem Religione? negat Rodrig. & Miranda, quos *ibid.* refert Peyrinis *num.* 138. sed contrarium tenendum est, cum Sigismundo, quem *ibi* refert, & sequitur Peyrin. de hoc enim habetur quædam Cardinalium declaratio, quam refert

74 Sigismund. *dub.* 75.*n.*2. & idem dicendum est de nepote illegitimo respectu Avi, ita cum Sigismund. & aliis Peyrin. *ibid. n.*139.

75 Advertetamen, filium legitimum non prohiberi esse Prælatũ in eadem domo, vel Provincia, in qua ejus Pater fuit Prælatus, modo illi immediatè non succedat. ita Rebuffus, Duar. Majol. Lessius, Sair. & alii, quos refert & sequitur Peyrin. *ibid. n.*142.

SECTIO V.

Utrum defectus ætatis, vel professionis in eadem Religione, aut Ordinis Sacerdotalis reddat Religiosum inhabilem ad quascumque Prælaturas regulares?

76 *Si Religiosi ante vigesimum quintum annum eligantur ad Prælaturas regulares, sive majores, sive minores electio est nulla.*

77 *In hoc non possunt Prælati dispensare absque privilegio.*

78 *Incepto vigesimo-quinto anno possunt Regulares eligi ad Prælaturas inferiores, ut sunt Prioratus*

79 *Expleto vigesimo-quinto anno possunt de rigore juris eligi ad omnes Prælaturas, etiam majores.*

80 *Eligendus in Definitorem, vel aliam dignitatem, cui non est annexa cura animarum de rigore juris, debet habere saltem 23. annum.*

81 *Ex convenientia in Generalibus, Provincialibus requiritur ea ætas, quæ exigitur in Episcopis.*

82 *Idem dicendum est de Definitoribus generalibus, præsertim si habeant votum decisivum.*

83 *Quæ ætas requiratur in prælatis de jure nostro?*

84 *Si electi non habeant ætatem, quæ de jure nostro requiritur, benè tamen quæ requiritur de jure communi, electio est valida.*

85 *Eligendus in Prælaturam curam Animarum habentem, debet actu esse Sacerdos, vel intra annum debet ad Sacerdotium promoveri.*

86 *Irregularis non potest eligi in prælatum.*

87 *Instante necessitate potest constitutus in minoribus Ordinibus, vel in aliquo ex ipsis eligi ad Prælatias Regulares.*

88 *Qui non habent saltem primam tonsuram, nec in casu necessitatis potest eligi in prælatum.*

89 *Quid dicendum sit de Religionibus Laicorum, & de illis, in quibus solitum fuit eligi Laicos in Prælatos.*

90 *Regularis Laicus non potest esse Socius, vel Discretus, vel Definitor in Capitulis sive Generalibus, sive Provincialibus.*

91 *Non possunt habere vocem activam, vel passivam pro electione Prælatorum.*

92 *Eligendus in Prælatum non solum tacitè, sed etiam expressè debet esse professus in eadem Religione, alias electio est irrita.*

93 *De jure communi in eligendo in prælatum regularem, nulla requiritur antiquitas professionis*

94 *Si aliquis statim ac profitetur eligatur in prælatum, talis electio est irritanda.*

95 *Quæ ætas requiratur in eligendo in prælatum de jure nostro ad quamlibet prælaturam,*

DIco primò: Si Religiosi ante vigesimum quintum annum eligantur ad prælaturas regulares, sive inferiores, sive superiores, non tenet electio, ut patet ex Cap. *cum in cunctis* 7.§.*inferiora de electione licet canone eodem de electione,* & ex Trid. *sess.* 76

24. *&c*

24. c. 12. & tenet cum Sanchez. Miranda, & aliis
77 Bord, *To.* 1.*resol.*21.*n.*24. Nec in hoc possunt præ-
lati dispensare, nisi alias habeant speciale privile-
gium. Lezan. *Tom.*1.*c.*18.*n.*5.& colligitur ex Cap.
cum nobis olim de electione, & Cap. *licet, canone eodem*
78 *in* 6. incepto tamen vigesimo-quinto anno pos-
sunt eligi in prælatos regulares inferiores, ut sunt
Prioratus: ita cum Suar. Pelizz. *Tr.* 9.*c.*2.*n.*117.&
aliis Bord. *ubi supra.* Lezana *loc.cit.* Expleto verò vi-
79 gesimo quinto anno possunt etiam de rigore juris
eligi in Provinciales & Generales: ita cum Suar. Pe-
liz. *ibid.* Nam jura ad prælaturas Regulares aliam
majorem ætatem non postulant: Nec DD exten-
dunt ætatem triginta annorum in Episcopis re-
quisitam in prædictis juribus ad Generales Religi-
80 onum: ita cum Suar. Pellizz. *n.*118. Tamb. *T.*1.*disp.*
5.*quæst.*9.*n.*4. ad Definitoriatus verò officium, ac
cæteras dignitates, quibus nulla Animarum cura
competit ad minus debent habere vigesimum ter-
tium annum: ita decernitur in Trident. *sess.*24.*c.*
12, ita Samuel. *Tr.*2.*contr.*2.*dis.*4.*num.*7.

81 Dixi, *De rigore juris.* Nam ex convenientia in
Generalibus, & Provincialibus major ætas, saltem
ea, quæ exigitur in Episcopis, requiritur. Tambu-
rin. *ibid* Sigismund. Bord. quos refert, & ut proba-
bilem putat Lezan. *loc.cit.*

83 Et idem de Definitoribus Generalibus dicen-
dum existimo, præsertim si cum Generali habeant
votum decisivum: Nam cum sint cum eo partici-
pes in dignitate ob gravissima negotia, quæ eis
committuntur, majori prudentia debent pollere;
hæc tamen dico stando in jure communi; Nam de
jure speciali unusquisque consulat sua statuta; in
N. namque Religione, qui eligendus est in Gene-
ralem saltem quadragesimum ætatis annum debet
attingere; ad Provincialatum vero requiritur tri-
gesimus tertius annus ætatis, ad Definitoriatum
vero postulatur quoque trigesimus-tertius ætatis
annus, & ad Prioratum exigitur, ut saltem trige-
simum ætatis annum attigerit, ut patet ex 3.*p. nostr.*
*Const. c.*2.*n.*10. *& sequentibus.*

84 An vero in casu quo electi non habeant ætatem
jure nostro requisitam: benè tamen, quæ de jure
communi requiritur, Electio sit irrita? Respondeo
negativè: Nam cum lex statuens talem ætatem in
Ordine nostro non habeat annexum decretum ir-
ritans, licet defectus illius observantiæ sit illici-
tus, non tamen reddit actum nullum: ita Bordon.
loc. cit. num. 34.

85 *Dico secundò:* Eligendus in prælatum regula-
rem curam animarum habentem, de jure communi
debet esse actu Sacerdos, aut ad minus intra annum
ad Sacerdotium debet promoveri. ita Lezana *ubi
supra n.* 5. Layman. Suarez, quos refert & sequitur
Pelizarius *Tract.* 9.*c.*2.*n.*123. nulla enim alia obli-
gatio de jure positivo, vel naturali exigitur.

Nec obstat, quod in Cap. *Tuam de ætate, & qua-
litate*, dicatur quod instante necessitate possit assu-
mi in Abbatem, etiam in minoribus constitutus,
ut inde inferatur à contrario sensu extra necessita- 86
tem debere esse ordinatum in sacris illum, qui Ab-
bas, vel Prior constituitur, ut infert Tamburinus
ubi supra quæsito 12.*n.*1. Respondetur namque cum
Peliz. *ibid.* tantum esse sermonem de irregulari, qui
non potest in sacris ordinari. Unde sensus illius
Cap. est, quod irregularis ad sacros Ordines non
possit eligi in prælatum Religionis: quippe qui ex
vi muneris obligatur ad sacros Ordines, ad quos
ratione irregularitatis est impeditus; instante ta-
men necessitate, cum necessitas non habeat legem,
posse constitutum in minoribus ad prælaturam
promoveri, & interim dispensationem irregulari-
tatis procurare.

Hinc tamen fit, quod etiam in casu necessitatis, 87
eligendus in prælatum, ad minus debet habere mi-
nores Ordines, vel saltem aliquem ex ipsis: ad quod
etiam sufficit prima tonsura, quia alias non esset 88
capax beneficij Ecclesiastici: ita Suarez, quem re-
fert & sequitur Peliz. *supra cit. loc.*

Secundò sequitur Regulares Laicos non posse 89
eligi in Superiores, siquidem non possunt exerce-
re actus jurisdictionis.

Excipe illas Religiones, quæ ex Laicis compo-
nuntur, ut est Religio S. Ioannis Dei.

Excipe etiam Religiones, in quibus id Laicis per-
missum est ex sua Regula, ut olim in Religione Mi-
norum ad talia munera admittebantur: In hoc ta-
men casu tales Prælati non possunt exercere juris-
dictionem spiritualem, benè tamen potestatē do-
minativam: ita Suar, *T.* 4.*de Relig.tr.* 8.*l.*2.*c.*3.*n.*20.
aliique communiter; imò ex Roderico addit no-
ster Lezana, *Tom.*2.*cap.*8.*n.*19. Regulares Laicos, 90
quantumvis professos non posse esse Socios, aut
Discretos, nec Definitores pro Capitulis Genera-
libus, vel Provincialibus, nec illa munera exercere,
quibus annexum est habere vocem activam, vel 91
passivam pro electionibus Prælatorum, ut sunt es-
se Assistentes, ut patet ex Clement. *ut ij, qui de æta-
te & qualitate*, & ex Trident. *sess.*22.*c.*4. ubi habe-
tur nullam habere vocem in Capitulis, nisi ad mi-
nus sit insignitus Ordine Subdiaconatus.

Dico tertiò: Eligendus in Prælatum debet esse 92

non solum tacitè, sed etiam expresè professus in eadem Religione, alias electio est ipso jure nulla: ita habetur in Cap. *nullus de elect. in 6.* & Clemen. 1. *de elect.* quod decretum fuit innovatum à Trident. *sess.* 25. *cap.* 21. *de Regularibus*: ita Suar. Lezan. Layman, quos refert & sequitur Peyrin. *ubi suprà num.* 121. Tamburin. *disp.* 5. *Tom.* 1. *quæsit.* 10.

93 *Adverte* tamen, de jure communi nullam requiri antiquitatem professionis; talis enim conditio non extat in jure communi, quamquam si aliquis statim ac professus est, eligeretur in Prælatum, talis electio esset irritanda: Ad irritandum
94 namque electionem sufficit præsumptio vehemens ambitionis in Electo orta ex ipsa electione, quæ in continenti facta fuit: arguitur enim non ob *Dei* amorem professionem fuisse emissam, sed potius ad consequendam dignitatem: ita cum Suar. Layman, & aliis Peliz. *ubi suprà n.* 122.

Dixi, *de jure communi nullam requiri antiquitatem professionis*, nam de jure nostro ad Generalatum
95 requiruntur duodecim anni à professione: ad Provincialatum decem: ad Definitoratum, & Prioratum octo, ut patet ex 3. *p. nostr. Const. c.* 2. *n.* 19. *& sequentibus.*

SECTIO VI.

Vtrum excommunicatus, suspensus, vel interdictus possit eligi ad Prælaturas Regularium?

96 *Excommunicatus majori excommunicatione, non potest eligi ad quamcumque dignitatem, etiamsi non habeat annexam curam animarum, & si eligatur, electio est irrita.*

97 *Et hoc sive excommunicatio sit à jure, sive ab homine.*

98 *Sive per sententiam specialem, sive generalem.*

99 *Sive sit occulta, sive publica.*

100 *Sive nota ipso electo, vel electoribus, sive ignota utrisque.*

101 *Sive sit denuntiatus, sive non.*

102 *Probabile est posse excommunicatum toleratum scienter eligi ad Prælaturas ob bonum commune.*

103 *Si de facto excommunicatus eligatur, non potest in conscientia retinere Prælatiam, etiamsi motu proprio à Papa fuerit collata, si Papa alias ignorabat excommunicationem.*

104 *Si Papa haberet notitiam excommunicationis, censetur talem electum ab illa absolvere, & tenet electio.*

105 *Si Excommunicatus post collationem Prælaturæ obtineret absolutionem excommunicationis, electio non revalidatur.*

106 *Si potest manifestare excommunicationem absque nota, vel infamia, tenetur se prodere.*

107 *Si non potest sine infamia illam manifestare, potest prælatiam retinere, & postea quamprimum procurare dispensationem ab eo Prælato, qui talem potest conferre dignitatem.*

108 *Interim acta ab eo sunt valida.*

109 *Quis sit Prælatus, qui hoc casu cum tali excommunicato possit dispensare?*

110 *Ligatus minori excommunicatione non potest eligi ad Prælaturas.*

111 *Si tamen eligatur, licet electio sit valida, est tamen irritanda.*

112 *Quid si detur ignorantia ex parte electi, vel eligentis?*

113 *Eligentes scienter excommunicatum minori excommunicatione, vel electus in electionem de se factam consentiendo, peccat mortaliter.*

114 *Sic eligentes excommunicatum minori excommunicatione, non incurrunt ullam pœnam.*

115 *Suspensus, sive ab Ordine, sive à jurisdictione, sive ab utroque non potest eligi ad Prælaturas, & si eligatur electio est nulla.*

116 *Idem dicendum est de singulariter interdicto.*

Dico primò: Excommunicatus majori excommunicatione, non potest eligi ad quamcumque dignitatem Ecclesiasticam, etiam non habentem curam animarum, qualis est Definitoriatus, Discretatus, Procuratoriatus, & similes: quod si 96
eligatur, electio est omnino irrita, etiam in foro 97
conscientiæ, & hoc sive excommunicatio sit ab 98
jure, sive ab homine, sive per sententiam generalem, sive specialem, sive sit publica, sive occulta, 99
sive sit nota excommunicato, ac electoribus, sive utrisque ignota, sive excommunicatus sit denunciatus, sive non: ita in Cap. *constitutus de appellat.* 100
& in Cap. *nos in hominem 9. q.* 1. & cap. *postulastis de Cleric. excom.* & cap. 1. *de rescrip. in 6.* & tenent communiter DD. quos refert, & sequitur Peyrin. *de Prælato q.* 2. *c.* 5. *n.* 2. 101

Unde non sunt audiendi Navarr. Sa, & alij, quos

quos refert *ibi* Peyrin. qui dicunt electionem fa-
ctam in personam excommunicati ignorantis su-
am excommunicationem esse validam: nam igno-
rantia licet aliquando liberet à culpa; non tamen
reddit actum validum, alias ab Ecclesia irritatum,
nec inhabilem reddit habilem, ut benè cum Suar.
advertit Peliz. *Tract.* 7. *c.* 2. *n.* 51. Placet mihi ta-
men exceptio Peliz. *num.* 53. scilicet probabile es-
102 se posse excommunicatum toleratum scienter, li-
citè & validè eligi ad dignitates, quando cedit in
bonum commune Religionis, ut talis excommu-
nicatus eligatur: nam sicut excommunicatus to-
leratus potest eligere, non obstante, quod *Extra-
vagans ad evitanda* nullum intendat favorem im-
partiri excommunicatis, quia eligere non est fa-
vor eligentis, sed electi, vel Ecclesiæ, ut nos
suprà diximus, & tenet cum multis Peyrin. *de Præ-
lato q.* 2. *c.* 5. *n.* 13. ita & nos possumus dicere in ca-
su proposito salvari finem prædictæ *Extravagan-
tis*, cum talis excommunicatus non in sui favo-
rem, sed Ecclesiæ eligatur, & hoc solum cedit in-
directè in favorem excommunicati.

103 *Dico secundò*: Si de facto aliquis excommunica-
tus eligatur, non potest retinere dignitatem licitè,
etiamsi fuisset data motu proprio à Papa, si alias
Papa excommunicationem ignorabat: nam si de
illa ei constabat concedendo dignitatem tacitè il-
104 lum absolvere censetur, saltem quo ad illum effe-
ctum. ita cum Suar. Henriquez, & alij Peyrin. *u-
bi supra n.* 9. Quod verum est etiamsi post factá os
electionem, obtineret absolutionem excommuni-
cationis, nam cum electio à principio fuerit nulla,
utpote facta de inhabili, postea per absolutionem,
nec etiam in foro conscientiæ revalidatur, nec tri-
106 buit aliquem titulum etiam coloratum. Unde si
potest manifestare excommunicationem absque
scandalo vel infamiæ nota ad se excusandum ab
107 acceptanda tali dignitate, tenetur se prodere, secus
si non potest manifestare absque infamia, vel no-
ta, nam tunc potest dignitatem acceptare, & po-
stea quamprimum procurare dispensationem ab
eo prælato, qui potestatem habet conferendi ta-
lem dignitatem. ita cum Suar. Azor. & aliis Pey-
108 rin. *ubi supra n.* 6. Pell. *Tract.* 7. *c.* 9. *n.* 55. interim ta-
men ab eo acta valerent, defectum supplente Ec-
clesia, propter bonum commune. Avila, Sà, Sua-
rez, quos refert, & sequitur Peyrin. *ibid. num.* 6.

109 Si tamen quæras, quisnam sit Prælatus à quo
in hoc casu debeat talis excommunicatus postu-
lare dispensationem? Respondeo in Religionibus,
in quibus Generalis potest per se solum conferre
dignitates, ut in Societate: nullum esse dubium il-
lum posse in tali casu concedere talem dispensati-
onem, quæ esset etiam virtualis collatio beneficij.
Peliz. *ibid. num.* 55. in aliis verò Religionibus, in
quibus omnes dignitates dantur per electionem,
satis probabile esse, quod sublata excommunicati-
one, per habentem legitimam potestatem eum ab-
solvendi, posse talem dispensationem obtineri à
proprio prælato, v.g. si fuerit Prior, potest eam
obtinere à Provinciali, etiamsi ad illum talis ele-
ctio irrita, per se ipsum tantum facienda non de-
volvatur, in quo casu talis dispensatio erit etiam
virtualis collatio beneficij. ita Peliz. *ibid.* quid-
quid contradicat Peyrinis *ubi supra unm.* 7. Et ra-
tio est, quia prælati regulares super suos subditos
habent jurisdictionem quasi Episcopalem, ex
Bulla Pij V. ut nos cum communi sententia mul-
toties adnotavimus: atqui satis probabile est,
quod sublata excommunicatione in hoc casu ab
habente potestatem posse episcopum in hac inha-
bilitate dispensare, siquidem omnis dispensatio,
quæ Papæ non reservatur censetur concessa Epi-
scopo: ut tenent communiter Doctores. Hæc au-
tem dispensatio Papæ non reservatur, ut tenet Sai-
rus, Garc. Reginald. Covar. quos refert & sequi-
tur Peyrin. *ibid.* ergo eandem dispensationem pos-
sunt prælati regulares concedere, ac per conse-
quens indirectè conferre beneficium; nam dispen-
satio in hac inhabilitate, est virtualis collatio be-
neficij, ut tenent prædicti Doctores.

Dico tertiò: Ligatus minori excommunicatione 110
non potest eligi in prælatum, at si eligatur, ejus
electio non est ipso jure irrita, erit tamen irritan-
da, nisi aliàs detur ignorantia, ex parte electi, vel 111
eligentis, vel ex parte utriusque, ut patet ex Cap.
si celebrat. de cler. excom. ita communiter DD. a-
pud Peyrin. *ubi supra n.* 23.

Hinc fit quod eligentes scienter excommuni- 112
catum minori excommunicatione, vel electus
consentiendo in electionem de se factam peccare
mortaliter, contraveniunt enim sacris Canonibus
in re gravi. ita cum Avila, Henriquez, Soto, & a-
liis Peyrinis *num.* 24. non tamen sic eligentes ex- 113
communicatum minori excommunicatione, in-
currunt aliquam pœnam privationis vocis acti-
væ, & passivæ. ita Suarez, Avila, Panormit. quos
refert Peyrin. *n.* 26.

Dico quartò: Suspensus, sive ab Ordine tantum, 114
sive à jurisdictione, sive ab utroque simul, non
potest eligi ad prælaturas regulares, & si eligatur
electio est irrita. ita habetur in Cap. *Cum dilectus*, 115

Cap. *cum bonæ de ætate, & qualitate,* & tenet cum Filliucio Parif. & aliis, quos refert, & fequitur Peyr. *ubi fupra* §. 1. *n.* 29.

Et idem dicendum eft de fingulariter interdicto, ut patet ex cap. cum inter *de electione,* cap. 1. *de poftul. prælator. cap. fin. de exceffi prælator.* & cum Na-
116 var. Azor. Miranda, & aliis communiter tenet Peyrinis §. 2. *n.* 39. fed de his vide, quæ diximus de excommunicato, nam *ibi* dicta hic eodem modo applicanda funt. Peyr. *ubi fupra* §. 1. *n.* 30. Pellizz. *Tr.* 9. *cap.* 2. *num.* 163.

SECTIO VII.

Vtrum irregularis, vel infamis poffit eligi ad prælaturas regulares?

117 *Irregularis non poteft eligi ad prælaturas regulares, & fi eligatur, electio eft irrita.*
118 *Et hoc etiamfi electus ignoret fuam irregularitatem.*
119 *Vt irregularis fit habilis, debet præcedere difpenfatio.*
120 *Ad hoc fufficit abfolutio antecedens cum claufula* Teque abfolventes, *fi detur ab habente poteftatem.*
121 *Probabile eft irregulares poffe eligi in Definitores, & alias dignitates non habentes curam animarum annexam.*
122 *Probabile eft irregulares poffe validè, licet illicitè eligi ad prælatias, etiam curam animarum habentes.*
123 *In hac opinione irregularis impetrando difpenfationem irregularitatis poteft licitè dignitatem retinere abfque alia nova collatione.*
124 *Poteft etiam ante difpenfationem exercere omnes actus, qui non pendent ab ordine.*
125 *Infamis eft ineligibilis, & fi eligatur electio eft irrita.*

117 DIco primò: Irregularis non poteft eligi ad prælatias regulares, & fi eligatur electio eft nulla. ita communiter DD. apud Peyrinis *de prælato q.* 2. *c.* 5. §. 3. *n.* 44. & patet tum ex Cap. *nifi de renuntiat. c.* 2. *de cler. ægrot.* & ex Trid. *feff.* 22. *de reform. cap.* 4. inter cæteras enim habilitates canonicas, quas requirunt comprehenditur, quod non fit irregularis; tum quia irregularis eft fufpenfus ab officio, cujus caufa datur beneficium: & hæc proce- 118
dunt, etfi electus ignoret fuam irregularitatem, ut *fupra* diximus de excommunicato, ita cũ aliis Peyr. *ibid. n.* 45. ut talis igitur irregularis fit habilis ad electionem, debet præcedere difpenfatio.

An autem ad hoc fufficiens fit abfolutio ante- 119
cedens cum claufula *Teque abfolventes, &c.* Negat Navarrus, cum debeat fieri mentio irregularitatis. Affirmativa tamen fententia probabilior eft, fi ab- 120
folutio detur ab habente poteftatem difpenfandi fuper irregularitatibus cum claufula, *à cenfuris, & pœnis.* ita Peyrin. *ibid. n.* 46.

Adverte tamen, fatis probabile effe irregulares 121
poffe eligi in Definitores, Socios, feu Difcretos Capituli; nam jurisdictio competens his officiis, cum fit tantum pro foro externo, non manat à poteftate Ordinis, nec ordinatur ad illam, nec illis competit ratione beneficij, etiam fimplicis. ita cum Suar. Sigifmundo, & aliis Samuellius, *Tract.* 2. *difp.* 2. *controverf.* 11. *n.* 9.

Secundo adverte, quod licet fecundùm communem, & tutiorem fententiam, quam hic fecuti fumus, irregularitas, licet occulta, reddat Religiofum inhabilem ad dignitates, quæ habent annexã curam animarum: contraria tamen fententia eft etiã probabilis, licet enim irregularis peccet mor- 122
taliter acceptando beneficium, & fimiliter retinendo, valet tamen collatio beneficij, & impetratâ difpenfatione irregularitatis poteft licitè beneficium retinere, abfque alia habilitatione, vel nova collatione: poteft etiam validè exercere omnes a- 123
ctus competentes ratione beneficij, imò & licitè, fi non fint actus Ordinis, faltem, fi non fit in mora petendi difpenfationem, hinc validè eligit, præfentat, confert poteftatem excipiendi confeffiones, miniftrandi etiam facramenta. ita Prepofitus, 124
Suarez, Coninc. Filliucius. Turrianus, Silvefter, Corfetus. quos refert, & fequitur Bafleus *verbo* irregularitas 1. *n.* 13.

Dico fecundò: Infamis tàm infamia juris, quam 125
facti eft ineligibilis ad prælatias regulares: & fi eligatur, electio eft irrita: ita communiter DD. apud Peyr. *ubi fupra* §. 4. *n.* 54. & patet ex regula 86. *infamibus, de reg. jur. in* 6. *& cap. infames* 6. *q.* 1. *c. cum in cunctis de Electione.* Tum, quia fi Religiofus poft fufceptos Ordines incurrit prædictam infamiam, eoipfo eft irregularis, & ineligibilis, à fortiori erit ifte, utpote irregularis, Pellizz. *Tract.* 9. *cap.* 2. *num.* 150.

SECTIO VIII.

Referuntur alij casus propter quos Regulares sunt ineligibiles ab Prælaturas.

126 *Qui literas Apostolicas falsificavit, vel in eis etiam in modico manus apposuit, est ineligibilis ad prælaturas.*

127 *Transiens ab Ordine Mendicante, ad non Mendicantem est irregularis ad dignitates.*

128 *Transiens ab Ordine non mendicante ad quemcumque alium potest eligi ad prælaturas.*

129 *Transiens ab Ordine Mendicante, cum debita licentia ad non Mendicantem, si revertatur ad Mendicantem, à quo exivit potest ibi eligi in prælatum.*

130 *Religiosus Mendicans factus Episcopus, si relicto Episcopatu, transeat ad Ordinem non Mendicantem, potest ibi eligi ad prælatias regulares.*

131 *Denunciatus de aliquo crimine, si præcessit infamia, & inquisitio illius, non potest eligi ad prælaturas.*

132 *Homicidia voluntarius, etiamsi fuerit occultus est ineligibilis.*

133 *Perjurus declaratus est ineligibilis.*

134 *Abjurantes in sancto officio: sive abjuratio sit de re levi, sive de gravi sunt ineligibiles*

135 *Pœnitentiati à sancto officio sunt ineligibiles exceptis pœnitentiis, quæ extrajudicialiter ponuntur, & in secreto implentur.*

136 *Bigami sunt ineligibiles ad prælatias regulares.*

137 *Vino dediti, & se inebriare consueti sunt ineligibiles ad prælaturas.*

138 *Publicus aleator est ineligibilis.*

139 *Regulares apostatæ ad Religionem, & ad meliorem vitam reversi possunt eligi ad prælaturas de jure communi.*

DIco primò: Dantur plures alij casus, in quibus Regulares sunt inhabiles ad prælaturas regu-
126 lares, *primum* si literas Apostolicas falsificavit, vel in eis etiam in modico manus apposuit. ita cum Felino & alijs Tambur. *T.1. disp.5 quæsito 21. n.2.*
127 *Secundò:* Si transiens ab Ordine Mendicante ad non mendicantem ex Clement. *ut professi de regul.* hæc tamen prohibitio non comprehendit transeuntem de non Mendicante ad quamcumque ali-
am Religionem. Peliz. *Tr.9. cap.2. num.* 115. Nec 128
includit Mendicantem, qui transit cum debita licentia ad non Mendicantes, & postea pœnitentiâ
ductus redit ad Mendicantes. Pellizz. *ibid. n.*156. 129
Nec comprehendit Religiosum Mendicantem fa- 130
ctum Episcopum, si deposito Episcopatu, cum licentia Papæ transeat ad non Mendicantes Pelliz. *num.* 157.

Tertiò, denunciatus de aliquo crimine, dum- 131
modo denunciationem præcesserit infamia pendente inquisitione, *Cap. Omnipotens Deus de accusatoribus* Tamburin. *ubi supra num.* 6.

Quartò, homicida voluntarius, etiamsi homi- 132
cidium fuerit occultum, ex Trid. *sess.* 14. *cap.*7, *de reformatione* Lezana *Tom.*1. *cap.*18. *n.*8.

Quintò, Perjurus declaratus. Cap. *quarelam de jure jurando.*

Sextò, Abjurantes in sancto inquisitionis offi- 133
cio, sive abjuratio sit de levi, sive de gravi: ita Navar, Ricciulus, Sanch. quos refert, & sequitur 134
Tambur. *ubi supra num.* 67. Peyrinis *de prælato q.* 2. *c.*5. §.7. *per totum.*

Septimò, Pœnitentiati à sancto inquisitionis of- 135
ficio, exceptis pœnitentiis salutaribus, id est, quæ extrajudicialiter imponuntur, & in secreto implentur, ut patet ex secreto Sacræ Congregationis jussu Urbani VIII. quod refert Peliz. *ibid. n.*154.

Octavo Bigami ex *C.* 1. & 2. *d.* 33. & Cap. 1. 2. 136
& 3. *de bigamis*, & ex Trid. *sess.* 23. *cap.* 17. *de reformatione*, & tenent communiter DD. apud Tambur. *supra citat. n.*68. cum enim bigamus duas contraxerit nuptias, non potest aptè significare unionem Christi cum Ecclesia unica ejus sponsa.

Nonò, Vino deditì & se inebriare consueti *cap. à* 137
*crapula de vita, & honest. cleri. & C. episcopus dist.*35. & ex Trid. *sess.* 11. *cap.* 1. *de reformatione*, & tenent communiter DD. apud Tambur. *ubi supra n.* 49. ubi signa ad dignoscendum ebrietatem affert *n.*50

Decimò, Publicus aleator, hoc est, qui consue- 138
tus est ludere ex Cap. *inter dilect. de excessibus prælat.* & Cap. *cleric. de vita & honest. cleric.* & Cap. *Episcopus d.* 35. & ex Trid. *sess.* 22. *de reformatione cap.* & communiter DD. apud Peyrinum *ubi supra num.* 56.

An autem Regulares apostatæ & ejecti, si ite- 139
rum redeant ad suam Religionem, sese emendent, & bonæ opinionis extiterint, sint ineligibiles ad prælatias? Respondeo negativè, nullum enim extat jus illos inhabilitans: ita & benè Pellizz. *supra citat. loc. num.* 159. & *sequentibus.*

SECTIO

SECTIO IX.

Vtrum circa fidem maculati sint ineligibiles ad prælaturas regulares?

140 *Hæreticus sive publicus sive occultus, non tamen mentalis est ineligibilis ad prælaturas, & si eligatur, electio est irrita.*

141 *Idem dicendum est de receptoribus, fautoribus, & defensoribus hæreticorum.*

142 *Idem dicendum est, de prædictorum filiis usque ad secundam generationem per lineam paternam, & usque ad primam per lineam maternam.*

143 *Hæc procedunt etiam post ipsorum conversionem.*

144 *Vt filii hanc pœnam incurrant, debent eorum parentes esse in judicio convicti, vel confessi, vel debet eorum hæresis esse publica.*

145 *Filij hæreticorum occultorum non incurrunt hanc inhabilitatem, nisi eorum parentes damnati sint in contumacia, aut eorum statuæ fuerint combustæ.*

146 *Filij nati ante paternam hæresim, probabile est incurrere hanc inhabilitatem.*

147 *Neophiti sunt ineligibiles ad dignitates.*

148 *Quis dicatur Neophytus.*

149 *Qui à nativitate, vel plus quam decem annis est conversus non est dicendus neophytus.*

150 *Qui ex parentibus Christianis novis natus est, non est dicendus neophytus.*

151 *Qui à nativitate baptizatus est, non est dicendus neophytus, etsi pater in infidelitate perseveret.*

152 *Stando in jure communi non sunt excludendi à dignitatibus descendentes ab infidelibus, si à nativitate, vel à decennio baptizati sint.*

153 *De jure speciali in Ordine Minorum non possunt eligi ad prælatias, qui intra quartum gradum descendunt à judæis, hæreticis & sarracenis, quorum corpora, ossa vel statuæ combustæ sunt post declarationem hæresis.*

154 *Electores, qui tales eligunt, incidunt in excommunicationem, & subditi talibus prælatis non tenentur obedire.*

155 *Similem prohibitionem habent Hieronymiani, & Minimi.*

156 *Inter Benedictinos Vallesoletanos ad incurrendum hanc inhabilitatem sufficit quod ascendentes usque ad quartum gradum fuerint confessi, & convicti, vel de crimine fuerint in particulari puniti.*

157 *Hæc privilegia aliis Religionibus non communicantur.*

158 *Hæc privilegia non comprehendunt Moniales.*

159 *Si in aliis Religionibus de hoc detur specialis lex, etiamsi non sit confirmata à Papa, debet observari, præsertim ubi tales promovere ad prælaturas, est ignominiosum, &c.*

160 *In Hispania maximè hoc ignominiosum est usque ad quartum gradum.*

161 *In Lusitania ignominiosum est illos promovere in quocumque gradu.*

DIco primò: Hæreticus sive publicus sit, sive occultus, non tamen mentalis, est ineligibilis 140 ad dignitates, & prælatias, & si eligatur electio est nulla. ita Bonacina, Azor. Suar. & alij communiter, quos refert & sequitur Tamburin. *Tom. 1. disp. 5. quæsito 22. n. 53.* & idem dicendum est de receptoribus, fautoribus & defensoribus hæreticorum, 141 ita prædicti DD. hi enim omnes sunt excommunicati in Bulla Cœnæ, & irregulares *cap. saluberrimus 1. q. 1.* excommunicati autem, & irregulares sunt incapaces prælaturæ regularis, ut *supra* diximus.

Idem dicendum est de prædictorum filiis usque ad secundam generationem per lineam paternam, & usque ad primam per lineam maternam. Ita Sanch. Sanctarellus, & alij, quos refert, & sequitur Peyrin. *de prælato q. 1. c. 7. §. 6. n. 7.* & patet ex 142 cap. *quicumque hæretici*, & cap. *statutum el. 2. de hæret. in 6.* quæ omnia procedunt etiam post ipsorum emendationem: ita cum aliis Pellizz, *Tract. 9. c. 2. n. 173.* Tambur. *ubi supra n. 53.* 143

Adverte tamen, quod ut filij prædictam pœnam incurrant, debent eorum parentes esse in judicio convicti, sive per propriam confessionem, sive aliunde, vel saltem debet eorum hæresis esse 144 publica, unde filij hæreticorum occultorum non incurrunt hanc inhabilitatem, nisi forte eorum 145 parentes condemnati sint in contumacia, aut eorum statuæ combustæ sint. ita cum Sanch. Suar. & alijs Peliz. *ubi supra n. 174.*

Imò probabile est, filios natos ante paternam hæresim non incurrere prædictam inhabilitatem. ita Simancas, Lessius, Bonacina, & alij, quos refert, & ut probabile tenet Tambur. *ubi supra n. 57.* 146 Pelliz. *ibid. num. 175.* licet contrarium probabilius sit,

sit, filij enim solent parentum mores imitari.
147 *Dico secundò*: Neophyti sunt ineligibiles ad
prælaturas & dignitates. ita habetur in Cap. *quo-*
niam & Cap. *sicut neophytus dist.* 48. ita commu-
niter DD. apud Tamburin. *numer.* 63. Neophy-
148 tus autem dicitur ille, qui de recenti ad fidem
conversus est ex judaica lege, vel Mahometica,
sive Ethnica. Unde, qui à nativitate, vel saltem
à decem annos est conversus ad fidem, non est
149 dicendus Neophytus: sicut nec ille, qui ex pa-
rentibus Christianis est natus. Imò nec ille, qui
à nativitate baptizatus est, etiamsi ejus pater per-
150 severet in infidelitate. ita Sanch. Ricciulus, & a-
lij quos refert, & sequitur Tamburin. *ubi supra*
num. 65.
151 Hinc fit quod stando in jure communi, non
esse excludendos à dignitatibus descendentes ab
infidelibus, si à nativitate, vel à decennio bapti-
152 zati fuerint. Suar. Covar. quos refert, & sequi-
tur Tamburin. *loc. cit. num.* 66. Pelliz. *n.* 177. & a-
lij multi quos refert Peyrinis *de prælato q.* 2. *cap.* 5.
§. 6. *num.* 84.
153 Dixi, *stando in jure communi*, nam de jure spe-
ciali in Ordine Minorum eligi non possunt in præ-
latos illi, qui intra quarum gradum descendunt
ex Judæis, hæreticis, Sarracenis, quorum corpo-
154 ra, ossa, vel statuæ conbustæ sunt post declaratio-
nem hæresis, & electores incidunt in excommuni
cationem, & subditi non tenentur prædictis præ-
155 latis obedire, ut patet ex Bulla *Pauli* IV. & *Grego-*
rij XIII. & similem prohibitionem habent Hiero-
nymiani per Bullam *Alexandri* VI. & maximè per
Bullam *Gregorij* XV. Imò Benedictini Congrega-
tionis Vallesoletanæ ex Bulla *Pij* IV. rigidiorem
habent prohibitionem, siquidem inter eos ad
156 prædictam inhabilitatem sufficit, quod ascenden-
tes usque ad quartum gradum fuerint confessi
crimen, vel convicti, aut de crimine fuerint in
particulari ab inquisitoribus puniti, vel inquisi-
ti: ut patet ex prædicta Bulla, ut benè notat Por-
tel *in additionibus ad dubia regularia* verbo *novitius*
num. 21.
An autem hujusmodi Constitutiones commu- 157
nicentur alijs Religionibus communicantibus?
Respondeo negativè, quidquid loquendo de Bul-
la *Gregorij* XIII. pro Minimis dicat Samuelius
Tract. 2. *disp.* 6. *contreversia* 28. *n.* 4. hujusmodi
enim concessiones potius dicendæ sunt Statuta
particularia illarum Religionum, quàm privile-
gia ipsarum, ac per consequens non includuntur
in communicatione privilegiorum. ita Tambu-
rinus, quem refert & sequitur Lezana *verbo neo-*
phytus numer. 11. Portel. *in additionibus ad dubia re-* 158
gularia verbo *novitius num.* 22. Nec etiam ex-
tenduntur ad Moniales ut cum Rodrig. notat *ibi*
Lezana.
Adverte tamen, quod si in Religionibus non- 159
nullis aliquæ circa hoc dentur speciales Constitu-
tiones, etiamsi non sint specialiter confirmatæ à
Papa, sed tantum factæ in Capitulis à legitimis
legislatoribus debere observari, & specialiter, ubi
promovere tales ad dignitates ignominiosum est, 160
ut accidit in Hispania, ut rectè notavit Lezana
loc. cit. n. 12. quod intelligo de descendentibus à
prædictis Judæis, & Sarracenis, non solum usque
ad quartum gradum, sed usque ad quencumque
gradum rotum; in hoc enim Portugalliæ Regno
eamdem ferè patiuntur ignominiam Religiones 161
recipientes ad habitum, vel promoventes ad dig-
nitates illos, qui ex Judæis descendunt usque ad
quartum gradum, quam si illos &c. qui in gradu
remotiori, noto tamen, ab illis descendunt,
ut quotidianâ experientiâ cer-
nimus.

DISPVTATIO V.

De confirmatione Prælatorum regularium.

SECTIO I.

Vtrum electiones Prælatorum regularium sint necessario confirmandæ?

1 *In omni electione de jure communi, tam ex parte confirmantis, quam electi requiritur confirmatio.*
2 *Si electus ante confirmationem exercuerit aliquem actum prælatiæ, ipso jure privatur omni jure per electionem acquisito.*
3 *Si electio est necessaria, confirmator tenetur electum confirmare.*
4 *Si per spatium trium mensium non confirmet, potest ad hoc compelli, etiam cum comminatione quod si tempore præfixo id non faciat, superior jure devoluto hoc faciet.*
5 *Electus per electionem acquisivit habitum, per confirmationem vero exercitium.*
6 *Electus ante confirmationem habet jus ad rem, post confirmationem vero jus in re.*
7 *A quo superiore debeat fieri hujusmodi confirmatio?*
8 *Quid dicendum sit de jure nostro?*
9 *Confirmator ante confirmationem debet præmittere examen idoneitatis eligentium ac electi, & formæ electionis.*
10 *Praxis Minorum, quorum Generalis absque examine confirmat electionem.*
11 *Quæ debeant præcedere de jure nostro confirmationem?*
12 *Praxis Minorum non est improbanda.*
13 *Generales ex privilegio possunt supplere defectus contingentes in electionibus prælatorum.*
14 *Confirmator non potest confirmare indignum.*
15 *Excipe, nisi ejus indignitatem sciat per confessionem sacramentalem.*
16 *Tenetur de jure communi confirmare electum dignum, etiamsi fuerit dignior prætermissus.*
17 *De jure speciali aliquando non potest confirmare dignum prætermisso digniori.*
18 *Electio ipso jure nulla, non potest validè confirmari.*
19 *Confirmatio est accessoria ad electionem.*
20 *Si electio sit valida non irritatur ex eo, quod confirmatio illius declaretur irrita.*
21 *Superior non potest confirmare electionem invito electo.*
22 *Electores tenentur præsentare quamprimum electionem electo, ejusque consensum requirere.*
23 *Electus tenetur intra mensem consensum declarare.*
24 *Si electus ultra id tempus exprimere consensum distulerit, manet privatus jure acquisito per electionem.*
25 *Inter regulares non requiritur hujusmodi consensus ex parte electi, sed potest ad acceptandum officium compelli, dummodo causam rationabilem non assignet, & num. 26.*
27 *Habito consensu electi, electores intra tres menses tenentur petere confirmationem à superiore.*
28 *Si confirmatio ab electoribus, vel ab electo, vel ab alio, intra tres menses non petatur, cessante legitimo impedimento, electio est irrita.*
29 *Confirmator non habet tempus determinatum ad confirmandum.*
30 *Potest illi præfigi tempus à superiore.*

Dico primò: In omni electione necessario requiritur confirmatio, tam ex parte confirmatoris, si electio est necessaria, & debita, quam ex parte electi; ita habetur in Cap. *postquam de electione in 6.* Quod adeo verum est, quod si electus ante confirmationem ausus fuerit aliquem actum exercere, tam in spiritualibus, quam temporalibus, tam per se, quam per alium, ipso facto, privatur omni jure, quod per electionem acquisivit, ut habetur in cap. *avaritiæ de elect. in 6.* ita Suar. Miranda, Lezana, & alij apud ipsos quos refert & sequitur Pellizz. *Tract. 9. cap. 2. n. 39.* 1 2

Dixi (*ex parte confirmatoris, si electio est necessaria & debita*) quia si electio est necessaria, confirmator non potest non confirmare illam, siquidem in necessariis liberalitas non exercetur *l. rem legatam* 3 4

tam ff. de adm. l. unde si confirmator intra tres menses nolit electionem confirmare, potest, ad hoc compelli per suum Superiorem, affixo termino cum comminatione, quod si intra illum non con-
5 firmaverit Superior jure devoluto hoc faciet. ita communiter DD. apud Samuellium *disp. 9. tr. 1. controvers. 1. num. 4.*

Dixi etiam *ex parte electi* tum, quia electus per electionem acquisivit habitum administrationis,
7 per confirmationem vero exercitium; tum, quia electus ante confirmationem tantum habet jus ad rem, per confirmationē verò acquirit jus in re: Cap. *qui duos de elect. in 6.* & cum aliis Tamb. *loc. cit. n. 21.*

Dico secundò: Hujusmodi confirmatio debet fieri à Superiore immediato prælati electi, hic autem olim respectu Generalis erat summus Pontifex, hodie tamen ferè omnes Religiones habent privilegium: ut eorum Generales semel electi eo ipso censeantur confirmati, quæ latè refert Tambur. *T. 1. disp. 6. quæsito 2. n. 3.* respectu verò Provincialis, in aliquibus Religionibus ejus confirmator
8 est Generalis, & Provincialis respectu Prioris localis, ut de sua Religione fatetur Samuelius *ubi supra controversia 2. n. 4.* in N. tamen Religione confirmatio omnium electionum excepta patris nostri Generalis, qui eo ipso quod electus est, censetur confirmatus pertinet ad nostrum Definitorium generale per vota secreta, ut patet ex *3. p. nostrarum Constitutionum c. 1. n. 14.*

9 *Dico tertiò*: Confirmator ante confirmationem debet præmittere examen, sive judiciale, sive extrajudiciale idoneitatis eligentium, ac electi, & formæ electionis, etiamsi nihil objiciatur. ita cum Peyrino, Navar. & aliis, Giragus *p. 1. dub. 20 n. 111.*
10 Unde aliqui non laudant praxim Minorum, quorū Generalis, visis literis testimonialibus, absque examine concedit confirmationem, etiamsi non appareat contradictor, nisi alias electus sit notoriè idoneus, ac bonæ famæ, & alia canonica requisita habeat, ex tali enim modo confirmandi maxima exsurgunt incommoda, ut benè cum Miranda advertit Giragus *ubi supra*, quapropter in N. Religione antequam omnes electi confirmentur, præses
11 Capituli Generalis imponit præceptum omnibus gremialibus, ut si quis in aliquo eorum, qui de novo electi sunt, aliquod noverit impedimentum, propter quod non possit confirmari in officio ad quod electus est, inter viginti quatuor horas illud manifestet, ut patet ex *3. p. nostrarū Constit. c. 1. n. 14.*
12 *Adverte* tamen, quod licet praxis Minorum non laudetur ab omnibus, non tamen illam reprobo, nam cum eorum Generalis ex privilegio *Sixti IV.* concesso Hieronymianis, quod refert Pellizz. *ubi supra n. 40.* possit authoritate Apostolica supplere quoscumque defectus contingentes in electione 13
prælatorum, eo ipso quod tales electiones confirmat sine examine, censetur supplere talem defectū, etiamsi sit de substantia electionis, prout cum aliis vult Tambur. *quæsito 2. n. 6.* Pellizz. *ubi supra n. 41.*

Dico quartò: Confirmator non potest confirmare indignum, hoc enim esset consentire & cooperari peccato eligentium in grave præjudicium Ecclesiæ: Excipe, nisi ejus indignitatem tantum sciat per confessionem sacramentalem; nam cum confirmatio sit actus externus, debet in ea procedere secundum legata, & probata, ita cum Peyrino & aliis Lezana *Tom. 1. c. 15. n. 36.* sicut etiam tenetur stando in jure communi confirmare electum dignum, etiamsi dignior fuerit prætermissus; imò etiamsi ex parte electorum daretur juramentum eligendi digniorem: ita cum aliis idem N. Lezana *Tom. 2. cap. 12. n. 34.* & ratio est, quia talis electio in foro externo est valida, esto electores fuerint perjuri: ergo necessario est confirmanda: nam cum confirmatio sit actus externus, debet electioni in foro externo validè conformari. 14 15 16

Dixi, *stando in jure communi*, nam de jure speciali aliquando tenebitur confirmator non confirmare dignum, prætermisso digniore, sed electionem cassare, ut observatur in Ordine Prædicatorū, ut testatur Sanch. *lib. 2. consilior. cap. 1. dub. 6. n. 4.* 17

Dico quintò: Electio ipso jure nulla non potest validè confirmari; nam cum confirmatio sit corroboratio juris prius habiti, & quasi accessorium ad electionem, quando principale non tenet, corruit accessorium, ergo. E contra vero si electio canonica sit valida, non irritatur ex eo, quod confirmatio illius declaretur irrita, sive ex defectu debitæ solemnitatis omissæ, sive ex inhabilitate Superioris confirmantis, non habentis potestatē confirmandi, sic quippe statuitur *Cap. si confirmat. de elect. in 6.* ita cum aliis Peyrin. *de subdito q. 1. c. 31. §. 11.* 18 19 20

Dico sextò: Superior non potest confirmare electionem invito electo. Unde electores quamprimum possint tenentur præsentare electionem electo, ejusque consensum requirere: ipse vero intra mensem computandum, à repræsentatione tenetur indicare consensum, quod si ultra distulerit, manet privatus jure acquisito per electionem: ita habetur in Cap. *quam sit de electione in 6.* hujusmodi autem præsentatio debet fieri in forma authentica, per scribam ex mandato electorum, ipsi vero electi non 21 22 23

non statim debent consentire, ne præsumantur ambitiosi, sed respondere se desiderare tempus ad
24 liberandum; Peyrinis *in formulario lib. & cap.* 16. *num.* 1.

Adverte tamen, quod cum Regulares velle, &
25 nolle non habeant, sed eorum arbitrium non ex propria, sed prælati voluntate dependeat, cujus imperio se subjecerunt, inter eos non requiri hujusmodi consensum ex parte electi, sed posse ele-
26 ctum, & confirmatum, ad acceptandum officium, ad quod est confirmatus, compelli, dummodo non assignet causam rationabilem. Castellinus, quem refert, & sequitur Tamburin. *supra num.* 12. & 13.

27 *Dico septimò*: Præstito consensu electi Electores intra tres menses tenentur petere confirmationem à Superiore, alias si, impedimento legitimo cessante, ab electoribus, vel ab electo, vel ab alio,
28 pro ipso electo non petatur confirmatio, electio est irrita Cap. *quam sit* & Cap. *cupientes de electione*
29 *in 6*. Ipse autem confirmator nullum tempus habet determinatum ad confirmandum, licet illud habeat ad inquirendum de validitate electionis, ut *suprà* diximus: poterit tamen illi præfigi terminus
30 à Superiore, ut *suprà* diximus, in casu, quo nolit sine causa confirmare. ita Tamburinus *ibid. quæsito* 3. *num.* 4. Vide circa prædicta & dicenda N. sapientiss. Joan. Bacconium in 4. *sentent. dist.* 7. *artic.* 2.

SECTIO II.

Vtrum contra electiones ac provisiones Superiorum regularium opponi possit?

31 *Si electio non fuit omnium unanimi consensu celebrata, possunt ante confirmationem oppositiones fieri.*

32 *In electione Generalis, legitima existente causa, etiam post confirmationem opponi potest.*

33 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

34 *Post confirmationem contradicendi locus non datur, quando id quod opponitur post confirmationem, jam ante confirmationem erat oppositum, & determinatum.*

35 *Quid si novæ causæ post confirmationem exurgant.*

36 *Quid si opponens non potuit ante confirmationem opponere, quia erat impeditus?*

DIco primò: Si electio non fuit unanimi omnium consensu celebrata, certum est posse ante 31
confirmationem contradictiones, ac oppositiones fieri, ad hoc enim præcipitur inquisitio ante confirmationem. Unde etiam in electione Generalis, qui hoc ipso, quod est electus censetur con- 32
firmatus, adhuc existente legitima causa, opponi potest, ac si non esset confirmatus, nam cum inter electionem, & confirmationem illius, nullum intermediet tempus, id quod jura permittunt ante confirmationem, censetur concessum post confirmationem, quando unico actu electio, & confirmatio completur, ut patet in provisione, cum qua electio parificatur Cap. *si postquam* §. *fin.* & cum aliis latè probat Samuelius *supra citatus controversia* 4. *num.* 3. Quare in N. Religione statutum est, quod si in electione Generalis dubium aliquod occurrerit, pater Generalis, & Definitores præce- 33
dentes teneantur illud per majorem suffragiorum partem Diffinitorij infra diem naturalem decidere, quorum resolutioni nemo contradicat, sub pœna privationis vocis, ac loci in perpetuum irremissibiliter incurrenda.

Dico secundò: Post confirmationem, opponen- 34
di seu contradicendi locus nullus adest; quando illud ipsum quod electo, seu electioni opponitur, jam ante confirmationem propositum, ac discussum fuit, ita communiter DD. apud Samuelium *ubi supra num.* 12.

Secus dicendum est, quando post confirmatio- 35
nem novæ causæ antea non cognitæ consurrexêre, ut §. *sequenti* dicemus vel quando opponens non potuit ante confirmationem opponere, quia 36
erat infirmitate impeditus, vel quia cum absens esset electionem ignorabat, ita cum aliis Samuelius *ibid. num.* 9.

SECTIO III.

Vtrum Electores possint reclamare de electionis nullitate, & de Superioris confirmatione, & intra quod tempus?

37 *Electores possunt apellare, ne electio fiat, nisi Canonicè*

nonicè, non tamen ne fiat electio.

38 *Si electio cassetur ratione modi in ea servati, potest hoc non obstante electus iterum eligi.*

39 *Eligentes aliquem unanimi consensu non possunt illi electioni opponere, nisi postea novæ causæ antea ignotæ innotescant.*

40 *Electores reclamando, se timore, vel promissis inducti elegisse, non sunt audiendi.*

41 *Si electio fuit in discordia celebrata, vel exclusis illis, qui non debebant excludi, ij qui non consenserunt electioni, possunt intra decem dies reclamare, si fiat oppositio per modum appellationis.*

42 *Transacto hoc tempore, solum eis conceditur uti remediis juris.*

43 *Appellantes ad sedem Apostolicam, quæ debeant facere?*

44 *Quæ debeat habere appellatio, ut sit valida?*

45 *Contra electionem post confirmationem fieri etiam potest oppositio, aliquibus conditionibus servatis.*

46 *Referuntur conditiones, quæ in tali oppositione debent servari.*

47 *Confirmatio electi postquam ab electione celebrata ad sedem Apostolicam appellatum fuit, in scriptis est nulla, nisi prius fuerit ab ipsa appellatione recessum.*

48 *Cassata vel irrita confirmatione, quia fuit facta appellatione pendente ad sedem Apostolicam, electio alias Canonica non infirmatur, nec cassatur.*

37 PRo hujus Sectionis intelligentia suppono, quod licet Electores possint appellare, ne electio fiat, nisi Canonicè, non tamen possunt appellare, ne fiat electio. *Cap.* Cum nobis *de electione.*

38 Secundò suppono, quod si electio cassetur ratione modi in ea servati, hoc non obstante adhuc Electus potest iterum eligi, ut habetur Cap. *consideravimus* Pellizz. *Tract. 9. cap. 2. num. 57.* his suppositis.

39 *Dico primò*: Eligentes aliquem unanimi consensu non possunt deinde illi electioni opponere, nisi postea emergant novæ causæ, aut ipsis eligentibus de novo innotescat indignitas personæ electæ, ut patet ex Cap. *nulli de electione in 6.* ita communiter DD. Unde electores reclamando de ele-
40 ctione ab eis celebrata, dicentes se amore, vel pretio deceptos aut promissis, vel timore, etiam cadente in virum constantem, inductos elegisse non sunt audiendi. ita Mascardus, Cravetus, & alii, quos refert, & sequitur Samuelius *supra citatus Controvers. 5. num. 6.*

Dico secundò: Si electio fuerit in discordia ce- 41
lebrata, vel exclusis illis, qui non debebant excludi, vel non vocatis electoribus, ij qui non interfuerunt, vel non consenserunt electioni, possunt intra decem dies reclamare, si oppositio fiat per modum appellationis, ut patet ex Cap. *concertationi de appellat.* imò ex Cap. *statuimus de electione in 6.* & Cap. *cupientes eodem tit.* id extendi potest ad unum mensem, hoc vero tempore transacto non admittitur oppositio, & solum eis conceditur uti juris remediis, ita cum Lavorio, Sigismundo, Castellino, & aliis Lezana *Tom. 6. qq. Reg. Consilio* 13. *num.* 6. & 8.

Hinc fit appellantes ad sedem Apostolicam in- 42
tra unum mensem debere iter arripere, post quod alterum temporis spatium conceditur, tum ad itenerandum juxta itineris longitudinē, tum ad se 43
præsentandum personaliter conspectui Apostolico, tum ad probandum impedimentum, si personaliter accedere non possit: ut patet ex dicto Cap. *cupientes*, sed de his vide Samuelium *Tract.* 1. *disp.* 8. *controvers.* 6. *n.* 18.

Dico tertiò: Appellatio in electionibus quatu- 44
or debet necessario continere: *primò*, ut in literis appellationis exprimantur omnia, & singula, quæ oppositores possunt objicere, sive contra formam electionis, sive contra personam electi, aut eligentium: *secundo*, ut id fiat coram judice competente v. g. coram præsidente Capituli, aut etiam toto Capitulo adhibitis aliquibus testibus: *Tertiò*, ut appellantes præstent corporale juramentum, se credere vera esse, quæ opponuntur, & posse ea probare: *Quartò*, ij, qui opponunt electioni alicujus notorium aliquem defectum, vel quem ipsi per sufficientes testes facere possunt notorium, non posse postea desistere ab oppositione, alioquin debere puniri, quæ omnia habentur ex Cap. *ut circa de electionibus in 6.* & cap. *ab eo de el. in 6.* & cum aliis multis docet Lezana *loc. cit. in Consiliis, Consilio* 13. *num.* 9. & 10. Pellizz. *tract.* 9. *cap.* 2. *num.* 76.

Dico quartò: Contra electionem post confirma- 45
tionem, fieri potest etiam oppositio, servatis tamen aliquibus conditionibus præter jam enumeratas.

Prima, quod subsit magna, & notabilis causa, 46
jus enim canonicum maxime adversatur hujusmodi oppositionibus, ex *cap. fin. de dolo & contumacia*

macia; Layman in quæstionibus canonicis *de prælatorum electione cap.* 11.*q.*117.

Secunda quòd illud, quod opponitur ante confirmationem discussum non sit; nam si jam fuit propositum, & super eo pronunciatum, non debet admitti oppositio, quia taliter discussum, & pronunciatum transit in rem judicatam: ita cum Sigismundo, & aliis Lezana noster *loc. mox cit. num.* 6. *& seqq.*

Tertia, quod si oppositio fiat contra formam electionis ipsi opponentes, & non electi tenentur probare defectum: secus si oppositio fiat ante confirmationem; nam tunc onus probandi incumbit electo; *Cap.* 1. *de electione in* 6. & C. *si Compromissariis.*

An autem idem dicendum sit, quando oppositio fit contra personam electi? Respondeo negativè, sed semper onus probandi, sive ante, sive post confirmationem fiat oppositio, incumbit opponentibus, ut constat ex eisdem juribus, & cum Thesauro, Mascardo, & aliis tenet Lezana *loc. cit. consilio* 13 *num.* 11.

47 *Dico quintò:* Confirmatio electi, facta postquam ab electione celebrata fuit in scriptis modo dicto ad sedem Apostolicam appellatum, est omnino nulla, & irrita, nisi prius fuerit ab ipsa appellatione recessum. ita habetur in Cap. *si postquam de electione in* 6. ita communiter DD. quos refert & sequitur Samuelius *ubi supra controversia* 2. *num.* 27.

48 *Adverte* tamen, quod confirmatione cassata, vel irrita, quia fuit facta appellatione pendente, apud sedem Apostolicam electio alias canonica non infirmatur, nec cassatur, cap. *si confirmationem de elect. in* 6. ita communiter DD. apud Samuel. *ubi supra n.* 30.

SECTIO IV.

In quibus casibus Superior possit irritare electionem Prælati regularis, factam à legitimis Electoribus?

49 *Superior potest irritare electionem Prælati regularis in multis casibus. primò, si electus consensit electioni de se faciendæ, & ipsi proposita, antequam eligeretur.*

50 *Secundò, si electio fuit clandestina.*

51 *Tertiò, si facta fuit contra formam substantialem.*

52 *Quartò, si electus sit gravatus in fama apud viros probos.*

53 *Quinto, si ex electione scandalum grave probabiliter timeatur.*

54 *Sextò, si electio facta sit in magna discordia, & sine magno excessu votorum, nisi post electionem omnes consentiant.*

55 *Septimò, si judicetur ad bonum commune expedire, ut electio cassetur ob aliquam causam.*

56 *Hujusmodi causa non est necesse, quod juridicè probetur, nec quod audiatur electus, si talis in Religione detur consuetudo, benè tamen si contraria sit consuetudo.*

57 *Quid dicendum sit in hoc casu de jure nostro?*

58 *Si Definitorium falsa ductus causâ casset electionem alicujus, & alterum eligat, & confirmet, si post confirmationem constet causam cassandi primam electionem fuisse falsam, primus electus debet restitui, & cassari secundus, etiam post illius confirmationem, imò & possessionem, si alias primus electus postulet restitui.*

59 *Electus potest appellare, si ei denegetur confirmatio.*

60 *Electus habet non solum jus ad rem, sed in re quoad electionem.*

61 *Electores, si dubitent de cassatione electionis ab ipsis facta, petendo confirmationem, possunt addere clausulam, quod si ab ipsis electus non confirmetur, se appellare ad Sanctam sedem.*

62 *Interposita hac appellatione, licet confirmator possit cassare electionem, non tamen potest novam electionem facere.*

63 *Si nova electio fiat in hoc casu, est ipso jure nulla.*

64 *Si prælatia post electionem electo tradatur, & recurratur ad Generalem pro confirmatione, & Generalis talem electionem casset, & alterũ eligat, & confirmet, si primus electus appellet ad legitimum superiorem, manutenendus est in sua possessione.*

65 *Alter electus à Generali tenetur se subtrahere quousque, per superiorem ad quem fuit appellatum, declaretur primam electionem benè, vel malè fuisse cassatam.*

Dico primò: In multis casibus potest Superior irritare electionem Prælati regularis à legitimis Electoribus celebratam. *Primò*, si electus consensit electioni de se faciendæ, & ipsi propositæ antequam elegeretur. *Cap. Cum post petitum extra de elect.* Gofredus, Lambertinus, Silvester, Sigismundus & alii, quos refert, & sequitur Giragus 1. *p. dub.* 49

*dub.*21.*num.*115. præsumuntur enim ambitiosi, eò quod consenserint suis electionibus, antequam per Electores, & perscrutinium votorum electi fuerint, quæ conclusio est valdè notanda contra eos, qui procurant, ut ab aliis eligantur, ut notat Molphesius in summa *Tr.*6.*de beneficiis c.*16*n.*147.
50 *Secundò*, Si electio fit clandestina, verbi gratia, facta in occultis convē ticulis c. *quia propt. de elect.*
51 *Tertiò*, Si fiat contra formam substantialem.
52 *Quartò*, Si Electus gravatus sit in fama apud viros bonos verbi gratia, de aliquo delicto accusatus. cap. *omnipotens Deus de accusationibus.*

Quintò, Si ex electione scandalum aliquod grave
53 ve probabiliter timeatur, ita cum aliis Peyrinis *in formulario lit.* C.*cap.*18.*n.*6.

Sextò, Si electio facta sit in magna discordia, & sine magno excessu votorum ob pacem & concor-
54 diam Provinciæ, nisi post electionem omnes consentiant. Azor. Castelinus & alij, quos ibi refert & sequitur Peyrinis.
55 *Septimò*, Si judicetur ad bonum commune expedire, si electio cassetur ob aliquam causam gravem, & rationabilem, quæ juridicè etiam probari possit in judicio, si opus fuerit. ita Bann. Castelin. Lavor. quos refert & sequitur Peyrin. *ubi supra* Pellizz. *Tr.*9.*cap.*2.*num.*59.
56 An autem hujusmodi causa, ob quam motus Confirmator electionem casset, de facto prius debeat probari juridicè in judicio, an vero satis sit eam extrajudicialiter probari sine communicatione juridica testium, & instrumenti ad solam famam attendendo? Affirmat cum Innocentio, Butrio, Ancharrano, Lavorio, Abbate & aliis Peyrinis *in formulario lit.* C.*cap:*18.*n.* 7. & est textus expressus in clementina *Exivi* §.*demum de verbor. significatione circa finem.* contrariam tamen sententiam tenet Portel *p.*2.*casuum, Casu* 4. *n.* 3 *de casibus conscientiæ*, ubi ex multis & fortissimis rationibus probat causam ad non confirmandam electionem deberi juridicè probari, & audiri electum. De jure enim naturali nemo condemnari potest, nisi prius audiatur & convincatur.

Verum ego existimo in hoc standum esse consuetudini Religionis. Unde si sit consuetudo, ut causa juridicè probetur, illa debet probari, secus si detur consuetudo in contrarium: data enim hujusmodi consuetudine vel lege, electi renuntiant juri suo naturali defensionis: eo ipso quod ipsas leges, & consuetudines legitimas Religionis in professi-
57 one promittunt observare. Unde in congregat. N. Hispanica peracta electione Prælatorum (excepta electione Patris nostri Generalis) & illa publicata, præses Capituli imponit præceptū omnibus gremialibus, ut si aliquam causam, in aliquo ex electis inveniant, ob quam in officio non debeant confirmari intra spatium 24. horarum illam Definitorio Generali denuntiēt, ut patet ex 3.*p.nostrarum Constitutionum c.*1.*n.*14. illa vero denunciata, ad Definitorium Generale spectat determinare, quod in hoc casu agendum sit, ut patet ex 3. *p. nostrarum Constitutionum c.*2.*n.*4. Quæ Definitorij determinatio fit absque strepitu judiciali, sed sola inspecta rei veritate, & illius determinationi omnes tenentur stare, sub pœna privationis officij vocis, & loci, in perpetuum, ut patet ex eadem 3.*p.c.*2.*n.*4.

Sed quæres, quid agendum sit, si Definitorium falsâ ductus ratione casset alicujus prælati electionem, & alterum eligat, & confirmet, si post illius confirmationem constet primam electionem validam fuisse, & causam fuisse frivolam, erit ne primus electus restituendus, aut secundò electus, & confirmatus manutenēdus? Respondeo debere pri- 58
mum electum restitui, & cassari secundam electionem, etiam post illius confirmationem, imò & post illius adeptam possessionem, si alias primò electus postulet restitui in suam prælatiam: ita Portel *Tom.* 2. *casuum, casu* 4.*n.*9.2.*p.* Peyrinis *in formulario lit.* C.c.18.*n.*9. quidquid contradicant Lessius, Azor, Navar. Castelin. quos *ibi* refert Peyrinis.

Ratio autem nostræ resolutionis est, tum quia jure suo injustè privatus restituendus est, *Cap. conquerēte de restitutione spoliator.* sed iste fuit privatus jure suo per electionem acquisito, ergo. Tum, quia si quis à me auferat injustè pallium, & alteri vendat, illiq; illud tradat, possum ego illud repetere, & ab emptore etiam bonæ fidei illud recuperare: imò iste emptor bonæ fidei statim ac sciverit pallium esse alienum, tenetur illud restituere, ut tradunt omnes Doctores de hoc agentes, præsertim Sairus in *Clavi regia lib.*10.*tr.*2.*c.*2.*n.*2. ergo si prælatia à primo electo fuit injustè ablata, & alteri tradita, etiā si iste secundus sit possessor bonæ fidei, possum ab eo illam repetere, & ille statim ac sciverit illam esse alienam, pari ratione tenetur illam restituere.

Nec obstat, quod si res alicui vendatur, & tradatur, ista secunda venditio debeat sustineri, ut tradunt communiter Doctores, quod à simili videtur dicendum de electione, ut tradunt A.A. contrariæ sententiæ. Respondetur namq; hanc doctrinā non procedere in venditore Ecclesiastico, in quo maximè reprobata est variatio, & illusio. *Cap. quod autem de jure patronatus*, Clementina *cū illusio de renuntiat.*

&c.

& probant multi Doctores apud Covar. *lib. 2. variarum cap. 19. num. 4.* & dato, quod etiam in hoc admitteretur, ea tamen non habet locum in eo, qui scit rem fuisse alteri venditam, ut cum multis probat Gomesius *Tom. 2. variarum cap. 2. n. 20.* ergo si secundus electus scivit alterum fuisse primo electum, tenetur prælatiam non acceptare, vel post acceptationem illam relinquere, vide Peyri-
59 num *ubi supra.*

Hinc fit electum in prælatum posse appellare, si ei denegetur confirmatio electionis, cum jus habeat non solum ad rem, sed etiam aliquo modo in
60 re, quoad electionem, ut cum Peyrino *ibid. num.*
11. notavis Pellizz. *Tract. 9. cap. 2. num. 58.* Imò
61 ipsi electores, si dubitent de cassatione electionis
ab ipsis factæ, petendo confirmationem possunt
addere clausulam, quod si ab ipsis electus non
confirmetur se protestari velle audiri, & ex tunc
62 appellare ad sanctam Sedem, sic enim ligantur
manus Confirmatoris ad hoc, ut licet cassare pos-
63 sit, non tamen facere novam electionem; nam appellatione interposita non potest fieri nova electio, quod si fiat est ipso jure nulla, ut statuitur in Cap. *consideravimus de electione*: ita Barbosa Peyrin. *supra num. 15.*

64 *Secundò* infertur, quod si prælatura post electionem electo tradatur, & recurratur ad Generalem pro illius confirmatione, ut fit in pluribus Religionibus, & Generalis talem electionem casset, & alterum eligat, & confirmet, si primo electus ap-
65 pellet ad Superiorem legitimum, cum appellatio suspendat executionem, iste primo electus manutenendus est in sua possessione, & alter electus à Generali tenetur se subtrahere quousque per Superiorem, ad quem fuit appellatum declaretur electionem primam fuisse benè, vel malè cassatam, siquidem illi suffragatur possessio qua caret is, qui postea à Generali fuit electus, & confirmatus; habens enim possessionem potest in ea manuteneri contra alium carentem illa, cum melior sit conditio possidentis.

SECTIO V.

A quibus debeat confirmatio Prælati regularis obtineri?

66 *Electiones prælatorum regularium debent confirmari ab immediato superiore prælati electi, nisi aliud jure speciali cautum sit.*

67 *Generales ferè omnium Religionum hoc ipso quod sunt electi, censentur confirmati à Papa ex privilegio.*

68 *Si in aliqua Religione non detur tale privilegium, confirmatio Generalis spectat ad Papam.*

69 *In nostra Religione confirmatio omnium prælatorum, Generali excepto, pertinet ad nostrum Definitorium generale.*

70 *Si contingat electionem Provincialis, vel Prioris non confirmari, ex justa causa, superior ad quem pertinet confirmatio potest eligere aliquem ex ipsis Religiosis, quos Electores, vel major pars Capituli per literas ab eo petierint.*

Dico primò: Electiones Prælatorum regulari- 66
um debent confirmari à Superiore immediato Prælati electi, nisi aliud jure speciali, vel consuetudine cautum sit. ita communiter Doctores apud Samuelium *Tr. 1. disp. 8. controv. 2. n. 2.*

Dixi, *nisi aliud jure speciali cautum sit*, nam Ge- 67
nerales fere omnium Religionum exemptarum, hoc ipso ac sunt electi, censentur confirmati, ut ut patet ex privilegio Innocentij IV. pro Prædicatoribus, quod refert Samuelius *ubi supra num. 8.*
& ex aliis privilegiis Bullatis, quæ refert Pellizz. 68
Tract. 9. cap. 2. n. 41.

In casu tamen, quo aliqua Religio tale privilegium non haberet, ejus Generalis à Papa deberet confirmari, stando in jure communi, juxta *Cap. si postquam de elect. in 6.* In nostra tamen Religione
confirmatio omnium Prælatorum, excepto Ge- 69
nerali, pertinet ad nostrum Definitorium Generale, ut patet ex *3. P. nostrarum Constitutionum cap. 1. num. 14.*

Dico secundò: Si contingat electionem Provin- 70
cialis, vel Prioris, non confirmari ex aliqua justa causa, potest Superior ad quem pertinet confirmatio talis electionis, eligere aliquem de illis Religiosis, quos ipsi Electores, aut major pars Capituli per literas suas ab eo petierint, ut concessit *Alexander* IV. & *Sixtus* IV. & docet Lezana noster *Tom. 2. cap. 12. num. 41.* & Castelinus, quem refert & sequitur Pellizz. *Tract. 9. cap. 2. num. 24.*

SECTIO

SECTIO VI.

In quibus casibus Electio Prælatorum Regularium devolvatur ad regulares Superiores?

71 *In tribus casibus devolvitur electio Prælatorum regularium ad superiores.*

72 *Primo propter Electorum negligentiam.*

73 *Secundo ob causam ipsorum, eo quod indignum elegerunt, vel eligendo non servarunt debitam formam.*

74 *Tertio, si omnes Electores moriantur, aut sint inhabiles.*

75 *Superior in hoc casu potest eligere de jure communi, absque consensu Collegarum, non tamen sine illorum consilio.*

76 *Quid dicendum sit de jure nostro?*

77 *Superior ad quem devolvitur electio, tenetur eam facere intra mensem.*

78 *Si cessante justo impedimento illam non faciat, devolvitur ad alium Prælatum magis superiorem usque ad Papam.*

79 *Aliquando etiam devolvitur ad ipsos Electores, & quando?*

80 *In casu, quo electio devolvatur ad superiores, debet fieri juxta formam Capitis* quia propter, *& Concilii Tridentini.*

71 Dico primò: In tribus casibus electio Prælatorum regularium devolvitur ad Superiorem.

72 *Primo* propter Electorum negligentiam, eo quod non eligant intra tempus jure præscriptum juxta Cap. *ne pro defectu de electione.*

73 *Secundo* ob culpam ipsorum, eo quod indignum elegerunt, vel in eligendo non servaverunt debitam formam; Cap. *cum Vintoniens. de electione* ubi eligentes indignum, privantur jure eligendi pro illa vice.

74 *Tertio* si omnes Electores moriantur, aut sint inhabiles, ex Cap. *ne pro defectu de electione.*

75 An autem in hoc casu possit superior per semetipsum eligere absque consensu, vel consilio Collegarum, vel Assistentium, vel Definitorum? Respondeo de jure communi posse sine illorum consensu, non vero sine illorum consilio: ita Peyrinis *Tom. 3. privilegiorum c.13.n.24.* Pellizz. *Tr. 9. c.2.n.53.*

76 Dixi, *de jure communi,* nam de jure speciali videnda sunt specialia statuta, nam in N. Religione nunquam Generalis potest eligere aliquem Prælatum, nisi de consensu suorum Definitorum, ut patet ex 3. *p. nostrarum Constitutionum cap. 7. num.* 12. & Cap. 2. *n.* 1.

Dico secundò: Superior ad quem devolvitur electio in his casibus, tenetur eam facere intra mensem, & si, cessante justo impedimento, non faciat illam, iterum devolvitur ad alium Superiorem gradatim usque ad Papam, aut etiam ad pri- 77 78
mos Electores si ipse eligat & ejus electio cassetur ob aliquem defectum ex *Cap. ne pro defectu,* ubi Abbas *num.* 6. Baldus, & alii; imò sicut electio non confirmata absque Electorum culpa redit ad illos, ac si esset nova vacatio, cum electio non dicatur perfecta, nisi sit confirmata; sic etiam ad ipsos redit, in casu quo Electores ex negligentia intra tempus præfixum non eligant, ideoque Superior jure devoluto provideat, & provisus renuntiet, aut moriatur, aut privetur, quod etiam docet Ancharranus, in Cap. *si electio de electione in* 6, §. 4. Sigismund. *de electione d.* 12. *num.* 3. 79

80 *Adverte* tamen, quod in casu quo electio devolvatur ad Prælatos Superiores debere fieri juxta formam præscriptam in Cap. *quia propter de elect. in* 6. & in Concilio Tridentino *session.* 25. *cap.* 6. ita Samuelius Tr. *& disput.* 1. *controvers.* 13 *num.* 11. ubi hoc probat ex Decretis *Clementis* VIII. *de reformatione regularium,* & ex Decreto *Pauli* V. relato à Quaranta *pagina* 422. Pro complemento amplissimæ huius de *Electionib. Regular.* materiæ, adducit N. Lezana *Tom.* 3. *summ qq. Regul.* verb. *Electio inter Regul.* Tractat. quendam, compendiosum quidem, sed adæquatum de hoc eodem argumento, ab Anonymo quodam nostræ Religionis Authore natione Gallo, conscriptum & inscriptum: *Praxis Electionum inter Regulares juxta normam Canonum Ecclesiasticorum, Conciliique Tridentini Decreta, & summorum Pontificum placita.* quem sine fructu non consules.

Et hæc pauca dicta sufficiant pro hoc Tractatu ac Disp. & toto hoc opere: quæ utinam cedant ad majorem *Dei O. M. Deiparæque* Virginis, *SS. Ioseph* eius sponsi, *Carmeli* Tutelarium, *Cælitumque* omnium gloriam: Universa vero in hoc opere dicta *S. M. Ecclesiæ* infallibili judicio atque correctioni submitto. Cum vero post primam huius operis editionem, SS. D. N. *Alexander* VII. complures damnaverit, prohibueritque propositiones, juvat illius Decreta hic subjicere, quo sic constet, me prorsus nolle, quidquam his Decretis dissonum aut adversum tradere aut docere: sed revocare, si quid illis minus conforme forte dixissem,

DECRETA
SANCTISS. IN CHRISTO PATRIS
AC D. N. D.
ALEXANDRI
PAPAE VII.
In Congregationibus generalibus Sanctæ Romanæ & Vniversalis Inquisitionis habitis.

Feria V. *die* 24. *Septembris* 1665.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & universalis inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram sanctiss. D. N. D. ALEXANDRO Divina Providentia Papa VII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter Deputatis.



SANCTISSIMVS D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ Disciplinæ relaxativas, & Animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire: & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam indies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omninò ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem, si pro recta regula Fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quarè, ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seù veriùs perverti contingeret, idem Sanctissimus D. N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque per quam itur ad perditionem, viâ, pro pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret, earundem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deindè Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus seriò commisit: Qui tantum negotium strenuè aggressi, eique

ſi, eique ſedulò incumbentes, & maturè diſcuſſis uſque ad hanc diem infraſcriptis propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſingillatim expoſuerunt.

1. Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 18. Iulij in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Emin. Cardinalium, viſa & tolerata eſt.

4. Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

5. Quamvis evidenter tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.

6. Confeſſarius, qui in ſacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſteà legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione; ac proindè non eſt denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt; Si ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi.

8. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet Celebranti correſpondentem, idque poſt decretum URBANI VIII.

9. Poſt Decretum URBANI poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendij ſibi retenta.

10. Non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre; Neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione etiam juramento firmata, danti ſtipendium, quòd pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeù oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere.

12. Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.

14. Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.

17. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, & coram graviſſimis Viris prædicta impingere, niſi occidatur.

18. Licet interficere falsum Accusatorem, falsos Testes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio à PIO V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Iudicis, eò quod sit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

22. Non est contra Iustitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente non exigit illam pro collatione Beneficij sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dùm non constet, rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium Propositionum examini cura, & studium impenditur, interea idem Sanctissimus re maturè considerata statuit, & decrevit, prædictas propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimùm, tanquam scandalosas, esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alia quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Ioannes Lupus Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Not. &c.

Loco (✠) Sigilli.

Anno

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, Indictione tertia, die verò 2. mensis Octobris, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, D. N. D. Alexandri, divina Providentia Papæ VII. anno undecimo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in alijs locis solitis, & consuetis Urbis per me Carolum Melanum ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

ROMÆ, Ex Typographia Rev. Cameræ Apost. 1665.



Feria v. Die 18. Martij 1666.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D. N. D. ALEXANDRO, Divina Providentia Papa VII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversùs hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter Deputatis.

SAnctissimus D. N. post latum Decretum die xxiv. Septembris proximè elapsi, quo viginti octo Propositiones damnatæ fuerunt; examinatis sedulò, & accuratè usque ad hanc diem infrascriptis aliis quadragesimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magistros, ac per Eminentissimos, & Reverendissimos DD. Cardinales adversus hæreticam pravitatem Generales Inquisitores; eorum suffragia singillatim super unaquaque ipsarum audivit.

Propositio 29. In die Jejunii, qui sæpiùs modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit Jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31 Excusantur absolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque Eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans officium Paſchale, ſatisfacit Præcepto.

35. Unico officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti & craſtino.

36. Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſſè revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à PAVLO V. hodiè ſunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quamprimùm, eſt conſilium, non præceptum.

39. Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

40. Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.

41. Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*, dùm deficiente illâ, nimis egrè ageret vitam, & aliæ epulæ tœdio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro Anima relictum, non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conſcientiæ, Reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.

Libri prohibiti donec expurgentur, poſſunt retineri, uſque dum adhibitâ diligentiâ corrigantur.

45. Quibus maturè penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit, ac decrevit, prædictas Propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimùm, tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet: Ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Ioannes Lupus Sanctæ Romanæ, & Vniverſalis Inquiſitionis Not. &c.

Locus (✠) Sigilli.

Anno

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto, Indictione quarta, die verò 23. mensis Martii, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, D. N. D. Alexandri, divina Providentia Papæ VII. anno undecimo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in alijs locis solitis, & consuetis Urbis per me Carolum Melanum ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

ROMÆ, Ex Typographia Rev. Cameræ Apost, 1666.

FINIS.



INDEX
RERUM NOTABILIUM, quæ in hac *Tertia Parte* continentur.

Littera T. Tractatum, D. Disputationem, N. Numerum significat.

De-

Capitulum Generale.

Prior

Confir-

A quibus

D.

Definitorium Generale.

simul

Quinto,

Non

Electio quoad secretum Electorum.

Electio quoad Electores.

Electio quoad eligendos.

Electo-

Electio quoad confirmationem.

Ex-

Electio quoad irritationem

F.

Factiones.

G.

Generalis.

Non

Gene-

Gene-

Vide

Si ni-

Debet

Priori

Potest

Quid

Judex

S.

Sententia.

Superiores.

Suspensio ab officio.


Scrutinium.

T.

Testis.

Quibus

FINIS.





R.P. Antonius a Spir. Sancto, carm. discalc.

Directorium regularium tripartitum. Cuius in prima parte de privilegiis regularium, in altera de eorundem obligationibus; in tertia de regimine atque electione praelatorum regularium.

Coloniae Agrippinae

Apud Joannem Busaeum

1667

4°

p. I.-a 3 k.n + str 150 - A - A_3 - T - T_5 + 20 k.n.

p. II.-a 3 k.n + str 316 - B - B_3 - Ss - Ss_3 + 38 k.n.

p. III.-a 3 k.n + str 263 - A - A_3 - Kk - Kk_3 + 32 k.n.

Opr. skr. wspólna dla 3-ch części.

R. P. Antonius a Spiritu Sancto carm. discalc.

Directorium regularium tripartitum. Cuius in prima parte de privilegiis regularium, in altera de eorundem obligationibus; in tertia de regimine atque electione praelatorum regularium.

Coloniae Agrippinae

Apud Joannem Busaeum

1667

4° – p. I-a – 3 k.n + str. 150 – A – A_3 – T – T_5 + 20 k.n.
p. II-a – 3 k.n + str. 316 – B – B_3 – Ss – Ss_3 + 38 k.n.
p. III-a – 3 k.n + str. 263 – A – A_3 – Kk – Kk_3 + 32 k.n.

Opr. skr. wspólna dla 3-ch części